LITURGICA
162
15-18.
NAPOLI

BIBL. NAZ.
162
N
15—18

IV
J
18.

JOANNIS BONA

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS

RERUM LITURGICARUM

LIBRI DUO

Cum Notis, & Observationibus

D. ROBERTI SALA.

RERUM LITURGICARUM

LIBRI DUO

AUCTORE

JOANNE BONA

S. R. E. TIT. S. BERNARDI AD THERMAS

PRESBYTERO CARDINALI

ORDINIS CISTERCIENSIS

PEDEMONTANO PATRITIO MONTIS REGALIS,

Hac noviſſima Editione denuo recogniti, aucti, Notis, Obſervationibus, ac perpetuo fere Commentario Hiſtorico, Critico, Dogmatico illuſtrati, noviſque acceſſionibus locupletati, ac in quatuor Tomos diſtributi.

ADJICIUNTUR

Hucuſque inediti duo ſingulares Ritus Eccleſiarum Vercellenſis, & Auguſtæ Prætoriæ in Italia Subalpina;

NONNULLÆ ITEM DISSERTATIONES ADVERSUS MISOLITURGOS, ALIOSQUE PSEUDOCRITICOS,

Quibus quæcumque ad Miſſæ Sacrificium, Rei Liturgicæ Originem, Statum, Antiquitatem, Succeſſionem, Ordinem, Ritus, Cæremonias, Miniſterium, Diſciplinam, ſeu notitiam ſpectant, proferuntur, diſquiruntur, enucleantur,

STUDIO, ET LABORE

D. ROBERTI SALA TAURINENSIS

Ejuſdem Ord., & Congr. S. Bernardi Abbatis Tit. Sac. Facultatum, & in Vaticana Bibliotheca Latinæ Linguæ Profeſſoris,

TOMUS PRIMUS,

Sive Libri I. a Cap. I. ad XVII.

PARS PRIMA

De Miſſa, ejus Nomine, Inſtitutione, variis Eccleſiarum Liturgiis, ipſarum Generibus, Cæremoniis, Ordinibus, ac Formulis in Sacrificio cum ſolemni, tum privato adhibitis, necnon diverſis Catechumenorum, Pœnitentium Claſſibus, ac Fidelium in Eccleſia Stationibus, & Dimiſſione.

ACCEDUNT APPENDICES, ET INDICES IN FINE.

Ut ſacrificemus Domino Deo noſtro. Exodi cap. 5. v. 3.

Ex Bibliotheca S. Augustini Majoris Neapolis

AUGUSTÆ TAURINORUM.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M D C C XLVII.

Digitized by Google

JESU CHRISTO
FILIO DEI
SUMMO, ET ÆTERNO SACERDOTI

JOANNES SOLA EJUS MISERATIONE
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS.

RUCTAVIT cor meum verbum bonum, dico Tibi, & consecro opera mea, Pontifex sempiterne, qui discessurus de hoc mundo ad Patrem, factus sacerdos tuæ victimæ, & victima Tui Sacerdotii, Corporis, & Sanguinis Tui admirabile sacrificium instituisti. Offero inquam Tibi quod tuum est; neque enim dare Tibi aliquid possum, quod tuum non sit; neque Tu acciperes, si quid dare vellem, quod a Te non accepissem. Ideo Te adoro, & gratias ago misericordiæ tuæ; quia omnia bona mea Tua sunt; nihilque meum est, nisi peccatum, & infirmitas, & ignorantia, prævaricatoris Adæ miseranda hæreditas, jugumque gravissimum humanæ captivitatis, a quo

S. Paulinus Epist. 5. ad Severum.

ſolvi numquam potero, niſi Tu a ſervitute me liberes diſcuſſa caligine, & depulſa ægritudine, manu Tua omnipotenti. Tu dixiſti, fiat lux, & facta eſt lux: cujus fulgore illuſtratus has Rerum Liturgicarum diſquiſitiones aggreſſus ſum, priſcos Eccleſiæ ritus perluſtrans, quantum Tu poſſe dediſti, de cujus plenitudine omnes accipiunt. Intravi ubi aperuiſti, aſſerendo, & defendendo quæ certa ſunt, incerta vero & occulta ſollicite inquirendo, donec Tu, qui doces hominem ſcientiam, latentem veritatem ſervis Tuis manifeſtes. Tuum nunc eſt hunc qualemcumque laborem benigno favore proſequi, ut Fideles Tui, ad quorum manus pervenerit, tantum myſterium impenſius colant, & profectu accreſcente frequentent: reliqui vero, qui ſectis adhæſerunt, auſpice Te, reducantur in viam, a qua infeliciter aberrarunt. Hoc votum meum eſt in Te, & per Te, JESU CHRISTE Redemptor mundi, qui omnium deſideriorum meorum ſcopus & meta es, & merces mea magna nimis.

SANCTISSIMO, AC BEATISSIMO PATRI BENEDICTO PAPÆ XIV.

ROBERTUS SALA

SEMPITERNAM FELICITATEM.

Iturgicos Codices de Auguſtiſſimo novæ Legis Sacrificio, quod uſque in ſeculum manſurum inſtituit CHRISTUS DOMINUS habens ante ſecula immutabile Sacerdotium a Patre, ut homines quos factus homo ſe ipſum litans in ara Crucis reconciliavèrat DEO, eodem Corpore, & Sanguine paſtos, in conſanguineos, concorporeos, & pene Chriſtiferos adoptaret, nonniſi ad pedes Pontificiæ Majeſtatis, ejus, qui Pontifex eſt in æternum, Vicariam in terris perſonam gerentis, ad obſequium æque ac vectigal conſentaneum eſſe, quinimmo dignum, juſtumque ſponte ſua provolvi, argumenti excellentia arcana Divinitatis attin-

attingens, res undique ſacra, ac DEO plena, ſatis abunde ſuadent, BEATISSIME PATER. Verumtamen divina plane diſpoſitione, ac provido quodam myſterio factum eſſe crediderim ut Liturgica hæc Commentaria ad quatuor uſque Tomos ultro producta tamdiu prodire cunctarentur in lucem, quamdiu BENEDICTUM XIV. ſuperni diſpenſatione conſilii ad PETRI Cathedram fauſto omine aſſumptum, ſingularem ſortirentur in Liturgicis ſtudiis Magiſtrum, ac Mecænatem. Enimvero Tu ille es, qui humanis, diviniſque litteris ad ſeculorum invidiam cumulatiſſime inſtructus, tuis in operibus editis, præſertim in doctiſſimis lucubrationibus de Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, ac vere aureò Tractatu de Sacrificio Miſſæ JOANNIS Cardinalis BONA ſententiis adhærens, non ſine luculento de ejus doctrina, ac pietate præhabito encomio Rem Liturgicam plurimum illuſtraſti; Vix autem ſupremum Eccleſiæ Pontificium adeptus, & in Patrem Urbis, & Orbis aſſumptus, ad hæreditatem Domini adminiſtrandam inauguratus, graviſſimas inter Summi Sacerdotii ſollicitudines congruam Apoſtolico muneri Liturgicam inter cæteras Academiam Sacerdotali in Urbe dignatus es inſtituere, & impenſius excultam patrocinii ſublimitate, ac majeſtatis præſentia confovere. Dixerim ſane eo conſilio Sanctitatem Tuam in id fuiſſe perductam, ut frigeſcente Mundo, erga Euchariſticum Sacramentum Divini Amoris igne Fidelium corda inflammare contenderes, cultumque Sacroſanctam erga Synaxim in omnes effunderes, ac promoveres, quem ab atavis, proaviſque hæreditaria LAMBERTINÆ Stirpis pietate profiteri didiceras; Noveras quippe in puerula adhuc Imelda gentili tua, ne immaturæ ætatis diſpendium pateretur, immiſſa e ſuperis ope Cœlitum Hoſtia, quam vehementer concupierat, Divino jugi convivio, ſponſique Virginum nuptiis maturam amoris victimam ad ejuſdem Agni immaculati thalamum inter gaudia æterna convolaſſe.

Quæ cum ita ſint, Tibi unice Pontifici vere Optimo, vere Maximo, Tibi Literatiſſimo, ſummoque Hierurgo Liturgicas haſce Notas, & additiones in Libros Cardinalis BONA tuis auſpiciis, tuoque nomine conſecrandas exhibere profecto debueram, ut quemadmodum ille inviſibili Eccleſiæ Capiti CHRISTO DOMINO FILIO DEI unigenito ſedenti ad dexteram Patris ſummmo, & æterno Sacerdoti ſe, ſuaque Liturgica litavit, ita & Ego eidem primum, ac ſedenti in PETRI Cathedra ejus Vicario, & in terris Pontifici BENEDICTO XIV. me, meaque qualiacumque

cumque ſunt ſtudia confidentius devoviſſe gloriarer; Quid enim Summo Sacerdoti, ac Patri Apoſtolico convenientius offerri poterat, quam Divini forma Sacrificii, cujus ritum, & ordinem ab Apoſtolis traditum præcipue a B. PETRO APOSTOLORUM PRINCIPE Sacroſanctæ ROMANÆ ECCLESIÆ, cui, ut ait antiquiſſimus Tertullianus lib. de Præſcript. cap. 3. *totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt*, conſignatum, & per eam univerſis Eccleſiis demandatum, quem tot clariſſimi Pontifices, magnique Prædeceſſores tui, BEATISSIME PATER, Leo, Gelaſius, Gregorius confectis Sacramentariis Codicibus, aliique Apoſtolicis ſuis Conſtitutionibus diſpoſuerunt, illuſtrarunt, & amplificarunt? Quid Catholicæ Religionis propagandæ ſtudioſiſſimo Pontifici acceptius, quam veneranda illa priſcorum Eccleſiæ Patrum oracula, piæque formulæ ab iis præſcriptæ, quibus DEUS Optimus Maximus honoretur, eique ipſe idem incruento immoletur Sacrificio, in quibus item noſtra de hoc auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento fides tam claris, & illuſtribus monumentis conſignata eſt? Quid denique Regali Sacerdotio tuo dignius (ut verbis Melliflui ex meo Ordine Ciſtercienſi Doctoris Bernardi Abbatis Claræ-vallenſis ad Eugenium III. Tuum item Prædeceſſorem ſcribentis utar) quid honeſtius ad famam, utilius ad exemplum, quam vindicias hujuſmodi Euchariſticas adverſus malignantes miſoliturgos in clientelam admittere? Literarium itaque, ſimulque Liturgicum munus offero, quo probe equidem ſcio fere omnia Te digna, cum ſint plane tua.

Adhuc tamen erga Sanctitatem Tuam obſervantiæ meæ votum urgebat, addictum ſcilicet Apoſtolicæ Sedis per ſex luſtra, quo functus ſum, in Vaticana Bibliotheca Latini Scriptoris Officium, a quo ſumma pietatis tuæ Clementia nuperrime exemptus, & abſolutus, ut Liturgico huic Operi exornando manum ultimam expeditior admoverem; Inde eſt, ut nemini, præter Te, valeam, quæcumque ſcripſero, mancipare. Quod ſi alias parvitati meæ hac in parte gloriari liceat, in Domino gloriabor; veritatem enim dicam me Supremæ Celſitudinis Prædeceſſorum tuorum CLEMENTIS XI. INNOCENTII, & BENEDICTI XIII. dignatione, & imperio in nonnullis Literariis, & Eccleſiaſticis Rebus non modico partam labore pro Sancta Apoſtolica Sede operam exiguam licet, pluries tamen contuliſſe. Idque unum ſupererat, ut domeſtico motus exemplo Abbatis Julii Bartoloccii in eadem Vaticana Linguæ Sanctæ Interpretis, qui Bibliothecam magnam Rabbinicam, & ab exteris commendatam evulgavit,

Liturgicum hoc opus, quod in feriis Bibliothecæ, ne Monaſticum feriaretur ingenium, ſenio ineunte, viribuſque jam fatiſcentibus DEO opitulante confeci, Regnantis Pontificis BENEDICTI XIV. glorioſis cohonеſtaretur auſpiciis, tantique Mecænatis ex Regio Aragonico ſtemmate veluti ab Iride multiformis luminis venuſtatem, & ſplendidum lucis nomen acciperet.

Tu igitur, BEATISSIME PATER, Sacerdos magnus, hæres Apoſtolorum, poteſtate PETRUS, unctione CHRISTUS, æque maximus in acceptis Clavibus Regni Cœlorum, ac in Ovibus Tibi concreditis, me humiliter provolutum ante ſolium gloriæ tuæ benedictionibus præventum ad Sanctorum Pedum oſcula, ea qua abundas humanitate admittere non dedigneris. Excipe in Liturgicis hiſce Exercitationibus, in ſacro hoc literario munere ab Altari deſumpto, ſummo Sacerdoti jure optimo conſecrando, Excipe Monaſtici obſequii votum, erga Religionem, erga PETRI Cathedram, Tuique Apoſtolatus eminentiam, cujus patrocinii compendium efflagitare non deſinam; *Et ſi quid minus perite, aut parum caute forte poſui, emendari cupio a vobis, qui* PETRI *Cathedram retinetis*: uti olim in Epiſtola ad Damaſum Papam Hieronymus; Veſtræ, inquam, emendationi, & correctioni quæcumque a me ſcripta ſunt, cuncta ſubjicio, cuncta ſuppono, ex animo nimirum Bernardi filius eamdem amplector, & teneo Melliflui Patris doctrinam Epiſt. 74. *Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſane dicta ſint ſanius ſapientis; Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati, atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ ejuſmodi ſunt, univerſa reſervo, ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare*. Hæc ſunt vota mea, hæc deſideria, Apoſtolicis ſemper obedire mandatis. Faxit interim bonorum omnium largitor DEUS, ut diu valeas, BEATISSIME PATER, diu vivas; & multiplicentur Tibi anni vitæ, ut ingruentibus undequaque tempeſtatibus poteſtatis plenitudine Tibi cælitus tradita incolumis PETRI navis emergat, imperes ventis, & mari, fiatque tranquillitas magna.

CAR-

CARDINALIS BONA LECTORI

QUA OCCASIONE, QUOVE CONSILIO SCRIPTUS HIC LIBER. EJUS ARGUMENTUM, ET DIFFICULTAS.

*AUCIS me præfari oportet, & tibi, benigne Lector, ſuſcepti operis rationem reddere. Ediderам Romæ ante aliquot annos Tractatum de Divina Pſalmodia, ejuſque cauſis, myſteriis, & diſciplina; deque variis ritibus omnium Eccleſiarum in Pſallendis divinis Officiis. Vidit eum aliquando & percurrere dignatus eſt Sfortia Pallavicinus * Cardinalis ampliſſimus, de literis & de Eccleſia optime meritus, & ut erat mihi arctiſſima junctus amicitia ab eo tempore, quo in domo S. Andreæ Societatis Jeſu Hiſtoriam Concilii Tridentini toti orbi notiſſimam ſcribebat, protinus urgere me atque compellere cohortatione, imperio, ac quotidiano pene convitio cœpit, ut de Auguſtiſſimo noſtræ Religionis Sacrificio ſimile opus adornarem, amice teſtatus me in hoc genere aliquid poſſe. Ego verò tametſi hominem tantæ dignitatis ſumma veneratione proſequerer, multoque difficilius exiſtimarem id negare quod præcipiebat, quam efficere; conſcius tamen imbecillitatis meæ diu reluctatus ſum. Pondus enim graviſſimum, & vix tractabile perhorreſcebam, nec audebam opus aggredi longum, perplexum, ac plurimi otii, quo maxime indigebam. Cumque hoc ſeculum eruditiſſimum ſit, nimiæ audaciæ ac temeritatis notam incurrere verebar, ſi quidpiam in publicum proferrem, quod non eſſet elaboratum, & omni ex parte perfectum. Terrori denique fuerunt inextricabiles difficultates in ſingulis ritibus divinæ Liturgiæ explicandis, ac e ruderibus antiquitatis in lucem proferendis, qui cum profundis tenebris ſepulti ſint, quædam dumtaxat tenuiſſima veſtigia apud priſcos ſcriptores reliquerunt. In his autem anguſtiis conſtitutum urgebat quotidie Pallavicinus, adhibitis etiam amicorum auxiliaribus copiis, & eorum interpoſita auctoritate, quorum præceptis refragari nefas erat; donec tandem timorem abjicere, omniſque ſuſcipere ſatius duxi, quam deeſſe obedientiæ, quæ perfecta tunc eſſe cenſetur, cum nihil videt, nihil dijudicat.*

Quicquid igitur obſtabat patientia ac ſtudii pertinacia vincere tentans, multa volumine evolvere, & ex iis diligenter excerpere cœpi quæcumque ad propoſitum argumentum ſpectare viſa ſunt: & aſpirante divina gratia tanta mihi ſenſim rerum congeries parata eſt, qua exactoris deſiderio, & expectationi aliqua ſaltem ex parte ſatisfacere poſſem. Jam ſeptimus annus elapſus eſt a prima operis delineatione, cui cum aſſidue inſtarem, nullique parcens labori extremam manum imponere ſperarem, longa & moleſta correptus infirmitate & ſtudiis, & libris repudium dicere coactus ſum. Priſtina vero valetudine reſtituta, aliiſque rebus peractis, quæ quia differri non poterant,

me diu occupatum tenuerunt ; cum pauliſper reſpirare, & ad intermiſſa ſtudia redire cœpiſſem, niox gravius impedimentum ſubortum eſt, quod non ſolum ab opere perficiendo, ſed fere per annum ab omni librorum commercio avocavit. Nam Beatiſſimus Pontifex Clemens IX. me nihil tale aut merentem, aut cogitantem a tranquillitate & pace, quibus in Monaſterio perfruebar, repente abſtractum & avulſum ad faſtigium evexit maximæ in Eccleſia dignitatis, cui cum impar omnino ſim, vereor ne vox illa Prophetæ ad me pertineat, Elevans alliſiſti me. *Vixeram in Religione ab anno XV. ætatis meæ uſque ad LX. & agnoſcens in me aliquod ſignum divinæ miſericordiæ optabam mori in nidulo nico, nec diem hominis deſideravi, Deus ſcit. Nunc autem expulſus a jucunditate monaſticæ vitæ rerum exteriorum tumultus patior, quibus aſſuetus non eram, & omiſſis genialibus ſtudiis ad curas ſeculi ejectus ſum, a quibus maxime abhorrebam. Ideo in longum protractum opus ſerius, quam promiſeram, editum eſt.*

Cæterum in eo conſcribendo Hiſtoriæ limites prætergreſſus non ſum. Ex Conciliis & ſanctis Patribus, cæteriſque Eccleſiaſticis atque eruditis Scriptoribus, & ex Codicibus MSS. ea dumtaxat delibavi, quæ ad Miſſæ inſtitutionem, ſacrorumque Rituum originem ſpectant: quibus verbis, quo ritu, quo loco, qua hora, quo apparatu, qua lingua olim Miſſa celebraretur: idemne an diverſus omnium Eccleſiarum mos fuerit: quando, quomodo, & a quibus addita quædam & immutata. In quibus explicandis ut certo ordine progrederer, quæcumque pertinent ad Liturgiam, duobus libris complexus ſum. Primus ea continet, quæ de illa generatim prænoſci debent. Alter ſingillatim ediſſerit omnes ejuſdem partes ab acceſſu Sacerdotis ad Altare uſque ad ejus receſſum, ut ex ſubjecto Capitum indice apparebit. In tanta autem conſuetudinum diverſitate, priſcarumque rerum denſa caligine nonnulla ex conjecturis deduxi, quædam vero me neſcire profeſſus ſum, Magni Caſſiodori conſilium ſequutus, qui lib. de Anima cap. 14. *ait*: Melius eſſe in occultis cauſis confiteri ignorantiam, quam periculoſam ſumere audaciam. *Quæ cunctis nota ſunt, non niſi leviter tetigi, Lacedæmonios imitatus, quorum eſt apud Thucydidem lib.* 4. *illa, quæ ſemper mihi placuit, ſententia,* Non oportere multis verbis uti, ubi pauca ſufficiunt. *Quæ magis abſtruſa viſa ſunt, vel ipſe fuſius expoſui, vel fontes indicavi, e quibus poſſint curioſi explere ſitim.*

Partem aſceticam opuſculo ſeorſum evulgato pridem expoſui. Symbolica explicatio a pluribus haberi poteſt, qui de illa copioſiſſime ſcripſerunt. Scholaſticis diſputationibus plena ſunt ingentia Theologorum volumina. Polemica illis reliqui, qui Miſſam vindicant a calumniis hæreticorum. Alia fortaſſis erunt e profundiore ſapientia atque uberiori eruditione petenda, quæ me fugerunt carptim, & per interſtitia ſcribentem. Norunt autem experti quam ſit difficile ad hujuſmodi lucubrationes redire, poſtquam ab illis diſceſſum eſt. Multos quoque nodos vindice dignos ſupereſſe agnoſco, quos peritioribus ſolvendos relinquo. Omnium autem in quibus deliqui ab æquis rerum æſtimatoribus veniam facile obtinebo, quia ut præclare ſcribit Dionyſius Longinus, In magnis labi generoſum peccatum eſt.

IN PRÆFATIONEM OBSERVATIO.

(*) *Sfortia Pallavicinus*) Ad hunc Cardinalem in primo Idiographo Exemplari nuncupatum legitur Opus iſtud Liturgicum hoc titulo : *De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio Diſquiſitiones Hiſtoricæ ad Sfortiam Pallavicinum S. R. E. Cardinalem*: Et omiſſa Præfatione ad Lectorem, quam poſtea inſeruit, cap. 1. ſic incipit : „ Abſolvi tandem Emin. Princeps de „ Sacroſancto Miſſæ Sacrificio exiguam Diſ„ ſertationem, ad quam Tu me imperio, „ cohortatione, ac quotidiano pene convicio „ diu reluctantem compuliſti ; conſcius enim „ infirmitatis, & imperitiæ meæ pondus ex„ horreſcebam humeris meis impar, & vix

tracta-

„ tractabile: nec audebam opus aggredi lon-
„ gum, perplexum, ac plurimi otii, quo
„ aliis occupationibus diſtrictus, & impedi-
„ tus maxime egebam. Volenti autem, &
„ conanti protinus objectæ ſunt multiplices,
„ & fere inextricabiles difficultates in ſingu-
„ lis Miſſæ ritibus explicandis, neceſſario ſu-
„ beundis, quorum primordia alta oblivione
„ ſepulta e ruderibus antiquitatis in lucem
„ proferre oportebat, quorum cauſæ igno-
„ tæ, tantaque caligine circumfuſæ, ut ani-
„ mum prorſus abjecerim. Terrori denique
„ fuit, quod ad Te ſcriberem, qui porten-
„ toſi ingenii ſublimitate ſupra communem
„ omnium ſapientum conditionem evectus,
„ cunctarumque ſcientiarum, ac omnis po-
„ litioris literaturæ faſtigium ſupergreſſus,
„ quidquid eſt abſtruſum in omni doctrina-
„ rum genere, quidquid abditum in Hiſto-
„ riis, quidquid in ſacra, & profana eru-
„ ditione reconditum, infra Te deſpicis: Ni-
„ mizque audaciæ, ac temeritatis notam in-
„ currere verebar, ſi quidpiam tibi offerrem,
„ quod non eſſet elaboratum, & omni ex
„ parte perfectum. In his autem anguſtiis
„ conſtiturum Tu continuo impulſu ad opus
„ urgebas benigne teſtatus me in hoc genere
„ aliquid poſſe. Sed & ego obediendi ne-
„ ceſſitate preſſus impellebam me ipſum mul-
„ to difficilius exiſtimans id negare quod
„ præcipiebas, quam efficere. Victus itaque
„ authoritate tua, timori ceſſi, ne deeſſem
„ obedientiæ, quæ tunc demum perfecta eſt,
„ cum nihil videt, nihil dijudicat. Et primo
„ quidem ea omnia inveſtigare cœpi, quæ
„ ad propoſitum argumentum ſpectare viſa
„ ſunt, & cum ſcirem omnia vinci patien-
„ tia, rem tentandam eſſe duxi, donec ſtu-
„ dii pertinacia, multiſque voluminibus evo-
„ luris tanta mihi ſenſim rerum congeries
„ parata eſt, qua poſſem, ſi non tuo deſi-
„ derio ſatisfacere, at ſaltem præceptis ob-
„ temperare. Hæc omnia in ordinem dige-
„ ſta his paginis complexus ſum, quas tam-
„ quam tuas ſub tui nominis tuitionem in-
„ lucem do, ut tuo fulgeant ſplendore, quæ
„ proprio carent. Non rogo ut placeant Ti-
„ bi, quæ nec mihi quidem placere poſſunt:
„ Neque Tibi tamquam indigenti hoc mu-
„ nuſculum offero, qui his divitiis affluens
„ Rempublicam literariam uberrime locuple-
„ taſti, ſed ſatis ſuperque habebo, ſi placi-
„ tum Tibi fuerit obſequium meum, ſi hoc
„ minimum ſervitutis meæ tributum ea hu-
„ manitate, & benevolentia excipere digne-
„ ris, qua me ſemper proſecutus es.
„ Cæterum in hoc Opere conſcribendo
„ Hiſtoriæ limites &c. „ ut ſupra.

ELOGIA

ELOGIA
VIRORUM ILLUSTRIUM
DE
JOANNE CARDINALI BONA
EJUSQUE
HOC OPERE LITURGICO
EX EDITIONIBUS
PARISIENSI
LUDOVICI BILLAINE,
ET ANTVERPIENSI
JO. BAPTISTÆ VERDUSSEN;
IN QUO
Etiam breve ejus Vitæ Compendium.

TSI Emin. Cardinalis Bona teſtamento cavit, ut ne ab amicis laudaretur, neve qui libris ejus in lucem edendis operam navarent, de auctore quidquam magnifice præfarentur; nemo tamen mihi jure ſuccenſebit, ſi pauca hoc loco de illius vita ac moribus integerrimis delibavero. Fecit ille pro modeſtia ſua, ne chriſtianæ humilitatis ſenſum una cum mortali corpore exuiſſe videretur: faciam & ego pro æquitate, communique proborum omnium voto, ut maxima illius in Eccleſiam univerſam atque Rempublicam Literariam merita nullis umquam ſeculis intermori poſſint. Sapienter quidem intimis ejus amicis viſum eſt dum vitam egit, eximiæ illius virtuti plus admirationis tribuendum eſſe quam laudis: quippe ſciebant optimi Cardinalis animum a captandis popularibus auris alieniſſimum, omnes præconiorum illecebras ut præſentiſſimum vitus averſari, quo nihil blandius aut periculoſius virtuti inſidiatur. Nunc quoniam Cœlo recepta anima, ut quidem confidimus, ſeculo altior in ipſo gloriæ ſinu quieſcit, neque ullo mundani honoris ſenſu movetur; exhibenda ſunt publicis conſpectibus gratiæ dona, quibus ille cum ad ſuos, tum ad aliorum mores pie, ſancteque efformandos affatim cumulatus eſt. Licuerit ſane elatioris animi ſtoico mortem opperienti, *imaginem vitæ ſuæ, quod unum pulcherrimum habebat, amicis relinquere*: alii profecto erant in Cardinali noſtro ſenſus; immo non minor ei cura fuit ampliſſimi nominis minuere claritatem, quam iſti honores forte indebitos, & vani rumoris aucupium conſectari.

Seneca apud Tacit. Annal. XV.

Jam igitur officii mei partes ſunt, ut præclaris tot exemplis ætas noſtra minime defraudetur, quorum quo recentior eſt recordatio, eo major vis & auctoritas eſſe poteſt: quo minus videri potero teſtamentariæ clauſulæ reſragatus, qui publicæ utilitatis, cui ille potiſſimum ſervivit, rationem habens, rudi pennicillo, ſed non inani forſitan conatu vitæ ejus imaginem effingere, ac poſteris commendare ſtuduerim.

Atque ut ab ejus cunis exordiar, natalis illi dies fuit x. Octobris, an. 1609. patria Monsregalis Oppidum ſubalpinorum, parentes N. Bona, & Lucretia Zuchena, quorum ille Franciſcum Bona Leſdiguerium Comitem ſtabuli Franciæ non ſolum ſanguinis propinquitate contigebat [nam & eadem ſunt utriuſque familiæ inſignia gentilitia] ſed & illi arctiſſimæ neceſſitudinis vinculis conjunctus erat, uti Epiſtolæ ultro citroque data abunde teſtantur: hæc vero paris nobilitatis ac

vir-

virtutis Matrona, Lucretiam Romanam non minus continentia ac pietate quam fide ac religione ſuperavit: quamquam ſi rem altius repetam, ſi ſeculi contemtum, ſi ſtudia, mores, atque animi ſenſus optimi Cardinalis intuear, Joanni noſtro patria Cœlum erat, Mater Eccleſia, Pater Deus, dies Natalis æternitas, quibus ſolummodo vixit, ac militavit.

Lubricos primæ ætatis annos, non, ut plerique ſolent adoleſcentuli, crepundiis aut ludo tranſegit, ſed Religionis Chriſtianæ inſtitutis ac melioribus diſciplinis addiſcendis impendit: quibus ſtudiis tantum profecit, ut vix annum undecimum prætergreſſus, Orator evaſerit, qualis a Marco Catone definitur, *Vir bonus, ac dicendi peritus*. Quæ quidem virtutes cum in ejus ſermonibus ſemper eluxerunt, tum etiamnum in ſcriptis elucent, in quibus tametſi nitori ac ſimplicitati in primis ſtuduerit, apparet incredibilis quædam eloquentiæ vis, una cum ſumma eruditione ac pietate conjuncta. Jamque illud tempus aderat, quo more nobilium adoleſcentium, poſt decurſum literarum ſtudium, artibus militaribus imbuendus magiſtro traderetur, impellente filium ad ea potiſſimum ſtudia patre, viro militari, qui nullum alium marem ex uxore ſuſceperat, quem ſuæ virtutis ac bonorum hæredem relinqueret. Sed iſtius vitæ genus actuoſum, aleæ, ac periculi plenum, Joannes noſter pacis ac quietis amantior, tanto niſu averſatus eſt, ut obſequentiſſimus cæteroquin adoleſcens nullis parentum precibus aut minis ad illud adigi potuerit. Jam tum ſcilicet ſanctiorem militiam meditabatur, cui cum per ætatem liceret, ſe ſe adjicere conſtituerat: nec mora ulla fuit, quin ubi annum ætatis decimum quintum explevit [quod tempus initiandis Monachis a Tridentina Synodo præſtitutum eſt] per calcatum patrem calcatamque matrem, ut monet Hieronymus, ad Chriſti ſignum convolarit.

Anno igitur 1625. 14. kalendas Auguſti lugentibus proximis, admirantibus bonis, ſtrepentibus malis, ſeculo nuntium remiſit, & ad Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis, quod prope caſtrum Pinerolium ſitum eſt, ſe ſe contulit: inſequenti anno, 4. Nonas Auguſti, exacto more majorum tyrocinio, ſolemnia vota Deo alacriter nuncupavit.

Tum porro ſedulo animo reputare cœpit, quæ eſſent ſuſceptæ a ſe vitæ rationes atque officia, eaque ſtrenue exequi, quo ſeculi fluctibus ereptus, & in tranquilla Religionis ſtatione collocatus, ad deſtinatum virtutis faſtigium citato gradu perveniret.

Procedente tempore, cum jam monaſticis diſciplinis abunde eſſet imbutus, Romam ſtudiorum cauſa voluntate Abbatis ſui generalis accerſitus, tantum in Philoſophia & Theologia profecit, ut doctiſſimos quoſque magiſtros jam tum exæquaret, ac non multo poſt ambas diſciplinas cum multorum admiratione atque omnium ſummo plauſu profeſſus ſit.

Præcipua illi cura fuit ſanam doctrinam auditorum animis inſtillare, neque vero eorum mentes bonis artibus ſolummodo imbuere, ſed & mores verbis & exemplis rite informare, illud Apoſtoli Pauli effatum identidem inculcans: *Scientia inflat; Charitas ædificat*. Ex adverſo autem eos, *qui veritatem in injuſtitia detinerent*, ſive ut hominibus adblandirentur, ſive quod ita ſua intereſſe putarent, uſque adeo exoſus eſt, ut eos Chriſtiano nomine indignos modeſtiſſimus alioquin Cenſor libere pronuntiaret.

In patriam regreſſus, atque a ſodalibus cupide exceptus, mox Præpoſitus Monaſterii, deinde Archimandrita, ac demum anno 1651. Abbas generalis totius Congregationis, invitus licet ac contra nitens, renuntiatur. Quibus in muneribus obeundis ita ſe geſſit, ut nulla re magis aliis præeſſe dignoſceretur, quam quod omnibus prodeſſe ſtuderet, eoſque gravitate morum, conſiliorum maturitate, modeſtia, humilitate, monaſticæ diſciplinæ zelo, doctrina denique ac pietate, quibus miniſterium ſuum ornabat, longiſſime ſuperaret.

Scilicet docente Sancto Patre Benedicto didicerat, *quam difficilem, & arduam rem ſuſcepiſſet, regere animas & multorum ſervire moribus*. Quare in auctorem fidei ac Paſtorem animarum Jeſum aciem mentis intendens, atque Ordinis ſui parentes ac conditores identidem recogitans, utroſque imitari ſedulo conabatur, quo gregi ſuo abſolutior forma fieret.

Tunc porro lucerna ardens modio ſubducta, ac altiſſimo candelabro impoſita, Urbi & Orbi illuxit, neque ulla regio tam invia aut longinqua fuit, quo non *Joannis Bona* optimum nomen penetraret. In primis cum ratione ejus quod capeſſiverat muneris Romæ illi conſidendum eſſet, tametſi contineret ſe ſe in occulto,

culio, & Clauſtri latebris ſolummodo delectaretur, non potuit tamen non erumpere in publicum, ac ſummis quibuſque aulæ Pontificiæ viris innoteſcere. Hos inter eminebat Fabius Chigius Cardinalis, qui ob præclaras animi dotes & egregiam conciliandæ paci apud Monaſterium Weſtphaliæ navatam operam ſuſpiciebatur ab omnibus, & a pleriſque jam tum Pontifex deſignabatur. Is ut erat acerrimus rerum atque hominum æſtimator, Joannis noſtri fama permotus, cupere ſe vehementer in ejus notitiam venire, unaque amicitiam jungere, haud obſcure præ ſe tulit. Quæ res ad Abbatem Bona per familiares Cardinalis delata, non cupide, non avidis auribus [ut a pleriſque ſolet is honor ambiri] ſed ſumma animi demiſſione, adjuncta etiam modeſta excuſatione, ab eo excepta eſt. Quin vero adeo erat turbarum aulicarum impatiens, adeo quietis ac ſolitudinis amans, ut ne excitus quidem foras rapi ſe æquo animo pateretur. Vicit tamen amicorum importunitas, neque ita obfirmare ſe potuit, quin eorum precibus adduci ſe pateretur, ut Emin. Cardinalem Chigium inviſeret, delatamque ſibi ultro cum honore amicitiam iniret.

Utrimque belle res accidit: nam & Chigius perſpecta Joannis virtute qua famam longe vincebat, illum humaniſſime complexus eſt, & Joannes viciſſim tantam morum ſuavitatem in tanto dignitatis faſtigio demiratus, Chigium impenſius colere cœpit, atque exinde conflata amicitia, nullis umquam caſibus dirimi diſcindive potuit.

Appetebat interea tempus, quo ex majorum inſtituto Abbatem præfectura abire neceſſum erat, quæ res Eminentiſſimum Cardinalem eo magis ſollicitum habebat, quo amici conſuetudine carendum ſibi eſſe prævidebat, pervidebatque. Eapropter omnibus modis inſtitit, ut comitia Ordinis Romæ fierent, ratus ſcilicet fore, ut ſuo potiſſimum niſu atque auctoritate ea dignitas in triennium Joanni Bona prorogaretur; aut certe confiſus impetraturum ſe ab eo, ne urbe diſcederet. Sed ea ſpes Cardinalem feſellit. Nam Joannes noſter veritus quod res erat, nec minore ſollicitudine onus honoremque detrectans, quam ipſi ab amico procurabatur; metuens inſuper ne ea res in exemplum a poſteris tracta, in perniciem Ordinis vergeret; comitia generalia Genuæ indixit, in quibus ſe omni munere abdicavit, neque in urbe conſidere ulterius voluit, ne qua ſuæ modeſtiæ vis inferretur. Omni igitur cura liber, & vacuus, totum ſe ad rerum divinarum contemplationem contulit in Monaſterio Beatæ Virginis de Vico, ubi:

Claudian. de Conſ. Manlii Theodori.

Poſtquam parta quies, & ſummum nacta cacumen
Jam ſecura petit privatum gloria portum.
Ingenii redeunt fructus, aliique labores,
Et vitæ pars nulla perit: quodcumque recedit
Libris, impendit ſtudiis, animuſque viciſſim
Aut curam imponit populis, aut otia muſis.
Omnia Cecropicæ relegit ſecreta ſenectæ,
Diſcutiens quid quiſque novum mandaverit ævo,
Quantaque diverſæ producant agmina ſectæ.

Dum bis ſtudiis detinetur Joannes Bona, Innocentius Pontifex e vivis exceſſit, in cujus demorrui locum ſuffectus eſt magno omnium Ordinum conſenſu Cardinalis Chigius, cui Alexandri VII. nomen indirum fuit. Is veteris cum amico conſuetudinis memor, nihil reliqui fecit quo illum Romam accerſeret, id potiſſimum procurante R. P. Libello, qui tum erat a ſecretis Congregationi, quam *Indicis* vocant. Eam rem plerique haud immerito ſummo honori duxiſſent; ſed Bona rerum humanarum pertæſus, ac profeſſionis ſuæ admodum tenax, fractam valetudinem excuſavit, qua ab longinquo itinere ſuſcipiendo prohiberetur. Neque propterea incepto deſtitit Alexander, aut antea quievit, quam amicum in Urbem adduxiſſet. Caſu id melius quam ratione effectum eſt. Cum enim ob neſcio quas cauſas Patres Congregationis Sancti Bernardi Abbatem generalem auctoritate Summi Pontificis ſibi præfici optaſſent; is captata occaſione nihil cunctatus Joanni Bona ſummum imperium detulit, eique Literis Apoſtolicis mandavit, ut Romam quamprimum ſe ſe conferret ad eam provinciam ineundam.

Paruit ille juſſis Pontificis, a quo non ſolum honorificentiſſime exceptus eſt; ſed & haud multo tempore interjecto Congregationis, quam *Indicis* vocant, tum

Rituum

Rituum, denique Sancti Officii, rogatu in primis Cardinalis Pallavicini, quo familiariſſime uſus eſt, Conſultor renuntiatus.

Tot rantiſque muneribus ſimul obeundis haud imparem ſe præbuit Johannes noſter, quibus ita defunctus eſt, ut amplioribus in dies dignus videretur. Quamobrem exacto triennio, Præfecturam generalem denuo capeſſere juſſus eſt, quæ rurſus ipſi ad annum reluctanti prorogatur.

Attamen Alexander, ejus tandem precibus victus fatigatuſque, liberam abdicandi poteſtatem illi fecit ea lege, ut ne Urbe diſcederet, biſque ſingulis hebdomadibus in aulam veniret, ubicumque ipſa conſediſſet. Quo id illi minus moleſtum eſſet, majori domus Pontificiæ imperatum eſt, ut Johannem rheda honoraria commodi advehi curaret. Præterea ne quo obtentu, eo ſeſe officio eximeret, veteres Codices maxime manuſcriptos ad eum identidem legendos miſſitabat SS. Pater, ut propenſiore animo Clauſtro excederet, dum ſe non ad res aulicas, ſed ad litteras pertractandas advocari ſentiret. Iſtud porro tam ſtrenue exſequebatur Johannes, ut nullum Codicum eorum apicem intactum relinqueret, cujus non rationem redderet Pontifici cum tanta eloquentiæ ubertate, & cum tanta modeſtia ac gravi quadam ſuavitate, ut Alexander ejus colloquio mirifice delectaretur. Hinc jam rum percrebuerat non ambiguus rumor fore ut quam primum Bona Cardinalis renuntiaretur. Quippe qui non ſolum purpura dignus, ſed & ſupremo Hierarchæ acceptiſſimus eſſet. Verum tantum abſuit, ut vir optimus ea qua valebar in aula gratia uſus ſit ad rem ſuam, aut ad dignitatem augendam: quin ex adverſo creditum eſt ſemper ab his quibus propius notus erat, interceſſiſſe eum vehementiſſime, quominus ad illud faſtigium aſſumeretur.

Enimvero defuncto Alexandro, atque in ejus locum ſuffecto Cardinali Roſpilioſio, cui Clementi IX. nomen fuit; tum demum cum aula protſus abſtinuit, Congregationis Indulgentiarum conſultoribus primum, inde etiam ſacro Purpuratorum Collegio ritulo S. Bernardi ad Thermas adſcriptus eſt die XXIX. Novembris an. *1669*. Foret alterius hæc gloria ac ſummum decus, illud vero in Cardinali Bona multo ampliſſimum, ad eum honorem non obſequio, non precibus, non intervenientibus amicis irrepſiſſe, ſed bonis artibus, doctrina, pietate, meritis, quæ in eo fuere ſumma, provectum, aut potius invitum ac reluctantem raptum eſſe.

Quis porro tum fuerit ejus animi ſenſus, fatis ipſe indicat in ſua ad Lectores de libris Liturgicis Præfatione, ubi ſic loquitur: „ Beatiſſimus Pontifex me nihil „ tale aut merentem, aut cogitantem, a tranquillitate & pace, quibus in Monaſte„ rio perfruebar, repente abſtractum, & avulſum, ad faſtigium evexit maximæ „ in Eccleſia dignitatis, cui cum impar omnino ſim, vereor ne vox illa Pro„ phetæ ad me pertinear, *elevans allisisti me*. Vixeram in Religione ab anno „ XV. ætatis meæ uſque ad LX. & agnoſcens aliquod ſignum divinæ miſericordiæ, „ optabam mori in nidulo meo, *nec diem hominis deſideravi*: Deus ſcit. Nunc „ autem expulſus a jucunditate monaſticæ vitæ, rerum exteriorum tumultus pa„ tior, quibus aſſuetus non eram, & ommiſſis genialibus ſtudiis ad curas ſeculi „ ejectus ſum, a quibus maxime abhorrebam. „ Unde videas quantum ſe depreſſerit modeſtiſſimus Cardinalis, quove ſolitudinis ac quietis amore præclara Auguſtini, Chryſoſtomi, Gregorii, Bernardi, & aliorum Eccleſiæ Luminum exempla ſecutus animum a ſubeundis dignitatum, aut publicorum negotiorum curis averterit.

Cardinalatus dignitatem adeptus adeo modeſte tulit, ut poſtera die quam ea fuit auctus, omiſſis per incogitantiam novi honoris inſignibus, monaſticas veſtes ſeſe induerit, neque antea inſularum meminerit, quam ab familiari ſuo eſſet admonitus. Scilicet arcano quodam Chriſtianæ humiliratis ſenſu, infima ſemper etiam immeditatus appetebat, qui altiſſimis quibuſque faſtigiis dignus ab omnibus reputabatur. Illud autem eſt omni celſitudine amplius honores aſpernari, atque iis in dies invitum augeri; gloria fulgere, neque ejus ſenſu titillari; dignitatum inſulis ornari, neque earum dulcedine capi, decipive. Amicitias eadem familiaritate coluit Cardinalis, qua coluerat privatus, neque alio ſe magis Cardinalem oſtendit, quam quod Eccleſiæ atque amicorum commodis impenſius ſervivit.

Summis pleriſque viris, maxime vero Gallis, arctiſſima neceſſitudine devinctus erat, ad quos Epiſtolas prope innumeras miſit, officii, eruditionis, atque humanitatis plenas, quæ ſorte aliquando in lucem edentur. Neque propterea inferioris meriti homines ei deſpectui fuere: quippe omnes Chriſtiana charitate

complexus, nulli unquam optima molienti consilio, opera, favore defuit, neminem ex his qui ipsum litteris interpellarunt, voti exortem dimisit.

Amplissima munera atque officia quibus auctus erat, ita gessit, ut neque gratia pellici, neque auctoritate premi, sed solius veri & æqui studio duci se pateretur, uni æquitati addictus; vitiis solummodo, flagitiis ac sceleribus infensus. Quippe qui nullas alias rationes tueri atque augere decreviſſet, quam quæ ad Christi gloriam pertinerent. Hinc illa in dicendo libertas, in consultando sinceritas, in censendo constantia, qua eo usque usus est, ut ne tum quidem ab ea sententia quæ recta esset dimoveretur, cum in aliam longe diversam multitudo inclinaret, rite sapienterque reputans, se non alieni consilii fidejussorem, sed sui prædem apud Deum fore.

Denique adeo erat optimi Cardinalis inter bonos spectata virtus, ut cum primum Purpura nitere cœpit, non multo post mortem obeunte Clemente IX., multorum votis de mortuo successor designaretur, hinc illud haud insulsi vatis epigramma;

Grammaticæ leges plerumque Eccleſia ſpernit:
Forte eris ut liceat dicere Papa bona.
Vana ſolœciſmi ne te conturbet imago:
Eſſet Papa bonus, ſi Bona Papa foret.

Attamen aliter disponente numine irrita fuere Poetæ vaticinia, substituto in locum Clementis Cardinale Alterio, (is est Clemens X.) qui nunc Ecclesiam moderatur, cuique Johannes Bona in pretio semper est habitus.

Tametsi vero multis ac gravissimis occupationibus detineretur, nullum tamen intermisit tempus, quo non aliquid de divinis rebus meditaretur, legeret, Lucubraretur. In primis Scripturæ Sacræ, Sanctorum Patrum libris, atque Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus operam dabat, quæ tam alte animo imbiberat, ut nil nisi veterum oracula fundere videretur.

Et quidem jam inde a prima juventute plerosque libros ab eo compositos reperio: de quibus edendis Testamento, anno 1646. ætatis tricesimo octavo, scripto vetuit his verbis. „ *Scripta mea & libri, quos Deo inſpirante compoſui, & ea omnia quæ vita comite deinceps componere intendo, ſi nondum impreſſa fuerint cum moriar, peto ut remittantur amicis, & dominis meis ſuperioribus qui tunc fuerint, vel his quos moriturus nominabo, ſi ſpatium competens id præſtandi habuero. ut (ſi eis videbitur) ad Dei gloriam & proximi utilitatem ea typis mandari cuvent, præmiſſa præfatione, in qua lector admoneatur me omnia ſcripta mea ſapientum correctioni & Sacræ Romanæ Eccleſiæ ſubmittere, in cujus fide & vivere & mori volo, &c.* quæ in eo Codicillo, cujus infra exemplar subjicimus, videre est; sed sive modestia ductus, sive studio lucubrationes suas ad incudem revocandi, nihil publici juris fecit, donec sui Ordinis summam præfecturam capessivit.

Certe ubi primum Sacerdotio initiatus fuit, actus, ut ipse loquitur, conscientiæ stimulis, Sanctorum Patrum, & recentiorum fere omnium, qui de Missa sancte celebranda aliquid ediderunt, scripta percurrens, plura ex illis documenta excerpsit, quibus in unum congestis, paucisque de suo additis, opusculum composuit; quod amicis impellentibus multos post annos prælo commissum est: in quo quidem libro primum de Sacrificio, ejusque valore & fructibus universim, tum de his quæ ad recte, pieque celebrandum Sacerdotem juvant, de modo quo se quisque comparare debeat ad rem divinam faciendam, de Sacrificii celebratione, ac postremo de gratiarum actione, & quæ sacris peractis agere par est, diligentissime tractat.

Secundum hæc scripsit etiam *de divina Pſalmodia*, ejusque causis, mysteriis, disciplina, deque variis Ecclesiarum ritibus, opus novum metro ac prosa intertextum, ac multijugi eruditione illustratum, quod Romæ ac Parisiis excusum, jampridem manibus omnium teritur, sicut & liber cui titulum fecit: *manuductio ad Cœlum, medullam continens SS. Patrum, & veterum Philoſophorum*: quem Angelo tutelari sacrum esse voluit; in quo remedia propinare se, non animi lenocinia fatetur, tametsi utrumque miro artificio conjunxerit.

Per idem fere tempus haud dissimilis argumenti opusculum ab eo publicatum est, inscriptum, *Via compendii ad Deum*; quo ejus viæ metam, & ad eam persequendam ducis habendi necessitatem, & impedimenta ab ea retardantia, & virtutes quibus in ultimum usque finem mens humana promovetur, aptissime planissimeque designavit.

Palma-

Palmarium ejus opus eſt *de Rebus Liturgicis*, in quo adornando totum ſeptennium atque eo amplius inſumpſit tam proſpero ſucceſſu, ut qui idem argumentum verſarunt, ei comparati oleum & operam perdidiſſe videri poſſint. Scilicet.

Se pectore cuncta vetuſtas
Condidit, & major collectis viribus exit.

Vix emerſerat e prælo admirabilis illa lucubratio, cum ecce perpetuo optimarum rerum fato, reprehenſores neſcio qui adverſum eam acriter pugnare cœperunt, ac palam & publice dicere male factum a Cardinale Bona, quod lib. 1. cap. 23. ſcripſiſſet, Eccleſiam Latinam fermento olim operatam eſſe. Quorum ille clamoribus nihil commotus, verecunde reſpondit nihil a ſe aſſeveratione affirmatum, ſed opinatione a priſcis Scriptoribus ducta ſolummodo traditum eſſe, Eccleſiam per multos annos azymo ac fermentato promiſcue uſam in re divina. Cæterum ſi qui meliora certioraque docerent, iis ſe haud illibenter conſenſurum.

Quam ingenii docilitatem tum maxime præ ſe tulit, cum Johannes Mabillon ſuam de Azymo Diſſertationem inſtitueret, atque hujus veniam pro honeſta indole ab Emin. Cardinale honoris cauſa popoſciſſet. Tantum enim abeſt ut amicum ab ſcribendo deterruerit, quin vero data ad illum elegantiſſima Epiſtola, animos addidit, conſilio hominem juvit, atque imperio propemodum adegit, quo veritas, cui ſoli ambo ſtudebant, clarius in dies eniteſceret.

Et hæc quidem magnæ moderationis ſunt documenta, ſed illud, me judice, multo maximum eſt, quod poſtea gregarium neſcio quem Scriptorem, a quo, ut mitiſſime loquar, inverecunde habitus erat, ne nomine quidem tenus laceſſivit, aut ab amicis laceſſiri paſſus eſt, tametſi hominis improbitas animadverſione eſſet digniſſima.

Attamen ut erat in rebus optimis conſtantiſſimus, nihil de priſtina ſententia remiſit: verum eam novis aliquot argumentis firmavit, quæ cum in aliis hujus Operis editionibus deſiderarentur, in hacce noviſſima editione longe auctiore atque ad Archetypum ejus manu emendatum exacta, licebit reperire. Uno hoc ſolummodo Quintiliani effato, falſo quidem, ſed ad rem idoneo adverſarium perſtrinxit: *Felices artes, ſi de iis ſoli artifices judicarent.*

Tot tantiſque laboribus defunctus, poterat merito ſuo ab litteris quieſcere, fracta præſertim valetudine, atque aliis ſtudiis animo occupato: ſed homo libris aſſuetus, & deſidiæ impatiens, uno opere abſoluto, aliud confeſtim aggrediebatur; quamobrem haud multo poſt opuſculum edidit *de Diſcretione Spirituum*, in quo quantum eruditione, arte atque uſu valerer, planiſſime demonſtravit. Nec mora fuit, quin continuo prodiret in lucem Libellus *de Principiis vitæ Chriſtianæ*, ubi tanta ſimplicitas cum religione conjuncta apparet, ut Gerſenem *de Imitatione Chriſti* ſecutus eſſe ac propemodum æquaſſe viſus ſit. Porro illi duo poſteriores tractatus a Clariſſimis viris mira elegantia in linguam Gallicam nuper translati fuere, ut populares noſtri, qui latine neſcirent, iis familiariter uti poſſent.

At nihil toto vitæ ſuæ decurſu ſingularius admirabiliuſve, quod tam variis ſtudiis occupatus, totque negotiis privatis publiciſque diſtractus, minutiſſima quæque pietatis monaſticæ officia numquam intermiſit. Cujus rei teſtes locupletiſſimi ſunt libri complures ejus manu exarati, atque in ejus ſchedis reperti. Quorum unus, *Horologium aſceticum* inſcriptus, atque ab eo dudum cum in Clauſtro ageret, in gratiam tironum, quibus ſe adnumerabat, compoſitus, totius vitæ ſpiritalis exercitationes complectitur, in quo ſingulis prope momentis ſingula pietatis officia aſſignat, ut ne ullum tempus iis vacuum præteriret. Alter liber ſuperiori proxime reſpondens *Diarium* eſt ejus ipſius vitæ, in quo diligentiſſime adnotavit quem quoque die e cœlitibus ſingulari devotione colendum ſuſceperit, cujus myſterii meditationi ſeſe potiſſimum addixerit, quam præcipue virtutem exercuerit, quæ legenti mihi ſtuporem movent, lacrymas cient, ac ruborem affundunt. Etſi vero ea ex ſe tenuia forſitan ac tironibus ſolummodo digna nonnullis videri poſſint, tamen vel eo ſumma ſunt, quod ad ſupremi numinis cultum a ſummo viro ordinata fuere; quod enim ad Dei ſervitium attinet, parvum non eſt, & quod a tantis viris tam ſtudioſe præſtitum reperimus, nonniſi maximum eſſe poteſt. Hinc eleganter, ut omnia, Auguſtinus: *Quod minimum eſt, minimum eſt, ſed in minimo fidelem eſſe magnum eſt.*

Atqui cum ita viveret ut moriturum ſe aliquando ſciret, opuſculum quoque condiderat *De præparatione ad mortem*: quod quidem in privatos uſus adhuc ſuper-

ſtes habere voluit, nunc autem eo vita functo publici juris prope diem fiet, una cum *Horologio aſcetico*, de quo ſuperius diximus, atque aliis nonnullis ejus libris, qui nondum in lucem prodiere.

Et hæc quidem erant gratiæ divinæ chariſmata, quorum quanto ditior erat Cardinalis Bona, tanto pauperior fuit terreni cenſus, quippe qui nulla ſacerdotia haberet, ac tenuibus ſolummodo congiariis vitam toleraret, & dignitatem non ornaret, ſed utcumque ſuſtineret. Attamen quia chriſtiana caritas theſaurus indeficiens eſt, ut loquitur Auguſtinus, vel in ſumma penuria abundans ac diffluens; adeo ut ſemper adſit quod in pauperem erogetur, ſi non deſit bona voluntas, quæ ipſa caritas eſt: Joannes noſter genium ſuum defraudans, quidquid e ſuo corraſiſſet, egentibus largiebatur, maxime vero Sacerdotibus Gallis, qui Romæ degunt, quos Miſſionarios gentium exterarum appellant, quibus annua vice diſpunctis ſubductiſque rationibus reſiduam pecuniam liberaliter tribuebat.

Neque porro hic omittendum, priſcis temporibus dignum exemplum, quod ab eo editum eſt. Cum unus e Patribus Purpuratis ei quatuor millia nummum dono miſiſſet, ille iterum ac tertio munus recuſavit, ac vix tandem adduci potuit, ut pateretur, eam pecuniam ab amico recipi ea lege, ut in pios uſus cederet. Ceſſit, nam ab eo donata eſt Patribus Miſſionis ſupra nominatæ, ut teſtatum habemus a R. P. Simone, eorum nunc Præpoſito, quod præclarius eſt ad memoriam optimi Cardinalis, quam ſi miracula quævis perpetraſſet. Quid illo inope ditius, qui pauperes Chriſti ſua munificentia ſovit, aluit, ditavit?

Tam honeſtam, tam ſanctam, tam illibatam, tam denique Reipublicæ Chriſtianæ quæſtuoſam, ac neceſſariam vitam, immortalem eſſe oportuit, ſi non *omnibus hominibus mori decretum eſſet*, neque porro dignus erat mundus, qui tantum virum diutius caperet. Is vero jam æternitati maturus, digniſſimus erat, qui cœlo inferretur: febribus igitur correptus, iiſque ad quintum & triceſimum uſque diem continenter exuſtus, quo fragilitatis humanæ reliquiæ perpurgarentur, atque anima purior ad Auctorem ſuum commigraret, tandem ſacris Chriſtianis integris ſenſibus rite perceptis, conſtanti animo mortem obiit quinto Kalend. Novembris anno Domini MDCLXXIV. Corpus ejus funere elatum in Monaſterio S. Bernardi ad Thermas conditum eſt; cui Cœnobio Bibliothecam ſuam, ac quod reliquum habebat tenuis ſuppellectilis, Teſtamento legavit, vaſa argentea quæ a Clariſſimo D. J. G. Sluſio, equos, & rhedas quæ ab Eminentiſſimo Cardinale Roſpigliofo dono acceperat, quum Purpura auctus eſt, iiſdem moriens cum grati animi ſignificatione remiſit; atque ut eſſet etiam poſt fata munificus, famulitio ſuo ſex menſium ſtipem aſſignavit: atque inſuper conſtituit, ut in conducta a ſe domo per idem tempus hoſpitarentur, ac ſuo ipſius ſumptu alerentur. Atqui cum omnium meminiſſet quibuſcum aliqua ei neceſſitudo interceſſerat, de parentibus ne verbum quidem fecit, adeo a carnis & ſanguinis ſenſu, & a faſtu ſeculi erat alienus, quin vero ab amico admonitus, ut aſſignata ſibi congiaria (penſiones vocant) cum bona Pontificis venia in aliquem e conſanguineis transferret, dignam ſe ſententiam retulit: *Eccleſiæ Bona non eſſe ditandis augendiſve affinibus, & conſanguineis, ſed alendis pauperibus deſtinata.*

Tempus me deficeret, ſi ſingula illius egregie facinora referrem, de his data occaſione pluribus agemus, tum cum a Ludovico Billaine Typographo ac Bibliopola Pariſienſi, qui cætera ejus opera ſeparatim impreſſit, prope diem, ut ſpero, atque uti Emin. in votis habuit, infimul typis mandabuntur.

Lutetiæ Pariſiorum Idibus Septembris 1675.

Idem Joannes Baptiſta Verduſſen Typographus Antuerpienſis in ſua Epiſtola Nuncupatoria ad Reverendiſſimum D. Gerardum Rubens Abbatem Monaſterii S. Bernardi ad Scaldion præfixa Operibus, quæ edidit Cardinalis Bona, ſic inter cætera de eodem ejuſque Liturgicis habet.

„ Probe, inquam, noveras Emin. Cardinalem Bona perfectam Chriſtianæ pie-
„ tatis paleſtram, profundæ eruditionis abyſſum, antiquitatis Eccleſiaſticæ the-
„ ſaurum, Rerum Liturgicarum compendium, Litterarum myſticarum epitomen,
„ ſublimioris doctrinæ armamentarium &c.

Anonymus, ſeu Franciſcus d'Ercle Typographus, & Bibliopola Gandavenſis in Praxi Pœnitentiali Eccleſiæ primitivæ compendioſe deſcripta per Emin. D. D. Joannem Bona, & Joannem Gropperum S. R. E. Cardinales impreſſa Gandavi

an.

an. 1673. 8. Præf. ad Lectorem ſic de eodem Card. ejuſque Opere Liturgico, inquit.

Quod opus numeris omnibus abſolutum inter cætera eruditionis, ac pietatis ſuæ monumenta nuperrime Eccleſiæ bono dedit Emin. D. Joannes Bona S. R. E. Card. (& utinam illud Eccleſiaſticorum omnium manibus volveretur, cordibuſque imprimeretur.)

Joannes Ciampinus Innocentii Papæ XI. Magiſter Brevium Gratiæ, & utriuſque Signaturæ Referendarius in Diſquiſit. de perpetuo Azymorum uſu in Eccleſia Latina &c. pag. 83. ſic de Liturgicis Card. Bona: Ut ſaltem hinc colligas eorum librorum eruditionem, atque doctrinam; Hic igitur laudandæ ubique gentium, mihique inter cæteros maxime honorandæ memoriæ Eminentiſſimus Author Rerum Liturgicarum &c.

EDMUNDUS MARTENE Mon. Congreg. S. Mauri.

De antiquis Eccl. Ritibus Tom. 1. lib. 1. art. 10. pag. 433.

HÆc ſunt maxime, quæ de communione, aliiſque ritibus Liturgicis ſcribenda habebamus, quæ quidem quanta potuimus, brevitate percurrimus, nam plura longe adjicere poteramus, niſi argumentum iſtud multo accuratius pertractaſſet claræ memoriæ Emin. Card. Bona, cujus lucubrationes omnium eruditorum manibus merito teruntur.

PASCHASIUS QUESNELLUS Pariſinus.

Presbyter Congregationis Oratorii D. N. J. Chriſti.
In notis ad Sancti Leonis Magni Epiſt. XI. Tom. 2. pag. 439.

HOc pacto videſis lib. 1. cap. 3. Rerum Liturgicarum Eminentiſſimi, doctiſſimique Cardinalis Bonæ (heu) nuper Eccleſiæ militanti præmatura morte erepti non ſine acerbiſſimo bonorum, eruditorumque omnium dolore.

CARDINALIS HENRICUS DE NORIS.

Hiſtoriæ Pelagianæ Tom. 1. Lib. 1. pag. 56.

HÆc libuit adnotare, quia hujus mercatoris teſtimonio non ſemel utemur, noſtraque Commentaria ſecretiora, atque hucuſque ignota, inde nonnulla deprompent. Harum quidem rerum notitiam habeo eximiæ, & ſingulari eruditioni Emin. Cardinalis Bona, qui eum Romæ eſſem, Libellos Marii mercatoris mihi prorſus ignotos, ac in Galliam ab ſe miſſos affirmavit, quæ hic inſerere libuit, quod ingenui ſit, fateri per quos fecerim.

JOANNES MABILLONIUS.

De Liturgia Gallicana Lib. 3. pag. 174.

PRimam autem hujus rei gratiam debemus piæ, ac mihi in primis venerandæ memoriæ Cardinali Bonæ, qui primos veteres illos libros indicavit in Opere ſuo Rerum Liturgicarum.

Idem.
In Diſſertatione de Azymo, & fermentato, quam eidem Emin. nuncupat, in Præfatione ſic habet.

UBi primum obſervationes meas prælo committere parabam, ſimul certior factus ſum Emin. Cardinalem Bonam, cujus virtus, doctrina, & eruditio omnibus perſpecta ſunt, idem argumentum pertractare in Opere ſuo de Rebus Liturgicis, & ab Sirmondi propoſito tantillum recedere. Ut opus illud eximium pervenit in manus meas, illud legi magna eum voluptate, tum maxime locum de Azymis, in quo tota res non minus ſincere, quam erudite explicatur &c.

Idem

Idem:

In Præfatione, ſeu Commentario ad Ordinem Romanum pag. 3. ubi de Rerum Liturgicarum Scriptoribus ait:

His adjungendi ſunt Rupertus, Joannes Belethus, & Durandus uterque, quos magno agmine ſequitur turba Recentiorum, ſed inſignior præ cæteris piæ memoriæ Cardinalis Bona.

EMMANUEL A SCHELESTRATE.

Eccleſiæ Cathedralis Antuerpienſis Canonicus de Eccleſia Africana Diſſert. 2. cap. 6. num. 1. pag. 99.

Accurate obſervavit ante nos Emin. Cardinalis Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 7. &c. deinde poſt Textum ex integro allatum ita ait: hucuſque vir eruditus, & Purpurati Cætus gloria Cardinalis Bona.

Idem.

In Concilio Antiochæno Præfatione ad Lectorem.

Purpurati Cætus ſplendor Cardinalis Bona.

Monachi Benedictini Congr. S. Mauri.

In Editione Operum S. Auguſtini Tom. IV. Præf. in fine.

Vir eximiæ eruditionis, ac piæ memoriæ Cardinalis Bona de Rebus Liturgicis lib. 2. &c.

FRANCISCUS BLANCHINIUS.

In Anaſtaſii Tom. II. p. 2. pag. 99. Ubi de Decretalibus Rom. Pontif. uſque ad Syricium.

PRobe cum noverim de Collectione hujuſmodi Pſeudo-Iſidori quid ſentiant Eruditi, atque inter hos duo clariſſima lumina Eccleſiaſticæ Antiquitatis Cardinalis ſcilicet Baronius, & Bona, ſatis eſt hujus poſterioris ſententiam (quæ alterius Collegæ ſui Teſtimonium includit) deſcribere &c.

PAULUS GALEARDI

Canonicus Brixienſis in notis ad S. Gaudentii Brixienſis Sermones pag. 271. ubi ait:

SEd videſis Eminentiſſimum Cardinalem Bona non magis Purpura, quam doctrina inſignem lib. 2. Rerum Liturg. cap. 7. num. 6. quem propterea libentius hoc loco honoris cauſa nomino, quod a recentiore quodam Scriptore, ejus nomine quidem ſuppreſſo, at poſtea in Indicem relato Prænot. Myſtagog. pag. 178. parum candide appellatus fuerit homo pervulgaris, quamcumque ille poſtmodum dignitatem adeptus ſit, minimi plane nominis dum vixit, nullius poſt obitum. Hic Bonæ maledicus eſt Nicolaus Comenus Papadopolus &c.

SALOMON DEYLINGIUS Pariſienſis.

In ſua Obſervatione de die emortuali D. N. Jeſu Chriſti inter Miſcell. Lipſienſia nuperrime edita Tom. 2. pag. 534. cum laude meminit Card. Bona, atque ejuſdem opinionem de veteris Galliæ fermento confirmans ita ait:

SUffragatores, authoreſque hujus opinionis habeo viros Romanæ Eccleſiæ addictiſſimos, doctiſſimoſque Sirmundum in ſingulari Tractatu de Azymis, & Cardi-

Cardinalem Bonam in Rebus Liturgicis fruſtra obnitente Joanne Mabillonio de azymo, & fermentato, contra quem videatur Auguſtini Calmeti Diſſertatio pagina 159.

Nuperus ANONYMUS Author.

Operis de Re Sacramentaria adv. Hæreticos, qui eſt Pater Mag. Druitæ Ordinis Præd. Tom I. edit. Venetæ pag. 135. in fin.

QUI plura deſiderat, legat doctiſſimi, juxtaque piiſſimi Cardinalis Joannis Bona, vere aureum, & numquam laudatum ſatis de Rebus Liturgicis Opus &c. Qui Author paſſim in toto ſuo opere cum Emin. Card. laude meminit.

JOANNES DE-VOISIN.

Epiſtola ad Lucam Dacherium.

LEGI accurate Librum Rerum Liturgicarum ab Emin. Cardinali Bona editum. Nihil in illo genere eminentius, nihil elegantius, nihil ſolidius hactenus vidi, &c.

JOANNES NEERCASSEL Epiſcopus Caſtorienſis.

Epiſtola ad ipſum Cardin. data Amſtelodami die 6. Novembris 1671. ita ſcribit.

ACcepi Hiſtoriam, quam de Rebus Liturgicis elaboraſti, Mirarer in illa altiſſimam Arcanæ antiquitatis ſcientiam, in rebus perplexis judicium ſolers, in improbandis aliorum ſententiis modeſtiam ſingularem, niſi aliis me ſcriptis, viviſque Sermonibus docuiſſes, quantos doctrinæ theſauros Dominus tuo in pectore condiderit, & ne illud inflarent, quantum charitatis pondus eis appenderit. Quas ergo non miror dotes? quia illis jam aſſuevi, eas veneror, eas colo, atque deprædico; & ut hic veſtra Liturgica tantam conſequantur laudem &c.

PETRUS de GOUSSAINVILLE.

Gratias agens Emin. Cardin. pro ſibi deſtinato Opere Liturgico, hæc inter alia habet in Epiſtola ad eumdem data Pariſiis 27. Novembris 1671.

JAM de eo [Opere ſcilicet Liturgico] viri docti ſuffragium tulerunt, ideſt maxime approbarunt, dignumque cenſuerunt, qui citiſſime typis Pariſienſibus cuderetur, ut ardenti ſtudioſorum deſiderio fieret ſatis.

LUCAS DACHERIUS.

In Epiſtola ad eumdem Cardin. data Pariſiis 7. Decembris 1671.

INterim, inquit, percuſſis foliis præfatis mire laudant viri doctiſſimi lucubrationes ruas, atque illas non modo recondita eruditione refertas, accuratiſſime elaboratas, ſed & ad propugnandam fidem Eccleſiæ Catholicæ erga auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium, expugnandoſque Hæreticos utiliſſimas, & aptas. Cui ſententiæ ego, Patres noſtri, immo & alii eruditi, qui folia illa legerunt, ſubſcribunt.

Idem

Epiſtola ad Emin. Cardin. data Pariſiis e Monaſterio S. Germani a Pratis die 19. Februarii 1672.

NON poſſum mihi temperare, quin iterum, tertioque tibi gratuler de tuo Opere pluſquam aureo. Lego etenim illud, ac relego non modo attente, ſed & volupe admodum, ac multa, quæ me latebant, addiſco. Legunt etiam & alii exemplum quod tuo nomine eis obtuli &c. non hic referam aliquorum judicium, uno verbo dicam: Quotquot Eruditi ſunt Pariſiis, quique me de ruo Opere allo-

lloqui ſunt, aſſerunt de Liturgiis tam docte, tam pie, tam utilitet hactenus ſcripſiſſe neminem, adeout ad Eccleſiæ Catholicæ fidem, & dogmata circa auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium ſtabilienda hæreſumque monſtra debellanda profuturas eſſe exiſtiment iſtas lucubrationes. Deo ſit gloria, cujus Spiritus in animum induxit tuum, ut egregio huic Operi Studium, & labores impenderes &c.

CLAUDIUS CASTELLANUS Eccleſiæ Metropolitanæ Pariſienſis Canonicus.

Epiſtola ad Emin. datam pridie nonas Februarii 1672. loquens de Opere Liturgico.

TUUS ille, quem in dies expectabam, de Rebus Liturgicis liber, Cardinalis Eminentiſſime prodiit tandem Pariſiis editus ineunte hoc anno. Illum vix emerſum è prælo habui præ manibus, nec dimiſi, donec totum evolverem. Certe dum eum legerem, ſecreta quadam lætitia affectus, admiratione etiam percellebar. Deus bone, quanta antiquitatis ſcientia, quanta ingenii ſublimitas, quanta ſanioris diſciplinæ elucidatio! Patere has laudes Emin. Cardin. quas amor, & admiratio extorquent, licet reverentia præmat. Oſtendit certe tanta laboris pertinacia, quod magis ingenio, quam dignitate emineas, quodve Eccleſiæ illuſtrandæ doctrina tua collimat. Multa ibi enucleas, quæ noſtris Ritibus conſentiunt; nec parum ſolatii eſt tanta auctoritate confirmari &c.

STEPHANUS BALUSIUS.

Epiſtola data ad Cardin. Bona VIII. Kal. Julii 1672. quæ in ordine eſt 253. *Hæc de ejus Liturgicis habet.*

DEinde vere, & ſincere dicam, vix ullum hactenus librum legiſſe me cum majori voluptate, utpote in quo bene multa deprehenderim diligenter, & erudite animadverſa, & plurimam, & reconditam Rerum Sacrarum cognitionem.

Idem.

In Præfatione ad Capitul. Regum Franc. num. LXXVIII.

LIteræ meæ [XI. kalend. Octob. anni M. DC. LXXIV.] virum optimum [Cardinalem Bona] invenerunt in lecto decumbentem ex morbo qui nobis illum abſtulit. Et tamen quamquam erat oppreſſus totius corporis doloribus, ſtatim miſit in Bibliothæcam Vaticanam; & comperto illic extare tria vetuſta Capitularium exemplaria, referri ad me juſſit; ſe, ſtatim atque ſanitatem ſuam recuperaſſet, lubenter mihi ſuam in hoc operam commodaturum. Sed heu! vir optimus paulo poſt deceſſit V. kalend. Novembris ejuſdem anni. Cum autem hic Lutetiæ percrebuiſſet nuntius de morte ejus, tantus fuit eorum, qui literas amant, dolor, ut tamen etſi illum vultu, voceque palam teſtarentur, altius tamen animis mœrerent, tamquam ſi publicus parens univerſis ereptus eſſet. Quis enim non doleret extinctum ſenem optimum, & ſanctiſſimum in ſummo dignitatis gradu poſitum, plurima bonarum rerum cognitione inſtructum, quique rem literariam ornare, juvare promovere & poſſet, & vellet? Itaque nemo fere in hac urbe fuit, eorum videlicet, qui noſtra ſtudia, & Eccleſiaſticæ antiquitatis notitiam amant, qui conſilia ſua literaria morte ejus intercepta non quereretur; quia is cunctis ſuum favorem præſtabat, ſingulis ſuam operam commodabat omnes pulcherrimo, & honeſtiſſimo commovebat, & excitabat exemplo. Ego in primis maximam jacturam in morte tanti viri feci, qui & me diligebat, & meos qualeſcumque labores humaniſſimo ſuo ſuffragio comprobavit. Hoc patrono amiſſo &c.

Item JOANNIS MABILLONII Teſtimonium

De Henrico Valeſio Opus Liturgicum Emin. Cardin. laudante Epiſtola ad ipſum data Pariſiis quarto idus Septembris 1673.

CUM nuper ſermonem haberem cum V. C. Henrico Valeſio, incidimus in mentionem, quod certe ſit ſæpiſſime, Operis tui de Rebus Liturgicis, & poſt-

poſtquam ille multa de te dixit, quam honorificentiſſime ſignificavit mihi ſe in animo habere ſcribendi Eminentiæ Tuæ, quid ipſe ſentiat tum de Libro tuo &c.

ALPHONSUS CIACONIUS.

Tom. 4. Col. 793.

JOannes Bona Monteregali in Subalpinis nobili genere ortus, annum agens decimum quintum Ordinem Ciſtercienſem in arctiori Congregatione S. Bernardi ingreſſus eſt. In ea quantum profecerit virtute, & literarum ſtudio, editi ab ipſo Libri teſtantur, qui omnium manibus teruntur. Aliquot primum Monaſteria; tum univerſam Congregationem triennio rexit. Quo exacto in ſolitudinem, quam maxime amabat, liber ab omni cura ſeceſſit, ſibi, & Deo deinceps vacaturus. Sed mox ab Alexandro VII. initio ſui Pontificatus revocatus ad Urbem, ac iterum Abbas Generalis creatus, idem munus ſeptennio exercuit. Quo etiam tempore inter Pontificis familiares, ac inter Conſultores Sacrarum Congregationum Indicis Librorum prohibitorum, Rituum, & Sanctæ univerſalis Inquiſitionis aſcitus magnum prudentiæ, & doctrinæ ſpecimen dedit. Demum poſt vitam annis quadraginta quinque ſumma quiete in Clauſtris peractam annos natus ſexaginta, a Summo Pontifice Clemente IX. nihil tale cogitans, ac prorſus invitus ad Cardinalatum promotus fuit.

Adfuit Electioni Clementis X. Succeſſoris, a quo titulum de novo inſtitutum, S. Bernardi ad Thermas Diocletiani, obtinuit: magna itaque celebritate famæ inter Patres purpuratos degens, anno ſalutis 1674. ætatis vero ſexageſimo quinto Romæ deceſſit, & in Eccleſiæ nuper indicatæ Odeo, inter ſui Ordinis Monachos ſepultus eſt, hac inſculpta Epigraphe.

D. O. M.
JOANNES BONA
PEDEMONTANUS
CONGREG. S. BERNARDI MONACHUS
ET HUJUS ECCLESIÆ
TRANSLATO HUC TITULO
S. SALVATORIS IN LAURO
PRIMUS PRESBYTER CARDINALIS
VIVENS SIBI POSUIT.
OBIIT ANNO M. DC. LXXIV.
DIE XXVIII. OCTOBRIS
ÆTATIS SUÆ LXV.

APPROBATIONES THEOLOGORUM ORDINIS.

RErum Liturgicarum Libros, quos jam olim Romanis Typis evulgaverat Emin. Cardinalis Bona in Orbe Literario pietate, eruditione, ac doctrina veluti quoddam fulgidiſſimum primæ magnitudinis Sidus refulgens: eoſdem in præſentiarum, Commentationibus, Additionibus, & Notis auctos, & a cavillationibus nonnullorum Hypercriticorum, omnibus nervis ac viribus vindicatos exhibet in hoc primo Libro Reverendiſſimus Pater Abbas D. Robertus a S. Maria in Vaticana Bibliotheca Latinæ Linguæ Scriptor, cui hanc Epygraphem præfixit: Rerum Liturgicarum &c. cum Notis &c. Hunc itaque Librum morem gerendo meo Reverendiſſimo Patri Abbati Generali D. Hieronymo a S. Oddone lubenti animo evolvi, & ſedulo expendi. Opus ſiquidem offendi pro rei dignitate ſtudioſe elaboratum, ſermonis nitore perſpicuum, & omnigena eruditione refertum, ut vix diligentiæ Authoris aliquid ſuperaddi poſſe crediderim, aut in contrarium reponi: omnia equidem ex incorruptæ traditionis Scriptoribus promit, quorum luculenta teſtimonia in his Paginis adducuntur. Opus profecto antiquis Eccleſiarum Liturgiis illuſtrandis vindicandæque Emin. Cardinalis Bona doctrinæ aptiſſimum, ut merito poſſit Author his S. Proſperi verbis urgere adverſarios, videlicet: *Conſtitutum eſt in medio quod de novis emerſit ingeniis, ut facile vel tenuis intelligentiæ advertat Inſpector, quam injuſtis opprobriis* (Emin. Scriptoris) *memoria carpatur, & in quod peccatum cadant, qui aliena inſtigatione commoti, Scriptorem celeberrimi nominis promptius habeant culpare, quam noſſe.* Niſi forte in aliquorum hujus ævi Criticorum manus incidere contigerit, qui non ſine maximo Catholicæ veritatis diſcrimine ſal etiam doctrinæ Sanctorum Patrum infatuant, laborem omnem irritum reddunt, & Hiſtoriæ Sacræ confuſionem ingerunt, ſupprimendo videlicet genuinos Sanctorum Patrum fœtus, & nothos, atque ſubdititios ſubrogando, quo nihil perniciosius integritati Religionis aſtrui poteſt.

Cæterum in hoc libro nihil ſpongia dignum, nihil orthodoxæ fidei contrarium, nihilque bonis moribus abſonum reperitur. Ita cenſeo ex Cœnobio S. Pudentianæ de Urbe die 4. Junii 1741.

Ego infraſcriptus Ciſtercienſium Reformatorum S. Bernardi Abbas ex-Generalis, Romanæ Academiæ Theologicæ in ipſa Inſtitutione a SS. Romano Pontifice Clemente XI. Cenſor electus, in Collegio Urbano de Propaganda Fide Sac. Facultatum Prælector, ac S. Romanæ univerſalis Inquiſitionis Qualificator.

D. Balthaſar a S. Philippo Nerio.

OBſequutus mandatis Reverendiſſimi P. noſtri D. Hieronymi a S. Oddone Abbatis Generalis, attente, & diligenter, ac ſumma mei animi conſolatione perlegi eruditiſſimas Commentationes, Additiones, & Notas, magno, aſſiduoque ſtudio elaboratas a Reverendiſſimo P. Abbate D. Roberto Sala in Vaticana Bibliotheca Latinæ Linguæ Scriptore, in Opus Liturgicum Emin. Cardinalis Bona, jam olim Romæ impreſſum, cumque in eis nihil, quod bonis moribus, aut Chriſtianæ Fidei adverſetur, offenderim, ſed omnia puriori doctrinæ conſona invenerim, ut Typis mandentur, dignas non ſolum exiſtimo, immo valde perutiles cenſeo, ut magis antiquæ Eccleſiarum Liturgiæ illuſtrentur, & doctrinæ Em. Cardinalis Bona a nonnullis Novatoribus, & Criticis vindicentur.

Datum ex Cœnobio S. Pudentianæ de Urbe die 16. Junii 1741.
D. Martinus a S. Joanne Baptiſta *Abbas Aſſiſtens ſecundus, ac Sacræ Theologiæ Profeſſor.*

Facultas Rev.mi P. Abbatis Generalis Monachorum Reformatorum Sancti Bernardi Ordinis Ciſtercienſis.

CUM Opus, cui Titulus: Joannis Bona S. R. E. Cardinalis &c. Rerum Liturgicarum Libri duo &c. aucti Notis, Obſervationibus, ac perpetuo fere Commentario &c. Tom. I. a Patre Abbate Titulari noſtræ Congregationis D. Roberto Sala, non ſine magno ſtudio elaboratum, duo Abbates Seniores noſtri aſſiſtentes eruditi viri de noſtro mandato accurate perlegerint, publicaque hac dignum judicaverint, Nos, ut Typis mandetur, quantum in nobis eſt, facultatem damus.

E noſtro Monaſterio S. Pudentianæ de Urbe die 17. Junii 1741.
D. Hieronymus a S. Oddone *Abbas Generalis.*

Loco ✠ Sigilli.

D. Joannes Dominicus a S. Thereſia Secretarius.

I N-

INDEX

CAPITUM, PARAGRAPHORUM, ET NOTARUM

QUÆ

In hac Prima Parte continentur.

Notandum, quod ea, quæ reperiuntur inter parenthesim, & clausulam, sunt errata correcta.

CAP. I.

De Missæ nomine, &c.

§. I. DE Missæ nomine, ejusque origine. pag. 1.
Nota 1. Missæ nomen non esse Hebraicum. *ibid.*
§. II. Non Græcum. 2.
§. III. Neque alterius idiomatis. *idid.*
§. IV. Missæ vocabulum Latinum a mittendo dictum, ubi quædam de Agapis veterum Christianorum. 3.
N. 5. De Agapis an ante, vel post Eucharistiam celebrarentur. 4.
Non ante sed post Communionem. 5.
Jejunium ante Communionem ex traditione Apostolica. *ibid.*
De ipsis plures scripserunt. 6.
Agapes sexto seculo ineunte sublatæ in Eccl. Occidentali. *ibid.*
10. Eædem serius in Orientali seculo septimo exeunte dimissæ. 7.
§. V. Vario sensu a plerisque Missa a mittendo dicta. *ibid.*
N. 1. Vario sensu Missa a mittendo dicta. *ibid.*
4. Nonnulli a missione fermenti, sed falso dictam putant. 8.
§. VI. A duplici missione Missæ nomen deductum. *ibid.*
N. 1. A duplici missione populi. 10.
4. Hæc sententia plurium authoritate comprobatur. *ibid.*

CAP. II.

De Missæ significatione.

§. I. De multiplici nominis Missæ significatione. 11.
§. II. Missæ nomen olim pro Collectis acceptum. 12.
§. III. Idem Missæ nomen pro Lectionibus usurpatum. 13.
§. IV. Idem etiam Missæ vocabulum pro Divino Officio interdum sumtum. 14.
§. V. Missæ nomen. Quo sensu ad dies festos, & ad omnes populi conventus significandos translatum. *ibid.*
§. VI. Cur veteres plurales Missas dixerint. Quid sit Missas tenere. 16.
N. 2. De Laicis etiam dictum antiquitus Missas tenere. *ibid.*
3. Missas canere. *ibid.*
4. Missas totas tenere. 17.

CAP. III.

De Missæ antiquitate.

§. I. Missæ nomen antiquissimum. (idest a secundo seculo) A quibus primo usurpatum. Epistolis decretalibus ab Isidoro collectis quæ fides habenda. *ibid.*
N. 2. Decretales usque ad Siricium suppositiæ. 19.
Non tamen ob id omnino proscriptæ, cum nihil contra fidem, & disciplinam in illis deprehendatur, uti falso prætendunt Sectarii. 20.
3. Riculpho Moguntino a nonnullis tributa Decretalium Collectio, sed verius Benedicto Levitæ tribuenda. Hujus Controversiæ Chronotaxis describitur. (*ad hanc pag.* 20. *col.* 1. *lin.* 20. *lege* Autgario.) *ibid.*
4. Pii Papæ Epistolæ receptæ a nonnullis, aliis dubiæ. 21.
5. Etiam a Sectariis receptæ. *ibid.*
6. Latina versio Epistolarum S. Ignatii antiquissima, & probata. *ibid.*
Irenæi Librorum Latina versio antiquissima. *ibid.*
S. Ignatii Epist. versionem Latinam Gildas Badonicus 5. seculi Scriptor commemorat. 22.
Missæ nomen non ab Ambrosio primum usurpatum, sed & longe ante ipsum in Ecclesia notum. *ibid.*
10. Sacrificium Christianorum. Missa dictum ut Infidelibus occultaretur. *ibid.*
(*ad hanc notam lege* Christianorum.)
§. II. De variis Missæ nominibus. Dicta a Latinis Collecta, Dominicum, Agenda, Communio, Oblatio. 23.
N. 7. Facere idem ac sacrificare. 25.
8. Missæ Sacrificium a Patribus *Communio* dictum, & Eucharistia *Sacramentum charitatis, & unionis.* 26.
10. Missa cur dicta *Oblatio*. *ibid.*
Eucharistia *sanctum munus, immaculatum donum* antiquis dicta. *ibid.*
11. Missa apud Syros varie appellata. 27.
Item variis Cœnæ nominibus nuncupata. *ibid.*
§. III. Missa a Græcis Liturgia, Mystagogia,

ſtagogia, Synaxis, Telete, Anaphora, Proſphora, Oeconomia dicta. *ibid.*
Item Hierurgia, Eulogia &c. 29.
N. 1. Liturgiæ nomen Ethnicis etiam pro ſacro miniſterio uſurpatum. 30.
2. Liturgiæ nomen ſacræ vel myſticæ additum. *ibid.*
4. Telete pro omni Sacrorum Ordinum functione dicta. *ibid.*
5. Anaphora ideſt ſurſum elevatio. 31.
8. Oeconomia. *ibid.*
9. Græci aliis item nominibus Miſſam vocant Antitypa. *ibid.*
Eulogia divina. Metalepſis.
Myſterium. 32.
Thyſia. 33.
Denique in utraque Eccleſia *Sanctæ Sanctorum* vocatur Euchariſtia. *ibid.*
Communior præ omnibus, & vulgaris divini hujus Sacrifici, & Sacramenti appellatio, Euchariſtia. 34.
Sacrificium ſcilicet gratiarum actionis, & laudis. *ibid.*
§. IV. Tertulliani de Miſſæ Sacrificio Circumſcriptiones. *ibid.*
(*pag.* 35. *ad lin.* 4. *addatur* *ante cap.* 1. lib. 1. *& lin.* 15. *lege* offerrent.)
N. 1. Quæ Gentilibus majores hoſtiæ. 36.
2. Euchariſtiam confici pura prece plures item ſentiunt. Non autem precum tantum Sacrificio
Sed eo maximo a minoribus precum diſtincto. *ibid.*
Quod idem nunc eſt, ac fuit Tertulliani ævo. 37.
Euchariſtiæ Sacrificium omnium maximum. *ibid.*
Sacrificii nomine non aliud a Patribus intelligitur, quam Euchariſtia. 38.
Idem & Oblatio.
Idemque ac Sacrificium Crucis, eademque item Hoſtia ſola offerendi ratione diverſa. *ibid.*
Non tantum ob Sacrificii a Chriſto in Cruce oblati memoriam, ſed ob veram ejuſdem ipſius Corporis, & Sanguinis oblationem, & immolationem in Altari. 39.
Qui contra hanc Catholicam veritatem ſentiunt, priſcis Hereticis accenſendi. *ibid.*
Sic Calviniſtæ, qui realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia negant. 40.
Euchariſtiam pro novæ legis Sacrificio habitam vel ipſi teſtantur Sectarii. *ibid.*
3. Indicantur alii hujus Tertulliani textus interpretes. 41.
Genuina ejuſdem textus interpretatio. *ibid.*
Figura, & veritas apud Tertullianum non ſibi contradicunt. *ibid.*
Idem ex aliis Tertulliani textibus evincitur. 42.
Idem etiam ex Chryſoſtomo, & Caſſiodoro comprobatur. *ibid.*
Calviniſtæ eodem jugulo, quo olim Marcionitæ a Tertulliano confixi. 43.
Fidem eodem modo errantes, circa realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, quo olim Adoptivi circa perſonam Verbi in Chriſto. *ibid.*
(*ad hanc not. lege* adoptivi.)
Qui variis rationibus, & argumentis ex Scriptura, ac Patribus confutantur. *ibid.*
Præcipue ex eodem Tertulliano, Hieronymo, & Ambroſio. 44.
Sectarii ex ipſis Judæis confuſi. 45.
Calvini hæreſis eodem telo, ac olim Adoptivorum, confoſſa, & jugulata. *ibid.*
5. Miſſæ nomina ex Tertulliano 46.
Miſſam ex eodem in Eccleſiis offerri ſolitam.
Et ad Altare.
Vaſorum Sacrorum miniſterio.
Neque Laicorum, ſed Sacerdotum manu oblatum Sacrificium.
Orationibus, ſeu Collectis idem poſtulatum Miſſæ Sacrificium.
Pro Defunctis etiam Fidelibus ac in honorem Martyrum oblatum per Sacerdotes.
Item cum Sacrarum Scripturarum lectione, & ad populum ſermone.
Confeſſio publica ante Miſſam facta. *ibid.*
Reliquæ præter indicatas Miſſæ partes a Tertulliano memoratæ. 47.
Miſſæ Fidelium initium a Symbolo.
Offertorium.
Præfatio, ſeu immolatio Miſſæ.
Confecratio, ſeu ſacrificatio, & adoratio.
Oratio Dominica, & pax invicem data.
Communio Euchariſtica. Hæc a Laicis ſub una tantum ſpecie panis ſumpta.
Communio Euchariſtica nonniſi confeſſione expiatis tradita.
Poſtcommunio, ſeu gratiarum actio, & populi dimiſſio.
Tertulliano conſentiunt antiquiores priorum ſeculorum Patres. *ibid.*
Hinc Novatorum Liturgica Sacris antiquorum Ritibus contraria demonſtrantur. 48.

CAP. IV.

Sacrificium Miſſæ a Chriſto inſtitutum.

§. I. Miſſæ Sacrificium a Chriſto inſtitutum. 49.

N. 1. Miſſæ Sacrificium in Sacrificio Melchiſedech præfiguratum . *ibid.*
Id a Patribus omnibus aſſertum. 50.
Ex omnibus Eccleſiarum Liturgiis confirmatum .
Id præcipue teſtantur Miſſale Gothicum vetus, ſeu Mozarabicum, Miſſæ ſcilicet Sacrificium a Chriſto inſtitutum .
Item Særamentarium Romanum , & Gallicanum . *ibid.*
2. Idem denique Concilium Tridentinum, quod cur Chriſtus Dominus Miſſæ Sacrificium inſtituerit, oſtendit . 51.
Parænesis ad Novatores Miſoliturgos . *ibid.*
Quibus prædicta omnia recapitulantur, ut reſipiſcant, & credant . 52.
§. II. Idem Miſſæ Sacrificium ab Apoſtolis frequentatum . *ibid.*
N. 1. Communicatio fractionis panis, non communis, ſed Euchariſtici . 53.
2. Id communiter ſentiunt Patres. *ibid.*
Et Sacri Expoſitores . 54.
Panis item a Domino Diſcipulis in Emaus diſtributus, non communis , ſed Euchariſticus .
3. Eccleſiæ Africanæ cum Romana mutua in ritibus conſenſio .
Idemque Miſſæ ordo utrobique. *ibid.*
§. III. Ethnicorum calumniæ adverſus Chriſtianos, & earum origo . 55.
N. 1. A quibus , & quando inventæ calumniæ . 56.
A Simonis Magi diſcipulis diſeminatæ .
2. Gabriel Albaſpinæus notatus
4. Variæ diverſis adſcriptæ .
Judæis .
Gnoſticis . *ibid.*
Euſebianis . 57.
Chriſtianorum ſervis .
Calumniæ adverſus Chriſtianos a veteribus Apologiſtis Gentilium malitiæ attributæ . *ibid.*
Ipſo Chriſtianæ Fidei initio exortæ . 58.
Ethnici eas calumnias forte ex veritate myſterii male intellecti conflabant .
Eædem a Chriſtianis diſſlatæ .
Concluditur verius eſſe ex Cardinalis ſententia dictas calumnias Ethnicorum malitiæ adſcribendas. *ibid.*
§. IV. Teſtimonia veterum Patrum de primitivæ Eccleſiæ Sacrificiis, & exotica quædam de ipſis . 59.
Teſtimonia ſunt S. Ignatii, Act. S. Andreæ , S. Irenæi, S. Laurentii mart. , S. Juſtini mart. , Optati Milevit. Dionyſii Areopag., Cypriani , Euſebii Cæſarienſis , Ambroſii , Auguſtini . *ibid.*
N. 1. Proferuntur Epiſtolarum Sancti Ignatii M. textus diffuſiores. 60.
Quos fruſtra eludere tentant Sectarii , eas Ignatii Epiſtolas genuinas eſſe negantes . *ibid.*
Quorum tamen nonnulli æquiores eaſdem admittunt , & vindicant . 61.
2. Acta S. Andreæ genuina .
3. Allatum Juſtini locum obnubilare tentant Sectarii, ſed fruſtra.
Idem enim ab eorum cavillationibus vindicatur . *ibid.*
Atque ex Irenæo, aliiſque PP. confirmatur . 62.
Item ex antiqua Fidelium formula , qua communicantes Euchariſtiam accipiebant .
4. Idem Tertulliani de Sacrificio Miſſæ teſtimonium . *ibid.*
5. Optatus a Sectariis, quod magni faciat Altaria reprehenſus, vindicatur . 63.
Præcipue a Baſnagii dicteriis .
Primum ex veteri Teſtamento, ubi Altare, & Menſa promiſcue eadem nuncupatione donantur. *ibid.*
Item ex novo Teſtamento , ubi & promiſcua appellatione nuncupantur . 64.
Idem etiam ex Patribus comprobatur . *ibid.*
Alia Baſnagii objectio diſſlatur ex ſuis ipſis gregalibus. 65.
Et nulla priſcis Fidelibus Altaria fuiſſe, id de publicis intelligendum , non de privatis .
6. Miſſæ Sacrificium verum , & proprium eſſe iterum ex Irenæo demonſtratur .
7. Indicantur nonnulli Authores hac de re agentes . *ibid.*
Exotica de Miſſæ Sacrificio apud Gentiles notitia ex numiſmate Conſtantiniano . 66.
Peireſii opinio de hujuſmodi Conſtantini nummo adverſus Deylingium propugnatur . *ibid.*
Neque obſtant ab ipſo in contrarium objecta . 67.

CAP. V.

De Prima Miſſa ab Apoſtolis celebrata .

§. I. Quo tempore, & quo loco prima Miſſa ab Apoſtolis celebrata ſit . Quis ex illis primus omnium celebraverit . 68.
N. 1. An Apoſtoli in triduo mortis Chriſti vere potuerint conſecrare . Utraque ſententia probabilis . 69.
2. Probabilius Apoſtolos non ante adventum Spiritus Sancti celebraſſe .
3. Iterum probatur primam Miſſam non a Jacobo, ſed a Petro celebratam fuiſſe . *ibid.*
§. II. Quo apparatu , quibus veſtibus eadem prima Miſſa celebrata fuerit . 70

N. 1. Veſtis peculiaris ab Apoſtolis in Sacrificio adhibita exemplo Sacerdotum Legalium. 71.
Quin & Gentilium.
Id ſuadent vetuſta Eccleſiæ monumenta. *ibid.*
Nec obſtat primitivæ Eccleſiæ inopia a Joſeph Vicecomite objecta. 72.
Afferuntur hac de re Patrum teſtimonia.
Et Scriptores de eodem argumento tractantes. *ibid.*
§. Nonnullæ de veſtibus Apoſtolorum Hiſtoriæ. 73.
Apoſtolos propriis Sacerdotalibus indumentis uſos fuiſſe in Sacrificio probatur.
Ex Epiſtola Theodoſii Patriarchæ Hieroſolymitani ad S. Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum.
Quædam de Apoſtolorum veſtibus Hiſtoriæ dubiæ. *ibid.*
§. Veſtes Sacras extra Eccleſiam ferre ſacris Miniſtris vetitum. 74.
Qui veſtes ſacras Apoſtolis, primiſque Eccleſiæ fundatoribus negant, Calvino favere videntur. *ibid.*
§. III. Quibus verbis, ſive qua formula Apoſtoli Sacrum peregerint. 75.
N. 1. Nicolaus de Noury notatus, & vindicatus Emin. Author. *ibid.*
Ex Patrum ſenſu conſtat Apoſtolos ſolam Orationem Dominicam Chriſti Domini verbis conſecrationis addidiſſe. 76.
2. An Apoſtoli Orationem Dominicam ante vel poſt conſecrationem recitarent.
Dicendum Apoſtolos eamdem ante, & poſt conſecrationem recitaſſe. *ibid.*
3. Claudius de Vert a pleriſque notatus. 77.
Item a nonnullis confutatus.
Joannes Pinius Cardinalem nonnihil vellicans rejectus. *ibid.*
Ejus ſcrupulis occurritur, & ab iiſdem noſter Author vindicatur. 78.
Prioribus Eccleſiæ ſeculis noctu ut plurimum coactæ Chriſtianorum Synaxes, & tunc prolixiores adhibitæ preces in Sacrificio.
Quod ex Tertulliano, Cypriano, aliiſque probatur.
Et nonnulli recentiores Eruditi confirmant. *ibid.*
Alteri Pinii ſcrupulo reſpondetur. 79.
Et non minora fuiſſe Iſraelitis incommoda antequam pacifice ſacrificarent in Templo, ac quæ primis Chriſtianis demonſtratur. *ibid.*
§. IV. Qua lingua Apoſtoli celebraverint. Addita quædam de linguarum mutatione. Cur lingua vulgo ignota Eccleſiaſticæ functiones peragantur. *ibid.*
N. 1. Hebræi poſt captivitatem non amplius Hebraice, ſed Chaldaice loquebantur. 81.
Quin & Syriace, lingua ex utraque mixta. 82.
Ut Morinus aliique oſtendunt Eruditi.
Quod & pluribus argumentis comprobatur.
Lingua Syriaca Chriſti, & Apoſtolorum tempore Hieroſolymis vernacula, & communis. *ibid.*
3. Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus notatus. 83.
Quem Idiotæ nomine intelligant Sancti Patres. *ibid.*
Quis dicatur Idiotæ locum ſuplere. 84.
D. Thomas non ſatis a Cajetano perceptus exponitur.
In pleriſque Eccleſiis Latine ab Epiſcopis Populo ſermocinatum.
4. Cardinalis Bona ab Edmundi Martene cenſura vindicatus.
Lingua Hebraica, ſeu Chaldaica, Græca, & Latina, Paleſtinis, ſeu Syris, Græcis, & Latinis Populis olim reſpective vulgares. *ibid.*
Apoſtolorum Principes Petrus, & Paulus in toto Occidente Latine celebraverunt. 85.
Neque enim aliter, quam Latine Sacri Codices in Occidente lecti.
Bibliorum verſio Itala dicta omnium antiquiſſima.
6. Miſſa ſemper primigenia Lingua celebrata, etſi non amplius vulgari.
Quidquid in contrarium opponant Papecrochius, & ex ipſo Martenius. Ejus argumenta diluuntur: Objectio prima. *ibid.*
Objectio ſecunda. 86.
Objectio tertia, & quarta. 87.
Non alius olim in Eccleſia Orientali in ſacris, quam Græci idiomatis uſus. *ibid.*
7. De Otfridi Codice Evangeliorum Friſingæ invento. 88.
Ejus Lingua Theotiſca vetus, ſeu Teutonica nec a viris doctis percepta. *ibid.*
Cum eadem valde diverſa ſit ab hodierna. 89.
8. Veteres Linguæ vulgares pene deperditæ.
9. Hiſpaniæ characteres antiqui non intellecti.
10. Quid Pænulus apud Plautum ſignificet, ignotum. *ibid.*
13. Saliorum carmina olim vix ipſis Sacerdotibus intellecta. 90.

CAP.

CAP. VI.

De diverſis conſuetudinibus.

§. I. Diverſas Eccleſiarum conſuetudines in Miſſæ celebratione olim fuiſſe, & nunc eſſe. *ibid.*

N. 1. Licet etiam ab initio omnia ordinate facta fuerint. 91.

Inſtituta hujuſmodi Eccleſiaſtica ab Apoſtolis tradita ex SS. Patribus. 92.

Ritum, & formam offerendi Sacrificii ab Apoſtolica traditione derivari, nonnulli ex Sectariis fatentur.

(*Ad hanc pag. 92. col. 2. lin.* 34. *loco* tribus *lege* undecim.)

3. Rituum tamen varietate non ſcindi fidem teſtantur & Græci, inter quos Photius. *ibid.*

S. Nilus junior, Abbas.

Baſilius Acridenus, aliique. 93.

6. Quia quæ ad diſciplinam tantum, non ad fidem pertinent, admittunt varietatem. 94.

Conſuetudines ſcilicet, quæ ad Ritum, & ornatum Eccleſiaſticum ſpectant.

Illi tamen Ritus immutabiles, in quibus omnes Eccleſiæ conveniunt, reliqui vero mutabiles.

Quin & quandoque mutatæ Traditiones antiquitus obſervatæ. *ibid.*

§. II. Quæ ſit hujuſmodi Rituum varietatis cauſa, & origo. Sacrificium idem ubique quoad eſſentiam. Varios Ritus Fidei unitatem non lædere. 95.

N. 1. Opinio etiam quod Epiſcopis hæc facultas relicta fuerit. 96.

2. Hebræorum ritus aliquot in Eccleſia admiſſi.

Quin & Gentilium, ſed emendati. *ibid.*

5. Quænam de novo introducta in Eccleſia Neocæſarienſi Baſilii tempore. 97.

Rituum varietas Tyrannorum perſecutionibus adſcripta.

6. Ut apud Latinos, ita variæ apud Orientales Rituum mutationes. *ibid.*

7. Sic quod priori deerat diſciplinæ, adjectum ab Eccleſiæ Patribus. 98.

§. III. Quid peccatum in hoc genere. Alii ſemel ſuſceptis conſuetudinibus pertinacius inhærentes turbas in Eccleſia ſuſcitarunt. Alii nullum ſtatuentes diſcrimen inter capita fidei, & diſciplinæ mutuis concertationibus exarſerunt. *ibid.*

N. 1. In antiquatis Codicibus pleraque ridicula, & inſulſa. 99.

4. Nedum ab Epiſcopis, ſed & ab inferioris Ordinis Sacerdotibus hujuſmodi novitates introductæ. 100.

5. Ex veterum rituum depravatione rebellionis origo, & Schiſmati apertum oſtium.

6. Antiqui ritus, ubi vigent, conſtanter retinendi. *ibid.*

Ex rituum diſſenſu non argui fidei varietatem, ex ipſis hæreticis comprobatur. 101.

Ad venuſtatem Eccleſiæ militantis attinet diverſitas Sacrorum Rituum a diſtinctis Nationibus cuſtodita. *ibid.*

CAP. VII.

De Actis quoad Rituum Miſſæ obſervantiam.

§. I. Actum in Conciliis de Rituum obſervantia, & eorum varietate tollenda. 102.

N. 1. Bis in anno antiquitus Concilia celebrata; ne dum in Gallia, & Germania, ſed & in Hiſpania. 103.

3. Statutum in Hiſpania, ut eodem ordine ab omnibus Miſſæ celebrarentur, quem ab Apoſtolica Sede profuturus accepit. 104.

5. Id etiam a Sanctis Ordinum Religioſorum Fundatoribus obſervari mandatum.

§. II. Quomodo Sectarii Miſſam perverterint. *ibid.*

N. 1. Recenſentur Hæretici Sacrificii Miſſæ corruptores. 105.

§. III. Romana Miſſa ſtudio Pontificum ab omnibus Occidentalibus recepta. 106.

N. 3. Miſſa Affricana Mozarabicæ potius, quam Romanæ antiquæ ſimilis adverſus Scheleſtratium, & Mabillonium demonſtratur. 107.

Tres Miſſæ Ritus ſimul conferuntur. 108.

4. Joſeph ab Arimathia primus fertur Angliæ Apoſtolus. *ibid.*

6. S. Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam profectio a pluribus viriliter aſſerta. 109.

7. Item S. Pauli Apoſtoli. *ibid.*

8. Dextri Chronicon, etſi in pleriſque ſuſpectum, non tamen in omnibus reſpuendum. 110.

§. IV. Quorumdam in hoc renitentia, ejuſque cauſæ. *ibid.*

N. 2. Cujus ſuſpicioni, ſeu conjecturæ adhærendum cenſent Benedictini Patres Ambroſii Operum Editores, aliique plures viri docti. 111.

Reſpondetur objectionibus in contrarium adductis. 112.

Diſquiritur quis illorum librorum verus Author fuerit. *ibid.*

Non Ambroſius Cadurcenſis Epiſcopus, ut vult Oudinus. 113.

Neque Ambroſius Autpertus, ut alii perperam arbitrantur.

Seb potius S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus, cui probabilius ii libri tribuendi.

Quiſquis illorum Author fuerit,

rit, conſtat hunc ante ſeculum ſeptimum vixiſſe. *ibid.*
§. V. Romanæ Eccleſiæ traditæ Miſſa a Petro Apoſtolo, ab aliis aucta. 114.
N. 2. Miſſæ ordinem a Petro Romanæ Eccleſiæ traditum rationibus comprobatur. 115.
Idem ulterius confirmatur.
Quis, qualiſque fuerit, ex Juſtino deprehenditur. *ibid.*
Prima Miſſa a Petro Romæ celebrata in Pudentis Senatoris domo, poſtea S. Pudentianæ dicta. 116.
Hæc Miſſa non alia eſſe videtur, niſi quam Juſtinus, & Tertullianus deſcribunt.
3. Romanæ Liturgiæ triplex ordo, ſeu ſtatus conſiderandus. *ibid.*
Gregorianum Sacramentarium ſucceſſione temporis auctum. 117.
Ejuſdem a Gelaſiano diſcrimen. *ibid.*
§. VI. Iterum de variis Miſſæ mutationibus, ac diverſitatibus plerique in locis a Romano Ritu diſcrepantibus. 118.
N. 2. Plura inepta, & incongrua in MSS. Miſſalibus antiquis. *ibid.*
{ *Ad hanc notam* } { *lege* incongrua... }
Eapropter Liturgici Codices ſæpius emendati, & ſuo decori reſtituti. 119.
3. Dein cautum ne Sacerdotes aliis ritibus uterentur, quam ab Eccleſia probatis.
§. VII. Romæ olim diverſa officia.
Quid in his immutatum a Fratribus Minoribus. *ibid.*
N. 1. Quin & in ipſa Romani Palatii Baſilica, ſcilicet Lateranenſi. 121.
2. Caſimirus Oudinus notatus.
3. Radulphus Tungrenſis apud Fratres Minores male habitus.
Card. Bona a Francifci Pagii cenſura cum dicto Radulpho vindicatus.
Breviarium unde dictum. *ibid.*

CAP. VIII.

De Liturgiis &c.

§. I. De Liturgiis Apoſtolorum. Explodituг a Lindano edita ſub nomine Petri. 122.
N. 1. Miſſalis Liber ad Sacrificium initio adhibitus. 123.
Non per ſolam traditionem Liturgicus ordo antiquitus ſervatus.
Id ex pluribus veterum Patrum teſtimoniis clare deducitur. *ibid.*
Quin & ab initio Eccleſiæ ex D. Paulo. 124.
Ut omnia in Eccleſiis ubique uno, & eodem ordine fiant, vix ſine ullo Codice omnibus communi, ex quo legantur, id conſequi poteſt. *ibid.*
2. Liturgia Petri nomine a Lindano edita ſuppoſititia, aliæque infra dicendæ. 125.
Cæterum Liturgiæ Apoſtolorum nominibus inſcriptæ ex traditione in pluribus hauſtæ.
Erneſtus Tenzelius confutatus. *ibid.*
Ritus, qui in dictis Apoſtolorum Liturgiis exprimuntur, ab Apoſtolica traditione fluxiſſe, hic denuo comprobatur, & iterum Tenzelius refellitur ex ſuorum gregalium teſtimonio. 126.
§. II. Dubiæ fidei eas eſſe, quæ Matthæo, & Marco tribuuntur. 127.
N. 1. San. Matthæi Liturgia, Æthiopum dicta, ſuppoſititia.
2. Item Sancti Marci Evangeliſtæ Alexandrina dicta. *ibid.*
Suppoſititia Liturgia Joannis Evangeliſtæ. 128.
Subditæ item illæ: *Domini noſtri*, & *Dominæ noſtræ* dictæ.
§. III. Aſtruitur Liturgia Jacobi Apoſtoli. *ibid.*
N. 3. Vox *homouſion* ante Concilium Nicænum I. apud Patres uſitata. 129.
4. Vox item *Theotocos*, ſeu Deipara ante Concilium Epheſinum a Patribus adhibita. *ibid.*
5. Card. Bona a Samuelis Baſnagii dictériis vindicatur, & contra eumdem Liturgia Jacobi defenditur. 130.
Non obſtat difficultas oſtendendi, quæ pars Liturgiæ Jacobum Authorem habuit. *ibid.*
Neque de eadem Liturgia antiquorum ſilentium. 131.
Idque comprobatur exemplo nonnullorum veteris Teſtamenti librorum.
Atque etiam ex novo Teſtamento. *ibid.*
Qui licet antiquis quibuſdam ignoti, aut pro Canonicis habiti, poſtea ab univerſa Eccleſia admiſſi ſunt. 132.
Quod & de aliquibus novi Teſtamenti libris non refragantur Calviniſtæ ipſi. *ibid.*
§. IV. Cujus ævi cenſeantur Conſtitutiones Apoſtolicæ, & in eis deſcripta Miſſa Clementis. 133.
N. 2. S. Barnabæ Apoſtoli nomine inſcripta Liturgia dubia. 134.
3. S. Clementis dicta ſuppoſititia.
4. Conſtitutiones Apoſtolicas Concilio Nicæno antiquiores eſſe cum noſtro Card. Bona plures viri docti affirmant. *ibid.*
Conſtitutiones prædictas, ſicuti Canones Apoſtolicos, ſecundo, vel tertio ſeculo conditos, vel ipſi fatentur Sectarii. 135.
5. Earumdem Conſtitutionum, ſeu Canonum Apoſtolicorum, Libri perperam Clementi Romano tributi. 136.

§. V. De Liturgia a Dionyſio tradita.
Anceps de eo judicium. *ibid.*
N. 1. Liturgia Dionyſio Areopagitæ tributa. 138.
2. De ſcriptis S. Dionyſii Areopagitæ varie diſputant Eruditi. Referuntur, qui eum ſeculo Apoſtolico vixiſſe contendunt.
3. Recenſentur qui illum poſterioris ævi Authorem faciunt.
Le Quien, & Graveſon notati. *ibid.*
4. Qui tamen fateri debent eumdem circa finem quarti ſeculi vixiſſe. 139.
5. Plerique cum Card. Bona Philoſophum Platonicum Dionyſium fuiſſe putant.
Alii vero nonnulli dubitant, & Pauli diſcipulo Platonicam Philoſophiam arbitrantur non convenire. *ibid.*
6. Quædam item apud Gregorium Nazianzenum reperirl mutuata a Dionyſio ajunt Card. Sirletus, & Perronius, aliique. 140.
7. Quem tamen Nazianzeni Sermonem viri docti plerique pſeudepigraphum putant.
8. Areopagitæ Libros longe ante ſeculum ſextum Catholicis non ignotos fuiſſe nonnulli exiſtimant. *ibid.*
Et quidem Syri veteres id teſtantur, qui & Dionyſii Opera notis ſuis illuſtrarunt. 141.
Cæterum an hæc Dionyſii Operum mentio ante ſeculum ſextum facta fuerit, incertum.
9. Controverſia de Dionyſii Libris poſt an. 520. & ante Photii tempora exorta.
De eadem tamen Photius nihil certi definit.
Hinc diſputationibus Eruditorum diſcutienda relicta. *ibid.*
Recenſentur præcipui utriuſque partis Authores, qui pro aſſerendis, ſive reſpuendis Areopagitæ Operibus ſcripſerunt, & primo pro parte negativa. 142.
Pro parte affirmativa hic recenſiti.
Qui eadem Pauli Apoſtoli diſcipulo abjudicant, antiquiſſimi tamen ſcriptoris fetum eſſe fatentur.
Ac proinde plures, ac primarios ex ſacris Ritibus ab Apoſtolica traditione manare, reliquos circa ſeculum quartum inſtitutos, negare non poſſant. *ibid.*
De Liturgia S. Ignatio Epiſcopo Antiocheno, & Martyri attributa apud Orientales, aliiſque ibidem diverſis nominibus inſcriptis. 143.

CAP. IX.

De Ritibus Eccleſiæ Orientalis.

§. I. De variis Ritibus Eccleſiæ Orientalis.
Cur nova Liturgia a Baſilio Magno compoſita. 144.
N. 1. S. Baſilius Liturgiam aliquam certo confecit. 145.
Indicare autem quæ ejus præciſæ ſint partes, incertum.
Hæc a Sectariis, nuperque ab Apoſtata Caſimiro Oudino diris impetita, & Catholicis uti falſo uſurpata, objecta.
Quis, qualiſque fuerit Oudinus, deſcribitur.
Baſilium Liturgiam aliquam, ſeu celebrandæ Miſſæ formulam condidiſſe, apud Catholicos omnes indubitatum.
Quod & Sectarii nonnulli fatentur. *ibid.*
Hæc in tribus, quæ ſub ejus nomine circumferuntur Anaphoris, integra continetur. 146.
2. Cl. Franciſcus Bæertius notatus.
Baſilii Magni vita, quæ S. Amphilochio adſcribitur, omnium fere Eruditorum calculo ipſius non eſt. *ibid.*
§. II. Iterum de Baſilii Liturgia, ejuſque Editionibus. 147.
N. 1. S. Baſilii Liturgia, ſeu Anaphora, ut vocant Syri, ex Græca non interpolata Syriace reddita fortaſſe a Sancto Ephræm Syro cæterarum omnium purior ac ſimplicior videtur.
2. Plures ejuſdem Baſilianæ Liturgiæ verſiones apud Orientales. *ibid.*
§. III. De Liturgia Chryſoſtomi. 148.
N. 1. Quemadmodum Baſilius Jacobi Liturgiam, ſic Chryſoſtomus Baſilii Miſſam contraxit. *ibid.*
2. Chryſoſtomi Liturgiæ plura ab aliis addita, unde maxime exemplarium varietas. 149.
Quæ tamen non obſtant, quin eadem Liturgia Sancto Doctori jure tribui debeatur.
Hæc propterea contra Oudinum, alioſque Sectarios vindicatur.
Quam ſancte, pie, ac devote de Beatiſſima Virgine ſenſerit Chryſoſtomus. *ibid.*
Aliud Riveti Calviniſtæ argumentum convellitur. 150.
Neque his obſtat, quod nonnulli ex Catholicis eaſdem Liturgias pſeudepigraphas cenſeant.
Item ſicuti Baſilius, ita Chryſoſtomus pleriſque in locis Sacræ Liturgiæ ordinem ſuo tempore uſitatum deſcribit.

Plures item Chryſoſtomi Liturgiæ verſiones apud Orientales.
Recenſentur qui de Orientalium Liturgiis ſcripſerunt. *ibid.*
§. IV. Quæ gentes lingua Illyrica Miſſas agant. 151.
N. 1. Moſcovitas non ab Hæreticis primum, ſed a Græcis Catholicis fidem ſuſcepiſſe, licet ab ea poſtmodum defecerint, probabilius. 152.
2. Moſcovitas totum ſacrum ſuum gentili, ac vernacula eorum lingua peragere ſcribunt nonnulli.
6. De Ritu Illyrico, ſeu Sclavonico hodierno nonnulla excerpta. *ibid.*
§. V. De Colchis, Iberis, Albanis, Melchitis, Neſtorianis, Jacobitis, Coptis, & Æthiopibus. 153.
N. 2. Melchitæ qui, & quare ſic nuncupati.
Jacobitæ qui, & unde dicti. *ibid.*
Jacobitæ cur etiam Monophyſitæ dicti. 154.
Jacobitis, & Melchitis Quadraginta Liturgiæ inter ſe diverſæ.
3. Neſtoriani tres habent Liturgias, quæ paucis inter ſe diſcrepant.
De Liturgia XII. Apoſtolorum, & Neſtorii nomine inſcripta.
Neſtorii Liturgiam ſanam eſſe, & Ortodoxam putat Ricardus Simon. *ibid.*
Qui tamen perſpicue fallitur. 155.
Neſtorii enim Liturgiam hæreticam eſſe ipſi Chaldæi teſtantur.
4. De Neſtoriana apud Indos Liturgia, ac reliquis ad eam ſpectantibus. *ibid.*
Euſebius Renaudotius quo ad Neſtorianam Indorum Liturgiam notatus. 156.
5. Variæ, & multæ apud finitimas Aſiæ regiones Liturgiæ.
6. De Ægyptiorum, ſeu Coptitarum Liturgiis.
Quæ venerandam ſuam habeant antiquitatem. *ibid.*
§. VI. De Æthiopibus, ſive Abyſſinis. 157.
N. 1. Æthiopum, ſive Abyſſinorum Miſſa Copticæ ſimilis, ſicque iiſdem erroribus infecta. 158.
3. Anonymi Liturgia apud Æthiopes in Feſtis D. N. Jeſu Chriſti recitari ſolita. *ibid.*
5. Græcorum error exiſtimantium Euchariſtiam conſecrari non tantum Verbis Chriſti, ſed & precibus ſubſequentibus Orientalibus Schiſmaticis communis. 159.
§. VII. De Armenis, eorumque Ritibus.
(*ad hanc pag.* 159. *in marg. ad col.* 1. *in fine lege* Armeni a Jacobitis.)
N. 1. Armeni a Jacobitis depravati pluribus erroribus, præcipue Theopaſchitarum, & Acephalolum hæreſibus infecti. *ibid.*
3. Aquam vino non miſcent in Miſſa, quidquid aliter ſcribant Baronius, & Spondanus. 160.
4. Armeni Græcorum Ritibus adverſantes ſæpius ad fidem Catholicam, iterumque ad vomitum reverſi.
Eos nonnulli Pontifices Romani ad Eccleſiæ gremium revocare curarunt. *ibid.*
Recenſentur Armenorum errores circa Sacrificium Miſſæ. 161.
5. Tandem Eccleſiæ Catholicæ Romanæ reconciliati Sec. XIV. Latinos Ritus ex corde ſuſceptos diu retinuerunt, & plerique adhuc retinent.
§. VIII. De Maronitis, eorumque Liturgiis. Hymnus S. Ephræm. *ibid.*
N. 1. De Maronitis, eorumque nomine, & origine plures, ac variæ Eruditorum ſententiæ. 164.
Probabilior tamen eorum opinio, qui Maronitas a Sancto Marone Abbate originem ſuam duci putant. *ibid.*
3. Maronitarum Miſſa Chaldaica, ſive Syriaca Latinæ fere per omnia ſimilis, diverſo tamen ordine, ac cæremoniis. 165.
4. Liturgiarum omnium diſcors concordia palam facit ordinem Sacrificii ab Apoſtolis traditum eſſe. *ibid.*
Ac proinde non Pontificum Romanorum inventum ſeculo ſexto, uti plerique ex Sectariis effutiunt. 166.
5. Mira hujuſmodi omnium Gentium in Ordine Sacrificii conſenſio nonniſi a Spiritu Sancto eſſe poteſt. 167.
Quod ex ipſa antiquitatis præſcriptione comprobatur.
Liturgiarum omnium conſenſum in ordine Sacrificii ab Apoſtolica inſtitutione venire fatentur ex Proteſtantibus nonnulli. *ibid.*
Ex antiqua conſuetudine habent Syri, ut Hymnos in Sacrificio canant. 168.
Qui fere omnes S. Ephræm Syro, nonnulli Jacobo Sarugenſi tribuuntur.
Hymnus S. Ephræm ſupra ab Eminentiſs. relatus nonnullis ſuſpectus eidem Sancto vindicatur. *ibid.*
§. IX. Plurimas eſſe apud Orientales Liturgias. 169.
N. 1. Qui de Liturgiis Orientalium ſcripſerunt Authores, & eædem ab ipſis indicatæ, recenſentur. 170.
S. Jacobi Liturgia apud Syros omnium antiquiſſima.
Duæ Sancti Petri.

Duæ

Duæ duodecim Apoſtolorum.
S. Joannis Evangeliſtæ.
S. Marci.
S. Dionyſii Areopagitæ.
Quæ in Miſſali tribuitur Dionyſio Barſalibi, Amideno Jacobitarum Patriarchæ, de quo infra.
Anaphora S. Xiſti Papæ nomine falſo inſcripta. *ibid.*
SS. Baſilii, Joannis Chryſoſtomi, & Cyrilli Alexandrini. 171.
S. Jacobi Niſibenſis.
S. Gregorii Theologi.
Joannis Maronis.
Alterius Joannis.
Euſtathii. *ibid.*
Moyſis Barcephæ. 172.
Jacobi Edeſſeni.
Philoxeni.
Eleazari Epiſcopi Babylonis.
Maruthæ Epiſcopi Tagritenſis. *ibid.*
Præclarum Maruthæ teſtimonium de reali Chriſti præſentia in Euchariſtia. 173.
Item aliud Iſaaci Syri, qui ſeculo V. floruit.
Thomæ Giarmachitæ.
Matthæi Paſtoris. *ibid.*
Joannis Barſuſan. 174.
Neſtorii.
Theodoreti.
Diodori.
Narſetis.
Barſumæ.
Dionyſii Barſalibæi. *ibid.*
Procli Epiſcopi Byzantini. 175.
Philixini.
S. Gregorii Nyſſeni.
S. Ignatii Epiſcopi, & Martyris.
Michaelis Magni Jacobitarum Patriarchæ.
Cyriaci.
Joannis Darenſis.
Joannis. *ibid.*
Theodori. 176.
Joannis Mardæ Epiſcopi.
Michaelis.
Joannis Bar-Maadani.
Gregorii Bar-Hebræi.
Simeonis.
Joannis Lephedienſis. *ibid.*

APPENDIX

Obſervationem aliquot.

In Liturgias Syrorum, præcipue Jacobitarum. 177.
Liturgia in quinque partes apud Syros diviſa.
Syri in Miſſa ſtant, numquam genuflectunt.
Quorum hæc conſuetudo reprobatur.
In omnibus Syrorum Liturgiis Defunctorum commemoratio expreſſa.
Syri, ſeu veteres Jacobitarum Patriarchæ quo ad Miſſæ Sacrificium, ac realem in eo Chriſti præſentiam Novatorum impugnatores. *ibid.*
Inter cæteros Xenajas Mabugenſis Monophyſita. 178.
Item Dionyſius Barſalibæus Jacobita ſeculi XII. Scriptor. *ibid.*
Idem denique & alii quos referunt Ecchellenſis, Naironus, & Aſſemanus. 179.
Schiſmata duo apud Syros quo ad ipſorum Liturgiam.
Jacobitarum ſuperſtitioſæ obſervationes quo ad materiam Sacrificii, & hoſtiarum numerum. *ibid.*

CAP. X.

De Ritibus Ambroſianis.

§. I. De Miſſa Ambroſiana, a quo fuerit inſtituta. 180.
N. 2. Ritus Ambroſiani miraculis approbati crediti. *ibid.*
At hæc Eruditis valde ſuſpecta, & dubia ſunt, præcipue ex veterum ſilentio. 181.
3. Galvaneus, & Beroldus quo tempore vixerint. 182.
Item Landulphus Senior, cui aliiſque tribuitur Dacii Chronicon.
Qui omnes non ante ſeculum XI. vixerunt, *ibid.*
Ritus Ambroſianus referente S. Petro Damiani Mediolanenſibus in ſua obſervantia relictus. 183.
Ejuſdem S. Petri Damiani Elogium de Clero Mediolanenſi.
Ante Ambroſium proprium aliquem Ritum extitiſſe in Eccleſia Mediolanenſi certum eſt. *ibid.*
Qualis autem fuerit, diſquiritur. 184.
Et primo quoad Lectiones utriuſque Teſtamenti.
Quoad Miſſæ ordinem plura apud Ambroſium monumenta.
Miſſa quotidie celebrata Ambroſii ævo.
Item pene quotidiani Sermones ad populum habiti.
Veteres aliæ ejuſdem Eccleſiæ Mediolanenſis conſuetudines.
4. Hodiernus Mediolanenſis Eccleſiæ Ritus ab antiquo diverſus. *ibid.*
Hujuſmodi variationes vel ipſi fateutur Archiepiſcopi Mediolanenſes. 185.
Ordo tamen Ambroſianus idem & uniformis a ſeculo X. ad XV. ſervatus.
§. II. Ordo Miſſæ Ambroſianæ, ejuſque Ritus. *ibid.*
N. 1. Pſalmus *Judica me* ad Introitum Miſſæ olim ante an. 1499. incœptus tantum, poſtea integer recitatus. 186.
Ludovicus Ant. Muratorius notatus,

tatus, & ab ejus exceptionibus vindicatus Card. Bona. 187.
2. Nonnulli peculiares Ritus in Miſſa Ambroſiana deſcribuntur. 188.
6. Ex hodierna Liturgia Ambroſiana certo elici non poteſt quid Ambroſio tribuendum. 189.
§. III. Aliquot Ritus peculiares Eccleſiæ Mediolanenſis. *ibid.*
N. 2. Alii item Ritus peculiares deſcripti. 190.
3. Præcipue quando Archiepiſcopus ſolemniter celebrat. *ibid.*
Sacrorum miniſtrorum Claſſes variæ in Clero Mediolanenſi. 191.
Canonici majores, ſive Cardinales Ordinarii dicti, antiquitus adinſtar Cardinalium induti.
Nunc rubea tantum Cappa, ac Prælatitio titulo, & Mitræ uſu inſigniti. *ibid.*
Archiepiſcopi Mediolanenſis ſingulare Privilegium infra Rom. Pontificem. 192.
Item alii peculiares Ritus obſervati in Miſſa privata Ambroſiana. *ibid.*

Appendix ad C A P. X.

De Miſſa Ambroſiana ejuſque Ritibus.

Ambroſianus Ritus abrogari fruſtra tentatus a Cardinali Branda Caſtillionæo. 193.
Quem tamen confirmandum, & illuſtrandum curarunt Mediolanenſes Archiepiſcopi.
Plura a Cl. Muratorio obſervata circa veterem, & novum Ritum Ambroſianum. *ibid.*
Et quidem ab hodierno Ritu diverſa. 194.

C A P. X I.

De Mozarabis, ſeu Hiſpanis Ritibus.

Monitum ad Lectorem.

§. I. De Miſſa Mozarabum. Cur Hiſpani dicti Mozarabes. Hujus Ritus inſtitutio. 195.
N. 1. Qui Mozarabes, & cur ita dicti. 196.
2. Diſcutitur difficultas quoad Officium Gothicum, quod ab Iſidoro compoſitum dicitur. 197.
Jam a ſeculo V. Officium Gothicum in Hiſpaniis uſitatum. *ibid.*
Quod ex nonnullis comprobatur argumentis. 198.
Liturgia Mozarabum magna ex parte ab Orientali Græcorum deſumpta, ut jam dictum eſt.
Ipſi nobiles Scriptores Hiſpani fatentur jam ante Iſidorum extitiſſe in Hiſpania Gothicum aliquod Officium. 199.
5. Oſtenditur neque Iſidorum, neque Leandrum ejus fratrem Officium Gothicum inſtituiſſe. Idque ex nonnullis Hiſpaniæ Conciliis præcipue Toletano III. an. 531.
Et ante ipſum ex Gerundenſi an. 517. *ibid.*
Barcinonenſi, & Valentino. 200.
6. Salvus Abbas Albaindenſis quo ſeculo floruit, quidve circa Officium Gothicum compoſuerit.
Ordo Miſſalis Mixtarabici ab eo, quem deſcribit Iſidorus, valde diverſus.
Gothicum tamen hunc Miſſæ Ordinem Iſidoro tributum veteres nonnulli teſtantur. *ibid.*
§. II. Mozarabum Ritus Hæreticorum fraude depravatur. Deſiit tandem Romanis Ritibus ſubrogatis. 201.
N. 1. Quo tempore hæc Hiſpaniæ devaſtatio acciderit, diſſident Authores, ea tamen deſcribitur. 202.
Potiſſimum ex Prælatorum ſegnitie ac vecordia producta.
Mozarabici Ritus depravati.
2. Ex quibus ſic corruptis Elipandus Toletanus ſuam hæreſim Adoptivorum perperam ſumpſit. *ibid.*
Qui ſtatim ab Alcuino confutatus fuit. 203.
Veteres Hiſpani Patres ab errore immunes vindicati.
Indicatur, qui ſacros in Hiſpania Miſſales libros corruperit.
Expurgati poſtea & emendati Mozarabici Officii Codices.
3. Variæ dicti Mozarabici Ritus viciſſitudines. *ibid.*
4. Mozarabum Ritus abrogari tentatus ſec. XI. 204.
§. III. Quo tempore hæc Officii Mozarabici mutatio contigerit, & de turbis ob eam exortis.
A Franciſco Ximenio reſtituitur. 205.
N. 1. Probatio Officii Gothici per duellum, & ignem, quæ ab Hiſpanis nonnullis traditur, res admodum dubia. *ibid.*
Afferuntur argumenta pro hujus facti dubietate. 206.
Ex ſilentio Pelagii Ovetenſis contemporanei Authoris.
Item alterius celebris Hiſpani Scriptoris Lucæ Tudenſis Roderico Synchroni.
Aliorum nobilium Hiſpaniæ Scriptorum, etſi recentioris ævi, qui de hoc facto aliter a Roderico ſcribunt. *ibid.*
Reſpondetur nuperrimo Authori Hiſpano, qui eamdem Roderici narratiunculam refricat, & ab ipſius invectiva vindicatur Card. Bona. 207.

Quæ

Quæ fides Roderico Toletano habenda ex ipsis constat candidioribus Hispanis.

Qui tamen inter se circa hujusmodi narrationem dissentiunt. *ibid.*

Et quidem ex ipso facto Roderici narratiuncula falsa esse deprehenditur. 208.

Deus quippe nonnisi ad sui nominis gloriam, veritatis Ecclesiæ commendationem, aut hominum utilitatem miracula edit.

Neque enim ad falsitatem confirmandam ejus omnipotentia extenditur.

Quare hujusmodi fabulosa Roderici narratio juste a nobis cum Card. Bona dispellitur. *ibid.*

2. Mozarabicus Ritus utpote denuo depravatus, iterum abrogari tentatus sec. XII. 209.

Idem proprios characteres Gothicos in suis libris habebat.

Qui postea in Gallicanos, seu Romanos translati sunt.

Hujusmodi Ritus Mozarabum dictus sensim deficiens in sex tantum Paræciis diu permansit usque ad sec. XII. in quibus etiam postea Romanus inductus. *ibid.*

3. Donec seculo XV. exeunte in dictis Ecclesiis per Cardinalem Ximenium restitutus fuit. 210.

Quæ restitutio, seu innovatio quomodo facta sit, describitur. *ibid.*

§. IV. Describitur Missa Mozarabica, ejusque Ritus. 211.

N. 2. Hymnus *Gloria in excelsis*, quando apud Mozarabes dictus. 212.

5. Item Evangelium quo loco, & ordine dictum. *ibid.*

§. V. Iterum eadem Missa describitur, ejusque Ritus. 213.

N. 1. Missa Fidelium apud Mozarabes quando incipiat. 216.

3. Locus quem corruperat Elipandus, ut suam Adoptivorum hæresim refricaret. *ibid.*

6. Toletanorum Episcoporum nomina e diptychis recitata in Missa apud Mozarabes. 217.

Quædam notanda circa ipsa Toletanæ Ecclesiæ diptycha. *ibid.*

10. Forma consecrationis antiqua apud Mozarabes veteri Ambrosianæ consimilis. 218.

Postea cum Romana commutata, illique uniformis reddita.

12. Quid Confirmatio Sacramenti apud Mozarabes. *ibid.*

13. Symbolum in Missa Mozarabum ad elevationem Sacramenti ab omnibus clara voce recitatum. 219.

Hostiæ fractio in novem partes apud Mozarabes. *ibid.*

Hanc antiquis omnibus ignotam nuperus quidam non ineruditus Scriptor affirmat. 220.

Qui tamen refellitur, & ab hac nota Mozarabum Missa vindicatur.

Hostiæ divisio in partes communiter apud Theologos non de substantia Sacrificii, sed illi accidentalis.

Eadem hujusmodi Hostiæ partitio apud Mozarabes non sine mysterio. *ibid.*

Hinc ex eo antiquissima deducitur, quod non pateat ratio originis. 221.

Adeoque non obstant Cl. Cennii oppositiones.

Cum dictum Officium Mozarabicum non toleratum tantum, sed a Summis Pontificibus valde commendatum, & confirmatum fuerit.

Præterea idem non ignotum antiquis fuisse haud obscure indicat revelatio cuidam Eldephonso Hispaniensi Episc. ostensa apud Mabillonium.

Ubi hæc Mozarabica Hostiæ partitio connotatur ad significandum novem Ordines Angelorum. *ibid.*

Ac proinde eadem non nova in Hispania, sed jam a seculo IX. nota. 222.

20. Ad majorem hujusce Ritus Mozarabici illustrationem nonnulla subduntur a Roblesio, Aguirrio, & Pinio intacta, ac prætermissa. 223.

CAP. XII.
De Missa Gallicana.

§. I. De Missa Gallicana ante tempora Pipini, & Caroli Magni. Eorum cura Ritus Romanos in Galliam introductos. 224.

N. 1. Seculo labente sexto Gallicanus Missæ Ordo diversus a Romano. 225.

Quin & seculo VIII.

Quis, qualisve hic vetus Gallicanus Missæ Ordo, incompertum, cum de eodem definiendo discrepent Eruditi. *ibid.*

2. Veteris Liturgiæ Gallicanæ in Romanam conversio universali Ecclesiarum Galliæ consensione facta. 226.

§. II. Quæ sit Missa ante annos centum edita ab Illyrico. *ibid.*

N. 1. Matthias Flacius Illyricus quis, qualisve, ex ipsis Sectariis describitur. 227.

3. Missa ab ipso vulgata Catholicæ Ecclesiæ nocitura primum credita, deinde eidem potius favisse detecta. *ibid.*

4. Redarguitur Paulus Colomesius, & ab ejus nota vindicatur Cardin. Bona. 228.

Item Petrus Bayle, qui Colomesio hac in parte suppetias tulit. *ibid.*

§. III.

§. III. Eam veterem Gallicanam non esse, antequam Romana recepta fuerit in Gallia. 229.
§. IV. Nec specialem alicujus Regni, aut Provinciæ, sed unius, aut aliquot Ecclesiarum privata authoritate constitutam. 230.
N. 1. Illyrici Missa vetus Gallicana non est, uti nonnulli existimarunt. 231.
Sed vere Ordinarium Missæ solemnis Pontificalis pro Prælato Pontificalium usum habente dispositum.
Quod pluribus comprobatur.
Refellitur Illyricus, & diversas olim Missas fuisse pro festorum, & temporum diversitate. *ibid.*
Id variis argumentis ostenditur. 232.
Et primo ex Dei præscripto in veteri Testamento.
Ex Sanctis Patribus tum Græcis, tum Latinis.
Item ex praxi antiquissima Ecclesiæ universalis.
Et quidem maxime in præcipuis solemnitatibus Domini, Nativitatis, & Epiphaniæ. *ibid.*
Paschatis, & Pentecostes. 233.
Item Dominicæ Palmarum, & Hebdomadæ sanctæ, seu Passionis Domini.
Ex quibus colligitur id semper Ecclesiasticæ disciplinæ ex vetustissima traditione fuisse.
Quod etiam observatum in Sanctorum solemnitatibus, & primo Martyrum. *ibid.*
Deinde & Confessorum, ac Virginum a seculo quinto. 234.
Reliquis diebus, in quibus Missæ propriæ non sunt, Missæ communes dictæ.
Cardinalis rationibus addita quædam argumenta contra Illyricum.
Ex quibus denuo concluditur Illyrici Missam specialem esse non alicujus Regni, vel Provinciæ, sed Ecclesiæ particularis tantum. *ibid.*
Neque ante annum millesimum composita hæc Missa, quid quid aliter sentiant Arnaldus, & Honoratus a S. Maria. 235.
Et quidem ad usum Ecclesiæ Salisburgensis, vel Monasterii Hornbacensis.
§. V. Ritus Gallicani vestigia ex antiquis Scriptoribus. *ibid.*
N. 1. P. Honorati a S. Maria Censura in Cardinales Bona, & Thomasium, atque Mabillonium exprimitur. 237.
Idem præstantes Viri ab inflicta nota vindicantur. *ibid.*
Dictum P. Honoratum vere hallucinatum, & aberrantem fuisse pluribus argumentis ostenditur. 238.
2. Vindicatur iterum Card. noster ab aliquot Galliæ Scriptorum in ipsum notæ. 239.
Et quidem veterem Gallicanam Missam cum Liturgia Mozarabum convenire demonstratur; hujus quippe septem orationes illi consimiles exhibentur. 240.
§. VI. An idem fuerit Galliæ, & Hispaniæ mos in Divinis Officiis. 241.
N. 1. De Missa S. Martini in Missali veteri Gallicano. 244.
2. De eadem in Missali Gothico.
Eumdem ferme Galliarum ac Hispaniarum morem in Divinis Officiis fuisse plerique docti, etiam Galli cum Cardinali nostro affirmant. Quo pacto prædicti Missales Codices, Gallicanus, & Gothicus Romam advecti sint. *ibid.*
Item Missale Francorum. 245.
3. Joannes Mabillonius notatus circa antiquioritatem Liturgiarum Gallicanæ, & Mozarabicæ. *ibid.*
S. Martini sanctitas statim ubique nota. 246.
Ejusdem cultus in Hispania institutus, ut Priscillianistis infamis hæresiarchæ memoria exprobraretur.
Idque nonnullis probatur conjecturis. *ibid.*
Quin etiam rationibus, & argumentis. 247.
Seculo labente quinto ante Gregorii Turonensis tempora constructa in honorem S. Martini apud Hispanos Ecclesia. *ibid.*
Non solum ex Gregorio Turonensi, sed & Maximi Cæsaraugustani fragmento id comprobatur. 248.
Item ex alio dicti Gregorii monumento.
Quæ autem fuerit hæc Ecclesia, & ubi sita, non clare dignosci potest.
Constat tamen in Hispaniis S. Martini Turonensis memoriæ ædificatam fuisse, & probabilius inter Saguntum, & Carthaginem.
Exinde magnopere auctus in Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali Sanctorum Confessorum cultus. *ibid.*
§. VII. Prædicta de Liturgia Gallicana confirmantur ex sequentibus.
Ordo Missæ in Natali S. Stephani Protomartyris. 249.
Contestatio Missæ. 250.
N. 1. Explicit Missa S. Stephani. 251.
2. Præfatio in Missali Gallicano diversimode a Romano sumpta, & est Oratio qua circumstantes præparantur ad Missam. *ibid.*
3. Missa olim celebrata pro commemo-

memorarione, vel paſſione Sanctorum. 252.
5. Veritatem Dominici Corporis, & Sanguinis in Euchariſtia teſtantur omnes antiqui Galliæ, & Hiſpaniæ Miſſales Libri.
Ex perpetua, & inviolata Eccleſiæ traditione. *ibid.*
Quibus Miſſalibus libris non tam Calviniſtæ, quam Lutherani, ſeu Paniſtæ confuſi, & confixi. 253.
§. VIII. Item ex ſequenti Miſſa S. Germani. *ibid.*
In quinque notis hujus §. reperiuntur nonnulla circa prædictam Miſſam.
N. 6. Novum argumentum de Chriſti Domini præſentia reali in Euchariſtiæ Sacramento contra Sectarios figuriſtas. 256.
§. IX. A quibus hæ Miſſæ compoſitæ fuerint. *ibid.*
N. 1. Harum Miſſarum Author creditus Muſæus Maſſilienſis, nec ſine ratione. 257.
Non tamen omnes, quæ ibi deſcriptæ ſunt, illi adjudicandæ.
Nam plures earum alium videntur habere Authorem.
Inter quas Miſſæ in triduo Rogationum S. Mamerto Viennenſi, vel ejus fratri Claudiano attributæ. *ibid.*
Hæc nihilominus de Liturgia Gallicana, ejuſque conditoribus dicta, obſcura ſunt, & incerta. 258.
2. Certum eſt tantum Gallos olim propriam Liturgiam habuiſſe, & dein Romanum prius Canonem, quam integrum Miſſæ Ritum Romanum acceptaſſe. *ibid.*

APPENDIX.

De Reliquis particularium Occidentis Eccleſiarum Ritibus nonnullis, ac præcipue de Pariſienſi Eccleſiæ Ritu, & de antiquo Aquilejenſi Patriarchino nuncupato.

Qualis fuerit olim apud Britones, & Hibernos ſacrificandi ordo non facile notum.
Anglia per Monachos S. P. Benedicti ad fidem converſa ſeculo ſexto, Romanos Ritus recepit ſeculo octavo. *ibid.*
In Galliis plures Eccleſiæ ſuos peculiares Ritus habere noſcuntur, inter quos præcipue Pariſienſis. 259.
Nonnulla de Ritu Aquilejenſi Patriarchino dicto. *ibid.*
Indicantur pariter duo peculiares Ritus Vercellenſis, & Auguſtæ Prætoriæ Eccleſiarum in Pedemontio, ſuo loco referendi. 260.
Iterum de Ritu Aquilejenſi, ſeu Patriarchino, qui qualis ſit, deſcribitur. *ibid.*
Ritus item Eccleſiæ Curienſis apud Rhætios ſpeciali memoria dignus deſcribitur. 261.

CAP. XIII.

De variis Miſſarum generibus.

§. I. Quæ ſit Miſſa publica, & ſolemnis.
Eamdem generalem, & legitimam eſſe. 262.
N. 1. Miſſa publica latine facta Conſtantinopoli anno 681. in ſextæ Synodi clauſula. 263.
Hujuſmodi Miſſa ſolemnis ante horam tertiam non celebranda perperam a nonnullis Teleſphoro Papæ attributa.
2. Georgium, Calixtum, alioſque damnati furfuris homines connotat circa diſcrimen inter Miſſam ſolemnem & publicam.
3. Miſſa perfecta, & imperfecta quæ. Item legitima. *ibid.*
4. Miſſa publica non a loco publico dicta, ſed a conventu populi aſſtantis. 264.
§. II. Miſſam ab initio ſic inſtitutam, ut ei populus adeſſet, offerret, & communicaret. *ibid.*
N. 1. Afferuntur plures Eccleſiæ orationes, quibus Miſſam ab initio ſic inſtitutam, ut ei populus adeſſet, offerret, & communicaret, oſtenditur. 265.
2. Idem confirmatur aliis veterum teſtimoniis.
3. Hæc quotidiana veterum fidelium communio in Occidente frequentata, in Oriente non ita. 266.
4. Ubi die tantum Dominico obſervata, & præcipue apud Monachos.
Dicta Dominicalis communio Cleri, & populi nomiſi ad Miſſam ſolemnem facta, quæ inde variis nominibus, ut infra nuncupata.
Miſſa principalis, & Conventualis.
Dominicalis.
Canonica.
Super populum.
Parochialis.
Dominica, Aurea.
Cantata, Communis. *ibid.*
§. III. Miſſæ publicæ cur vetitæ in Monaſteriis.
N. 1. Iterum de Miſſa publica a populi conventu dicta. 267.
2. Monachorum quieti, & indemnitati conſulens S. Gregorius Magnus vetuit apud ipſos Miſſas publicas fieri. *ibid.*
3. Neque ideo prohibitum olim Epiſcopis Miſſas celebrare in Monaſteriis, ſed tantum cum magno

magno comitatu, & Laicorum plurium interventu. 268.
4. Ipſis autem Monachis ſemper licuiſſe Miſſas ſolemniter decantare excluſis ſecularibus concluditur.
§. IV. Miſſæ privatæ, & ſolitariæ diſcrimen. Origo ſolitariæ a Monachis. *ibid.*
N. 1. Vindicabitur Emin. Author contra Binghamum circa Miſſæ privata ſententiam in peculiari Diſſertatione in fine Operis.
2. Miſſæ privatæ variis injurioſis, ac blaſphemis nominibus, & dicteriis impetitæ a Luthero. 269.
Item a Joanne Calvino Hæreſiarchis, qui refelluntur, & exprobrantur. *ibid.*
Præfatos populorum ſeductores res jam toties jugulatam, & repreſſam Anomæorum hæreſim recoxiſſe demonſtratur. 270.
Lutherus, & Calvinus Athei potius, quam Chriſtiani, dum Apoſtolos Chriſti diſcipulos non audiunt.
Nullibi præceptum legitur, quod Sacerdos nonniſi in publico, populoque ipſo communicante Sacrificium offerat. *ibid.*
Miſſa privata veri ac legitimi Sacrificii naturam, quidditatem, & eſſentiam habet. 271.
Cum, etiamſi nullus præter Sacerdotem communicet, omnia ad veri Sacrificii rationem exhibeantur, & inſint.
3. Miſſæ ſolitariæ exempla duo.
4. Eædem Miſſæ olim nonnullis ex indulgentia conceſſæ. *ibid.*
§. V. A quibus, & quando prohibita Miſſa ſolitaria. 272.
In hoc §. adſunt nonnullæ notulæ exprimentes prædictam prohibitionem.
§. VI. An, & quatenus eadem Miſſa ſolitaria nunc licita ſit. 273.
N. 1. Clerici olim Miſſæ miniſtri. 274.
Nunc etiam Laici ex Eccleſiæ tolerantia.
Dummodo idonei, honeſti, ac decenti habitu induti ſint. *ibid.*
Quam fructuoſum ſit divino Sacrificio miniſtrare, docet S. Bonaventura. 275.
4. Cæterum Miſſam ſine miniſtro celebrare non in ſe abſurdum, niſi quia id Eccleſiaſticis legibus prudentiſſime interdictum. *ibid.*

CAP. XIV.

De Miſſa privata, ejuſque perpetuo uſu.

§. I. Miſſæ privatæ perpetuus uſus Veterum teſtimonio, & exemplis probatur ab initio Eccleſiæ & deincepe. 276.
(*Ad pag.* 277. *legendum*, De Miſſa privata, ejuſque perpetuo uſu.) 277.
N. 1 Variæ item Miſſæ privatæ denominationes a multiplici ratione deductæ. 278.
A Loco, Tempore, Fine, a paucis adſtantibus, ab Altari, in quo celebretur, denique a ſolo Sacerdote communicante. *ibid.*
Quam Miſſam privatam ſic dictam fruſtra impetunt Sectarii Miſoliturgi. 279.
Nam nulla Miſſa ex communi uſu Eccleſia celebrata dicenda eſt privata, cum omnes ad communem Fidelium utilitatem, & ſalutem pertineant.
2. Veterum teſtimonia de Miſſa privata, ſeu quotidie celebrata. *ibid.*
Tum in Eccleſia Occidentali, tum in Orientali. 280.
3. Celebri Theodoreti teſtimonium.
4. Plures Calices aurei, & argentei uni tantum Eccleſiæ aſſignati &c.
6. Alia item exempla Miſſæ privatæ in Eccleſia Occidentali.
7. Et quidem celebratæ uno tantum miniſtro aſſiſtente, ac in Oratorio privato, idque ſeculo ſexto. *ibid.*
9. Eædem quotidie celebratæ a piis, ſanctiſque viris ſeculo ſeptimo. 281.
Miſſa cantata eadem olim ac recitata, ſeu lecta.
§. II. Idem variis argumentis oſtenditur. *ibid.*
N. 1. Reſpondetur Hæreticorum argumentis contra Miſſam privatam. 282.
Nam quod antiquitus ubique, ſemper, & ab omnibus in uſu fuit, recens inventum aſſerere, nonniſi inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. 283.
Vel ipſe hæreſiarcha Joannes Hus Miſſam non abhorruit, ſed eam, quamvis excommunicatus, celebrare voluit.
Et nihilominus illum noſtri temporis Sectarii ſummis laudibus efferunt, & tamquam martyrem habent. *ibid.*
2. Miſſæ pro defunctis particulariter quotidie celebratæ Miſſam privatam indicant. 284.
3. Eadem item deducitur ex multitudine Sacerdotum, qui quotidie ſacris operari ſolebant.
4. Quoſque ſpecialibus Eccleſiis addictos fuiſſe non conſtat.
5. Cum titulo, & Eccleſia carerent. *ibid.*
§. III. In una Eccleſia plura Altaria, pluresque Miſſas olim fuiſſe. 285.
N. 1. In una, eademque Eccleſia diverſa Sanctorum corpora condita

dita, ac ſingula cuique Altaria erecta, in quibus Miſſæ celebratæ. 286.
2. Seculo VIII. in Baſilica S. Pauli ad Altaria quinque Miſſæ quotidie celebratæ.
3. Plura etiam Altaria in eadem Eccleſia dicto ſeculo octavo fuiſſe comprobatur.
4. Græcis unum tantum Altare in qualibet Eccleſia.
5. Quin & Latinis antiquitus uſitatum fuiſſe videtur. *ibid.*
6. Card. Bona a Scheleſtratii nota vindicatus. 287.
Cum plura quam in contrarium ſint ſuppetant de variis Altaribus veterum documenta.
Et quidem in utraque Eccleſia Latina, & Græca jam a ſeculo quarto.
Ex quibus omnibus conſtat plura fuiſſe in una eademque Eccleſia Altaria, in quibus Miſſæ celebrarentur.
8. Quin & Capellas, ſeu ædiculas extra Eccleſiam conſtructas, in quibus etiam offerretur Sacrificium. *ibid.*
§. IV. Item probatur plures Miſſas olim fuiſſe. 288.
N. 1. Fidelium communio quotidiana perſecutionum immanitate ceſſante imminui cœpit.
2. Quando plures Miſſæ in una, eademque Eccleſia dici cœperint, non ita facile definire eſt. *ibid.*
Id tamen a primis ſeculis in uſu fuiſſe demonſtratur, jam a ſeculo tertio. 289.
Neque privatim tantum, ſed & publice plures Miſſæ in eadem Eccleſia dictæ ſec. 4.
3. Quin etiam iteratum Sacrificium, quoties legitima obvenerit cauſa.
4. Vindicatur Card. Bona a cl. viri Baldini cenſura. *ibid.*
Conſtitutum Papæ Deuſdedit non de privata, ſed de Miſſa ſolemni intelligendum. 290.
Miſſæ plures, vel pauciores juxta majorem minoremque Feſtorum ſolemnitatem aſſignatæ.
§. V. Miſſæ ſine communicantibus antiquiſſimæ. *ibid.*
N. 1. Miſſæ ſine communicantibus antiquiſſimæ ex Chryſoſtomo. 291.
Et ante ipſum ex Origene.
Licitum quippe iis, qui Miſſæ aſſiſtebant, communicare, vel non. *ibid.*
Cum benedictio populi ante communionem præmitteretur, & hac accepta cuique licitum eſſet diſcedere. 292.
3. Idque in utraque Eccleſia Latina, & Græca.
Refutatur falſa Novatorum perſuaſio, qua Miſſam antiquitus nunquam a fidelibus auditam, quin una communicarent, perperam ſentiunt.
4. In prioribus etiam Eccleſiæ ſeculis permiſſum fidelibus a communione Euchariſtiæ ex reverentia quandoque abſtinere. *ibid.*
Exponitur Canon X. Apoſtolorum circa communionem. 293.
Qui Canon non afficit, niſi Quartadecimanos fidelium communionem averſantes.
Ita pariter Audæanos Canon 2. Concilii Antiocheni ferit.
Non vero Catholicos juſta ex cauſa de Eccleſia exeuntes. *ibid.*
§. VI. Diluitur objectio ex Epiſtola Sancti Franciſci. 294.
N. 2. Epiſtola Sancti Franciſci primum dubia, deinde Seraphico Minorum Parenti vere adjudicata. 295.
Nihil autem ex ea contra vetuſtiſſimum Miſſæ privatæ uſum a Miſoliturgis colligi poteſt.
Non enim primus, aut ſolus docuit Sanctus Franciſcus quandoque ex reverentia abſtinendum a Sacrificio. *ibid.*
Id namque in uſu fuiſſe apud Monachos Occidentales oſtenditur. 296.
Neque illicitum, aut contemnendum nonnulli reputant Theologi.
Ut cum majori poſtea diſpoſitione Sacerdos ad Sacrificandum accedat.
Aliæ rationes, quibus fortaſſe motus Sanctus Franciſcus hortatur fratres ſuos, ne quotidie celebrarent.
Quæ & qualis ſit ea una tantum Miſſa, ad quam celebrandam in die monet ſuos Seraphicus Pater. *ibid.*
Hæc unica Miſſa in die ab omnibus audienda, ſolemnis in feſtis, privata in reliquis diebus videtur fuiſſe. 297.
Confirmatur hæc noſtra qualiſcumque de Epiſtola S. Franciſci ſententia.
Miſſæ denique privatæ teſtes publici vel ipſi veteres Mundi Reges, ac Seculi Principes. *ibid.*

CAP. XV.

De Miſſis de Tempore, & de Sanctis, &c.

§. I. Alia quædam Miſſarum genera. Miſſarum de Tempore & Sanctis ratio, & antiquitas. 298.
N. 1. De diebus, quibus Nativitas Domini, ejuſque Apparitio celebrari deberent, plures veterum extitere ſententiæ. 299.

Epiphania, ſeu Apparitio Domini feſtum in utraque Eccleſia celeberrimum.
De Paſchali item feſto quoad diem conſignandam nonnullæ veterum opiniones.
Paſcha a feſto Reſurrectionis apud quaſdam Eccleſias aliquo modo diſtinctum.
Ex varia Lunationum computatione ortum de Paſchate diſſidium. *ibid.*
Et primum ſeculo ſecundo. 300.
Hujus diſſidii cauſam Sanctus Leo Magnus perſpicue teſtatur.
Alexandrino Patriarchæ delatum a Concilio Nicæno Paſchalis diei ad Apoſtolicam Sedem indicatio.
Exinde ortæ Paſchales Epiſtolæ veterum, quæ adhuc extant. *ibid.*
Deinde inſtituti aureus numerus, & Cyclus literarum Dominicalium. 301.
Demum ut omnia deinceps viterentur abſurda novum editum Kalendarium Gregorianum dictum.
Paſchalis Solemnitas quomodo antiquitus celebrata.
Eadem per octo continuos dies olim obſervata. *ibid.*
Uſque ad Seculum XI. quo ex decreto Concilii Conſtantienſis ad tres tantum dies redacta eſt, ſicuti & Pentecoſtes. 302.
§. II. Eadem Miſſarum de Sanctis ratio, & antiquitas. *ibid.*
N. 1. Sacrificia de Sanctis pro eorum commemoratione, & honore celebrata. 303.
Ut ipſi pro nobis intercedant apud Deum.
2. Natalitiæ Martyrum Solemnitates in eorum e mortuali die celebratæ.
3. Eæque jam ab initio Eccleſiæ ex Apoſtolica traditione. *ibid.*
4. Quæ tamen in Quadrageſima non agebantur niſi Sabbatis, & Dominicis, maxime apud Orientales. 304.
5. Sanctorum Confeſſorum Solemnitates ſerius, quam Martyrum in Eccleſia receptæ.
Sanctorum feſtivitates ex aliorum Patrum teſtimoniis comprobatæ. *ibid.*
Sanctis tamen Confeſſoribus, Virginibus, aut Viduis, qui ſanguinem non fuderunt, ſacer quidem cultus delatus, non autem publicus. 305.
Uti hallucinatus eſt Clariſſimus Jacobus Laderchius, qui idcirco ex ſuprædictis refutatur.
Quibus etiam Sanctis Confeſſoribus, Virginibus, &c. venerationem aliquam privatam fatem, præſtitam fuiſſe non negat Cardinalis noſter. *ibid.*
Id enim fatetur pleriſque locis aliique cum ipſo teſtantur. 306.
§. III. Quæ ſint Miſſæ votivæ. *ibid.*
N. 1. Miſſæ votivæ antiquiſſimæ a primis Eccleſiæ ſeculis. 307.
2. Indicantur nonnulli Authores qui de Miſſis votivis agunt.
§. IV. Sacrificium pro Defunctis ex Apoſtolica traditione offerri. *ibid.*
N. 1. Traditio Apoſtolica Miſſarum pro Defunctis veterum actis, & exemplis comprobatur. 308.
2. Item plurium Sanctorum Patrum utriuſque Eccleſiæ teſtimonia. *ibid.*
Ita etiam quoad Syros Sanctus Ephrem quarti Seculi Doctor, & ſcripto, ac facto declarat. 309.
3. Refelluntur Sectarii Catholicum hoc dogma de Suffragiis Defunctorum negantes.
Qui vel inviti fatentur veteres Patres Sacrificia pro Defunctis approbaſſe. *ibid.*
Ac propterea contra ipſos vindicantur Sacri Macabæorum Libri ab iis rejecti. 310.
Ex pleriſque magni Auguſtini authoritatibus, quem Calvinus ipſe unum pro omnibus ſufficere non diffiteretur.
Aliæ rationes, & momenta, quibus hæc Catholica veritas comprobatur. *ibid.*
Contra hanc veritatem nemo ante ſeculum IV. reclamavit, niſi Aetius. 311.
Quem idcirco omnes Occidentis, & Orientis Eccleſiæ uti hæreticum condemnarunt.
Hinc perſpicue mendax evincitur Kemnitius, qui non in tota Eccleſia, ſed alicubi tantum ſacrificatum pro mortuis temere aſſerit.
Quem, alioſque illius gregales confodiunt Patres, qui non de precibus tantum pro defunctis, ſed de Euchariſtico Sacrificio expreſſe loquuntur pro ipſis oblato. *ibid.*
Quod Sacrificium ipſis defunctis propitiatorium eſſe teſtantur. 312.
Id vel ipſi innuunt Novatorum Protoparentes Vvicleffus, & Hus.
Iterum nuperi Rerum Eccleſiaſticarum Angliæ Scriptores.
Hinc contra antiquiſſimam ab univerſa Eccleſia receptam traditionem non habent quid reponant Sectarii. *ibid.*
Adeoque vere Hæreticos, ac vitandos eſſe conſtat, qui hanc Apoſtolicam fidem negant, & vanum orare pro mortuis affirmant. 313.

Cum

Cum ex Auguſtino, quod univerſa per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ ſit.
Supradicta omnia confirmant Societates illæ jam ab initio ſec. VIII. inſtitutæ pro ſuffragiis mortuorum. *ibid.*
Nedum apud Monachos, verum & apud Clericos, & Laicos. 314.
Item anniverſaria perpetua Miſſarum, & precum pro defunctis jam a primis Eccleſiæ ſeculis obſervata.
Quod & multis item comprobatur exemplis Regum, ac Præſulum Angliæ &c.
Parænefis ad florentiſſimi Regni Angliæ, aliarumque Septentrionalium Provinciarum nobiles incolas. *ibid.*
Dies pro defunctorum peculiari commemoratione antiquitus, & nunc obſervati. 315.
Græci ex veterum traditione defunctorum memoriam in Miſſa uſque ad Quadrageſimum diem protrahunt. 316.
Nuper apud Latinos peculiaris defunctorum memoria uſque ad centeſimum ab obitu diem protracta.
(*In hac nota lege* memoria.)
4. Eadem & apud Gentiles quotannis celebrata. *ibid.*
§. V. De Miſſa Præſanctificatorum, ſive ante conſecratorum. 317.
N. 1. Miſſa Præſanctificatorum ab Humberto Card. ſec. XI. Græcis indiſcrete nimis impetita.
Reſpondetur ejuſdem exceptionibus adverſus Græcos circa Miſſam Præſanctificatorum ab ipſis obſervatam. *ibid.*
Miſſæ Præſanctificatorum originem veroſimillimum eſt ad annum circiter 367. conſignari debere. 318.
2. Præſanctificatorum Miniſterium.
3. Deſcribitur Ritus Miſſæ Præſanctificatorum apud Græcos.
4. Qui tamen non ubique ſimili modo apud ipſos retentus.
An, & quando hujuſmodi Miſſa apud Latinos cœperit. *ibid.*
§. VI. De Miſſa, quam ſiccam vocant. 319.
Miſſa ficca quæ ſit, & a Durando deſcripta, quæ etiam nautica dicitur. *ibid.*
N. 1. Miſſam ſiccam cum Miſſa Præſanctificatorum confundentes. 320.
2. Miſſa ficca a præcipuis Theologis reprobata.
Item a pluribus Synodis Provincialibus hoc loco, & nota 4.
3. Miſſa ficca pleriſque eadem ac Nautica.
4. Miſſæ ſiccæ mentio jam ante nonum ſeculum. *ibid.*
5. Adhuc alicubi vigere hujus Miſſæ ſiccæ uſum ſcribunt nonnulli. 321.
Atque Indultum Chartuſianis aliiſque Clauſtralibus, ut illas in ſuis cellis celebrare poſſint.
§. VII. Refertur quorumdam abuſus, qui plures Miſſas in unam congerebant.
N. 1. Miſſæ biſaciatæ, triſaciatæ, quadriſaciatæ &c. ſic dictæ quia plures ſub uno Canone concluſæ. *ibid.*
2. Miſſa pro inimicis ſacrilege olim uſurpata, & damnata Seculo VII. 322.
Aliæ Miſſæ, quæ ab Eccleſia ſuſpenſæ, vel non approbatæ, aut prohibitæ ſunt.
Aliæ item Miſſæ ab indicatis diverſæ, ac pleriſque in locis uſitatæ. *ibid.*

CAP. XVI.

De Miſſa Catechumenorum, & Fidelium, &c.

§. I. Duplex Miſſa Catechumenorum, & Fidelium. Utriuſque ratio, & origo. Miſſæ Catechumenorum quinam adeſſent. 323.
N. 1. Arcani diſciplina quæ? & quam ſtricte priſcis ſeculis obſervata. 324.
Coram Catechumenis, & Judæis, & Gentilibus, non autem pro fidelibus initiatis.
Atque hæc ex traditione Apoſtolica, quoad omnia Chriſtianæ Religionis myſteria contra Sectarios.
Ex quibus Samuel Baſnagius cum iis confutatur. *ibid.*
Cum & ipſe Chriſtus Dominus Arcani diſciplinam religioſe a fidelibus cuſtodiendam, & verbo docuerit, ac exemplo. 325.
Eamdemque Apoſtoli a Chriſto, ab Apoſtolis Patres, & Majores noſtri acceperint. *ibid.*
3. Quibus precibus, & pſalmis conſtaret olim Miſſa Catechumenorum, cui omnes admittebantur etiam Infideles. *ibid.*
4. Initio Eccleſiæ Catechumeni ante Evangelium expulſi, deinde poſt idem, & Epiſcopi ſermonem dimiſſi. 326.
De Catechumenis primæ claſſis, ſcilicet Audientibus intelligendus Canon Concilii Carthaginenſis.
Catechumeni non intra Eccleſiam, ſed domi, atque inter privatos parietes eruditi.
Uti de Origene Catechiſta contra Rufinum oſtendunt Valeſius, & Huetius.
Cardinalis noſter a Scheleſtratii nota vindicatus.
Item aliis argumentis compro-

batur Catechumenos extra Eccleſiam edoctos fuiſſe. *ibid.*
5. Duos olim in Eccleſia habitos fuiſſe ſermones fere unicus putat Morinus. 327.
6. Confirmantur ex Binghamo ſuperius aſſerta a Card. noſtro.
10. Sponſores Catechumenorum, qui?
§. II. Veteris Eccleſiæ erga Catechumenos diſciplina. Altum de myſteriis ſilentium illis præſentibus.
Non omnia Religionis myſteria Catechumenis expoſita. *ibid.*
Canone 37. Concilii Illiberitani fruſtra abutuntur Sectarii contra ſacrarum Imaginum cultum. 328.
N. 1. Quæ autem myſteria in Oriente Catechumenis expoſita, & quæ occultata, ex Origene, & Cyrillo deſcribuntur. 329.
Nedum in novo, ſed & antea in Veteri Teſtamento quoad aliquod arcani diſciplina obſervata.
Triplici ex ratione eamdem diſciplinam olim Patres religioſe obſervarunt.
Inde antiqui Scriptores quandoque metaphoris, allegoriis, & figuris locuti. *ibid.*
2. Orationem Dominicam audiebant Catechumeni poſt Symboli traditionem. 330.
4. Myſteria SS. Trinitatis, & Sacroſanctæ Euchariſtiæ Catechumenis occultata.
Benedictini Patres S. Ambroſii Operum editores tantiſper notati. *idid.*
Catechumenis Competentibus prius traditum Symbolum Nicænum, poſtea Conſtantinopolitanum. 331.
5. Canonem 37. Concilii Illiberitani Baronius ſuppoſititium ſuſpicatur.
6. Plerique doctiores viri huic Canoni interpretando inſudarunt. (*pag.* 331. *ad iſtam notam* 6.) (*ad lin.* 3. *lege* interpretando)
7. Canon iſte pro Catechumenis potius, ac Gentilibus, quam pro Fidelibus conditus. *ibid.*
Vetuerunt ſiquidem Illiberitani Patres ſacras Imagines depingi in parietibus, ne ab irruentibus in Eccleſiam Paganis, eorum ludibrio, & deriſioni exponerentur. 332.
Neve etiam profanis hominibus quod a Chriſtianis colitur, & adoratur, exploratum fieret.
Quare dictos Illiberitanos Patres in eo Canone non ad aliud reſpexiſſe, quam ad perſecutionis tempus manifeſtum eſt.
Hinc tantum abeſt ut eo Canone ſacrarum Imaginum cultus infringatur, quin ex ipſo magis roboretur. *ibid.*
Cum nihilominus poſt editum dictum Canonem ſacrarum Imaginum cultus perſeveraverit in Hiſpania, & alibi. 333.
Quod pluribus veterum teſtimoniis comprobatur.
Eadem ratione ſupradicta Illiberitani Patres vetarunt ne, cerei in Cœmeteriis accenderentur, ut ſcilicet Paganis occulta eſſent ſepulcra Martyrum. *ibid.*
(*pag.* 333. *col.* 2. *in*) (*marg. delendum* tres.)
§. III. Præcipue de Sacramento Euchariſtiæ, quod illis inter cætera ſtudioſius occultatum erat. 334.
N. 1. Euchariſtiæ Sacramentum præ cæteris ſtudioſius occultatum profanis, & non initiatis. 335.
Idque fatentur etiam nonnulli ex Acatholicis Scriptoribus. *ibid.*
2. Marcionitæ, & alii hanc diſciplinam arcanorum ſpernunt. 336.
3. Ex hac Arcani diſciplina deducitur Romanus Conſtantini Magni baptiſmus. *ibid.*
Qui Romanus Conſtantini baptiſmus pluribus teſtimoniis, & rationibus comprobatur. 337.
Si enim Nicomediæ ab Ariano Epiſcopo baptizatus fuiſſet, Eccleſia Latina ut pium, Græca ut ſanctum non coluiſſent, & colerent.
Neque illi divinis intereſſe Myſteriis, neque in Nicæno Concilio cum Epiſcopis ſedere permiſſum fuiſſet. *ibid.*
Pagii, & Papebrochii exceptionibus in contrarium ſatisfit, & ex ipſo Euſebio. 338.
Reſponſio 1. 2. 3. *ibid.*
Reſponſio 4. 339.
Alteri Pagii objecto occurritur.
Card. Bona contrariæ opinionis falſo ſuppoſitus vindicatur. *ibid.*
Afferuntur ejuſdem Card. loca, quibus Romanum Conſtantini baptiſmum adfirmat. 340.
Objectio ex Claudii Caſtellani Pariſienſis Canonici Epiſtola quadam ad Papebrochium ſcripta diſſtatur.
Melchior Canus non admodum a Papebrochio intellectus.
Canonici Pariſienſis Epiſtola valde ſuſpecta. *ibid.*
Eadem ex alia dicti Canonici Epiſtola ad Cardinalem ſcripta reprobatur. 341.
Atque ex ipſo Emin. Authore qui in ſecunda ſui Operis editione nihil hoc de argumento emendavit.
Cardinalis de ſe ipſo teſtimonium perhibentis authoritas cuicumque prævalet exceptioni. *ibid.*

Ejuſ-

Ejuſdemque probitas, prudentia, & circumſpectio aliter opinandum vetant. 342.
4. Ritus Salis Catechumenis dati Eccleſiæ tantum Latinæ, non Græcæ uſitatus.
5. Idem Sal Catechumenis miniſtratum in die Paſchatis Euchariſtiæ loco.
6. Neophitis in Eccleſia Occidentali traditum vinum, & lac, uſitatius tamen lac, & mel.
An autem idem in Catechumenatu iis datum, diſputant Eruditi. *ibid.*
§. IV. Quot fuerint Catechumenorum claſſes. 343.
Quatuor Catechumenorum claſſes. Scilicet Audientium, Subſtratorum, Competentium, & Electorum.
N. 1. Declaratio Infidelium in amplectendo Fidem &c. *ibid.*
2. Prima claſſis Audientium; qui? olim a Latinis Patribus Audientes, & Catechumeni promiſcue dicti. 344.
3. Eædem quatuor Catechumenorum claſſes contra Baſnagium vindicantur.
(*ad hanc notam in margine*) (*pag.* 344. *lege* vindicantur)
Veterum de Liturgicis Rebus Scriptorum ſilentium non obſtat, cum ii ſcripſerint, quando nulli amplius erant Infideles, *ibid.*
Ex variis Conciliorum, ac Patrum locis dictæ quatuor Catechumenorum claſſes comprobantur. 345.
4. Competentes quare ſic dicti.
5. SS. Patres Electos a Competentibus ut plurimum non diſtinguunt.
Prædictæ quatuor Catechumenorum claſſes per ſuos gradus diſcernuntur. *ibid.*
§. V. De tempore Catecheſi conſtituto. 346.
Catecheſis tempus varium pro diverſitate perſonarum, & regionum. *ibid.*
N. 1. Olim ordinarium Catecheſis tempus triennium erat. 347.
Deinde biennium.
In nonnullis etiam Eccleſiis ad ſeptennium, & ultra protractum.
Poſtea octo menſibus concluſum.
2. Demum poſt aliquot ſecula ad 40. dies redactum.
Et ſacri Paſchatis, Pentecoſtes, Natalis Domini, ac Epiphaniorum dies Baptiſmo ſolemniter conferendo deſtinati.
Item quivis ſolemniſſimus dies Baptiſmo miniſtrando obſervatus. *ibid.*
Sed tandem, & denuo ad ſolos Paſchatis, ac Pentecoſtes dies idem baptiſmi ordinarium tempus redactum. 348.
Quod tamen in Epiſcopi teſtate, & prudentia relictum, ac de more intra 40. dies contractum.
Quin & brevior quandoque juxta perſonarum rationem erat Competentium catechiſmus.
3. Hinc inquiſitum ſuper eorum vitam, & mores, atque ex iſtis illi, vel citius, aut tardius admiſſi, vel etiam expulſi. *ibid.*
4. Arnobii locus, quo Catechumenos indicat, deſcriptus. 349.
5. Gentiles quoque ſacris ſuis profanos arcere ſolebant.
Denuo vindicatur cum Card. noſtro Emm. Scheleſtratius pro Arcani diſciplina, ut ſupra §. 1. & ſeqq.
Et quidem ex ipſis Sectariis. *ibid.*
§. VI. Expulſio Catechumenorum ab Eccleſia quo ſeculo deſierit. 350.
In Eccleſia Latina circa ſeculum 7. obſoleta. *ibid.*
N. 1. Ampliatio cultus divini, ac diverſorum Ordinum inſtitutio. 351.
2. Cardinalis, & Morini ſententia circa expulſionem Catechumenorum contra Scheleſtratium vindicatur.
Exponitur Theodulphi Aurelianenſis locus ex adverſo objectus. *ibid.*
3. Reſervatio aliquorum infantium Chriſtianorum ad ſolemne Paſchatis Baptiſma. 352.
(*ad hanc Notam* 3. *pag.* 352. *lege* ad ſolemne.)
4. Poſt expulſionem Catechumenorum permanentia fidelium ad Miſſam Sacramentorum.
§. VII. Expulſi cum Catechumenis etiam Pœnitentes, & Energumeni.
In Eccleſia Græca vetus Catechumenorum expulſionis formula, etſi nulli eorum, nulli Pœnitentes ſint, adhuc obſervata.
Energumeni apud Dionyſium Areopagitam qui ſint. *ibid.*
Energumeni proprie dicti qui corporaliter a Diabolo poſſidentur. 353.
Lutherus Hæreſiarcha puellam a Dæmone obſeſſam fruſtra liberare tentat.
In vanum item laboraverunt in idem Lutherani miniſtri.
Quare nulla apud Sectarios, bene quidem & unice apud Catholicos expellendorum Dæmonum poteſtas reſidet.
Varia antiquitus circa Energumenos diſciplina. *ibid.*

Quod

Quod plerisque comprobatur argumentis. 354.
Energumenis Fidelibus quando sit communio danda.
Iidem, si Clerici, quandiu ab Altare arcendi. *ibid.*

CAP. XVII.
De quatuor Pœnitentium Classibus, &c.

§. I. Quibusdam olim peccatis negata venia. 355.
N. 1. Hujus sententiæ Doctores bene multi proferuntur. *ibid.*
Qui tamen in duas Classes dividi possunt, eorum scilicet qui pro severiori, & aliorum, qui pro leniori in lapsos disciplina certant. 356.
Cui posteriori sententiæ nonnulli ex recentioribus Clarissimi subscribunt.
2. Adulteri ad Pœnitentiam admissi.
Christianus Lupus Card. Bona subscribit.
Qui tamen nonnihil excessit dicens Zephyrinum hujus clementiæ Authorem primum fuisse. (*Ad hanc notam in margine*) (*pag.* 356. *lege* clementiæ.)
Hæc etenim in lapsos pœnitentes clementia jam ab initio Ecclesiæ obtinuerat. *ibid.*
Quæ tamen in aliquibus Ecclesiis ad severiorem disciplinam redacta fuit. 357.
Tertullianus antequam Montanista, veniam lapsis dandam propugnat.
Assignantur rationes cur hæc severior disciplina duraverit. *ibid.*
Sequuntur super hanc materiam aliæ notæ nempe 3. 4. 5. 358.
6. In Africana Ecclesia alii rigidioris, alii mitioris sententiæ.
Sequitur super hanc sententiam nota 7. *ibid.*
8. Varia quoad pœnitentes in mortis discrimine constitutos ante Concilium Nicænum disciplina. 359.
Nicæni Patres ultimi, ac necessarii viatici nomine simplicem absolutionem sacramentalem intelligunt.
Moribundi pœnitentes, si convalescebant, denuo in ordine pœnitentium stabant.
Vetus pœnitentialis disciplinæ rigor etiam post Zephirinum in aliquibus locis adhuc observatus. *ibid.*
Et denuo per Summos Pontifices jam a seculo quinto in Gallia, aliisque Provinciis repressus. 360.
Hinc singularis Ecclesiæ Romanæ prærogativa lapsis pœnitentibus misereri semper & parcere.
Concluditur denique neminem lapsum, & contritum, præcipue in fine vitæ a venia, & reconciliatione exclusum fuisse. *ibid.*
§. II. Omnibus peccatis venia concessa. 361.
Pœnitentis descriptio ex Tertulliano, & Eusebio. *ibid.*
N. 1. Perpetui pœnitentes fere nunquam ad Consistentiæ gradum admissi. 362.
Relapsis olim negatam omnem reconciliationem cum Ecclesia tum solemnem, tum privatam nonnulli affirmant.
At verius solemnem quidem & publicam negatam fuisse, non autem simplicem, ac privatam affirmandum est. *ibid.*
§. III. Pœnitentium quatuor Classes, scilicet Flentium, Audientium, Substratorum, & Consistentium. 363.
N. 1. Ab Ecclesiæ exordio usque ad hæresim Novati, tertium scilicet seculum nullum publica lege definitum tempus pœnitentiæ.
Primus, qui quatuor pœnitentium gradus memoret, Gregorius Thaumaturgus. *ibid.*
Speciatim vero S. Basilius, qui eosdem describens explicat. 364.
Has postea pœnitentium Classes Latini a Græcis mutuarunt.
Et demum seculo quarto ineunte, scilicet Constantini ævo.
§. IV. De singulis eorum gradibus, & Classibus, ipsarum origine, statione, & disciplina.
Pœnitentium gradus primus Flentium.
Secundus Audientium. *ibid.*
Tertius Substratorum. 365.
Quartus Consistentium.
1. Pœnitentium habitus lugubris.
Constituti in eodem ordine, & Principes pœnitentes. Philippus Imperator. *ibid.*
Theodosius Imperator. 366.
Ludovicus Pius Imperator.
Edgarus Anglorum Rex, aliique.
In primo pœnitentiæ gradu, scilicet Flentium constituti extra Ecclesiam in porticu, seu area stabant.
2. Audientes in secundo gradu stabant ad fores Ecclesiæ in propylæo, seu vestibulo. *ibid.*
3. Describitur quid veterum Ecclesiarum propylæum, sive vestibulum fuerit. 367.
4. Quidve etiam Narthex apud Græcos.
An intra Ecclesiam, vel ad ejus limen Audientes olim constituti fuerint, disputant Eruditi.
Narthecis appellatione vocatæ a Græcis Porticus sacrarum Ædium. *ibid.*

Ac proinde extra Eccleſiam, ſeu Eccleſiæ ſepta. 368.
5. Cum his pœnitentibus Audientibus conſtituti Æthnici, Judæi, Hæretici, Schiſmatici, & primi generis Catechumeni.
6. Confirmatur authoritate, quæ de Subſtraris affert Card. Bona.
Chriſtianus Lupus notatus. *ibid.*
Africani ſiquidem Patres non de ſubſtratione, ut tertia pœnitentium Claſſe loquuntur, ſed de ſimplici peccatorum confeſſione. 369.
Tres Eccleſiaſticæ pœnitentiæ partes a Tertulliano commemoratæ.
Itemque a Cypriano.
Unde perperam a Chriſtiano Lupo traducuntur ad Subſtratos, quæ dicti Patres ad ſimplicem exomologeſim referunt.
Pœnitentium Subſtratorum mentio in Synodo Ancyrana initio ſeculi IV.
Quibus genuflexis pœnitentibus manus a Sacerdotibus imponebantur. *ibid.*
Et quidem Laicis tantum, non vero Eccleſiæ miniſtris ſacræ ordinationis manum habentibus, qui detrubebantur in Monaſteriis, aut alio in loco Epiſcopi juſſu. 370.
Indicatur locus ſtationis hujus tertii Ordinis pœnitentium Subſtratorum.
7. Conſiſtentes ita dicti quod ſimul cum fidelibus in Eccleſia conſiſterent.
Non tamen jus offerendi, & Chriſti Corpori communicandi haberent.
Qui pœnitentes defuncti eumdem, etiam ac ſimilem gradum ac locum habebant. *ibid.*
8. Conſiſtentium Ordinem quatuor hominum genera implebant, qui deſcribuntur. 371.
9. Quatuor hiſce pœnitentium Claſſibus nonnulli, ſed perperam, addunt gradum perfectionis. *ibid.*
Iſtorum etiam pœnitentiæ graduum aliquem nonnullis tranſgredi conceſſum. 372.
Idque ex Epiſcoporum arbitrio pendebat ut per omnes, aut pauciores, per longum, aut breve tempus tranſigerentur pœnitentiæ gradus.
Quatuor item pœnitentium generibus venia, ſeu reconciliatio facile conceſſa.
Hujuſmodi publice pœnitentes, etſi in Eccleſia a Fidelibus ſejuncti, cum iis tamen extra Eccleſiam communicabant. *ibid.*
Quin & in Eccleſia inter ipſos varia cum Fidelibus communio. 373.
Non autem in oblatione, aut nominum recitatione cum dictis Fidelibus iidem publici pœnitentes communicabant.
Pœnitentes ob graviſſima crimina relegati extra Eccleſiam ſemel in anno intra ejuſdem fores admittebantur.
V. De Mulierum Pœnitentia.
Qui fuerint Hyemantes. *ibid.*
N. 1. Exceptiones quædam contra Cardinalis Bona ſententiam de numquam impoſita mulieribus publica pœnitentia. 374.
Quibus reſpondetur, & vindicatur Liturgicus Scriptor. *ibid.*
Cyprianus enim in ejus objecto textu de fœminis peccantibus privatam potius, quam publicam pœnitentiam intellexit. 375.
Hinc neque juvenibus maſculis olim publica pœnitentia impoſita.
Idque cautum antiquis, ne in eos, vel eas ob infamiam contractam parentes, & cognati ſævirent.
Quinimmo neque conjugatis publica pœnitentia niſi ex conſenſu data.
Hujuſmodi proinde pœnitentes ad conſiſtentiam relegati, ne ſcelus reveletur.
Quoad Synodum Toletanam, hæc loquitur de pœnitentia voluntaria, non de inflicta ex delicto. *ibid.*
Ita pariter Synodi Illiberitanæ Canones non de publica, ſed de privata pœnitentia intelligendi. 376.
Confirmatur aſſertum iſtud novis rationibus, & argumentis.
Quod de lapſis mulieribus dictum, de iis tantum, quæ privatim ex fragilitate, non de illis, quæ ex propudioſa libidine cum publica infamiæ nota peccarunt, intelligendum. *ibid.*
2. Quinam fuerint Hyemantes dicti inter Eruditos controvertitur. 377.
Dionyſius Exiguus Hyemantium nomine Energumenos intelligit, cumque ipſo alii.
Verior autem Ancyrani Canonis ſenſus videtur de iis, qui propter fœdiſſima ſcelera extra tectum Eccleſiæ pulſi pœnitentiam agunt.
3. Hyemantes & alii ſub dio extra omne Eccleſiæ tectum manere docent nonnulli.
4. In eumdem ſenſum alludere etiam videntur Tertullianus, ac SS. Cyprianus, & Paclanus.
5. Inter Pœnitentium ordinem recenſiti quidam a Joanne Climaco ſubſequeſtrati dicti. *ibid.*
§. VI. Pœnitentes, & alii, qui Miſ-

ſæ fidelium adeſſe non poterant, quo ordine dimitterentur. De ſacramentali abſolutione. 378.
Abſolutio ſacramentalis reconciliandis Pœnitentibus data ab Epiſcopo, vel Sacerdote, an ea fuerit ſub finem Conſiſtentiæ, ſeu Subſtrationis, diſputant Eruditi. *ibid.*
N. 1. Expulſionis Pœnitentium qui meminerint. 379.
(*pag.* 379. *lin.* 8. / *lege* lib. 2.)
2. Quive ex recentioribus de iiſdem Pœnitentibus, eorumque ordinibus, ac diſciplina ſcripſerint.
An Epiſcopi tantum, vel etiam Sacerdotis fuerit Pœnitentes publice ſacramentaliter reconciliare. *ibid.*
Et an hujuſmodi ſacramentalis abſolutio ſub finem Subſtrationis, vel Conſiſtentiæ tribueretur. 380.
3. Ante Dominicam orationem. Miſſæ abſoluti in Africa Pœnitentes.
4. Manuum impoſitio ſuper publicos Pœnitentes non una, ſed triplex, & ſingulæ deſcribuntur.
Prima. *ibid.*
Secunda, & Tertia. 381.
Hæc publica Pœnitentium reconciliatio in Eccleſia Romana fiebat feria quinta in Cœna Domini. 382.
Joannes Morinus exiſtimans ab annis circiter mille ſolemnem in Miſſa Pœnitentium dimiſſionem ceſſaſſe, ab Emm. Scheleſtratio fruſtra impugnatus.
Vindicatur, & Clar. Virum hallucinatum fuiſſe demonſtratur. *ibid.*
Conciliantur Morinus, & Scheleſtratius. 383.
Publicæ Pœnitentiæ veſtigium pleriſque locis hodie obſervatum.
Quo tempore publica Pœnitentium dimiſſio deſierit, iterum contendunt Morinus, & Scheleſtratius.
Eadem adhuc ſeecul. XIII. obſervata. *ibid.*
5. Pœnitentes, ac pii fideles Sacris Dei Miniſtris, aliiſque virtutum laude præſtantibus adgeniculari ſoliti. 384.
Item Epiſcoporum pedes deoſculari priſcis Chriſtianis pervulgatiſſimum.
Publicæ Pœnitentiæ diſciplina in Oriente inviolabilis uſque ad ſeculum V. quoad occulta quædam ſcelera.
Expenditur Nectarii Patriarchæ Conſtantinopolitani factum quoad Presbyterum Pœnitentiarium. *ibid.*
In Occidente vero multo ſerius deſiit hujuſmodi Pœnitentialis diſciplina quoad obſervantiam ſtationum, & claſſium. 385.
Quæ licet obſoleta quoad ſtationes, & claſſes publicas, tamen quoad Canones pœnitentiales adhuc obſervata.
Ita quoad Græcos oſtenditur.
Apud ipſos enim nec Epiſcopis pœnitentialium Canonum rigorem emollire permiſſum. *ibid.*
Ita etiam obſervant Syri, & Maronitæ. 386.
Item Græci licet pœnitentes gravibus peccatis oneratos poſt auditam confeſſionem abſolvant, eos tamen plerumque a ſacra communione ſuſpendunt.
Latinos antiquæ pœnitentialis obſervantiæ tenaciores extitiſſe demonſtratur.
Et quidem fere omnes publicæ pœnitentiæ gradus apud ipſos obſervati ſeculo nono. *ibid.*
Quo tamen tempore tertius præcipue pœnitentiæ publicæ gradus, ſcilicet Subſtratorum antiquari cœpit. Item & alii. 387.
Publica quippe pro pœnitentibus ſupplicatio, quæ antea fiebat, ſiletur ab illius ſeculi noni ſacrorum Rituum Scriptoribus.
Et pœnitentia quidem, quæ publice acta erat, libere a quovis admittebatur, nec reum determinati criminis declarabat.
Ea vero publica pœnitentia ſequiori ævo illa tantum indulta, quæ in aliorum exemplum, & ædificationem eſſe poterat. *ibid.*
Publica item de occultis confeſſio, de quibus ſuſpicio, vel ex alicujus delatione, vel fama ſemipublica. 388.
Occultorum criminum, ſicut & publicorum varii gradus.
Publicam occultorum criminum graviorum confeſſionem antiquitus uſitatam plerique teſtantur.
Quam poſtea vetuit S. Leo Magnus, ex cujus decretali nonnulla colliguntur. *ibid.*
Peccatorum confeſſio Sacerdoti facienda de jure divino eſt, quod vero publica, aut ſecreta, id Eccleſiæ diſpoſitioni relictum. 389.
Vocalis confeſſio delictorum, ſive publica, ſive privata, dummodo Sacerdoti diſtincte facta, ad Pœnitentiæ ſacramenti ſubſtantiam pertinet.
Plerique ſuperioris ævi Theologi publicam de occultis criminibus pœnitentiam nedum a Patribus commendatam, ſed & præceptam ſcribunt.
Inter quos & nonnulli recentiores. *ibid.* Ex-

Exponitur hac de re Patrum mens, & ſententia. 390.
Hinc & Canones vetare publicam de occultis criminibus pœnitentiam oſtendunt Simondus, aliique.
Et licet Patres ad id hortantur, conſilium quidem eſt, non præceptum.
Nulla enim Eccleſiaſtica lege ſancitum eſt de peccatis occultis publice pœnitere.
Occulte tamen abſque publica confeſſione, ſed ſecreta tantum gravium occultorum criminum rei juxa Canonum rigorem pœnitentiam impoſitam exequebantur.
Quod pluribus demonſtratur exemplis. *ibid.*
Quæ enormia delicta non publica, ſed occulta fuiſſe deprehenduntur, quia non publica de iis indicta confeſſio. 391.
Theodorus Cantuarienſis pleriſque creditur primus, qui pœnitentias pro peccatis publicis, & occultis diſcreverit.
At multo ante Theodorum Auguſtinus, aliique Patres ſtatuerunt.
Eamque differentiam a Patribus inventam, Theodorus edito Pœnitentiali libro obſervandam firmavit. *ibid.*
Deinde Egbertus Eboracenſis, Iſaac Lingonenſis, aliique comprobarunt. 392.
Poſtmodum hæc Pœnitentialis diſciplina fuit nonnihil mitigata ex frequentiori Indulgentiarum conceſſione.
Dictæ Indulgentiæ conceſſæ paſſim occaſione Dedicationis alicujus Eccleſiæ Seculo XI.
Item in expeditione Hieroſolymitana, vel peregrinatione ad Apoſtolorum limina.
Dein Seculo XIII. Bonifacius VIII. plenariam hujuſmodi Indulgentiam conceſſit per quemlibet annum 100. Romam accedentibus ad eadem Apoſtolorum limina. *ibid.*
Quod ſeculare ſpatium Indulgentiæ, ſeu Jubilæi ad quemque annum 25. redactum. Eademque plenaria Indulgentia item ex gravi cauſa conceſſa. 393.
Hæc autem Indulta in foro tantum interno, & quoad peccata dumtaxat occulta conceſſa.
Publica quippe peccata publica ſemper pœnitentia expiata.
Publica de occultis criminibus pœnitentia quoquo tempore voluntarie ſumpta, aut a Sacerdotibus conſulta. *ibid.*
Hinc publicæ flagellationes inductæ ex cujuſque devotione. 394.
Diſcrete tamen & moderate ex prudenti Sacerdotis Directoris conſilio inſtigendæ.
Quidquid ex adverſo ſentiat Jacobus Boileau ſupra & hic confutatus.
Etenim hujuſmodi flagellationes, ſaltem a Seculo XI. non improbarunt plerique Ordinum Regularium Fundatores, aliique viri ſanctitate conſpicui.
Morum converſionem publice profitentes in Religioſi Habitus ſuſceptione publici, ac voluntarii pœnitentes dicti. *ibid.*
Id Mabillonius, & ante ipſum Hugo Cluniacenſis, aliique confirmant, qui Monaſticam vitam aſylum Pœnitentium vocant. 395.
Atque eamdem publicam pœnitentiam ſupplere affirmant.
Publicæ pœnitentiæ rigor jam a Seculo IX. imminutus.
Hujuſque lenitatis rationes affert Morinus.
Imminutis tamen publicis pœnitentibus de peccato convictis jam Seculo ſeptimo, & ſeqq. creverunt regularis obſervantiæ vota profeſſi, voluntarii pœnitentes dicti. *ibid.*
Utriuſque hujuſmodi Canonicæ & religioſæ pœnitentiæ comparatio jam a Seculo VI. 396.
Pœnitentiam publicam nedum religioſæ profeſſioni coæquatam, ſed & illam in hac omnino conſiſtere aſſerrum a plerique.
Peculiares proinde inſtituti in Eccleſia nonnulli Pœnitentium Ordines Regulares.
Inter quos tertius Humiliatorum Ordo dictus, a Sancto Bernardo fundatus.
Et Pauperum Pœnitentium in Provincia Tarraconenſi.
Deinde tertius Ordo S. Dominici de Pœnitentia dictus. *ibid.*
Et tertius Pœnitentium Sancti Franciſci. 397.
His accenſendæ piæ ſæcularium Confraternitates Pœnitentium dictæ.
Inter quas Romæ præcipuæ Archiconfraternitas Sac. Stigmatum Sancti Franciſci, & Sancti Theodori Martyris.
Quæ denique fuerint Pœnitentium preces, & obſecrationes. Ex his præcipuæ Pſalmi Pœnitentiales.
Quomodo dicti Pœnitentes ad reconciliationem admitterentur. *ibid.*
Peroratio, & animæ pœnitentis ad Deum adſpiratio. 398.

INDEX

AD APPENDICES, & SUPPLEMENTA

Ad aliqua Capita hujus primi Tomi.

Præfatio ad eadem. *pag.* 399.

Ad CAPUT V.

Quo tempore, & quo loco prima Missa celebrata sit. &c.

Ex Dissertatione III. Tom. III. lib. V. R. P. Honorati a S. Maria Carmelitæ Discalceati Provinc. Aquit. Animadv. in Reg. & usum Critices. 415.
Ex ejusdem Tom. II. lib. 4. Dissertat. VI.

De usu Sanctarum Vestium in Mysteriorum Divinorum administratione. 409.
Ex ejusdem Tom. III. lib. 5. Dissertat. IV. Art. 2.

Ecclesia quacumque ætate linguis usa dumtaxat est in Sacris perficiendis Hebraica, Græca, & Latina, quæ in Crucis titulo descriptæ fuerunt. 416.

Ad CAPUT XVI.

Ex Libro Joannis Morini Orat. Dom. Jesu Presbyteri.

De Disciplina a Patribus observata in expiatione Catechumenorum, & eorum ad Baptismi susceptionem præparatione. 421.

Ista Appendix continet sexdecim capita *a pag.* 421. *usque ad* 464.
Excerpta.
Quoad eamdem Catechumenorum disciplinam.
Ex Edm. Martene de antiq. Ecclesiæ Ritibus. *a pag.* 465. *usque ad* 476.

Ad CAPUT XVII.

Praxis Pœnitentialis Ecclesiæ Primitivæ compendiose descripta per Joannem Gropperum S. R. E. Cardinalem.

Præfatio ejusdem. 477.
(*ad hanc pag.* 477. *ante titulum*)
(*hujus Appendicis adde omissum*)
(Ad CAPUT XVII.)
In Tractatu de Disciplina Ecclesiæ Catholicæ *a pag.* 479. *usque ad* 492.
Excerpta.
Ex Edmundo Martene Monacho Ord. S. Benedicti Congreg. S. Mauri.
De antiq. Eccl. Ritibus Tom. II. pag. 1. cap. VI.
De Ritibus ad Sacramentum Pœnitentiæ spectantibus.
Continentur in hoc supplemento sex Articuli. *a pag.* 493. *usque ad* 514.

Errata antecedenter omissa.

(*Pag.* 98. *lin.* 5. *in textu lege* nimium.)
(*Pag.* 120. *lin.* 15. *in textu lege* Abaelardus.)
(*Pag.* 136. *lin.* ult. *in textu lege* inusitatus.)
(*Pag.* 175. *col.* 1. *lin.* 28. *lege* hæresim.)
(*Pag.* 181. *col.* 1. *lin.* 5. *lege* absolverit.)
(*Pag.* 201. *a fine lin.* 19. *lege* explosum item.)
(*Pag.* 214. *lin. a fine* 9. *lege* sint.)
(*Pag.* 216. *col.* 2. *in marg. lege* Elipandus.)
(*Pag.* 235. *col.* 1. *lin.* 25. *lege* 142.)
(*Pag.* 238. *col.* 2. *lin.* 25. *lege* hcic.)
(*Pag.* 310. *col.* 1. *in* 2. *marg. lege* diffitetur.)
(*Pag.* 312. *col.* 1. *lin.* 6. *lege* reliquus.)
(*Pag.* 328. *a fine lin.* 12. *lege* usum.)
(*Pag.* 338. *col.* 1. *lin.* 21. *lege* & tantum abesse.)
(*Pag.* 396. *col.* 1. *a fine lin.* 20. *lege* antidotum.)

D. ROBERTI SALA

PRÆFATIO GENERALIS

SEU

PRÆMONITIONES AD LECTOREM

IN UNIVERSUM OPUS,

PRodit tandem poſt varios caſus, poſt tot rerum diſcrimina diu, nec paucis abhinc annis expectatum eximium Opus Liturgicum præclariſſimi Eccleſiæ Principis D. Joannis Bona Patricii Montis Regalis in Italia ſubalpina ex Monacho & Abbate Ordinis Ciſtercienſis Congregationis Italicæ Tit. Sancti Bernardi S. R. E. Presbyteri Cardinalis ampliſſimi novis aliquot additionibus, uberibus notis, & obſervationibus quoquo modo illuſtratum, ac locupletatum. Utinam quoad id, quod recens editur, felici, fauſtoque (quod tamen ſperatur) auſpicio, ne nobis vulgatum illud Satyricum obtrudatur: *Parturient montes &c.* at ſero non erit, ſi ſat bene. De hujuſmodi Eminentiſſimo Opere uti jam pluries edito ſub nudo tantum inſignis Authoris nomine, cum univerſalis extiterit plauſus, non eſt quod in eo commendando plurimum immoremur; Ea quippe fuit ejuſdem undequaque præclariſſimi Viri eruditionis copia, & excellentis doctrinæ præſtantia cum ſingulari pietate conjuncta, ut famam vincens virtutibus ſuis omnium animos ad ſui laudem, & admirationem allexerit, atque ipſius opera juremerito cuncti ubique gentium Eruditi ſuſpexerint. Hæc inter præ cæteris penes eoſdem Myſtagogicæ præſertim ſapientiæ peritos ſacrorumque Rituum cultores emicant hi duo Rerum Liturgicarum Libri, quos impellente Sfortia Cardinali Pallavicino, & nonniſi ex præcepto ipſius Summi Pontificis Alexandri VII. coactus, uti in Epiſtola ad Claudium Caſtellanum Canonicum Pariſienſem, data Romæ Kal. Martii 1672. fatetur, paucis annis antequam a Clemente Papa IX. Sacra Purpura donatus fuiſſet, adornare cœpit, ac Romæ primum impreſſos dedit anno 1671. deinde Pariſiis ab ipſomet ſublimi Scriptore admodum auctos, & emendatos ſuis typis evulgavit Ludovicus Billaine an. 1677. tribus circiter poſt piiſſimi Cardinalis obitum annis. Palmarium hoc Opus, cui concinnando integrum ſeptennium & amplius Purpuratus Author inſumpſit, *tam proſpero ſucceſſu* (inquit Sorbonicus Doctor in Elogio doctiſſimi Principis ejus Operibus dictæ Billaineanæ Editionis Pariſienſis præfixo Tom. III.) *ut qui idem argumentum verſarunt, ei comparati oleum & operam perdidiſſe videri poſſint, ſcilicet:*

.... ſe pectore cuncta vetuſtas
Condidit, & major collectis viribus exit.

Idem Opus vere aureum vocat nuperus Clariſſimus Scriptor Anonymus de Re Sacramentaria adver. Hæret. Tom. I. Edit. Venetæ pag. 135. in fine, & numquam laudatum ſatis aſſerit; quin & ipſum pluſquam aureum appellat vir ſummus, & eruditiſſimus Lucas Dacherius Presbyter & Monachus Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Sancti Mauri Epiſtola ad dictum Cardinalem data Pariſiis e Monaſterio Sancti Germani a Pratis die 9. Februarii 1672. ubi inter cætera hæc illi de eodem ſcribit: *Non poſſum mihi temperare quin iterum, tertioque tibi gratuler de tuo Opere*

pluſquam aureo; Lego etenim illud, ac relego, non modo attente, ſed & volupe admodum, ac multa, quæ me latebant, addiſco. Legunt & alii exemplum, quod tuo nomine eis obtuli &c. Non hic referam ipſorum judicium, uno verbo dicam: quotquot Eruditi ſunt Pariſiis, quique me de tuo Opere allocuti ſunt, aſſerunt de Liturgiis tam docte, tam pe, tam utiliter hactenus ſcripſiſſe neminem &c. Eadem ferme de eximio hoc Opere, & unanimi collaudatione ſcribunt reliqui inter doctiſſimos, præcipue in Gallia, Germania, Flandria, Italia viri, quos recenſere ſupervacaneum; abunde enim ſe prodit tam magni nominis umbra. Inde ejus Operum Editores Antuerpienſes in quarto, & fol. Præfatione ad Lectorem non dedignati ſunt dicere eodem ferme conceptu: *Bona eſt expreſſiſſe ſatis, ut undequaque optimum dignoſceremus Autborem.* Hæc de Liturgico magni Cardinalis Opere; nunc de Notis, Additionibus, & in idem Commentationibus ſermocinandum, de quibus, non quemadmodum laudatus doctiſſimus Princeps paucis tibi præfatus eſt benigne Lector, iis quidem multa complectens, ſed multis mihi longe admodum ab illo eruditione diſtanti tecum proloqui oportet, ut his pluribus pauca ſaltem quæ valeant, aſſequi detur. Quia vero juxta monitum Apoſtoli Pauli I. ad Corinthios cap. 14. omnia ſecundum ordinem fieri debent, totam Ratiocinationem in aliquot paragraphos dividemus. Sit ergo

§. I.

De occaſione, fine, cauſis, ac ratione Commentationum, & Notarum in id Opus Liturgicum, earumque difficultatibus.

ITaque poſt ultimas dicti hujuſce egregii Operis Editiones Romanam ſecutas, Pariſienſem ſcilicet Billaineanam, Antuerpienſem, Verduſſenianam, ac nuperam Coloniæ Allobrogum Bouſqueti, cum Notas aliquot poſthumas laudati venerabilis Viri pietate ac doctrina Eminentiſſimi Authoris manu propria ſcriptas, noviſſime propterea impreſſioni, quandocumque fieret, adjiciendas jampridem Romæ in Bibliotheca Monaſterii Sancti Bernardi ad Thermas tunc eidem Præfectus repererim, his permotus ſtatim eaſdem collegi, atque impreſſo, quod habebam, exemplari, ubi conſignandæ erant, inſerui, ac de nova earumdem Rerum Liturgicarum editione cogitare cœperam, cum item ex modica utcumque eruditione optime noſſem a piiſſimi Cardinalis obitu quamplures poſtea inſignes hac de re myſtagogica Scriptores prodiiſſe, ut infra dicetur, quibus ipſe Candidus Purpuratus omnigenæ eruditionis facem præferens viam ſtravit, anſamque præbuit tot, quæ exinde iſti celebres veterum rerum ſacrarum Eruderatores, protulerunt, Eccleſiaſticæ antiquitatis monumenta, ubi laterent, perquirendi, reperta in lucem donandi, atque ex his arrepta, ſeu data occaſione de priſcis Chriſtiani Orbis Lirurgiis, tinctarumque Sacro Baptiſmate Nationum omnium piis ritibus, cæremoniis, & conſuetudinibus, earum origine, progreſſu, duratione, & abolitione, aut mutatione. differendi; Hinc translato in id optimum ſtudium hujus ſeculi genio, ut eidem morem gererem, ſubſecivis horis poſt Vaticanæ Bibliothecæ occupationes, ad quas diu per ſex & ultra annorum luſtra ex officio incubui, & meæ interim literariæ exercitationi vacarem, utque in ipſis etiam illius feriis religioſum, etſi tenue & imbecillum, non feriaretur ingenium, novam iterum editionem collatis invicem ad Autographi fidem impreſſis exemplaribus moliri, & aggredi meditabar, nedum ut dictas poſthumas Cardinalis adnotatiunlas, etſi breves, publici juris facerem, verum & proprias pleniores pro modulo ad mei eruditionem adjiciens, novas nempe obſervationes, & additiones, quibus eadem Eminentiſſimi Bonæ Liturgica perpetuo fere Commentario Theologico, Polemico, Dogmatico, Hiſtorico, Critico quoquo modo illuſtrare conarer, ipſumque doctiſſimum Principem conterraneum, & Syncellitam in dicto ſuo Opere haud bene captum explicare contendens, a quorumdam intemperantium Criticorum parum æquis exceptionibus male habitum ſtrenue totis viribus tuerer, & vindicarem, unaque ſimul, ac principaliter Sacros tremendi Sacrificii Ritus, eorumque venerandam antiquitatem adverſus Sectarios Miſoliturgos, alioſque veterum Eccleſiæ conſuetudinum obtrectatores defenderem & propugnatem.

Hæc, inquam meditabar, cum intime conſideranti, atque animo revolventi Operis gravitatem, & amplitudinem, rei pertractandæ, utpote omnium ſummæ, majeſtatem, neceſſariæ ad id maximi negotii ſuis numeris abſolvendum, Spartamque hanc grandem exornandam ſelectæ omnis exquiſitæ eruditionis inopiam, qua detinebar, laboris improbi diuturnitatem, cui ferendo ex adverſa identidem valetudine

continuis

continuis ferme corporis, & animi contrariis affectionibus, ac perturbationibus vexatus humeros non valere, & recuſantes ſciebam, mille ſtatim undequaque irruentes obvenere difficultates, & dubia, an his ſtantibus aliquid inciperem quod conſummare potuiſſem, & eidem Operi ſaltem adumbrando manum infirmam admoverem, ut ſic conceptam illius ideam alteri doctiori ingenio melius perficiendam relinquerem; Nutantem inſuper calamum a propoſito inſtituto removebant aliena tunc temporis ſtudia pomeridiana, & nocturna, præter matutina Vaticana Summorum Pontificum Clementis XI. Innocentii XIII. & Benedicti XIII. juſſu variis in literariis lucubrationibus ad Apoſtolicæ Sedis dignitatem, & obſirmandam authoritatem demandata. Abſterruerat me denique ab iſto ſuſcipiendo labore numerus ingens Scriptorum doctrina, & eruditione præſtantium, qui poſt Cardinalem Bona, Eminentiſſimum ſimile argumentum pertractarunt, quales ſunt Joannes Mabillonius, & Edmundus Martene duo Benedictinæ Congregationis S. Mauri in Gallia, & Litterariæ Reipublicæ lumina, Joannes Grancolas Doctor Sorbonicus, qui Res Liturgicas variis in Opuſculis editis egregie illuſtravit, Lazarus Andreas Bocquillot J. U. D. Canonicus Aballonicenſis in Tractatu Hiſtorico de Sacra Liturgia, Claudius de Vert Monachus, & Theſaurarius Cluniacenſis, qui & amplam Liturgicis rebus lucem affudit, Euſebius Renaudotius linguarum Orientalium notitia excultiſſimus, qui in ſua collectione Liturgiarum Orientis plurima ad id ſpectantia doctiſſime prodidit, denique Petrus le Brun Oratorii Pariſienſis Presbyter præſtantiſſimus Rerum Liturgicarum indagator; noviſſime autem Cajetanus Maria Merati Cler. Reg. Theatinorum in Commentariis ad Gavantum eruditiſſimis, ſacrorum rituum peritia, & cognitione inter ipſos Sacræ Congregationis Conſultores laudatiſſimus, quibus & addi merentur Dominicus Georgi de Liturgia Romani Pontificis, & Joſeph Catalanus in Pontificale Romanum, qui egregiam in hiſce ſtudiis operam navarunt; aliique plures, ut reliquos bene multos taceam, quorum doctiſſimis lucubrationibus, præcipue Eminentiſſimi noſtri Liturgicis, qui cæteris omnibus (teſte Mabillonio Commentar. ad Ord. Rom. pag. 3.) inſignior eſt, aliquid addere velle, (ut ipſis Edmundi Martene verbis utar, in Præf. ad antiquos ſuos Eccleſiæ Ritus,) non parvæ temeritatis videbitur, mihi præſertim, cujus ingenium, quam ſit exiguum, quam modica doctrina, & eruditio, ingenue fateri haudquaquam gravabor.

Verum deſpondentem, hærentemque animum hæc præ cæteris in meditato Operis ſtudio ſaltem delineando firmarunt; Primo Cardinalis ipſius exemplum, qui item plures hac de Re Liturgica ſcribentes prædeceſſores habuit, veluti Joannem Stephanum Durantum, Jo. Baptiſtam Scortiam, Joſephum Vicecomirem, alioſque infra referendos, quibus non obſtantibus idem Purpuratus ſua Liturgica edere non dubitavit; Cum enim, ſicut perſpexerat, eorum plures ſacrorum Rituum, & Ordinum dumtaxat Collectores fuerint, quemadmodum ſequenti §. 4. videbitur, alii de his in genere tantum egerint, nec ad particulares, & ſingulos deſcenderint, alii de his quidem ſcripſerint, ſed practice, prout in uſu fieri videbantur, aut aliqua ſolum delibaverint, reliqua omittendo, aut de omnibus quidem, ſed nimis perfunctorie differuerint; alii eoſdem ſymbolice explanaverint, nonnulli vero & polemice, ſed Scholaſtica potius methodo ipſos vindicaverint; cumque iſtorum nemo in penitiorem Rei Liturgicæ antiquitatem ſuis e fontibus perveſtigandam, juſtoque criterio juxta Hiſtoriæ leges diſquirendam ſeſe induxerit, neque primigeniam ſacrarum Miſſæ cæremoniarum inſtitutionem, & originem, quo ritu ſcilicet, quove apparatu, qua lingua olim apud omnes Chriſtifidelium populos, ac nationes divinum celebraretur Sacrificium, idemne, an diverſus omnium Eccleſiarum Occidentis, & Orientis mos fuerit, quando, quomodo, & a quibus addita quædam, & immutata ex profeſſo diſcuſſerit; hinc Operæ pretium duxit memoratus noſter Eminentiſſimus Author poſt editum non multo ante Tractatum de Divina Pſalmodia, ejuſque cauſis, myſteriis, & diſciplina, deque variis omnium Eccleſiarum Ritibus in divinis pſallendis Officiis communi Eruditorum omnium comprobatione laudatum, utpote quod nemo ad id temporis, qui de eodem argumento ſcripſit, omnes pſalmodiæ partes ea ratione, ac methodo explicaverit; ſimile opus de Auguſtiſſimo Chriſtianæ Religionis Sacrificio adornare, idque urgente, ut diximus, Card. Sfortia Pallavicino, qui eum ſæpe in propoſito nutantem ſua authoritate firmavit, perfecit tandem & abſolvit intra purioris Hiſtoriæ limites ſe continens, ac temperantioris Critices terminos haud prætergreſſus. Quamvis autem Scholaſticorum animos nonnihil moverit ſua de Azymis opinio, eademque eorum nonnullis diſplicuerit,

rit, cæteris tamen ſanius forte intelligentibus nedum arriſit, verum & eamdem non pauci amplexati ſunt, Opuſque totum ab Eruditis omnibus ſummo cum plauſu exceptum fuit, uti ex eorum Elogiis pleriſque allatis manifeſtum eſt.

Egregius iſte tanti Cardinalis fœtus tot virorum illuſtrium commendatum encomiis laudabilem ejuſmodi ſcribendi cacoethen quamplurimis, in Gallia præſertim, viris doctis, quorum nonnullos inſigniores memoravimus, excitavit, adeout ſacrum Rerum Liturgicarum ſtudium jam pene intermiſſum revocaverit; indeque non abſimile mihi accidit, nam & ipſe etiam bene multos, qui de hac eadem materia optime ſcripſerunt, inveni; qua propter in eorum labores introire, & quaſi actum agere, vel quod idem eſt, poſt Homerum Iliadem ſcribere expaveſcebam. Ar cum in eodem ſtadio decurrentibus non eadem ſit omnibus currendi ratio, non eadem terenda ſemita, neque eadem ad curſum adminicula, ut meta, aut bravium, ad quod tenditur, comprehendatur; Memor inſuper illius ex Auguſtino vulgati de Trinitate lib. 1. cap. 3. quod nempe *utile eſt plures* (libros) *a pluribus fieri diverſo ſtylo, non diverſa fide etiam de quæſtionibus iiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic*: metum omnem ac torporem excutiens primo cum Pſalmiſta Pſal. 76. *Deum exquiſivi manibus meis ..... & non ſum deceptus*; etenim *renuens conſolari anima, mea memor fui Dei & delectatus ſum, & exercitatus ſum*; eo quod ſciens id eſſe, referri, & redundare ad majorem Dei gloriam, atque ad ipſius Euchariſtici Sacrificii fidem Catholicam contra Hæreticos propugnandam, ejuſdem in ſingulis adorationem promovendam, Rei denique Liturgicæ omnium ſupremæ antiquitatem, præſtantiam, & cognitionem magis magiſque Chriſtifidelium, præſertim Sacerdotum, mentibus ingerendam, ac adverſus refractarios vindicandam, lubens & volupe manum Operi admovi, iſtudque quoad potui perficiendum ſtudui. *Sicque curæ fuit* (ut cum Sidonio Apollinari lib. 4. Epiſt. 3. id dicam) *cauſam potius implere, quam paginam* & cum S. Anſelmo noſtro Cantuarienſi Archiep. Præf. contra Petrobuſianos, *ut quod ſcripſi Hæreticis prodeſſet, & Catholicos redderet cautiores*. His addam, & mihi magnum id laboris aggredienti animum nonnihil adjeciſſe, quod recentiores præfati celebres poſt Bonam Scriptores, & ipſi vel aliquos dumtaxat Sacræ Liturgiæ Ritus, vel ſi omnes, non omnimoda inveſtigatione, atque eorum nonnulli intra hodiernam praxim tantum, & non ultra illis illuſtrandis incumbentes ſe continuerint, alii circa ſacras cæremonias in earum explanandis ſignificationibus verſati ſunt, plerique peculiares alicuius Nationis, Provinciæ, aut Eccleſiæ Ritus exponere in ſe ſuſceperint, alii de iis tractantes Hiſtorice tantum, nuda hujuſmodi ſacrarum Rerum narratione contenti fuerint.

Sic itaque Joannes Mabillonius Gallicanam ſolum Liturgiam, ac Veteres Romanos Ordines ſuis doctis exornavit Commentariis, Edmundus Martene in Pontificalibus Libris, atque in celebriorum, præſertim Galliæ Eccleſiarum Ritualibus, & Ordinariis proferendis pene totus eſt; Bocquillotius Hiſtoricus, Grancolaſius, etſi veterum Liturgiarum Criticam recenſionem exhibeat, fonteſque earum, quæ periere, oſtendat, nimis tamen conciſus, ac brevis apparet; Du Vertius Cæremonias ſacras nonniſi ad metam rationis juxta neceſſitatem, aut utilitatem ſacrificantis explicandas eſſe contendit, ſicque earum cauſas phyſicas tantum, & litterales inveſtigare ſibi proponit, cujus falſum ſyſtema merito evertunt Joannes Joſeph Languet Epiſcopus Sueſſionenſis, dein Senonenſis Archiep. & Petrus le Brun, noſque etiam idem ſuo loco nitemus explodere. Euſebius Renaudotius in Oriente verſatur, nec de Occidentis Eccleſiis ex profeſſo loquitur, quemadmodum Antonius Bellotte circa Ritus Eccleſiæ Laudunenſis, Joannes Pinius in Liturgia Mozarabum ſe continent, ac Dominicus Georgi in Miſſa Papali, uti & Joſeph Catalanus, in Pontificali Romano morantur. Petrus le Brun omnium fortaſſe accuratiſſimus Scriptor literalem, Hiſtoricam, & Dogmaticam explanationem Sacris Ritibus attexuit additis nonnullis Diſſertationibus, quibus illorum originem, & loca difficilia illuſtrat; verum Sacros Catholicorum Rituum Ordines nonnihil temerare auſus eſt iis adjiciendo & nonnullas Proteſtantium Pſeudo-Liturgias, quas profert Operum ſuorum Tom. IV. ut quid enim nobiſcum Catholicis Hæretici, ut quid cum Orthodoxis Sectarii? ut quid nobis cum iis, qui foris ſunt, ſcilicet extra veram Eccleſiam? Accedit quod cum ipſe, tum Grancolaſius, Duvertius, Brunus, Bocquillotius, aliique Galli eorum idiomate quamplurimus Eruditis ferme ignoto explicationes precum, & cæremoniarum Miſſæ, lingua hujuſmodi in ſacris Officiis celebrandis non adhibita, deſcripſerint, cum Latine tantum hæc myſteria, Lingua profecto ſacra ad ſacroſanctam eorumdem majeſtatem conſervandam, edere debuerint; Sic Sacræ Scripturæ, nec non

Sancto-

Sanctorum Patrum textus Gallice proferunt, & ipſum Canonem Miſſæ Brunus, quem Latine exhibet, item Gallice explicat Tom. I. a pag. 411. quaſi Gallis tantum, & non exteris Eruditis ea ſcriberet, quæ ſane convenientius Latine exarare poterat juxta Rei Liturgicæ gravitatem, & Lectorum exigentiam, quidquid in Præfatione Operis ſui a pag. XII. plures congerat rationes, quibus inſtituti ſui ſcopum ſuadere conatur. Omnium fere poſtremus, qui de Liturgicis Rebus ſcripſerunt, R. P. D. Cajetanus Maria Merati Bartholomæum Gavantum ſecutus, ejus Commentaria in Rubricas Miſſalis, novis quidem & eruditis obſervationibus auxit, in quibus etiam nonnulla vetera attingit, at breviter pro loco, & re nata, non ex propoſito, quod id tantum fuit, ut ipſe fatetur in Præf. pag. XIV. Primæ edit. Rom. in IV. & VI. edit. Venetæ in fol. *De Ritibus Miſſalis quatenus recentis, & probatæ ſunt præxeos*, commentari; Nec omnes in his etiam, quæ ſumma cum diligentia pertractarunt, omnia dixiſſe putandi ſunt, neque ullo prorſus errore immunes. Cum itaque viderem nobiliſſimum hoc argumentum a nemine poſt Cardinalem noſtrum fuiſſe hac methodo pertractatum, operæ pretium me ſacturum duxi, ſi illud mihi perluſtrandum ſumerem. *Etſi autem nos ejuſmodi Operi impares eſſe non ignoremus* (ut Anonymi antiqui Scriptoris in Vita S. Domnoli Cenomanenſis ſexto Eccleſiæ ſeculo Epiſcopi verbis utar) *quippe cui eſt ingenii, eloquentiæ anguſta ſupellex: attamen fatius fore arbitrati ſumus vel exiliter dicere ea pauca, quæ novimus, quam cum ſervo pigro, & defidioſo* (Matth. 25.) *pro retenta Domini pecunia in damnationis diſcrimen adduci.*

Quæ cum ita ſint, omnibus undequaque perpenſis, allatiſque motus rationibus nemo prudens dubitabit bonum mihi, etſi exiguo, conſilium incidiſſe novam hujuſce Liturgici Operis editionem moliendi, eamque amplis additionibus, Notis, & Obſervationibus, ut libuit, exornandi, cum iſtud, licet privato potius, quam publico ſtudio, ac commodo elaboratum ad quatuor uſque Tomos ſenſim in dies productum amici, doctique viri quamplures Romæ probaverint, edendumque quantocius exoptaverint; quin & reluctantem ac pene invitum ſuis officiis compulerunt ut Superioribus Prælatis, quibus librorum typis conſignandorum cenſura demandata eſt, hunc quem abſolveram Tomum primum ab ipſis prælo, necne dijudicandum, iis, ſi ita placuerit, exhiberem. His propterea humaniſſimis adhortationibus devinctus ceſſi, & habita prius licentia Emin. Card. Vicarii Almæ Urbis, ſive pro ipſo Illuſtriſs. R. P. D. ejuſdem Viceſgerentis, qui ita eidem Tomo reſcripſit: *Imprimatur, ſi videbitur Reverendiſs. Patri S. Palatii Apoſtolici Magiſtro*. Cumque poſtea eumdem Tomum jam a duobus noſtræ Congregationis Theologis viſum, & approbatum, atque ab Abbate Generali, quantum in ſe erat, ut typis donaretur, permiſſum, ut ſupra expreſſum eſt, laudato Reverendiſs. Patri S. Palatii Apoſt. Magiſtro præbuiſſem, ipſe ſtatim ex innata ſua benignitate delectis quatuor in Urbe ſublimis notæ Theologis doctiſſimis examinandum, ac ſedulo perveſtigandum commiſit, ut ſi quid cenſura, aut ſpongia dignum invenerint, referrent. Hi ſunt, quos ſine anteriioritatis, aut præcedentiæ nota recenſitos infra deſcribam; Eorum diſtinctis, & immerito meo ad ſummam laudem exaratis approbationibus motus dictus Reverendiſs. P. S. P. A. Magiſter ſic reſcribendum cenſuit his verbis: *Imprimatur ſive in Urbe, ſive extra Urbem ſervatis ſervandis.*

Ita autem dictorum illuſtrium virorum commendationibus obtenta Superiorum facultate, Romæ ubi degebam, Tomus idem hic primus imprimendus, ut plurium in votis erat, prælo conſignatus fuit; Cum vero in ea Alma Urbe jam priora duo folia excuſa eſſent, alio poſtmodum graviori negotio diſtractus, diſtentuſque Typotheta non potuerit incœptum opus perficere, aliique nonnulli ad idem proſequendum exhiberentur, mihi interim per litteras humaniſſime ſcriptas a nobili Viro mei, meorumque præcipuo patrono ac Mecænate, inter primarios hujus Auguſtæ Taurinorum Patriæ Proceres, cujus nutu & imperio plurimum moveor, ſignificatum ſimul, ac propoſitum fuit, mentique reddjtum, Cardinalem Bona, quem illuſtrandum pro modulo aſſumpſi, ejuſdem mecum Monaſticæ profeſſionis Symmiſtam, ſympatriotem, ac quaſi conterraneum fuiſſe; quapropter cum in hac Regia Urbe nobilis item, atque excultiſſima, variis elegantibus characterum formis locuples, quibus omnigenæ eruditionis libri, exoticarum etiam linguarum ſua quique venuſtate ornati imprimantur, ampla Chalcographica Officina erecta fuerit: æquitas omnis, ac ratio exigebat, ut in eadem meum iſthoc qualecumque Opus Liturgicum ultro ad Patriæ decus & commodum, publico itidem bono Taurinenſibus Typis imprimendum concederem.

Gra-

Gratum id, acceptumque mihi fuiſſe ingenue fateor, & laudati Equitis juſſis obtemperans, amicorum, & parentum votis, proprioque viſendæ Patriæ deſiderio indulgens, obtenta prius ex Apoſtolica Regnantis Summi Pontificis Benedicti XIV. benignitate, Latini, quo afficiebar, Scriptoris in Vaticana Bibliotheca, munetis poſt ſex, & amplius luſtra exemptione, ut commodius, liberiuſque hujus Operis complendæ editioni vacare poſſem, libenter ullis non parcens ſumptibus, & laboribus, æſtivos inter calores, ac bellorum impetus Roma digrediens hanc Regalem Patriam acceſſi, & paucis exinde elapſis menſibus dato Eruditis publico circa hanc novam Editionem Programmate, idem Opus, ut vides, imprimi cœpit, benigne Lector, quem, & tecum omnes qui noverint; aut noſſe potuerint monitos his eſſe duxi me hæc Liturgica Romæ exarata, ac diſpoſita, maxime quoad primum hunc Tomum, quin & ibi prælo initiata, atque intermiſſa, ut dictum eſt, non alia de cauſa, niſi expreſſa, nec ſine debita permiſſione huc excudenda detuliſſe; Conſcius namque Sanctarum Eccleſiæ legum, ac plurium Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionum hac de re editarum, quibus ſub majoris excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ac Summo Pontifici reſervata cuicumque inhibetur conſcriptos Romæ libros in dictarum legum fraudem malitioſe extra Urbem alio tranſmittere imprimendos, & evulgandos non habita prius memorata facultate, neceſſarium profecto eſſe duxi hæc omnia in mei purgationem adferre, ne quis fortaſſe exiſtimare auderet me præſcriptos, ac debitos erga Petri Cathedram obedientiæ actus, ſeu terminos tranſiliiſſe, & quaſi fugientem, ita dicam, ut alter Jonas, a facie Domini huc tranſmigraſſe, hiſque proinde, vel minimum argumentum Lectoribus meis aliquid contrarium de me audiendi, aut inconſulto ſuſpicandi ſubtraherem. Reliquos porro poſteriores Tomos etſi item Romæ delineatos tantum, & ruditer digeſtos, adeoque nonnullis emendationibus, & additamentis indigentes huc mecum attulerim recenſendos, perpoliendos, ac ſuis, ut fas eſt, numeris abſolvendos, non mireris inde Lector, ſi conſimili Romana approbatione immunitos conſpexeris; id quippe haud neceſſarium duxi, quia non ibi integre conſecti, ſed concepti tantum extent, ac medicam, ultimamque formæ, quam habebunt, manum hac in Patria excipient; ſic namque ad conſummationis ſtatum redactos Romæ libros memoratum afficit Edictum, non incœptos ſolum, & imperfectos, quemadmodum ab amicis ibi hujus rei peritis, inter quos ab uno ex dictæ S. Inquiſitionis Officialibus non infimæ authoritatis viro perſuaſum habui; præterquam quod cum ubi non malitioſe, ſed potius caute, non in fraudem, ſed ſincere proceditur, lex non videatur intendere, nec pœnam ab ipſa inflictam incurri credidetim; Eoque magis accedente hac de re, quatenus ex abundanti opus ſit, laudati Reverendiſs. S. P. A. Magiſtri indulto per Epiſtolam ſub die 21. Aprilis anni elapſi officioſiſſime datam eo fine, ut quantocius abſque ulla dilatione, aut hujuſmodi impedimento dicti Tomi in lucem, unus poſt alium commode prodire poſſint. Hæc ſatis ad cauſæ meæ vindicias qualeſcumque dicta ſint. Supereſt ut de fine, ſcopo, ac methodo, ſeu ordine harumce Commentationum, ac Notarum in noſtri Cardinalis Bonæ Liturgica differam.

Et primo quoad Operis dilationem poſſem multa oratione uti, qua me excuſatum vellem, quod tandiu idem diſtuli; Neque enim deficerent rationes, quibus crederem me tibi, ſtudioſe Lector, ſatisfactum iri, quibuſque etiam adductus intelligeres non mihi voluntatem, ſed opportunitatem defuiſſe, uti paulo ante indicatum eſt; Verum moleſtus eſſe nolo, præter dictum in Vaticana Bibliotheca Latini Scriptoris Officium, quod me totum exigebat, varias occaſiones recenſendo e Monaſticis, ſeu Domeſticis, privatiſque rebus natas, quæ mihi impedimento fortaſſe fuerunt; Alio quippe nos vocant quotidianæ vitæ noſtræ ſollicitudines, rerum continuatæ viciſſitudines, & frigidæ, ut ita dicam, plerumque occupationes, quæ ſimul & avocant animum, ac comminuunt; alio, quæ ex humanæ converſationis conditione in aliorum gratiam facere jubemur, alio, quæ amicis præſtantur beneficia, alio diverſa quandoque ſtudiorum ratio, vel demandata, vel intercepta, alio denique, & quod præcipuum eſt, ſacri Sacerdotalis muneris officia, ac regularis obſervantiæ exercitia, quorum omnium ſingula magnum etiam occuparent hominem. Unum illud non omitto, hujus materiæ excellentiſſimæ gravitatem, & amplitudinem tantam eſſe, ut ea ſola mihi potuerit diuturnas quaſcumque moras interponere, adeout putem meam banc cunctationem excuſationibus non indigere; Ac propterea quid in hoc Opere Liturgico pertractando per me intentum ſit, deſcribere incunctanter incipiam.

Itaque

Itaque cum Emin. noſtro Diſciplinam quoad Res Liturgicas, ſcilicet quoad Euchariſtici Sacrificii celebrationem, antiquitus in Eccleſia obſervatam proponimus, Patrum, ac Synodorum veterum teſtimoniis illuſtratam ſæpe, ac roboratam; & hanc, quæ nunc antiquata, vel in deſuetudinem abiit, ſcire, etſi perjucundum, atque utile ſit, non tamen omnino neceſſarium exiſtimamus. „ Eam certe qui pri„ vato arbitrio in uſum revocare voluerit, perturbabit omnia, laqueum animabus „ injiciet, nimis emungendo eliciet ſanguinem (ut ſcite inquit Natalis Alexander Præf. ad Theologiam Dogm. & Mor.) „ ab Eccleſiæ ingenio, quæ ex homi„ num inconſtantia, & infirmitate Diſciplinæ ſuæ vulnus inferri multoties paſſa, „ illum ob fidelium ſalutem promovendam ſæpe immutavit, ſeveriorum etiam regu„ larum obſervantiam remolleſcere & antiquari interdum permiſit, prorſus erit alie„ nus; Præſentes ſiquidem, & Eccleſiæ regimine obſervatas conſuetudines in omnibus, & per omnia cuſtodiendas amplectimur, & profitemur, quamvis antiquæ plurimi faciendæ, & laudabiles ſunt ac venerandæ, quin & antiquos ritus, ubi vigent, firmiter retinendos monemus; laudanda enim in ejuſmodi rebus conſtantia, modo cætera adſint, Eccleſiæ pax, & concordia, atque charitas chriſtiana, cui omnes ritus cedere, & ſuffragari neceſſe eſt, uti item ſapienter Joannes Mabillonius Comment. in Ordinem Romanum §. XXI. noſque item fuſius ad cap. 3. §. 3. adnotabimus. Animo denique uniuſcujuſque Chriſtifidelis infigenda præclara, & aurea Sancti Auguſtini ſententia, ut menti penitus confixa eſt meæ: *Contra rationem nemo ſobrius, contra Scripturas nemo Chriſtianus, contra Eccleſiam nemo pacificus ſenſerit*: Hinc nobis hac in ſacra palæſtra vetera curæ ſunt, ſed illuſtranda, & ſi quid novi vel iis additum, vel ab ipſis diverſum Eccleſiaſtica authoritate id exigente temporum, locorumque conditione induſtum novimus, lubentes ſuſpicimus, & veneramur, non ignari, quod ex humana infirmitate, quæ priſtinæ conſuetudinis diſtrictionem ſemper in eodem ſtatu permanere non patitur, moribus immutatis ſacros quoque ritus variari conſequens ſuit, ut plenius ad cap. 6. hujus Tom. 1. & cap. 18. in ſecunda Parte dicemus.

Non dubitamus multa a nobis omiſſa ſua forſan illuſtratione digna: at quis cuncta colligat & advertat? Multa non ſatis in ſenſu ſuo proprio percepta, & intellecta: at quis in tam varia ac multiplici rerum ſerie non quandoque hallucinetur, & dormitet? Utique & ex animo, cum Vvalafrido Strabone, ſive iſte Augienſis Abbas, aut Monachus Fuldenſis fuerit, Præf. in Gloſſam Ordinariam Sacræ Scripturæ: *Fateor me nec reperiſſe cuncta, quæ dilucidare cupivi, nec cuncta potuiſſe, quæ reperi, cum & rerum magnitudo ſcjendi cupiditatem ſuccenderet, & diverſitatum confuſio faſtidii nimietatem præberet. Habebit tamen in his Lectoris mei curioſa veſtigatio, etſi non copiam ſatietatis, qua delectetur, qualemcumque nihilominus inquiſitionis qua melius exerceatur*: Ita plane; illud ſiquidem confidentes aſſeveramus, nihil a nobis ſcienter prætermiſſum, nihil inconſulto appoſitum, detractumque nihil, quod ad rem Liturgicam illuſtrandam facere putaremus; nihil nobis quidquam attributum, quod alienum cenſeamus, ſed quæ ſelecta bene multa ex optimis, probatiſque authoribus, qui & ante, & poſt Cardinalem Bona ſcripſerunt, proximus, eos omnes in ſententiæ noſtræ teſtimonium advocantes, ne aliorum diſpendio, aut hujuſmodi furtivis bonis malè partis injuſte ditari contingeret, aut indebitam laudem alteri juremerito, non nobis tribuendam, aucuparemur. Quare ſi quid elapſum, ſi quid indigeſtum, ſi quid erratum, quod plurimum eſſe fatemur, imperitiæ detur & ignorantiæ, dum non attendentes ad notum, memoratumque illud Satyrici *quid valeant humeri, quid ferre recuſent ..... & quam ſit nobis curta ſupellex*, rem plene divinam, proinde undequaque ſublimem, humeriſque etiam Herculeis longe imparem poſt tot clariſſimos viros, qui de eadem egregie ſatis egerunt nedum aggredi diſquirendam, ſed & craſſiori admodum Minerva, rudi calamo, ſtyloque inepto pertractare auſi ſumus.

Hanc vero ſacram audaciam (ultro teſtamur) ſuaſit non inanis & humanæ gloriæ, quod abſit, ſed divinæ gratiæ obtinendæ, ſed ſolidæ, utinam, pietatis ſtudium, excitavit debitum in Monacho, & Presbytero quotidianum latreuticum Sacrificium, exercendæque devotæ Religionis in Deum obſequium, promovit ingenitum Liturgicæ ipſius antiquitatis, & Eccleſiaſticæ eruditionis adipiſcendæ deſiderium, quo multo jam ex tempore feror quocumque feror, expertus cum Auguſtino lib. 3. de Trinitate *multa quæ neſciebam ſcribendo me didiciſſe*; atque utinam ea didicerim, quæ S. Gregorius Nazianzenus docet in Carmine de veris, & germanis Sacræ Scripturæ libris (iis quippe Liturgica, & Euchariſtica præcipue innituntur ſtudia,

ut quæ in illis prænuntiata fuere, in divino novæ legis Sacerdotio ſecundum Ordinem Melchiſedech, in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, in quo Deus ipſe litatur, & ſumitur, in Auguſtiſſimo Altaris Sacramento, quo Eccleſia per Dominici Corporis, & Sanguinis participationem unum cum Chriſto efficitur, & quodammodo in Deum ſuum transformatur, uti cap. 3. §. 3. pag. 32. dicetur, perfecta & conſummata conſpiciuntur; quod namque olim de Hebræo populo dictum Deuteron. cap. 4. *Populus ſapiens, & intelligens, gens magna; Nec eſt alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris; quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, juſtaque judicia &c.* multo magis de Populo Chriſtiano Catholico dicendum, ejuſque devotis, piiſque Chriſtifidelibus, quibus Deus adeſt, præſertim in Euchariſtiæ Sacramento, in quo corporaliter, realiter, eſſentialiter, ut terminis Theologicis Scholaſticis loquar, ſeu vera reali præſentia nobiſcum habitat Chriſtus Dominus ipſe verus Deus, & verus Homo. Sic itaque canit infulatus Græcorum Vates.

.....donat Deus iſta laborum
Præmia, ut abſonſæ lucis mens ſedula quiddam
Conſpiciat, vel certe iſthinc ea commoda carpit,
Ut per Sancta Dei capiat præcepta dolorem;
Aut quod poſtremum eſt, animos hæc lectio rebus
Abſtrahat a finxis ſtudia ad meliora vocatos.

Neque etiam jurantes in verba Magiſtri ita in ejus obſequium captivari nos quiſpiam credat, ut omnia, quæ ipſe dixit, pro indubitatis habenda ſentiamus. Illud quidem ubique, quantum in nobis eſt, & rei veritas exigit, tuemur, vindicamus, & propugnamus; at ubi quandoque bonus dormitat Homerus, Cardinalis noſter, quem nihilominus uno tantum, alterove loco univerſi hujus Liturgici Operis nonnihil oſcitantem, & hallucinatum invenies: magnis profecto viris etiam in magnis labi generoſum peccatum eſſe cum Dionyſio Longino ab ipſo allato & nos ingenue fatemur, atque utinam & nobis non pluries cæſpitare contingat! Hujuſmodi autem qualeſcumque nævi, quos deprehendere & emendare in eodem contigit, ii ſunt. Primo quoad Epiſtolam S. Ignatii Martyris ad Polycarpum, quam non ipſius Antiocheni Præſulis fœtum eſſe, ſed ſuppoſititiam affirmat lib. 1. cap. 22. §. 1. Et cap. 25. §. 2. ubi procul dubio memoria lapſus Emin. Author non levi excidit anacroniſmo dicens S. Martyrum Laurentium integro ferme ſeculo ante Urbanum I. vixiſſe, cum idem Sanctus Chriſti Athleta Diaconus fuerit Xiſti II. non primi, ut ipſe perperam & inadvertenter arbitratus ſcripſit, quem tamen nos utroque in loco excuſatum oſtendimus. Stylum quod attinet, ne varius in eodem Opere ac diſſimilis ab optimo Cardinalis Stylo, quem hac etiam in parte collaudant omnes, appareret, illi quantum pro viribus licuit, proprium accommodare, & ſi non eumdem ipſum conſequi, ſaltem imitari ſtuduimus, cui tamen ſubſidium, onuſque (utrumque fatemur) aliorum verbis, doctorum ſcilicet virorum plerumque loqui, quo pleniori ratione, non noſtro tantum argumento ſubnixas Commentationes, Additiones, & Notas propinaremus; Ac proinde mihi fas eſt dicere cum Paſchaſio Ratberto noni ſeculi Scriptore, & Monacho Corbejenſi Præf. ad lib. 6. Commentar. in Matth. Bibl. PP. Tom. XIV. pag. 488. *Expoſitio autem mea*, inquit, *multorum eſt Eruditorum & Doctorum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit authoritas veritatis*. Hinc verborum delectum, & ſi quæ ſunt, ab officii mei inſtituto plurimum diſtantia, noli, benigne Lector, ſeverius inquirere; Durius quippe agere videreris, ſi ab homine plura ſcribente, quem & multa diſtrahunt, diſtinentque, quæ ſermonis nitorem, & elegantiam deterant, aut infirment, detraheres, omne arceres verbum quod Tullium, Cæſaremque non ſapiat, omnem denique dictionem, quæ aureum aut argenteum ſaltem Latinæ eloquentiæ ſeculum non redoleret, eximeres; Nam & vitibus ſolia convellimus, ut illarum fructus citius ad maturitatem promoveantur; ornatus quippe operoſior diſquiſitio nimiam operi moram detuliſſet, nimiumque animo tibi quantocius inſervire cupienti moleſta fuiſſet. Sed ſatis ad mei excuſationem; nunc opus qualecumque ſit tibi deſcriptum exhibeam.

§. II.

§. II.

Ejuſdem Operis Partitio & Diſtributio, quidve illud contineat.

DE Miſſæ Sacrificio, deque Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento in eadem confecto univerſim agimus, de illius ſcilicet nominibus, dignitate, cultu, fide, & reverentia, iiſque ritibus in Miſſæ celebratione olim & nunc ab antiquo ſervatis cum Euchariſtia paratur, conficitur, diſtribuitur, excipitur, & adoratur; atque ita veteres ritus novis moribus inductis ad majorem pietatem & devotionem fovendam, qua ferri unumquemque par eſt erga hocce tremendum, & omni veneratione adorandum Sacrificium & Euchariſticum Sacramentum in eodem Sacroſancto Miniſterio, ac iiſdem Domini verbis confectum, quo Chriſtus ipſe Dei Filius Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, factus Sacerdos ſuæ victimæ, & victima ſui Sacerdotii Deo Patri litatur, ac ſumitur, non abſimiles adjungimus, & aptamus. Res pariter, quæ Divini hujus ineffabilis Sacrificii & Sacramenti materia ſunt, tractationi noſtræ argumentum exhibent; atque adeo de pane & vino, de azymo & fermentato, deque Euchariſticis formis, ſeu oblatis agimus. At ante iſta de omni, & ſingulo Miſſatico apparatu, id totum ſic diſtributum traditur.

Tom. I. ſive Lib. 1. a cap. 1. uſque ad XVII. Pars prima. De Miſſa, ejus nomine, inſtitutione, variis Eccleſiarum Liturgiis, ipſarum generibus, cæremoniis, ordinibus, ac formulis in Sacrificio cum ſolemni, tum privato adhibitis, nec non diverſis Catechumenorum, ac Pœnitentium Claſſibus, eorumque ac Fidelium in Eccleſia ſtationibus, & dimiſſione. Adjiciuntur nonnullæ Appendices, & Supplementa, quibus quæcumque dicta ad quædam capita tum in Textu, tum in Notis roborantur, & vindicantur.

Tom. II. ſive Lib. 1. a cap. XVIII. ad XXV. Pars ſecunda. De reliquis, quæ ad Miſſam, & ſpeciatim ad locum, tempus, quo celebretur, ejus præparationem, & apparatum pertinent, videlicet de Templis, Oratoriis, Altaribus, eorumque ornatu; de materia Sacrificii, ſingulariter de azymo, & fermentato. Item de ſacris indumentis Sacerdotum, & Miniſtrorum, ſupellectili ſacra, vaſis, & inſtrumentis ad Sacrificium ſpectantibus, denique de Miniſtris ipſis, eorum officiis, ſingulorum ordine, & Cantu Eccleſiaſtico. Adjiciuntur pro Appendice quamplures Eruditorum de celebri azymi & fermentati controverſia opiniones, & variæ hac de re Epiſtolæ ſelectæ, tum ipſius Cardinalis Bona, tum aliorum ad eumdem ſcriptæ antehac ineditæ.

Tom. III. ſive Lib. 2. in quo ſingulæ Miſſæ partes, & ritus in ordinem digeruntur, cauſæ inſtitutio, incrementa, mutationes, & quidquid in illis abditum, obſcurum, & difficile occurrit, ex antiquis monumentis, & ex praxi Eccleſiæ quantum fieri poteſt, expenduntur, & explanantur: ſcilicet a proxima Sacerdotis ad celebrandum præparatione, ipſiuſque acceſſu ad Altare, & receſſu, ſeu ab initio Miſſæ uſque ad finem. Nonnullæ item Appendices adjiciuntur.

Tom. IV. Continet Appendices duas ab Anthore jam editas, quarum prima exhibet Miſſam Latinam a Matthia Flacco Illyrico vulgatam Argentinæ; Altera fragmentum Miſſæ ab initio uſque ad Evangelium ad inſtar ſuperioris variis precationibus interpolatæ &c. de quibus Libri 1. cap. XII. ſubduntur aliæ duæ Appendices, quibus inediti hucuſque particulares Ritus Eccleſiarum Vercellenſis, & Auguſtæ Prætoriæ in Italia ſubalpina, Fragmenta inſuper Rituum Eccleſiarum Gebennenſis, & Tarantaſienſis in Sabaudia deſcribuntur cum brevibus adnotationibus ad quaſque ſingulas Liturgias. Claudunt vero totum Opus Diſſertationes aliquot adverſus Miſoliturgos, alioſque Pſeudo-Criticos ſparſim indicatæ, quibus res omnis Liturgica, & ejuſdem Cardinalis ſcripta exponuntur, & vindicantur; aliaque inſuper ſuo loco ſingulis Tomis addenda.

In hoc itaque opere ſic diſtributo non nudam profecto habes, Lector, Sacrorum Rituum, eorumque antiquitatis narrationem, ſed complura etiam veteris Eccleſiaſticæ diſciplinæ argumenta, ac præcipua nonnulla noſtræ Fidei Catholicæ Dogmata aſſerta, & propugnata, videlicet Miſſæ Sacrificium non nuperum, non humanæ inſtitutionis, non a Papiſtis, uti calumniantur Hæretici, confictum, non a Gelaſio, ſeu Gregorio I. Papa adinventum eſſe, ſed a Chriſto Domino inſtitutum, ab Apoſtolis uſitatum, a primitivæ Eccleſiæ Patribus, qui prioribus Fidei Chriſtianæ ſeculis floruere, certis quibuſdam cæremoniis diſpoſitum. De præſentia reali Chriſti Domini in venerabili Euchariſtiæ Sacramento omnibus in Liturgiis Occidentis,

& Orientis expreſſa, ejuſque Sacroſancta Latriæ adoratione ab univerſis Chriſtifidelibus ſemper, & ubique præſtita; De materia, forma, ac Miniſtris hujus Auguſtiſſimi Sacrificii, item de loco, ſeu Templis, Oratoriis, Ædibus, in quibus idem ineffabile Myſterium, qua lingua, veſtibus, vaſis, quo ordine, miniſterio, ac tempore confici, & celebrari debeat. De puritate mentis, & corporis, aliaque interna, atque exteriori neceſſaria præparatione, ſive de peccatorum confeſſione a Sacerdote præmittenda, ſi alicujus culpæ conſcius ſit, antequam ad Altare celebraturus accedat. De Canonis antiquitate, & veritate, de Communione, de Euchariſtiæ aſſervatione, aliaque id genus multa pertractata reperies, adeo ut nedum Sacrorum Rituum Studioſis utiles ſperamus fore Commentationes iſtas, verum etiam veteris, ac ferventioris diſciplinæ Sectatores perplura hinc teſtimonia informandis Eccleſiaſticorum moribus apta haurire, atque ipſi ſanioris Theologiæ Doctores enodandis, ſi opus iis fuerit, illuſtrandiſque de Re Eccleſiaſtica, ac Liturgica quæſtionibus non parum ſubſidii accipere poterunt. Unde etiam piorum, eruditorumque animos ex hujuſmodi ſacrarum diſquiſitionum varietate aliquantulum recreandos confidimus, quos ut & ab omni tædio allevaremus, non ſolum a minutiis quibuſcumque referendis, quantum licuit, abſtinuimus, ſed & nonnulla Philologica, ſeu literariæ eruditionis inſerere opportunum exiſtimavimus.

Cum vero id Opus aggreſſus ſim, ut Catholicam veritatem de Sacramento Euchariſtiæ, & Liturgiarum antiquitate conteſtatam adverſus Miſoliturgos, (ut jam dictum eſt) propugnare toto niſu contenderem, nemo mihi vitio vertat, quod in confutandis Sectariis, eorumque Commentis detegendis, acriori quam quod aliquibus videatur, uſus ſim calamo, & ab omni ipſorum laude abſtinuerim, præſertim cum adverſus Hæreſiarchas Lutherum, Calvinum, Wicleffum, Zvinglium &c. itemque eorum palpones Baſnagium, Oudinum, Caveum, Binghamum, alioſque hujus infecti furfuris homines Sacramentorum, Rerumque Liturgicarum, ac piorum omnium Eccleſiæ Rituum deriſores diſceptandum occurrit, id non inconſulto agendum adjudicavi, quoties illi præcipue dicteriis, mendaciis, conviciis, & ſcommatis in noſtrates Apoſtolicæ Orthodoxæ Romanæ Fidei, & ſingulatim Catholici alicujus dogmatis Euchariſtici contra ipſos aſſertores, ac vindices phanatici debacchantur; *Reſpondendum quippe eſt ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur*, ait omnium Sapientiſſimus in Proverbiis cap. 26. 5. quæ verba ſic interpretatur Extaticus Doctor Dionyſius Carthuſianus Commentar. in Sacram Scripturam: *juxta ſtultitiam ſuam*, inquit, *ideſt juxta exigentiam atque demeritum ſui ſtulti ſermonis da ei aptam reſponſionem, vel ejus verba ironice repetendo, vel ſuam inſipientiam ei declarando, aut eum increpatorie, aut reprobative interrogando, ſeu verba juſti rigoris, ac debitæ inventionis enunciando, ne putet ſe ſapientem, ſed ſuam avertat impietatem, & errorem.*

Neque id a Charitate, vel Chriſtiana manſuetudine alienum quiſquam putet, quia cum ſuperbi ſint, & contumaces, atque in ſuis erroribus perſiſtentes, Sadducæis, Scribis, & Phariſæis in protervæ voluntatis obſtinatione per omnia ſimiles, nolint reſipiſcere, etiamſi maniſeſte convicti palam confundendi, & increpandi ſunt iſti, ſicut illi a Chriſto Domino confuſi fuerunt, & increpati Matth. cap. 12. *Progenies viperarum quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali?* Et cap. 22. v. 9. *Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Item cap. 23. *Veh vobis duces cæci, qui dicitis: quicumque juraverit per templum, nihili eſt, qui autem juraverit in auro templi, debet: ſtulti & cæci; quid enim majus eſt, aurum, an templum, quod ſanctificat aurum?* Et toto hoc capite eoſdem arguens atque increpans ſic concludit: *Veh vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis. &c.* Et poſt pauca: *Serpentes & genimina viperarum quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Similiter ejuſdem Divini Magiſtri exemplo id factitatum eſt a Sancto Stephano Act. 7. 51. *Dura cervice & incircumciſis cordibus, & auribus vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Denique a S. Paulo. ibid. cap. 9. 22. *Saulus autem multo magis convaleſcebat, & confundebat Judæos.* Et quidem hæc confuſio dupliciter prodeſſe conſpicitur; per eam enim Hæreticorum authoritas minuitur, & illorum Affeclæ minori in pretio, ac æſtimatione eos habent, adeoque facilius ad Eccleſiam Catholicam revertentur: quando hæc confuſio rationabilis ſit, per juſtam ſcilicet reprehenſionem, aut apertam victoriam, non autem per iniquam criminationem, aut maledicta, quæ ſine dubio procul abeſſe debere dicimus.

Quod autem Hæretici, ut aſſeruimus, priſcis Sadducæis, Scribis, & Phariſæis in voluntatis obſtinatione perſimiles nolint reſipiſcere, ne id videatur a nobis tantum, & exceſſive dictum, audiendus quid de illis loquens ſentiat Sanctus Abbas noſter

noſter Bernardus Serm. 66. in Cantica. *Quantum ad ipſos* (de quibuſdam ſui temporis Sectariis, & heterodoxis hominibus profatur) *nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt, nec authoritatibus corriguntur, quia non recipiunt, nec flectuntur ſuaſionibus, quia ſubverſi ſunt &c.* Sed & multo ante Clarævallenſem Doctorem nimiæ ſuæ benignitatis erga Apollinariſtas hæreticos adhibitæ pœnitens, dolenſque S. Gregorius Nazianzenus Epiſt. ad Olympium hæc habet: *Ego cum omnium, maxime Apollinariſtarum cogitationem & impietatem perſpectam haberem, nec ferendam eorum audaciam cernerem, exiſtimabam tamen ſore ut lenitate mea manſuetos ac placidos eos redderem, ac paulatim emollirem; atque hoc mihi ſpe fingebam. Verum, ut apparet, illud minime, animadverti me pejores eos effeciſſe, ac per intempeſtivam hanc philoſophiam Eccleſiæ detrimentum, nec enim pravos homines lenitas inflectit.* Id & ipſi vel inviti non diffitentur Hæretici, utque ex iiſdem arma contra ipſos, alioſque hujuſmodi refractarios homines, & in Eccleſiam contumaces pro Catholicæ veritatis defenſione ſumamus, Guillelmus Cave Hiſt. Liter. Præf. in Sec. Scholaſt. *Hæreticos nudis ſermonibus* (ſcilicet abſque ratione increpatoria) *ad Eccleſiæ gremium haud facile eſſe reducendos* affirmare non dubitat. Quin & ipſe hujus nefarius Magiſter & hæreſiarcha Calvinus in refutatione errorum Michaelis Serveti inter cætera hæc ait: *Placida Chriſto mitiſque ſuavitas tribuitur, qua infirmos ſuſtineat, non qua robuſtam malitiam magis obduret. Manſuetus eſt Chriſtus, ut calamum quaſſatum non confringat; An ideo quoque ut eorum obſtinationem foveat, qui debiles confringunt? Manſuetus, eſt ut parcat ellychniis fumigantibus, an ideo ut tenebras non diſcutiat?* Hæc & alia in eumdem ſenſum ibi Calvinus, qui tamen falſo, & fruſtra contendit ſectæ ſuæ profeſſores a Prælatis, & Magiſtratibus ob errores animadverti, & diſtringi non poſſe, in Servetum autem, & Antitrinitarios potuiſſe; cum non minus ab Eccleſia univerſa damnata ſint, & fuerint ut hæretica Albigenſium, & Calviniſtarum dogmata, quam Serveti, & non minus illorum, quam iſtorum fautores, & defenſores Hæretici judicati. Vide Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. Sec. XIII. & XIV. Diſſert. 3.

Jure igitur arguendi ſunt iſti, & increpandi, nullo autem pacto laudandi, cum perverſi, & incorrigibiles nebulones facti perditiſſimi Orthodoxæ fidei, & implacabiles Pontificii nominis hoſtes unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, in qua omnium Sanctorum Patrum teſtimonio ac univerſorum Chriſtifidelium unanimi conſenſu, traditum veræ ejuſdem Chriſtianæ fidei depoſitum fideliter cuſtoditur, uti poſt Cyprianum lib. 1. Epiſt. 3. S. Hieronymus lib. 3. Apolog. contra Rufinum, item S. Auguſtinus lib. 2. de peccato Orig. cap. 8. & 9. qui & lib. de vera Relig. cap. 7. eamdem Romanam Eccleſiam unice Catholicam nedum a ſuis ſed & ab exteris appellatam oſtendit, præcipue etiam cap. 4. libri contra Epiſtolam Manichœi, quam vocant Fundamenti, ubi inter cætera habet: *Tenet me* (in Eccleſiæ Romanæ gremio) *ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes in iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cum omnes Hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniant, nullus hæreticorum, vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere*: Poſt hos, alioſque bene multos, præſertim Vincentius Lirinenſis in celebri Commonitorio adv. Hær. cap. 27. de eadem Romana Eccleſia loquens expreſſe aſſeverat *ipſam fidelem dogmatum fidei cuſtodem, quæ ſicut non amittit ſua, ita non uſurpat aliena*, & cap. 32. *ſedula*, inquit, *& cauta depoſitorum apud ſe cuſtos, nihil in iis umquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua*; hanc inquam, Sacroſanctam Eccleſiarum omnium Matrem a Chriſto Domino in Beato Petro Apoſtolorum Principe ſuper Petram fundatam ita dehonorant, tot calumniis, ſannis, & deriſionibus proſcindunt, ut meretrice illa Apocalypſæa plena nominibus blaſphemiæ pejorem nonnulli ipſorum præ cæteris impiiſſimi aſſerere non vereantur.

Neque vero me latet Scriptores quoſdam Catholicos nuper litteris conſignaſſe non oportere ſtudio partium ita nos addictos eſſe, ut aliquam illis laudem præripiamus, veluti Linguarum, Geographiæ, & Hiſtoriæ profanæ peritiam ipſorum Scriptoribus Druſio, Buxtorfiis, Lingtfootio, Scaligero, Grotio, Voſſio, Seldeno, aliiſque, cum nemini jure exprobari queat eos quidem in rebus citra fidem & dogmata cum eruditiſſimis Viris Morino, Huetio, Petavio, Baluzio, Noriſio, Valeſio, Pagio, Mabillonio, Boſſueto, Montfauconio, aliiſque Catholicis pluribus comparari poſſe; At iiſdem facile reſpondendum cenſeo cum nuperrimo Hiſpano Scriptore Clar. R. P. Michaele a S. Joſeph Ord. SS. Trinit. Excalc. Præfat. ad Tom. I. ſuæ Bibliothecæ Criticæ facræ, & profanæ num. IV. me etiam in Sectariis ingenium, & eruditionem ſuſpicere, nec ignorare plura quoque & ipſos utiliter de variis argumentis elucubraſſe,

braſſe, & ſcripſiſſe, quæ per Eccleſiam liceat fidelibus legere; eos tamen laudare, qui ſcientia ut plurimum tumidi vix non omnes pios mordent, & contemnunt, æquitatis, & convenientiæ jura non permittunt: Habent iſti laudatores Domeſticos ſuos, a quibus ultra menſuram efferuntur, inſoleſcunt vero cum ſe a Catholicis bonorari audiunt; hinc facile credunt jure ſe putari (ut & jactabundi ajunt) Papiſtarum magiſtros. Et ſane præſumptuoſi gloriabantur hujuſmodi Novatores ævi proxime præteriti Linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Arabicæ peritia, iiſque imbuti rem totam Theologicam ad grammaticales tricas, & dictorum idiomatum dialectos callide redigentes, Scripturam Sacram, aliter ac Eccleſia Catholica, per ſummam temeſiratem interprerabantur. Sanctos item Patres, eos ſaltem qui primis Eccleſiæ ſeculis floruerunt, obtorto collo ad ſuas partes trahere omni conatu molientes Catholicis ſcholæ Theologis Hiſtoriæ, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ignorantiam objiciebant. At quid inde? numquid hoc illis concedemus? abſit; hanc enim palmam in hujuſmodi ſtadio noſtris unice, & feliciori ſucceſſu delatam ipſis non refragantibus plane evincit Clar. Scriptor Ignatius Hiac. Graveſonius Hiſt. Eccl. Sec. XVI. Tom. 7. col. 5. & 6. Item Sec. XVII. colloquio 5. ubi plures ultra indicatos nobiles Catholicos Scriptores refert Linguarum peritiſſimos.

Non diffitemur tamen, & ſi referre diſpliceat, quod jampridem obſervavit Bartholomæus Medina inſignis Ord. Præd. Theologus quæſt. 1. Introductionis in tertiam partem Summæ D. Thomæ, quoſdam extitiſſe, & forte adhuc eſſe inter noſtrates Theologiæ Scholaſticæ Profeſſores, qui neglectis neceſſariis diſciplinis, frivolis, dumtaxat & ſuperfluis, futilibus, vaniſque indulgerent quæſtionibus, non diſſimiles ab iis, de quibus dicit Apoſtolus quod *languent circa quæſtiones & pugnas verborum, quod converſi ſunt in vaniloquium*, & quadam innovandi prurigine titillati (uti & ingenue affirmare non veretur laudatus Graveſonius loco indicato Colloquio 6.) nova commenta procuderent, atque iis mordicus adhærerent, cum tamen vera Theologia terminis a majoribus ſapienter conſtitutis circumſcribi, & ad Sanctorum Patrum doctrinæ normam revocari debeat. Quin etiam dolentes non negamus dictos Sectarios plus legere Sacram Scripturam in propriam ſui perniciem, quam nonnulli de noſtris ex indicata claſſe Theologi, ut ad ruinam ſponte labentibus auxilium ferant, plus illi ſacros Codices ſcrutari nituntur, ut corrumpant, quam iſti, ut vindicent, plus illi Sanctos Patres, veteres Scriptores, Annaleſque Eccleſiaſticos evolvunt, ut adulterent, & in alienos ſenſus detorqueant, quam iſti, ut e ſacris hiſce fontibus manifeſtam, & ingerentem ſe ultro oculis eruant veritatem, & adverſariorum impios conatus propulſent. Hæc licet, heu nimium! vera ſint, an propterea id Hæreticorum ſtudium laudabimus, numquid ipſorum hujuſmodi inſanis laboribus plaudemus, cum eos ſimiles illis mulierculis affirmet Auguſtinus lib. 2. de Civit. Dei Cap. 1. quas commemorat Apoſtolus Epiſt. 2. ad Timoth. cap. 3. 7. *ſemper diſcentes, & ad veritatis ſcientiam numquam pervenientes*? Adeo verum eſt quod laudatus Vincentius Lirinenſis cap. 43. Commonitorii adv. Hær. ſcribit, ſolemne eſſe Hæreticis, *ut ſemper profanis molitionibus gaudeant, Antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitionem falſi nominis ſcientiæ a fide naufragent. Contra vero Catholicorum hoc proprium, depoſita Sanctorum Patrum, & commiſſa ſervare, damnare profanas novitates, & ſicut dixit Apoſtolus: Si quis annunciaverit præterquam quod acceptum eſt, anathema ſit.* Ita Vincentius, qui exinde hæc ibidem habet: *Annunciare aliquid Chriſtianis Catholicis, præter id quod acceperunt, numquam licuit, numquam licet, numquam licebit: & anathematizare eos, qui annunciant aliquid præterquam, quod ſemel acceptum eſt, numquam non oportuit, numquam non oportet, numquam non oportebit.*

Laudent itaque Hæreticos, eorumque Sectatores qui velint, noſtri non laudent. Enimvero quis eos laude dignos exiſtimet, quin potius execratione juxta laudati Lirinenſis effatum, qui dogma Catholicum, præcipue circa Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, ejuſque Liturgicos Ritus, inveterato odio infectantes, non ſycophantiis, non malis artibus, nec intortis ad fallendum ſophiſmatis parcunt, qui in hoc omnem collocant induſtriam, ut luci offundant tenebras, & manifeſtiſſimas implicent veritates, qui toties proſtrati, ac dejecti caput inſolenter erigunt, & quaſi de reportata victoria pluſquam Thraſonica oſtentatione gloriantur? Tales fuerunt inter cæteros Miniſtri illi Calviniani Sacramentarii, qui licet in Colloquio Poiſſiacenſi dicto, ubi de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ac de reali in ipſo Chriſti Domini præſentia contra ipſos glorioſe diſputatum fuit, a Catholicis confuſi, & victi fuiſſent, tantum abfuit, ut palinodiam decantare voluerint, & confeſſas veritati Orthodoxæ, tam evidenter demonſtratæ, ac propugnatæ præbere manus, ut potius ſibi intus canentes

victo-

victoriam temere adſcripſerint, quemadmodum conſtat ex nequiſſimi Theodori Bezæ, qui ibi cum illis comminiſtris iniquitatis dejectus fuit, Epiſtolis ad Hæreſiarcham Calvinum magiſtrum ſuum, dignum ſane hac patella operculum, ſcriptis inter Calvinianas Epiſt. 309. & ſeqq.

Catholicam porro fidem, & doctrinam de Calviniana hæreſi in Poiſſiacenſi Conventu triumphaſſe, quidquid ſceleratus Apoſtata effutierit, facile quiſque dignoſcet, tum ex dolis maliſque artibus, quas ad diſſimulandam fidem ſuam de tremendo Altaris Sacrificio Calvini Aſſeclæ adhibuerint, uti ex ipſis Colloquii Actis, ac variis fidei formulis deſuper hac de re confectis inter ſe diſcrepantibus, quæ in ipſa Hiſtoria Eccleſiarum, ut ajunt, Reformatarum referuntur a Beza lib. 4. pag. 608. & in Apologia contra Sanctesium, tum etiam ex doctiſſima Cardinalis Lotharingi Oratione ibi edita lib. 5. pag. 502. de qua item pag. 528. ubi multa tam copioſe, tam ſapienter, tam præclare totius Eccleſiaſtici Ordinis nomine dixit eloquentiſſimus Princeps, ut omnes in ſumma admiratione rapuerit, & adverſarium Bezam nedum cauſæ quam tuebatur, meritis, ſed & ingenii vi, doctrinæ ubertate, argumentorum pondere, verborum efficacia, ac rationum copia longo intervallo ſuperaverit, quod & fatebitur, quí a ſtudio partium liber hanc orationem conferet cum ea, quam Beza habuit ibidem relata poſt dictam ad an. 1561.

De hoc Colloquio videndi Claudius de Sainctes Canonicus Regularis in Reſponſione ad Apologiam Bezæ, Franciſcus Balduinus ad ejuſdem calumnias, ambo ipſi dicto Colloquio præſentes, Hieronymus Bolſecus Catholicæ quondam Religionis Apoſtata, & Calvini individuus comes, divina poſtmodum adſpirante gratia ad Eccleſiæ gremium reverſus, in Vitis, quas ſcripſit Calvini, & Bezæ, Florimundus Remundus Senator Burdigalenſis, & ipſe olim Calviniſta, at cum interfuiſſet, vidiſſetque propriis oculis Lauduni quamdam fœminam energumenam nomine Nicolaam Obry inſigni, & evidenti miraculo, porrectione ſcilicet Sacroſanctæ Euchariſtiæ a nefario Spiritu liberatam circumſtantibus decem hominum millibus, Notariiſque publicis Acta excipientibus, procurantibus id Calvinianis, qui rem ſuppoſititiam quoquo modo videri cupiebant, tantæ rei, factique ita conſpicui admiratione commotus, & ſe a Dæmonis poteſtate, hæreſiſque erroribus eductum ad Fidem Catholicam tunc reverſum ſcribit, ac omnia quæ de dicto Colloquio memoravimus, de ortu hæreſum ſui temporis Sec. XVI. lib. 2. Videndi item plures alii, quos Stanislaus Reſcius recenſet in ſuis Sectarum Evangelicarum Centuriis. Teſtes hi ſunt, quos uti olim ſuos, Calviniſtæ refutare non debent.

Finis non erit, ſi eorum deliria, dolos, aſtutias, ac machinamenta contra Catholicos, præſertim circa Miſſæ Sacrificium, Euchariſtiæ Sacramentum, ejus aſſervationem, atque omnes Liturgicos Ritus, quos noſtrates Orthodoxi, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ pugiles viriliter pro Dei aris, & focis decertantes propugnabant, percurrere vellem; ſatis ſit ad eorum confuſionem, ut tandem reſipiſcant, qui nunc magiſtri erroris, tandem diſcipuli veritatis, ut Chriſtianum hominem decet, ex animo eſſe, & ad fidei unitatem redire velint, victoriam illam ejuſdem Romanæ & Apoſtolicæ fidei referre, quam doctiſſimus Cardinalis Jacobus David, ſeu, ut alii dicunt, Davitius, aut Davius Perronius Hæreticorum, in Gallia maxime, malleus fortiſſimus, tunc Epiſcopus Ebroicenſis de Philippo Mornæo Dupleſſio nobili Normanno Calviniſtarum Primipilo, ac infenſiſſimo Romanæ Eccleſiæ hoſte retulit in celebri Diſputatione, ſeu Colloquio, quod coram ipſo Galliarum Rege Henrico IV. & ſelectis ex utraque parte judicibus habitum fuit ad fontem Bellacqueum prope Pariſios anno 1600. Huic notiſſimæ Collationi occaſionem præbuit Liber, quem Gallico idiomate conſcriptum ediderat Mornæus hoc titulo: *De Miſſæ abuſibus, & antiquo Sacræ Euchariſtiæ uſu*: eleganti quidem ſtylo, & quibuſdam polituli ſermonis leporibus comptus, ſed innumeris Sanctorum Patrum teſtimoniis, aut falſis, aut interpolatis, aut plerumque in ſiniſtrum ſenſum detortis ſcatens, in quibus citandis dictus Mornæus, ut ajebat, a ſuis Calvinianis Miniſtris deceptus fuerat, qui ejus calamo abutentes hæreticorum more, quibus id proprium, cum SS. PP. authoritate falſam doctrinam aſſtruere quærunt, aut tentant, ſuggeſſerant ei loca eorumdem Patrum falſata, corrupta, truncata, & contrario prorſus ſenſu adducta, quæ ipſe pro fide, quam eis habebat, abſque ulla alia diſcuſſione ſuo Operi inſeruerat.

Hunc Librum ita male conſarcinatum cum perlegiſſet Perronius, ut erat in SS. PP. lectione ac in dogmaticis controverſiis pertractandis verſatiſſimus, quingenta, & amplius loca ex antiquis Patribus, & Scholaſticis Doctoribus eo in libro adulterata, ac falſo citata ſe demonſtraturum exhibuit. Id iniquo animo ferens Mornæus a Rege poſtula-

poſtulavit ut Collationem indiceret, Judices perſpectæ probitatis, ac doctrinæ ſingularis nominaret, qui citata ab ipſo veterum Scriptorum teſtimonia accurato examinarent criterio; annuit Rex, & publicam Collationem apud dictum locum indixit, Judices notiſſimos utraque ex parte acceptos ſelegit, quos recitat Spondanus ad annum 1600. num. 9. & ſeqq. ubi hanc Concertationem fuſe narrat, ipſeque Rex eidem Colloquio intereſſe voluit. Productis itaque in medium Sanctorum Patrum Operibus, eorum textus perperam a Mornæo citatos, corruptos, ac vitiatos oculis Judicum ſubjecit Perronius, qui ita eſſe illi affirmarunt; quo factum eſt, ut quaſi repentino fulmine ictus Mornæus, vehementiſſimo lapſuum ſuorum dedecore confuſus in graviſſimum morbum inciderit, & ad curandum ſe ſe Salmurum, cujus Urbis Præfectus erat, aſportari fecerit.

Sed ne hic exemplo, ut ſupra profligati licet Theodori Bezæ ſibi triumphum accineret, & ea, quæ hac in celebri tam conſpicua Collatione acta fuerant inficias ire, aut eludere doloſus poſſet Calviniſta, laudatus Perronius immortale Gallicanæ Eccleſiæ decus, ad obſtruenda hæreticorum ora loquentium iniqua, hujus famoſæ Diſceptationis, & Colloquii acta luce publica donavit Regia Authoritate, & Approbatione munita, in quibus Calviniſtæ Sacramentarii, ac Miſoliturgi quique perpetuam ignominiæ ſuæ memoriam, Catholici vero omnes Orthodoxæ Euchariſticæ Fidei Profeſſores ejuſdem tam inſignis victoriæ monumentum ære perennius habebunt. Quod autem hæc ita fuerint, fatentur vel ipſi Sectarii; etenim Soffredus Colignius Navarræ Cancellarius pro Calviniſtis cum Iſaaco Caſaubono Judex in illo Colloquio deputatus, qui tamen morbo præpeditus adeſſe non potuit, cum a Pleſſæo peculiari ſcripto exagitatus quod nimium in ſe rigoris oſtenderit, ab eo ſe excuſans veritati teſtimonium perhibuit. Maximilianus item Bethunæus Sulliaci Princeps ejuſdem, qua Mornæus, Sectæ hæc omnia ſincere refert ſuis in Monumentis de Henrico Magno dicto editis Amſtelodami, & Pariſiis. Denique Canajus Fraxineus Judex pariter ex Calviniſtarum parte in dicto Congreſſu delectus Perronii rationum pondere victus hæreſim abjuravit, quod & præſtiturus erat Caſaubonus, niſi levitas animi vacillantem eum perpetuo teneriſſet, cum his & illis placere cuperet, nec ullis ſatisfaceret, cujus tamen filius Catholicam fidem profitendo Capuccinorum etiam habitum ſuſcepit. At hæc ſatis dicta ſint non tantum pro facti hiſtoria, atque Orthodoxæ Romanæ Fidei veritate, ſed & pro meis utcumque vindiciis adverſus omnem Hæreticorum laudem. Reliqua proſequamur.

Scio præterea Proteſtantes pariter nolle Hæreticos, vel Sectarios appellari, aut cum iiſdem confundi, idque ægre admodum ferre, uti perſpicue ex eo patet, quod ex ipſis Samuel Baſnagius Annal. Politico-Eccl. Tom. I. ad an. 58. num. 14. quoad hoc vocabulum de Cardinali Bona conqueritur, at illum injuſte dolentem oſtendemus, ſeque ac ſuos, quandiu ab Eccleſia defecerint, ita vocari debere confirmabimus lib. I. ad cap. 8. §. 3. nota 5. eos autem potius vocari vellet Reformatos, & Evangelicos; Verum tales iſti non amplius eſſent, ſi ſe quales vere ſunt, ab Orthodoxa Fide extorres agnoſcerent: & ſane omnes infideles eadem ratio ab hac nota eximeret, quæ ſemel ad Novatores excuſandos valeret; Siquidem neque Pagani, neque Judæi, neque Turcæ, neque veteres quotquot variis temporibus hæretici fuere, quos condemnavit Eccleſia, errare ſe iſti credebant, minus vero profitebantur: ſed illos potius deceptos, malæque cauſæ patronos putabant, qui ipſorum errores refellebant, nulliuſque infidelis ignorantia, nec ipſa hominis athei inſipientia umquam damnaretur, ſi ad id expectandum eſſet judicium, & ſententia errantis. Nemo profecto judex in propria cauſa, & in rebus fidei, ac morum Eccleſiam judicem conſtituit Chriſtus Dominus Matth. 18. & quidem illam a ſe ſuper Petram in Petro fundatam, quæ alia prorſus non eſt, niſi Romana, ubi Petri Cathedra reſidet, quamque non audierit, ſit tamquam Ethnicus, & Publicanus; quare quidquid ogganniant Sectarii, & ex eorum grege pridem Schelhornius, in judicio P. Edmundi Campiani expenſo §. 4. ac nuper memoratus Baſnagius loco citato, veriſſimum eſt quod Jacobus Gretzerus ſcripſit in Bellarmino defenſo pag. 1. „ ut quis ſit hæreticus, & „ hoc etiam nomine, ſi quæ eſt ea gloria, cohoneſtetur, ſufficit judicium, & conſenſus ejus Eccleſiæ, quæ toto terrarum Orbe ante diffuſa erat, quam hæc, vel „ illa hæreſis naſceretur; ut ergo poſt Concilium Nicænum Arius rectiſſime, & juſtiſſime appellabatur hæreticus, & quidquid de hæreticis generatim ſcribebatur, „ id in Arium quoque quadrabat, quidquid ipſe contra vociferaretur, ſic & hodie „ poſt Tridentinæ Synodi definitionem, & condemnationem Lutherani, & Calviniani „ merito ſuo hæretici audiunt, & quidquid de hæreticorum nequitia, & improbi-

„ tate

„ tate dicitur, aut ſcribitur, ad illos quoque tangit, vel potius ferit, licet ob-
„ luctentur, & hæreſeos notam a ſe aboleri ſtudioſe conentur, ſed fruſtra; præva-
„ let ſententia Concilii, ut Sanctus Auguſtinus loqui ſolet, plenarii, a quo iſti
„ culpa ſua in hæreticorum catalogum relati ſunt: Hæc Gretſerus.

Et ſane cum & ipſe Calvinianus Scriptor Guillelmus Cave ſciens, & volens in Hæreticorum cenſum optime referat Arianos, Neſtorianos, Eutychianos, alioſque ſimilis impii furſuris homines pleriſque in Præfationibus ad ſingula ſecula ſuæ Hiſtoriæ Literariæ Scriptorum Eccleſiaſt. quia ab Eccleſia in Conciliis generalibus ibi ab ipſo indicatis condemnatos, ecquis exprobrabit inter eumdem Sectariorum numerum referenti Zuinglianos, Calviniſtas, Lutheranos, cæteroſque hujuſmodi Novatores, utpote ab Eccleſia Catholica in Oecumenica Synodo Tridentina damnatos? Ad id aſſerendum magni Cardinalis Stanislai Hoſii exemplum nos movet, de quo Reſcius item Stanislaus in ejus vita lib. 2. cap. 32. pag. 211. & ſeq. *Admonebatur*, ſcribit, *a quibuſdam amicis & neceſſariis ſuis, ut vel nullum de religione verbum in Senatu Regni faceret, vel mitiores aliquanto ſententias diceret, & eos, quos oppugnandos ſuſcepiſſet, Evangelicos potius, quam hæreticos nominaret, ſed ille plenus Dei fiducia, & omnes Chriſto lucrifacere cupiens, cum ſcriptum in Eccleſiaſtico meminiſſet*: ne ſis humilis in tua ſapientia: *Vivit, ait, Dominus, ſicut in Paralipom. legimus*, quia quodcumque mihi dixerit Dominus, hoc loquar: *maluitque etiam de Patria, ſi res ita poſtularet &c.* Et poſt nonnulla: *Quod Hæreticorum appellationem attinet, ſi ægre ferunt, ait Hoſius, Novatores iſti quod Hæretici appellentur, non ſint, quod dici nolunt; fugiant ipſi rem, & ego vocabulum non attingam, deſciſcant a mente impia, & ego ab hac ignominioſa appellatione diſcedam; ego enim nihil aliud didici quam ſicum, ſicum, ligonem, ligonem appellare. Hæreſis ab electione dicitur, iſti autem ſibi novas religionum formas ſeorſum ab Eccleſia elegerunt, novas ſiduculas condiderunt; cur eos pudet audire quod facere non pudet? niſi forte Evangelicorum nomen propterea ſibi deberi exiſtiment, quod Evangelium everterint, ſicut Scipio dicitur Africanus, quod Africam devicerit, & propterea, ſicut fidem, ita quoque veterem Chriſtianorum appellationem rejecerunt*. Sic eximius S. R. E. Purpuratus Princeps, novitatum oſor Hoſius, & acerrimus Hæreticorum hoſtis, cujus laudanda veſtigia premere nobis profecto quiſpiam Religioſus & prudens Orthodoxæ fidei aſſertor commendabit, & plaudet. Nemo itaque nos conturbet, ſi in hoc Opere Liturgico perſequendo eoſdem Novatores pariter hæreticos, Sectarios, alioque hujuſmodi nomine vocabimus. Sed ad rem noſtram de Liturgicarum Rerum ſtudio, & utilitate procedamus.

§. III.

De Liturgiarum antiquitate, earum notitia, ac hujuſmodi ſtudii præſtantia, & utilitate.

NOtitia, ſeu Hiſtoria Liturgiarum, diſciplinæ ſcilicet Ritualis, ſeu cæremonialis Eccleſiaſticæ quam utilis, quam neceſſaria ſit, ex variis argumentis patet. Et vero primum hæc plurimum confert ad veritatem Chriſtianæ Religionis confirmandam; quemadmodum enim S. Joannes Apoſtolus eo præſertim fine Evangelium ſuum ſe ſcripſiſſe aſſerit, ut fides in Chriſtum Dominum per recenſionem factorum ipſius in hominum animos infunderetur cap. 20. 31. ita & Eccleſiæ geſta in ejuſdem fidei publica confeſſione eamdem ob rationem in Liturgicis libris deſcripta ſunt, ut ex his cognoſceretur nedum admirabilis ejuſdem propagatio, atque inter medias perſecutionum procellas, perverſoſque hæreticorum conatus conſervatio, ſed perpetuo ab eadem cuſtodita uniformis in divino cultu peragendo quoad præcipuos maxime, & principaliores ſacroſanctæ Euchariſtiæ conficiendæ ritus obſervantia, ac continuata pes omnia ſecula tam Venerabilis, & Auguſtiſſimi Sacramenti adoratio, qua Chriſtum Dominum ibi realiter præſentem credidit ſemper, & credit. Utilis præterea hæc Liturgica ſcientia eſt, tum ad exponenda, tum ad propugnanda fidei noſtræ myſteria; quæ enim obſcurius in Sacramentis, apertius per ritus ſacros, ac cæremonias adjunctas manifeſtantur. Sic Auguſtinus lib. 1. de pecc. mer. & rem. cap. 34. & lib. 10. in Julianum cap. 2. ex exorciſmis, qui baptiſmum antecedunt, invicte demonſtrabat in parvulis originale peccatum. Utilis item ad conſervationem Religionis, divini ejuſdem cultus majeſtatem, & ad diſtinctionem Catholicorum ab Hæreticis; Religio quippe per actus externos conſervatur, id vero maxime præſtant cæremoniæ, ne illa vileſcat, & contemnatur, ſicque paulatim pereat; ſed potius efficiunt, ut continuo uſu frequentata vigeat, & magis in dies efflореſcat; homo enim, qui anima & corpore conſtat, Deum colere & honorare tenetur tum internis animi, tum externis corporis actionibus; & ad id debitum cultum eidem ſupremo rerum omnium

Domino juſte perſolvendum quamplurimum conferant ſacri Liturgici Ritus, exponit Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ cap. 5. his verbis: *Cum natura hominum ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia Mater Eccleſia Ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia vero altiore in Miſſa pronunciarentur, inſtituit; Cæremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lamina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina & traditione, quo & majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, & fidelium mentes per hæc viſibilia Religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Succinit Concilio Catechiſmus Romanus ejuſdem Synodi juſſu editus parte 2. num. 16. ubi eadem eodem ferme conceptu exprimuntur.

Sed & multo ante id temporis externos hujuſmodi orantium geſtus, atque corporis conformationem per certos ac determinatos piorum rituum actus, atque religioſarum aliquot ſpecialium cæremoniarum exercitationem plurimum ad pietatem prodeſſe docuit S. Auguſtinus libro de cura pro mortuis gerenda cap. 5. num. 7. *Nam*, inquit, *& orantes de membris ſui corporis faciunt quod ſupplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo, etſi quid aliud viſibiliter faciant, quamvis eorum inviſibilis voluntas & cordis intentio Deo nota ſit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei paadatur animus: ſed hinc magis ſe excitat homo ad orandum, gemendumque humilius, atque ferventius; & neſcio quomodo, cum hi motus corporis fieri uiſi motu animi præcedente non poſſint, eiſdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur, ac per hoc cordis affectus, qui at fierent iſta præceſſit, quia facta ſunt, creſcit.* Denique per ſacros Ritus & cæremonias diſtinguimur ab Hæreticis; illi etenim nnnnulla quidem nobiſcum communia rètinent Sacramenta, ſed in Ritu, ac mndo ea ſnlemniter adminiſtrandi multum a nnbis diſſident. Neque opponant Nnvatnres Ritus noſtros fere omnes a Judæis acceptos eſſe, quos etiam Pagani, ſeu Ethnici ſuos ſacrilega imitatione fecerunt. Quid tum? An non rècti & laudabiler erant Iſraelitarum Ritus, quos Deus ipſe inſtituerat? An non licuit Eccleſiæ, ut facilius ad unitatem fidei Judæos & Gentiles adduceret, nonnullos eorum Ritus retinere, eoſdem omni ſublata ſuperſtitionis umbra conſecrando ac ſanctificando? Hac certe prudenti œconomia uſi fuere Apoſtoli in Cnncilio Hieroſolymitano, cum primis Chriſtifidelibus legem ad tempus impoſuerunt abſtinendi a ſanguine, & ſuffncato, a quibus Judæi abhorrebant, qui tam cito ſortaſſe ad oppoſitam, & novam diſciplinam transferri nnn potuiſſent. Quod ſi nonnulli quandnque nnſtratum ſint, qui vel imprudenti ſimplicitate, aut affectata devotione acti ſacratum cæremoniarum apparatu aburuntur, quaſi Religionis ſummam in illis collocando, eos utique improbamus; etenim cæremnniæ, (ut in prælaudato, Catechiſmo Rnmano dicitur) *tametſi prætermitti ſine peccato non poſſunt, niſi aliud facere ipſa neceſſitas cogat: tamen ſi quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramenti ratione imminui credendum eſt.* Hinc vitium illud hominis quidem eſt cæremoniis abutentis, non earum, quibus abutitur. Nec quempiam moveat quod tam ſimplici cultu Eccleſia primis ſeculis divina celebraret myſteria; metu quippe perſecutionum in cryptis, Inciſque ſubterraneis abſcnnditi Fideles ſine ullo ferme ſpecialis pompæ apparatu, aut exteriori decoratione ſacra peragere engebantur. At vero reddita pace, cum ex Conſtantini Imperatoris indulto, ejuſque beneficio, ac favore paululum reſpiravit, mirum quo magnifico ſumptu erecta templa, & ornata, qua rituum venuſtate, & amplitudine divina fuerint officia celebrata: legendus hac de re Euſebius in Vita ejuſdem Conſtantini, noſque item Tomo II. cap. 19. & 20. de Templis, enrum ſtructura, & ornatu, plura ex veterum mnnumentis dicemus.

His omnibus quoad Liturgici ſtudii præſtantiam & utilitatem prælibatis, ulteriora ſiſtimus documenta proferre, dum ex ipſis Sectariis Sacris Eccleſiæ ritibus minus averſi æquum huic ſenrentiæ teſtimnnium perhibere nnn refragantur. Hns inter Chriſt. Matthæus Pfaffius Tubingenſis, Lutheri licet erroribus infectus, in Diſquiſitione de Liturgiis, Miſſalibus, Agendis, & Libris Eccleſiaſticis Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis, veteris & modernæ, quam ad calcem ſuarum Inſtitutionum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ attexuit, edit. Tubingæ an. 1721. Prologo ad Lectorem vel invitus fatetur „ quod cum Libri Eccleſiaſtici, Liturgiæ, atque Agenda, quæ vocant, „ Eccleſiaſtica publica authoritate, atque approbatione tntius, ubi quidem eorum „ eſt uſus, Eccleſiæ gaudeant, cum etiam antiquiſſimæ illæ, quæ in Eccleſia Orien„ tali, atque Occidentali olim viguere, atque etiamnum vigent, Liturgiæ ex Apo„ ſtnlicis temporibus multa trahant, cum denique nonniſi ex Liturgiis cultus pu„ blici ratio derivari, atque erui poſſit, facile eſt perſpicere magnam eaſdem lucem

„ omni

„ omni Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, maxime vero Dogmaticæ, & Rituali afferre, nec „ ſaltem curioſitatem Eruditorum paſcere, ſed & præclaris, egregiiſque obſervatio„ nibus animum imbuere„. Idem repetit in Epimetro dictæ Diſquiſitionis pag. 72. ubi hæc ſubdit: „ Porro quænam veteris Eccleſiæ de Sacramentis ſingulis doctrina „ extiterit, ex his maxime tanquam ex earum fontibus diſcere nos oportet, nec „ inane hoc eſt, quod jam diximus, veteres Liturgias egregiis quoque obſervatio„ nibus aſceticis, atque haud temnenda pietate animum imbuere, quod qui inficia„ ri audet, legat, quæſumus, Liturgias Græcas, legat eam, quæ in Conſtitutioni„ bus Apoſtolicis extat, legat Chryſoſtomianam, legat & Joannis Bonæ Libros, „ quibus Res Liturgicas veteres is explicavit, egregiiſque animadverſionibus adſper„ ſit. Denique ad Theologiam Polemicam ſolidius tractandam hoc ſtudium vel ma„ xime pertinet. Ita qui de cultu, & invocatione Sanctorum accurari quid dare„ „ tentaverit, ſine veterum, recentiorumque Liturgiarum inſpectione nihil egregii ef„ ficiet. Idem de cultu Imaginum, & Reliquiarum Beatæ Virginis Deiparæ dictum „ eſto„: Hæc heterodoxus Scriptor, ex quo etiam vides etudite Lector, & Eccleſiaſtice Philalethes quam viro ſacro, Deique cultus amantiſſimo dignum, ac religioni promovendæ proficuum ſit venerandæ antiquitatis Liturgicæ ſtudium.

Sic itaque eodem commendato, illud primo pro certo ponendum ab Apoſtolorum ætate ad noſtra tempora numquam in Eccleſia prætermiſſum fuiſſe Sacra Myſteria celebrari, ubicumque Chriſtiana Fides, & Religio radices fixerat, niſi alicubi forteſſe, id impediente perſecutionum immanitate. Primam vero Sacræ Liturgiæ celebrandæ ſpeciem, ac normam quamdam primus nobis ſcripto tradidit Apoſtolus Paulus Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 2. ubi ait: *Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus &c.* Quæ Apoſtoli verba haberi procul dubio poſſunt inſtar primæ Liturgiæ, qua uſi ſunt Apoſtoli, eorumque Diſcipuli, ac priorum temporum Chriſtifideles ad initium uſque ſecundi Eccleſiæ Seculi, atque in iis continetur quidquid ad Auguſtiſſimi Altaris Sacrificii naturam ſpectat; & revera ex Auguſtino Epiſt. 59. ad Paulinum, quæſt. 5. vel Epiſt. 149. num. 15. 16. item ex Proſpero Aquitano lib. 1. de vocatione Gentium cap. 47. eadem complectuntur præcipuas quatuor Miſſæ partes, quæ religioſe in unaquaque Liturgia deinceps prodita in Eccleſia ſervatæ ſunt, videlicet precationes ante conſecrationem, alias pro conſecratione, alias ad benedicendum populum, & poſtremo loco gratiarum actiones; uti etiam ſuo loco ad cap. 8. §. 1. nota 1. plenius demonſtrabitur. Hinc cum Liturgia Sacra a ſecundo ſaltem Seculo quamplurimis precationibus, orationibus, obſecrationibus, gratiarum actionibus, Epiſtola, Evangelio, aliiſque Miſſæ obſecrationibus, ac petitionibus e Sacris Literis depromtis redundaret, uti ex Juſtino Mart. circa finem Apologiæ 2. quem refert Cardinalis noſter lib. 1. cap. 4. §. 4. cujus inter cætera hæc ſunt: *qui fratribus præeſt .... Euchariſtiam, ſive gratiarum actionem pro eo quod nos donis ſuis biſce dignatus ſit, prolixe exequitur*, neceſſarium erat eamdem Liturgiæ formulam in Codice aliquo deſcribere, ut univerſa Eccleſia uniformes ritus, quod attinet ſaltem ad eorum eſſen[illegible], ſervaret, eadem ſacrificandi rario ubique conſifteret, ac removerentur abuſus, cu[illegible]idam longius æquo Sacrum protraxiſſent, alii brevius, quam par erat, abſolviſſe[illegible] quod item fuſius ad loca citata oſtendetur.

His poſitis, ſi Sacrificium Miſſæ ab Eccleſiæ primordiis ſine intermiſſione celebratum fuit, ſi numerus ingens orationum, & cæremoniarum ipſi diverſis temporibus additarum exigebat ejuſdem Liturgiæ ordinem ſcripto conſignatum fuiſſe, ſi nonnullæ ſub Apoſtolorum nominibus editæ Liturgiæ veluti illa Petri Apoſtolorum Principis a Lindano promulgata, item Matthæo, Marco, Barnabæ, ac duodecim Apoſtolis tributæ dubiæ fidei ſunt, uti cap. 8. videbitur, conſequens neceſſario eſt inter omnes, quæ circumferuntur, Liturgias, eas tantum quæ Sancti Jacobi Apoſtoli, & Sancti Clementis I. Papæ titulis inſcribuntur, potuiſſe Apoſtolorum temporibus uſurpari ad quartum uſque Seculum, atque primos extitiſſe fontes cæterarum, quæ in Oriente, & Occidente uſum habent; Jacobi quidem Liturgia in Græca Eccleſia, & Clementis in Latina, ea ſcilicet Liturgia, ſeu Miſſa ab eodem Conſtit. *Apoſt. lib. 7. cap. 25. & ſeqq. ac lib. 8. cap. 15. & ſeqq. deſcripta, ſive Sanctus Petrus Apoſtolorum Princeps illam digeſſerit, & Clemens, aut Petri Succeſſor aliquis eam ex ejus inſtitutis collegerint, ſive ipſam ab Apoſtolicis viris didicerint. Utut autem ſit, ex omnibus probata tradirione compertum eſt rationem, & ordinem Sacrificii celebrandi in Eccleſia Occidentali, & præſertim Romæ originem ducere ab eodem Sancto Petro Apoſtolo, ſive quod illum ſcripto conſignaverit, ſi-

ve, ut diximus, alii ipſum confecerint ex iis, quæ viderint eumdem Apoſtolorum Principem in dicto Sacrificio peragendo obſervaſſe. Id autem firmat Innocentius I. qui ſedit ab anno 402. in celebri Epiſtola ad Decentium Eugubinum, ex quo habemus Miſſæ ordinem a Petro Apoſtolo traditum Romanæ Eccleſiæ, cui Succeſſores aliquot preces, & cæremonias addiderunt; atque in hunc ſenſum inquit Vigilius Papa, qui medio fere Seculo VI. floruit Epiſt. ad Profuturum Bracarenſem Epiſcopum: *Ordinem precum, & orationum in celebritate Miſſarum ex Apoſtolica traditione accepimus.* Iſidorus Hiſpalenſis ejuſdem ferme temporis Scriptor lib. 1. de Eccleſ. Off. *Ordinem Miſſæ*, inquit, *vel orationum, quibus oblata Deo Sacrificia conſecrantur, primum a Sancto Petro inſtitutum fuiſſe.* Demum Wvalafridus Strabo Augienſis Abbas lib. de Rebus Eccleſ. cap. 22. *Et Romani quidem*, ait, *uſum obſervationum a Beato Petro Principe Apoſtolorum accipientes ſuis quique temporibus quæ congrua judicata ſunt, addiderunt; quorum morem ideo in ſacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia & tanti magiſterii ex apice Apoſtolico clarent &c.* Hæc omnia confirmant duo præſtantes viri, Gabriel Albaſpinæus Sac. Obſerv. lib. 1. cap. 3. ubi de Clementis Operibus loquens, ſeu de Conſtitutionibus Apoſtolicis ab ipſo exaratis, in quibus Liturgiæ Ordo ut ſupra a Petro traditus, ſeu Miſſa Romana tunc uſitata deſcribitur, non dubitat aſſirmare Librum hunc fuiſſe olim Eccleſiæ præſertim Latinæ inſtar Ritualis Pontificalis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ Codicis, ac Collectionem eſſe variarum conſuetudinum, ſeu morum, qui paulatim in Eccleſia invaluerunt, atque a Clemente Romano, qui illos ab Apoſtolis audierat, ſcripto traditi ſunt. Adſtipulatur Albaſpinæo Joannes Morinus de Sac. Ordinat. Parte 2. in Præfat. qui eadem pene ad verbum exprimit. Atque inde ab Eccleſia Occidentali Latina ad Græcam Orientalem tranſeamus.

Et primo, ſive Jacobus Apoſtolus Ordinem celebrandæ Liturgiæ verbo, aut ſcripto primitivæ Eccleſiæ, præſertim Hieroſolymitanæ, cui ut Epiſcopus præerat, tradiderit, quam Patres Apoſtolici ſuis poſtea Eccleſiis reſpective commendaverint, ac Sancti Juſtinus, & Cyrillus Hieroſolymitanus nedum cognoverint, verum etiam ſuis Lucubrationibus inſeruerint, quod dici, propugnarique non improbabiliter poſſe Honoratus a S. Maria perſpicue oſtendit de Critices uſu Tom. 3. lib. 5. Diſſert. 3. §. 4. & nos etiam ſuo loco vindicabimus; ſive eadem Liturgia ſaltem prout modo extat, rigidioribus Criticis credatur apocrypha, longeque poſt Apoſtolorum tempora evulgata, quam tamen Apoſtoli fœtum eſſe proferemus, hoc firmiter tenendum, vetuſtiſſimum, atque Apoſtolis coævum fore illum Liturgiæ Ordinem, quem S. Juſtinus, non ut adinventum, aut recens apud fideles uſitatum, ſed antiquum, & ab initio receptum, planeque Apoſtolicum deſcripſit in ſecunda illa Apologia vera, ſua, ex qua, aliiſque ejus Martyris monumentis, ut optime obſervat Theodoricus Ruinartius ad Acta Mart. ſincera in Admonit. ad ipſius Juſtini Paſſionem num. 10. *Ex illius*, inquit, *ſcriptis præcipuorum ſacræ Religionis noſtræ myſteriorum veritas confirmatur, Sacramentorum Ritus, præcipuæque Liturgiæ partes exponuntur.*

Quod vero Heterodoxi eam Apologiam Juſtino abjudicent, ſicut Cyrillo laudato Catecheſes, id omnino eorum temeritati tribuendum eſt, cui nihil tutum videtur, quod erroribus ſuis contrarium apparet; nollent enim teſtes habere, quos nequeunt recuſare, adverſus prava, ac moderna dogmata a ſe contra antiquam Eccleſiæ fidem perverſo plane auſu ac pertinaci inventa, vident quippe, niſi Juſtini, & Cyrilli opera rejiciant, errores ſuos corruere, & Catholicas veritates firmas, immotaſque conſiſtere. Et quidem quoad Juſtinum Joſeph Scaliger Acatholicus Scriptor ſecundam Juſtini Apologiam, (cujus meminere Euſebius lib. IV. Hiſt. Eccl. cap. 16. & 17. S. Hieronymus in Catalogo Script. Eccl. cap. 34. ac Photius in Biblioth. Cod. 125.) non extare contendit, ac proinde quam habemus, ipſius non eſſe; ita ille in ſuis Animadverſionibus Euſebianis, quod & dubitavit Rivetus Criticorum intemperantiſſimus, vel ipſi Guillelmo Cave improbatus; aſt nunc Eruditis omnibus, exceptis hujuſmodi inſanæ mentis hominibus, pro certo exploratum eſt has Apologias, ſecundam præcipue vere Juſtini fœtum eſſe. Cyrilli porro Catecheſes Rivetus præfatus, & Albertinus Calviniſtarum Magiſtri uti ſpurias rejiciunt, aliique parenti longe poſteriori attribuunt, at iſtas Authori ſuo Antiſtiti Hieroſolymitano ſtrenue vindicat ex eodem grege dictus Guillelmus Cave Hiſt. Litter. Eccl. Sec. 4. in Cyrillo, ubi ipſorum, præſertim Riveti exceptiunculas, ut inquit, vix caſſa nuce dignas invicte diluit, & refellit.

Ipſi igitur, ac reliqui Sectarii injurioſe calumniantur Catholicam Romanam Eccleſiam, quod præter cruentum & propitiatorium Sacrificium a Chriſto Domino ſemel in paſſione, & morte ſua pro omnibus nobis æterno ſuo Patri exhibitum, novum aliud, velut ex cerebro ſuo, excogitarit, tamquam ſi hoſtiam a Pontifice noſtro

noſtro in Ara Crucis pro totius Mundi ſalute oblatam inſufficientem credereet ad omnium hominum redemptionem; ſed hæc Hæreticorum calumnia aperte diſſipatur, etenim totius Eccleſiæ Catholicæ nomine, ita S. Thomas Aquinas publice, & perſpicue, confitetur in Rythmo Euchariſtico, qui inc. *Adoro te &c.* his verbis: *Pie Pelicane Jeſu Domine, me immundum munda tuo Sanguine, cujus una ſtilla ſalvum facere totum mundum quit ab omni ſceleres.* Quod & alibi in ſuis Theologicis Operibus confirmat idem Angelicus Doctor, & cum ipſo cæteri Orthodoxi Scriptores; atque item ex teſtimoniis Juſtini, ac Cyrilli veterum adoleſcentis Eccleſiæ Patrum comprobatur non aliud modo eamdem Eccleſiam offerre Sacrificium, niſi quod ante decem & ſeptem ſecula conſuevit publice celebrare, illud videlicet quod olim Malachias Propheta prædixit, cum ex perſona Domini loquutus eſt dicens cap. 1. *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo Oblatio munda*: Orthodoxam hanc veritatem plerique ex noſtris eximie demonſtrarunt, inter quos Joannes Talpinus Gallus, qui in ſuo monito ad Hæreticos Pariſiis edito perſpicue prodit conſenſum totius Eccleſiæ Chriſtianæ de Miſſæ Sacrificio; Jodocus Coccius Trevirenſis Soc. Jeſu *Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium per teſtes veritatis omni exceptione majores ab Hæreticorum injuriis vindicatum* edidit Molshemii 1621. aliique, de quibus infra §. ſequenti; quod argumentum ad cap. 3. & 4. lib. 1. nos etiam rationibus proſequemur. Hactenus de his quæ ad Miſſam generatim ſpectant; nunc quoad ejus ſingulas Partes diſſerendum.

In primis itaque firmiter, ac conſtanter tenendum, quidquid in Liturgiis Eccleſiarum uſu receptis præcipuum eſt, ac eſſentiale, totum id ex Apoſtolica inſtitutione manaſſe. Hinc ejuſdem antiquiſſimæ traditionis eſſe comprobatur Hymnus glorificationis, ſeu *Gloria Patri &c.* qui non Flavianum Monachum habet authorem, ut nonnulli perperam tradidere, ſed ab Apoſtolis derivatum, ſuſe demonſtravit Emin. Author de Divina Pſalmodia cap. 16. §. 6. & iterum oſtendit Rer. Liturg. lib. 2. cap. 3. §. 2. ubi & nos item veterum Eccleſiæ Patrum teſtimonia proferemus. Salutatio *Dominus vobiſcum* prætereamus quod e veteri Teſtamento in Eccleſiam derivata eſt; Booz enim ut in Libro Ruth cap. 2. legimus, ſalutans Meſſores ſuos ait: *Dominus vobiſcum*, & Propheta miſſus a Deo ad Aſam Regem Judæ, cum victor e prælio reverteretur, dixit illi, & iis, qui cum ipſo erant 2. Paralip. cap. 15. *Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo*; in novo Teſtamento hæc eadem ſalutatio vim & efficaciam accepiſſe videtur ex verbis Chriſti Domini Matth. cap. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*: ac proinde illam ab Apoſtolis traditam, & in Eccleſiam introductam agnoſcit Concilium Braccarenſe I. can. 21. uti exprimit Emin. Author lib. 2. cap. 5. §. 1. Collectas, ſeu Orationes breves, quibus petendorum ſumma paucis verbis continetur, nulli dubium eſſe poteſt, inquit Card. noſter ibidem §. 4. ab Apoſtolis, eorumque immediatis ſucceſſoribus in ſacris Conventibus uſurpatas: ex Actis S. Suſannæ apud Baronium an. 294. num. 10. aliiſque Teſtimoniis comprobatur, & confirmat S. Cœleſtinus Papa 1. Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 11. ubi hæc ait: *Obſecrationum Sacerdotalium Sacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita in toto mundo, atque in omni Eccleſia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi*. Et quidem tradita nominatim a Paulo I. ad Timoth. 11. uti & nos ad dictum locum demonſtrabimus. Apoſtolici item inſtituti eſt Conteſtatio, ſeu Populi reſponſio *Amen*, de qua voce, & uſu loquitur Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 14. & poſt ipſum antiqui Patres Juſtinus Martyr Apol. 2. & Hieronymus Præf. lib. 2. in Epiſt. ad Galatas, atque Auguſtinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 7.

De Lectione Epiſtolæ, quæ *Apoſtolus* antiquitus dicebatur, fidem facit idem Gentium Doctor ad Coloſſ. 4. *Cum lecta*, inquit, *fuerit apud vos Epiſtola hæc, facite ut in Laodicenſium Eccleſia legatur, & eam quæ Laodicenſium eſt, vos legatis*: item in fine Epiſtolæ I. ad Theſſalon. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola hæc omnibus Sanctis fratribus*: Quod autem in Miſſa lecta fuerit, teſtatur laudatus Juſtinus loco citato, ubi deſcribens Sacrum Chriſtianorum, ait, *Commentaria Apoſtolorum*, aut *ſcripta Prophetarum quoad tempus fert, leguntur*: alibique apud Tertullianum Apologet. cap. 39. S. Cyprianum Epiſt. 33. & 34. hæc confirmantur.

De Evangelio nulli dubitare fas eſt, cum idem lectum fuiſſe in Eccleſiis pariter teſtetur Apoſtolus 2. ad Corinth. 8. dum fratrem commemorat comitem ſuæ peregrinationis, *cujus laus eſt*, inquit, *in Evangelio per omnes Eccleſias*: & Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 15. diſerte affirmat Marci Evangelium ab Apoſtolo Petro ſua authoritate comprobatum fuiſſe, & ut in Eccleſiis legeretur, indictum. Cujus antiquiſſimi, & Apoſtolici uſus teſtes locupletiſſimi ſunt Juſtinus præfatus, Origenes, S. Hilarius, aliique veteres Patres, quidquid obganniat Caſpar Calvorius in Catholicos maledicus e Secta-

iis

ris Scriptor in ſuo Rituali Eccleſiæ, quem ſuo loco ad lib. 2. cap. 7. §. 1. obmutire cogemus.

Quid autem in Sacrificio offerendum ſit, Eccleſiam ab Apoſtolis didiciſſe perſpicuis verbis teſtantur memoratus Juſtinus, Irenæus, & Cyprianus ut ſupra, & quidem Irenæus Polycarpi Apoſtolorum diſcipuli auditor lib. 4. adv. Hær. cap. 32. hæc habet: *Dominus ſuis diſcipulis dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens: hoc eſt Corpus meum: & Calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum Sanguinem confeſſus eſt, & novi teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo offert Deo:* Quibus ſuccinunt Ambroſius in precatione ante Miſſam, & Auguſtinus lib. 83. Quæſtionum, quæſt. 61. aliique innumeri Patres; & Eccleſiaſtici Scriptores antiqui.

Præfationum uſum jam in ipſis Eccleſiæ primordiis, earumque inſtitutionem vel Apoſtolis, aut Apoſtolicis viris tribuendam, tamquam certum oſtendit Cardinalis noſter lib. 2. cap. 10. §. 1. non autem, ut hallucinatus ſcribit Clar. Pater Michael a Sancto Joſeph Ord. SS. Trinitatis in ſua Bibliographia Critica Sacra, & Profana verbo *Liturgia* Tom. III. pag. 213. ubi quod certum a Purpurato aſſeritur, ab ipſo tantum probabile cenſetur; ait quippe Liturgicus Scriptor, quod facile probari poteſt, ſed id utique quod ante dicit, nempe *certum eſt in ipſis Eccleſiæ primordiis jam uſum Præfationum extitiſſe*, nam integra, noſtræque ſimillima Præfatio legitur in Jacobi Liturgia, ejuſque mentio apud vetuſtiſſimos ſecundi, & tertii Seculi Patres habetur: Tertullianus lib. de Orat. cap. 3. *cui* (ſcilicet Deo) *illa Angelorum circumſtantia non ceſſat dicere*, Sanctus, Sanctus, Sanctus; *proinde & nos Angelorum, ſi meruimus, candidati jam hinc cœleſtem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediſcimus.* Cyprianus lib. de Oratione Dominica: *Ideo & Sacerdos*, inquit, *ante orationem Præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo* Surſum corda, *& dum reſpondet Plebs:* Habemus ad Dominum: *admoneatur nihil aliud ſe quam Dominum cogitare debere.* His adſtipulantur reliqui Patres Latini & Græci, quos in hanc ſententiam longo agmine refert idem noſter Purpuratus Scriptor loco citato, quibus etiam & alii addi poſſent, niſi in re clariſſima ſuperflui viderentur. Hinc perſpicue refellitur omnium mendaciſſimi Dallæi Calviniſtæ effrons temeritas, qua lib. 9. de Cultu Latinorum cap. 9. illud effutire non puduit, novum eum eſſe, neque anteannum Domini 577. receptum, quod in dicta Præfatione dicitur: *Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Ea enim Sanctorum Patrum teſtimonia ibidem a Cardinali recitata illius impudentiam ſatis evidenter objurgant; Auguſtinus præcipue Epiſt. 57. vet. edit. ad Dardanum, ubi ait: *Noſti in quo Sacrificio dicatur* Gratias agamus Domino Deo noſtro. Et ad Honoratum Epiſt. 120. cap. 19. *Hinc gratias agimus Domino Deo noſtro, quod eſt magnum Sacramentum in Sacrificio Novi Teſtamenti.* Plura alia afferri poſſent tum ejuſdem Auguſtini, tum aliorum veterum Latinorum Patrum teſtimonia, ſed allatis ſubdere ſufficiat e Græcis Cyrillum Hieroſolymitanum, qui Catecheſi quinta myſtagogica fuſe, & eleganter hac de re diſſerit, ubi inter cætera hæc habet: *Dicit deinde Sacerdos* Gratias agamus Domino, *certe gratias agere debemus ..... Ad hæc vos ſubjicitis,* Dignum & juſtum eſt &c. Conſonant & reliqui, quos ob brevitatem omittimus, ac videri poſſunt loco indicato, & alibi: Teſtes hi ſunt quarti Eccleſiæ Seculi, quomodo non ante annum 577. id receptum in Eccleſia, uti Dallæus effutit? Inde dignoſcas Lector quam ſit vafrities Calvinica mendax.

Ipſum quoque Canonem, qui inſignis eſt Miſſæ pars, ex Apoſtolica traditione Eccleſiam ſuſcepiſſe, conceptis verbis teſtatur Vigilius Papa Epiſt. ad Profuturum Epiſcopum Bracarenſem, quod & confirmat Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 4. Porro Canon pene ad verbum reperitur apud Ambroſium lib. 4. de Sacramentis. Illius etiam meminit Author Quæſtionum veteris, novique Teſtamenti apud Auguſtinum Tom. IV. qui quæſt. 44. ſe ſcribere teſtatur annis trecentis poſt elapſis Danielis Hebdomadas, hoc eſt integro Seculo ante Gelaſium; aſſerit quæſt. 109. Melchiſedech eſſe quidem Sacerdotem, ſed non ſummum, *ut*, inquit, *in Oblatione præſumunt Antiſtites*, in Oratione ſcilicet, quæ incipit: *ſupra quæ propitio, ac ſereno vultu &c.* Alludit etiam ad Canonem Optatus Milevitanus de Schiſm. Donat. lib. 2. his verbis: *offerre vos dicitis pro Eccleſia toto terrarum Orbe diffuſa*, quæ verba ex Canone ſunt. Hinc ejuſdem Romani Canonis Miſſæ venerandam antiquitatem fruſtra convellere nititur Jacobus Baſnagius in ſua male compacta Hiſtoria Eccleſiæ Gallicæ ſcripta Tom. II. lib. 15. cap. 4. §. 1. & ſeq. pag. 872. Nam præter mox dicta hæreticum hæreticus alter ſcite confutat, Chriſt. Matth. Pfaffius in ſua de Liturgiis Diſquiſitione ſupra memorata pag. 35. in fine, ubi in Notis de dicto Baſnagio

nagio loquens hæc ait „ In antiquitate Canonis Miſſæ deſtruenda nimium rignrem „ adhibet, qui cogitare poterat eam ſaltem vel inde pateſcere, quod Canon Miſſæ „ ex antiquiſſimis Liturgiis Græcis deſumptus fuit a Schnlaſtico illo, quem Gre„ gorius memorat, nec ab eodem primum, uti ſuſpicari quis ex verbis Gregorii „ poſſet, excogitatus: Hæc ille, quibus etiam conſtat Miſſæ Canonem Gelaſio an„ tiquiorem eſſe, uti indicatum eſt.

Apoſtolicæ quoque traditionis eſt, ut omnes in commune pro diverſis neceſſitatibus otent ad Dominum, pro Rege, Epiſcopis, & Eccleſiarum Rectoribus, pro pace obtinenda, pro infirmis, pro Defunctis &c. ut habemus ex Pauli Apoſtoli 1. ad Timoth. cap. 2. ubi præcipit orare *pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, &c.* quo reſpexit Tertullianus libro ad Scapulam Africæ Præfectum ſcribens cap. 2. *Sacrificamus Deo pro ſalute Imperatoris.* Et paulo poſt: *ita nos magis oramus pro ſalute Imperatoris, ab eo eam poſtulantes, qui præſtare poteſt.* Et Optatus Milevitanus mox laudatus loco indicato lib. 3. *Merito*, inquit, *Paulus docet orandum pro Regibus, & Poteſtatibus, etiamſi talis eſſet Imperator, qui gentiliter viveret.* Pro Defunctis autem orandum eſſe pariter ex Apoſtolica traditione diſerte docet Chryſoſtomus hom. 69. ad Pop. Antioch. *Non temere ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, at in tremendis Myſteriis Defunctorum agatur Commemoratio:* quod & nos ſuo loco fuſe demonſtrabimus.

Apoſtolorum etiam mos fuit, & in Eccleſia ſemper obſervatus, ut ſacra Hoſtia in Sacrificio divideretur, atque id, cum per *panis fractionem*, tum in Evangelio Lucæ, tum in Epiſtola Pauli ad Corinth. 10. tamquam a Domino inſtitutum tradatur, mirum non eſt, quod ab Eccleſia fuerit invinlabiliter cuſtoditum; hinc Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. de Sacerdotibus loquens, dixit: *Cum Euchariſtiam, at mos eſt, diviſerint, permittunt unicuique ex Populo ejus partem ſumere.*

Elevationem manuum, oculorum, & inclinationem corporis fuiſſe cæremonias in primn Eccleſiæ Seculo obſervatas, exemplo, & authotitate Chriſti Domini, & Apoſtolnrum facile ſuadetur, deque his omnibus ab Eminentiſſimo Authore diſſeritur Lib. 2. cap. 5. §. 2. & 7. Hinc Prudentius in Apotheoſi adverſus Judæos canit.

Dum tremefacta cohors, Dominique oblita ſupinas
Erigit ad Cœlum facies, atque invocat Jeſum.

Vel ex ipſis Sectariis nnnnulli ingenue fatentur hæc Apoſtolici inſtituti eſſe; inter quos nuper Matthæus Brovverius de Niedek in ſita Diſſertatinne de veter. ac recent. adnrationibus pag. 181. ubi ait. „ Chriſtianos antiquitus aliquando genuflexos pre„ catos fuiſſe, exempla habentur Matth. 17. 21. 14. Marci cap. 1. v. 7. Lucæ cap. „ 22. v. 41. & 45. Act. Apoſt. cap. 7. v. 29. & 60. Epiſt. Pauli ad Epheſ. cap. 3. „ v. 14. Euſebius Hiſtoriæ Eccl. lib. 5. cap. 5. ſcribit, quod vitæ periclitantes genu „ in terram flectebant more proprin Chriſtiannrum. Digna ſunt Baſilii Magni verba, „ ut deſcribam, cap. 27. de Spiritu Sancto: *Cum genua flectimus, & rurſus corpora eri„ gimus, ipſa re monſtramus nos peccatis lapſos eſſe, & Creatoris miſericordia rurſus in Cœ„ lum evocari*: Ita Cæſaræenſis Præſul, & summus Orientalis Eccleſiæ Hierurgus.

De Oſculo pacis ante Communionem tamquam ab Apoſtolis inſtituto expreſſe affirmant veteres Patres Juſtinus Apol. 2. Tettullianus de Otat. cap. 14. Author Conſtitut. Apoſt. lib. 2. cap. 61. aliique, idque patet ex Epiſt. Pauli ad Rom. 16. 16. 1. ad Corinth. 16. 10.: 2. ad Corinth. 11. 112.: 1. ad Theſſalon. 5. 26.: & 1. Petri 5. 14. ubi illud ſæpè recitatur: ſalutantes invicem in oſculo ſancto, de quo Eminentiſſimus Author lib. 2. cap. 17. §. 6.

Otationum porro clauſulam illam: *Per Dominum &c. Per omnia ſæcula ſæculorum*, quæ frequentiſſime in omnibus Liturgiis repetitur, uti ſuo loco ad lib. 11. cap. 5. §. 5. dicemus, ab Apoſtolis derivari S. Irenæus tradit lib. 5. adv. hær. cap. 6. Denique concludendum, quod quæcumque in Liturgiis quibuslibet inveniuntus, & nullo fere diſcrimine ab univerſis Eccleſiis uſurpantur, Apoſtolica eſſe, & ab ipſis tradita omnino credendum eſt juxta infallibilem Auguſtini regulam lib. 4. de Baptiſmo cnntra Donatiſtas cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum, nonniſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*: Ad hæc ſubdit Chryſoſtomus Oper. Tnm. 4. in 2. ad Theſſalon. dicens: *eſt traditio, nihil quæras amplius.* Ante ipſos Tertullianus de Præſcript. cap. 28. *Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum*, & cap. 31. *Ex ipſo ordine manifeſtatur id eſſe Dominicum, & verum, quod ſit prius traditum; id autem extraneum, & falſum, quod ſit poſterius immiſſum: ea ſententia valebit adverſus poſteriores quaſque hæreſes, quibus nulla conſtantia de conſcientia competit ad defendendam ſibi veritatem*: Et Vincentius Lirinen.

rinen. in Commonit. cap. 3. *In ipſa Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.*

Similiter Apoſtolica aſſerimus, quæ a Sancto Dionyſio Areopagita in lib. de Eccl. Hierarch. traduntur, in quibus ſunt. I. Lotio manuum Sacerdotis in Altari. II. Thurificatio, cujus etiam mentio fit Can. 4. Apoſtolorum. III. Sacra Pſalmorum melodia. IV. recitatio Symboli, de quo accipienda ſunt illa Dionyſii verba: *Præconfeſſa ab omni plenitudine univerſalis Eccleſiæ hymnologia.* Pro uſu hymnologiæ in ipſo Eccleſiæ exordio extat apud Plinium juniorem lib. 10. Epiſt. 97. locus inſignis merito conferendus cum allatis ab Euſebio in Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 28.

Hucuſque ſummatim de Auguſtiſſimo Miſſæ Sacrificio, ejuſque partibus præcipuis dictum. Quæ omnia cum ex novo Teſtamento, & Sanctorum quatuor priorum ſeculorum Eccleſiæ Patrum irrefragabili authoritate plene, & evidentiſſime comprobata, & confirmata ſint, vel ipſi inimici noſtri ſint judices, ſi vere Chriſtiani eſſe velint, an idem Miſſæ Sacrificium ab ipſo Chriſto Domino inſtitutum, ab Apoſtolis, eorumque diſcipulis, ac ſucceſſoribus, necnon & primis Eccleſiæ Patribus frequentatum, ſit Papiſticum adinventum, ſit ſomniatum ab Eccleſia Romana idololatricum Sacrificium, ut phanatici ipſorum in Satbanæ Schula magiſtri blaſphemant. Atque ut eorum amplius obſtruatur os loquentium iniqua, præcipuos qui de eodem ſublimiſſimo Chriſtianorum Sacrificio, ſacriſque Liturgicis rebus ſcripſerunt, Authores referemus in ſequenti Paragrapho, ex quibus antiquis ſimul, ac novis, tamquam inſtructiſſimo promptuario Catholicus quiſque contra Miſoliturgos apta arma pro Orthodoxa Euchariſtica fide tuenda, ac vindicanda deſumere poterit.

§. IV.

De iis, qui de Liturgicis rebus, earumque notitia, & uſu ſcripſerunt præcipuis, veteribus, ac novis.

QUoad Græcos, poſt Sanctos Jacobum Apoſtolum, Baſilium Magnum, & Joannem Chryſoſtomum, qui peculiares compoſuere Lirurgias, de quibus ſuo loco dicetur, ſcripſere Proclus ejuſdem Sancti Joannis Chryſoſtomi diſcipulus, & poſtea in Patriarcbatu Conſtantinopolitano ſucceſſor, vir, ut ait Socrates Hiſt. lib. 7. c. 11. *optimis moribus, ſi quiſquam alius, præditus*, qui tractatum edidit de Traditionibus Miſſæ Divinæ, qui extat etiam græce in Collectione Liturgiarum Pariſ. 1560. p. 1. quem latina verſione, atque eruditiſſimis commentariis donavit Vincentius Ricardus Cler. Regul. Romæ 1630. Inter cætera ibi ait Liturgiarum originem ad ipſa Apoſtolorum tempora referri debere, ut paulo ante diximus, & S. Clementem dictantibus Apoſtolis primum edidiſſe. Germanus item Patriarcha Conſtantinopolitanus ſive ſenior, ſive junior ille fuerit, de quo contendunt Eruditi, dicitur Author Libri ſic inſcripti: Rerum Eccleſiaſticarum Theoria, ſive expoſitio in Sacram Liturgiam, & ſub hoc nomine habetur Græcolat. in Auctario Frontonis Ducæi Tom. II. pag. 131. apud Combefiſium Originum Conſtantinop. pag. 231. ac Latine in Bibliotheca Patrum, & alibi. Hanc, prout edita eſt, adeo miſere interpolatam eſſe conqueritur Ric. Simonius in Notis ad Gabrielis Severi Philadelph. Opuſcula pag. 287. ut nihil in ea, inquit, priſcæ faciei appareat, vixque dignoſci poſſit quid a Germano, & quid ab interpolatoribus profectum ſit. Verum vel juſta, aut parum æqua rigidi hujus Critici ſuſpicio videatur, non impedit quin Germano Patriarchæ aliqua Liturgiæ expoſitio tribui debeat. Ne autem omnes, qui de Liturgicis ſcripſere, percurram, quod mihi otium non eſt, dumtaxat ubi extent hujuſmodi Authores indicabo. Et quidem de libris & Officiis Eccleſiaſticis Græcorum duplicem Diſſertationem inſtituit vir ſummus Leo Allatius Bibliothecæ Vaticanæ olim Præfectus, ad Gabrielem Naudæum unam, ad Jo. Aubertum alteram edit. Pariſ. in 4. an. 1645. qui potiores tamen, & præcipuos tantum collegit, reliquos vero, ac non adeo uſitatos Guillelmus Cave Diſſert. 2. de eadem re ad calcem ſuæ Hiſt. Litter. pag. 179. Append.

Hos inter libros eminet Euchologion, ſive Rituale Græcorum, in quo præter integras memoratas Jacobi Ap. Baſilii, Chryſoſtomi, & Præſanctificatorum Liturgias, continentur Ritus, & Ordines Divinæ Miſſæ, variorum item Officiorum Eccleſiaſticorum, formulas Ordinationum, aliorumque adminiſtrandorum Sacramentorum &c. Editum eſt hoc Græcorum Rituale pluries Venetiis, cujus ultima editio ibi eſt an. 1642. curante Theophylacto Hieromonacho; omnium autem diligentiam longe ſupera-

ſuperavit Clariſs. Jacobus Goar Pariſinus Ord. Præd. Religioſus, qui conquiſitis undique Codicibus tum editis, tum manuſcriptis omnes hujus Euchologii formulas, & diataxes recenſuit, ac digeſſit, variantes lectiones collegit, non paucas orationes, & integra officia ex aliis MSS. præcipue Euchologiis addidit, verſionem latinam adornavit, notis eruditis, figuris æneis, & Onomaſtico illuſtravit. Prodiit inſigne hoc Opus græce, & latine Pariſiis 1645. Porro quoad dictas Liturgias in hoc Euchologio contentas, in iis celebrandis Græci hunc ordinem ſervant. Sancti Baſilii Liturgia, ut ex Proœmio liquet, decies per totum annum canitur, nempe vigilia Nativitatis Domini, feſto ejuſdem S. Baſilii, vigilia Luminum, ſeu Epiphaniæ, in Dominicis Quadrageſimæ, Dominica Palmarum excepta, Sancta, & magna Feria V. & magno Sabbato ante Paſcha, Præſanctificatorum Miſſa, exceptis prædictis omnes feriales Quadrageſimæ dies occupat. Quod reliquum eſt totius anni, S. Joannis Chryſoſtomi Liturgia ſibi vindicat. Præter has habent Græci & alias Liturgias, quas tamen in communem Eccleſiæ uſum non recipiunt. Sola Jacobi Apoſtoli Liturgia in Eccleſia Hieroſolymitana ſemel in anno recitari dicitur, quam ſuis Commentariis illuſtrarunt Cyrillus Hieroſolym. in ſuis Catecheſibus, Dionyſius Barſalibæus, aliique, de quibus ſuo loco. Prodierunt memoratæ SS. Patrum Liturgiæ, Jacobi Apoſtoli, Baſilii Magni, & Chryſoſtomi a Morellio editæ Græco-Lat. Pariſiis 1560. in fol. Jacobi item, Marci, Baſilii, Chryſoſtomi, Præſanctificatorum, & S. Gregorii Dialogi dicti in Frontonis Ducæi Auct. Biblioth. PP. Græcorum Tom. II. pag. 1624. Baſilii Liturgia, præterquamquod in omnibus Operum ejus editionibus reperitur, habetur ſeparatim Græce Venetiis 1601. in 4. Chryſoſtomi per Demetrium Ducam Græco-Lat. Venetiis 1528. & 1644. in 4. Hæc de Liturgicis inter Græcos Scriptores. Quibus accenſendus Iſaacus Habertus ex Canonico, & Doctore Theologali Pariſienſi Epiſcopus Vabrenſis, qui edidit Pontificale Eccleſiæ Grecæ in fol. Pariſiis 1626. quod prolixis notis illuſtravit, quæ locum exactiſſimi Commentarii ſupplere poſſunt; Opus in re Liturgica fere abſolutum, paſſimque ab Eruditis commendatum.

Quoad Latinos, Liturgici Scriptores inter cæteros hi ſunt, Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus creditus Liturgiæ Mozarabicæ Author, de quo plura cap. XI. Scripſit libros duos de Divinis, ſive Eccleſiaſticis Officiis ad Fulgentium fratrem ſuum Aſtigitanum, & poſtea Carthaginenſem Epiſcopum, quod opus ſuppoſitit ium eſſe cenſet Baronius, verum a Braulione Cæſarauguſtano Epiſcopo, & Ildephonſo Hiſpalenſi inter ejus opera recenſentur, qui etiam libri a Beda, Fulberto Carnotenſi, & Freculpho Lexovienſi citantur. Prodierunt cum cæteris ſimilis argumenti Scriptoribus Romæ 1591. ac Pariſ. 1610. pag. 1812.

Beda Venerabilis; Extat in ejus operibus edit. Coloniæ *de Officiis liber*, quem etſi Henricus Valeſius in Annot. ad Socratis Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 22. laudet, Beda tamen vix dignum eſſe judicat Paſch. Queſnellus Diſſert. 6. in Leonem Magnum de jejunio Sabbati num. 9. Oper. Tom. 2. pag. 1287. Quem nihilominus Bedæ fœtum eſſe exiſtimant Mabillonius Sec. III. Bened. Parte 1. pag. 539. & Guillelmus Cave Hiſt. litter. Eccl. Sec. 8. p. 404.

Albinus Flaccus, ſeu Alcuinus. Habetur ſub Alcuini nomine inter alios Scriptores ejuſdem argumenti ſæpius editus *de Divinis Officiis liber*, ſive Expoſitio Romani Ordinis in editione Operum ejuſdem Alcuini Ducheſniana duodecim integris capitibus auctus, verum Alcuini non eſſe hoc opus, & poſt annum 1000. ſcriptum certo certius judicant Eruditi, cum junioris Scriptoris, aut certe Interpolatoris quamplurima præferat indicia.

Florus Magiſter dictus Diaconus Lugdunenſis, qui anno 837. claruit, Commentarium edidit, ſeu Expoſitionem in Canonem Miſſæ. Extat una cum aliis quibuſdam ejuſdem Flori opuſculis Tom. XV. Bibl. PP. Lugd. pag. 62. Hujus Operis manuſcripta exemplaria in variis Bibliothecis extant, ſed duo in Bibliotheca olim Reginæ Sveciæ, nunc Vaticanæ num. 927. & 1348. ex quibus ſuppleri poſſunt multa, quæ in Editis deſunt, ut inquit Cardinalis noſter lib. 2. Liturg. cap. 14. §. 1.

Walafridus Strabo Monachus Ord. S. Benedicti Rhabani Mauri Fuldenſis diſcipulus, poſtea Monaſterii Augiæ Majoris Abbas edidit librum *de Divinis Officiis*, ſive de exordiis, & incrementis Rerum Eccleſiaſticarum, qui extat cum aliis ſimilibus libris una impreſſis Moguntiæ & alibi cura Joannis Rochlæi 1549. & inter Scriptores de Divinis Officiis cura Melchioris Hittorpii Pariſ. 1610. pag. 661. Porro Rochleanum illud ſiſtema, quod inſcribitur *Speculum antiquæ devotionis circa Miſſam, & omnem alium Dei cultum*, ex antiquis, & ante illud tempus nunquam per Typographos

evulgatis Authoribus laborioſe collectum complectitur, primo Amalarium 2. Strabonem noſtrum. 3. Baſilium Magnum de Miſſa Græcorum 4. Expoſitionem Miſſæ ex vetuſtis Codicibus 5. Petri Damiani librum qui dicitur *Dominus vobiſcum 6.* Gemina animæ de antiquo ritu Miſſarum. 7. Micrologum de Miſſa rite celebranda. 8. Nucleum de Sacrificio Miſſæ, & alia.

Carolus Magnus. Extat ejus ad Alcuinum de Sacrificio Miſſæ, & Eccleſiæ Ritibus libellus cum aliis ejuſdem argumenti Opusculis editis a Vuolphango Lazio Antuerpiæ anno 1580. Mirum, quod de hoc Opere ſileant nuperi Scriptorum Eccleſiaſticorum collectores Cardinalis Bellarminus, Labbeus, Oudinus, & Caveus, qui fortaſſe illud omiſerunt, quod ipſi attribuendum non videatur.

Amalarius; Trevirenſem plerique falſo exiſtimant, inter quos Bellarminus, Labbeus, & mirandum quod Martenius ipſe in ſua Præfatione ad Tom. I. de antiq. Eccl. Rit. aliique, ſed Eminentiſſimus noſter Card. Bona in notitia auctorum lib. de Div. Pſalmodia præfixa hæc habet: „ Amalario Fortunato, Epiſcopo Trevirenſi perperam „ tributum opus, quo Eccleſiaſtica Officia explicantur docte, diffuſe, ſed quando- „ que nimium ſubtiliter: Ejus autem vetus Auctor eſt alter Amalarius Eccleſiæ Me- „ tenſis Diaconus. De duobus Amalariis vidi MS. Diſſertationem Conſtantini Ca- „ jetani, in qua ait hunc poſteriorem ex Monacho Metenſi, & Archidiacono Tu- „ ronenſi Cardinalem fuiſſe, & vixiſſe circa annum 840. quod verum eſt, cætera „ Criticis examinanda relinquo.

Amalarii Abbatis Eclogas in Ordinem Romanum, ſeu de Officio Miſſæ primus edidit ex veteri Codice Monaſterii S. Galli Steph. Baluzius in Append. Capitul. Reg. Franc. Tom. 2. pag. 1352. poſtea Mabillonius in Appendice ad Ord. Rom. Libros Tom. 2. Muſæi Ital. pag. 549.

Remigius Antiſſiodorenſis. Hujus Expoſitio Miſſæ eſt Caput XL. libri *de Divinis Officiis* a nonnullis perperam Alcuino adſcripti.

Regino Prumienſis. Scripſit hic *de Diſciplinis Eccleſiaſticis* librum a Joachimo Hildebrando primum editum Helmſtadii ann. *1659.* quem poſtea auctiorem denuo emiſit Stephanus Baluzius Pariſiis *1671.*

Berno Monachus S. Galli, deinde Augienſis Abbas, qui Seculo XI. claruit, ſcripſit librum *de Officio Miſſæ*, ſeu de rebus ad Miſſæ Officium pertinentibus ſeorſim edit. Venetiis 1572. deinde in Biblioth. PP. Lugd. Tom. XVIII. pag. 6.

Micrologus. De hoc vide Mabillonium in Ord. Rom. Tom. II. pag. 5. & Theophylum Rainaudum Erotem. de malis, ac bonis libris pag. 131. atque etiam le Brun in fin. Præfat. tum Grancolas in Breviar. Rom. in princ. Micrologi autem voce Scriptores mediæ, & infimæ ætatis librum, qui in Epitomes, ſeu Compendii, aut Breviarii ſpeciem editus eſt, intellexerunt. Hunc Anonymum Authorem libri de Eccleſiaſticis Obſervationibus, ſeu de Miſſa rite celebranda, alii denique, uri Poſſevinus in Appar. Sac. Guidonem Aretinum Monachum item Benedictinum in Italia muſicum doctiſſimum fuiſſe volunt, at perperam; quiſquis tandem ſub hoc nomine lateat, vixit certe eodem Seculo XI. poſt an. 1080. Extat liber iſte editus Venetiis 1572. & inter Scriptores de Divinis Officiis, Pariſiis *1610.* atque in Biblioth. PP. Lugdunen. Tom. XVIII. pag. *469.*

Hildebertus de Lavardino Monachus Cluniacenſis, dein Epiſcopus Cenomanenſis. Habetur ejus de ritibus Miſſæ carmen ſeu de concordia veteris, & novi Sacrificii, quod cum fragmentis Carolinis de Ritibus Eccleſiæ edidit Vvol. Lazius, ſed ſine nomine auctoris, ac parum emendatum pag. 113. Idem e Codice MSS. ſub titulo Mauritii Senonenſis, ſive Petri Cluniacenſis ediderat tamquam anecdotum Jo. Albertus Fabricius ad calcem Bibliographiæ antiquariæ primum editæ; aſt cum comperiſſet jam excuſum, ſecundæ editioni illum annectere ſuperſedit, ut ipſe fatetur in Præfatione Bibl. Græcæ vol. *6.* ſub finem. Notas deinde, quibus hoc carmen dedit C. A. Heumannus in Actis Erudit. Lipſiæ emendare videtur *1713.* pag. 539.

Honorius Auguſtodunenſis Eccleſiæ Presb. & Scholaſticus ſcripſit librum ſic inſcriptum: *Gemma animæ, ſeu de Officio Miſſæ, ejuſque caremoniis in quatuor partes diſtributa.* Prodiit Lipſiæ an. 1514. & inter Scriptores de Divinis Officiis Pariſiis *1610.* pag. ſeu col. *1179.* Cæterum hunc Honorium, quem fere omnes Eruditi iſtius libri Gemmæ animæ authorem faciunt, Gabriel Henao de Sacrificio Miſſæ Parte 2. Diſp. 20. Sect. 2. num. 20. non Auguſtodunenſem, ſed Honorium quemdam Monachum in Anglia fuiſſe dicit, quem vixiſſe autumat anno 1080. eidemque dictum Opuſculum tribuit. Herrera autem illud adjudicat cuidam Theodoro Presbytero, quem floruiſſe ait an. 1220.

Gabriel

Gabriel Biel Germanus, ut quidam volunt, seu ut aliis placet, Helvetus, aut denique Spirensis, ut putat Graveson, Tubingensis Accademiæ publicus Professor, quam Cathedram pluribus annis rexit, edidit expositionem Canonis Missæ, quam Theophylus Rainaudus Eggelingo Brunsvicensi adscribendam censet, quamvis eamdem Biel rursus ediderit paucis a se omissis, nonnullis etiam additis, aut mutatis, ut ipse ingenue fatetur.

Christophorus Maria Pfaffius pariter Tubingensis, sed Hæreticus, in sua librorum Ecclesiæ Protestantium Symbolicorum editione, pag. 103. falso refert de Gabriele Biel, quod is Tubingæ in concione ablegato Evangelio Aristotelis Ethica enarravit. Hoc de quibusdam Orthodoxis, nominibus suppressis, antea mentitus fuerat Phil. Melanchton in sua damnata Apologia Augustanæ Confessionis, & in Epist. ad Thomam Archiep. Cantuar. an. 1549. scripta, & Tom. 4. selectarum ejus Declamationum Argentor. an. 1566, excuso inserta. Eamdem calumniam aliis ejusdem furfuris Scriptor Joannes Manlius venditavit in suis Collectaneis Locorum communium editis Francofurti an. 1565.

Guillelmus Durandus, seu Durantes Speculator dictus, Episcopus Mimatensis (quem nonnulli perperam cum nepote ejus cognomine, & in dicta Sede successore confundunt, inter quos noviſſime Joannes Pontas Doctor Sorbonicus, qui in sua Theologia Morali de duobus unum, eumdemque facit) edidit Rationale Divinorum Officiorum in libros 8. distributum, quod dicitur scriptum an. 1286. pluribus in locis editum cum Speculo, & Repertorio Juris, atque etiam seorsim Ecclesiasticarum cæremoniarum perspicacissimus indagator fuit; Theologus profundus, & in sacris litteris versatissimus, uti ex dicto suo Rationali præcipue constat, opere quidem curiosissimo, vario, ac pulchris observationibus referto, ad quod Antonius Possevinus in Appar. Sacr. Tom. 1. pag. 611. notat: ab eodem Durando communes tantum, & usitatiores ritus describi. Ita vero ab se nuncupatum fuisse Rationale, quod sicut in Rationali judicii, quod legalis Pontifex in veteri Testamento gestabat in pectore, scripta erant hæc duo verba *Manifestatio, & Veritas*; sic & hic rationes varietatum in Divinis Officiis, & earum veritas describantur, & manifestentur. Illud quoque, ut quatuor coloribus utrumque contextum erat, sic illud quatuor habet sensus: Litteralem, Anagogicum, Moralem, & Allegoricum. De hoc Durando tradit Forsterius Histor. Jur. Civil. lib. 3. cap. 17. celebrem hanc sæpius usurpasse sententiam de reali Christi Domini præsentia in Sacramento Eucharistiæ. *Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, præsentiam credimus.* Qui plura de hoc eximio Doctore volet, adeat Simonem Majolum in ejus vita Commentario in Concil. Lugd. an. 1569. præmissa, Ficardum in vitis Jurisconsultorum, Ambrosium Altamuram in Biblioth. Dominicana, ubi inter suos illum accenset pag. 72. & in Append. pag. 462.

Hieronymus Savonarola Ord. Prædic. Scripsit in carcere detentus ad preces ejusdem Custodis Italice Tractatum de Sacrificio Missæ, & illius Mysteriis, quem edidit Florentiæ, & Venetiis in 8. 1547. ac Parisiis 1617. Opus, etsi ab Authore suspecto conscriptum sit, Catholicum tamen ubique redolet, teste cum Johanne Fischero, nuperrimo Scriptore Patre Michaele a S. Joseph Ord. SS. Trin. in sua Bibliogr. sacra, & prophana; ibi enim de Sacerdotio, de Eucharistia, & de Pœnitentia loquens, cum Patribus loquitur, & sentit.

Christophorus Marcellus Archiepiscopus Corcyrensis scripsit libros tres de Ritibus Ecclesiæ ad Leonem Papam X. Venetiis, Romæ, Coloniæ, & alibi impressos, eorum autem genuinus Auctor est Augustinus Patritius, ut patet ex iis, quæ Mabillonius refert in suo Commentario ad Ordinem Romanum pag. 5. Musæi Ital. Tom. 2. ubi hac de re Paridis de Crassis querelas narrat.

Joannes Cochlæus collectionem Auctorum veterum de Missa hoc commate ornatam edidit an. 1549. *Speculum antiquæ devotionis circa Missam*: quod opus postea a Nicolao Aurifico Senensi Carmelita recognitum, auctum, & locupletatum fuit, editumque Venetiis an. 1572. additis plerisque Auctoribus de Missa, qui in præfata Cochlæi collectione desiderabantur.

Conradus Brunus scripsit de cæremoniis libros sex, quos edidit Moguntiæ 1548. cum aliis ejus Operibus in fol.

Eodem ferme tempore Antonius Monchiacensis Demochares Resseneus Doctor Sorbonicus, doctissimum, & laboriosum opus de Sacrificio Missæ adversus Misoliturgos scripsit, ediditque Parisiis an. 1562. in fol. quo impiissimi Hæresiarchæ Calvini, ejusque assectarum, aliorumque Sectariorum blasphemias contra idem Sacrosanctum Mysterium, amplissimis Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum testimoniis

invicte convellit. Opus profecto Catholicum, ac summo studio elaboratum, quod tamen perfectius esset, suisque numeris absolutum, si politiori lima excultum, ac exornatum fuisset; etenim tot inter purgatissimos Scriptores, quos bene multos, & abunde refert, atque ii plene sufficerent ad Orthodoxam Christianæ Religionis fidem circa Augustissimum Altaris Sacramentum contra Novatores propugnandam, & adstruendam, nonnullos recenset, nedum ipsis Adversariis minime, sed & nostratibus dubiæ, incertæque auctoritatis suspectos, velut libro, seu Tom. 2. pag. 1. Clementis Romani Epistolas tres ad diversos, & præcipue tertiam ad omnes Christianos de Officio Sacerdotis, Abdiæ Babylonici Apostolicam Historiam, Decreta priorum Rom. Pontificum usque ad Siricium, aliaque hujusmodi, quæ jam satis constat apud Eruditos non adeo pro legitimis documentis haberi. Cæterum in dicto egregio opere doctissimus Auctor pene totus dogmaticus est, atque de Sacrificio Missæ in generali ut propitiatorium, a Christo institutum, a Patribus per omnia secula, quorum seriem exhibet, usitatum, ac frequentatum, & de Ministris Altaris subtiliter disserit, ac Tomo tantum quarto, ubi de observanda Missarum celebratione, de ejusdem ritibus, ac cæremoniis potioribus agit.

Gaspar Casalius Lusitanus Ord. Eremit. S. Augustini, primum Leirensis, post Conimbricensis Episcopus in Concilio Tridentino clarus scripsit de Sacrificio Missæ, & Sacrosanctæ Eucharistiæ celebratione per Christum in Cœna novissima, adversus Lutherum, Calvinum, Bucerum, aliosque Hæreticos idem Sacrificium improbantes, ubi solide sacras cæremonias, ac res Liturgicas contra ipsos propugnat. Edit. in 4. Venetiis 1563. Item Antuerpiæ, & alibi.

Paulo ante an. 1560. Claudius de Sainctes Ebroicensis Episcopus, quem impense laudat in sua præfat. ad Liturgica Pamelius, edidit Liturgias SS. PP. Jacobi Apostoli &c. itemque alia de Eucharisticis rebus doctissime scripsit.

Neque omittendus Clar. Hugo Menardus Ord. S. Benedicti Congregationis S. Mauri in Gallia, qui additis an. 1642. in 4. doctissimis, atque eruditissimis notis in S. Gregorii Magni Sacramentarium plurimum rem Liturgicam illustravit, ex quo nonnulla delibavit Eminentissimus Auctor.

Melchior Hittorpius Coloniæ an. 1568. *De Divinis Catholicæ Ecclesiæ Officiis, ac Ministeriis varios veterum aliquot Ecclesiæ Patrum, ac Scriptorum libros vulgavit*, quod opus item Romæ an. 1591. sed auctius cusum fuit, demum Parisiis an. 1610.

Jacobus Pamelius Episcopus Audomaropolitanus, vir antiquitatis Ecclesiasticæ, & disciplinæ critices suo tempore peritissimus, edidit Missale SS. Patrum Latinorum, seu Liturgicon Latinum, juxta veterem Ecclesiæ Catholicæ ritum, duobus Tomis in 4. Coloniæ an. 1571. deinde an. 1609. quibus eruditam Præfationem, notasque uberes adjecit, & quæ paulo ante Hittorpius ediderat, illustravit.

Joannes Stephanus Durantus Senatus Tholosiani Præses fertur Auctor Operis de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ in libros tres divisi, editum est sub ejus nomine opus istud periisque in locis, & primo Romæ an. 1591. in fol. deinde alibi in 4. At verus illius parens est Petrus Danetius Episcopus Vaurensis, vir sua ætate vix ulli eruditione secundus, uti pluribus docet Edmundus Martene in Præfat. ad Tom. 1. de Antiq. Eccl. Rit. sub finem. Et sane opus istud non laicum auctorem, sed Ecclesiasticum, ac Theologum non uno in loco proclamat, quidquid in contrarium nitatur ostendere Dupinius in sua Biblioth. Eccl. quem tamen refellit Anonymus quidam in libello hac de re edito Paris. 1700.

Petrus Casola. Rationale cæremoniarum edidit Missæ Ambrosianæ in 4. Mediolani 1499.

Hieronymus Empserus, vel Emserus Suevus scripsit de Canone Missæ adversus Zuinglium, & de Augustissimo Altaris Sacrificio contra Lutherum edit. Coloniæ 1533. vir Catholicus apprime disertus, rerumque Ecclesiasticarum peritissimus, de quo Eminentissimus noster in Catalogo authorum Divinæ Psalmodiæ præfixo.

Georgius Cassander an. 1561. edidit Coloniæ Ordinem Romanum de Officio Missæ, & Micrologum de eodem, quibus attexuit explicationem vocum Ecclesiasticarum, quæ obscuræ videntur, quæ omnia uberiora edidit Mabillonius.

Hanc Collectionem veterum Ritualium librorum Romanæ Ecclesiæ denuo post Cassandrum auctiorem atque emendatiorem edere propositerat Onuphrius Panvinius, magnus ille antiquitatis helluo, & Ordinis Augustiniani decus; at morte præventus id perficere non potuit. Opus istud, & illius integrum manuscriptum extat in Bibliotheca Vaticana, in quo sunt libri quatuor de Ordine Romano, prout postea ab Hittorpio vulgati sunt, quos ego ibi vidi, tum sequitur Micrologus, deinde Interpretatio vo-

cum

cum Eccleſiaſticarum uberior ea, quam Caſſander edidit, quibus ſuccedit Index ſtationum, quæ nunc etiam in ſingulis Eccleſiis Urbis celebrantur. Hæc omnia excipit liber Ritualis Cencii Card. Camerarii ab Onuphrio in tres partes diviſus. Demum extat in fine Expoſitio Miſſæ, quam ipſe ex PP. ſententiis contexuit, quam alii poſtea proſecuti ſunt. Hujus operis mentionem faciunt Mabillonius Comment. in Ord. Rom. pag. 2. & Dominicus Ant. Gandolphus in ſua Diſſert. Hiſtor. de celebrioribus Ordinis Auguſtiniani Scriptoribus pag. 282. nu. 36. qui & nu. 47. aliud conſimile ejuſdem opus memorat hoc titulo *De Antiquis inſtitutis, ritibus, & cæremoniis, & Eccleſiæ Romanæ uſibus.*

Michael Brechingerus Colmarienſis Presbyter ſcripſit de Auguſtiſſimo Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio &c. Autuerpiæ.

Anonymus Auctor (Florentius Vanderhaer eſſe dicitur) edidit Duaci in 8. Antiquitatum Liturgicarum Syntagma tribus Tomis diviſum, in quibus Miſſæ de tempore tantum comprehenduntur, adjecta ſingulis paſſim gemina explicatione, litterali una, qua officii verba, illiuſque Miſſæ partes juxta proprium ſenſum exponuntur; altera, qua ejuſdem Miſſæ inſtitutio, ac dignitas ex priſcis Eccleſiæ ritibus, ac nonnullis SS. PP. teſtimoniis exprimitur. Omnia tamen myſtica potius, quam Critica explanatione illuſtrantur; Opus proinde Parochis, & Concionatoribus quidem aptum, non ita noſtri temporis Eruditis, qui hujuſmodi aſceticas meditationes plerumque deſpiciunt.

Jacobus Bagus Belga Doctor Theologus, & Profeſſor Lovanienſis edidit Antuerpiæ 1605. libros tres de Ven. Euchariſtiæ Sacramento, & Sacrificio adverſus Sacramentarios, & Lutheranos. Opus puriſſima Theologia refertum, & omnium laude, & admiratione dignum.

Carolus Septala Epiſcopus Dertonenſis. Explicatio Myſtica Rituum Ambroſianorum ad Miſſam ſpectantium Italice in 4. 1612.

Non abſimile opus, laboremque circa Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium Joannes Baptiſta Scortia Soc. Jeſu Theologus, qui non vulgari eruditione quatuor libros Lugduni unico Tomo in 4. comprehenſos edidit an. 1616. quibus ex Theologica Doctrina, Canonico, Civilique jure, Hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ ad tantum Myſterium pertinent, explicantur, & probatis teſtimoniis confirmantur. Opus plurima quidem Rerum Liturgicarum notitia refertum; ac Eruditis plus ſaperet, ſi majori fuiſſet cum criterio diſcuſſum, ſua tamen laude non eſt deſtituendus Auctor, qui fere primus poſt Durantum brevi Methodo ſingulas Miſſæ partes Myſticis, Hiſtoricis, ac Theologicis obſervationibus illuſtrat.

Joſeph Vicecomes Mediolanenſis. Plura ſcripſit Liturgica Tomis quatuor in 4. comprehenſa, videlicet de antiquis Miſſæ Ritibus Tom. I. & II. ejuſque ſacro apparatu Tom. III., demum IV. variarum obſervationum Eccleſiaſticarum documenta edit. Mediolani an. 1620. & 1626., at licet docte, & luculenter conſcripſerit, eum tamen alicubi erraſſe oſtendit Leo Allatius de Narthece Vet. Eccl., ut monet noſter Eminentiſſimus Author in notitia Auctorum præfixa Libro de Div. Pſalm., qui etiam in hoc Opere Liturgico ipſum pleriſque in locis hallucinatum oſtendit. De ſingulis porro Miſſæ partibus agit Vol. II. & III. in quibus de Miſſæ hora, tempore, loco, diverſitate, & aliis, quæ ad Miſſam generaliter pertinent. Eſt prolixus, & multa repetit, nimium tribuit conjecturis, non examinat &c. Confuſus Baronium non dignatur nominare, citat eum ſic, *non ignobilis Author*, Pamelium, *ſic quidam*. Quæ omnia viro Eccleſiaſtico, & docto convenire non videntur.

Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis, vir totius Eccleſiaſticæ Antiquitatis peritiſſimus nonnulla ſcripſit, ſcilicet de veteribus Eccleſiæ Ritibus, & circa eoſdem Obſervationum libros duos, ac de antiqua Eccleſiæ diſciplina ſuper adminiſtratione Sacramenti Euchariſtici, & circumſtantiis Miſſæ edit. Pariſiis 1620. & 1623. in quibus Eccleſiaſticæ veteris diſciplinæ monumenta ſtudioſe perveſtigat, illuſtrat, atque erudite pertractat; verumtamen inſignem ſcriptorem nonnunquam hallucinatum fuiſſe obſervat aliquibus in locis Eminentiſſimus Author, aliique poſt ipſum Viri docti animadvertunt.

Jacobus Perronius S. R. E. Cardinalis doctiſſimus jam ſupra laudatus Tractatus plures ſcripſit de Sacramento Euchariſtiæ in fol. Pariſiis 1622.

Bartholomæus Gavantus Cler. Regul. Sancti Pauli Barnabita edidit an. 1628. Romæ Commentaria in Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani, quæ iterum Romæ an. 1630. deinde aucta, & recognita Venetiis, Pariſiis, Lugduni, Coloniæ, & alibi pluries ſupra vigeſimam quartam editionem vulgata fuere: demum Theſaurus iſte

Sacro-

Sacrorum Rituum auctior, item correctior, & locupletior plurimis editionum, notarum, & obſervationum acceſſionibus illuſtratus noviſſime prodiit in quatuor Tomos diviſus Romæ 1738. ſtudio & labore D. Cajetani Mariæ Merati Cler. Regul. Theatin. S. Rit. Congreg. Conſultoris, opus quoad praxim, maxime Sacrarum cæremoniarum ſumma diligentia, & eruditione elaboratum.

Item poſt ipſum an. 1637. Simon Vaz Barboſa edidit Lugduni Tractatum de Sacrificio Miſſæ in 8.

Aloyſius Novarinus Cler. Regul. Ipſius eſt Agnus Euchariſticus, ſeu de Euchariſtiæ Sacramento, ejus inſtitutione, myſterii ritibus &c. in fol. Lugduni 1638.

Antonius Pallotta. Edidit Syntagma, ſeu Tractatum Sacrorum Rituum, & cæremoniarum in 4. Romæ 1641.

Franciſcus Vanderveken in Canonem Miſſæ in 12. Coloniæ 1644.

Joannes Baptiſta Caſalius de veteribus Chriſtianorum Ritibus in 4. Romæ 1645.

Claudius Villette Rationale Cæremoniarum Eccleſiæ in 8. Rotomagi 1648.

Oliverius Bonartius edidit in 4. Antuerpiæ 1653. Tractatum de Horis Canonicis, & de Sacrificio Miſſæ.

Franciſcus Maria Magius Cler. Regul. de Sacris cæremoniis obiri ſolitis in Dei templis, ac Monaſteriis in fol. Panormi 1654.

Zacharias Paſqualigo Cler. Reg. de Sacrificio novæ legis Tom. II. in fol. Lugduni 1662., & deinde Venetiis 1707.

Antonius Caraccioli Cler. Reg. Synopſis veterum Religioſorum Rituum &c. in 4. Pariſiis 1663.

Demum primus inter Catholicos, ut reor, neque alias compertum habeo, qui de Sacra Liturgia lingua vernacula ſcripſit, eſt Gibertus Grimaudus edito Gallice hac de re libro in 4. Lugduni an. 1666. atque hi præcipui ſunt, qui de Liturgicis rebus ante Eminentiſſimum noſtrum ſcripſerunt.

Paulus Maria Quarti Cler. Reg. cujus ſunt Rubricæ Miſſalis Romani Commentariis illuſtratæ in fol. Romæ primum 1674. deinde Venetiis 1727.

Inde Joannes Mabillonius ſatis ſuo nomine notus non multo poſt Liturgiam ſuam Gallicanam edidit Pariſiis an. 1685. & 1689. deinde anno 1697. doctiſſima Commentaria in Ordinem Romanum.

Eodem anno Joannes Grancolaſius Doctor Sorbonicus nonnullis hujuſmodi libris rem Liturgicam adornavit, & primo antiquas Liturgias, ſeu Ordines, quibus Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium olim per quælibet ſecula celebrabatur in Eccleſiatum Orientali, tum Occidentali, Gallice Pariſiis evulgavit, poſtmodum anno 1699. Vetus Eccleſiæ Sacramentarium ibidem prodidit, & anno 1713. Tractatum de Miſſa, & Officio Divino item Gallicis Typis ibidem donavit: demum anno 1715. Diſſertationem de Miſſis quotidianis. His, aliiſque doctis operibus Commendabilis Author magnam ubique exerit eruditionem; non enim is ſolum veterum Liturgiarum, priſcorumque Miſſæ Ordinum accuratam deſcriptionem exhibet, ſed & ipſarum cæremoniarum, quæ adhuc extant, fontes oſtendit. Sic poſtquam de Apoſtolorum, quæ circumferuntur eorum nomine inſcriptis Liturgiis diſſeruerit, veterem Hieroſolymitanam in Sanctis Juſtino Martyre, Cyrillo Hieroſolymitano, Clemente Romano, ut putatur, Conſtitutionum Apoſtolicarum Authore, ex Libro Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Dionyſio Areopagitæ tributo, item ex Joanne Hieroſolymitano Epiſcopo, & Heſichio dictæ Eccleſiæ Presbytero quærit; in Clemente Alexandrino, Origene, Sanctis Dionyſio, Petro, Athanaſio, aliiſque Alexandriæ Epiſcopis Alexandrinam, in SS. Ignatio Martyre, Ephræmo, Theodorito, Anaſtaſio Sinaita, & Chryſoſtomo Antiochenam; item in Chryſoſtomo, Gregorio Nazianzeno, Palladio Helenopolitano, S. Nilo Chryſoſtomi diſcipulo, Proclo, aliiſque Conſtantinopolitanis Patribus Conſtantinopolitanam. Liturgiam vero Eccleſiarum Ponti ex Sanctis Gregorio Nyſſeno, & Thaumaturgo, ac Baſilio Magno promit. Liturgias porro Arabum, Syrorum, Æthiopum, Indorum, Ruſſorum, Armenorumque idem erudite excutit. Liturgiæ Africanæ rudera ex Tertulliano, Cypriano, Optaro, Auguſtino, aliiſque Afris Scriptoribus, & Conciliis Carthaginenſibus exhibet. Antiquæ etiam Hiſpanicæ Miſſæ buſtum ex Conciliis Illiberitano, ac Toletano I. aliiſque, atque ex SS. Paciano Barchinonenſi, & Iſidoro Hiſpalenſi extrahit, atque etiam de Miſſa Gothica, ſeu Mozarabica, de Miſſa Gallicana, tum vetuſtiore illa, quæ Irenæi tempore extabat, tum ſequiore differit. Poſtea ad Miſſam a Matthia Flacco Illyrico editam tranſit, ſimulque de antiqua Anglicana ex Beda, Theodoro Cantuarienſi, ac nonnullis veteribus Angliæ Synodis, item Germanica Liturgia, quæ utraque cum Romana eadem

dem eſt, necnon de Ambroſiana, vetuſtiore Romana, Gelaſiana, ac Gregoriana ſuam profert ſententiam, ac denique Miſſam per omnes, & ſingulas ejus partes eundo explicat. Ita Clariſſimus Author, de quo cum laude Dupinius in ſua Bibliotheca Eccleſiaſtica Tom. XIX. pag. 291. edit. Amſtelodami docte quidem, & erudite, ut ſupra, de rebus Liturgicis diſſerit; attamen me utcumque Judice præſtantior magis, ac laudabilior, ſi paulo ſuſior extitiſſet; in pleriſque enim dum brevis eſſe ſtudet, obſcurus evadit, nec ſatis omnia pro hodierno Eruditorum guſtu, quibus non ſapit, niſi quod abunde explicatum eſt, digerit. Diſplicent etiam SS. PP., & Conciliorum textus, quos Gallice tantum, & non Latine exaratos refert; indeque fit, ut Gallicum idioma non recte callens in genuino eorumdem ſenſu deprehendendo, quandoque ſe cæſpitare comperiat. Cæterum his non obſtantibus ex nuperis, qui de re Liturgica ſcripſerunt, præſertim in Gallia, inter primi Subſellii viros Grancolaſius accenſendus eſt, etſi contra ipſum, alioſque celebres Theologos Sorbonicos, Boſſuetum, & Dezium inſurrexerit Joannes Fechtius Roſtochienſis & hæreticorum fœcundatus Author, qui in ſua Tractatione de origine, & ſuperſtitione, ut ait, Miſſarum in honorem Sanctorum celebratarum Roſtochii, & Lipſiæ anno 1707. cuſa. cap. 9. præcipue eumdem Sectariorum more inaniter carpit. At ſatis ſuperque id Orthodoxum dogma a noſtratibus Catholicis adverſus gracculos iſtos evidentiſſime probatum.

Ineunte hoc ſeculo non exiguam rei Liturgicæ lucem affudit Clariſſimus Edmundus Martene Mon. Congregationis S. Mauri in Gallia, qui de antiquis Eccleſiæ Ritibus libros quatuor edidit, in quorum primo cap. 3. & 4. fuſe de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacrificio diſſerit, ac diſciplinam inſigniorum præcipue Eccleſiarum in eodem conficiendo ex illarum Sacramentariis, Miſſalibus, aliiſque Ritualibus libris perſpicue oſtendit, quam etiam notis, & obſervationibus eruditis illuſtrat.

Poſt hos Lazarus Andreas Bocquillotius vir eruditus in Jure licentiatus, & Canonicatu inſignitus Sacrarum Miſſionum laude præclarus vernacula lingua Pariſiis edidit Tractatum Hiſtoricum de Liturgia Sacra in 8. an. 1701. Parvæ molis eſt liber, ſed eruditionis non modicæ, quem & nos interdum ſuis locis laudatum dicemus. In eo Card. Bona Res Liturgicas complectitur, at ipſius ſententiam ſiniſtre nonnunquam interpretatur, de quo nobis ſuis in locis. Negat Bocquilotius uſum Sacrarum Veſtium ante ſeptimum ſeculum, ſed immerito, ut videbimus, & contra expreſſa veterum teſtimonia. Cæterum ſua eruditione commendandus eſt Auctor, qui etſi breviter, luculenter tamen ſcripſit. Eodem tempore anno ſcilicet 1702. Franciſcus Antonius Phœbeus edidit Romæ Diſſertationes, ac Theſes de Sacris Liturgiæ ritibus, ubi pag. 1. extat Philippi Biennæ Diſſertatio de variis Eccleſiæ Liturgiis, & pag. 15. Joannis Gregorii Liberalis de Liturgia Latina, ut alios ibi relatos taceam. His addo Dominum Du-Moleon, qui & Gallice edidit in 8. Lugduni 1707. ſuum Iter Liturgicum, in quo plura ab ipſo obſervata præcipue in diverſis Galliarum Eccleſiis quoad Miſſæ ritus, & cæremonias profert, at ultra praxim, quam uſitatam, & fieri vidit, non progreditur.

Claudius de Vert Monachus Cluniacenſis Ord. S. Benedicti, ejuſdemque Monaſterii Theſaurarius, atque Ordinis Viſitator plurimum circa res Liturgicas adlaboravit. Primus, quem in eam rem dedit libellus hunc titulum in fronte gerit, item Gallico idiomate *Explicatio ſimplex litteralis, & Hiſtorica Cæremoniarum Eccleſiæ &c.* in 8. Pariſiis 1706. In hoc libro id præcipue intendit Author, ut Rituum quorumcumque cauſas phyſicas, & litterales inveſtiget, myſticas tantiſper ſeponens. Novus item prodiit Tomus an. 1708. ubi jam dicta confirmat; Reliqui vero poſtremi duo, qui totum opus quatuor Tomis diſtinctum complent, poſt Authoris, qui dicto anno 1708. deceſſit, mortem lucem viderunt an. 1713. In his ubique Devertius ſyſtema ſuum de Sacri Miſſatici Ritus rationibus mere phyſicis, & naturalibus ita imprudenter effert, ut myſticas fere excludere videatur, hinc merito vapulavit Joanni Joſepho Languet Epiſcopo primum Sueſſionenſi, poſtea Senonenſi Archiepiſcopo, qui, licet tacito nomine ſuo, contra ipſum edidit libellum Gallice hoc titulo Latine reddite: *De vera Eccleſiæ ſpiritu circa uſum & cæremoniarum ſuarum, ſive Refutatio Tractatus D. Claudii De-Vert inſcripti: Explicatio ſimplex litteralis &c.* Quem etiam confutarunt Petrus le Brun item non ignobilis Liturgicus Author, de quo infra, in Præfat. ad Gallicam item ſuam Explicationem Miſſæ pag. XIX. & ſeqq. ac P. Ant. Boucat Ord. Minim. in ſua Theol. PP. Dogmatico Schol. Tom. 7. de Sacram. aliique. Habuit nihilominus ſuffragatorem Du-Vertius, cujus ſyſtema ſecutus

cutus, tuetur Theravizius edito Pariſiis an. 1699. libello item Gallice in hunc modum: *Quæſtiones ſuper Miſſa publica, & ſolemni, ſive Methodus concipiendi ſenſum naturalem, & Hiſtoricum cæremoniarum Miſſæ, earumque originem inveniendi cum reſponſione ad difficultates quæ objici poſſunt*. Contra ipſum quoque Devertium ſecretam Canonis recitationem temere aggreſſum inſurrexit N. de Vellemont Pariſienſis Doctor, qui de eodem libellum, ſeu Apologiam Rubricæ Miſſalis id præcipientis edidit Pariſiis 1710. in 12. cui etiam acceſſit an. 1715. pars tertia dictæ diſſertationis, in qua etiam examinantur exceptiones Ludov. Ellies Dupinii in primam, & ſecundam partem præfatæ Apologiæ.

Duvertio melius, ac prudentius ſcripſit de rebus Liturgicis Petrus le Brun Preſbyter Oratorii Pariſienſis, qui anno 1716. librum edidit hoc titulo Gallice impreſſum: *Explicatio literalis, hiſtorica, & dogmatica precum, ac cæremoniarum Miſſæ juxta veteres Authores, & Eccleſiæ monumenta cum diſſertationibus, & notis in eorum loca difficilia, & de rituum origine*: quod Opus poſtea Tomis quatuor in 8. abſolvit, atque Pariſiis edidit an. 1726. In his profecto alia, quam Vertiana principia deprehenduntur; Claudium enim Devert. tum in Præfat. pag. 19. & ſeq. tum in decurſu Operis paſſim inviſte refellit. De eodem jam ſupra aliquid diximus §. 1. quod hic repetere ſupervacaneum eſt.

De Liturgiis item, maxime Latinis plura ſcitu digna obſervarunt Edmundus Martene, & Urſinus Durand Monachi Benedictini in Gallia in Theſauro Anecdot. Tom. V. edito Pariſiis anno 1717. Horum autem prædictorum potiora delibavit in Critice ſua P. Honoratus a S. Maria lib. 5. diſſert. 3. art. 3. qui eſt de Liturgiis Eccleſiæ Latinæ; ibi perdoctus, ac Religioſus Criticus agit de Miſſa Eccleſiæ Romanæ, de Miſſa antiqua Gallicanæ Eccleſiæ, de Liturgia Mozarabum, de Liturgiis Eccleſiæ Africanæ, de Liturgiis Eccleſiarum Angliæ, & de Miſſa Latina a Matthia Flacco Illyrico edita.

Hactenus de præcipuis, qui de Liturgicis rebus, ac de Miſſæ Sacrificio erudite ſcripſerunt, Authoribus antiquis, ac novis, quibus & nonnulli pro coronide recentiores, & quidem inſignes, profecto addendi ſunt. Hos inter, ſervato temporis ordine, eminent N. Floriot, qui an. 1699. edidit Tractatum de Miſſa Parochiali Gallice in 4. Pariſiis. Fortaſſe hic eſt Nepos Petri Floriot Author Libri Moralis Chriſtianæ, cujus extat Epiſtola ad Cardinalem noſtrum ſcripta an. 1672. num. 265.

Henricus Piſſart Can. Reg. S. Auguſtini; Hic edidit Librum, cui titulus: *Sacerdos Evangelicus, & Expoſitio Rubricarum Miſſalis Romani*, in 4. Coloniæ Agrippinæ 1708. & 1723. —— Antonius Baldaſſar Soc. Jeſu. Hujus eſt *Liturgia Sacra dilucidata* cum Additionibus, Italice Venetiis 1717. & 1723. in 12. Tomi duo. —— Pompejus Sarnellus Vigilienſis Epiſcopus vir Eccleſiaſtica eruditione conſpicuus, ac notus, Commentaria edidit ad Ritus Miſſæ Italice in 4. Venetiis an. 1725.

Benedicti Papæ XIII. Opuſcula Liturgica in 4. Romæ 1726. —— Seraphinus Capponus a Porrecta Ord. Præd. Theologus inſignis ſcripſit librum Italice hoc titulo latine reddito: *Sacerdos in æternum, ſeu Declaratio Cæremoniarum, & indumentorum Sacræ Miſſæ*. Romæ 1729. —— Ludovicus Antonius Muratorius Mediolanenſis eruditionis fama apud omnes celebris Tomo IV. Antiquit. medii ævi ſcripſit Diſſertationem num. 57. De Ritibus Ambroſianæ Eccleſiæ, cujus diſtincta mentio erit ad cap. X. hujus primi Tomi, ubi de Miſſa Ambroſiana. —— Scipio Maffejus Veronenſis nobilis item inter noſtri ſeculi Scriptores protulit Diſſertationem de Conſecratione Euchariſtica, quam tamen non vidi. —— Hieronymus Criſpi Archiep. Ravennatenſis typis dedit Diſſertationem de Myſteriis Evangelicæ Legis, & Sacramenti Euchariſtiæ, ac Sacrificii Miſſæ, Romæ 1729. & iterum ibid. 1734. in 12. Denique Catholicum hoc Scriptorum Liturgicorum agmen claudit Proſper Lambertinus S. R. E. Card. Epiſc. Bononienſis, nunc Benedictus Papa XIV. feliciter regnans cujus inter Annotationes ſuper Feſta Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virg. & Sanctorum aliquot, extat Tomo 2. a pag. 80. uſque in finem prolixus ſatis, ac doctiſſimus Tractatus de Sacrificio Miſſæ in duas Sectiones diviſus, ubi plura de Eccleſiis, Vaſis ſacris, Veſtibus Sacerdotum, ac de omni Miſſæ parte diſquiruntur. in 4. Robureti 1740. Satis de Orthodoxis Sacrarum Liturgiarum Aſſertoribus, nunc de Hæreticis earumdem impugnatoribus diſſerendum.

§. V.

§. V.

De Hæreticis Sacrarum Liturgiarum, & Sacrificii Miſſæ Impugnatoribus.

JAM inde ab Apoſtolorum ætate, qui primis Eccleſiæ Seculis Hæretici fuere, aut ſimiarum in morem ſacros Orthodoxæ Eccleſiæ Ritus, quamquam non ſine flagitio, imitari ſtuduerunt, aut certe eumdem fere Liturgiæ morem, etſi ab Eccleſia ſeparati, retinuerunt. Primi generis recenſentur Nicolaitæ, Simoniani, Menandriani, Gnoſtici, Carpocratiani, Elceſeitæ, Marcoſii, Borboritæ, Ophitæ, Colorbaſii, Marcionitæ, Cataphryges, Pepuziani, Mooraniſtæ, Manichæi, aliique hujuſmodi nominum, & hominum monſtra, qui dum incæſtis, funeſtiſque initiarentur Sacrificiis, Gentilium calumniis adverſus Chriſtianos occaſionem dedere, quaſi cœnæ Thyeſtææ forent Eccleſiæ Myſteria. Vide infra ad cap. 4. §. 3. & cap. 7. §. 2. Hi omnes Chriſtum non eſſe in Euchariſtia corporaliter præſentem effutiebant; ejuſque Carnis veritatem negabant, quod oimirum aſſererent Verbum Divinum non verum, ſed phantaſticum corpus aſſumpſiſſe, quos indigitat S. Ignatius Martyr in ſua ad Smyrnæos Epiſtola: *Ab Euchariſtia*, inquit, *& oratione abſtinent, eo quod non confiteantur Euchariſtiam Carnem eſſe Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit.* Iis nonnulli annumerant Præſules Iconomachos illos, qui in Conciliabulo Conſtantinopolitano an. 754. ab ipſis habito contra ſacras Imagines aſſeruiſſe dicuntur, (ut ex iis refert Gregorius Epiſcopus in ſeptima Synodo Œcumenica) quod Chriſtus *imaginem materiam præcipuam, ideſt panis ſubſtantiam præcepit offerri*: At eoſdem alii, an verius, ipſi viderint, ab hoc errore eximunt. Bene quidem illis Hæreticis accenſendi nonnulli Manichæi, qui ex Bulgaria in Galliam decimo labente ſeculo irrepſerant, quique ducibus Stephano, Liſojo, & Heriberto Clericis Aurelianenſibus dixerunt: *Non eſſe Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti in conſecratione Sacerdotis*: uti referunt Acta dicti Concilii Aurelianenſis Tom. 9. Concil. pag. 836. quorum tleliria fuſe refert Glaber Radulphus Monachus Cluniacenſis lib. 3. Hiſt. cap. 8. quibus addeodi Sectarii quidam Gandulphiani a Gandulpho Italo ſic dicti, qui peoe omnia Sacramenta reſpuebant, præſertim Euchariſtiæ, in Syoodo Attrebatenſi damnati, qui poſtea reſipiſcentes errores ſuos ejurarunt, & Catholicam fidem profeſſi ſunt. Vide acta Synodi prædictæ Tom. XIII. Spicilegii Dacheriani. Hi ſunt Sacramentariorum, & Calviniſtarum anteceſſores; tales parentes eis nemo Catholicus invidet.

Alterius ordinis fuere Novatiani, Sabelliani, Ariani, Paulianiſtæ, Donatiſtæ, Luciferiani, Eutychiani, Origeniſtæ, Terraditæ, & alii pleriqne (excepto partim Aerio, qui cum pro vivis offerri crederet, negabat pro Defunctis Sacrificium celebrari) iſti more Eccleſiæ nihil, aut parum immutato ſacrificaſſe leguntur, quamquam inter Arianos, & Donatiſtas non defuerint, qui in Sacerdotes Catholicos, & eorum Templa, vaſa, Altaria, aliaque ſacra deſævirent, quod tamen noo alia de cauſa id contigit, quam quod ſacra noſtra immunda ducerent, ipſi interim ab Eccleſia ſeparari, ſua celebrantes Sacrificia, & conventicula. His longe quidem pejores Calviniſtæ, quibus ſuperiori ſeculo nedum eadem ſacrilegia patrare ſatisfuit, verum eriam Sanctorum Imagines, & reliquias flammis adjicere, altaria ſubvertere, Templa incendere, Eccleſias ſpoliare, Sacerdotes trucidare, ipſi denique Domini Corpori, & Saoguini maous violeotas inferre, canibus projicere, ſanctaque omnia conculcare, & conſpurcare ludum habentes, de hiſce inſuper Geotilibus gloriari haud veriti ſunt, uti narrant Varillaſius in Hiſtoria Caroli IX. & Franciſci primi Franciæ Regum, Spondanus ad ao. 1561. aliique. Neque obſtat, quod Varillaſium alias celeberrimum in Gallia ſcriptorem *hiſtoricum mendaciſſimum, putidiſſimum impoſtorem* inique traducat, vocitetque Henricus Vvarton, Supplem. ad Guill. Cave Hiſtoriam io Vvicleffo, quem hæreſiarcham Hæreticus laudat; Teſtis enim de hiſce ſceleribus eſt ipſe Theodorus Beza, quem utique noo reſpuent Sectarii, in Epiſtola ad Calvinum de iiſdem ſcripta, ac uti triumphali habita, ubi refert, quomodo Calviniani Pariſiis an. 1561. in ſacram Ædem furentes ſeditione facta irruerunt, Sacrariſſimam Euchariſtiam conculcarunt, aliaque execranda mox relata perpetrarunt. Hujus Epiſtolæ verba recitat Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Sec. XV. & XVI. art. 12. §. 1. num. 15. in fine. Hæc impiorum gloria, gloriari cum male fecerint, & lætari in rebus peſſimis.

Porro inter Hæreticos, qui palam, expreſſe, ac directe fidem præſentiæ rea-

lis Chriſti Domini in Altaris Sacramento oppugnarunt, facemque noſtri temporis Novatotibus prætulerunt, primus occurrit Joannes Scotus Herigena Saxo-Germanus, qui obiiſſe dicitur an. 884. alter a Joanne Æthelingiæ Abbate, & Martyre Malmesburienſi, cum quo perperam a Calviniſtis confunditur, præcipue a Guillelmo Cave in ſua Hiſtoria Litetaria, uti evidenter oſtendunt P. Patiſius Canonicus Regulatis Congreg. Gallicanæ in Diſſert. de Joanne Scoto ad calcem prioris voluminis de perpetua Eccleſiæ Catholicæ fide circa Euchariſtiam contta Miniſtrum Claudium, & Mabillonius, tum in Præfat. 2. ad Sec. IV. Benedict. §. 8. in fine num. 136. rum in Elogio Hiſtorico Abbatis Æthelingenſis ibid. part. 2. Scripſit Scotus Herigena librum de Euchariſtia, qui amplius non extat, & quo Berengario, cæteriſque Sacramentariis prælusit; in eo perverſe docuit reſetente Hincmaro Rhemenſi lib. de Prædeſt. cap. 31. *Sacramenta Altaris non eſſe verum Corpus, & verum Sanguinem Domini, ſed tantum memoriam veri Corporis, & Sanguinis*: ſeu, ut ait Aſcelinus Monachus in ſua ad Berengarium Epiſtola: *Sacramenta ſpecie tantum geri, non rei veritate*: adverſus hunc librum Adrevaldus Floriacenſis Monachus Ordinis S. Benedicti veterum Patrum ſententias *de Corpore, & Sanguine Chriſti contra ineptias Joannis Scoti collegit*. Extat hæc Collectio in Spicilegio Dacherii Tom. XII. pag. 30. Scoti Liber cum ſuo authore in pluribus Conciliis damnatus fuit, Vercellenſi an. 1051. Pariſienſi eodem anno, deinde in Synodo Romana ſub Nicolao II. an. 1059. uti teſtantur Aſcelinus præfatus, Guitmundus Epiſcopus Averſanus, Durandus Troarnenſis Abbas, & Lanfrancus Epiſc. Cantuarienſis adverſus Berengarium.

Seculo undecimo hauſtum ex Scoti libro venenum apertius ſparſit Berengatius Turonenſis, & Eccleſiæ Andegavenſis Archidiaconus, latiuſque diffudit; unde tamquam primus Sacramentariorum parens vulgo traducitur; multa de ejus moribus, ingenio, vitæ inſtituto, pœnitentia narrant Authores coætanei, quorum Opera extant Tom. XVIII. Bibl. PP. Lugd. quos etiam recenſet Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Sec. XI. & XII. Diſſert. 1. Berengarii errot is etat, quod diceret Euchatiſtiam non eſſe verum, & ſubſtantiale Corpus Chriſti, ſed ejus dumtaxat imaginem, uti ex tertia fidei formula, cui in Synodo Romana anno 1079. ipſe Berengarius ſubſcripſit, item ex Durando Troarnenſi libro de Corpore, & Sanguine Domini, Deodvvino Leodienſi Epiſcopo in Epiſt. ad Henricum I. Galliarum Regem, aliiſque: hinc nedum tranſubſtantiationem negavit Berengatius, ſed & ptæſentiam realem, quemadmodum nunc Calviniſtæ venenati hujus parentis venenati filii, quinimmo illo pejores; de eo enim non legitur, quod Sacram ab Altari Liturgiam dirocte, & expteſſe diſpunxerit, ſacroſque Eccleſiæ Romanæ ritus contempſerit, ac ſupetſtitioſos, inaneſque afferuerit, ſicut iſti nequiter affirmant. Nonnulli etiam ſubtiliores Berengarii Diſcipuli referente Guitmundo præfato lib. 1. de Corpore, & Sanguine Chriſti admiſſa præſentia reali tranſubſtantiationem tantum negarunt, aſſerentes Chriſtum latenter in pane contineri, & in eo *impanari*. Idem refert Algerus in Prologo Librorum de Sacram. Corporis, & Sanguinis Domini. Ex his Lutherus hæreſim ſuam Impaniſtarum hauſit, qui & cum Calvino de peſſimis hiſce progenitoribus profecto abſque invidia, gloriari poteſt. Damnatus cum ſuis aſſeclis Berengarius fuit in pluribus Conciliis, videlicet Romano an. 1050. vel 1053. Brionenſi ejuſdem anni, Vercellenſi, Pariſienſi, Turonenſi an. 1075. duplici item Romano ſub Gregorio VII. an. 1078. & 1079. ubi ejurata hæreſi pœnitens propoſitæ ſibi formulæ Catholicæ fidei ſubſcripſit, quæ incipit: *Ego Berengarius, &c.* Contra quem adhuc viventem plerique celebres illius ævi Scriptores calamum exacuere, quorum omnium lucubrationes habes in citato Tomo XVIII. Bibl. PP. Obiit Berengarius in communione Eccleſiæ an. 1088. uti pluribus illius temporis monumentis probat Natalis Alexander loco ſupra indicato Diſſert. 2. art. 19. Utinam Hæretici noſtrates, qui ejus authoritate, & magiſterio gloriantur, ejus etiam ad gremium Eccleſiæ reditum, & erroris emendationem imitentur, quique Berengarium ſequuntur errantem, ſequerentur pœnitentem!

Huc etiam poſſem accenſere Bogomilos, alioſque nonnullos Orientis hæreticos, qui eodem ferme tempore adverſus Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, Sacraſque Liturgicas preces, & cæremonias inſurrexere. Hi novi etiam Manichæi, & Meſſaliani dicti fuere, de quibus Euthymius in Panoplia titul. 23. Zonaras in Annal. Harmenopolus lib. 8. de Sectis cap. 19. Tom. I. juris Græco-Rom. aliique, & præcipue Anna Comnena lib. 15. Alexiados, ubi de Baſilio Medico nefariæ Bogomilorum Sectæ Principe loquens hæc inter cætera habet: *quin etiam templa, heu mihi! Sacra Templa, fana dæmonum profanus appellabat. Et quod legitimis cæremoniis rite conſecrari,*

fecrari, ac fieri apud nos folent Corpus, & Sanguinem ejus, qui primus Pontifex idem fuit, & victima, aſpernabatur, conſuetudinem religioſam, & reprobabilem, revocandamque cenſebat. At ne nimium vagari, ac diſpergi videar, ſolos Occidentis Cacodoxos, Antieucharifticos hujuſmodi Satanæ diſcipulos, ac præcones referre ſufficiat. Et quidem ante Seculum Chriſti XII. (ut recte obſervat Clar. Dominicus Georgi in ſua Liturgia Rom. Pontif. Præf. num. 3.) nullum apud Occidentales a perditis hominibus bellum in ſanctum miniſterium, ſeu Liturgicas cæremonias, in Sacrarum Ædium ornatum, aliofque pios Eccleſiæ ritus moveri cœperat; neque enim tanto temeritatis facinore ſic ultra progredi in impietate auſi ſunt Scotus, & Berengarius præfati, ut diximus, ſed ejuſdem ſeculi initio, ac deinceps late per Germaniam, Batavoſque primus hujuſmodi virus ſparſit Tanchelinus, ſeu Tanchelmus, a quo hæretici Tanchelmitæ; Hic namque ex Inſulis Zelandicis erumpens, iiſque ab ipſo ſic infectis, inde ad Flandros, Morinoſque circa annum 1109. ſe conferens Monachus mentitus ſuam latius hæreſim propagavit, quam tamen S. Norbertus Præmoſtratenſis Ordinis conditor Antuerpiam accerſitus, ibi eamdem extinxit, ac profligavit. Inter alia, quæ perfidus Hæreſiarcha, ac blaſphemus prædicabat, ut ex Epiſtola Trajectenſis Eccleſiæ tunc vacantis ad Fridericum Colonienſem Archiepiſcopum ſcripta circa an. 1112. a Sebaſtiano Tengnagellio in ſuis veteribus monumentis contra Schiſmaticos pag. 368., & 369., vulgata colligitur: *declarabat Eccleſias Dei Lupanaria eſſe reputandas, nihil eſſe, quod Sacerdotum officio in Menſa Dominica conficeretur, pollutiones, non Sacramenta nominanda*, &c. Item, ut legitur in vita ejuſdem S. Norberti apud Bolland. die 6. Junii pag. 443. cap. 13. num. 79. *Sacroſanctî Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti perceptionem ad ſalutem perpetuam prodeſſe denegabat.*

Non multo poſt eodem Seculo XI. ac XII. Petrus de Bruis, a quo Petro-Bruſiani dicti, & Henricus ejus diſcipulus, a quo Henriciani, non tantum negarunt, *veritatem Corporis, & Sanguinis Domini quotidie, & continue in Eccleſia oblatum* (ut ſcribit Petrus Cluniacenſis in Epiſtola ad Ebredunenſem Archiepiſcopum, abſque Præſules, in quorum Diœceſibus iſti virus ſparſerant) *ſed omnino illud nihil eſſe, neque Deo offerri debere affirmarunt.* Damnati ſtatim fuere Petro-Bruſiani in Concilio Generali Lateranenſi II. Can. 23. Henriciani vero primum a Cenomanenſi Clero abſente dictæ Urbis Epiſcopo, poſtea ab ipſo ad ſuam Eccleſiam reverſo, demum ab Alberico Cardinali, & Epiſcopo Oſtienſi Eugenii Papæ III. Legato Apoſtolico ad hoc ſpecialiter deputato profligati; S. Bernardum Abbatem legationis ſuæ comitem Albericus aſcivit, qui Melliſſimus Doctor, concionibus, collationibus, miraculis innumeros hæreticorum ad fidem convertit, multumque apud Toloſates rem Catholicam promovit. Extant hac de re, deque Henricianis Sancti Patris Epiſtolæ 148. 240. 241. & 252. Vide Gauſridum Monachum lib. 3. de vita S. Bernardi cap. 5. ac nuperrime Clariſſimum Scriptorem noſtrum Abbatem D. Gaſparem Antonium Petrina in Vita pariter Sancti Patris lib. 6. num. 638. & ſeq. ubi plura notatu digna refert.

Dicto ſeculo XII. Vvaldenſes item a quodam Petro Vvaldo denominati exorti ſunt circa an. 1160. Eorum hæreſes, & errores ex Reinero (qui primum per plures annos inter ipſos verſatus fuerat, poſtea divina adſpirante miſericordia agnita eorum impietate, & fatuitate hæreſim publice ejuravit, & ad fidem Catholicam reverſus facto Prædicatorum Ordini nomen dedit circa an. 1254. atque Opuſculum de Hæreticis edidit, quod pene totum eſt de Vvaldenſium ſecta, erroribus, diſciplina, ac moribus, & extat Tomo XXV. Biblioth. PP. Lugd.) recenſent Natalis Alex. Hiſt. Eccl. ſec. XI. & XII. cap. 4. art. 13. ac Hiac. Amat de Graveſon pariter Hiſt. Eccl. Tom. 4. pag. 198. & ſeqq. edit. Venetæ. In primis effutiebant iſti veram, & Catholicam Eccleſiam unice apud ſe ſolos conſiſtere; Eccleſiam vero Romanam errorum omnium magiſtram, ac propterea vitiorum ſentinam appellabant, ejuſque ſequaces, præcipue Eccleſiaſtici Ordinis, Hæreticos, atque infideles eſſe dicebant: Hinc ſtatuta Eccleſiæ contemnebant, Eccleſiaſtica officia inania eſſe docebant, Eccleſias, Altaria, eorumque conſecrationes, ornatum, & ſacram ſupellectilem, Sacerdotalia indumenta, luminaria, thurificationes, Aquam benedictam, proceſſiones, Indulgentias, cenſuras, pœnitentias, exorciſmos, aliofque ſacros ritus, & cæremonias a Miniſtris Eccleſiæ fieri ſolitas deridebant, aſpernabantur; denique Liturgica omnia conculcabant, & tamquam ſuſperſtitioſa rejiciebant. Horum omnium Hiſtoriam compendio redactam profert doctiſſimus Jacobus Benignus Boſſuet Meldenſium Epiſcopus Tom. II. Hiſt. variat. &c. a pag. 161. ad pag. 212. ubi de Albigenſibus,

sibus, qui eodem ferme tempore exorti, & nonnihil a Waldensibus dissimiles Romanam Ecclesiam speluncam latronum, & meretricem Apocalypsis vocitabant, Sacramenta omnia deridebant, præcipue Eucharistiam, ac Sacrosancti Corporis Christi Hostiam a pane communi non differre publice docebant, Sacram Ministrorum ordinationem in Ecclesia Catholica, & Missam tamquam ritus superstitiosos, & inanes omnino reputabant, cantilenis, sacrilegisque jocis Sacros Ritus omnes irridebant, milleque alia nefanda, & impia procudebant, quæ recensere non vacat. Vide etiam dictum Natalem Alexandrum Sec. XIII. cap. 3. art. 1. In plerisque Conciliis damnati; ac pluries confutati, ac proscripti fuere Hæretici isti, & quidem Waldenses in Concilio Turonensi an. 1163. sub Alexandro Papa III. Can. 4. in Lateranensi III. Œcumenico Can. 27. an. 1170. deinde in Synodo Lumbariensi an. 1176. Tolosana an. 1177. Senonensi an. 1198. demum in Lateranensi IV. generali sub Innocentio III. an. 1215. aliisque; Albigenses vero primum in Synodo Provinciali Montiliensi an. 1209. Avenionensi an. 1210. Vaurensi an. 1213. Montis Pessulani an. 1214. ac deinde in Generali prædicto Lateranensi IV. cap. 1. & 3. aliisque ex Natali Alexandro relatis loco citato §. 5. Post hos circa an. 1419. fuerunt Thaboritæ nova Hussitarum propago in Waldensibus, atque Albigensibus in nequitia persimiles, de quibus videndus Joannes Petrus Ludewig Tom. 6. MSS. omnis ævi diplomatum pag. 191. ubi plurima contra Sacrosanctam Eucharistiam, sacrosque Missæ ritus nequiter ab ipsis asserta produntur.

Ineunte Seculo XIV. insurrexerunt Lollardi, & Arnaldistæ dicti, qui Wicleffo, de quo infra, proluserunt, ejusque præcursores fuere. Horum primi Missam nihil prodesse, ac Dominicum Corpus in Sacramento Deum esse fictitium blasphemabant. Secundi fundationes Missarum pro Defunctis non esse opera charitatis, sed res ad vitam æternam promerendam prorsus inutiles effutiebant. Quæ hæreses in ipso exortu jugulatæ fuerunt. At anno 1375. ab inferis erupit Wicleffiana hæresis authore Johanne Wicleffo Anglo, qui inter innumeros fere errores, quos evomuit, referente Thoma Valdensi Oper. Tom. 2. cap. 23. & seqq. Berengarii, ac discipulorum ejus hæresim contra Eucharistiæ Sacramentum excitavit, asserens, quod Eucharistia sumul est Corpus Christi, & verus Panis, Corpus quidem in figura; verus panis in natura, nec in eo Sacramento Corpus, & Sanguinem Christi esse realiter, & identice in propria præsentia corporali, ac proinde Eucharistiæ adorationem Idololatriam esse blasphemabat lib. de Euch. cap. 9. Præterea Eucharistiam conficientii etiam laicis non ordinatis, quin & fœminiis convenire posse effutiebat, atque non esse fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit, aliaque plura, quæ videsis apud Valdensem præfatum, Joannem Luke Oxoniensem Theologum, & in Historia Concilii Constantiensis; vide item sæpe cit. Natalem Alexandrum Sec. XIII. & XIV. cap. 3. art. 22. §. 4. ac seq. Statim ac apparuit hæc pestilens doctrina contra Catholicam Eucharistiæ veritatem, isti cum aliis Wicleffi erroribus, primum Romæ a Gregorio Papa XI. & Cardinalium Consilio damnati fuere, deinde ab Universitate Oxoniensi, ut refert Cæsar Egassius Bulæus Tom. 6. Hist. Univ. Parisien. pag. 459. 460. & 615. postea in Synodo Londinensi an. 1382. atque alia Cantuariensi an. 1396. ab Oxoniensi 1408. In Synodo Romana sub Joanne XXII. an. 1413. Item ab Academia Parisiensi, ut referunt Windesordus libro contra Wiclessistas, & Joannes Cochlæus lib. 1. Hist. Hussitarum; a Pragensi etiam Academia an. 1408. cujus damnationis decreto interfuit, subscripsitque Joannes Hus, qui ejus postea Wicleffi prava dogmata hausit, palamque in Bohæmiæ Regno effudit, lateque propagavit, quemadmodum testatur Joannes Przibram Bohæmus, quondam Hussita, dein ad Ecclesiam redux in libro, quem an. 1428. edidit de professione fidei Catholicæ, & errorum revocatione; demum plenaria, & œcumenica Synodus Constantiensis ses. 8. præfatos, aliosque omnes Wicleffi errores lata sententia damnatos ab Ecclesia proscripsit.

Sed & Reges ipsi Angliæ Ricardus II. an. 1388. & Henricus IV. pii, & Catholici Principes grassantem Wicleffianam hæresim edictis suis insectati sunt, omnemque adhibuerunt operam, ut hæc fœdissima pestis toto Regno exterminaretur, uti referunt Henricus de Knyghton Canonicus Reg. Monasterii Leicestrensis de Eventibus Angliæ, Scriptor coævus, quo nemo melius Historiam Wicleffianam descripsit, vel ipso teste Henrico Warton, in Appendice ad Guillelmi Cave Hist. Litter. pag. 55. qui hæc de ipso profert: *melioris notæ Historicus, quo non alius res Anglicas majori fide, ac diligentia persecutus est*: ac Nicolaus Harpsfeldius Archidiaconus

conus Cantuarienſis eximius fidei Catholicæ temporibus Eliſabethæ Angliæ Reginæ Confeſſor in Hiſtoria Wicleffiana cap. 7.

Profligatæ toties, atque extinctæ licet iſtæ hæreſes contra Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum denuo poſt ſeculum ab orco revocatæ ſunt anno 1525. Etenim Andreas Caroloſtadius Wittembergenſis, ex Archidiacono factus Agricola, poſtquam ejurato Chriſtiano Sacerdotio, ejuſque cælibatu, primus ex Proteſtantibus, ſeu Reformatis, ut dici volunt, uxorem ducere auſus eſt, cujus ſactilegas nuptias non puduit Lutheranos Wittembergæ nedum publice laudare, ſed & proprio Miſſæ Officio celebrato, approbare, quod totius impietatis, & laſciviæ impudentiſſimæ monumentum, & trophæum juremerito appellandum eſt; dum abſens Wittemberga eſſet Lutherus ſacrum habitum Caroloſtadius abjecit, Miſſam abrogavit, Euchariſtiam propbanis manibus contrectari permiſit, concitandæque Plebis Author fuit, ut quaſi portis late patentibus infeſta hoſtilitatis ſigna Aris, & Templis inferret, & ex illis ſacras Imagines ejiceret. Mox indicto in Euchariſticam veritatem bello Chriſti Corpus, & Sanguinem re ipſa, & ſecundum ſubſtantiam adeſſe negavit, librumque edidit, quo Eccleſiæ fidem de præſentia reali Chriſti Domini in dicto Sacramento Altaris excuſſit, quam propugnabat Lutherus, etſi cum Panis ſimul, & Vini ſubſtantia, in quo ſpeciaIis ejus error circa Euchariſtiam verſabatur; Sicque Caroloſtadius ſepultam olim Sacramentariorum hæreſim denuo ab inferis excitavit, quam ferme eodem tempore latiſſime in Helvetia propagavit Huldricus Zuinglius cujuſdam ibidem Parochialis Eccleſiæ Rector edito peſtilentiali libro de vera, & falſa Religione, quo Chriſtum in Euchariſtiæ Sacramento corporaliter non eſſe præſentem oſtendere conatur, nec alium ei effectum tribuit, quam quem aliis Sacramentis adſcribit, *ſigni* videlicet, *vel cæremoniæ, quibus ſe homo Eccleſiæ probat, aut candidatum, aut militem Chriſti*. Inde concludit Euchariſtiam eſſe merum ſignum cujuslibet effectu vacuum, Chriſti verbis nullam omnino de gratia promiſſionem contineri, ac demum Miſſam non eſſe Sacrificium, ſed Sacrificii in Cruce ſemel oblati ſimplex commemoratio, quibus erroribus, & pleroſque alios addidit, quos recenſet laudatus Natalis Alexander Hiſtor. Eccl. Sec. XV. & XVI. cap. 2. art. 10. §. 3. num. 2. Hiſce Sacramentariis ſe ſe adſcripſerunt Joannes Oecolampadius, Henricus Bulingerus, Bernardinus Ochinus, Petrus Martyr, aliique, inter quos Martinus Bucerus, qui Argentinenſibus eam hæreſim propinavit, quam tamen multo fuco temperare conatus eſt, ne male apud Lutheranos auditet, cum quibus ſocietatem inire cupiebat.

Buceri Auditor factus Joannes Calvinus, ejuſque familiaris, & amicus vafritiem, ac doloſitatem, quam & innatam habuerat, ab ipſo ampliùs edoctus, mirus ſi quis umquam fuit, fallendi artifex effectus, a tali magiſtro nedum erroneam hauſit doctrinam, verum etiam eas perobſcuras phraſes, quibus nonnumquam Lutheranis fucum fecit, & Catholicis incautis tentavit illudere. E Gallia Baſileam appulſus, editiſque ibi putidiſſimis ſuis Inſtitutionum Chriſtianæ Religionis (ut vocat) Libris, deinde Genevæ exceptus, ejuſque Urbis caliphatu donatus, ibi licentius peſſime conceptum virus evomuit, & evulgavit; præcipue Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſibi oppugnandum perfidus hæreſiarcha propoſuit; & primo tranſubſtantiationem in eodem Euchariſtiæ Sacramento negat, & veluti figmentum impugnat. Euchariſtiam adorandam, aſſervandam, circumferendam, & extra uſum, ac manducationem Sacramentum eſſe negat. Verba Chriſti Domini; *Hoc eſt Corpus meum*: *Hic eſt Sanguis meus* cum Zuinglio figurate, & ſignificative accipienda eſſe contendit lib. 4. Inſtitut. cap. 17. §. 11. & in Concordia cum Tigurinis inita anno 1549. apud Hoſpinianum pag. 212. inter opiniones, quæ rejici, & repudiari debent, collocat eam, quæ aſſerit Corpus Chriſti realiter, & ſubſtantialiter adeſſe in Cœna. Ita in Defenſione contra Weſtphalum pag. 77. inter Opuſcula: *Miſſam Sacrificium non eſſe pro vivorum, & mortuorum expiatione a Chriſto inſtitutum, ſed hanc inſigni contumelia Chriſtum afficere, Crucem ejus ſepelire, & opprimere &c. Privatas Miſſas cum Chriſti inſtitutione ex diametro pugnare, ideoque hanc impiam eſſe Sacræ Cœnæ profanationem, abominationem, quæ in Calice aureo propinata omnes Reges terræ, & populos a ſummo uſque ad noviſſimum ſic inebriavit, ſic precuſſit ſopore; ac vertigine, ut brutis ipſis ſtupidiores proram, & puppim ſuæ ſalutis in hac una exitiali voragine ſtatuerint*. Hæc & alia execranda in Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ore prorſus tartareo nefandiſſimus, omniumque peſſimus Satanæ adminiſter Calvinus evomuit lib. 4. Inſtit. cap. 18. & alibi. Peſtilentiſſimam hanc hæreſim præter Concilium Tridentinum Oecumenicum, & univerſale, in quo pluribus anathematiſmis eadem condemnata fuit, Catholicæ omnes Academiæ communi calculo reprobarunt, confixerunt, & eliminandam, exterminan-

minandamque ab Eccleſia pronunciarunt; quamplurimi item Scriptores celeberrimi adverſum eamdem inſurrexere, & Catholicam veritatem invictis argumentis propugnarunt, quorum triginta & ultra enumerat Natalis Alexander loco cit. art. 12. §. 5.

His tamen non obſtantibus ſuis in blaſphemiis pertinaces Calviniſtæ dura cervice, & incircumciſis cordibus poſt repulſa, & confutata a noſtris eorum commenta, ac deliria, poſt veritatem illis clariſſime expoſitam, quam amplecti debuerant, adhuc in ſua pervicacia obſtinati, Spiritui Sancto obſiſtentes, ac ſceleratiori errorum congerie magis magiſque phrænetici contra Divinas, & Apoſtolicas Eccleſiæ Romanæ traditiones, Sacrorum ejus rituum antiquitatem, Miſſæ Sacrificium, ipſius veritatem, divinam inſtitutionem, Sanctitatem, & Chriſti Domini in eo realiter præſentis adorationem, Sacros Altaris Miniſtros, ac propterea indumentorum, Vaſorum, Ornamentorum vetuſtiſſimum uſum debacchati ſunt, inter quos eorum ſignifer, & Hæreſiarcha Calvinus, qui licet Sacras aliquot cæremonias ob earum antiquitatem laudare videatur; eas tamen rejicit, atque a ſuis ſacris expungit; quamobrem Franciſcus Balduinus ei exprobrat Reſponſione altera ad ipſum Calvinum edit. Pariſ. anno 1562. pag. 106. quod nulla fuerit in antiquis formulis actionum Eccleſiaſticarum, qua uti dignaretur. Acrius Sacroſanctos Ritus adorſus fuit Joannes Dallæus Calvinianæ Sectæ impius propugnator Diſp. adverſ. Latinorum traditionem de Religioſi cultus objecto, & de eorumdem cultibus religioſis, utroque in loco paſſim vetus illud Hæreticorum recinens: novas eſſe hujuſmodi cæremonias, novas pleraſque preces, quæ in Miſſa longiſſimo Eccleſiæ Romanæ uſu, inſtitutoque dicuntur. Hujus loci non eſt ſingula iſtius Sectarii commenta proferre, & confutare, cum a noſtratibus bene multis viriliter diſſlata ſint. Hoc unum dicam, quod nihil aliud crepant homines hujuſce furfuris, quam novas eſſe cæremonias Sacramentorum, eaſque ab Apoſtolorum doctrina prorſus alienas, & quamquam centies a Catholicis Scriptoribus, ut diximus, debellati, ac proſtrati fuerint, ruſus tamen caput exerere audent, temere jactitantes nihil de myſteriis, nihil de cæremoniis, nihil de forma Euchariſtiæ a veteribus illis Chriſtianæ Religionis Apologiſtis, veluti Athenagora, Tatiano, Juſtino, Minucio Felice, Tertulliano, Origene, Lactantio, atque Arnobio, nihil demum a Patribus trium priorum Eccleſiæ Seculorum ea de re tradi; at quis vel a limine ſalutata Hiſtoria Eccleſiaſtica ignorat id omnè ab iis occultatum, ne ſcilicet Sacra myſteria non ſine manifeſto irriſionis periculo Judæis, ac Gentilibus proderentur, aut etiam vulgo fidelium in contemptum venirent? Idem expreſſe teſtatur Lactantius de Divin. Inſtit. lib. 7. cap. 26. *Hæc eſt*, inquit, *noſtra Sapientia, quam iſti, qui vel fragilia colunt, vel inanem Philoſophiam tuentur, tamquam ſtultitiam, vanitatemque deridunt, quia nos defendere hanc publice, atque aſſerere non ſolemus Deo jubente, ut quieti, ac ſilentes arcanum ejus in abdito, atque intra noſtram conſcientiam teneamus.* Hanc porro arcani diſciplinam, quam ſic indigitant Auguſtinus Epiſtola 187. ad Dardanum, Innocentius I. Epiſt. ad Decentium Eugubinum cap. 1. aliique, quos ſuo loco referemus, ad Apoſtolicas traditiones refert S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. quodque multis veterum teſtimoniis confirmat Melchior Canus de Locis Theolog. lib. 3. cap. 3. fundam. 4. Joannes Fiſcacus in libris ſelectorum lib. 2. de myſteriis §. 2. pag. 143. & ſeq. atque alii plures. Sed omiſſis inter Sectarios iis omnibus, qui cum Calvino Miſſæ Sacrificium rejiciunt, præſtat ex cæteris eos, qui eamdem ſuo modo, & ex proprio cerebro ordinatam admittunt, ac quæliter ipſam perverterint (id quod dicetur cap. 7. §. 2.) breviter deſcribere. Horum anteſignanus Martinus Lutherus Libro, quem ſic inſcripſit: *Formula Miſſæ, & Communionis pro Eccleſia Vvittembergenſi*: ita ſuam Miſſam ordinavit, quemadmodum exprimit Natalis Alexander Hiſtor. Eccleſ. Secul. XV. & XVI. art. 4. §. num. 21. & primo.

Anno MDXXIII. cum Cathoiici Germaniæ Principes editionem novi Teſtamenti ab eodem Luthero translati, & interpolati prohibuiſſent, edidit ille Teutonico idiomate librum *de ſeculari Poteſtate*, in Principes maledicentiſſimum; item *Epithalamium* laſcivum contra Virginitatem. Deinde librum præfatum *de formula Miſſæ, & Communionis* pro Eccleſia Vvittembergenſi, atleo imperioſum, ut arrogaverit ſibi jus conſtituendorum rituum, quod nec Romano Pontifici, nec ipſis Conciliis Œcumenicis permittit. *Miſſas, & Communionem panis, & vini vitum eſſe a Chriſto divinitus inſtitutum* (ait) *qui ſub ipſo Chriſto primum, deinde ſub Apoſtolis, ſimpliciſſime, atque piiſſime, abſque ullis additamentis obſervatus fuit.* Miſſam duntaxat ſub ratione Sacrificii, Canonemque Miſſæ fugillat, & explodit; Introitus tamen Dominicales, &

in

in festis Christi, nempe Paschatis, Pentecostes, Nativitatis, probat, & observat Virginis, Apostolorum, aliorumque Sanctorum introitus, e Psalmis, aut aliis Scripturis sumptos non improbat. Wittembergæ omnia Sanctorum festa abrogat. Festa Purificationis, & Annunciationis pro festis Christi, sicut Epiphaniam, & Circumcisionem vult haberi; Loco festi S. Stephani, & S. Joannis Evangelistæ, Nativitatis officium substituit. Festa S. Crucis anathemate damnat. Quid aliud ab inimico Crucis Christi expectandum? Aliis tamen permittit, ut pro sua conscientia, vel aliorum infirmitate faciant quod Spiritus suggesserit. *Kyrie eleïson*, *Gloria in excelsis*, Orationem, seu Collectam unicam, Lectionem Epistolæ ampleditur; sed ex Epistolis S. Pauli eas optat eligi partes, in quibus fides docetur potius, quam morales, & exhortatorias. Missam lingua vernacula haberi cupit. Graduale duorum versuum, cum *Alleluja*, admittit. Alios ritus in Quadragesima, in Hebdomada sancta, aut feria sexta in Parasceve, non vult usurpari. Sequentiam, & prosas rejicit, prætèr brevem illam in Nativitate Christi, *Grates nunc omnes*: & illas de Spiritu Sancto *Sancti Spiritus*, & *Veni Sancte Spiritus*, quas sive sub Vesperis, sive sub Missa cantari permittit. Sequitur Lectio Evangelii, ad quam nec cereos, nec thurificationem prohibet, sed nec exigit. Symboli Nicæni cantum non improbat. Tum parari jubet panem, & vinum ad benedictionem ritu solito, omnibus illis repudiatis, quæ oblationem sonant. Hæret circa mixtionem aquæ, eo potius propendet, ut merum vinum paretur, quamquam id liberum relinquit. Tum Præfationem subjungit ritu nostro. Deinde: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem, gratias agens, fregit, deditque Discipulis suis, dicens, accipite, comedite, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur. Similiter & Calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic Calix est novi Testamenti in meo Sanguine, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum; Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Hæc verba Christi vult modica post Præfationem interposita pausa in eo tono vocis recitari, quo canitur alia Oratio Dominica in Canone, ut a circumstantibus possint audiri: quamquam liberum relinquat, vel silenter, vel palam ea verba recitare. Finita Panis, & Vini benedictione, Lutherano Ritu canitur *Sanctus*, & dum canitur *Benedictus*, elevatur Panis, & Calix ritu hactenus servato, vel propter infirmos, qui hac repentina hujus insignioris in Missa Ritus mutatione forte offenderentur. Post hæc legitur Oratio Dominica: *Oremus, præceptis salutaribus moniti*, omissa oratione sequenti, omissis signis super Hostiam, & cum Hostia super Calicem, ejusque fractione, & in Calicem mixtione; sed statim post Orationem Dominicam dicitur. *Pax Domini &c.* quam Lutherus publicam absolutionem Communicantium a peccatis esse ait, *vocem plane Evangelicam, annuntiantem remissionem peccatorum, unicam, & dignissimam ad Mensam Domini præparationem, si fide apprehendatur, non secus atque ex ore Christi prolata.* Ideoque vellet eam nuntiari verso ad populum vultu. Sequitur Communio celebrantis, & Populi. Interim canitur *Agnus Dei*. Orationes illas, *Domine Jesu Christe &c. Et Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam, vel tuam in vitam æternam*, Lutherus probat; Communionem cani permittit. Sed loco ultimæ Collectæ, quæ fere Sacrificium sonat, legi præcipit in eodem tono Orationem illam: *Quod ore sumpsimus &c.* loco *Ite Missa est*, substituit, *Benedicamus Domino*. Benedictionem solitam dari jubet, vel alias ex Scripturis desumptas. Liberum esse vult Episcopo, quo nomine Ministrum quemlibet intelligit, (Lutherani *superintendentem* vocant, qui pluribus Ecclesiis falsi nominis præest) quo ordine velit, utramque speciem vel sumere, vel ministrare: ita ut possit utrumque, nempe panem, & vinum continuo benedicere, antequam panem sumpserit: vel inter benedictionem panis & vini statim sese, & quotquot voluerint, pane communicare, deinde vinum benedicere, ac demum omnibus bibendum dare. Vestium usum permittit, sed eas confecrari, aut benedici vetat.

Nullam Missam privatam relinqui vult in Ecclesia, *nisi toleretur & hæc infirmitas ad tempus*. Hunc vero Communionis ritum præscribit, ut Ministro significetur, qui futuri sunt communicantes, ut eorum nomina, & vitam agnoscere queat. Deinde petentes non admittat, nisi rationem fidei suæ reddiderint, & interrogati responderint, quid sit Cœna Domini, quid præstet, quo usu illa velint potiri &c. Vitam & mores eorum probari jubet, ut si Minister viderit aliquem scortatorem, adulterum, ebrium, luxorem, usurarium, maledicum, aut alio crimine manifesto infamem, eum a Cœna excludat, donec manifesto argumento vitam se mutasse testatus sit. Communicatores seorsim uno loco stare jubet, dum Missa celebratur. *Confessionem privatam nec necessariam, nec exigendam; utilem tamen, & non contemnendam* esse docet.

Vult

Vult *utramque ſpeciem peti & miniſtrari*. Matutinas trium Lectionum, & Horas, tum Veſperas, & Completorium, de tempore, excluſis Sanctorum Feſtis, & Officiis approbat. Hi Ritus Vvittembergæ a Luthero inſtituti, qui ægre admodum ferebat, quod in Eccleſia ſub omnium Sanctorum memoria Deo dicata Ritus Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ, volente Friderico Saxoniæ Septem-viro, perſeverarent, ut ipſe in ejuſdem libri fine queritur. Eodem anno librum edidit de piis cæremoniis. Item librum contra Canonem Miſſæ, ſeu de *Abominatione Miſſæ privatæ*. Solemnem tantum admittebat Lutherus ordine mox deſcripto; at quoad Miſſæ privatæ perpetuum uſum, quem ipſe, ac reliqui heterodoxi Miſoliturgi nequiter reprobant, plura dicentur ad Cap. XIV. & XVIII. ubi ſemper viguiſſe in Eccleſia ejuſdem Miſſæ privatæ laudabilem conſuetudinem, quam Hæretici aliquando prohibitam fuiſſe numquam demonſtrare poterunt, evidenter ex omni antiquitate oſtendetur. Cæterum ex ipſis Sectariis, qui de Miſſæ Sacrificio utcumque, vel pro, vel contra ſcripſerunt, hi inter cæteros præcipui ſunt.

Philippus Mornæus du Pleſſis Hæreticus perniciosiſſimus a pleriſque Papa Hugonottorum dictus, & Proteſtantium Signifer, ſcripſit ſenſu plane hæreticali de ſacra Euchariſtia libros IV. in quibus ejus inſtitutio, celebratio, doctrina, & primitiva Eccleſia quæ fuerit, ac Miſſa quando, & quomodo, quibus gradibus in ipſius locum primum irrepſerit, demum & invaſerit, ſigillatim, ut ait, explicatur. De quo peſſimo Opere videndus Clar. Hiacynthus Graveſon Tom. 7. Hiſt. Eccl p. 126. ubi plura de eodem Pleſſæo reſert.

Jacobus Hildebrandus de Sacris publicis Eccleſiæ ptimitivæ in 4. Helmſtadii 1552.

Joachimus Hildebrandus edidit Diſſertationem de Ritibus ſacris ibidem 1655.

Joannis Friderici Liturgia vetus, & nova in 4. Jenæ 1705.

Joannes Erneſtus Grabbe duas Diſſertationes edidit de Oblatione, & Conſecratione Euchariſtiæ, ac de Liturgia Græca, quas S. Irenæi quibuſdam Fragmentis anecdotis attexuit impreſſas Hagæ Comitum 1715.

Chriſtianus Matthæus Pfaffius Tubingenſis (de quo jam dictum ſupra §. 3.) edidit Diſquiſitionem de Liturgiis, Miſſalibus, Agendis, & libris Eccleſiaſticis Eccl. Orient. & Occident. vet. & modernæ ad calcem ſacrarum Inſtitutionum Hiſt. Eccl. in 8. Tubingæ 1721.

Joſeph Bingham Londinenſis plura de Liturgiis ſcripſit in ſuis Originibus Eccleſiaſticis, quas Tomis decem comprehenſas in 4. Londini 1724. evulgavit, cum quo nobis erit ſuo loco differendum.

Leodegarius Mayer. Hujus eſt Explicatio compendioſa Literalis, Hiſtorica, Cæremoniarum Eccleſiaſticarum in 12. Tugii 1737.

Thomas Brett Anglus edidit Collectionem præcipuarum Liturgiarum Eccleſiæ Chriſtianæ anno 1710. Londini: ubi plura de Liturgicis Rebus edicit ex Hickeſii etiam Sacerdotio Chriſtiano aſſerto Anglice ſcripto, & Johnſonii Sacrificio incruento hac pariter lingua donato. Item Samuel Jebb Anglus in Juſtini Dialogo ex nova recenſione edito Londini 1719. nonnulla de Euchariſtico Sacrificio profert, de quibus cap. 3. §. 4. nota 2. mentio erit; reliquos omitto, ne amplius Lectori moleſtus ſim.

Quod vero Sectarii Liturgica impugnantes eorum Sacros Codices corruperint, præter ſupra dicta, & dicenda ad cap. 7. §. 2. inter alios Joſeph Rainaudus ſcribit, Arnaldum Dandyllium nonnullos Catholicorum libros contaminaſſe, & nec ipſa quidem Ritualia in Janſeniſtarum correctione libera fuiſſe, in cujus rei confirmationem cum plurima poſſet exempla proferre, hoc unum adducit: *in Hymnis Sacris*, inquit, ubi habebatur, *Chriſte Redemptor omnium*, eraſerunt illud *omnium*, quod cum hæreſi Janſeniana de Chriſto pro reprobis non paſſo nequaquam cohæret, ſubſtituerunt-que aliam vocem hoc modo *Chriſte Redemptor optime*; vel *Redemptor plurium*. Porro quam Plagiarii, & Sacrarum Scripturarum corruptores ſint Hæretici, oſtendit Petrus Cottonus Foreſienſis Soc. Jeſu in ſua Geneva Plagiaria, ubi indicem locorum Sacræ Scripturæ ab Hæreticis corruptorum refert. Et quidem inter cæteros Scripturæ textus a Luthero corruptos, ut reliquos ſileam, unus & alter hi ſunt; ad Epiſtolæ Pauli ad Rom. cap. 3. ubi hæc habet Gentium Doctor: *Arbitramur hominem juſtificari per fidem*, Lutherus addit *per ſolam fidem*, & ad ſecundam Petri cap. 1. ubi ait: *Fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam faciatis vocationem veſtram, & electionem*, idem expunxit *per bona opera*. Quia vero primigenius ille & genuinus Apoſtoli utriuſque ſenſus clariſſime expreſſus legitur in Epiſtola Jacobi cap. 2. his verbis: *Si fides non habeat*

habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa & paulo poſt: *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum*: Ideo hanc Jacobi Epiſtolam Lutherus e Canonicis detraxit. Idem pariter in ſua Theomachia Fevardentius, & Caniſius de Verbi Dei corruptelis oſtendunt, & ante ipſos Joannes Hoffmeiſter Auguſtinianus, in ſuo libro ſic inſcripto: *Hæreticorum malæ artes a SS. PP. aſſertiſſime deſcriptæ*, edito Romæ an. 1554. Neque novum, aut recens videatur Hæreticos Sacrarum Scripturarum corruptores eſſe; jam a ſecundo Eccleſiæ ſeculo id animadverterat Tertullianus de Præſcript. Hæret. cap. 17. etenim cum iſti quaſdam earumdem Scripturarum non recipiant & quas recipiunt, addendo, vel detrahendo corrumpant; quas vero integras recipiunt, in contrarios plane ſenſus detorqueant, tum ſic colligit: *Quid promovebis exercitatiſſime Scripturarum, cum ſi quid defenderis, negetur: ex diverſo, ſi quid negaveris, defendatur?* Hinc non mirum quod a Sectariis confuſa ſint paſcua Scripturarum, cum iſti teſte Vincentio Lirinenſi, qui eos accurrate deſcribit Commonitorii c. 25. *Nunc, qua ventus impulerit incitati, errore rapiuntur. Nunc in ſemetipſos reverſi tamquam contrarii fluctus reliduntur. Nunc temeraria præſumptione quæ incerta videntur, approbant. Nunc irrationabili metu etiam quæ certa ſunt, expaveſcunt, incerti quo eant, qua redeant, quid appetant, quid teneant, quid dimittant.*

§. VI.

Operis Concluſio, & Paræneſis ad Miſoliturgos.

ITA plane; cumque hæc ita ſint, ut magis magiſque hujuſmodi Catholica veritas adverſus ipſos Seculorum omnium teſtimonio comprobata ſit, & eam in dubium vocare, ſiqui ſunt inter hæreticos Euchariſticæ antiquitatis, ejuſque non interruptæ, ac firmiſſimæ traditionis amatores, pudeat; *Ecquid veriſimile eſt*, cum Tertulliano iterum de Præſcript. contra Hæret. cap. 28. dicam, *ut tot, ac tanti in unam fidem erraverint? Cæterum quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum. Audeat ergo aliquis dicere, illos erraſſe, qui tradiderunt?* Quotquot fuere, ut evidentiſſime patebit, qui de Sacris Liturgiis eadem narraverunt, eadem perpetuo fidelibus tradiderunt, eadem Sacerdotes ad Altare obſervarunt, ſcriptiſque tabulis recitanda conſignarunt. Eadem quotquot fuere Eccleſiaſticarum rerum Hiſtorici Scriptores ſuis in Operibus adnotarunt, eadem e Cathedris Doctores, eadem Sancti Patres, eadem Dei præcones e ſuggeſtu ſemper prædicaverunt, eadem denique fideles omnes ſemper exceperunt, & auribus, & oculis, vel manibus quoque ſuis contrectavere. Ita plane; etenim, ut ſcribit Lanfrancus venerabilis, & clariſſimus ex Ordine S. Benedicti Cantuarienſis Archiepiſcopus, atque Angliæ Primas Seculi undecimi Scriptor, in libro de Euchariſtia adverſus Berengarium Sacramentariorum parentem: *quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles, qui nos præceſſerunt a priſcis temporibus habuerunt.* Quod igitur non modo apud multos, ſed apud omnes ſemper unum fuit, profecto non erratum, ſed rite traditum extitit. Audet aliquis dicere illos erraſſe, qui tradiderunt? Verum qua ratione veriſimile eſt, quod tot, ac tantæ in una re erraverint Eccleſiæ?

At quoquomodo erratum ſit, cur tamdiu regnavit error, quamdiu hæreſes non fuerunt? quamdiu, inquam, Lutherus, & Calvinus, quique proxime eos, vel eodem, vel alio nomine (ſed eadem fraude) ſubſecuti ſunt, noſtri Seculi Novatores non emerſerunt, qui Eccleſiaſtica omnia venerandæ antiquitatis monumenta everterent, ac diruerent, cur nemo unquam tot in Eccleſia Catholica Doctorum, tot Scriptorum, tot Sapientium, vel minimam ſuper rerum Liturgicarum traditione dubitationem injecit?

Lutherum igitur, Calvinum, alioſque hujuſmodi Sycophantas, eorumque Sectatores, liberanda veritas expectavit: (ut de Valentinianis, & Marcioniſtis Tertullianus ajebat) ipſorumque tandem ſtudiis ea lumina referri debent accepta, quibus priorum temporum fabularum tenebræ diſpellerentur: interim vero tot ſeculorum curriculo perperam prædicata, perperam in Eccleſia recitata, perperam fuit tot monumentis inſerta hæc veritas? Ita plane, inquiunt, quod modo tantum a viris iſtis clariſſimis, & ſeculorum omnium præſtantiſſimis, noſtrique ævi ſapientioribus eorum judicio habitis, adulterata, & corrupta deprehenſa ſit; ſic de Luthero pronunciat Henricus Wartonus apud Caveum Hiſt. Liter. in Supplem. pag. 163. poſtremæ editionis: quod *favente Numine Religioni reformandæ ſe ducem, & antefignanum præbuit.* At cur inquam, *modo tantum*? Cur ante ipſos duobus ſaltem, vel tribus re-

tro ſeculis corruptio hæc non apparuit ? Cur non multo magis ſeculis antiquioribus, in quibus clarius perſpecta haberi potuit. *O Chriſte, patientiſſime Domine* (utar ad rem præfati Tertulliani verbis lib. 1. adv. Marcionem cap. 20.) *qui tot annis interverſionem prædicationis tuæ ..... in Eccleſia ſuſtinuiſti, donec ſcilicet tibi* (præfati Blaterones, & Miſolirurgi) *ſubvenirent* !

Et quidem ſubveniſſe ſe jactant, dum Dei cultum non modo non avulſum, ſed magis a ſe firmatum contendunt: abjectis, inquiunt, fabuloſis illis narrationibus, quæ de Miſſæ Sacrificio circumferebantur. At hoc fuit ſemper in rebus ad fidem ipſam, & dogma pertinentibus (cum, videlicet, noſtra deſtruere conniruntur, ut ſua ædificent) Hærericorum artificium, ac prætextus. *Ajunt* (inquit iterum Tertullianus ibid. ut ſupra) *Marcionem, non tam mutaſſe regulam, quam retro adulteratam recuraſſe* : ſed contra hujuſmodi ſtudioſe objectum commentum, ſtat ſemper, quam ex Tertulliano ipſo argumentationem propoſuimus. Uni igitur, hæreſi ſcilicet, ac turbulentiſſimæ huic novæ eruditioni debebit Eccleſia, ut tandem longæva, ſuor errores deprehendat, & quæ incaute uſque adhuc ſectata eſt, adulterata cognoſcat? *Numquid veriſimile eſt*, repetam cum dicto Africano Scriprore, *ut tot, ac tanti in unam fidem erraverint* ? *Audebit aliquis dicere illos erraſſe, qui tradiderunt* ? Vah perfidorum hominum proterviam !

Verum uti Tertullianus Marcionis, ac Valentini, ſic ſimilem Novatianorum de ſuo Novatiano præſumptionem, ad Symphorianum ſcribens, merito ridet Sanctus Pacianus Barchinonenſis Epiſcopus Epiſt. 3. ad Symphor. in Bibl. PP. Tom. IV. pag. 309. *Ergo*, inquit, *a Chriſto uſque ad Decii* (ſub quo Novatianus Eccleſia egreſſus eſt) *principatum nullus intelligens* ? *Novatiano vindice juſtitia liberatur* ? *Authore corrigitur, quidquid erravit* ? Idem profecto, in rei veritate, abſque ulla contradictione rectiſſime de modernis Novatoribus dictum eſto.

Ita plane Lutheri, Calvini, aliorumque paſſim falſitatum inductorum, qui ſic ſe jactare conſueverunt, (ſe ipſos videlicet, e Cœlo lapſos cenſentes, ad liberandam ab errorum, & falſitatum captivitate veritatem) vaniſſima audacia ab Orthodoxis explosa eſt. Eodemque modo illorum quoque ſua ſervata proportione, rejiciendam audaciam cenſeo, qui nunc tot quæſtionum volumina, tot errorum involucra, in receptiſſimis ſemper tori Eccleſiæ Rerum Liturgicarum traditionibus procuderunt. Cuncta enim hæc, ut diximus, utpote nuper tantum exorta, unam noviſſimam hæreſim agnoſcunt parentem, nam integro certe quindecim ſeculorum ſpatio, hæc commentitia, ut ajunt, Lirurgicæ Antiquitatis veritas apud pios omnes fidem obtinuit, donec videlicet, novo huic ſtudio a Calvinianis, eorumque Sectaroribus invecto, veritas randem fuiſſet, ſi Diis placeat, revelata.

Sane licet longe diſpar ſit cœcum illorum facinus, qui antiquæ fidei reſtituendæ prætextu eam impetere in ſacroſanctis ipſis dogmaribus non veriti ſunt, ab iſtorum auſu, qui in Eccleſiaſtica hujuſmodi monumenta inſurgere non inficiantur; cum una tamen utrique utantur arte, eademque malæ utriuſque propaginis ſit origo, unum denique utriſque inſit conſilium, una mens. Illi ſiquidem a fidei veritate Eccleſiam aberrantem oſtendere (fruſtra, ac ſatis temere) conituntur; iſti fabulis, ac næniis, commentiſque inconſiderate, ac inconſulte Eccleſiam adhæſiſſe, eorumque fuco fidelibus illuſiſſe comminiſcuntur, ex quo nimirum fiat, ne quis deincepr Eccleſiæ credat : quapropter præter ea, quæ diximus, alia quoque tam multa contra illos a Catholicis inculcata eriam contra iſtos ſalva licet proportione, ſtrenue militant. *Jam vero* (inquit Epiphanius Hær. 75. cap. 6. contra Aerium ſcribens) *utri tandem illorum periores ſunt* ? *An errore deceptus homuncio, qui nunc tantum emerſit & adhuc hodie ſuperſtes eſt* ? *An qui ante nos teſtes extiterunt, & eamdem traditionem in Eccleſia tenuerunt, quam & ipſi a parentibus ſuis acceperunt, & ipſorum Parentes a Majoribus ſuis didicerunt, quemadmodum Eccleſia, quam a Patribus ſuis accepit, rectam, & ſinceram fidem cum traditionibus ad hunc diem obſervat* ? Cui randem erudito veram hanc Liturgicam traditionem rejicienti (ſic pariter Epiphanii verbis differentes nos dicimus) homuncioni, inquam, qui nunc tantum emerſit, & forte hodie ſuperſtes eſt, tamquam peritiori, omniſque erroris experti, magis credendum nunc erit, ſi cum iis comparetur, qui ante nos teſtes extiterunt, & in Eccleſia, ac cum Eccleſia ipſa earundem Liturgicarum Rerum veritatem tenuerunt, quam & ipſi a Parentibus ſuis acceperunt, & ipſorum Parentes a ſuis Majoribus didicerunt ? *Nemo enim* (addit Aerium ipſum Epiphaniur ſugillans) *eadem tecum ex veteribus ſenſit*. Quod juremerito nos quoque de ſacroſancto Miſſæ Sacrificio, ejuſque ordine, & riru pronunciare poſſe, integrum hoc opus declarabit, in quo nullum prope veſtigium reperire erit eorum, quæ contra ipſum Novatores modo effutire audent, neminem, inquam, vel minimam ſuper earumdem Lirurgiarum

ſinceri-

ſinceritate (ſi ea excipias, quæ ſive Authorum, ſive Amanuenſium, vel oſcitantia, vel fiducia, vel audacia, in aliquibus offenduntur admiſſa) dubitationem, reperias injeciſſe. Unde fidenter nos quoque cum Tertulliano de Præſcript. cap. 35. dicere poſſumus. *Poſterior noſtra res non eſt: immo omnibus prior eſt. Hoc erit teſtimonium veritatis ubique occupantis Principatum.*

Sed & hoc quidem potiſſimo, quo idem Tertullianus uſus eſt argumento, ut hæreſum evinceret falſitatem, inanium quoque commentorum iſtorum, quæ contra Liturgicæ antiquitatis teſtimonia prolata ſunt, in primis dejiciet vanitatem. *In tantum enim* (ait lib. 1. contra Marcionem cap. 1.) *hæreſis deputabitur quod poſtea inducitur, in quantum veritas habebitur, quod retro, & a primordio traditum eſt.* Et alibi lib. 2. contra eumdem cap. 1. *Illic pronunciandæ eſt regulæ interverſio, ubi poſteritas invenitur.* Et tandem parabolam ſeminis exponens de Præſcript. cap. 31.: *ſed ab exceſſu*, inquit, *revertar ad principalitatem veritatis, & poſteritatem mendacii diſputandam, & illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum ſemen frumenti a Domino ſeminatum in primore conſtituit, avenarum autem ſterilis fœni adulterium, ab inimico diabolo poſtea ſuperducit; proprie enim doctrinarum diſtinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei, ſeminis ſimilitudo eſt. Ita ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe Dominicum, & verum, quod ſit prius traditum: id autem extraneum, & falſum, quod ſit poſterius immiſſum.* Et morem explicans lib. 5. contra Marc. cap. 19. quo ſe cum Novatoribus gerere conſuevit. *Soleo*, inquit, *in præſcriptione adverſum hæreſes omnes, de teſtimonio temporum compendium figere, priorem vindicans regulam noſtram* (ideſt fidei, atque Apoſtolicæ traditionis doctrinam, uti dicto Præſcript. libro cap. 31. & 37. ubi ait: *In ea regula incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo tradidit*, quod plenius oſtendetur Præf. ad Append. & Suppl. hujus Tomi pag. 402.) *omni hæretica poſteritate.* Et hanc quidem regulam, ut innui, hoc in Opere præcipue mihi tenendam propoſui, ut temporum, videlicet, teſtimonio, longe perpetua Liturgicarum rerum traditione, poſteriora fuiſſe oſtenderem, novarum quorumdam quæſtionum figmenta illa, quibus ipſa contenditur dejecta, cum tamen recens tantummodo manifeſte deprehendantur excogitata.

Hæc ſunt, quibus te prænonitum exoptabam, erudite Lector, qui ſi ex Proteſtantium, Lutheri ſcilicet, Zvinglii, aut Calvini, vel aliorum hujuſmodi Sacramentariorum parte ſis, (quod avertat Deus) atque iſta, tibi, utpote illis, ut jactas, & tui prædicant, viris clariſſimis, ſeculorum omnium præſtantiſſimis, noſtrique ævi ſapientioribus, quia eorum turpiter invectæ novitati contraria, non arrideant, ſcias primo quidquid in Sacris Liturgiarum Ritibus Eccleſiarum uſu, præſertim Romanæ Eccleſiæ omnium Matris, & Magiſtræ ſtatuto, aut conceſſione receptis præcipuum, atque eſſentiale eſt, totum id ex Apoſtolica traditione, inſtituto, & ordinatione derivari, uti ſatis abunde ſupra §. 3. demonſtratum habes; contra vero ex diabolica perſuaſione, ac inſtigatione fuiſſe, & eſſe quod adverſus eoſdem Sacros Ritus, Miſſæ Sacrificium, ejuſque celebrationem præfati Hæreſiarchæ, & quæ ipſorum gregales illorum ductu, & exemplo obloquuntur, procudunque, hodierni ſcilicet Miſoliturgi, ac Sacrorum omnium Catholicæ Romanæ Eccleſiæ Rituum deriſores ſcripſere; Lutherus quippe Satana ſuggerente ſua in hujuſmodi Orthodoxum dogma argumenta fabricaſſe, eoque magiſtro doctrinam ſuam acceptam habuiſſe gloriari impius, & impudens non erubuit: quod utique ignorare, aut negare non potes quicumque ex illius ſecta ſis, cum ipſe de ſe loquens teſtis ſit; ait enim lib. de Miſſa privata & unctione Sacerdotum Operum Tom. VIII. edit. Wittemberg. pag. 228. ſe quadam nocte expergefactum Diaboli argumentis, (fallacibus ſane, & ſophiſticis) quibus Miſſam abrogandam proponebat, devictum aſſenſiſſe, hiſque tartareis fundamentis novam Eccleſiam, ſeu Synagogam ſuam ſuperſtruxiſſe, Lutheri expreſſa verba inter cæteros e noſtratibus refert Natalis Alexander Hiſtor. Eccleſiaſt. Sec. XIII. & XIV. Differt. 13. adverſus Albigenſes, & Wicleſiſtas in Lutheranis, & Calviniſtis redivivos num. 37. Idem ſibi acciditſe fatetur Zvinglius lib. de ſubſidio Euchariſtiæ, ubi ait ſe biduo diſputaſſe contra Euchariſtiam, tandem dormienti ſibi adſtitiſſe *neſcio quem*, inquit, *ater, an albus fuerit, nihil memini, qui moneret &c.* ille profecto ſpiritus, qui cum ater ſit, ut incautos decipiat, ſe in album, ſeu angelum lucis quandoque transformat, uti ex Epiſt. ad Corinth. II. cap. 11. 14.

Idem pariter & abſque hæſitatione de Calvino aſſerendum; quod & alicubi ex ejus Operibus relatum me legiſſe memini; & ſane iſte Luthero in perverſitate par, quin & circa Miſſæ Sacrificium eodem fortaſſe pejor, ille ſiquidem aliquid de ip-

ſo Sacrificio primum admiſit, Miſſam ſcilicet ſolemnem tantum, non privatam, realem in Sacramento Chriſti Domini præſentiam, etſi cum impanationis errore, atque in uſu tantum, qui tamen poſtea, uti hæreticos aſſolet, in ipſo ſcelere, magis magiſque fervens, & bibens iniquitatem ſicut aquam ulterius progreſſus libro de capt. Babyl. *Tertia*, inquit, *Captivitas ejuſdem Sacramenti eſt longe impiiſſimus ille abuſus, quo factum eſt, ut nihil fere ſit hodie in Eccleſia receptius, & magis perſnaſum, quam Miſſam eſſe opus bonum, & Sacrificium*: idem & infra repetit dicens: *tutius eſt omnia negare, quam Miſſam concedere opus bonum, aut Sacrificium eſſe*: Hæc ſacrilegus Lutherus, cujus alia diabolica commenta alibi referemus. Calvinus autem ejus exemplo, eodemque Satanæ magiſterio totus ut Miſſam quomodocumque celebratam evertat, ſtatim totum quod de eadem veritatis Catholicæ ſapit, aperte negans, totum ad tropicum, ſeu figuratum ſenſum detorquet. Numquid ergo eumdem etiam ex mendacii patre Diabolo hanc ſuam exitialem doctrinam non hauſiſſe dicemus? par ſiquidem omnium hujuſmodi ab Eccleſia Catholica extorrum cauſa eſt: *qui* enim *non eſt mecum, contra me eſt*, (ait Dominus Lucæ cap. 11. 23.) *& qui non colligit mecum, diſpergit*. Et de Eccleſia ſua ad Petrum dixit, Matth. 16. 11. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*: quæ autem vere ea erit Eccleſia a Chriſto ſuper petram ædificata, niſi Romana, illa ſcilicet, quam Petrus fundavit, cuique fidei, morumque doctrinam omnem a Chriſto acceptam tradidit, quam proprio ſanguine conſignavit, & communi ſuffragio Sancti Patres illam ipſam eſſe aſſerunt? Illa *Eccleſia principalis, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt*, ut loquitur S. Cyprianus; illa Eccleſia prima, maxima, antiquiſſima, *ad quam propter potentiorem principatum neceſſe eſt omnem Eccleſiam convenire*, ut ait S. Irenæus adv. Hær. Illa, de qua expreſſe Optatus Milevitanus lib. 2. adv. Parmenianum eidem ita ſcribit: *ignorare non potes ſcire te in Urbe Roma Petro primo Epiſcopalem Cathedram eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus ..... in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ut jam Schiſmaticus, & peccator eſſet qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra unica eſt, in qua ſedit prior Petrus, deinde Linus*, & reliqui, quos recenſet uſque ad Siricium Pontifices; ſed & ante ipſum id firmaverat S. Cyprianus laudatus Epiſt. 76. ad Magnum de Novatiano Romanum Epiſcopatum occupante jam ſedente Cornelio ſcribens, ubi inter cætera hæc de eadem unica Cathedra concludens, ait: *Si autem grex unus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari qui in numero gregis non eſt, aut Paſtor haberi, qui manente vero Paſtore in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedanea præſidente, nemini ſuccedens, & a ſe incipiens alienus ſit, & profanus Dominicæ pacis, & unitatis inimicus*? Vides hic connotatos Lutherum, Zuinglium, Calvinum, & ſi qui ſunt prætenſi Eccleſiæ reformatores, revera deformati, qui a ſe ipſis incipientes alieni facti ſunt in cogitationibus ſuis, & profani Dominicæ pacis, & unitatis inimici. Reliquos Patres omitto, quorum bene multos congerit Natalis Alexander præfatus Hiſtor. Eccleſiaſt. Sec. I. Diſſert. 4. ac Seculis indicatis Diſſertat. 12. art. 2. Parte I.

Ex his, aliiſque ibi, ac inſequenti Diſſertatione ab eodem allatis Sanctorum Patrum, qui primis quatuor Seculis floruerunt, teſtimoniis cum perſpicue conſtet quod Eccleſia Romana vera & unica illa ſit Eccleſia principalis, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, ad quam propter potentiorem principatum neceſſe eſt omnem Eccleſiam convenire, in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervari debeat, ut jam Schiſmaticus, & peccator ſit, qui contra hanc ſingularem Cathedram alteram collocet, nec vere poſſit Chriſti gregi annumerari qui in numero gregis ipſius Eccleſiæ non eſt, ac propterea alienus ſit, & profanus Dominicæ pacis, & unitatis inimicus, profecto neceſſario, & evidenter abſque ulla repoſitione conſtabit eamdem ipſam eſſe Eccleſiam, quam Chriſtus Dominus ſuper petram in Petro ædificavit, adverſus quam portæ inferi non prævalebunt, quam qui non audierit ſit ſicut Ethnicus, & Publicanus, uti dicitur Matth. 18. 17. ac proinde contra Dominum ſit qui cum ea non ſit, & qui cum ea non colligit, ſeu communicat, diſpergat; denique ex portis inferi ſit, qui contra ipſam ſtare & prævalere fruſtra contendit. Et hinc ſubdens cum laudato Sorbonico Ordinis Prædicatorum Doctore concludam: „ Annon Diaboli diſcipuli ſunt qui Lutherum a Dæmone edoctum auſcultant; (Zuinglium pariter addam, & Calvinum præfatos, alioſque Sacramentarios ex eadem peſtilentiæ Cathedra, & Satanæ ſchola productos) in iis præſertim quæ a „ Principe tenebrarum ſe accepiſſe fatentur, eoque duce Miſſam Sacrificium eſſe „ negant, Sacerdotium & Miſſam, eam præſertim, in qua ſolus Sacerdos commu-

„ nicat;

„ nicat, abrogari volunt, & ubi ipſis libuit abrogarunt? Quos omnes uti ab Eccleſia Romana condemnatos merito execramur, & deteſtamur.

Vide itaque, & conſidera quoniam factus es vilis quicumque tales ex Satanæ magiſterio peſſimos viæ iniquitatis, & perditionis duces audis & ſequeris; Hinc te tandem pudeat adhuc eſſe rebellem lumini, quod tibi clariſſime in Scripturarum monte, Sanctorum Patrum collibus, & Eccleſiæ univerſalis traditione evidenter demonſtratum eſt; Redi prævaricator ad cor, tecumque alloquens omnes qui in eadem damnatione ſunt, cum Iſaia Propheta cap. 51. vociferabor & clamabo: *Attendite ad petram, unde exciſi eſtis, & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis*: ad Petram ſcilicet, non aliam præter eam, ſuper quam, ut dictum eſt, Chriſtus Dominus ædificavit Eccleſiam ſuam in Petro Apoſtolorum Principe, de quo S. Hilarius Pictavienſis medio quarto Sæculo Pater exclamans ait Comment. in Matth. cap. 16. *O in nuncupatione novi nominis felix Eccleſia fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret*: ad Eccleſiam Romanam a Petro fundatam, Petri Cathedram, petram illam, quæ juxta Pauli Apoſtoli verba ad Timoth. I. cap. 3. 15. ac plenaria omnium conſenſione eſt *columna & firmamentum veritatis; cujus fidei confeſſionem*, ſubdit S. Leo Papa I. Serm. 3. anniverſ. aſſumpt. ſuæ, *portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt; vox enim iſta, vox vitæ eſt: & ſicut Confeſſores ſuos in cœleſtia provehit, ita negatores ad inferna demergit.*

Ad hanc itaque Petram attendite, de qua præciſi fuere dicti Protoparentes, & Magiſtri veſtri, qui olim eidem Petræ in Catholica Romana fide conjuncti, poſtea iniqui illius deſertores eam reprobantes, ſuper quam poſitum fuit a Domino veræ Chriſtianæ religionis fundamentum, ædificantes ſibi ſinguli novorum dogmatum domos diſſipatas, longe procul ab ea diverſas, quam incarnata Sapientia ſibi ædificavit ſupra petram, & excidit Columnas ſeptem, ſeptem ſcilicet Sacramenta, quæ vos negatis, retrorſum converſi in arcum pravum facti ſunt vobis, illis adhuc, & non Chriſto in ipſius Vicario Petro credentibus, lapides offenſionis, & petræ ſcandali. Illi ſic impie contra eamdem Romanam Eccleſiam inſurgentes peccaverunt, & non ſunt, & vos ipſorum veſtigiis, ac falſis documentis inſiſtentes iniquitates eorum portatis. Hinc iterum cum laudato Propheta hortor vos, qui juxta alium Sactum Vatem vere eſtis non aliter ac Columbæ ſeductæ non habentes cor, *nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis*: nolite eos amplius audite, ſed ſi hodie vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione Eccleſiæ obduraverunt Patres veſtri, ne reddat vobis Dominus iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum, & veſtra diſperdat vos. Auferte malum cogitationum veſtrarum contra Apoſtolicam Sedem, contra Dei Eccleſiam, quæ una eſt, ab ipſo in Petro fundata, & ex perſona ejuſdem Petri Epiſt. 1. cap. 2. 25. vos alloquens: *qui eratis ſicut oves errantes, convertimini nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum*, Petri Succeſſorem, Romanum Pontificem; niſi enim converſi fueritis traditam ex Petri Cathedra Catholicam Orthodoxam fidem corde credentes ad juſtitiam, ore autem confitentes ad ſalutem, peribitis, & quemadmodum vox iſta fidei, quæ vox vitæ eſt, Confeſſores ſuos ad cœleſtia provehit, ita negatores vos ad inferna demerget.

Neque vero quod de Eccleſiæ Romanæ primatu, & poteſtatis plenitudine ex Patribus aſſertum eſt, id gratis, aut exceſſive dictum vobis videatur; in quo enim omnes ab initio, ſemper, ubique, & uniformiter conveniunt juxta infallibilem Vincentii Lirinenſis regulam, ibi gratuitum nihil, aut exceſſivum præſumi poſſe pleniſſime conſtat: *Romanam Eccleſiam duo privilegia divinitus habere, videlicet præ omnibus incorruptam puritatem fidei, & ſuper omnes poteſtatem judicandi*, uti ex antiquiſſima univerſalis Eccleſiæ traditione Anſelmus Havelburgenſis in Dialogis Eugenio III. Papæ dicatis lib. 3. cap. 11. apud Lucam Dacherium Spicilegii Tom. XIII. finguli quotquot ex omni gente cogniti Græcis, Latinis, Syris, aliiſque nationibus, quæ ſub cœlo ſunt, Catholici Orthodoxam amplexati fidem agnoverunt, cunctiſque admirantibus, ac venerantibus qui adhuc extant, nobiſcum tenent, credunt, ac profitentur; optimam hanc itaque divinæ, ac ſupremæ poteſtatis partem, quam illi Dominus in Petro tradidit, nemo tollet, ſingularis hæc ſublimis Apoſtolatus ſuper omnes prærogativa ei numquam deficiet, nec auferetur ab ea uſque ad conſummationem ſeculi. Et ſane juravit Dominus & non pœnitebit eum, qui dixit Petro, ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam: *tibi dabo claves Regni Cœlorum*, ac quæcumque ligaveris, aut ſolveris in terris, ita & in cœlis erunt.

Cum autem divina ordinatione Cathedram ſuam Romæ fixerit Apoſtolorum Prin-

Princeps, idem utriuſque Teſtamenti Conditor Deus olim locutus in Prophetis longe antequam loquutus fuerit in filio per Evangelicum Prophetam ſuum Iſajam hanc Apoſtolicæ Cathedræ Urbis Romæ gloriam prænunciavit cap. 60. v. 12. veterem quidem Hieruſalem terrenam alloquens, ſed aliam novam proculdubio intendens: *Gens*, inquit, *& Regnum, quod non ſervierit tibi, peribit*; quæ verba de illa, quæ occidit Prophetas, & cujus excidium flens ipſe Chriſtus Dominus prædixit, intelligi profecto non poſſunt, ſed de Roma, quæ olim Magiſtra erroris facta eſt diſcipula veritatis, cujus *fides*, uti Paulus ad Romanos ſcribens teſtatur cap. 1. 8. *annuntiatur in univerſo mundo*, cujus item gloriam vaticinatus fuit alter Propheta ſcilicet Aggæus cap. 2. v. 10. dicens: *Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ pluſquam primæ, & in loco iſto dabo pacem dicit Dominus exercituum*: quod utique poſt adventum Meſſiæ id eventurum paulo ante prædixerat v. 8. his verbis: *Et movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria dicit Dominus exercituum*. Poſt natum vero Chriſtum non alio in loco, ita magnificavit Dominus gloriam ſuam, uti in nova terreſtri Hieruſalem Urbe Roma, ubi fundatam in Petro Eccleſiam ſuam, ejuſque ſedem ac fidei depoſitum ſtatuit, ut inde nota fieret filiis hominum potentia ſua, & gloria magnificentiæ regni ſui, regni ſcilicet omnium ſeculorum, & juxta regium vatem Pſal. 144. dominatio in omni generatione, & generationem. Stat ergo, ac certiſſimum & evidens eſt quod quiſquis ab Apoſtolicæ Cathedræ ſubjectione diviſus, extra Petri navim poſitus in profundum inferni demergetur, qui Romanæ Eccleſiæ in ejus fidei communione non ſervierit, peribit. *Apprehendite* ergo *diſciplinam* veræ Orthodoxæ, & unicæ religionis, quam vobis amplectendam ex Petri Cathedra Roma proponit, quicumque alieni infurrexiſtis adverſus eam, *nequando iraſcatur Dominus, & pereatis*. Pſal. 2.

Convertens autem Sermonem meum ad te in eadem S. R. E. Fide, & Sacramentis Germane compar, Eccleſiaſtice Philaretes, ac ſtudioſe Liturgicæ antiquitatis, facræque eruditionis amator, cujus item gratia hoc laborioſum opus concinnandum, & elucubrandum aggreſſus ſum, rogo te, ut ſi quid in eodem perlegendo tibi fortaſſe diſplicuerit, quodve purgatiſſimos animum, oculoſque tuos offenderit animadverſionis ſpongia dignum (uti id futurum haud dubius autumo) intentionem benignus excuſare non graveris, etſi potes, omnia æqui, bonique conſulens in bonum item ſenſum interpretando tranſilias, ſciens me retractare paratum, ſi vel novo adhibito recenſionis ſtudio, vel alio ſuggerente, ac certiora docente, circa ea præſertim, quæ in hiſce obſervationibus meis minime aliis tacta ſunt, me a propoſito veritatis ſcopo deviaſſe compererim; menti ſiquidem meæ infixa ſunt illa magni Eccleſiæ Doctoris Ambroſii de ſuis ſcriptis parum fidentis verba; atque hæc ad Sabinum lib. 6. Epiſt. 40. ſcribentis: *"Unumquemque fallunt ſua ſcripta, & authorem præterierunt; atque ut filii etiam deformes delectant, ſic etiam Scriptorem indecori Sermones ſui palpant*. Idcirco verbis item utens & ego Wolferi authoris Vitæ S. Godehardi Hildensheimenſis Epiſcopi apud Bollandianos ad diem 4. Maji quæcumque a me ſcripta ſunt, benevole, & erudite lector, *prudentiæ tuæ diſcutienda offerre volui, ut per te errata corrigantur, hiantia ſuppleantur, ſupervacanea rejiciantur, res ſcitu dignæ eorum loco ſubſtituantur, ſtoliditas mea, ſicubi lapſa, veniam obtineat, & contra inſultantium fauces authoritatis tuæ præſidiis muniatur: quamquam, ut mihi teſtis eſt Deus, non valde moveor, ſi quis Momus arrogans adducto ſupercilio carpere me velit, dummodo ſtudioſis, ac Deum timentibus ſimplex rerum veritas patefacta ſit*. Hiſce duorum veterum Scriptorum teſtimoniis dixerim ſatis, ad impetrandam opportune quibuſcumque defectibus indulgentiam, ſi quæ videlicet ſphalmata, ſi qui lapſus, ſi quæ minus ad limam vocata me invito ob incuriam & inadvertentiam vitioſe, aut imprudenter exciderint; in multis enim delinquimus omnes; verumtamen & duos ſatyrici Poetæ Venuſini Horatii verſiculos ex lib. 1. Epiſt. 6. ad meum propoſitum, ut reor, aptiſſime accommodatos ſubdam tibi, atque alta quidem mente reponendos humaniſſime Lector:

Vive, vale, & ſi quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his utere mecum.

Si quid autem inveneris, quod arrideat, quod utile, quod bonum, quodve aliquibus profecturum ſit, ſummo largitori donorum omnium Deo Optimo Maximo meum ex toto corde debitas gratias age. Demum hoc Opere Liturgico, quod iterum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſeu Apoſtolicæ Sedis judicio corrigendum, & emendandum humili devotione ſubjicio, cum fruentur, Eccleſiaſtici potiſſimum, religioſique viri, in ſuis, amabo, Sacrificiis, & Orationibus, Scriptorem infimum, qua-

lem-

lemcumque, ac miſerrimum peccatorem piorum omnium ſuffragiis maxime indigentem eidem Domino commendare ex Chriſtiana charitate dignentur.

ADDENDA AD §. IV.

De iis, qui de Liturgicis rebus &c. ſcripſerunt.

POſt Micrologum, & ante Hildebertum de Lavardino, hos ſequentes adde, quæ ſeculo XII. vixere.

Ivo Carnotenſis Epiſcopus Ord. S. Bened. ſcripſit Sermones XXII. de Eccleſiaſticis Sacramentis, & Officiis, præcipuiſque per annum Feſtis, qui extant inter Scriptores de Divinis Officiis Coloniæ 1568. & Pariſ. 1610. Item Libros de Sacramentalibus. De Oratione Dominica & Symbolo. De convenientia Veteris, & Novi Teſtamenti. De ſignificationibus Sacerdotalium indumentorum, qui libri aſſervantur in Monaſterio Lætienſi teſte Ant. Sandero Biblioth. Belg. MSS. Parte 2. pag. 28.

Willelmus Malmsburienſis Monachus Ord. S. Ben. Anglus. Hujus extat MSS. Abbreviatio Librorum Amalarii de Div. Officiis, quam in Bibl. Lambetana aſſervari ait Guillelmus Cave Hiſt. Litt. Script. Eccl. pag. 577.

Rupertus, ſive Robertus Tuitienſis Monaſterii Abbas Ord. S. Ben. edidit circa an. 1111. de Divinis Officiis per anni circulum libros XII. quos nonnulli Walleramo cuidam S. Anſelmi Cantuarienſis amico perperam adſcripſere. Habentur inter Scriptores de Divinis Officiis Pariſ. 1610. & alibi.

Innocentius III. Papa, qui Seculi XIII. initio floruit, exaravit, concinnavitque Libros ſex de Myſteriis Miſſæ, qui ſeorſim impreſſi extant Lipſiæ 1534. & Antuerpiæ 1540. —— Collaudationes autem Theologorum Romæ de hoc primo Tomo ſupra indicatæ §. I. pag. LV. hæ ſunt.

AUreos & immortalitate dignos Rerum Liturgicarum Libros Auctore Eminentiſſimo Cardinali Bona Ordinis Ciſtercienſis conſcriptos, egregiis doctiſſimiſque Commentationibus, Additionibus, & Notis in hoc primo Tomo illuſtrare aggreditur Reverendiſs. P. ejuſdem Ordinis Abbas, & in Vaticana Bibliotheca Latinæ Linguæ Scriptor D. Robertus Sala. Has jubente Reverendiſs. P. Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro Aloyſio Nicolao Ridolfi attente legi, eaſdemque nedum Catholicæ Fidei, boniſque moribus conſonas cenſui; ſed etiam Sacrorum Rituum & Eccleſiaſticæ ac Liturgicæ antiquitatis ſtudioſis uberrimam lucis copiam allaturas. Exhibet enim in iis Cl. Vir hauſtam ex puriſſimis fontibus omnigenam eruditionem, ſacrorum Eccleſiæ Rituum vetuſtas ac veras origines aperit, tuetur, cum opus eſt, adverſus Hæreticos Catholica Dogmata, intemperantiorem quorumdam Criticen prudenti cenſura compeſcit, quidquid hactenus innumeri pene Scriptores de hoc argumento protulere, æqua lance librat, & vera a falſis, veriſimilia ab improbabilibus poſt diligentem diſcuſſionem clare diſcernit. Omnia autem ea dignitate, ac gravitate, eaque ſermonis perſpicuitate & elegantia pertractat, ut ad plenam Rei Liturgicæ illuſtrationem nihil ultra deſiderandum ſuperſit. Quamobrem ut hoc utiliſſimum opus in publicam lucem quamprimum edatur, ingenue vehementerque cupio.

Ex ædibus S. Petri ad Vincula pridie nonas Julii 1741.

D. Antonius Andreas Galli,
Abb. Canonic. Regul. SS. Salvatoris & Sac. Congreg. Indicis Conſultor.

LEgi, jubente Reverendiſs. P. Nicolao Maria Ridolfi S. Ap. P. Magiſtro, primum Tomum egregii operis, quod magno ſtudio, labore, & induſtria Reverendiſs. P. D. Robertus Sala Abbas ex Ordine Ciſtercienſium S. Bernardi elucubravit. Emin. Cardinalis Bona de Rebus Liturgicis ita diſſeruiſſe viſus fuerat, ut graviſſimum, & uberrimum argumentum pene exhauſtum putaretur. At tanta rerum copia, tot Patrum ſententiis, tanto Auctorum de hoc ipſo argumento agentium apparatu hanc eamdem ſpartam novus Scriptor adornavit, ut ſcribendo Commentarios pene novum, idemque abſoluti ſſimum opus Sacrarum Rerum, & præſertim Liturgicarum curioſis Lectoribus exhiberit. Hoſce itaque Commentarios publica luce digniſſimos judico, in quibus nihil adverſum occurrit Fidei, aut morum regulis, imo omnia conformia, & ad Eccleſiaſticorum Rituum rationes explanandas, & illuſtrandas quammaxime inſervientia.

Ex Collegio Clementino hac die 12. Julii anni 1741.

D. Jo. Franciſcus Baldinus
Cl. Reg. Congreg. de Somaſcha, S. Congreg. Indicis, & Rituum Conſultor, & S. Officii Qualificator.

Præ-

PRæclarum opus, cui titulus, *Rerum Liturgicarum Cardinalis Joannis Bona Libri duo, Notis, Commentationibus, Additionibus, ac perpetuo fere Commentario illuſtrati &c.* a Reverendiſſimo P. Abbate D. Roberto Sala Collega, in Bibliotheca Vaticana Latinæ Linguæ Scriptore elucubratum, quod juſſu Reverendiſs. P. Aloyſii Nicolai Ridolfi Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtri legi, nedum quidquam continet quod veræ Fidei, Chriſtianorumque morum doctrinæ adverſetur, quin potius ſingularem, variamque præfert Sacrorum Rituum ac rei Eccleſiaſticæ eruditionem puris ex fontibus hauſtam, rerum ſcitu digniſſimarum pertractationem, criticen gravem, & moderatam, ſelectas firmaſque ſententias, Conciliorum auctoritate, Patrum teſtimonio, Hiſtoriæ monumentis ac rationum pondere probatas. Obſcura ac difficillima eorum de quibus agitur, argumenta, adeo clare ſolideque Cl. Auctor pertractat, tantaque expendit diligentia & dignitate, ut vix quidquam jucundius Lectoribus accidere poſſe videatur. Cum propterea ejuſmodi opus omnibus utiliſſimum, eruditiſque viris gratiſſimum fore cenſeam, optandum eſſet, ut quamprimum publici juris fiat.

Romæ ex Bibliotheca Vaticana Idibus Auguſti 1741.

Petrus Pompilius Rodota
J. V. Philoſophiæ, ac Theologiæ Doctor, & in Bibliotheca Vaticana Scriptor Linguæ Græcæ.

LIbros Liturgicos numquam ſatis laudibus excepti Cardinalis Bona a Reverendiſs. P. D. Roberto Sala Ciſt. Ref. S. Bernardi Abbate, & in Bibliotheca Vaticana Scriptore Notis, Additionibus, Commentationibus acerrime vindicatos, illuſtratos, & locupletatos uberrime, ingenue, abſque ulla aſſentatione fateor, me ea animi luſtraſſe voluptate, quam Sacræ Philologiæ ſtudioſis, & veritatis aſſequendæ cupidis graviſſimum, ac Sacerrimum, æque religioſioris Critices lance exacte ſuſpenſum argumentum aſſolet ingerere. Compertum habeo, non modo voluptatem hanc, verum & ingens emolumentum percepturos eos omnes, qui illos evolverint, deprehenſuros utique non vulgaris, ſed reconditioris eruditionis, cumulatæ Sacrorum Rituum notitiæ, eorumque omnium hac in re, quæ fidei, morum, & Eccleſiaſticæ tam cunctorum ſeculorum, quam qualiumcumque Nationum ſint, & fuerint diſciplinæ ſuppellectilem lautam adeo, ut omnem ſubjectam ſibi materiam prorſus exhauſiſſe videatur Cl. Scriptor. Plauſus ipſe, quo abs dubio a Republica Eccl. excipietur impigre elaboratum abſolutiſſimum opus, teſtatiſſimo erit argumento, quantum utilitatis inde ipſa perceperit, & feracior ager ille ſit, ex quo laboratiſſimo excultus Auctore. Hujus rei ergo harum lucubrationum Tomum primum a me Reverendiſs. P. Aloyſii Nicolai Ridolfi Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri obſequente mandatis ſedulo diſcuſſum, Orthodoxæ fidei, & Ethicæ Chriſtianæ in omnibus maxime conſentaneum repertum, digniſſimum cenſeo, ac plurimum exopto, quod publicæ committatur luci, eorumque potiſſimum teratur manibus, quos Liturgicarum Rerum diſquiſitio, & Eccleſiaſticæ eruditionis ſtudium delectat.

Datum Romæ in Collegio S. Mariæ de Victoria die 24. Octobris 1746.

F. Aloyſius Maria a Jeſu Carm. Excal.
S. Cong. Indulgent., & SS. Reliquiarum Conſultor, & S. Rom. Inquiſit. Qualificator.

Errata in Indices.

Pag. XXVIII. *col.* 1. *lin.* 22. *lege* Sacrificli.
Pag. XL. *col.* 1. *lin.* 12. *lege* privatæ. *lin.* 21. *lege* res. *col.* 2. *lin.* 15. *lege* Eccleſiæ.
Pag. xlvii. *col.* 2. *lin.* 20. *lege* publicam.
Pag. 519. *col.* 1. *a fine lin.* 5. *lege* ſive licentia.

In Præfat. univerſalem.

Pag. lii. *lin.* 1. *in fine dele* i *& pone comma, ſeu virgulam, lin.* 4. *lege* tam pie.
Pag. liv. *lin.* 18. *dele coma ante* mea *& pone poſt.*
Pag. lvi. *lin.* 31. *lege* memorata afficiunt edicta.
Pag. lviii. *lin.* 13. *poſt* verus homo *pone clauſulam, ſive parentheſim. lin. a fine* 23. *lege* Martyrem.
Pag. lxi. *lin.* 6. *ad Epiſt. adde* 77. *lin.* 29. poſt • fidei *adde* deſertores.
Pag. lxiv. *lin. a fine* 12. *lege* quam qui.
Pag. lxxix. *lin. a fine* 6. *lege* reddito.
Pag. lxxxiv. *lin.* 26. *lege* Vvicleffiana.
Pag. xci. *lin. a fine* 2. *lege* legiſſe.

RERUM

RERUM LITURGICARUM

LIBER PRIMUS.

De his quæ ad Miſſam generatim ſpectant.

PARS PRIMA.

De Miſſa, ejuſque variis generibus.

CAP. I.

De Miſſæ nomine, ejuſque origine. Non eſſe Hebraicum, Græcum, aut alterius idiomatis, ſed Latinum. Rejiciuntur quorumdam opiniones. Quædam obiter de Agapis veterum Chriſtianorum. A duplici miſſione Miſſæ nomen deductum.

§. I.

De Miſſæ nomine, ejuſque origine. Non eſſe Hebraicum.

DE Miſſæ ſacrificio clare, & ſtrictim diſceptaturo prima ſtatim occurrit de nomine difficultas; ſunt enim nomina indicia rerum, & ut Epictetus apud Arianum *lib.* 2. *cap.* 17. auctor eſt, principium eruditionis eſt intelligentia vocabulorum. Quidam Doctores Hebraicæ antiquitati nimium addicti Hebraicum nomen eſſe putant ex Deuteronomii cap. 16. v. 10. ubi vox *Miſſab* reperitur, quæ oblationem ſignificat. (1) Quam ſententiam mordicus ſuſtinent Joannes Reuchlinus *lib.* 2. *hebraicarum Eruditionum*, Claudius de Sainctes in *præf. ad Liturgias Patrum*, Baronius *ann.* 34. *num.* 59. Genebrardus de *Liturgia Apoſtolica cap.* 7. Antonius Democharesadverſus Miſoliturgos *tom.* 2. *cap.* 1. & alii iſtorum aſſeclæ, (2) qui nullo ſuffulti veterum teſtimonio aſſerunt Apoſtolos ab Hebræis, Latinos a Petro Principe Apoſtolorum Miſſæ vocabulum accepiſſe, ac ſi nihil antiquum, nihil catholicum foret, niſi hebræo nomine inſignitum (3). Sed ut optime Bellarminus obſervat, *lib.* 1. *de Miſſa cap.* 1. (4), ſi vox iſta hebraica in uſu Apoſtolis fuiſſet, eam certe retinuiſſent etiam Græci, & Syri, atque aliæ nationes, ut retinuerunt alias ſimiles, ut *Amen*, *Alleluja*, *Sabbaoth*, *Oſanna*, *Satban*, *Sabbatum*, *Paſcha*. Vocabula enim Hebraica per Græcos ad nos devenerunt; cum ipſi etiam Apoſtoli, & primi Eccleſiæ Doctores græce ſcripſerint. Porro apud Græcos nulla eſt mentio hujus vocis; neque apud Patres hebraicæ linguæ peritos, Origenem, Epiphanium, Juſtinum, Hieronymum, quod certe admirandum videri poſſet, ſi ex Hebræis ad Chriſtianos illa vox emanaſſet. (5)

(1)

(2)

(3)

(4)

(5)

Miſſæ notatio.

(1) *Oblationem ſignificat*) Oblationem ſcilicet ſpontaneam, uti interpretatur S. Hieronymus, qui & Chaldæus Paraphraſtes, qui ſcripſit ante Chriſti Domini adventum. Hinc infra citati Authores, qui hanc vocem hebraicam eſſe contendunt, ex eo probare nituntur, quod cum Petrus Apoſtolorum Princeps primam Miſſam poſt inſtitutam a Domino Euchariſtiam celebraverit in die Pentecoſtes, uti infra oſtendetur cap. 5. §. 1. quo tempore Hebræi juxta præſcriptum Levit. 24. 17. & Num. 18. 26. per ſingulas familias Hieroſolymam deferebant duos panes triticeos fermentatos, cumque ipſis agnos anniculos immaculatos, qui Domino oblati veluti primitiæ cedebant in uſum Sacerdotum, iſtaque eorum oblatio *Miſſab* diceretur, ideo mutuato ab Hebræis nomine Miſſam etiam ſic dictam fuiſſe iidem volunt, in qua pro panibus

Non Hebraicum.

bus fermentatis, pro tot veteris Legis Sacrificiis longe ſanctius aliud in nova lege gratiæ, non in figura, ſed veritate, ſub ſpecie panis Agnus ille vere immaculatus offertur, qui tollit peccata Mundi.

(2) *Alii iſtorum aſſeclæ*) videlicet e noſtratibus Jacobus Pamelius lib. 1. Liturgic. & in Scholiis ad Tertulliani librum de Oratione, initio; Caſalius lib. 1. de Sacrif. Miſſæ cap. 14. Petrus Bulengerus lib. 7. de Sacrificio Altaris, Jacobus Gaulterius Tab. Chronol. Eccleſ. verit. Sæculo 1. verit. 1. §. 15. Melchior Canus Loc. Theol. lib. 12. cap. 13. Hector Pintus in cap. 3. Danielis, Joannes Baptiſta Scortia de Sacrif. Miſſæ lib. 1. cap. 1. Joannes Maria Turrinus in Directorio ſacrificantium parte 1. ſect. 1. cap. 4. Præ cæteris fuſius Philibertus Marchinus de Sacram. Ordinis tract. 3. parte 1. cap. 4. §. & 6. atque ex heterodoxis Sebaſtianus Munſterus Eccleſiæ Romanæ tranſfuga, & Regularis profeſſionis defertor, ut ex Thuani Hiſt. Tom. 1. lib. XI. ann. 1552. circa fin. Trevolt. monum. ad eumdem an. art. 11. in annotationibus ad Sac. Script., ſeu in Lexico rad. Maſas, Theodorus Bibliander, aliique infra cap. 3. §. 1.

(3) *Hebræo nomine inſignitum*). In primo exemplari autographo Emin. Scriptoris hæc adjecta legunur: ut ſcite ait Matthæus Gale„nus in Promptuario Theolog. Catech. 92. „nec uſquam occurrit hoc nomen in veteri „Teſtamento, licet alicubi appareat aliqua „ejus ſimilitudo.

(4) *Ut optime Bellarminus obſervat*) Cumque ipſo Iſaacus Caſaubonus Exercit. 16. in Baronium, ubi hac in re magnum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Principem acriter perſtringit. Item Gerardus Jo. Voſſius Etymol. linguæ latinæ verbo *Miſſa*, ubi Claudium de Sainctes in hac pariter Miſſæ ſignificatione reprehendit, & latinam vocem eſſe demonſtrat; atque omnes ferme recentiores Liturgicarum rerum Scriptores, inter quos Antonius Bellotte in egregio Opere de Ritibus Eccl. Laudunenſis parte 2. obſerv. pag. 58. & 106. Jacobus Grancolas, in Tract. de Miſſa pag. 1. Claudius de Vert, & Petrus le Brun Explicat. Miſſæ pag. 1. & 2. Lazarus Andreas Bocquillot in Tractatu Hiſtorico de Liturgia Sacra lib. 1. cap. 1. ac noviſſime cl. Cajetanus Maria Meratus in Comment. ad Gavantum tom. 1. part. 1. pag. 16. & ſeqq. ubi alios authores idem ſentientes addit.

(5) *Illa vox emanaſſet*) Et ſane S. Hieronymus, qui hebraica vocabula ab Eccleſia retenta pleriſque in locis recenſet, inter quæ, præter memorata, enumeranda ſunt *Maranatha*, *Racha*, *Epheta*, *Rabbi*, *Rabboni*, & *Ephod*, ac alia, de Miſſa, uti hebraico nomine, nihil penitus habet. *Multa etiam* (inquit Epiſt. 137. & 145.) *ſunt vocabula ab Hebræis petita, quæ ſine ulla interpretatione ſervavit Eccleſia, ut ſunt præciſila, & cætera, quæ in Sacris Scripturis aſperſa paſſim habentur: quæ quoniam ex Judæis fuerat congregata, nihil ad credentium ſcandalum, innovandum cenſuit, ſed ita, ut a parvo imbiberant, tradidit. Poſſea vero quam in univerſas Gentes Evangelii dilatatus eſt Sermo, non potuere ſemel ſuſceptа mutari.* Hæc maximus Eccleſiæ Doctor, qui ſi Miſſæ nomen hebraicum agnoviſſet, illud utique cum cæteris enunciatis apponendum ſcripſiſſet.

§. II.

Non Græcum.

Nec Græcum.

ALiam hujus nominis originem proponit Genebrardus libri citati cap. 3. ex græca voce *Myeſis* a verbo *myeo*, quod eſt doceo, inſtituo, & ſpiritualiter initio: & ſignificat proprie initiationem, ſeu myſticam doctrinam, quæ per divinam inſpirationem in abdito mentis percipitur ſine humano magiſterio; ut docet Corderius in Onomaſtico Dionyſii: hinc autem, ait Genebrardus, derivatum forſitan eſſe nomen Miſſæ mutata terminatione, quæ ſecundum diverſitatem linguarum variari ſolet. Nam Græci, inquit, hanc vocem ſic pronunciant *Myiſis*, unde mutata terminatione Miſſa a Latinis deduci potuit. At hæc leviſſima Genebrardi conjectura eſt, tanti viri doctrina, & eruditione prorſus indigna. Neque obſtat, quod apud quoſdam Græcos Scriptores aliquando vox *Miſſa* legatur, ut apud Conſtantinum in Tacticis, quem Joannes Meurſius citat in Gloſſario Græco-barbaro; hi enim recentiores ſunt poſt annum Chriſti milleſimum, & hanc vocem, ſicut & alias, a Latinis acceperunt, & alio ſenſu uſurpant, præſertim Scriptores Tactici, qui ea paſſim utuntur pro precibus, quas in exercitu milites Chriſtiani mane, & veſpere recitabant.

§. III.

Neque alterius idiomatis.

Neque alterius idiomatis.

TErtia & ſingularis hac de re opinio eſt viri doctiſſimi Gabrielis Albaſpinæi, qui *lib. 2. de Sacram. Euchar. cap. 3.* rejectis aliorum etymologiis Miſſam dici autumat a nomine *Meſs*, quod apud gentes Septemtrionales ſignificat feſtum,

feſtum, ſive congregationem. Quia vero populi, ut ſacrificio interſint, in unum adunantur, ideo Miſſæ nomen ipſi ſacrificio inditum arbitratur. Ut autem probet Miſſæ nomen pro feſto accipi, & pro populi adunatione, multa congerit ex Capitularibus, & Conciliis Franciæ, ſed ex illis potius deducitur Miſſæ nomen ad feſtum, & conventum populi denotandum translatum fuiſſe, ut ex his, quæ Capite ſequenti num. 5. dicemus, manifeſte patebit. Nec veriſimile videtur quod a gentibus Septemtrionalibus Miſſæ nomen emanare potuerit, quia cum ſerius ad eas Evangelii prædicatio pervenerit, illud potius ab illis acceperunt, a quibus fidei myſteriis imbuti ſunt. (1) Joannes Lidius (1) in Gloſſario Latino-barbaro vocum, quæ reperiuntur in Epiſtolis Nicolai Clemangii, *Miſſa*, inquit, *Meſs, mercatus, nundinæ*. Cur vero Miſſæ nomen nundinis tributum fuerit, commodius dicam Capite ſequenti.

(1) *Fidei myſteriis imbuti ſunt*) Et quidem Septemtrionales populos non ante octavum, aut nonum ſæculum Chriſtianæ religioni nomen dediſſe, ex illorum temporum hiſtoriis compertum eſt; quare fideles ab illis Miſſæ nomen mutuare non potuerunt, quo jam a quarto Eccleſiæ ſæculo utebantur, uti infra dicetur cap. 3. Aliam porro hujus nominis originem refert Gaſpar Barthius Adverſariorum lib. 46. cap. 8. ſed ineptam, & ridiculam „ Miſſæ nomen, inquit, apud Germanos non quidem „ a Miſſa veterum Chriſtianorum, quæ alia „ omnino res fuit, ſed *Meſſa*, ſeu *Metta* Germanica ab Urbe Metenſi dicta eſt, quod vicino eorum temporum homini (Monachum „ Sangallenſem intelligit in vita Caroli Magni „ cap. 12.) cur non credamus, cum adeo Metiſcam etiam eamdem nominatam præ ſe ferat

§. IV.

Miſſæ vocabulum Latinum a mittendo dictum, ubi quædam de Agapis veterum Chriſtianorum.

Miſſæ vox Latina a mittendo dicta.

His expoſitis, quarta ſententia, eaque vera, & indubitata ſtabilienda eſt, Miſſæ vocabulum Latinum eſſe a mittendo dictum. Eſt enim Miſſa idem ac miſſio, ſicut *remiſſam* pro remiſſione dicebant Antiqui. Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem cap. 18. *Diximus de remiſſa peccatorum*. Cyprianus de bono patientiæ: *Dominus baptizatur a ſervo, & remiſſam peccatorum daturus ipſe non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere*. (1) Optatus Milevi- (1)
tanus lib. 1. *Non potuit in remiſſam peccatorum tingi*. Victor Tununenſis in Africa Epiſcopus lib. de Pœnitentia cap. ult. *Merebimur remiſſam omnium peccatorum*. (2) Hujus autem appellationis cauſam non omnes eamdem tradunt. (2)
Quidam volunt Miſſam dictam a mittendo, quod olim fieret ex donis a populo miſſis, & in unum collatis, quæ expoſitio Sectariorum eſt, (3) Miſſam cum (3)
Agape, ſeu convivio Chriſtianorum confundentium. (4) Erat autem *Agape* (4)
(5) convivium publicum, quod in Eccleſia poſt ſumptam Euchariſtiam fieri (5)
ſolebat ad mutuam charitatem fovendam, & ad pauperes reſocillandos. Hieronymo adſcripta Commentaria in Epiſt. 1. ad Cor. cap. 11. (6) *In Eccleſia* (6)
convenientes oblationes ſuas ſeparatim offercbant, & poſt communionem quæcumque eis de ſacrificiis (de his nimirum, quæ quiſque obtulerat) *ſuperfuiſſent, illic in Eccleſia communem cœnam comedentes, pariter conſumebant*. Et Chryſoſtomus in eandem Epiſtolam hom. 27. *Statis diebus menſas faciebant communes, & peracta ſynaxi, poſt Sacramentorum communionem omnes commune inibant convivium, divitibus quidem cibos adferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter veſcentibus*. (7) Oecumenius (7)
quoque in ipſam Pauli Epiſtolam, *Præcipuis diebus, ſive feſtis, poſt ſacrorum Myſteriorum participationem, agebantur communes cœnæ, præparantibus illas divitibus, ac pauperes invitantibus*. His vero teſtimoniis diverſam fuiſſe Agapen a Sacrificiis evincitur: idque etiam probat Pamelius ex pluribus Tertulliani Textibus *ad cap.* 39. *Apologetici*, quo in loco magnus ille Africanus elegantiſſime Agapen deſcribit. Quædam dumtaxat decerpo, quia parerga hæc ſunt. *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Vocatur enim* Agape *id, quod dilectio*

dilectio penes Græcos eſt. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamus. Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum præguſtetur. Editur, quantum eſurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum ſibi Deum eſſe: ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Æque oratio convivium dirimit, inde diſceditur, non in catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum; ſed ad eandem curam modeſtiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam diſciplinam. (8) Ad hæc eadem convivia reſpexiſſe puto Plinium Juniorem, cum in epiſtola ad Trajanum de Chriſtianorum cœtibus diſſerens ait, *coeunt ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium.* Triplex autem erat Agape, Natalitia, Funebris, & Connubialis, quas commemorat Nazianzenus in carmine de diverſis vitæ generibus hoc diſticho: (8)

Non epulum natale *adiens cum pluribus, aut quod*
Funereum *eſt, vel quod* connubiale, *petens.*

Solitas quoque exhiberi in dedicationibus Eccleſiarum (9) teſtatur Baronius *Annal. Tom. 1. an.* 57. Agunt de iiſdem paſſim antiqui Patres, quos refert Jacobus Boſius *lib. 6. Romæ ſubterraneæ cap.* 27. & Concilium Gangrenſe anathemate perſtringit illos, qui eas ſpernebant. Poſtea ob luxum, diſſenſiones, & alios abuſus, qui ſenſim irrepſerant, ſublatæ ſunt, ut ſcribit Auguſtinus *lib. 6. confeſs. cap. 2. & epiſt.* 64. (*novæ edit. Pariſ. num.* 22.) & ab Oriente quidem eas proſcripſit Synodus Laodicena, ab Africa vero tertia Carthaginenſis, (10) eas item prohibuit Concilium Trullanum can. 74. ubi plura de illis congerit eruditus Scholiaſtes Chriſtianus Lupus. (9) (10)

(1) *Corpus abluere*) Et Epiſt. 151. *qui blaſphemavit Spiritum Sanctum, non habebit remiſſam.*

(2) *Remiſſam omnium peccatorum*) Eo pariter modo, quo *acceſſa* maris pro acceſſione apud Servium in 1. Æneid. & in Itinerario Hieroſol. *ſpoſita*, & *expoſita* pro expoſitione apud interpretem Novellarum. Item *promiſſa* pro promiſſione ſecundum Florent. Script. aperte lib. 9. de *præſcript. verbis*. Apud Cujacium in lib. 3. Decret. tit. 5. cap. 2. *ſignificatum*. *Promiſſa*, inquit, *præſtabitur*, *ideſt*, *promiſſio*: *ulta* apud Ovidium pro ultione. Sæpe etenim veteres Scriptores, uti etiam Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 8. & S. Cyprianus epiſt. 59. uſurpant præterita paſſiva loco eorum nominum, quæ à Grammaticis vocantur verbalia; ſic *collecta* pro collectione, & *remiſſa* pro remiſſione dicuntur. Vide Ludovicum de la Cerda Adverſ. Sac. cap. 97. num. 3. Item Criticum Arnobianum Meurſii lib. 4. cap. 10. & noviſſime Claudium de Vert, Explicat. Cæremon. Miſſæ Tom. 1. cap. 1. in notis pag. 3. Quare dubitandum non eſt, ait Voſſius in Etymol. loco ſupracit. quin hoc vocabulum *Miſſa* origine ſit latinum, & quidem a mittendo dicatur, ut infra.

(3) *Expoſitio Sectariorum eſt*) Quam tenent Jo. Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 18. §. 18. Petrus Martyr Vermilius in cap. 5. epiſt. 1. ad Corinth. & fuſius Philippus Melanchton in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, diſput. de vocabulis Miſſæ, aliique, quos ſequutus Voſſius ibidem inquit: Altera vero eſt nominis cauſa, ut Cœnæ Dominicæ ex eo nomen Miſſæ inditum ſit, quod olim celebrari ſoleret ex donis a populo miſſis. Inter Catholicos etiam hujus ſententiæ recenſentur nonnulli apud Ægidium Menagium in Lexico Etymologico Pariſiis impreſſo an. 1694. ubi pag. 499. vocem *Miſſa* ab oblationibus, quas unuſquiſque fidelium mittere ſolebat, derivari debere nititur oſtendere, ſed neque authoritates, neque rationes ab ipſo adductæ ſufficere videntur. Etenim Sancti Patres omnes, qui de Miſſa loquuntur, per eamdem ſemper intelligunt actionem Sacram, & myſticam, ac in qua præcipua pars Religionis noſtræ conſiſteret, ut optime Card. Bellarminus loco ſupra a Card. noſtro citato, & infra cap. 3. uberrime conſtabit.

(4) *Miſſam cum Agape ... confundentium*) Nonnulli etiam ex noſtratibus Catholicis idem perperam ſenſerunt, inter quos Joſeph Vicecomes lib. 1. de ritibus Miſſæ cap. 2. quem egregie confutat. cl. Cajetanus Meratus in Commentariis ad Gavantum Prælim. num. X. in fine pag. 24. Tom. 1. Quamvis autem ſatis probabile ſit Apoſtolum 1. ad Corinth. 11. *Cœnæ Dominicæ* nomine Euchariſtiam ibi intellexiſſe, ut pleriſque & verius videtur; recentiores tamen nonnulli cœnam illam ſic ab Apoſtolo nuncupatam, non ad Euchariſtiam, ſed vere ad Agapen pertinere contendunt, cum ea, quæ ſtatim ſubſequuntur, cœnam vulgarem, non Euchariſtiam, indicare videantur; quare improprie Agapis vocabulum ad Euchariſtiam ſignificandam traducitur. Vide Theoph. Raynaudum in Onomaſtico Euchar. verbo *Cœna Dominica*.

(5) *Erat autem Agape &c.*) De Agapis, an ante, vel poſt ſumptam Euchariſtiam olim celebrarentur, varia ſentientibus antiquorum nonnullis, diſputant Eruditi. Et quidem S. Auguſtinus Epiſt. 118. nunc in novo ord. 54. ad Januarium, Corinthiorum hujuſmodi abuſum notans dicit, Ipſos menſis ſuis communibus divina

De Agapis an ante, vel poſt Euchariſtiam.

vina Sacramenta miſcuiſſe. Primaſius item Afer Uticenſis Epiſcopus, qui ſæculo ſexto floruit, Comment. in Epiſt. Pauli Tom. 10. Biblioth. PP. *Apud Corinthios*, inquit, *quondam, ſicut aliqui aſſerunt, prava invaluerat conſuetudo Eccleſiæ paſſim dehonеſtare convivиis, in quibus veſcebantur ante Dominicam oblationem, quam poſt cœnam noſtibus offerebant; cumque divites ebrii ad Euchariſtiam venirent, vexabantur inopes fame. Mos vero iſte, ut referunt, de gentili adhuc ſuperſtitione veniebat, unde etiam quibuſdam locis per Ægyptum, & Syriam die Sabbati noſte poſt cœnam dicitur conveniri*: Quod & Sozomenus adhuc ſuo tempore ibi perduraſſe, & ſemel in anno ad id convenиſſe teſtatur lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 29. Ita etiam Hervæus Monachus inter opera S. Anſelmi Comment. in Epiſt. Pauli 1. ad Corint. 11. hæc habet: *Tangit eorum conſuetudinem, quia frequenter in anno certis diebus ſolebant omnes ad Eccleſiam convenire, ut Corpus, & Sanguinem Domini perciperent, & in Eccleſia convivium agerent ex oblationibus ſuis, ad exemplum cœnæ, quam Dominus cum diſcipulis ſuis fecit; ſed hanc conſuetudinem plurimi eorum perverterant, & ſecundum quod alius alio prior veniebat offerens cibos ſuos, manducabat, & inebriabatur non expectans pauperem fratrem, & poſtea Corpus Domini ſumebat, vel cibis menſæ ſuæ miſcebat, non judicans illum differre &c.*

Ex recentioribus autem Cornelius a Lapide in eamdem Pauli Epiſtolam 1. ad Cor. cap. 11. verſ. 21. putat Agapas, maxime naſcentis Eccleſiæ initio, non poſt, ſed ante Sacram Synaxim peractas fuiſſe, qui tamen in ejuſdem. Epiſt. cap. 14. verſ. 26. ex Juſtino, & Tertulliano explicans ordinem, ac ritum conventuum veterum Chriſtianorum, contrarium innuere videtur. Idem ut ſupra cum Cornelio autumat Guillelmus Eſtius ad eamdem Epiſtolam cap. 11. v. 20. aliique apud ipſum, quibus noviſſime ſubſcribit Petrus Annatus Appar. ad Theol. Poſit. lib. 3. mihi pag. 230.

Non ante, ſed poſt communionem.

Attamen verior, & communior ſententia, quam Emineniſſimus. Author amplectitur, Agapas ſcilicet non ante, ſed poſt ſumtam Euchariſtiam fieri ſolitas etiam Eccleſiæ initio, ſolidioribus argumentis, pluribuſque Sanctorum Patrum teſtimoniis comprobatur. Nonnulla eorum hic breviter innuere viſum eſto. Et primo, licet ex Corinthiorum exemplo, quos tamen Paulus reprehendit, gratis admitti poſſit, Apoſtolorum tempore apud aliquos conſuetudinem fuiſſe poſt cibum, & potum communicandi; nihil tamen obſtat quin paulo poſt, ipſis adhuc viventibus Apoſtolis, eadem conſuetudo obliterata fuerit ob majorem reverentiam Sacramenti, præfertim quia refrigeſcente plurium charitate, & crefcente fidelium multitudine, id magis expedire compertum eſt. Et ſane quis ex ipſis Corinthiis, ad quos Paulus eoſdem increpans de hoc abuſu iis verbis ſcribit: *Convenientibus vobis in unum jam non eſt Dominicam cœnam manducare, unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum*: ideſt ſuam cœnam prius, quam Dominicam ſumere præſumit, uti interpretatur Auguſtinus dicta Epiſt. 118. ſeu 54. nov. ed. & ſic indigne, cum non jejunus, propterea ſubdit: *in hoc non laudo*: adhuc in ſua perſtiterit voluntate, ac priorem contra Apoſtoli monitum, & conſilium retinere voluerit conſuetudinem? credemuſne id Gentium Doctorem permiſiſſe, & Euchariſtiam inter epulas cum ebrietatis periculo fumendam deinceps Corinthiis indulſiſſe? cum oppoſitum antiquiſſimi Patrum affirment, traditionem ſcilicet Apoſtolicam eſſe, quod nonniſi a jejunis Euchariſtia ſumatur. Baſilius hanc inter cæteras Apoſtolorum traditiones enumerat Epiſt. ad Cæſariam Patriciam, unde Auguſtinus cit. Epiſtol. 118. & alibi plerique in locis, atque ex eodem Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. de div. Offic. Eccl. cap. 18. *Placuit Spiritui Sancto*, inquit, *per Apoſtolos, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi, & ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur*. His ſuccinunt Gregorius Nazianz. orat. 40. quæ eſt de Baptiſmo ſub fin., & Epiphanius contra hær. lib. 3. in fine, Ambroſius item ſerm. 8. in pſal. 118. circa illa verba: *media noſte ſurgebam ad confitendum tibi*. Sed & eorum antiquiores affirmant, Cyprianus Epiſt. 63. atque ante ipſum Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 5. illis verbis: *non ſciet maritus quid ante omnem cibum guſtes*: id autem eſſe Euchariſtiam plane exprimunt, quæ ſtatim ſubdit: *& ſi ſciverit panem, non illum eſſe credit, qui dicitur*.

Vetus igitur, & Apoſtolica traditio eſt, ne quis auderet ad divina myſteria non jejunus accedere, ut optime quampluribus aliis antiquorum teſtimoniis probat Eminentiſſimus Author infra cap. xxi. a §. 1. ad 3. quibus plane conſtat Agapas olim nonniſi poſt communionem peractas fuiſſe; ſi enim hoc jejunii præceptum ante communionem Euchariſticam ab Apoſtolis promanat, quomodo Apoſtolorum diſcipuli, & eorum primi ſucceſſores id negligere potuerunt, & poſt Agapas ſacram communionem ſumere? Hinc ſi quis abuſus fortaſſe in contrarium irrepſit, nunquam in legitimam conſuetudinem tranſire potuiſſe dicendum erit. Quare judicet æquus, & pius lector quam temere, & falſo eumdem Eminentiſſimum noſtrum fugillet Jacobus Baſnagius Calvinianus Minиſter in ſua pſeudo-Hiſtoria Eccleſiæ nuper Gallicæ ſcripta, qua nullam adeo falſam, & Catholicis dogmatibus adverſantem hucuſque legi, in qua etiam Sacros S. R. E. Ritus, cæremonias, placita, ac liturgicam diſciplinam totis viribus, fed fruſtra, impetere nititur hæreticus Scriptor, Tom. 2. lib. 13. cap. 6. num. 2. pag. 804. quaſi quod idem Purpuratus Author in hanc ſui ſententiam comprobandam non alios habere potuerit teſtes (ut ait) quam Hieronymum, & Chryſoſtomum ineuntis quinti ſæculi Patres, cum & alios antiquiores bene multos, ſi voluiſſet, habuerit, ut vidimus; ac proinde nullam rationem ipſi Eminentiſſimo ineſſe concludit, qua Euchariſtiam poſt cœnam antiquitus ſumptam fuiſſe neget. Debuerat Heterodoxus iſte, ne ſic indifcrete optimum Scriptorem carperet, ſupracitatum ipſius cap. xxi. & authoritates ibi allatas pro jejunio ante Euchariſtiam in Eccleſia ſemper ab Apoſtolorum ævo hucuſque obſervato (ſi tantum illi erat virium) convellere, ut inde eidem æquius in illum invehi liceret; cum autem id non præſiterit, nec præſtare valuiſſet, melius erat illi, ſi a dicteriis hæreticorum ſolitis abſtinuiſſet. At hæc obiter dicta ſunto.

Jejunium ante communionem ex traditione Apoſtolica.

Porro

De Agapis plures scripserunt.

Porro de Agapis, varioque earum genere apud veteres Christianos plerique scripsere. S. Cyprianus ad Quirinum lib. 3. cap. 3. & Paulinus in notis num. 11. S. Augustinus contra Faustum lib. 20. cap. 4. & 24. S. Paulinus Natali 9. Card. Baronius ad an. 57. num. 132. an. 391. num. 32. an. 691. num. 27. & seqq. Idem de Martyrol. Rom. cap. 4. Bosius, ejusque Continuatores. Aringhius, & Severanus in Roma Subterranea lib. 6. cap. 27. ubi pag. 607. antiquorum Agapis imaginem in cœmeterio Sanctæ Agnetis via Nomentana repertam exhibent. Marcus Ant. Boldetus Vaticanæ Bibliot. Script. & Collega meus in Observationibus ad Martyrum Cœmeteria pag. 45. Item Alardus Gazæus ad Collat. 24. Cassiani cap. 12. Binius in notis ad Concil. Laodicenum, & Carthaginense sub Siricio Papa, Scheleſtratius de Eccleſ. Africana, Ferrandus in Diſquiſit. Reliqu. Salmaſius de Jure Attico & Rom. cap. 3. & 4. de la Cerda, Meurſius, Spelmannus, aliique plures. Præ cæteris particulares de Agapis, eruditaſque teneuerunt Diſſertationes doctiſſimi viri Gabriel Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus lib. 1. Obſerv. 18. ubi in Eminentiſſimi noſtri opinionis confirmationem luculenter oſtendit Agapem a Sacrificio fuiſſe diverſam, & Euchariſtiam a fidelibus mane ante omnem cibum ſumptam, Agapas vero veſpere peragi ſolitas. Item Ludovicus Antonius Muratorius in Anecdotis Græcis peculiari Diſſertatione pag. 241. qui & in Anecd. Tom. 1. pag. 62. Paulini ævo eaſdem Agapas perduraſſe ſcribit, quamquam a Laodicenis Patribus can. 28. jam ab anno 320. prohibitæ fuiſſent in Eccleſiis.

Et quidem Agapas Paulino Nolano vivente tunc in uſu fuiſſe, ſatis indicat Sanctus Epiſcopus ipſe in Poemate Natalis XII. apud eumdem Muratorium Anecdot. loco citato, ubi inter cætera ſic habet.

. . . . . *& curatum tempore multo*
Paverunt in vota ſuem, & cœpere paratum
Ducere ſanctitum Sancti Felicis ad aulam,
Corpore de magno, ut multos maſtatus egenos
Paſceret, & ſaturo gauderet paupere Martyr.

Eaſdem etiam Agapas ſuo tempore alicubi uſitatas memorat Auguſtinus de Civit. Dei lib. 8. cap. 7. Sed non in omnibus Eccleſiis, ait ille: *quicumque etiam epulas ſuas eo deferunt (quod quidem a Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſque terrarum locis nulla talis eſt conſuetudo) tamen quicumque id faciunt &c.* Quas etiam Agapas, ubi ſine abuſu fiebant, non reprehendit lib. 1. contra Fauſtum Manichæum cap. 20. & lib. 20. cap. 4. eidem Hæretico reſpondens, qui Chriſtianos Sacrificia vertiſſe in Agapas, & idola in Martyres &c. calumniabatur. *Agapes noſtræ*, inquit, *pauperes paſcunt &c.*

Agapes ſexto ſeculo interdictæ in Eccl. Occidentali.

Ambroſius vero, quemadmodum S. Auguſtinus præfatus Conſeſs. lib. 6. cap. 2. teſtatur, ut intemperantiæ anſam quamcumque de medio tolleret, Agapas hujuſmodi ſuſtulit ab Eccleſia, cujus exemplo ipſe Auguſtinus Aurelio Carthaginenſi Primati perſuaſit, ut idem prohibendum in Africanis Eccleſiis peculiari decreto in Concilio Carthaginenſi III. curaret, quod & factum eſt can. 30. in hanc ſententiam: *Ut nulli Epiſcopi, vel clerici in Eccleſia conviventur, niſi forte tranſeuntes hoſpitiorum neceſſitate illic refocillantur. Populi etiam ab hujuſmodi convi-*
viis, quantum fieri poteſt, prohibeantur. Exinde poſtea prohibitum idem fuit in Concilio II. Aurelianenſi can. 12. in quo iſtiuſmodi regula generalis data legitur: *ne quis in Eccleſia votum ſuum cantando, bibendo, vel laſciviendo exſolvat, quia Deus talibus votis irritatur potius, quam placatur.* Sicque deinceps Agapæ, & omnia convivia in Eccleſiis quæcumque fuerint, ob abuſus, qui ſenſim irrepſerant, penitus ſublata fuere, uti optime advertit Eminentiſſimus Author. Id autem non eveniſſe niſi poſt ſæculum quintum, fidem facit S. Petrus Chryſologus morem illum improbans Serm. 129. *Noli eſtimare*, inquit, *chariſſime, quod in ſolis prandiis, & profuſioribus epulis Natales Martyrum celebrentur.* Sed & Sæculo ſexto adhuc Agapas perduraſſe conjicitur ex Gelaſii Codice Sacramentorum Eccleſiæ Romanæ, quem edidit Venerand. Thomaſius, quemque in Præfatione ait paulo poſt Gregorium Magnum exaratum fuiſſe, etenim lib. 3. cap. 48. cui titulus *Pro his, qui Agapes faciunt*, tres habentur orationes.

Quamquam vero prædicta adeo patentia intemperantiæ pericula a Chriſtiano populo ſublata fuerint, præcipue e Baſilicis Martyrum; ita tamen abrogari hæc prava conſuetudo non potuit, quin privatis ſaltem in domibus feſti Sanctorum dies, Templorumque dedicationes opiparis conviviis celebrarentur, uti ex Sidonio Apollinari lib. 4. Epiſt. 15. & ex S. Gregorio Turonenſi lib. 2. cap. 16. de Mirac. S. Martini oſtendit laudatus Muratorius ſupracit. Diſſertatione de Agapis ſublatis Anecd. Græc. pag. 255. cujus etiam conſuetudinis veſtigia utcumque permanſiſſe adhuc S. Caroli Borromæi ævo, colligitur ex ipſius Archiepiſcopi Statuto in Concil. Provinciali I. parte 3. Conſtit. de piorum locorum adminiſtratione, & in Concilio Provinciali III. cap. 1. quæ tamen Sanctiſſimus Antiſtes delenda ſancivit. De iis etiam nonnulla aſſert clariſſ. Dufreſnius in ſuo magno Gloſſario ad Script. med. & inf. latin. Atque hæc de Agapis dicta ſufficiant, de quibus item alibi ad cap. 23. §. 13. in fine.

(6) *Hieronymo adſcripta commentaria*) Commentaria hæc, uti & reliqua in omnes Pauli Epiſtolas Hieronymo ubique adjudicant Ambroſius Catharinus, Marianus Victorius, Sixtus Senenſis, aliique paſſim. Eadem Bellarminus cenſuit eſſe Pelagii, cui ſubſcribunt Labbeus, aliique Scriptorum Eccleſiaſticorum nomenclatores. Neque in contrarium Eruditis hucuſque dubitatum eſt. Vide Garnerium Append. ad Diſſert. 6. in partem. 1. Operum Marii Mercatoris pag. 367. ubi Commentaria prædicta unico Pelagio deberi, & a Caſſiodoro fordibus hæreticis olim repurgata, omni Pelagianiſmi labe, prout nunc extant, immunia fore oſtendit. Vide etiam noviſſimam editionem Operum S. Hieronymi ab eruditis Patribus Benedictinis Congregationis S. Mauri illuſtratam Tom. 5. & Clerici Appendicem ad Opera S. Auguſtini.

(7) *Omnibus communiter veſcentibus*) Idem homil. in illud Apoſtoli: *Oportet hæreſes eſſe*: *Fideles*, inquit, *omnes in conventibus ſuis, poſtquam audiſſent doctrinas, poſt preces, poſt Sacramentorum communionem 'pauperes vocabant communeſque faciebant menſas.*

(8) *Non tam cænam cænaverint, quam diſciplinam*) Notanda ſunt illa Tertulliani verba: *non prius*

prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum præguſteur: quibus Euchariſtia ante omnem cibum ſumpta non ſubobſcure indicatur; etenim inter orationes ad Deum ſicri ſolitas Euchariſtia eſt verus animæ cibus omnibus præferendus, & ſola ad modum cibi corporalis ſpiritualiter præguſtatur. Huc confer, quæ dicentur cap. 21.

(9) *In Dedicationibus Eccleſiarum*) Emin. Author in ſua priori editione Romana, quam poſtea caſtigatam, & auctam denuo cudendam Pariſios miſit, hæc repoſuerat: *Gregorius Magnus teſtatur lib. 1. Epiſt. 54. ad Petrum Subdiaconum, & lib. 9. Epiſt. 71. ad Mellitum Abbatem*: quæ verba non alias, quam brevitatis gratia deleri maluit, & Baronii tantum teſtimonio concludi, qui locis ſepra a nobis citatis, nedum ex Gregorio, ſed ex aliis Patribus id eximie probat. Porro de Agapis, & earum diſtinctione, & uſu apud antiquos, præter jam recenſitos authores videndus nuperus Scriptor Gaſpar Ivenin in Commentario hiſtorico, & dogmatico de Sacramentis Diſſert. 5. quæſt. 8. cap. 8. art. 2. §. 6. ubi plura de iiſdem eruditiſſime ſcribit.

(10) *Ab Africa vero III. Carthaginenſis.*) In priori pariter editione Romana hæc legebantur appoſita: *a Gallia Autelianenſis ſecunda, & Cabilonenſis*: quæ item expungi voluit in ſequentibus editionibus, cumque amiciſſimi ſui Chriſtiani Lupi, quas nondum viderat, doctiſſimas lucubrationes legiſſet Eminentiſs. noſter, eumdem hoc loco primum pro ſuæ ſententiæ teſtimonio advocare ſtatuit. Atque inde ex dicto Concilio Trullano conſtat multo ſerius in Eccleſia Orientali, quam in Occidentali, ut diximus, Agapas ſublatas fuiſſe, nempe ſeculo ſeptimo exeunte circa an. 695. neque ſtatim in omnibus locis. *Eadem ſeriùs in Orientali, ſeculo ſeptimo exeunte & duodecimo.*

§. V.

Vario ſenſu a pleriſque Miſſa a mittendo dicta.

ALiis placuit Miſſam dici quaſi *tranſmiſſam*, eo quod populus per miniſterium Sacerdotis preces, & oblationes ad Deum tranſmittat: (1) Stephanus Eduenſis *lib. 1. de Sacram. altaris cap. 18.* Hac ſalutatione, nempe *Ite Miſſa eſt*, monentur aſſtantes recedere, quia miſſa eſt hoſtia: propterea miniſterium Sacroſanctum Miſſa nuncupatur. Petrus Cluniacenſis *lib. 2. miracul. cap. 28.* Sacrificium offerunt, quod ex uſu jam veteri tracto nomine, quia Deo mittitur, Miſſa vocatur. Rupertus Abbas *lib. 2. de div. off. cap. 23.* Sacroſanctum altaris miniſterium idcirco Miſſa dicitur, quia ad placationem inimicitiarum, quæ erant inter Deum & homines, ſola valens, & idonea mittitur legatio. D. Thomas *tertia P. qu. 83. art. 4. ad 9.* (2) In fine Miſſæ Diaconus populum licentiat dicens, *Ite Miſſa eſt*, ſcilicet hoſtia ad Deum per Angelum, ut ſcilicet ſit Deo accepta. Alio ſenſu Magiſter ſententiarum *lib. 4. diſt. 13.* Miſſam a mittendo dictam aſſerit, quod Angelus a Deo mittatur, ut aſſiſtat Sacrificio. (3) Nicolaus Beguinius Rhemenſis *lib. 3. de Paſchate cap. 3.* a mittendo derivatam ait eo ſenſu, quo Chriſtus a Patre miſſus dicitur: quia hæc hoſtia & a Deo Patre primum ad nos ſalutis noſtræ cauſa miſſa eſt, & eamdem ejus quoque cauſa ad eumdem rurſus mittimus (4). Alcuinus *lib. de div. offic. cap. 40.* aliam rationem commemorat, quia nos mittit ad Deum.

(1) *Oblationes ad Deum tranſmittat*) Ita Divus Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. cap. 58. ubi ſic habet: *Dicitur Miſſa quaſi tranſmiſſo, eo quod populus fidelis per Miniſterium Sacerdotis, qui fungitur vice mediatoris inter Deum, & homines, preces, & ſupplicationes, & vota tranſmittat Altiſſimo. Ipſum vero ſacrificium, ideſt hoſtia, Miſſa vocatur, quaſi tranſmiſſa: primum nobis a Patre, ut eſſet nobiſcum per Incarnationem, poſtea Patri a nobis, ut intercedat pro nobis ad ipſum per paſſionem: ut & in Sacramento primum nobis a Patre per ſanctificationem, poſtea Patri a nobis per oblationem.* Hinc a Gregorio expoſitiones ſuas de Miſſæ nomine mutuarunt Stephanus Eduenſis, & reliqui ab Emin. Authore relati; ac proinde manifeſtum eſt nomen Miſſæ a verbo *mitto* derivatum fore; ſive quod Populus per miniſterium Sacerdotis preces & oblationes ad Deum tranſmittat, ſive quia nos ad Deum mittit, vel quod Angelus a Deo mittatur, ut aſſiſtat Sacrificio, vel tandem, quod probabilius eſt, & infra dicetur, a populi miſſione, quæ fit peracto Sacrificio. *Vario ſenſu Miſſa a mittendo dicta.*

(2) *D. Thomas 3. parte &c.*) Et ante ipſum Rhabanus Maurus lib. 1. de Inſtit. Cler. cap. 3. aliique.

(3) *"Ut aſſiſtat Sacrificio*) Hanc ſententiam hauſit Magiſter Sententiarum ex Liturgia Jacobi, ubi hæc habentur: *Taceant mortales .... Rex enim Regum Chriſtus Deus noſter exit, ut mactetur, & detur in cibum fidelibus, cum vero chori Angelorum antecedant.* Quare exclamat Chryſoſtomus homil. de ſacra menſa: *O miraculum, menſa tam magnifice inſtructa, in qua agnus Dei pro te maſtatur, ad quam aſſiſtunt Cherubini, deſcendunt Seraphini, qui ſenis præditi alis vultus demittunt, ubi omnes Angeli cum Sacerdote pro te legationem obeunt!* Item S. Ambroſius in cap. 1. Lucæ: *non dubites*, inquit, *aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, quando Chriſtus immolatur.* Denique S. Gregorius loco ſupracitato: *quis enim fidelium*, ait, *habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Jeſu Chriſti myſterio Angelorum chyros adeſſe, ſummis ima ſociari &c!*

(4) *Ad eumdem rurſus mittimus.*) Huic ſententiæ item nonnulli ex recentioribus adhærent, inter quos Franc. Porterus Minorita in Securi Evangelica parte 2. diſt. 9. quæſt. 4. art. 1. ubi ait Miſſæ nomen derivari a Miſſione, vel a mittendo Filio Dei in hunc mundum, ut Chriſtus ipſe inquit Joan. cap. 3. v. 17. *Deus miſit filium ſuum in mundum*, & cap. 5. 37. *Pater miſit me, & qui miſit me Pater, ipſe &c.* Ita ut Miſſa præter conſecrationem, oblationem, ac ſumtionem Corporis, & Sanguinis Chriſti, contineat etiam memoriam beneficiorum acceptorum per ejus miſſionem; atque adeo Miſſa repræſentat miſſionem, opera, & doctrinam Chriſti. Hæc ille. Ut autem ſingula de Miſſa a mittendo dicta percurramus, Joannes Mabillonius in Itinere Germanico Analect. Tom. IV. pag. 60. ait ſe in quodam Monaſterio Ord. S. Benedicti S. Emmerami dicto apud Emfeldium Bavariæ Oppidum ſito, Codicem Manuſcriptum venerandæ antiquitatis inveniſſe, in quo continentur Gloſſæ ad Canones Apoſtolorum, & notæ in Epiſtolas Decretales Summorum Pontificum (de quo etiam vide ejuſd. Mabill. comm. in Ord. Rom.) & in Notis ad Innocentii I. Epiſtolam ad Decentium Eugubinum cap. 5. hæc verba ex ipſo Codice deſcripta refert: *De fermento quod dicit, mos eſt Romanis, ut de Miſſa, quæ cantatur in Cœna Domini, & in Sabbato Sancto, & in die Sancto Paſchæ, & in Penteceſte, & in Natalis Domini die Sancto per totum annum ſervatur, & ubicumque per ſtationes, ſi ipſe Papa ad Miſſam præſens non fuerit, de ipſa Miſſa mittitur in Calicem quum dicit*: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *& hoc dicitur* fermentum. *Tamen Sabbato Sancto Paſchæ nullus Presbyter per Eccleſias baptiſmales neminem communicet, antequam mittatur de ipſa Sancta, quam obtulit Dominus Papa.* Hinc nonnulli arbitrantur, ex miſſione hoſtiæ, ſeu particulæ conſecratæ a Papa ad Stationales, ſeu Parochiales Eccleſias, quæ dicebatur *fermentum*, & *Miſſa*, Miſſæ nomen derivari, idque ea de cauſa toti Sacrificio Euchariſtico inditum eſſe. At contrarium portendere videntur vel ipſæ Gloſſæ, & Notæ memoratæ evincunt, quæ nedum Innocentio I. ſed & Gregorio Magno, atque etiam Ordine Romano ſexti, aut ſeptimi Sæculi fœtu poſteriores ſe eſſe indicant; quin & fortaſſe octavo, quandoquidem totus hic ritus mittendi Euchariſtiam ad Stationes, & Eccleſias Baptiſmales non in alio antiquiori Codice Ordinis Romani, quam in Sangallenſi ejuſdem ævi deſcriptus invenitur: de quo Melchior Hittorpius in lib. de Div. Off. edit. Coloniæ 1568. Mabillonius præfatus Admon. in 1. Ord. Rom. ac Ven. Card. Thomaſius Diſſert. de fermento Euch.

Nonnulli a miſſione fermenti, ſed falſo dictam putant.

At ultro demus hunc ritum altius ævum ſapere, certe Innocentii tempora redolere non poteſt; Innocentius enim laudata Epiſtola ad Decentium dicit per ſingulas Dominicas dies quotannis mitti ſolitum fuiſſe fermentum ad Eccleſias Urbis, hic autem, per ſolemniores tantum quaſdam anni feſtivitates, ſcilicet in Cœna Domini, Sabbato Sancto, die Paſchatis, & Pentecoſtes, ac in die Natalis Domini; reliquis vero feſtis, & Dominicis mitti non dicitur; quod certe vel a Gelaſio ſtatutum, uti autumat Joannes Ciampinus de Azymo cap. 9. pag. 210. vel etiam a S. Leone Magno, qui illum præceſſit, uti non improbabile eſſe poteſt, fatendum erit. Cum autem ante Leonis, & Gelaſii ætatem conſtet nedum ex dicendis infra cap. 3. §. 1. ſed ex Siricii Papæ conſtituto, qui & ante Innocentium ſedit an. 384. Miſſæ nomine jam tunc totum Sacrificium Euchariſticum appellatum fuiſſe, ut ex Libri Pontificalis Authore in ejus vita: *Hic conſtituit*, inquit, *ut nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum*: non adeo compertum erit Miſſæ nomen ex miſſione fermenti per Eccleſias derivatum eſſe. Præterea cum ex hoc Siricii decreto deducatur nonnullos fuiſſe Presbyteros Titulares moræ impatientes, qui non expectato fermento Apoſtolico Miſſas celebrabant, atque hinc iisdem poſtea injunctum, ut, ſi in aliis feſtivitatibus nollent, ſaltem Sabbato Sancto neminem communicantes, ejuſdem fermenti particulam a Pontifice mittendam expectarent, proculdubio conjicitur Miſſæ nomen, non a miſſione fermenti, ſed alio, ſcilicet a miſſione populi, derivatum eſſe, dum & abſque hujuſmodi fermenti miſſione totum Sacrificium Miſſæ nomine jam olim nuncuparetur. Cæterum id Eruditis ulterius examinandum relinquo.

§. VI.

A duplici miſſione Miſſæ nomen deductum.

Miſſa a miſſione populi dicta.

ALii denique, quorum non ambigimus veriſſimam eſſe ſententiam, a miſſione, ſeu dimiſſione populi, Miſſæ nomen ortum eſſe aſſeverant, ita ut Miſſa idem ſit ac miſſio populi, & licentia diſcedendi. Audiendus primo loco Avitus Viennenſis Archiepiſcopus, qui circa finem quinti Seculi, & initio ſexti floruit. Is epiſt. 1. ad Gundobadum Burgundionum Regem, *non miſſum facitis*, inquit, *nihil eſt aliud quam non dimittitis. A cujus proprietate ſermonis in Eccleſiis, palatiiſque, ſive prætoriis* Miſſa *fieri pronuntiatur, cum populus ab obſervatione dimittitur. Nam genus hoc nominis etiam in Secularibus auctoribus, niſi memoriam veſtram per occupationes lectio defueta ſubterfugit, invenietis.* Hæc Avitus, qui non exprimit ſeculares auctores, apud quos nomen Miſſæ hoc ſenſu reperitur. Mihi vero occurrunt Cicero, qui in fine Philipp. 5. placere dixit, *legiones bello confecto miſſas fieri:* & Suetonius in Caligula cap. 25. ubi agens de Lollia Paulina, quam in uxorem duxerat,

Brevi,

Brevi, ait, *miſſam fecit*, hoc eſt, dimiſit (1). Porro verbis Aviti nihil efficacius ad ſupra memoratos ſcriptores redarguendos, qui Miſſæ nomen exoticum fingunt, & aliunde derivant (2). Miſſio autem in veteri Eccleſia duplex erat: una poſt Evangelium & Sermonem, quando Catechumeni, infideles, pœnitentes, & alii, quibus vetitum erat Sacramentorum participationi intereſſe, a Diacono dimittebantur hac voce, *ſi quis eſt Catechumenus, exeat foras:* vel ut dicit Gregorius lib. 12. Dialog. cap. 23. *Si quis non communicat, det locum:* & hæc dicebatur Miſſa, ſeu miſſio Catechumenorum, de qua ex profeſſo agam infra Capite XVI. Altera erat Initiatorum, cum re divina peracta eos Diaconus dimittebat dicens, *Ite Miſſa eſt:* & hæc Miſſa Fidelium vocabatur. Iſidorus *lib. 6. originum cap.* 19. Miſſa tempore ſacrificii eſt, quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Levita, ſi quis Catechumenus remanſit, exeat foras: & inde Miſſa. Subſcribit Iſidoro iiſdem verbis Rabanus Maurus *lib. de inſtitut. Clericorum cap.* 32. Florus Magiſter, & Remigius Antiſiodoren. in fine expoſitionis Miſſæ, *Miſſa*, inquiunt, *nihil aliud intelligitur, quam dimiſſio, id eſt abſolutio, quam celebratis omnibus tunc Diaconus eſſe pronunciat, cum populus a ſolemni obſervatione dimittitur:* quæ verba ab Alcuino tranſcripſerunt. S. Gregorius in libro Sacramentorum feria ſexta Paraſceves: *Deinde communicat ipſe, & omnis clerus, & fiant Miſſæ.* Ubi Pamelius ad marginem adnotavit, *ex poſtrema hac clauſula colligere eſt, cur Miſſa nuncupetur, nempe a dimittendo populo.* Menardus, & Ordo Romanus ibidem ſic legunt: *& communicant omnes ſub ſilentio, & expleta ſunt univerſa.* Caſſianus *lib.* 11. *Inſtitut. cap.* 15. vanitatem deſcribens cujuſdam ſolitarii, qui in cella ſua quaſi in Eccleſia Sacrum agebat, *tum*, inquit, *quaſi Diaconus Miſſam Catechumenis celebrabat.* Hugo Victorinus *lib.* 2. *de Eccleſ. officiis cap.* 41. *Dicit Diaconus*, Ite Miſſa eſt, *quaſi revertimini ad propria. Ab hac miſſione, id eſt dimiſſione Miſſam dicunt appellari* (3). Bernoldus Presbyter Conſtantienſis in expoſitione Ordinis Romani apud Caſſandrum *in Liturgicis cap.* 26. *Miſſam ideo appellari dicimus, quia lecto Evangelio foras mittuntur ex pronunciatione Diaconi, qui minime offerendo vel communicando non poterant intereſſe Sacramentis Divini Myſterii.* Caſſianus *lib.* 3. *Inſtit. cap.* 7. mores deſcribens veterum Monachorum ait, illum, qui ad diurnam orationem non occurrebat, priuſquam primus pſalmus finiretur, non audere oratorium introire, ſed Congregationis Miſſam pro foribus præſtolari, hoc eſt dimiſſionem Monachorum peracto officio. Et ibidem *cap.* 11. ait, die Dominico unam tantum Miſſam, hoc eſt dimiſſionem ante prandium celebrari: quia nimirum ſemel tantum conveniebant, & officia, quæ ante prandium dici conſueverant, ſine intervallo, & dimiſſione uno contextu ſimul cum ſolemni ſacrificio recitabant. Apud Goldaſtum tom. 2. Rerum Almannicarum extat Interpretatio vocabulorum barbaricorum Keronis Monachi S. Galli, qui ait; *Miſſa, quia mittitur populus.*

(1) (2) (3)

Poſſem paginas late implere aliorum teſtimoniis, ſed ex allatis ſatis conſtat Miſſam a miſſione dici, & populi dimiſſionem ſignificare (4). Fruſtra nititur Genebrardus hanc Miſſæ etymologiam convellere quaſi nimis frigidam, & modicæ reverentiæ erga tantum myſterium: cum enim doceat Plato in Cratylo, nomina ex propria rei nota deducenda eſſe, inconveniens, inquit, foret Auguſtiſſimum Sacrificium a minima ſui parte vel accidente nuncupari. Sed Genebrardus nimis addictus fuit rebus Hebraicis, & fortaſſe non legit Aviti, & aliorum, quos ſupra citavimus, teſtimonia, quæ ſi vidiſſet, eorum procul dubio auctoritati ceſſiſſet: neque enim credibile eſt viros ſapientiſſimos temere, & ſine ratione tale nomen Divino Sacrificio impoſuiſſe; cum præſertim nullum ſit, quo ipſum, utpote ineffabile exprimere valeamus. Facile etiam diluitur quod objicit Albaſpinæus, tribus nimirum primis ſeculis Miſſæ nomen

(4)

inauditum fuiſſe, cum tamen eſſent dimiſſiones; nam primo non admittimus Miſſæ nomen poſt tertium ſeculum cœpiſſe, de qua re Capite III. agendum erit: deinde nomina poſteriora ſunt rebus, & illis jam exiſtentibus, vel ex ipſarum natura, vel ex circumſtantiis, vel ab aliquo eventu imponuntur.

Scilicet a duplici miſſione populi.

(1) *Hoc eſt dimiſit*) Idem legitur in leg. 3. Cod. Theodoſiani de Proximis. Item apud Plutarchum lib. de Conjugal. præceptis, ubi hæc habet: *Mulier cuidam Philippo ſe trahenti invitam, Miſſam me fac, ait.*

(2) *Et aliunde deriuant*) Atque ut evidentius conſtet, Jacobus Sirmondus vir clariſs. in Notis ad hanc Aviti Epiſtolam, Oper. Tom. 2. pag. 3. hæc ſubdit: Redarguit primum hic locus caſſum laborem illorum, qui Miſſæ nomen exoticum, ideſt hebraicum fingere auſi ſunt, non latinum, quod res eſt, & ex Aviti verbis perſpicuum. Docet deinde, quod, haud ſcio, an a quoquam hactenus proditum, non in Eccleſiis modo, verum etiam in Palatiis, Prætoriiſque uſurpari Miſſæ nomen conſueviſſe, cum populus a conventu dimittebatur. Ab hac igitur Miſſa, ſeu miſſione populi, quæ re peracta fiebat, translata vox fuit ad ſignificandas res ipſas, quæ gerebantur. Nam, & Miſſæ matutinæ, & veſpertinæ appellatæ ſunt Liturgiæ, ſeu ſolemnia officia, quæ matutinis, aut veſpertinis horis celebrantur. Quod ſane mirum eo minus videri debet, quod viceverſa *Synaxis*, & *Collectæ* vocabula, quæ proprie conventum, & congregationem ad divina officia ſignificant, pro ipſis quoque divinis officiis tum matutinis, tum veſpertinis paſſim uſurpata meminimus. Atque ut unum pro omnibus exemplum referam, in Litaniis veteribus Eccleſiæ Bellovacenſis apud Baluzium Miſcellan. Tom. 2. pag. 143. in fine hæc leguntur: *Ite Miſſa eſt, Deo gratias*, quæ verba procul dubio dimiſſionem ſignificant. Hæ porro Litaniæ ſæculum nonum, aut ſaltem decimum redolent.

(3) *Miſſam dicunt appellari*) *Vel ideo a miſſione, quia in ea Catechumeni, & qui Sacris intereſſe non debent, foras mittuntur*: Hæc ex eodem Hugone ſuperaddita leguntur in primo Codice MS. Authoris.

Hæc ſententia plurium authoritate comprobatur.

(4) *Et populi dimiſſionem ſignificare*) Sane id apertiſſime conſtat, uti fatetur eruditiſs. vir Carolus Dufreſnius in ſuo Gloſſario Med. & inf. Latin. verbo *Miſſa*; ubi ait „ Verum „ miſſis ejuſmodi, & ſimilibus conjecturis conſtans eſt, & recepta ab omnibus viris eruditis „ Bellarmino, Caſaubono, Scaligero, Card. „ Bona, & aliis eorumdem Alcuini, Honorii „ Auguſtodunenſis lib. 1. cap. 91. Iſidori lib. 6. „ Orig. cap. 19. Belethi cap. 34. &c. ſcribentium Miſſam dictam a Miſſa Catechumenorum, ſcilicet dimiſſione. Idque ſatis patet (ante Ducangium inquit Juriſtarum doctiſſimus Cujacius in lib. 3. Decret. tit. 3. ad cap. 11. *Significatum*, ubi de Miſſa) ex Laodicenæ Synodi cap. 19. quo oſtenditur, *res in Eccleſia peragi ſolitas olim miſſione auditorum, qui & Catechumeni dicuntur, miſſionem Pœnitentium, & ad extremum miſſionem, ſive Miſſam fidelium*. Quibus & heterodoxum Scriptorem adjungam Joſeph Binghamum, qui Orig. Eccleſiaſt. lib. XIII. cap. 1. §. 4. ita ſcribit, Planum, perſpectumque eſt, quod Miſſa a miſſione, ſeu dimiſſione populi, nec aliunde originem traxerit, ut adeo non neceſſe exiſtimem lectoribus meis alicujus horum teſtimoniorum recitatione moram injicere, quandoquidem res nunc extra omnem controverſiam a Mabillonio, & Bona clariſſimis Eccleſiæ Romanenſis Scriptoribus poſita eſt. Huic capiti colophonem impono hoc addens ex alio ejuſdem infecti gregis Doctore, Iſaaco ſcil. Caſaubono ſupracit. Exercit. 16. in Baronium num. 58. „ Proprie miſſio, inquit, vel „ quod idem eſt, Miſſa, eſt ἀφεσις, hoc eſt dimiſſio, quam vocem Græcis olim in dimittenda concione fuiſſe uſitatam ex Plutarcho, & aliis Scriptoribus, viris eruditis eſt compertum. Sic in judiciis Romanorum cum præco clamabat: *ilicet*, Judicibus abeundi facta poteſtas intelligebatur. Sed in Græcorum concionibus una fuit dumtaxat miſſio, cum finita concione præconis voce clamabatur „ καταλυσις, hoc eſt populorum dimiſſio. „ In Liturgia veteri Chriſtianorum duplex fuit „ ἀφεσις, miſſio, ſeu Miſſa, prior cum finitis „ lectionibus Sacræ Scripturæ, & precibus, „ quibus poterant intereſſe Catechumeni, Energumeni, & alii non initiati, voce Diaconi jubebantur exire, quibus Sacram Liturgiam „ ſpectare fas non erat: poſterior cum Sacris „ peractis, & Euchariſtiæ celebratione finita, „ poſt ἐκτὸς ἀπολυσατε a Diacono pronunciatam, populo diſcedendi fiebat poteſtas: „ quod in Liturgia Chryſoſtomi intelligitur illis verbis: ὁ ἱερεὺς ποιεῖ ἀπόλυσιν: Sacerdos facit Miſſam, hoc eſt dimittit populum: Ἀπόλυσις „ eſt ἀφεσις, Miſſa, ſeu miſſio, ſumptum verbum e Simeonis Cantico, *Nunc dimittis*, quod „ ibidem recitatur. Hæc Caſaubonus. Scriptori ex Calviniſta Lutherano item addimus Calviniſtam Gaſparem Svicerum. Is in Lexico, ſeu Theſauro Eccleſ. ex Græcis Patribus Tom. 2. pag. 402. ad eamdem vocem ἀπολυσις: inde Miſſa latina a mittendo dicta, inquit, quia *mitti concio* dicebatur, quæ dimittebatur; ita & mitti Synaxis in veteri Eccleſia, cum populus dimitteretur: *Ite Miſſa eſt*, nempe Synaxis. Joannes in vita Epiphanii græce vocat Miſſam Eccleſiæ, qua nimirum Eccleſia mittebatur peractis Sacris. Ita Caſſianus &c. Horum itaque, & aliorum ſupradictorum authoritate abunde ſatis Emin. noſtri Sententia de Miſſæ voce a miſſione dicta confirmatur.

CAP.

CAP. II.

De multiplici nominis Miſſæ ſignificatione. Olim pro Collectis & Lectionibus & pro divinis officiis uſurpatum. Quo ſenſu ad dies feſtos, & ad omnes populi conventus translatum. Cur veteres plurali numero Miſſas dixerint. Quid ſit Miſſas tenere.

§. I.

De multiplici nominis Miſſæ ſignificatione.

Multiplex Miſſæ ſignificatio.

PErit rerum cognitio, ſi nomen ignoratur, a noſcendo enim dictum eſt nomen, quaſi notamen & index rei, quam deſignat, ut docet Iſidorus *lib.* 1. *Orig. cap.* 7. Quia vero nonnunquam ad plures res ſignificandas idem nomen adhibemus, exactam rei notitiam habere non poſſumus, niſi prænoſcamus ad quid primitus ipſum nomen conſtitutum, vel excogitatum fuerit, & qua ratione ad ipſius participationem aliæ res admiſſæ ſint: nam ut præclare Maximus Martyr ait diſputans adverſus Pyrrhum; *Dicere aliquid, nec ejus quod dicitur, varias ſignificationes diſcernere, nihil aliud eſt quam confundere.* Optime quoque Ptolemæus lib. de judicandi facultate docuit, utiles eſſe diſſertationes, quæ dictionem explicant, non ſui ipſius cauſa, ſed quia ad reddendum de re judicium conferunt. Quia igitur in Miſſæ nomine multiplex ſignificatio reperitur, de ſingulis aliquid dicendum eſt, ne quis nominis æquivocatione deceptus a vera rei, de qua agitur, intelligentia aberret.

Communi autem & primigenia ſignificatione accipitur primo pro miſſione, ſeu dimiſſione a quovis Eccleſiaſtico officio, ut in Concilio Carthaginenſi quarto can. 84. *Epiſcopus nullum prohibeat uſque ad Miſſam Catechumenorum*, ideſt uſque ad miſſionem, ſeu dimiſſionem, & expulſionem Catechumenorum, *neque Hæreticum, neque Judæum, neque Gentilem Eccleſiam ingredi, & audire verbum Dei.* Eodem ſenſu Caſſianus cap. 13. lib. 2. Inſtit. ſic inſcribit, *quare poſt Miſſam nocturnam*, videlicet poſt miſſionem Monachorum a nocturnis officiis, *dormire non oporteat*, & cap. 15. ſic, *qua lege modeſtiæ poſt Orationum Miſſam unuſquiſque ad ſuam cellulam redeat.* Sanctus quoque Benedictus in Regula cap. 17. *Poſt expletionem trium Pſalmorum, recitetur lectio una, verſus, & Kyrie eleiſon, & Miſſæ ſint*, & in fine: *Kyrie eleiſon, benedictio, & fiant Miſſæ.* Quam phraſim, ut patet, a Caſſiano mutuatus eſt, & ipſe ſupra explicavit cap. 12. ubi agens de Matutinis Laudibus, *Canticum*, inquit, *de Evangelio, Litania, & Completum eſt:* & in fine cap. 9. *ſupplicatio Litaniæ id eſt Kyrie eleiſon, & ſic finiantur vigiliæ nocturnæ.* Ita cum Diaconus dicit, *Ite Miſſa eſt*, ſenſus eſt, dimiſſionem eſſe congregationis, (1) licere omnibus abire. (1)

Secundo accipitur pro lectionibus, & precibus, quæ ab initio Liturgiæ uſque ad dimiſſionem Catechumenorum explentur: qua acceptione Concilium Valentinum c. 1. ſancivit, ut Sacroſancta Evangelia in Miſſa Catechumenorum poſt Apoſtolum legerentur. (2) (2)

Tertio pro illa parte Liturgiæ, quæ eſt ab Offertorio uſque ad finem, & dicitur *Miſſa Fidelium.* Hoc ſenſu Miſſæ nomine utitur Cæſarius Arelatenſis Hom. 12. his verbis: *ſi diligenter attenderitis, cognoſcetis quia non tunc fiunt Miſſæ, quando divinæ lectiones in Eccleſia recitantur, ſed quando munera offeruntur, & Corpus, vel Sanguis Domini conſecratur. Nam lectiones ſive Prophéticas, ſive Apoſtolicas, ſive Evangelicas etiam in Domibus veſtris aut ipſi legere, aut alios legentes audire poteſtis: Conſecrationem vero Corporis, & Sanguinis Chriſti non alibi, niſi in domo Dei, audire vel videre poteritis.*

(1) *Dimiſſionem eſſe Congregationis*) His, aliiſque infra dicendis refellitur clar. viri ex Ordine noſtro Joannis Caramuelis Sententia, qui Comment. in Reg. S. P. Bened. num. 1279. aſſerit Sanctiſſimum Patriarcham Miſſarum nomine intelligere voluiſſe orationes, ſeu Collectas, quas in fine cujuſque officii dicimus ante *Benedicamus Domino*; nam ſi Sanctus Pater de orationibus voluiſſet intelligi, eas procul dubio expreſſiſſet, quemadmodum expreſſit *Kyrie eleiſon*, & orationem Dominicam, ut infra §. ſequenti optime notat Emin. Author. Cum autem Collectas, ſeu orationes eaſdem non expreſſerit, de quibus tamen meminit cap. 11. ſuæ Regulæ, Miſſarum nomine, Congregationis utique dimiſſionem intelleXiſſe, manifeſtum eſt. Hanc opinionem ex Smaragdo Abbate hauſit Caramuel, quibus & alios ita pariter ſentientes addens, ſubſcribit Edmundus Martene in Regulam S. Benedicti ad dictum cap. 17. pag. 309. & ſeqq. ubi pag. 310. hæc inſuper nimio fortaſſe auſu ſubdit clariſſimus Aſceta. „ Quæ„ propter his aſſentiri non poſſum, qui Miſ„ ſam hoc capite a S. Benedicto pro dimiſſione „ dictam velint, quæ ſi vera eſſent, non *Miſſæ „ ſint*, aut *Miſſæ fiant*, dixiſſet, ſed *Miſſa ſit*, „ aut *Miſſa fiat*. Neque enim Miſſæ voca„ bulum in plurali ab aliquo Authore adhibi„ tum videmus ad ſignificandam dimiſſionem, „ ſed ſemper in ſingulari. Hæc Martenius, qui certe fallitur; ſiquidem Miſſæ, ſeu Miſſarum nomine quandoque a priſcis Scriptoribus dimiſſionem populi ſignificari vocabulo tunc uſitato, poſt Sanctum Benedictum fidem faciunt S. Gregorius Magnus ſuperiori capite ab Emin. relatus §. 6. in Libro Sacramentorum feria ſexta Paraſceves, ubi hæc habet: *deinde communicat ipſe, & omnis Clerus, & fiant Miſſæ*: Anaſtaſius Biblioth. in Collectaneis Hiſtoriæ Monothelitarum, ſeu verius S. Martinus Papa in Epiſt. ad Theodorum, quæ inter ejuſdem Epiſt. eſt XV. Concil. Labbei Tom. 6. & Biblioth. PP. Lugd. Tom. XII. pag. 833. *Porro*, inquit, *Dominico die datis Miſſis in prædicta Sancta Dei Eccleſia*; ſcil. Lateranenſi, ubi ipſe Pontifex cum Clero tantum conſidebat; populus enim jam dimiſſus erat, uti ex dictæ Epiſtolæ contextu patet. *Datis* itaque *Miſſis* idem eſſe, ac dimiſſo populo, nihil vetat intelligi. Huic item interpretationi perſpicue favet Gregorius Turonenſis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 51. ubi conſimili loquendi modo utitur: *Vade, & vigila totam noctem in honore, ac revoca Miſſas, & liberaberis a plaga*. Miſſas revocare dicitur, (ait Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 6. num. 4.) cum populus antea dimiſſus denuo ad Sacrificium revocatur. Poſſem & alios veterum textus afferre, ſed hi ad confirmandam Emin. noſtri Sententiam contra prædictos eidem adverſantes abunde ſufficiant, cum & de eadem iterum infra.

(2) *Poſt Apoſtolum legerentur*) De Miſſæ nomine pro lectionibus uſurpato vide ſequenti §. 3.

§. II.

Miſſæ nomen olim pro Collectis acceptum.

Miſſa olim pro Collectis accepta.

QUarto ſumitur Miſſa in Concilio ſecundo Milevitano cap. 12. pro Collectis ſive orationibus, quæ in Miſſæ ſacrificio legi ſolent. *Placuit ut preces, vel orationes, ſeu Miſſæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur*. Eodem ſenſu Miſſæ nomen uſurpatum a S. Benedicto Smaragdi Abbatis opinio eſt in expoſitione Regulæ S. Benedicti ad illa verba cap. 17. *& fiant Miſſæ, & Miſſæ ſint*. Miſſarum enim nomine Collectas intelligit, ſive orationes, quæ in fine officii a Sacerdote dicuntur, quas ideo Miſſas dici putat, quia Deo mittuntur. Conſenſit Smaragdo vir Doctiſſimus Hugo Menardus *in notis ad cap.* 23. *&* 24. *Concordiæ Regularum*, qui huc trahit Caſſianum lib. 2. cap. 7. ubi eos reprehendit, qui nec dum bene finito pſalmo in orationem procumbunt *ad celeritatem Miſſæ* properantes, hoc eſt ad finem officii, ut Alardus Gazæus Caſſiani Scholiaſtes bene interpretatur, non *ad celebritatem Miſſæ*, id eſt ad recitationem Collectæ, quæ poſt Pſalmos recitatur, ut minus probabiliter legit & explicat Menardus. Trahit huc etiam Iſidorum, & Tetradium in ſuis Regulis, quos aliter intelligendos eſſe mox demonſtrabo. Quod vero attinet ad S. Benedictum, manifeſtum eſt ibi Miſſarum nomine dimiſſionem indicari, formula tunc temporis in divinis officiis uſitata. (1) Quod ſi de oratione locutus fuiſſet, eam proculdubio expreſſiſſet, (1) ſicut expreſſit *Kyrie eleiſon*, & orationem Dominicam. Porro Collectæ S. Pater mentionem facit cap. 11. ſub nomine benedictionis, cum ſtatuit lecto Evangelio, & data benedictione incipiendos eſſe Matutinos. Reliqua officia oratione Dominica concludi voluit, ut latius tradidi in tractatu de Divina Pſalmodia *cap.* 16. §. 17. *num.* 2.

(1) *Formula tunc temporis in divinis officiis uſitata*) Et quidem Sanctus Pater dum Regulæ cap. 35. jubet Hebdomadarios coquinæ debere jejunos manere uſque ad Miſſas, & cap. 38. ubi Hebdomadarium lectorem poſt Miſſas & communionē petere vult, ab omnibus pro ſe orari, taliter

taliter profecto ſe intelligendum declaravit. Notandum tamen eſt, quod fere ſemper in plurali Miſſas vocat, non in ſingulari, prout in textibus allatis, & in alio Reg. cap. 20. de Sacerdotibus, qui voluerint in Monaſterio habitare, ait, *concedatur ei poſt Abbatem ſtare, benedicere, & Miſſas tenere*, quia Miſſarum nomine nedum Sacrificii divini, ſed & Eccleſiaſtici cujuſcumque officii celebrationem, omnemque Sacramentorum adminiſtrationem, aut religioſam functionem veteres, Monachi præcipue, intelligebant. Communis ergo apud antiquos Miſſæ acceptio in ſingulari pro Chriſtiano Sacrificio fuit, in plurali autem, vel pro dimiſſione a quocumque divino officio, vel pro ſacris Orationibus, aut Collectis, aut pro Lectionibus, ut infra, uſurpatur. Vide etiam §. 6. ubi iterum, cur Miſſas in plurali veteres dixerint, indicabitur.

§. III.

Idem Miſſæ nomen pro Lectionibus uſurpatum.

Miſſa pro lectionibus uſurpata.

QUinto S. Aurelianus Arelatenſis Epiſcopus in Regula Monaſterii, quod juſſu Childeberti Regis Arelate conſtructum fuit, modum pſallendi præſcribens ait: *Sexta feria poſt Nocturnos duæ Miſſæ fiant in æſtate, in hieme tres. Nam Dominica omni tempore, & in æſtate, & in hieme, poſt Nocturnos ſex Miſſæ fiant. Si vero evenerit, ut tardius ad vigilias ſurgatur, quantum Abbati viſum fuerit, tantum legatur. Quando ſignum fecerit, qui legit, ſine mora conſurgat, ut canonicus Miſſarum numerus poſſit impleri.* Et infra. *Quotidie ad librum facite Miſſas tres. Unus Frater legat paginas tres, aut quatuor, & fiat oratio. Iterum legat tantum, fiat alia oratio. Tertio legat idem tantum, & ſurgite, dicite Antiphonam de Pſalmis in ordine, poſtea reſponſum; deinde Antiphonam. Iterum legat alius Frater, & ſic impletis tribus Miſſis dicite Matutinarios canonicos.* Et paulo poſt. *In Natali Domini, & in Epiphania dicite unum Nocturnum, & facite ſex Miſſas de Eſaia Prophetа: iterum dicite ſecundum Nocturnum, & legantur aliæ ſex de Evangelio.* Et mox. *In Martyrum feſtivitatibus tres, aut quatuor Miſſæ fiant: primam Miſſam de Evangelio legite, reliquas de paſſionibus Martyrum.* Hic luce clarius conſtat Miſſam accipi pro lectione; quo ſenſu quoque eadem voce utitur S. Cæſarius in Regula cap. 21. dicens, *Omni Dominica ſex Miſſas facite, prima Miſſa ſemper Reſurrectio legatur: perfectis Miſſis dicite Matutinos* (1). Itemque in ſua Regula Tetradius, ubi ait, *Duos Nocturnos faciunt, & tres Miſſas*, quæ evidentiſſime lectiones ſunt, non autem Collectæ, ut putat Menardus. Quare autem ab iſtis Patribus Miſſæ nomen Lectionibus tributum fuerit, non eſt facile explicare, niſi dixerimus ex eo deſumtam nomenclaturam, quia dum illæ leguntur, pſalmorum decantatio dimittitur: quæ expoſitio eſt Benedicti Haefteni *Diſquis. Monaſtic. lib. 7. tract. 8. diſq. 5.* ita ut lectio ſit quædam dimiſſio, ſeu intermiſſio Pſalmorum. Obſcurior eſt Iſidori ſententia, qui cap. 7. ſuæ Regulæ ait: *In quotidianis officiis vigiliarum primum tres pſalmi canonici recitandi ſunt: deinde tres Miſſæ Pſalmorum, quarta Canticorum, quinta matutinorum officiorum. In Dominicis vero diebus, vel feſtivitatibus Martyrum, ſolemnitatis cauſa ſingulæ ſuperaddantur Miſſæ.* Neque enim ſatis percipio de quibus Miſſis hic ſermo ſit: an videlicet tres Miſſæ pſalmorum ſint tres orationes poſt ſingulos pſalmos, ut Menardus exponit: an tres lectiones tribus pſalmis correſpondentes, ut cenſet Haeftenus: an potius Miſſam Pſalmorum, deinde Canticorum, tum Matutinorum ille vocavit totum complexum ex pſalmis, & lectionibus, quæ nunc ſunt primum, ſecundum, & tertium Nocturnum, & Laudes. Niſi forte tres Miſſæ pſalmorum ſint totidem eorumdem, tum Canticorum, & Laudum ſub una concluſione modulationes, quæ ideo dicantur Miſſæ, quia poſt ſingulas fit quædam quaſi dimiſſio, & interruptio. Id ſane non improbabile ex eo mihi videtur, quod in eodem capite diſertis verbis orationum, & lectionum meminit: in vigiliis autem Miſſas, ſive interruptiones proximas varietatis cauſa ſtatutas ex ipſo contextu non obſcure colligimus: *Ut ſervorum Dei mentes diverſitatis oblectamento exerceantur, & ad laudem Dei ſine faſtidio excitentur* (2).

(1)

(2)

Dicite

(1) *Dicite matutinos*) Et in Regula Monialium apud Bollandum in Actis Sanctorum die 12. Januarii: *Missæ sex de Prophetia Isaiæ*, quæ profecto non aliud, quam lectiones sunt. Item ibidem num. 69. decernitur, ut, *quando festivitates Martyrum celebrantur, prima Missa de Evangeliis legatur, reliquæ de passionibus Martyrum*: ubi iterum vides Missæ nomine non aliud, quam lectiones intelligi, uti etiam cum Emin. noſtro notat Mabillonius Diſquiſit. de curſu Gallicano num. 34.

(2) *Sine faſtidio excitentur*) Poteſt etiam hoc Iſidori loco Miſſa intelligi pro Sermone; in Miſſali enim Mozarabico nomen Miſſæ præfigitur brevi de feſto currenti Sermoni, quem Sacerdos in ſingulis Miſſis habet ad populum, uti infra Emin. Author, ſicque *Servorum Dei mentes diverſitatis oblectamento* melius *exercentur, & ad laudem Dei* facilius *ſine faſtidio excitantur*: Id comprobatur ex antiquis Monachorum Uſibus, & maxime Ciſtercienſium, apud quos ſolemniores feſtivitates dicuntur etiam nunc feſtæ Sermonis ex eo, quia Abbas eo die ſolemniter celebraturus Sermonem ad Monachos habet de currenti feſtivitate. Porro non minus obſcurus eſt Iſidoro S. Fructuoſus in Regula cap. 3. *Sabbatorum vero, & Dominicarum noctium*, inquit, *curriculis ſeno Miſſarum ſuperadjecto officio ſenis etiam Miſſis vigiliæ cum ſenis reſponſoriis celebrentur, ut reſurrectionis Dominicæ ſolemnitas ampliori officiorum pſalmodia magis honoretur, quod & præcipuarum feſtivitate Miſſarum præcedente nocte competenter officiorum genere de qualibet ſolemnitate ſemper eſt celebrandum*: ubi videtur pro ſeno Miſſarum officio non aliter, quam pſalmos intelligi, ac pro ſenis Miſſis ſenas lectiones, cum ſuis reſponſoriis. Hinc Miſſæ nomen pſalmis, & lectionibus tributum.

§. IV.

Idem etiam Miſſæ vocabulum pro divino officio interdum ſumtum.

Interdum pro divino officio.

SExto, ſolet Miſſa pro divino officio interdum accipi, ut in Concilio Agathenſi cap. 30. ubi ſtatuitur, quod in concluſione matutinarum, vel veſpertinarum Miſſarum poſt hymnos capitella de pſalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad veſperam ab Epiſcopo cum benedictione dimittatur (1). Caſſianus loco ſupra citato: *Quare poſt Miſſam nocturnam*, ideſt poſt nocturnum officium, *dormire non oporteat*; & rurſum: *Miſſa Canonica celebrata*, ideſt hora, ſive officio. Petrus Ciaconius in ſuis ad Caſſianum alphabeticis Annotationibus, Miſſa, inquit, pro quacumque ſynaxi, ſive congregatione, quam Monachi publice orandi cauſa faciebant, apud Caſſianum ſumitur, nempe tertia, ſexta, nona, & aliis, ſive noctu fieret, ſive interdiu. Regula cujuſdam Patris cap. 30. *Duodecim pſalmi in nocturnis conventibus cantabuntur, præter illam Miſſam, quæ celebratur in ortu Solis*, ideſt præter officium Primæ (2). (1) (2)

(1) *Cum benedictione dimittatur*) Et in Concilio III. Aurelianenſi cap. 29. de Miſſis: *Nullus laicorum* ante diſcedat, quam Dominica dicatur oratio, & ſi Epiſcopus præſens fuerit, ejus benedictio expectetur, Sacrificia vero matutina, ſive veſpertina ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum uſum ſpectet. Ubi notandum ideo prohiberi laicorum neminem diſcedere, ante quam Dominica diceretur oratio, quia iſta divinum officium omne tum matutinum, tum veſpertinum antiquitus etiam a Clericis recitata, & a Fidelibus omnibus audita claudebat, uti infra lib. 2. cap. 15. num. 1. ex Auguſtino, aliiſque Patribus conſtat; Sacrificiorum vero nomine officia divina, quæ ſive mane, ſive veſpere fiebant, debere intelligi ſatis indicat Epiſcopi, ſi præſens fuerit, benedictio hic expectari mandata; Sacerdos enim nonniſi in Miſſa populum benedicebat.

(2) *Ideſt præter officium Primæ*) Ita etiam Cixila, ſeu Cixilanes Archiep. Toletanus, qui Sæculo VIII. floruit, in vita S. Idelphonſi prædeceſſoris ſui, ait illum edidiſſe ſeptem Miſſas de B. Maria, ideſt ſeptem officia, uti legitur in Codice MS. Eccleſ. Tolet. apud Nicolaum Antonium in Bibliotheca veteris Hiſpaniæ, quam edi curavit Card. de Aguirre Tom. 1. pag. 290. Ubi idem Card. ex Joanne Baptiſta Perezio aſſerit Mozarabes vocare Miſſas, non totum officium, ſed quædam quaſi præambula, ſive adhortationes ad celebrandum tale officium; Hancque nominis acceptionem adjungendam eſſe his, quas, (ut ipſe effatur) doctiſſimus vir Joan. Bona S. R. E. Cardinalis poſt alios collegit hoc loco.

§. V.

Miſſæ nomen. Quo ſenſu ad dies feſtos, & ad omnes populi conventus ſignificandos translatum.

Item præfatio ſumpta.

SEptimo, quia Miſſa actio præcipua eſt, quæ in die feſto peragitur, ideo nomen Miſſæ pro ipſa feſtivitate a mediæ ætatis ſcriptoribus paſſim uſurpatur, apud quos Miſſa S. Martini, vel S. Joannis idem eſt, ac feſtum S. Martini, vel S. Joannis. Ivo Carnotenſis in Decreto pag. 15. cap. 190. Et ſi totam

tam Quadrageſimam ante Miſſam S. Joannis implere non poteſt, poſt Miſſam impleat, ideſt poſt feſtum; & infra permittens in quibuſdam feſtivitatibus aliquam publice pœnitentibus indulgentiam, inter cæteras numerat Miſſam S. Joannis Baptiſtæ, & S. Mariæ. In Concilio Piſtenſi ſub Nicolao I. c. 3. communi placito conſtituimus, ut uſque ad Miſſam S. Remigii, *ideſt Kalendas Octobris*, ſpatium habeant. Heraldus Turonenſis Archiepiſcopus in ſuo Capitulari c. 61. agens de feſtivitatibus anni, in quibus feriari oportet, Miſſam recenſet S. Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri, & Pauli, S. Martini, & S. Andreæ. Eginardus Abbas *epiſt.* 23. *Volumus circa Miſſam S. Martini ad palatium venire*. Frodoardus in Chronico an. 921. *Facta paſſione uſque ad Miſſam S. Martini*, & an. 945. *Circa Miſſam S. Joannis Hugo Dux placitum cum Rege habuit*. Aimonius lib. 5. cap. 34. Refectiones commemorat in *Miſſa S. Germani*. Annales Bertiniani an. 877. *Richildis veniens ad Ludovicum in Miſſa S. Andreæ attulit ei præceptum*. Idem frequentius reperitur in Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii, ut *lib.* 2. *cap.* 18. *Spatium uſque ad Miſſam S. Martini dare decrevimus*, & cap. 20. edicit, *ut pontes ad Miſſam S. Andreæ reſtaurati ſint*. In edicto quoque Piſtenſi in Capitulari Caroli Calui *ſec.* 31. §. 31. *Qui lucrum de vineis in illis partibus promeruerit, octo dies poſt Miſſam S. Remigii ſibi provideat, & ſi neceſſe illi fuerit, ad Miſſam S. Martini ad ſuum conductum redeat* (1). In Appendice tomi 2. Scriptorum hiſtoriæ Francorum Andreæ du Cheſne extat epiſtola cujuſdam Catuphi ad Carolum Magnum, in cujus fine eum hortatur, ut cum conſilio Synodi Francorum celebrari conſtituat in Regno ſuo *Miſſam* S. Michaelis, & paſſionem S. Petri. Eamdem ob cauſam ad quemcumque populi cœtum, ſive congregationem indicandam Miſſæ nomen translatum legimus, quia populi multitudo nunquam frequentius ſolet in unum congregari, quam ut Miſſæ ſacrificio interſit (2). Hinc apud Baronium anno 519. in Indiculo, ſeu Relatione de ſcelere Theſſalonicenſium, ſtatuerunt Epiſcopi, ne quis Miſſas foras Civitatem teneret, ut multitudo eſſet futuræ ſeditioni congregata. Hinc etiam Germanis, teſte Kiliano in Dictionario, *Francfurter Miſſe*, *Strasburger Miſſe*, idem eſt, ac nundinæ (3) Francfurti, & Argentorati; quæ nominatio, ut Joachimus Vadianus ait *lib.* 1. *de veteribus Germaniæ Monaſteriis*, inde nata videtur, quia multis in locis ſtatæ, & annuæ nundinæ feſtis diebus annectuntur, idque ob populi frequentiam ad Miſſas celebriores confluentis.

(1) *Ad ſuum conductum redeat*) Hoc etiam ſenſu Miſſam S. Remigii legimus in Epiſtola Hincmari Rhemenſis ad Carolum Regem edita poſt Synodum Duziacenſem.

(2) *Ut Miſſæ Sacrificio interſit*) Et hæc interpetratio non indiget probatione, ut ait el. vir Stephanus Baluzius in notis ad Capitul. Reg. Franc. Tom. 2. col. 1173., 1174. frequenter enim in veteribus libris, & Scriptoribus legimus Miſſam S. Martini, S. Joannis, Apoſtolorum Petri, & Pauli, S. Andreæ, S. Michaelis, S. Bonifacii &c. Wormius lib. 3. feſtorum Danicorum exhibet vetus Kalendarium Runicum ante trecentos annos ſcriptum cum interpetratione latina. In eodem vocabulum *Miſſa* accipitur pro feſto, ut *Paulus Miſſa*, Menſe Januario, pro quo Wormius recte vertit *Pauli feſtum*. Menſe Februario *Matthias Miſſ.* Majo *Cruſis Miſſ.* Junio *Joann. Miſſ.* & ſic in cæteris menſibus. Videatur uberius Carolus Duſreſne in ſuo Gloſſario med. & inf. latin. & Monaſticon. Anglic. Tom. 1. pag. 278. Item Acta SS. Ord. S. Bened. Sæc. 1. pag. 242. Quin & doctiſſimus Joannes Mabillonius Annal. Ord. S. Benedicti Tom. 1. lib. 6. pag. 154 hæc ex Concilio Turonenſi habito ſub ann. 566. confirmat; in dicta ſiquidem Synodo Can. 17. & 18. prohibetur Monachis jejunium toto Auguſti menſe, quia quotidie *Miſſæ*, ideſt feſta *Sanctorum erant*. Idem Mabillonius ibidem lib. 18. pag. 609. referens ex Authore Vitæ Sanctæ Gertrudis Abbatiſſæ miraculum ab ipſa Beata patratum de puero ad vitam revocato, dicit, quod Mater ejus Adela nomine, viſo hoc celebri prodigio poſtridie Miſſam, ſeu feſtum in honorem Beatæ Gertrudis Virginis celebravit.

(3) *Idem eſt, ac Nundinæ*) Hinc amiciſſimus noſter D. Cajetanus Maria Meratus in ſuis eruditis Commentariis ad Gavantum Prælim. num. X. pag. 24. facile ſe poterat continere, quin Joſephum Vicecomitem lib. 1. de Ritibus Miſſæ cap. 2., ubi Miſſas quandoque pro Nundinis acceptas fuiſſe affirmat, nonnihil carperet; ex iis enim, quæ Emin. Author hoc loco profert, & nos ſubdimus, ſatis conſtat mediæ ætatis ſæculis Miſſæ nomen idem dictum eſſe, ac Nundinas.

§. VI.

§. VI.

Cur veteres plurales Miſſas dixerint. Quid ſit Miſſas tenere.

Miſſæ cur in plurali dictæ.

OCtavo tandem ſumitur Miſſa pro tota Divini Sacrificii celebratione, quatenus utramque comprehendit Catechumenorum, & Fidelium: quæ acceptio adeo in ore omnium communis eſt, ut recentiores vix aliam agnoſcant hujus nominis ſignificationem. Hinc errandi occaſionem accepit magni nominis Theologus, (1) qui ſolum noſtri temporis uſum attendens, quoties (1) apud Caſſianum, & S. Benedictum Miſſæ nomen invenit, de Miſſæ ſacrificio intellexit: ex quo ſequeretur pluries in die, imo etiam poſt prandium ſacrificia olim a Monachis oblata; quia etiam poſt Veſperas, & poſt Completorium S. Pater Benedictus ſua illa phraſi utitur, *& Miſſæ ſint, & Miſſæ fiant*. Hoc autem errore nihil abſurdius. Porro apud Antiquos Miſſæ, & Miſſarum ſolemnia plurali numero ſæpius, quam ſingulari legentibus occurrunt; vel quia duplex erat Miſſa Catechumenorum, & Fidelium; vel quia Miſſæ nomine omnia divina officia, omnemque Sacramentorum adminiſtrationem intelligebant. Ideo S. Benedictus *in Regula cap.* 60. loquens de Sacerdotibus, qui in Monaſterio ad habitum, & profeſſionem recipiebantur, ait, *Concedatur ei poſt Abbatem ſtare, & benedicere, & Miſſas tenere*; id eſt ſacrum celebrare, & Sacramenta adminiſtrare (2). In quibuſdam Editionibus legitur *Miſſas canere* (2) (3); ſed vera lectio eſt, & phraſis in Eccleſia uſitata *Miſſas tenere*. Concilium (3) Agathenſe cap. 21. Si quis extra parochias Oratorium in agro habere voluerit, ut ibi *Miſſas teneat*, juſta ordinatione permittimus. Concilium Bracharenſe primum cap. 16. Si quis feria quinta, quæ vocatur Cœna Domini, *Miſſas non tenet*, anathema ſit. Eſt autem *Miſſas tenere*, & eas celebrare, & eis intereſſe, ut in præcitato Concilio Agathenſi c. 47. *Miſſas* die Dominico ſecularibus totas *tenere* (4) ſpeciali ordinatione præcipimus. (4)

(1) *Magni nominis Theologus*) Theologi nomen, quod in primo ſuo exemplari indicaverat Emin. Author, hic reticet in ſecundo, ex majori in doctiſſimum virum reverentia. Cum vero tam clara ſit apud omnes illius doctrinæ, & eruditionis fama, ut nequidem alio iſthoc craſſiori nævo obnubilari queat, nemo vitio vertat, ſi illum indicaverim, ut cujuſque curioſitati ſatisfaciam, neve culpiam minus erudito perperam de alio ſuſpicandi occaſio relinquatur. Is eſt Jacobus Gretzerus omnibus notiſſimus, qui paſſim in ſuis Theologicis Operibus ita falſo Miſſæ nomen interpretatur.

(2) *Et Sacramenta adminiſtrare*) Ita ante Sanctum Patriarcham pluries uſurpatum legimus inter Epiſtolas Variorum ad Concilium Epheſinum in Epiſtola Theodoreti ad Alexandrum apud Chriſtianum Lupum cap. 30. & Stephanum Baluzium nov. collect. Conc. pag. 729. *Et oportebat pietas tua Epiſcopo præſentis loci præciperet, ut nec nobis, nec illis Miſſas tenere concederet, donec &c.* Item apud Baluz. in Conc. V. col. 1565. *Si enim aliquo tali dicto paſſi fuiſſemus communicare ei, qui dixit, aut Miſſas tenere &c.* Item col. 1314. 1323. & 1574. Denique in Relatione Joannis, & Epiphanii Presbyteri Theſſalonicenſis inter Epiſtolas Hormiſdæ Papæ: *Statuerunt omnes in unum Epiſcopi, ne quis Miſſas foras Civitatem teneret*. Neque tantum de Sacerdotibus, ſed & de Laicis dictum antiquitus *Miſſas tenere* formula tunc maxime a Gregorio Turonenſi, pleriſque in locis, præcipue Hiſtoriæ Franc. lib. 6. cap. 40., & alibi in Conciliis Gallicanis, priſciſque illorum temporum Scriptoribus uſurpata, quemadmodum, & *Miſſas offerre* item Laicis attributum legitur, quod ſexcentis, ut ita dicam, exemplis probare in promptu eſſet. Et revera ab univerſa Eccleſia Sacrificium Deo offertur, etſi ab uno, ſoloque Sacerdote conficiatur, & conſecretur; hinc in Sacra Liturgia idem Sacerdos dicit: *Orate fratres, ut meum, ac veſtrum ſacrificium &c. omnium circumſtantium . . . . . , qui tibi offerunt &c.* Quin & Miſſas a Laicis celebrari dictum teſtatur idem Gregorius Turonenſis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 75. ubi de S. Sigiſmundo Rege, *ſi qui nunc frigoritici, in ejus honore Miſſas devote celebrent, ejuſque pro requie Deo offerant oblationem &c.* Item in libro de gloria Confeſſorum cap. 65. loquitur de quadam muliere, quæ *per annum integrum aſſidue orationi vacabat*, celebrans *quotidie Miſſarum ſolemnia, & offerens pro anima viri*. Et poſt pauca de eadem: *quibus expletis, celebratiſque Miſſis &c.* Ita & ante Gregorium Cyprianus de oratione Dominica ſub initium: *Et quando in unum cum fratribus convenimus, & Sacrificia Divina cum Dei Sacerdote celebramus*: de omnibus etiam laicis loqui videtur. Hæc autem, & ſimilia vocabula laicis attributa non aliud ſignificare, quam Miſſam audire, auſcultare, eidem intereſſe, mox dicemus.

De Laicis etiam dictum antiquitus Miſſas tenere.

(3) *Miſſas canere*) Quamquam in pleriſque Codicibus ita legatur, haud tamen intenditur certa, & modulata voce canere, ſeu ſacris operari, *Miſſas tenere.*

rari, uti modo, maxime in Miſſa ſolemni, conſuetum noſcitur; ſed idem eſt, ac recitare, quemadmodum optime advertit Mabillonius Præf. in Sæc. 2. Bened. num. 36. Extat luculentum hujuſce ſignificationis teſtimonium apud Remigium Antiſſiodorenſem Epiſcopum in explicatione Canonis Miſſæ, dum rationem reddens, cur *Te igitur clementiſſime Pater* tacite recitetur, his verbis reſpondet: *Idcirco, ut fertur, venit conſuetudo in Eccleſia, ut tacite ipſa obſecratio, atque conſecratio a Sacerdote cantetur, ne verba tam ſacra vileſcerent*: Quo in ſignificatu eamdem vocem uſurpat Beda in Epiſtola ad Egbertum Epiſcopum nuper a Waræo edita: *Sanctus Antiſtes Ambroſius*, inquit, *hoc de fide loquens, admonet, ut verba ſymboli matutinis ſemper horis fideles quique decantent*. Denique ut plura alia omittam, eodem ſenſu Licinius Andegavorum Epiſcopus quotidie Miſſam cum ingenti compunctione cantaſſe fertur. Vide etiam infra cap. 13. num. 5.

Miſſas totas tenere.

(4) *Miſſas .... totas tenere*) Ideſt audire, eiſque intereſſe, ut optime Em. Author, cumque eodem Baluzius in Reginone, &c de Emendatione Gratiani, Dufreſnius in Gloſſario, aliique viri docti interpretantur. Lege Natalem Alexandrum in Hiſt. Eccl. ſæc. 6. cap. 5. art. 1. ad hoc Concilium Agathenſe. Neque inde, quod ibi hoc verbum *audire* non legatur, aliter interpretandum eſſe, idque nuſquam reperiri cenſendum, uti falſo Novatores exiſtimant; expreſſe enim reperitur in Concilio Pariſenſi VI. lib. 4. cap. 47. & lib. 3. cap. 6. ubi contra Laicos, qui relictis Eccleſiis Miſſas celebrare faciunt in domibus, & hortis hæc habet: *Satius igitur illis eſt Miſſam non audire, quam eam, ubi nec licet, nec oportet, audire*. Legitur id etiam in Capitul. Reg. Franc. lib. 7. cap. 431. & addit. 2. cap. 12. ubi eadem Concilii Pariſienſis verba repetuntur. Porro nemo melius Concilii Agathenſis ſenſum habere potuit, quam S. Cæſarius Arelatenſis, qui eidem præfuit, & ſubſcripſit; hic enim hom. 12. ad populum ita incipit: *Rogo vos, fratres chariſſimi, & paterna pietate commoneo, ut quoties aut die Dominico, aut aliis majoribus feſtivitatibus Miſſæ fiunt, nullus de Eccleſia diſcedat, donec Divina Myſteria expleantur &c.* Atque, ut hæc admonitio vim haberet præcepti, eam Concilii ſanctione ſtabiliri curavit. Id autem vocabulum *Miſſas tenere* ad ſignificandam Miſſæ aſſiſtentiam apud veteres uſurpatum fuiſſe teſtatur paſſim Gregorius Turonenſis in ſua Hiſtoria Francorum, præcipue lib. 6. cap. 40. ubi loquens de Oppila Laico homine apud Chilpericum Francorum Regem Hiſpanorum Legato, ait: *Exinde procedens nobiſcum ad Eccleſiam Miſſarum ſolemnia tenuit*. Cæterum Miſſam in Dominica, ac diebus feſtis ab omnibus fidelibus audiendam ex Apoſtolorum tempore plurium SS. Patrum authoritate probant Cardin. Baronius ad an. 58. Natalis Alexander Theol. Dogmat., & Mor. Tom. 1. Lib. 2. Artic. 3. Propoſ. 4. Reg. 10. pag. 103., aliique plures.

CAP. III.

Miſſæ nomen antiquiſſimum. A quibus primo uſurpatum. Epiſtolis Decretalibus ab Iſidoro Collectis, quæ fides habenda. De variis Miſſæ nominibus. Dicta a Latinis Collecta, Dominicum, Agenda, Communio, Oblatio; a Grecis Liturgia, Myſtagogia, Synaxis, Telete, Anaphora, Proſphora. Oeconomia. Tertulliani de Miſſæ Sacrificio circumſcriptiones.

§. I.

Miſſæ nomen antiquiſſimum. A quibus primo uſurpatum. Epiſtolis Decretalibus ab Iſidoro collectis quæ fides habenda.

Miſſæ nomen antiquiſſimum.

HIS de nomine Miſſæ, ejuſque notatione prælibatis, ejuſdem nominis antiquitas diſquirenda eſt. Putat Baronius anno 34. n. 59. natam hanc vocem ſimul cum Eccleſia, & a primis ejus poſt Chriſtum Fundatoribus Petro, & Paulo ex Hebraicis fontibus Romanis traditam: qua etiam uſum fuiſſe ait Jacobum fratrem Domini, & Epiſcopum Hieroſolymorum in ſua, quam poſteris reliquit Liturgia. Sed pace tanti viri, utrumque, quo nititur, fundamentum falſum eſt. Nam Miſſa non eſt nomen Hebraicum, ut ſupra diximus: (cap. 1. §. 1.) & ut concedamus legitimam eſſe Jacobi Liturgiam, quod ſuo loco examinabitur (cap. VIII. §. 3.) nomen Miſſæ non Jacobi, qui græce ſcripſit, ſed latini interpretis eſt: nec uſquam Græci Scriptores, niſi poſt multa ſæcula ea voce uſi ſunt (1). Adſtipulantur Baronio Joſeph Vicecomes, & (1) Joannes Baptiſta Scortia in ſuis tractatibus de Sacrificio Miſſæ, & Stephanus Durantus libro de Ritibus Eccleſiæ, atque alii recentiores, qui ut probent Miſſæ nomen Apoſtolicæ ætatis eſſe, & Chriſtianæ Religioni coævum, ex Romanis Pontificibus primi, & ſecundi ſeculi, teſtimonia nullius roboris coacervant: dudum enim ab Eruditis obſervatum eſt illorum Epiſtolas decre-

tales usque ad Siricium supposititias esse, (2) a quodam Hispano sub nomine (2)
Isidori (quicumque ille fuerit) sub finem septimi seculi pia fraude confictas,
& ex sententiis veterum Canonum, legum etiam civilium, & Sanctorum Pa-
trum, qui quarto, & quinto seculo floruerunt, turpi anachronismo, eodemque
fere stylo, ac dicendi charactere, magna ex parte contextas, quas primum ex
Hispania in Galliam detulit labente octavo seculo Riculfus Episcopus Mogun-
tinus (3), & inde in alias regiones disseminatæ, ac communiter receptæ sunt. (3)
Sed tandem impostura detecta est, & Baronius de his Epistolis differens anno
865. earum falsitatem agnoscit, & aperte fatetur, *ne quis*, inquit, *calumniari
possit ab Ecclesia Romana aliquid hujusmodi commentum esse*. Earum igitur te-
stimoniis tamquam falsis, & inutilibus rejectis, certiora ex veris, & legitimis
Pontificum, ac Patrum scriptis proferenda sunt. Extat primo loco epistola Pii
A secundo Christi seculo. ad Justum Episcopum Viennensem, (quam recipiunt Orthodoxi, (4) nec au- (4)
dent omnino reprobare Sectarii (5)) scripta, ut Baronio visum est, anno (5)
Christi 166. Ejus initio sic loquitur S. Pontifex: *Soror nostra Euprepia, sicut
bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc commorantes
Missas agimus*. Extat etiam alia Cornelii Papæ ad Lupicinum ejusdem Vien-
nensis Ecclesiæ Episcopum, (6) in qua ait non licuisse tunc Christianis, neque (6)
in Cryptis notioribus publice Missas agere propter acerrimam persecutionem.
Scripta est circa annum 254. & inter pseudepigraphas nec quidem ab hete-
rodoxis recensetur. Quarto seculo vixit Ambrosius, qui ep. 13. ad Marcelli-
nam sororem; *Ego*, inquit, *mansi in munere, Missam facere cœpi;* & ser. 34.
*Moneo vos, ut qui juxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quo-
tidie audiat Missam*. In oratione item præparatoria ad Missam inter genuinos
ejus partus agnita a Casaubono; Anselmo autem contra fidem veterum Co-
dicum a nupero scriptore (7) perperam tributa; *Concede mihi*, ait, *hodie*, & (7)
semper Missarum solemnia puro corde, & pura mente celebrare. Augustinus
Ambrosio æqualis serm. 91. de temp. *In lectione quæ nobis ad Missas legenda
est*. Item serm. de temp. 237. *Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis, ma-
nebunt Fideles*. Ruffinus Aquilejensis in latina interpretatione Clementis Ro-
mani Missæ nomine usus est, cum in textu græco nomen Liturgiæ, sive Sy-
naxis, invenit. Quinti seculi testis, & assertor est S. Leo cognomento Ma-
gnus, qui epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum sacrificium iterari jubens,
cum una celebratio multitudini populi non sufficit, *Necesse est*, inquit, *ut quæ-
dam pars populi sua devotione privetur, si unius tantum Missæ more servato,
sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint*. Victor
Africanus ejusdem temporis scriptor initio lib. 2. Wandalicæ persecutionis,
Liberum arbitrium habetis in Ecclesiis vestris Missas agere. Paulinus, non ille
celebris Nolanus Episcopus, sed alius, qui paucis post illum annis vixit, in
vita S. Martini lib. 4.

Præcedat Missam miseratio, gratior hæc est
Hostia, mandatum faciens prius obtege nudum (8). (8)

Idque communiter pro Christiano sacrificio a veteribus usurpatum. Porro Ambrosius, Augustinus, & alii citati eo nomine usi sunt tanquam con-
sueto, & dudum Fidelibus usitato, ut patet: qui usus post Augustini tempora
adeo communis factus est, ut superfluum sit sequentium seculorum testes pro-
ferre. Ætate vero Gregorii Magni eumdem usum invaluisse, ex epistolis, &
sermonibus ejus passim, & ex scriptoribus synchronis manifestum est. Ju-
lianus Antecessor Cpolitanus, qui primus omnium Novellas Justiniani, paulo
post ejus decessum, latinas fecit, Novellam 58. sic transfert: *Si quis in domo
sua Oratorium habuerit, non audeat in eo sacram facere Missam, nisi Clericos
Catholicæ fidei habuerit deputatos ex jussione religiosissimi Episcopi Civitatis,
vel beatissimi Patriarchæ* (9). Hanc sententiam ex translatione Juliani refert (9)

Ivo

Ivo *P.* 3. *Decreti cap.* 191. *p.* 6. *cap.* 424. Communis ergo apud Antiquos non ſolum ſacros, ſed & profanos ſcriptores, Miſſæ acceptio pro Chriſtiano ſacrificio fuit; & quamvis nos lateat, quis primum ea voce uſus ſit, liquet tamen antiquiſſimam eſſe (10), a Sanctis Pontificibus Pio, & Cornelio, quorum primus ſecundo, alter tertio ſeculo vixit, ac deinceps ubique ab omnibus Occidentalibus uſurpatam. (10)

(1) *Nec uſquam Græci ea voce uſi ſunt*) In priori ſuo MS. hæc inſuper addiderat Eminen. Scriptor (& quidem non pro Liturgia, ſed pro matutinis, & veſpertinis precibus, ut ſupra obſervatum eſt.)

Decretales uſque ad Siricium ſuppoſititiæ.

(2) *Decretales uſque ad Siricium ſuppoſititias eſſe*) Eas ſcilicet, de quibus nulla apud SS. Patres, aut veteres Scriptores eſt mentio; non enim agimus de Epiſtolis Pii, de quibus infra, S. Cornelii, quæ extant inter opera S. Cypriani, nec de Epiſtolis Julii I., quæ a S. Athanaſio referuntur Apologia 2. neque de Epiſtolis Liberii, quæ a S. Hilario in fragmentis recenſentur, nec denique de Epiſtola Damaſi ad Epiſcopos Illyrici, quam Theodoretus lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 22. exſcripſit, aliiſque ejuſdem Pontificis Epiſtolis apud S. Hieronymum extantibus: item in Collectione Romana apud Lucam Holſtenium pag. 37. 42. & 180., cæteriſque alibi apud Eccleſiaſticos antiquos Authores relatis; eas enim genuinas eſſe omnes eruditi conſentiunt. Sed de illis eſt ſermo, quæ ſub cujuſdam ignoti viri Iſidori Mercatoris nomine nuncupati circumferuntur. Has itaque Epiſtolas poſt Baronium in notis ad Martyrolog. Rom. ſub die 16. Octobris, & Annal. Tom. 10. ad An. 863. Bellarminum infra citandum, Perronium Cardinales ampliſſimos, duo alii eruditiſſimi Purpurati item ſubditus affirmant, Celeſtinus Sfondratus in ſuo Regali Sacerdotio nov. edit. 1693. paræn. prævia ad Lectorem, & Henricus de Noris Hiſt. Pelag. lib. 2. cap. 24. His accenſendi Petrus de Marca Archiep. Pariſien. de Concord. Sacerd., & Imp. lib. 3. cap. 5. ac de Primatu Lugdunen. §. 8., ejuſque Scholiaſtes Steph. Baluzius Præf. ad Regin. n. 3., & Præf. ad Ant. Auguſtinum lib. de Emend. Gratiani num. 1. Carolus de Cointe Annal. Eccl. Franc. Tom. 6. ad An. 785. pag. 265. Item clariſſimi viri Chriſtianus Lupus in Scholiis ad Canones par. 4. in Dictati Gregorii VII. can. 3. pag. 362. edit. primæ in 4. & ad VII. Concil. Rom. pag. 524. & p. 3. Diſſert. 1. Procem. de Latini Cleri continentia pag. 59. & p. 1. ad Can. 9. Concil. Chalcedon. pag. 549. Emmanuel Scheleſtratius Antiq. illuſtr. par. 2. Diſſert. 3. cap. 5. Pagius uterque, ſenior in Crit. Baronii ad Ann. 100. num. 4. & ad annum 865. num. 4. Junior Brev. Geſt. Pontif. in Anacleto num. 4. Nicolaus Antonius Biblioth. Hiſp. Tom. 1. pag. 142. n. 196. Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſæc. 1. Diſſert. 21. Art. 1. Daniel Papebrochius in Conatu Chronico Hiſtor. ubi de Nicolao Papa I. Ambroſius Gardeboſc Hiſt. Eccleſ. Tom. 2. par. 2. Diſſert. 3. pag. 127. Denique Sirmondus, Petavius, Ducæus, Boſquetus, Mabillonius, aliique nobiles bene multi ex eruditorum choro ſcriptores, & noviſſime Hiacynthus Graveſon Hiſtor. Eccleſ. Tom. 1. pag. 23. & 184. edit. Venetæ.

Hinc optime Labbeus Tom. 1. Conc. col. 78. ait, prædictas Epiſtolas videri adeo deformes perſpicacibus viris, ut nulla arte, aut ceruſſa, aut purpuriſſo fucari poſſint; & ſane, ſi quæ in ipſis Epiſtolis Iſidorus collegit, aut potius effinxit, firma, certaque eſſe dixerimus, in id profecto diſcrimen res noſtræ adductæ ſorent, ut ea ex parte periclitari videretur Eccleſia (inquit Cardin. Baronius in Notis ad Martyrol. Rom. loco citato) quod & ex nonnullis, quæ ſequerentur, abſurdis luculenter oſtendit, atque illarum Epiſtolarum impoſturam, putidaſque, ac nullius pretii eſſe hujuſmodi merces Mercatoris detegit, his deinde verbis concludens: *faceſſant hæc: non inniſitur, vel fulcitur paleis Dei Eccleſia, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis.* Ea propter valde mirandum ſubit fere unicum ex recentioribus eruditiſſimum Cardinalem de Aguirre a tot illuſtrium Scriptorum ſententia recedere Tom. 1. Conc. Hiſp. Diſſert. 4. ubi eaſdem Epiſtolas cum Turriano, Binio, ac Malvaſia, uti genuinas amplectitur, & defendit; at quamvis pene labentes ſuſtinere conetur doctiſſimus Princeps, unus tamen pugnat in millenos, atque adeo deſperata eſt cauſa, ut vel optimum nacta patronum fulciri, & obfirmari non poſſit, uti ſcite nuperus Scriptor Joannes Bernardus Pozzolus in ſuo Rationali Rom. Pontif. lib. 2. par. 1. cap. 12. Cui & alium addo nuperrimum Scriptorem clariſs. Cajetanum Cenni Baſilicæ Vaticanæ Presbyt. Benefic. in ſua Antiquitate Eccleſiæ Hiſpanæ Tom. 1. Diſſert. 2. cap. 2. num. 1. pag. 106 ubi ejuſdem Card. Bona integrum afferens textum hæc ſubdit „ Doctrina, & pie„ tate inſignem hunc Romanæ Eccleſiæ Car„ dinalem, quem præiverat pari laude, ac di„ gnitate conſpicuus Cæſar Baronius, præfe„ rendum haud dubie omnes ſentient eruditiſ„ ſimo Aguirrio, quem amor patrius, & ſtu„ dium ingens pertraxere in eorum ſenten„ tiam, qui interpolatas eas tantum agnoſcunt „ Epiſtolas; etenim Augiæ ſtabulum faciliori „ quis negotio purget, quam Pſeudo-Iſidori „ Decretales detergat. Equidem pro certo ha„ beo futurum omnino neminem, qui Aguir„ rio malit audire hac in re, quam Bonæ, & Ba„ ronio (addo Perronium, Bellarminum, Sfon„ dratum, tres alios mox citatos Cardinales.) „ Quare Decretales omnes ante Siricium Pſeu„ do-Iſidorianæ Collectionis reſpuo, neque „ ullum inde certum argumentum ad Eccle„ ſiaſticam vetuſtatem comprobandam afferri „ poſſe cum recentioribus eruditis pronuncio „ Hæc Cennius Cardinalis noſtri nomini, & doctrinæ obſequentiſſimus, qui & cap. 3. n. 16. iterum de iiſdem Decretalibus uti ſubditis, ac nothis differit. Porro eidem Aguirrio viriliter reſpondet, ejuſque rationes, & momenta graviter infirmat Petrus Couſtantius Mon. Bened. Cong. S. Mauri in ſuis Epiſtolis Sum. Pont. præf. ad lectorem num. 160. & ſeq.

Non tamen ob id omnino proſcribitur, cum nihil contra fidem, & diſciplinam, in illis deprehendatur, uti falſo prætendunt Sectarii.

Verum etſi eximiis hiſce, & Catholicis Authoribus dictæ veterum Pontificum Epiſtolæ ſuſpectæ ſint, non inde arguitur eas omnino proſcribi, quaſi plurium in fide, & diſciplina errorum fuligine conſperſæ exiſtant, uti Blondellus, aliique ſectarii, hujuſque furſaris ſcriptores falſo præſumunt, illas namque Emin. noſter ex ſententiis veterum Canonum, Leguin etiam Civilium, & Sanctorum Patrum, qui quarto, aut quinto ſæculo floruerunt, pia fraude contextas eſſe fatetur, in quibus certe nihil contra fidem, & diſciplinam deprehendi poteſt, cui ſententiæ ſubſcribunt Petrus de Marca loco ſupracitato, aliique plures; id ſolum affirmare intendit Purpuratus Author veterum Pontificum nomine, quæ circumferuntur, Epiſtolas eorumdem germanos fœtus non eſſe, quod utique magno rationum pondere, totque clariſſimorum virorum teſtimoniis perſpicuum eſt. Cæterum mediam optime ineundo viam, atque intacta lite, Petrus Annatus in ſuo Apparatu ad Theologiam poſit. Tom. 2. lib. 6. art. 5. momentis bene multis affirmat, quod etſi haud ſatis conſtet, has Decretales uſque ad Siricium genuinaſne, an ſuppoſititias eſſe, conſtat tamen illas Theologi veneratione dignas haberi, ſaltem ubi Sacris Canonibus non adverſantur. Atque hæc uberius dicta ſint, ne videatur Natalem Alexandrum in ſcholio Apologetico ad locum ſupracitat. fruſtra in hujus ejuſdem ſuæ ſententiæ defenſionem Emin. noſtrum hoc loco, ejuſque textus authoritatem allegaſſe.

Riculpho Moguntino a nonnullis tributa Decretalium Collectio, ſed verius Benedicto Levitæ tribuenda.

(3) *Riculphus Epiſcopus Moguntinus*) Ita plane, ſi fides Hincmaro Rhemenſi, qui id aſſerit cap. 24. libri ſui adverſus Hincmarum Laudunenſem; verumtamen harum Decretalium Collectorem fuiſſe hominem Germano-Francum, tum ex ſtylo noni ſæculi, tum ex idiotiſmis illius gentis facile colligitur, tum etiam quia earumdem Epiſtolarum pleræque Gallis, vel Germanis ſunt inſcriptæ, citaturque in his Epiſtola Abbatiſſæ cujuſdam Gallicæ ad Bonifacium Moguntinum, alteraque ejuſdem Epiſcopi. Hinc alii, non Hiſpano authori, ſed Franco, & quidem Riculpho prædicto Moguntino, qui anno circiter 814. obiit, eam Collectionem tribuunt. Sane Benedictus Levita in præfatione ſuæ Collectionis dicit quidem ſe Decretales veterum Pontificum Epiſtolas ex Archiviis Eccleſiæ Moguntinæ deprompſiſſe, unde & Riculphus eas hauſerat, & ubi ab Aurgatio ſucceſſore ſuo inventæ fuerant; at non dicit illas de Hiſpania allatas fuiſſe, uti Hincmarus Remenſis præfatus ſcribit. Præterea, ut integra hujuſmodi Collectio Riculpho adſcribatur, obſtat temporis ratio; quippe quod in Urbani, & Joannis III. Pontificum Epiſtolis loca inveniuntur deſumpta ex Synodo Pariſienſi ann. 829. quindecim a Riculphi obitu annis habita; quare non admodum a veritate alienum putaverim, ſi hæc Epiſtolarum congeries Benedicto potius Levitæ tribuenda credatur, qui cum anno circiter 850. tres poſteriores Capitularium libros adjecerit, eiſque nonnullas ex hiſce Epiſtolis inſeruerit, valde ſuſpicandum videtur eaſdem, ſi non a Riculpho confictas, ab ipſo fortaſſe collectas, & a Benedicto Diacono Moguntino recognitas, auctas, & in hanc, quam nunc habemus, Collectionem redactas. Cæterum hæ putæ conjecturæ ſunt, ex quibus nihil certe diffinias. Hoc unum pro veritate aſſerendum, incertum eſſe, quis, qualiſque fuerit Iſidorus Mercator harum Epiſtolarum artifex. Porro de hiſce Epiſtolis Decretalibus iterum infra parte 2. cap. 21. §. 5.

Hujus Controverſiæ Chronotaxin deſcribitur.

Utautem hujuſmodi Controverſiæ originem, & chronotaxim breviter indicemus, præter Hincmarum præfatum, qui eam Collectionem agnoſcere detrectaverat, Eraſmus de eadem dubitare cœpit, exinde Centuriatores Magdeburgenſes. Antonius vero Contius in Bituricenſi Academia anteceſſor præfatione notis ſuis in Corpus Juris Canonici præfixa bene multas rationes adduxit, quibus Pontificum, qui Silveſtrum præceſſerunt in ejuſdem Juris editione Plantiniana, quæ an. 1547. prodiit (de qua omiſſa Contius poſtea queſtus eſt lib. 1. lect. ſubcif. cap. 10. ſub fin.) ipſum quoque Antonium Auguſtinum de eorundem Decretalibus nonnullam ſuſpicionem habuiſſe, quidquid ex adverſo oppoſuerit Card. de Aguirre, non inepte colligit Doviatius ex ejuſdem Antonii verbis in notis ad Adriani I. Collectionem in cap. 30. qui Doviatius lib. 2. cap. 22. num. 4. bene probat earum fidem ambiguam fuiſſe. David poſtea Blondellus integro volumine ann. 1627. Genevæ edito, cui Pſeudo-Iſidori nomen fecit, non jam dubias, ſed certo falſas oſtendere conatus eſt, ex cujus momentis Doviatius præfatus, ubi ſupra num. 6. concludit Blondellum has Epiſtolas impugnando, res iis comprehenſas confirmare; nam cum id ibi potiſſimum urgeat Calvinianus miniſter, ea nempe quæ in dictis Epiſtolis continentur, maxima in parte deſumpta eſſe ex operibus, ſcriptiſque Pontificum, authorumque ætate, uno ſcilicet, aut altero ſæculo poſteriorum: hi autem Scriptores, quibus earumdem Epiſtolarum verba, & ſenſa ille concedit, antiqui ſint, & optimæ plerumque notæ, plane conſequitur, quod licet aliunde certiſſimis argumentis conſtet, quæcumque ad Eccleſiæ Romanæ gloriam, & authoritatem in iis Epiſtolis exprimuntur, ſi non Pontificibus, quorum nomine vulgantur, tribui adjudicanda, aliis ſaltem vetuſtis Patribus, & Eccleſiaſticis Authoribus illorum temporum vicinis, aut ferme coævis probata, accepta, & credita in Eccleſia fuerint. Plura item de hiſce veterum Pontificum Decretalibus, earumque notitia Gibertus, & ipſe Gallus Canoniſta apud P. Michaelem Ord. SS. Trinitatis Excalc. noviſſima Bibliographia Tom. 2. pag. 122. ubi quæ circa hujuſmodi Controverſiam ab Authoribus hinc inde afferuntur, ſtrictim recitat, atque objectionibus in contrarium allatis plane ſatisfacit.

His tamen non obſtantibus, quas innuimus, ſuppoſitionis notis, aliiſque pluribus obſervatis apud authores, qui dedita opera de iiſdem antiquis Decretalibus Epiſtolis, earumque dubietate differuerunt, illæ, Pontificum ſcilicet priorum quatuor ſæculorum receptæ fuere, atque ut legitimæ in omnibus Canonum Collectionibus appoſitæ poſt ſæculum octavum, quo prodiere, conditis in ipſis etiam, quæ authoritate publica confectæ ſunt; etenim in Collectione Gregoriana extant capita XIV. ex iis Epiſtolis deſumpta, quæ laudantur in Inſtitutio-

tutionibus Eccleſiaſticis, & Beneficialibus p. 9. Hanc dignitatis prærogativam illibatam nemine reclamante ſervavere uſque ad ſæculum XVI. quo Centuriatores Magdeburgenſes earum conditionem, & fidem elevantes in litem vocarunt, tumque plures Catholici, quibus anſam dedit Eraſmus, atque inter cæteros Contius præfatus, qui item in ſua poſteriori Præfatione ad dictum opus Canonicum abs ſe editum eodem ac antea conſilio notat in Gratiano multos eſſe Canones apocryphos, & ſuppoſititios. Hactenus de dubiis veterum Pontificum Decretalibus Epiſtolis, nunc de iis eorumdem, quæ a pleriſque præſertim Catholicis, uti genuinæ, & legitimæ admittuntur, diſſerendum.

Pii Papæ Epiſtolæ receptæ a nonnullis, aliis dubiæ.

(4) *Quam recipiunt Orthodoxi*) Non omnes ex Catholicis hanc Epiſtolam, uti germanam admittunt. *Neque magis*, inquit Labbeus apud Pagium in Critica Baronii ad an. 165. num. 3. *probantur duæ Epiſtolæ Pii Papæ ad Juſtum Viennenſem Epiſcopum, quas ex Archivio Viennenſi deſumptas Baronius Annalibus inſeruit*: Ita & reliqui recentiores. Eas uti ſpurias rejicit in appendice ad Epiſtolas Sum. Pontif. Petrus Couſtantius, qui pluribus argumentis ita habendas ibi demonſtrare nititur. Verum etſi cum Bellarmino lib. 2. de Rom. Pontif. c. 14. ubi de hujuſmodi Epiſtolis, in eas aliquos errores irrepſiſſe non negaverim, qualis eſt, quo dicitur, ibi Eleutherium jam fuiſſe Presbyterum, qui ſub Aniceto Pii ſucceſſore Diaconum egit, uti teſtatur Hegeſippus apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 22. & ſcribit Hieronymus in Aniceto, nec propterea indubitatas affirmare audeam: certe tamen antiquiſſimas eſſe nihil dubito, cum has eaſdem Pii Epiſtolas Ado Viennenſis item Epiſcopus, qui ſæculo nono floruit, commemoret in ſuo Chronico his verbis: *leguntur aliæ duæ prolixiores Pii Papæ Epiſtolæ, de quibus alii diſſerunt*: indeque jam tunc notiſſimas fuiſſe comprobatur.

Etiam a Sectariis receptæ.

(5) *Omnino reprobare Sectarii*) Sane hanc Pii Epiſtolam plures ex heterodoxis, & eorum precipue critici acutiſſimi Salmaſius in Appar. ad libros de Primatu pag. 60. & Blondellus in Apologia pro ſententia Hieronymi ſect. 2. cap. 4. reprobare non auſi ſunt, unde ſi minus Epiſtolas Pio tributas genuinas eſſe ſuadetur, illud ſane evincitur eas, ſi tamen efficæ fuerunt, quarto, vel quinto ſæculo fabricatas fuiſſe, uti ſcite admodum inquit nuperus Scriptor Nicolaus Antonellus in ſua erudita Diſſertatione de Titulis, quos Evariſtus diſtribuit pag. 11. quod ſatis foret ad Miſſæ nominis adſtruendam antiquitatem a duodecim, & ultra ſæculis deductam.

(6) *Cornelii ad Lupicinum Viennen. &c.*) Hæc etiam Epiſtola ejuſdem fidei, & authoritatis, ac antecedens a pleriſque rigidioribus criticis habetur, a pluribus vero tamquam genuina admittitur ex ſtyli ſimplicitate, quæ vere tertium ſæculum redolet. Et ſane hanc ſicuti præcedentem ambas invictis rationibus, ac momentis a criticorum cenſuris ſtrenue vindicat cl. Præſul Juſtus Fontaninus in ſua poſthuma Hiſtoria Literaria Aquilejenſi lib. 2. cap. 4. num. 2. Cæterum etſi primis tribus Eccleſiæ ſæculis de *Miſſæ* vocabulo certiſſima deſideretur teſtimonia, eam tamen vocem antiquiſſimam eſſe omnes conſentiunt. Et quidem eadem vox legitur in veteri verſione Epiſtolarum S. Ignatii Martyris Epiſt. ad Smyrnæos num. 8. apud Cotelerium PP. Apoſtol. Tom. 2. pag. 153.

Latina verſio Epiſt. S. Ignat. antiq. & probat.

Neque objiciat quiſpiam latinam harum Epiſtolarum verſionem tantæ non eſſe authoritatis, quin illius fidei detrahi ullatenus poſſit, utpote ſequiori ævo prolatam; Epiſtolarum quippe Ignatii Latinum interpretem vetuſtiſſimum fuiſſe nemo eſt, qui inficias eat; illum enim ita uno ore appellant nedum Uſſerius, & Voſſius illius verſionis editores, verum etiam reliqui inter eoſdem Proteſtantes, & apud ipſos magni nominis viri Pearſonius, Hammondus, Cavæus, aliique. Sane ſi poſt Euſebium ſtatim Ignatii Epiſtolæ unanimi conſenſu ab omnibus Chriſtifidelibus receptæ fuerunt, ut ait Dupinius, & innumeris Eccleſiaſticis Authoribus citatæ, neceſſe eſt pro Latinis earum aliquam verſionem tunc temporis extitiſſe, quod & momentis aliquot probabiliſſimum eſſe demonſtratur. Moveor primum ex S. Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi authoritate, qui cum Smyrnæus gente fuiſſet, ac Sancti Polycarpi diſcipulus, ab eo utique Ignatii amiciſſimo exactam Scriptorum ejus notitiam didicit, quorum præcipuam mentionem facit lib. 3. cap. 28. adv. hær.

Irenæi Librorum latina verſio antiquiſſima.

Porro Librorum Irenæi verſionem antiquiſſimam eſſe, Tertulliano quidem recentiorem, poſtremis vero S. Auguſtini temporibus antiquiorem, ac proinde exeunte ſæculo quarto factam, peculiari Diſſertatione oſtendit Henr. Doduvellus, qui huic verſioni ortum dediſſe putat hæreſim Priſcilliani, quæ veterum Gnoſticorum fœda dogmata renovavit. Si igitur ad confutandam peſſimam hujuſmodi hæreſim in Priſcilliano redivivam latina Irenæi Operum verſio adornata eſt, ſive ab ipſomet Irenæo, uti ſuſpicantur nonnulli, & probare nititur Ambroſius Gardeboſc Hiſtor. Eccleſ. Tom. 2. pag. 257., ſive, & verius, ab alio, ut ſupra, recentioris ævi: quidni etiam Epiſtolarum Ignatii latinam interpretationem tunc factam fuiſſe credamus, ut eadem reſurgens hæreſis fortius, preſſiuſque tanti Martyris, & Apoſtolici Patris teſtimonio jugularetur, qui ibidem pluribus in locis Simonem magum, a quo Gnoſticorum hæreſis exordium: Baſilidem, a quo incrementa habuit, acriter perſtringit; & quidem in Epiſtola ad Trallianos ait: *Fugite autem & malas illius propagines, Simonem primogenitum illius filium, Menandrum, Baſilidem, totamque illius malitiæ turbam*: Et in Epiſtola ad Smyrnæos: *Euchariſtiam, & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Euchariſtiam Carnem eſſe Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt &c.* Quibus verbis plane indigitat, ac perſtringit Simonis, Menandri, ac Baſilidis diſcipulos, ex quorum impio dogmate, quo Carnis Chriſti veritatem negabant, Sacratiſſimæ etiam Euchariſtiæ veritas damnabatur. Eadem pene ad verbum refert vetuſtiſſimus Irenæi Interpres lib. 3. cap. 4., & lib. 4. cap. 14. Quare perſuaſiſſimum evincitur eumdem prorſus eſſe, qui Ignatii Epiſtolas, & Irenæi libros latinos fecit, aut ſaltem illas vel a Hieronymo, vel a Rufino nondum Origeniſta latine redditas, qui plurium Græcorum Patrum Opera ita verterunt.

Aliud

Hanc Ignatii Epistolarum versionem Latinam Gildas Badonicus 5. seculi scriptor commentavit.

Aliud indicium suppeditat Gildas Badonicus Britannus cognomento Sapiens, sed græci fernonis ignarus, qui Ignatii Epistolas commorat lib. de Castigatione Cleri Britanniæ post initium; ex quo conjicitur, & ipsum non alter, quam latinas Ignatii Epistolas vidisse, & ibi easdem hac versione notas fuisse, adeoque *Missæ* vocem antiquissimam esse jam certo constat. Neque vero ab Ambrosio primum usurpatam, uti nonnulli autumant, inter quos recens Scriptor Gallus Lazarus Andreas Bocquillot Tract. Hist. Liturg. lib. 1. cap. 1. uberius demonstratur; præclarum quippe hujus vocis *Missæ* testimonium habetur in Concilio Carthaginensi V. vulgo II. quod sub Genethlio Aurelii decessore, & totius Africæ Primate ejusdem Urbis Episcopo ab Africanis variarum Provinciarum Præsulibus Anno 397. celebratum fuit, ubi Can. 3. statuitur: *reconciliare quemquam in publica Missa Presbytero non licere*: de quo Canone, & Concilio, vide Scheletratium Dissert. de Ecclesia Africana pag. 149. qui tamen pag. 102. fortasse Amanuensis, aut Typographi lapsu dictam Synodum an. 397. coactam profert. Hinc si plenarium istud totius Africæ Concilium usitato apud nos vocabulo Missam nuncupavit diu ante annum 397. quo obiit Ambrosius, liquido patet, jam pluribus retro annis vocem hanc ibi nedum illis omnibus Episcopis, sed & vulgo notissimam fuisse, cum Canones ab iis prolati clerum simul, & populum afficerent. Quod autem id ita fuerit, plane constat ex sequenti Concilio Carthaginensi VI. vulgo III. dicto an. 397. celebrato, de quo Scheletratius loco mox indicato Dissert. 3. cap. 7. pag. 198. ubi can. 29. ab iisdem Patribus decernitur, *ut Missa nonnisi a jejunis celebretur*. His addi potest Concilium Milevitanum an. 416. can. 12. ubi dicitur: *Placuit, ut preces, vel orationes, seu Missæ &c. ab omnibus celebrentur*. Quibus positis, & æquo jure perpensis, item perspicue constat, quam falso asseruerit Petrus Martyr Vermilius dictus in suis Locis communibus 4. classe, cap. 12. num. 5. usum hujus nominis *Missa* prout accommodatur celebrationi Eucharistiæ, significatque Sacrificium novæ legis, tantum cœpisse circa tempora Augustini, cum non tam ipse, quam Ambrosius, sed plerique ante eos, & qui paulo post floruerunt, S. Leo Magnus Epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum, Victor Vitensis Episcopus Africanus lib. 2. Vvandalicæ persecut. eodem nomine utantur, tamquam consueto, & jamdudum fidelibus usitato.

Missæ nomen non ab Ambrosio primum usurpatum, sed & longe antea ipsum in Ecclesia notum.

(7) *Anupero Scriptore*) Is est Theophylus Raynaudus, cujus tunc viventis, & amici nomini ex modestia pepercit Em. Auth. De eodem vide infra lib. 2. cap. 1. §. 2. ubi de hac differitur oratione.

(8) *Faciens prius obtege nudum*) Alcimus Avitus Archiepiscopus Viennensis, qui circa finem sæculi V. floruit, *Missæ* nomen commemorat Epist. 1. ad Gundobaldum Regem, de qua supra cap. 1. §. 6. Sidonius Apollinaris Arvernorum Episcopus, qui medio eodem sæculo quinto claruit, Librum de Missis composuit, uti testatur Gregorius Turonensis lib. 2. Hist. Franc., qui & ipsi libro Præfationem adjunxerat; utinam deperditus liber iste ad nos pervenisset, certissima sane plurima haberemus Liturgicarum antiquitatum monumenta, quæ nos latent. Idem Gregorius Turon. pluries hoc nomen *Missæ* commemorat lib. 2. de mirac. S. Martini cap. 14. in Vitis Patrum. cap. 16., & alibi passim. Cæsarius Arelatensis Episcopus, qui sexti sæculi initio vixit, Serm. 80. dolens de iis, qui ante Sacrificii finem de Ecclesia exibant, sic ait: *Tunc non sunt Missæ, quando divinæ Lectiones recitantur in Ecclesia, sed quando munera offeruntur*: & paulo post: *qui vult Missam ad integrum celebrare, usquequo benedictio populi detur*. Possem & alios antiquos Patres idem de *Missæ* nominis vetustate sentientes afferre, sed hucusque memorati sufficiant.

(9) *Et beatissimi Patriarchæ*) Idem supra Const. 7. cap. 11. vocem *Liturgiam* vertit in Missam, ut in suis notis ad has Constitutiones observat Gothofredus. Vide etiam Cujacium. Ita pariter hanc vocem in *Missam* vertit latinus interpres Epistolarum var. PP. ad Concilium Ephes. qui pene eodem sæculo floruit, cap. 12. 20. cap. 204. apud Christianum Lupum, & Baluzium earum editores.

(10) *Liquet tamen antiquissimam esse*) Et sane admodum credibile est primos fidei notæ Propagatores, & Vindices, veteresque Christianos, Occidentales maxime, seu Latinos summo consilio hujusmodi tunc obscuro Missæ nomine ad divinum Sacrificium apud ipsos significandum usos fuisse, ut nempe profanis hominibus, & Christiani nominis hostibus tam insigne Mysterium occultaretur, quemadmodum Sacram Eucharistiam, quæ a Pontifice ad Presbyteros titulares mittebatur, communi, & vulgari nomine Fermentum iidem appellabant, vocabulo Gentilibus quoad Eucharistiæ significationem ignoto; ficque iis, qui de Missæ dictione inquirerent, communi denominatione, quæ dimissionem populi denotabat, respondere, absque eo quod aliam inter ipsos fideles tantum notam nuncupationem Sacrificium indicantem edicerent. Nec alicui id mirum videatur; antiquissimi enim Christianorum, (ut ex Ludolpho Chartusiano Saxone Comment. in Vita D. N. Jesu Christi cap. 6. num. 63. refert Petrus le Brun Tom. 3. explic. Missæ Dissert. 12. art. 1. atque omnibus eruditis notum est) cum per tria fere Sæcula publicos cœtus habere non liceret, in speluncis, & cryptis, sed plerumque in Cœmeteriis cultui sacro vacare cogebantur; Gentiles enim eos ubique turbabant, & omne sacrum instrumentum diripiebant. Igitur Panes, Vinum, Calicem, & alia ad Sacram Synaxim pertinentia palam ferre non poterant, sed vel linteaminibus involuta, vel aliter occultata ad locum, ubi Ecclesia congregata erat, portabant. Quod & observat Casalius de veter. Christianorum Ritibus cap. 9. atque ante ipsum Joseph Vicecomes de Missæ Rit. lib. 1. cap. 7. hæc subdens: *Satis constat veteres Ecclesiæ Scriptores legentibus, fidei Christianæ mysteriis imbutos olim summo studio elaborasse, ut mystica sua Sacra Gentilium non modo oculis, sed etiam intelligentiæ subducerent*. Sicut igitur locum, tempus, Vasa Sacra, Libros, aliaque instrumenta ad Dei cultum spectantia summo studio Gentilibus occultabant prisci Christifideles, ita etiam Sacrificium ipsum, Sacramque Eucharistiam sub obscuris nominum *Missæ*, & *Fermenti* involucris celare satagebant, ne alienis, profanisque hominibus sacra Mysteria proderentur.

Sacrificium Christianum Missa dictum ut infidelibus occultaretur.

§. 2.

§. II.

De variis Miſſæ nominibus. Dicta a Latinis Collecta, Dominicum, Agenda, Communio, Oblatio.

Varia Miſſæ nomina.

QUia vero nomina ad abditas rerum naturas, & proprietates, quantum fieri poteſt, exprimendas a Sapientibus inventa ſunt: res autem altiſſimæ, & ſupernaturales adeo humanum intellectum excedunt, ut non ſolum nominari, ſed nec concipi quidem poſſint; hinc factum arbitror, ut Sancti Patres ad explicandum hoc Myſterium plura vocabula excogitarint, de quibus nonnulla hic adnotanda ſunt, quæ ad hanc tractationem illuſtrandam plurimum conferent.

Collecta. Latinorum nominum primum & uſitatiſſimum eſt *Collecta*, quia colligitur in unum populus, ut ſacrificio interſit: quo ſenſu etiam in veteri teſtamento *Levit.* 23. *Deuter.* 16. cœtus fidelium, dieſque ſolemnes *Collecta* dicebantur. Tertullianus in fine libri de fuga in perſecut. *Sed quomodo colligemus? Quomodo Dominica ſolemnia celebrabimus? Poſtremo ſi colligere interdiu non potes, habes noctem.* Optatus Milevit. lib. 2. *Non enim grex, aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit, Baſilicas, locum ubi colligerent, non habebant.* Irenæus lib. 3. cap. 3. *Confundimus omnes eos, qui quoquo modo præterquam oportet, colligunt.* Auguſtinus in Breviculo Collationum cum Donatiſtis in Collatione tertiæ diei: *Confitebantur ſe Collectam, & Dominicum egiſſe.* In Actis Sanctorum Martyrum Saturnini, & Sociorum apud Bollandum die 11. Februarii, oblati fuiſſe Proconſuli dicuntur, quia *Dominicum.* contra interdictum Imperatorum *Collectam*, ſive *Dominicum* celebraſſent (1). (1) Sed quia colligi in unum populus, & convenire ſolebat, non ſolum ad Sacrificium, ſed etiam ad alia divina officia peragenda, Veteres *Collectæ* nomine pro quovis ſolemni conventu utebantur. (2) Hieronymus in Epitaphio Paulæ, (2) *Poſt Allelujа cantatum, quo ſigno vocabantur ad Collectam.* In ſynodo S. Patritii tom 1. Conciliorum Angliæ, *Quicumque negligentiæ cauſa ad Collectas mane, vel veſpere non occurrerit, alienus habeatur.* De aliis hujus nominis ſignificationibus agam commodius lib. 2. cum *de Collectis* ſermo erit.

Dicitur ſecundo *Dominicum*, ut ex locis modo citatis conſtat, quia nimirum maxima, & præcipua functio eſt, quæ ex Domini inſtitutione, & præcepto in Eccleſia peragitur. Clare Cyprianus epiſt. 63. ad Cæcilium, *Numquid ergo Dominicum poſt cœnam celebrare debemus, ut ſic myſticum calicem frequentandis* Dominicis *offeramus*? & lib. de op. & eleemoſynis: *Locuples, & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ panem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis.* Auguſtinus item ep. 86. verſus finem loquens de ſermone Pauli in Troade, *Per diem*, inquit, *hora* Dominici *fuerant congregati*, hora ſcilicet celebrandi ſacrificii. Hinc vox illa Chriſtianorum, quæ in actis proconſularibus S. Saturnini ſæpius legitur: *Chriſtiani ſumus, & ſine* Dominico *eſſe non poſſumus*: Dominicum *cum fratribus celebravi: Non poteſt intermitti* Dominicum. Et in Romano Martyrologio 8. Kal. Januarii multa millia Martyrum commemorantur, qui Nicomediæ cum ad *Dominicum* in Chriſti Natali convenisſent, juſſu Diocletiani in Eccleſia clauſi, incenſo igne conſumpti ſunt. Templum quoque, ſive locus, in quo ad ſacrum celebrandum Fideles conveniebant, Dominicum olim dicebatur, ut infra Cap. 19. explicabo.

Tertio, in Concilio Carthaginenſi ſub Celeſtino Papa (vulgo II. anno 390. *Agenda.* can. 9.) vocatur *Agenda* his verbis, *Numidius Epiſcopus Maſſylitanus dixit: In quibuſdam locis ſunt Presbyteri, qui aut ignorantes ſimpliciter, aut diſſimulantes audacter, præſente, & inconſulto Epiſcopo cumplurimis in domiciliis agant Agenda, quod diſciplinæ incongruum cognoſcit eſſe Sanctitas veſtra. Ab univerſis*

versis Episcopis dictum est : Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo Agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit. Est autem hic Canon insertus Capitularibus Caroli Magni *lib. 6. cap.* 234. & distinctius *Additione* 4. *cap.* 50. Utrobique vero decernitur, ne quis Presbyter inconsulto Episcopo celebret *Agendam* : Agendam, inquam, in singulari, non *Agenda* in neutro plurali, ut male legitur in synodo præcitata (3). Anastasius Bibliothecarius in Leone II. *Ne Mauri Episcopi Agenda celebraretur*. Ritum quoque sacrificii ordinem agendi vocat Augustinus *ep.* 118. *cap.* 6. (4). Agendam denique mortuorum passim legimus in Antiphonario S. Gregorii, & in antiquis Scriptoribus officiorum Ecclesiasticorum (5). Sicut enim *facere* apud sacros, & profanos scriptores significat *sacrificare*, ita ipsum sacrificium Agenda noncupatur (6). Levitici cap. 15. loquens Moyses de duobus Turturibus in sacrificium offerendis ait: *Faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum ;* & cap. 23. *Facietis Hircum pro peccato*. Judicum cap. 13. *Faciemus tibi hædum*. (7) Plautus in Aulularia act. 4. sc. 2. *O Fides Musi congialem plenam faciam tibi fideliam*. Virgilius ecl. 3. *Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito*. Cicero pro Muræna, *Juno, sospita cui omnes Consules facere necesse est*. Porro actio non tota Missa, sed pars ejus præcipua dicitur, nempe Canon, ut suo loco videbimus (lib. 2. cap. 11.)

(3) (4) (5) (6) (7)

Facere, *idem, ac sacrificare*,

Communio. Quartum nomen est *Communio*, quod non solum pro usu Eucharistiæ, sed etiam pro sacrificio, quo conficitur, aliquando acceptum est: non quia necesse sit plures in Missa communicare, ut ostendam, cum de Missa privata agendum erit; sed quia in ea fit consecratio, & participatio Corporis, & Sanguinis Christi, & ideo sine communione esse non potest. Damascenus lib. 4. de fide Orthod. cap. 14. inter alias hujus divini sacrificii nuncupationes, & hanc recensens ait, *Communio optimo jure appellatur, quia per illud cum Christo commercium habemus, ac carnem ipsius, & divinitatem percipimus ; atque adeo nos inter nos communicamus, atque copulamur. Quia enim ex uno pane participamus, omnes unum Christi corpus, & unus sanguis, & alii aliorum membra efficimur, Christique concorporei existimus*. Quia igitur inseparabilis est a Sacrificio ejusdem participatio, & olim extra ipsum nemo communicabat, idcirco illi communionis nomen inditum fuit. Attingunt traditam a Damasceno communionis notionem Nazianzenus Orat. 3. Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *epist.* 228. & Pachymeres ad *cap.* 3. *Hierarchiæ Ecclesiasticæ* (8).

(8)

Quinto vocari solet *Oblatio*, quia in ea Christus Agnus sine macula offertur, & immolatur, quod vocabulum communissimum est, ut ostendit Pamelius ad lib. Tertull. de cultu fœminarum cap. 11. ubi multas congerit ipsius Tertulliani, & aliorum Patrum auctoritates (9). Ennodius Ticinensis sub finem Apologetici Ecclesiam sic loquentem inducit; *Me, quam Dei summi templa repudiatis Famorum cultibus, & novæ lucis nitore gaudentem fecerunt esse conspicuam, quam a vitiis liberavit Oblatio*. Ubi perspicue pro Sacrificio incruento oblatio accipitur, licet aliæ sint ejus vocis significationes. Ita offerendi verbum pro sacrificii celebratione reperitur apud Augustinum ep. 118. *Alibi nullus dies omittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum, & Dominico*. Et apud Optatum lib. 1. *Erat altare loco suo, in quo pacifici Episcopi suo tempore obtulerunt* (10). Possem & alia nomina afferre, quæ Missam apud Latinos significant, qualia sunt *hostia, fractio Panis, Mysterium, Latria, Pignus, Sanctum, Mensa, Pretium, Bonum, Gratia*, & similia: sed de his legi possunt Joseph Vicecomes *lib.* 1. *de ritibus Missæ*, Joan. Dartis *de consec. dist.* 2. *tract. de Eucbar. cap.* 19. & diffusissime Theophilus Raynaudus in Onomastico Eucharistico (11).

(9)

Oblatio.

(10)

(11)

(1) *Collectam, sive Dominicum celebrassent*) Item apud Baluzium Miscellan. Tom. 2. pag. 59. & seq. item apud Theodor. Ruinart in Actis Mart. sinc. p. 411. Pachomius Abbas in Regula cap. 17. *In die Dominica, in Collecta, in qua offerendæ est oblatio*, & mox *de Collecta in qua &c.*

&c. Epiphanius Epiſt. ad Joannem Epiſc. Hieroſolym. *Cum igitur celebraretur Colleda in Eccleſiæ villa*: Cæſarius Arelatenſis Serm. 12. *qui enim ad Collectam, vel Eccleſiam veniens vana, vel otioſa cogitare voluerit*: Zacharias Papa in Epiſtola ad Pipinum: *de Presbyteris, & Diaconis, qui ſe a Miniſterio Eccleſiaſtico ſubtrahunt, & feorſim Collectas faciunt*. Infinita propemodum eſſent hujus notionis, & vocis monumenta, ſed iſta ſufficiant.

(1) *Solemni conventu utebantur*) Ita in Collatione Carthaginenſi apud Baluzium Collect. nov. Concil. pag. 332., & pag. 728. in Epiſtola Theodoreti, de qua ſupra: *cæpimus namque alloqui eos, & Collectas celebravimus maximas*. S. Joannes Chryſoſtomus in ſua Conteſtatione ſecunda inter Epiſtolas var. ad Concil. Epheſ. cap. 34. *Nos vero abſque Collecta tanto tempore permanentes*: Item in Libello precum Epiſcoporum Ægypti ad Leonem Imp. an. 458. ibid. apud Baluzium col. 1448., ubi de Proterio Archiepiſc. *qui cum ſolemnes Collectas celebrabat*: dicitur, atque alibi paſſim. In vita Joannis Eleemoſynarii Interprete Anaſtaſio Bibliothecario num. 68. *Cum Colleda celebraretur juxta cellulam ejus in Eccleſia Metræ convenientes &c.* Deinde poſt pauca: *Iterum Abbas Vitalius Collectam habet*. Plura de Collectis idem Emin. noſter lib. de Div. Pſalmodia cap. 16. §. 17.

(3) *Ut male legitur in Synodo præcitata*) Et apud Ferrandum Diaconum cap. 90. in addidione 4. cap. 70. apud Baluzium Tom. 1. Capitul. Reg. Franc. col. 1208., ubi integer hic Canon refertur, *Agendam* in ſingulari legitur, atque ita cum Emin. noſtro legendum eſſe affirmat. Hugo Menardus in notis ad Concordiam Regularum pag. 355. licet aliter, ac in neutro plurali hunc Canonem legat Emmanuel Schelestratius in ſua Eccleſia Africana Diſſert. 3. cap. 4. pag. 153. ex Luca Holſtenio.

(4) *Auguſt. Epiſt. 118. cap. 6.*) Et ante ipſum Innocentius I. in ſua celebri Epiſtola ad Decentium Eugub. *quem morem*, inquit, *vel in conſecrandis myſteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneas*. Sulpicius Severus in Vita S. Martini: *Admones pro conſuetudine expellare in Eccleſia populum illum ad agenda Miſſarum ſolemnia debere procedere*.

(5) *Scriptoribus Officiorum Eccleſiaſticorum*) Inter cæteros apud Vvalafridum Strabonem de Div. Offic. cap. 25. & Anaſtaſium Biblioth. ut ſupra in Leone II. ubi legitur: *Hic fecit conſtitutum .... ne Mauri quondam Epiſcopi* (Ravennatis) *Anniverſitas, aut Agenda celebretur*. Beda in Vita S. Auguſtini Cantuar. Epiſcopi: *Per omne Sabbatum a Presbytero loci illius Agendæ eorum ſolemniter celebrantur*: Item in veteri Kalendario Romano apud Allatium de Dominicis, & hebdomadibus Græcorum in fine. Operis de conſenſu Eccl. Occid., & Orient. pag. 1493. apud Joannem Abrincenſem de Eccl. off. Inquiſitionis de Presbyteris cap. 89. apud Reginonem de Eccleſ. diſcipl. alioſque apud Dufreſne in Gloſſ.

(6) *Ipſum Sacrificium Agenda. nuncupatur*) Id etiam confirmat Paſchaſius Queſnellus ad Epiſt. XI. S. Leonis Magni nota 8. ubi cum Emin. noſtro cenſet *Agendam* in libris Liturgicis idem ſignificare ac Miſſam, & actionem in Canone eſſe conſecrationem ipſam, laudatque hoc loco Emin. Authorem, doletque nimium de ipſius morte paulo ante ſecuta non ſine acerbiſſimo, ut ipſe ait, bonorum, eruditorumque omnium mœrore. Cæterum Agendi verbum, a quo *Agenda*, non eſt ita obvium, ut Sacrificium ex ſenſu ſuo ſtatim importet. Sed cum faciendi, de quo mox, ſynonimum ſit, non mirum, ſi & ipſum ad ejuſdem Sacrificii oblationem, & immolationem ſignificandam referatur; hinc Gen. 4. v. 7. *Nonne ſi bene egeris, recipies*? ideſt ſi rite obtuleris tua Sacrificia, ibi enim de his agebatur, eo quod Cain invidia, & ira in Abel fratrem ſuum correptus eſſet, videns ejus Sacrificia, & munera Deo oblata ipſi accepta, & grata fuiſſe, non ſua; quare pro *recipies* Theodotion habet: *Acceptabile erit*, id eſt, *munus tuum ſuſcipiam, ut ſuſcepi fratris tui*, inquit S. Hieronymus. Conſonant LXX. Interpretes, qui ad oblationem reſpicientes, ſic legunt: *Nonne ſi recte offeras*: quam lectionem ſequuntur SS. PP. Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, aliique apud Calmet Comment. litt. in Bibl. Tom. 1. Proinde idem pene eſſe in Sacrificiis bene agere, ac recte offerre, pleniſſime conſtat.

(7) *Faciemus tibi hædum*) Plura ſunt hujuſce ſignificationis exempla præter quæ ab Emin. indicantur: & quidem e veteri pariter fœdere Exodi cap. 29. 38. *Hoc eſt quod facies*, (Sacrificabis) *in altari agnos anniculos duos per ſingulos dies*. Ezech. cap. 45. 22. *Et faciet .... vitulum pro peccato* & v. 24. *& Sacrificium Ephi per vitulum, & Ephi per arietem faciet*. Item Oſee cap. 2. *dedi ei Frumentum, & Vinum, & Oleum, & Argentum multiplicavi ei, & Aurum, quæ fecerunt Baal*. Clarius, & Elias Propheta lib. 3. Reg. cap. 18. v. 23. ac ſeqq. loquens ad populum de falſis Prophetis Baal: *dentur nobis duo boves ... & ego faciam bovem alterum*, ſcilicet, *ſacrificabo*. Et poſt pauca. *Dixit Elias Prophetis Baal: eligite nobis bovem unum, & facite primi, quia vos plures eſtis .... qui cum tuliſſent bovem, quem dederat eis, fecerunt*: ideſt *immolarunt*. Nec deſunt in hac rem exempla ex novo etiam Teſtamento deſumpta; plerique Patrum, ac fere omnes ea Domini verba apud Lucam cap. 22. & I. ad Corinth. 11. v. 24. *Hoc facite in meam commemorationem*, ita intelligunt: *facite*, ideſt ſacrificate, quemadmodum videre eſt apud Sacræ Scripturæ Interpretes, ex quibus Hugo a S. Caro in Pſal. 76. & expreſſe Ambroſius Catharinus in Epiſt. Pauli ad hunc locum. Quod ſi & his alios etiam profanos pariter addere velimus, ii ſunt Plautus in Stich. act. 2. Scena I.

Faœere idem ac ſacrificare.

Jamne exta cocta ſunt? quot Agnis fecerat?

Cr. *Illa quidem nullum Sacrificavit*.

Idem in Rudente Act. 3. Scen. 4.

Hic nobis cum Diis facere poſtulas?

Ideſt ſacrificare, ut omnes ejus Scholiaſtæ notant. Varro item lib. 1. de Vita Pop. Rom. *Dii facientes adjuvant*: eos ſcilicet, qui rite Sacris operantur, ut monuerunt nonnulli, ſignate Moretus in Tibullum. Idem Varro lib. 5. de lingua latina cum ait: *Agnam Jovi facit*. Et Cenſorinus de die Natali cap. 1. *Quid cauſæ ſit, ut merum fundendum Genio, non Hoſtia faciendum putaverit*? Denique & apud Græcos huic verbo *facere*, eumdem ineſſe ſignificatum tradit Plutarchus lib. 8. quæſt. Conviv. cap. 8., &

perſpicue Athenæus lib. 14. ubi ait: *Veteres ſacrificare diverunt facere.*

(8) *Al cap. 3. Hierarch. Eccleſiaſticæ*) Attigit etiam eamdem communionis notionem S. Joannes Chryſoſtomus hom. 24. ubi in illud Apoſtoli: *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt, & Panis, quem frangimus &c.* Interrogat ergo Chryſoſtomus: *Cur non dixit participatio? quia amplius quiddam ſignificare voluit, & multam inter hæc convenientiam oſtendere; non enim participatione tantum, & acceptione, ſed unitate communicamus; quemadmodum enim corpus illud unitum eſt Chriſto, ita & nos per hunc panem unione conjungimur.* In eumdem ſenſum Theophylactus ad hunc locum: *Non dixit participatio ſed communicatio, ut aliquid excellentius indicet, puta ſummam unionem, quod autem dicit hujuſmodi eſt: Hoc quod in Calice eſt, illud eſt, quod effluxit e latere Chriſti, & ex eo accipientes communicamus, ideſt unimur Chriſto.* Infert inde iterum Chryſoſtomus loco cit. egregium charitatis, & unionis inter nos ipſos incentivum, quapropter & a Theophylacto, plerique alii Patribus Euchariſtia Sacramentum charitatis nuncupatur. Prædicto etiam ſenſu Euchariſtiam communionis vocat appellavit Papias in ſuo Lexico Catholico, ſive ut a Thoma Braduvardino nominatur, Elementario, quod ſcripſit circa an. 1063. *Communio dicitur, ait ille, ſpiritualis eſca, quia in communione ad vivificandas animas a cunctis percipitur dignis.* Hinc optime Joannes Morinus Exercit. Eccleſiaſt. lib. 2. Exerc. 1. de Communione Chriſtiana: „ Communionis Chriſtianæ, inquit, „ ut loquuntur Patres, Baſilius ad Amphiloch. „ cap. 4. 22. 5. & aliis, Ancyr. Concilium can. „ 4. 5. 6. perfectum, & bonum, ſummus apex, „ & coronis, laicis quidem eſt Corporis Chriſti „ participatio, Clericis vero vel cum partici- „ patione confectio, vel cum eadem partici- „ patione factum ad confectionem miniſte- „ rium. Euchariſtia igitur omnis communio- „ nis Chriſtianæ fons eſt, a quo omnia com- „ munionum genera, veluti rivuli fcaturiunt.

Miſſæ Sacrificium a Patribus Communio *dictum, & Euchariſtia Sacramentum charitatis, & unionis.*

(9) *Et aliorum Patrum authoritates*) Item Jacobus Greizerus in animadverſionibus ad Junii notas in Tertullianum cap. 3. Porro Tertullianus ipſe non obſcure oblationis nomine Euchariſtiam indigitat lib. 2. ad uxorem cap. 9. ait ibi: *"Unde ſufficiant ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat Oblatio &c.* Non alia vero oblatione, quam Euchariſtica illud confirmari in Eccleſia, idem alibi ſæpius intendit, videlicet lib. de Monogamia cap. 10. de Corona mil. cap. 3. de Exhort. ad Caſt. cap. 11. ubi iis locis Oblatio ſumitur pro incruento Sacrificio. Vide etiam Albaſpinæum lib. 1. obſerv. 5.

(10) *Pacifici Epiſcopi ſuo tempore obtulerunt*) Item apud Cyprianum Epiſt. 37. *ſignificet mihi dies, quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem gloriioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hic a nobis oblationes, & Sacrificia.* In Commonitorio, quod dedit Cyrillus Alexandrinus Poſidonio Diacono, cum illum Romam propter Neſtorii negotium mitteret; ita legitur apud Baluzium nov. Collect. Concil. p. 379. , & apud Conſtantium Epiſt. Summ. Pontif. col. 1098. , *Dicebat enim Philippo* (Neſtorius) *aliquo conſilio conventus feciſti, & in tuis ædibus oblationem peregiſti:* ideſt Sacrificium. S. Audoenus in vita S. Eligii lib. 2. cap. 20. „ Alio vero tempore cum Diœceſes ſuas, ut „ Epiſcopis mos eſt, viſitaret, extitit quædam „ juſta cauſa, ut in una Baſilica interdiceret „ curſum, vel *oblationem*; quouſque ipſe ju- „ beret celebrari ab Epiſcopis, vel Presby- „ teris. „ Quod ſtatutum defumptum eſt ex Concilio Laodiceno Can. 58. , quo decernitur non debere in domibus *oblationes* ab Epiſcopis, ſive Presbyteris fieri, & Chrodegangus Epiſc. Metenſis in Reg. Canon. cap. 72. „ Non oportet in domibus *oblationes* celebrari „,

Miſſa cur dicta Oblatio.

Quare autem dicatur *Oblatio* Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, rationem reddit S. Irenæus lib. 4. adv. hæreſ. cap. 32. & 34. *Offerimus enim* inquit, *ei, quæ ſunt ejus*: hinc ipſum Chriſti Domini Corpus, quod in Sacrificio Miſſæ offertur, per commemorationem veræ illius oblationis, Donum, Munus, paſſim a Sanctis Patribus nuncupatur. Apud Cyrillum Alexan. præf. contra Antropomorphitas cap. 12. in Liturgia Chryſoſtomi Sacerdos ait: *da, ut a me peccatore, & indigno ſervo tuo hæc dona tibi offerantur*: Pariter initio Canonis dicimus: *Supplices te rogamus, ac petimus, ut accepta habeas, ac benedicas hæc dona, hæc munera, hæc Sancta Sacrificia illibata.* Et mox ſatis innuit Chryſoſtomus, quid doni vocabulo intelligatur, dicens: *Tu Chriſte idem es, qui offers, & qui offerris*, ſeu quod idem eſt, ut alii legunt: *Tu es offerens, & oblatus, ſuſcipiens, & diſtribuens Chriſtus Deus noſter*; & ante ipſum Baſilius pariter in ſua Liturgia: *Tu es, qui offers, & offerris, qui ſuſcipis, & impertis, Chriſte Deus noſter.* Inde etiam Rupertus Abbas lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 6., & Stephanus Eduenſis de Sacram. Altaris cap. 13. obſervant binas partiales Chriſtiani Sacrificii portiones dici dona, quatenus a Deo dantur: munera autem vocari, quatenus a nobis offeruntur, quod ſcite expreſſit his verſibus Hildebertus Cenomanenſis Epiſcop. Carm. de Myſterio Miſſæ.

„ Dona vocat primum, mox munera nuncupat eſcas,
„ Poſt Sacrificii nomine cenſet eas.
„ Dona vocat, quoniam Deus has donavit, ut inde
„ Suſtentaretur lege, modoque caro.
„ Munera ſunt, quoniam Deus his donatur, & inde
„ Munerat Authorem, cum dedit Author eas;
„ Nam quod Sacrifici cenſentur nomine, monſtrat
„ Qua ratione prius munera dicat eas;
„ Scilicet ideirco quia ſacrificantur, & apte
„ Munerat authorem, qui data reddit ei:
„ Sic eadem, quæ dona vocat, cum ſacrificantur,
„ Munera ſunt, quoniam munerat inde Deus.

Stephanus II. Papa Epiſt. 4. ad Pipinum Francorum Regem Tom. 6. Concil. Labbei col. 1636. *Et munera Sancta, ideſt Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti in ſuis contaminatis vaſibus, quos ſtolles vocant, miſerunt*: Ita etiam *Sacra munera, Sanctum munus* Euchariſtiam vocat Gregorius Turonenſis lib. 7. Hiſt. Franc. cap. 32. & de Vitis PP. cap. 16. Item *Immaculata dona* Fortunatus de vita S. Martini lib. 4. aliique veterum plures, quos hic recenſere non vacat. Ad ea porro, quæ contra hanc *Doni, Muneris*

Euchariſtia *Sanctum munus, immaculatum donum* antiquis dicta.

neris nuncupationem a Patribus Euchariſtiæ tributam objiciunt Sectarii, reſpondebimus infra ad lib. 2. cap. 13. §. 5.

(11) *In Onomaſtico Euchariſtico*) Item Aloyſius Novarinus Elect. Sacr. Tom. 3. lib. 5. ubi de Euchariſtia, Natalis Alexan. Theol. Dogm. Tom 1. lib. 2. de Sacr. Euch. cap. 1. art. 1., & nuperi fere omnes Rerum Liturgicarum Scriptores, inter quos noviſſime R. P. D. Cajetanus Maria Meratus in ſuis doctis Commentariis ad Gavantum Tom. 1. initio, ubi plura de variis Miſſæ nominibus erudite congerit.

Miſſa apud Syros varie appellata.

Pariter apud Syros Miſſæ Sacrificium variis nuncupationibus appellatur, videlicet *Synaxis, Communio, Acceſſus, Oblatio, Sacramenta, Perfectio perfectionum, Confeſſio, & gratiarum Actio, Sacrificium, &c.* de quibus vide Clariſs. Joſephum Simonium Aſſemanum Biblioth. Orient. Tom. 2. pag. 177. Ritus autem antiquus Miſſæ Syriacæ ab eodem deſcribitur Tom. 1. pag. 479. de quo infra.

His omnibus addo vulgatum *Cænæ* vocabulum, quo a plerique, præſertim Sectariis, Euchariſtia nuncupatur: tum quia a Chriſto Domino veſpere in cœna fuit primum inſtituta, & celebrata; item quia eſt commemoratio poſtremæ cœnæ Domini, tum etiam quia accedentes ad hoc Auguſtiſſimum Convivium Corpore, & Sanguine Domini reficiuntur; hinc nonnullarum Eccleſiarum nata conſuetudo Euchariſtiam poſt cœnam celebrandi, de qua Auguſtinus Epiſt. ad Januarium 34. alias 118. In reverentiam tamen tanti Sacramenti prævaluit antiquiſſimus Eccleſiæ uſus, ut illa ante omnem cibum, & nonniſi a jejunis percipereatur, prout infra ſuo loco dicemus. Porro Novatores *Cænæ* nomine in Euchariſtiæ ſignificatione ad ſuos firmandos errores abuuntur, ſcilicet, ut probent primo Euchariſtiam nonniſi pluribus ſimul diſcumbentibus, & participantibus celebrari poſſe, ac miniſtrari debere; ſecundo eam non eſſe ad ægrotos deferendam; tertio a quibuslibet etiam non jejunis licite percipi poſſe, de quibus falſis opinionibus plura Samuel Baſnagius Annal. Politico Eccl. Tom. 2. pag. 265. num. 5. & ſeq. quem etiam ſuo loco ad lib. 2. cap. 17. §. 6. inviſte confutabimus. Quare nonnulli noſtrates Catholici, forte ut ſe facile expedirent, inter quos Genebrardus in Liturgia Apoſt. cap. 8. Sanctesius Repetit. 6. cap. 1. Vaſquez in 3. partem quæſt. 73. art. 4. nomen iſtud *Cænæ* rejiciendum putarunt, ne, inquit Vaſquez, communia ſint vocabula cum Hæreticis; ac proinde illum Apoſtoli locum I. ad Corinth. 11. 20. *Convenientibus vobis in unum jam non eſt Dominicam cœnam manducare*, quo textu gloriantur Sectarii, negant dicti Theologi de Euchariſtia intelligi debere. Nonnulli item, ut Maldonatus in cap. 26. Matthæi, negant *Cænæ* nomen a veteribus uſurpatum ad Euchariſtiam deſignandam, cui etiam & alii incaute acceſſerunt.

At neutris aſſentiendum profecto exiſtimaverim, non primis, quia etſi pleriſque vocibus, aut terminis Orthodoxis abutantur Hæretici, non idcirco ea vocabula ab Eccleſia removenda ſunt, cum & ſimilia a Judæis, atque etiam Gentilibus mutuata, & in ſanctiorem uſum adhibita Eccleſiam acceſſiſſe conſtet, uti ſæpe oſtendit Card. Baronius præcipue ad an. 58. num. 77. Non ſecundis, quia *Cænæ* nomen a Patribus uſurpatum mox demonſtrabimus, eumdemque uſum iis familiarem fuiſſe agnoſcit Catechiſmus Romanus p. 2. de Euchariſtiæ Sacram. num. 5. *Vetuſtiſſimi Patres authoritatem Apoſtoli ſecuti Cænæ etiam nomine Sacram Euchariſtiam interdum vocarunt, quod in illo noviſſimæ Cænæ ſalutari Myſterio a Chriſto Domino ſit inſtituta.*

Cæterum Patres *Cænæ* nomine pro Euchariſtia, ſeu Miſſa utentes, quorum bene multos refert Suarez 3. p. quæſt. 73. art. 4. additum quodam adhibere ſolent, videlicet *Cænam magnam, Cænam Evangelicam, Sacram Cænam, Cænam Dei, Cænam Dominicam*, aut aliquid aliud ſimile, non vero abſolute *Cænam* vocant Euchariſtiam abſque ullo honorabili adjecto, uti in Calvini gurguſtio vocitari aſſolet; ſic *Cœna Dominica* dicitur ab Apoſtolo Euchariſtia I. ad Corinth. 11. & ex ipſo ab Authore ſermonis de Juda proditore apud Chryſoſtomum. *Cœna Dei* a Tertulliano lib. de ſpectac. *Cœna Domini* ab Eligio Noviomenſi hom. 10. in Cœna Dom. initio. *Cœna Dominicarum carnium* a Chryſoſtomo hom. de Job, & Abraham. *Cœna myſtica* ab eodem hom. 24. & 26. in I. ad Corinth. item hom. 9. ad Populum Antioch. atque a S. Maximo in Dionyſii Areop. Eccl. Hier. cap. 3. Denique, ut alios omittam, *Cœna veritatis* appellatur Euchariſtia a Ruperto Tuitienſi lib. 3. de oper. Spir. Sancti cap. 21. ubi Cœnam Euchariſticam Cœnæ legali, quæ nonniſi typus, & imago erat hujus veritatis, opponens, eam propterea *Cænam veritatis* vocat. Vide item infra §. ſeq. not. 2.

Item variis Cænæ nominibus nuncupatur. 10.

Horum autem nominum aliquot ſpecioſam chronotaxim exhibet Daniel Waterlandus nuperus ex Proteſtantibus Londinenſis Scriptor in ſuo opere Anglice edito Londini 1737. ſic inſcripto: Recognitio Doctrinæ de Euchariſtia ex Scriptura, & antiquitate repetita: ubi cap. 1. pag. 23. eadem referuntur habita ſimul temporum ratione, quibus orta eſſe videantur. Sic Euchariſtia dicta eſt ann. Dom. 33. *fractio panis* An. 57. *Communio* ex I. ad Corinth. 10. 16. Item ex ead. Epiſt. cap. 11. 20. *Cœna Dominica*. An. 96. *Oblatio*. An. 104. *Sacramentum*. An. 107. *Euchariſtia*. An. 150. *Thyſia*, Sacrificium. Item *Commemoratio, Memoriale*. An. 249. *Paſcha*, & an. 385. *Miſſa*. Hæc ille; qui tamen exactiorem potuiſſet de iiſdem nominibus Chronotaxim proferre, maxime quoad Miſſæ vocem, hanc enim ante ſeculum quartum uſurpatam fuiſſe abunde ſatis ſupra demonſtravimus.

§. III.

Miſſa a Græcis Liturgia, Myſtagogia, Synaxis, Telete, Anaphora, Proſphora, Oeconomia dicta.

Miſſa a Græcis varie dicta. Liturgia.

A Græcis Patribus vocatur primo *Liturgia*; quæ vox apud Grammaticos quodcumque publicum munus, ſeu miniſterium denotat. Utuntur

ea in hoc ſenſu Plato, Ariſtoteles, Demoſthenes, Xenophon, Iſocrates, & alii profani ſcriptores, quorum teſtimonia proferunt Lexicographi Græci. Eadem in Pandectis hac ipſa notione reperitur, *lib.* 50. *tit.* 6. de jure immun. §. 5. *in reſcripto Marci Antonini, ac Lucii Veri*, qui Divi Fratres nuncupantur: paſſimque in Græcis legibus *Aliturgeſia* pro immunitate a publicis muneribus occurrit (1). Apud Chriſtianos autem ab ipſis naſcentis Eccleſiæ (1) incunabulis conſuetudo invaluit, ut pro ſacrificio Corporis, & Sanguinis Domini accipiatur: nulla ſiquidem functio eſt, nullum miniſterium magis publicum, quam actio Sacerdotis Deo Sacrificium offerentis. Actuum 13. vox illa *Miniſtrantibus illis Domino* græce eſt *Liturgunton*, quod quidem miniſterium nihil aliud fuiſſe creditur, quam ſacrificium, atque ideo Textum illum ſic vertit Eraſmus, *cum illi Domino ſacrificarent*. Hinc translatum Liturgiæ nomen ad ipſum contextum, & ordinem ſacrificii, cum dicimus Liturgiam Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi. Obſervat tamen vir eruditus Vincentius Riccardus in comment. ad Proclum de traditione Miſſæ, quod quando Patres vocem Liturgiæ pro ſacrificio uſurpant, ſemper Epitheton *ſacræ*, vel *myſticæ* adjungunt (2). (2)

Myſtagogia. Secundo a S. Dionyſio cap. 1. Eccleſ. hierarchiæ *Myſtagogia* appellatur, quæ idem eſt, ac ſecreta actio, divina participatio, introductio ad myſteria, unde Myſtagogicæ dictæ ſunt Catecheſes quinque Cyrilli Hieroſolymitani, in quibus diſſerit de hoc ſacrificio. Nazianzenus Orat. 17. ad Cives ſuos, alloquens Præfectum illis iratum, *Eodem*, inquit, *ore, quo hanc ad te deprecationem obeo, ſacroſanctum Myſterium peragoin Cælum nos tollens:* ubi græce eſt *Myſtagogia*. Damaſcenus etiam Orat. de Defunctis, ait eos juvari Myſtagogiis, id eſt ſacrificiis.

Synaxis. Tertio idem Dionyſius initio cap. 3. ejuſdem libri *Synaxim* nominat, hoc eſt collationem, quia nos in Chriſto ſimul adunat, & in iis, qui eadem menſa fruuntur, divinam efficit morum ſimilitudinem, animum colligens, & reducens in unum, ac Deo conjungens. Quamvis autem alii Patres hac voce uti ſoleant pro quacumque Fidelium congregatione, ſive ad Orationem, ſive ad Pſalmodiam, ſive ad audiendum verbum Dei, ut ex Caſſiano conſtat *lib.* 2. *cap.* 10. *& coll.* 2. *cap. ult.* Dionyſius tamen eam ſemper adhibet ad denotandam Liturgiam; imo Pachymeres in Paraphraſi cum utramque notionem adducat, hanc ſolam probat, aliam reijciens tanquam nimis humilem, & ingenio Dionyſii indignam: *Synaxis*, inquit, *minime intelligenda populi congregatio, prout aliqui nunc temporis vocem illam accipiunt, ſed cum Deo conjunctio, communioque* (3). (3)

Telete. Quarto ab eodem ibidem *Telete* nuncupatur. Eſt autem *Telete* Lexicographis initiatio, conſecratio, perfectio. Suidas ait eſſe ſacrificium myſteriorum plenum, maximum, & honoratiſſimum. Syneſius in fine ep. 58. de hoc Sacramento loquens *Arcanum myſterium* vocat græce *Teleten*. Plato in Phœdone *Teletas* vocat cæremonias, & 2. de Rep. *Expiationes*. Apulejus prope finem lib. 11. deſcribens ritum, quo Sacerdotio, more Ethnicorum, initiatus fuit, *Mibi*, inquit, *prædicat quæ forent ad uſum* Teletæ *neceſſario præparanda*. Et infra, *Inopinatis, & uſquequaque mirificis imperiis rurſum interpellor, & cogor tertiam quoque* Teletam *ſuſcitare*. Lucianus Samoſatenus Chriſtum blaſphemans in Dialogo de morte Peregrini ait, ipſum cruci affixum fuiſſe ob inſtitutam novam *Teleten*, novum ſcilicet myſterium, novum Sacrificium, novam Religionem. Auguſtinus lib. 10. de Civitate Dei cap. 9. de Teletis agit, magicis nimirum conſecrationibus, quibus impius Porphyrius docebat aptam fieri animam ſuſceptioni ſpirituum, & divinæ viſioni. Vera autem notio, ad quam reſpexit Dionyſius(4), cum hoc nomen ſacrificio tri- (4)

buit,

buit, eſt perfectio, & conſummatio; quia in illo Chriſtus offertur fons totius perfectionis: vel quia functio perfectiſſima eſt Chriſtianæ Religionis, vim habens perfectricem, qua carent cætera Sacramenta, quibus proinde nomen *Teletæ* nullo modo convenire poteſt, niſi iſtud acceſſerit tanquam ultima perfectio, & conſummatio. Qua de cauſa conſuevit Eccleſia reliqua Sacramenta conficere, & adminiſtrare vel intra Miſſarum ſolemnia, vel ſaltem coram Euchariſtia, quæ idcirco *Omnium Teleton Telete* dicitur, quia omnibus myſteriis, & Sacramentis ſupremam veluti manum imponit, eiſque vim & ſanctitatem largitur.

Anaphora. Quinto dicitur *Anaphora*, elevatio, ſurſum elatio: ſive ut Heſychius Chriſtianus Lexicographus explicat, ſupplicatio, & invocatio. Hoc nomine inſcribitur Sancti Baſilii Liturgia ab Andrea Maſio e Syriaco idiomate in Latinum translata. Dicitur autem Anaphora, quia ſacrificium ſurſum ad Deum fertur: vel quia Sacerdotis & aſſiſtentium corda ad eundem attollit. Nam ſi omnis oratio eſt aſcenſio mentis in Deum, multo potiori ratione hoc ſacrificio convenit, quod actum habet nobiliſſimum latriæ, & genus orandi perfectiſſimum. Optime hoc expreſſit Anaſtaſius Sinaita Orat. de Synaxi. *State obſecro cum reverentia, ſtate cum timore tremenda illa elevationis hora. Quo enim affectu, & quo animo quiſque illo tempore aſſiſtit, ſic & ad Dominum ſurſum fertur. Anaphora enim dicitur, quia ſurſum ad Deum fertur.* In Liturgia Baſilii Diaconus dicit, *Stemus cum timore, attendamus ad ſanctam oblationem*, græce Anaphoran, *in pace offerendam*. In fine item Pſalmi 50. *Tunc acceptabis Sacrificium juſtitiæ, oblationem*, græca verſio LXX. legit *Anaphoran.* (5).

(5)

Proſphora. Sexto dicitur *Proſphora*, quæ vox latine oblationem ſignificat, de qua ſupra actum eſt. Loca Sanctorum Patrum, a quibus Proſphora pro ſacrificio accipitur, multa congerit Riccardus in comment ad Orat. 6. Procli pag. 242. (6). Ego unum afferam Euſebii Cæſarienſis lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 43. ubi agit de juramento, quod Novatus extorquebat a ſuis, ne redirent ad Cornelium. *Oblatione facta*, inquit, (græce habetur Proſphora) *portionem ſingulis dividens, dum eam tradit, miſeros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit ambabus ſuis manibus comprehenſas retinens, nec prius dimittens, quam jurati iſta dixerint; ipſis enim utar illius verbis: Jura mihi per Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, te nunquam meas partes deſerturum, nec ad Cornelium eſſe rediturum* (7).

(6)

(7)

Oeconomia. Septimo Epiphanius Hær. 75. *Oeconomiæ* nomine utitur pro ſacrificio (8); idemque eſt apud illum ſacere œconomiam, ac ſacrificium offerre, ut ſcite notat Billius in ſcholiis ad Jambicum XV. Nazianzeni n. 25. Scio quidem hanc vocem frequenter a Patribus uſurpari ad exprimendum Incarnationis myſterium, ut a Tertull. adv. Praxeam cap. 23. ab Athanaſio Orat. 3. a Clemente Alex. lib. 5. Strom. a Cyrillo ſæpe in libris de Incarnatione, ab Anaſtaſio Sinaita in Odego cap. 2. & ab aliis, ſed ob ſummam connexionem Incarnationis cum Euchariſtia, pro hoc quoque myſterio non incongrue accipitur, in quo teſte Damaſceno lib. 4. de Fide orth. cap. 14. omnis Dei charitas & ſuavitas exhibita nobis eſt, quæ ſplendet in Incarnatione. Ideo Euſebius lib. 8. Demonſt. Evangel. dixit tradidiſſe Chriſtum diſcipulis ſuis *ſymbola divinæ Oeconomiæ*. Eſt autem Oeconomia provida rei adminiſtratio, ad aliorum commodum, & utilitatem ordinata, quæ tam in Incarnatione, quam in Euchariſtiæ inſtitutione mirabiliter eluxit.

(8)

Item Hierurgia Eulogia &c. Alia a Græcis divinæ Liturgiæ tributa nomina (qualia ſint *Hierurgia, Eulogia, Agathon, Myſterion, Latria, Dipnon, Telejon*, & ſimilia, quæ latine ſunt *Actio ſacra, Benedictio, Bonum, Myſterium, Cultus, Cœna, Perfectio*), ſupracitati Auctores Vicecomes, Dartis, & Raynaudus ſuppeditabunt (9).

(9)

Liturgiæ nomen Ethnicis et am pro Sacro ministerio usurpatum.

(1) *A publicis muneribus occurrit*) Ethnicos quoque nomen *Liturgiæ* ad omne Sacerdotis officium aptasse ex Vitruvio tradit Genebrardus in Liturgiam S. Dyonisii cap. 4. eam ob causam fecernens Liturgiam ab Ergasia; quæ operationem, seu actionem significat, vel ab Hyperesia, quæ simpliciter ministerium, seu mandati alicujus executionem importat. De hac Græcis communi, solemnique Christiani sacrificii denominatione plura erudite Claudius Sanctesius a nobis supracitatus in Præfat. ad Græcorum Liturgias cap. 4. Lindanus 4. Panopl. cap. 37. Edmundus Augerius lib. de Missa cap. 1. art. 3. Stanislaus Socolovius ad cap. 3. Censuræ Hieremiæ Costantinopolitani, Jacobus Gualterius Tab. Chronol. sæc. I. verit. 1. §. 16. aliique. Præ cæteris Leo Allatius lib. 3. de consens. Eccl. Occid., & Orient. cap. 15. ubi num. 10., inquit, quod licet apud antiquos *Liturgiæ* verbum alia, atque alia significet, usus tamen invaluit apud medii, posteremique temporis Scriptores, ut eo nomine actio illa, & ritus indicetur, quo Sacrosanctum Christi Corpus, & Sanguis conficitur. Vide etiam Henr. Valesium in notis ad Theodoritum lib. 2. cap. 27. & lib. 3. cap. 4. Item idem Allatius ibidem. num. 6. ait apud Græcos aliam dici *Liturgiam* simpliciter, & absque ullo addito, quæ vox cuique ministerio Sacrificii offerendi est communis, aliam Liturgiam integram, seu perfectam, in qua Eucharistiæ Sacramentum conficitur, offertur, & consummatur; hinc Græci Missam Præsanctificatorum non vocant perfectam, ad differentiam alterius, in qua consecratur, & quæ illis perfecta est. Vide etiam Zonaram, & Balsamonem ad Can. 52. Trullanum: sed & ante Allatium Græcus alter, at Schismaticus, Gabriel Severus Philadelphiensis Metropolita, inter ejus opuscula a Richardo Simonio edita pag. 58. *Dicitur*, inquit, *Liturgia accepto nomine a Jesu Deo, & homine, qui primus Liturgiam pro nobis confecit; dicit enim Beatus Paulus: Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextra Sedis magnitudinis in cœlis Sanctorum Liturgus, sive Minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.*

(2) *Sacræ, vel Mysticæ adjungunt*) De *Sacræ* epitheto Liturgiæ superaddito vanum est testimonia proferre, cum id fere omnes passim usurpent Patres; *Mysticæ* vero adjectum plerique habent. Sic Theodoretus in cap. 8. Epist. ad Hebræos, inquit, *Cur novi testamenti Sacerdotes Mysticam Liturgiam, seu Sacrificium peragunt*: Eusebius Cæsar. lib. 4. de vita Constantini cap. 71. *Divinis Cæremoniis, & Mystica Liturgia Sanctarumque precationum societate perfruit*: Concilium Trullanum Can. 32. *qui Mysticum Missæ Sacrificium nobis scripto tradiderunt*: Ipseque Proclus Costantinopolitanus Patriarcha, de quo hoc loco Emin. Author, librum suum sic inscripsit, *De traditione divinæ Missæ*: & in eodem hanc vocem *Missæ* cum addito *Sanctissimæ* sæpius adhibet. Ita apud Græcos, qui etiam magnum hoc Mysterium *incruentam Hostiam, incruentum Sacrificium* appellant. *Sacrificium* item *Angelicum*, uti hoc nomine Sacram Liturgiam vocat Chrysostomus in Psal. 95. quod in ea Angelorum puritas, pietas, reverentia, sanctitas postuletur, eidemque Sacrificio, ac Sacerdoti celebranti Angeli assistant, quod & confirmat lib. 6. de Sacerd. cap. 4. Sicque apud veteres Græcos Patres his dictionibus Liturgiam nominari constat, item ex Chrysostomo hom. 17. in Epist. ad Hebræos, Cyrillo Alexandrino in explicat. Anathem. XI., Oecumenio in cap. 10. ad Hebræos, Gregorio Nazianzeno carm. XI., ac orat. 1. & 2. contra Julianum, aliisque. Attamen apud Latinos simplici *Liturgiæ* nomine Missæ Sacrificium absolute intelligitur, uti supra §. 1. ex Sanctis Ambrosio, Augustino, Leone Papa, aliisque dictum est. Item patet ex Alexandri Papæ nomine inscripta Epistola 1. cap. 4. ex Damaso, seu alio libri Pontificalis Authore, de eodem Alexandro, ubi dicitur passionem Domini *inter Missarum solemnia, seu quando Missæ celebrantur, missesse*: Ennodio Ticinensi de Synodis, Concilio Milevit. cap. 12. Agathensi cap. 21., & Romano sub Symmacho in fine; de qua item Liturgiæ voce nonnulla adjiciemus infra ad cap. 4. §. 2. nota I.

Liturgiæ nomini Sacræ, vel mysticæ additum.

(3) *Cum Deo conjunctio, communioque*) Id etiam confirmat Card. Bessarion. Opusc. de verbis consecrat. supp. 2. Et quidem antepsos, hunc scilicet & Pachymerem ab Emin. allatum, S. Joannes Damascenus lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 14. post med. ita Eucharistiam vocari ait, quia per ipsam communicamus Christo, ut supra dictum est. Item, quia *nobis conjunctionem cum Deo largitur, nosque Regni ipsius consortes reddit*: cui succinit Metrophanes Critopolus in Confess. Eccl. Orient. cap. 5. & ante ipsos S. Joannes Chrysostomus hom. 27. in 1. ad Corinth. aliique. Hæc etiam *Synaxis* appellatione Missam, seu Eucharistiam significari voluit Abbas Hellen apud Palladium in Historia Laufiaca cap. 59., uti in priori hoc Authographo advertit Em. Author „, Accesit igitur dictus Abbas aliquando ad quosdam „ Monachos, cum esset dies Dominicus, & dixit eis cur hodie non egitis *Synaxim*? cum „ ii autem dicerent, eo quod non venerit Presbyter, dixit: Ego ibo, & cum vocabo.

(4) *Notio, ad quam respexit Dionysius*) Primum de Cœlesti Hierarchia cap. 1. §. 3. ubi Sanctus Maximus ejus scholiastes hæc notat „ Communicatio Mysteriorum secundum Gentiles Philosophos græce θεουργία dicitur, quod nimirum perficiat initiatum, & in se vim „ habeat perficiendi eos, qui ad istiusmodi accedunt. Primitiva igitur Sacrorum Rituum „ institutio est divina sanctio, quæ per Apostolos ex Deo perfectivorum horum bonorum principium exsistit; initiatos enim D. Paulus Apostolus ad Philipp. 3. 15. perfectos vocat, dicens: *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus*. Item de Ecclesiastica „ Hierarchia cap. 4. §. 12. Hoc etiam sancte observa, ut Sacratissimorum illa lex Mysteriorum purissimis unguenti Sacratissimi effusionibus divini quoque Altaris consecrationem perficiat, & *paulo post*: unde, ut opinor, juxta sensum Hierarchicum, qui a „ Deo traditus est, divini illi Sacri Ordinis nostri Duces Sanctum hoc unguenti Mysterium θεουργὸν, idest consecrationem vocant, quod re ipsa consecret, & consumat.

Idem Dionysius citato lib. de Eccl. Hierar. cap. 4. *Teletem* pro Sacrorum Ordinum functionibus ponit, dum ait: *Omnium Sacrorum Ordinum functionem in Sanctissimas Teletas dividi &c.* *Teletæ pro omnibus Sacrorum Ordinum functionibus dicta.*

Ex

Ex quibus omnibus supradictis patet *Teleten* in proprio sensu rem divinam significare, quam purgamur, consecramur, & perficimur. Hinc Dionysius vim illam divinam, qua Ecclesiæ Sacramenta prædita sunt, teleturgam, quasi consecrationem operantem, vocat. Huic autem interpretationi vel ipsi subscribunt Heterodoxi, inter quos Isaacus Casaubonus exercit. XVI. in Baron. num. 48. *Conjunctioni nostræ*, inquit, *cum Christo, cujus instrumenta sunt verbum Dei, & Sacramenta, veluti colophonem imponit participatio Corporis, & Sanguinis Christi in Cœna Dominica, nullus enim restat alius modus, quo in terris versantes, arctius cum Christo capite nostro conjungamur*: suffragatur & Joannes Gaspar Sviceus in suo Thesauro Ecclesiastico verbo *Telete*, ubi plura in hunc sensum refert.

(5) *Græca verba LXX. legit Anaphoram*) Ad plenorem, & mysticam hujus vocis significationem præstat hic exscribere nonnulla, quæ eruditissime affert in suo Onomastico Eucharistico Theoph. Rainaudus. Videtur, ait „ Anastasius „ notionem hujus nominis totam referre ad ef- „ fectum procreatum in eo, qui assistit Sacrifi- „ cio, quasi idcirco tantum, aut saltem ma- *Anaphora, ideſt ſurſum elevatio.* „ xime dicatur *Anaphora*, *vel ſurſum elevatio*, „ quia qui adest ex Sacerdotis monito, ut sur- „ sum corda invehantur, habet cor suum ad „ Dominum. Nihilominus sunt ex parte „ ipsiusmet Sacrificii, & Hostiæ in eo immo- „ latæ potiores, & germaniores causæ duæ, „ & cur dici potuerit *Anaphora*. Prior causa „ est, quia hoc Sacrificium suapte natura est „ ascensus quidam in Deum. Nam si id de „ omni oratione vere dicitur juxta doctrinam „ Damasceni, atque Chrysostomi, multo ma- „ gis de Sacrificio Christiano, quod supra, „ tam multas orationes continet, subli.nis- „ simum actum protestationis divini imperii „ supremi, & nostræ fiduciariæ (ut sic dicam) „ recognitionis. Quæ elevatio est intrinseca „ Sacrificio, etiamsi nulla externa, & corpo- „ ralis elevatio interveniret, qua Hostia attol- „ leretur, sursumque efferretur per Sacerdo- „ tem sacrificantem. Posterior causa, cur si- „ crificium dici potuerit *Anaphora*, peti po- „ test ex corporea elevatione, & sublatione „ Hostiæ: quam tametsi tunc allatarum No- „ vatores, tamen antiquissimam, & honestis- „ simam esse dubitare non licet, (uti infra lib. 2. cap. 13. §. 2. ostendemus) Ab alterutra igitur, vel simul ab utraque elevatione prosita nomen *Anaphora* divino Sacrificio adhæsit, uti optime notat Rainaudus. Itaque *Anaphora* Græcis Patribus, *sacra Oblatio*, *Oblata*, *Hostia* dicitur, uti etiam firmat Ducangius in Glossario, & signanter a D. Basilio pro ipso Missæ Sacrificio, quod est gratissima in Dei honorem oblatio, sumitur. Hinc familiare est Syris, Maronitis, & Copris ad indicandam Missæ celebrationem, non *Liturgiæ*, ut Græci, sed *Anaphoræ* nomen usurpare, uti infra in eorum Ritibus indicandis cap. 9. dicetur.

(6) *Procli pag.* 242.) Item Arcudius lib. 3. de Concord. Eccl. Orient. & Occid. cap. 15. Allatius de Missa præsanctif. num. 11., & Socolovius in cap. 13. Censuræ Hieremiæ Constantinopolitani.

(7) *Ad Cornelium esse reditur.*) Huic Eusebii testimonio alterum, & antiquius adjungam, videlicet S. Ignatii Epist. & Mart. Epist. ad Smyrnæos, ubi vetat προσφέρειν, ideſt Sacrificium injussu Episcopi celebrare, quod etiam refertur, ac legitur in Canonibus Apostol. c. 3. & 4. Præterea hanc προσφορὰν vocem ad significandum *efferre*, *sacrificare*, *Corpus*, *& Sanguinem Christi conficere*, usurpant Concilium Nicænum I. Can. 18., Neocæsariense Can. 13. S. Athanasius apolog. 2. de fuga sua, & Zonaras ad Can. 58. Concilii Laodicen.

(8) *Œconomiæ nomine &c.*) Hanc vocem, ejusque significationem omisit in suo Onomastico Eucharistico Theophylus Rainaudus, de qua tamen multi multa commentati sunt, Budæus Vulcanius in S. Cyrillum contra Antropomorph. ad pag. 26. primæ edit. Casaubonus ad Epist. S. Gregorii Nyss. Franc. Scorsus ad Homil. S. Theophanis Ceram. Henr. Valesius ad Eusebii lib. 1. Hist. Eccl. cap. 1. lib. 10. & ad Philostorgium lib. 6. cap. 3. aliique. *Œconomia.*

(9) *Dartis, & Rainaudus suppeditabunt*) Item alii jam supra a nobis recensiti, quibus omnibus præsertim, quoad Eucharistiæ nomina apud Orientales usitata addendi sunt Riccardus Simon ad Gabrielis Severi Philadelph. Opusc. & Eusebius Renaudotius in Liturgias Orientalium, ubi plura in hanc rem erudite congerunt. Sed præstat ex dictis, nonnullas Eucharistiæ notiones a PP. Græcis usurpatas, de quibus laudati Scriptores non satis fortasse disseruerunt, revocare, aliasque ab iis omissas subdere, ut uberius, quantum fieri potest, ineffabilis, altissimique Sacramenti Eucharistici vocabula ab antiquis Ecclesiæ Scriptoribus usitata elucidentur, ac facilius intelligantur.

Et primo Græcorum plerique Eucharistiam vocant *Antitypa Corporis*, *& Sanguinis Domini*: Sic S. Dionysius Areopag., vel alius hujus nominis quarti sæculi scriptor Eccles. Hier. c. 3. Author, Const. Apost. sub Clementis nomine lib. 5. 6. & 7., Cyrillus Hierosol. in suis Catechesibus, præcipue S. Basilius in sua Anaph. seu Liturgia, Theodoretus Dial. 1. Gregorius Nazianz. orat. 11., Germanus in Theoria Rer. Eccles. Andreas Cretensis Serm. de Ramis Palm., aliique, & quidem a Patribus Eucharistia nuncupatur Antitypus Corporis Christi, at non excluso ipsius vera, & reali præsentia, uti mox dicemus; quamvis enim *Antitypus* quandoque sumatur pro ipso typo, seu figura, & rei figuratæ exemplari, sæpius tamen, & in propria sui significatione *Antitypum* accipitur pro ipsa re figurata, quæ suo typo, seu figuræ respondet, ideſt *contratypa*, seu ipsi figuræ contraposita. Sic cum Agnus Paschalis fuerit Christi typus, Christus optime asserirur Agni Paschalis Antitypum, ita Eucharistia per manna figurata ipsius est antitypum; atque hoc sensu S. Petrus Epist. 1. cap. 3. 21. docet Arcam Noe baptismi typum, & baptismum Arcæ antitypum fuisse, dicit enim ibi: *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma*: Græce loco, *similis formæ*, legitur *antitypum*, quia ad instar Arcæ Noe ab universali peccati cataclysmo nos salvat. Dicitur itaque Eucharistia a Græcis Patribus *antitypum*, scilicet contrapositum typo, nempe res ipsa, ipsum Corpus, & Sanguis Domini, nedum quia veterum ejus typorum, & tam multiplicium figurarum, quibus olim adumbrata, & prædelineata *Græci aliis item nominibus Missam vocant. Antitypa.*

lineata fuit, ipſis nunc in Novo Teſtamento, ut veritas figuris ſucceſſit, ſed & quia vel typus eſt, ac figura cœleſtis convivii, vel quia Sacrificii Chriſti cruenti exemplar, quod de primo apud omnes Chriſtianos indubium eſt, & expreſſe firmat Eccleſia in Collecta Miſſæ Corporis Domini, quæ ſic habet: *Fac nos, quæſumus Domine divinitatis tuæ ſempiterna fruitione repleri, quam pretioſi Corporis, & Sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat:* Ac ſecundo apud Catholicos paſſim ex Scriptura & Sanctis Patribus perſpicue comprobatur, uti infra §. ſequenti nota 3. & 4., ac plenius in peculiari Euchariſtica Diſſertatione ſuo loco exhibenda; inter cæteros autem id exprimit Chryſoſtomus hom. 17. in Epiſt. ad Hebr., docens enim ibi illum ipſum Chriſtum nunc offerri in Altari, qui olim in Cruce oblatus eſt; addit inſuper hanc immolationem eſſe figuram quamdam, & antitypum cruentæ ipſius immolationis; & ante ipſum Cyprianus Epiſt. 63. *Paſſio eſt enim Domini*, inquit, *Sacrificium, quod offerimus &c.* Idemque firmat S. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 19. *In iſto Sacrificio commemoratio eſt Carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit, & Sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit:* Sane quotieſcumque hunc panem manducamus, & Calicem bibimus, Apoſtolo teſte, mortem Domini annunciamus, etenim in inſtitutione hujus admirabilis Sacramenti dixit ipſe Dominus; *hoc facite in meam commemorationem*, ut præcipuum, & inſigne memoriale amoris ſui eximii, quo nos dilexit, eſſet nobis præceſſum hoc, & venerabile Sacramentum. Porro de hac voce *Antitypi* a Sanctis Patribus ad denotandam Sacroſanctam Euchariſtiam adhibita, quomodo vere ex eorum ſenſu intelligenda ſit, videndi Bellarminus lib. 2. de *Sacr. Euch.* cap. 15., & lib. 4. cap. 14., Perronius de eodem Sacram. lib. 2., Arcudius, lib. 3. cap. 34. & 35. Theoph. Raynaudus De Chriſto lib. 2. ſect. 1. cap. 2. Alanus de Miſſa cap. 12. Claudius Eſpencæus lib. 4. de ador. Euch. cap. 12., Allatius lib. 3. de utriuſque Eccl. conſenſ. cap. 15. num. 21. & ſeq. Cotelerius in Conſtitut. Apoſt. lib. 5. cap. 14. lib. 6. cap. 30. & lib. 7. cap. 25. Præ cæteris Jacobus Goar in Liturg. *S.* Baſilii, Euchol. pag. 186. noviſſime Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſæc. 4. cap. 6. art. 12. num. 9., & art. 19. §. 2. ubi contra Sectarios eximie de hujus vocis *Antitypi* notione non alio, quam ſupra indicato ſenſu Catholico a Patribus accepta differit, ac Ricardus Simon in Apol. Gabr. Severi pag. 228.

Eulogia divina. Vocatur item ab antiquis hoc Sacramentum apud Græcos, uti adnotavit Emin. Scriptor, *Eulogia divina*, *Eulogia Myſtica*, *Sacramentum benedictionis*, *Sanctificationis*, *Conſecrationis*, quod nempe hoc myſterium per benedictionem, ſeu conſecrationem Chriſti Domini verbis ex ejuſdem inſtitutione prolatis conficiatur, atque in illius Sacratiſſimum Corpus, & Sanguinem, panis, & vinum tranſmutentur. Hujuſmodi *Eulogiæ* nomine ad Euchariſtiæ Sacramentum ſignificandum frequenter utitur S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan., & in Epiſt. ad Neſtorium; *Accedimus*, inquit, *ad Myſticas Eulogias, & ſanctificamur participes ſacti Sacræ Carnis, & pretioſi Sanguinis omnium noſtrum Salvatoris Chriſti*: Item S. Maximus Martyr ad Cap. 3. Eccl. Hier. Dionyſii Areop. *Elevans*, inquit, *Sacerdos ſacrum panem oſtendebat Eulogiam dicens*: Sancta Sanctis: Conſimili dictione *Sacramentum benedictionis* vocatur Euchariſtia a Tertulliano lib. de Pudicitia cap. 4. Ideo ſic dicta *Eulogia*, ſeu donum, quia donum donorum etiam a Sanctis Patribus eadem frequenter nuncupatur.

Inſuper apud Græcos nonnullos inter alia nomina, quibus venerabilis Euchariſtiæ Sacramenti dignitatem iidem repræſentant, unum eſt *Metalepſis*, tranſumptio ſcilicet, aut aſſumptio; optime enim Auguſtiſſimum hoc Sacramentum nos ad futuram gloriam præparat, ſicque per idem homo ad vitam æternam tranſmittur, aut juxta D. Thomam 3. p. quæſt. 73. art. 4. in corp., in quantum eſt præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patria. Et quemadmodum dicitur latinis Viaticum Euchariſtia, ita etiam recte vocatur græce *Metalepſis*, ideſt aſſumptio, quia, ut Damaſcenus ait, per hoc Filii Deitatem aſſumimus: quod quidem hic obtinetur in præſenti per uberem gratiam ab ipſo collatam, ſed longe perfectius in futuro per intimam viſionem beatificam; nam vere Deus Pater per Filium ſuum Jeſum Chriſtum in hoc Sacramento realiter exiſtentem *maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*. 2. Petri cap. 4. Vide D. Thomam loco citato. Præterea *Metalepſis* aliquibus *tranſmutatio* dicitur, & congruit etiam Euchariſtiæ, tum ob realem tranſmutationem, ſeu tranſubſtantiationem panis & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti, tum ob eorum, qui eam recipiunt, ſpiritualem in Chriſtum transformationem; ſic enim efficimur Chriſtiferi, (ut inquit S. Cyrillus Hieroſolym. Catec. Myſtag. 4.) *Hoc eſt Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cum Corpus ejus, & Sanguinem in membra noſtra recipimus*: Cui ſuccinit alter Cyrillus Alexand. lib. 4. in Joan. cap. 17. *ſicut enim*, ait, *ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt: ſic, qui recipit Carnem, & Sanguinem Domini, cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur*: Quod & multo ante expreſſerat Paulus ad Galatas cap. 2. 20. *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*. Hinc & magnus Doctoris Gentium Encomiaſtes Chryſoſtomus de Sacramento Euchariſtiæ loquens hom. 83. in Matth. *Chriſtus*, inquit, *nos ſecum, velut in unam maſſam redigit, nec ſolum fide, ſed & re ipſa corpus unum efficit*. Quibus Græcis Patribus & Latini ſubſcribunt, ac pro omnibus in re tam nota unus ſufficiat Auguſtinus, qui lib. 7. Confeſſionum cap. 10. ait, ſe vocem audiviſſe de excelſo (ſcilicet Chriſti Domini) dicentem: *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me; nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me*. Sic itaque in Euchariſtia per participationem Dominici Corporis, & Sanguinis unum re ipſa corpus cum Chriſto efficimur, & quodammodo in Deum noſtrum transformamur, ac mutamur, divinæ effecti conſortes naturæ.

Metalepſis.

Item a nonnullis Euchariſtia *Myſterium* nuncupatur, & hoc nomine eadem donatur a Gregorio Naziancen. orat. 44. & Athanaſio in Synopſi Sacræ Scripturæ, Concilium quoque Laodicenum Can. 7. ſtatuit de quibuſdam hæreticis

Myſterium.

reticis ad fidem converſis, *tunc demum Fidei Symbola diſcentes, & Sanctio Chriſmate unctos Sanctio Myſterio*, ideſt Euchariſtiæ, *communicare*.

Thyſia. Apud alios inſuper *Thyſia* pro Miſſa uſurpatur; & quemadmodum Altare *Thyſiaſterion* dicitur, ut ex græco Textu Apoſtoli ad Hebr. 13. 10. *Habemus Altare, de quo edere poteſtatem non habent, qui tabernaculo deſerviunt*: ita Sacrificium Euchariſticum, quod in Altari peragitur, græce *Thyſia* vocatur. Hinc & apud Latinos, *Altaris Sacramentum* Euchariſtia vulgo dicta eſt, eo quod in ipſo Altari vera, & gratiſſima *Thyſia* Chriſtus immolatur. Et quidem ita metonymice dicitur, quia, ut jam inſuimus, eſt etiam repræſentatio Sacrificii ab eodem Chriſto Domino pro nobis in Cruce oblati, indeque vocatur *Sacrificium incruentum*, quo vocabulo denominatur item a Gregorio Nazianz. orat. 3. contra Julianum, ubi ait: *Incruentum Sacrificium, per quod nos Chriſto, ipſiuſque paſſionibus, & divinitati communicamus*. Item Carmine XI. ad Epiſcopos: *O Sacerdotes*, inquit, *qui hoſtias incruentas offertis*: Oecumenius in cap. 10. Epiſt. ad Hebr. *quid igitur*, inquit, *nonne & nos ſemper incruenta offerimus Sacrificia*? Cyrillus Alexand. Explic. Anath. XI. in Actis Concil. Epheſ. *Sanctum, & vivificans, & incruentum in Eccleſiis celebramus Sacrificium*: Idemque firmat Synodus Nicæna II. act. 6. Inde videant Heterodoxi, qui hunc loquendi morem fugillant, a Catholicæ Eccleſiæ Alumnis Miſſam *Sacrificii* nomine donari moleſte ferentes, quantum enim a Sanctis Patribus, qui certe nobis in hac Sententia præiverunt, longe ipſi abeant, iidem judicent.

Denique in utraque Eccleſia Sancta Sanctorum vocatur Euchariſtia.

*Sunt & alii Græcis vocabula, quibus apud ipſos Euchariſtia indigitatur, at quia a paucis tantum ufurpata, in Gloſſario medii ævi Scriptorum apud Dufreſnium, alioſque græcæ linguæ Lexicographos peti poſſunt. Unum pro coronide fupereſt admotare Græcis ſimul, ac Latinis commune vocabulum, quo antonomaſtice Euchariſtia ſignificatur, & intelligitur, ideſt *Sanctа, Sanctа Sanctorum*, quod nomen, in plurali ſolitarie plerumque apud utriuſque Eccleſiæ Occid. & Orient. Scriptores occurrit. Et quidem apud Latinos, Hieronymus in Præf. ad Epiſt. Paſch. Theophili Alexandrini collaudans eum, quod docuiſſet, qua veneratione debeant ſuſcipi *Sanctа*, hoc nomine intelligit Euchariſtiam; & ante ipſum Tertullianus eamdem *Sanctum* abſolute appellat tum in libro de Oratione, tum in alio de Præſcriptione, præſertim lib. de Spectaculis cap. 25. *ex ore, quo amen in Sanctum protuleris &c.* Item antiqui Ordines Romani paſſim hanc vocem *Sanctа* adhibent, de qua videndus Jo. Mabillonius Muſ. Ital. Tom. 2. Præf. in Ord. Rom. pag. 36., & pag. 43. ubi hoc vocabulo *Sanctа* Euchariſtiam intelligi diſerte probat; hinc puto apud Catholicos noſtrates communiter in uſu veniſſe, ut *Sanctiſſimi* nomen abſolute prolatum Euchariſtiæ Sacramentum denotet. Quo ad Græcos nota eſt omnibus antiqua Eccleſiæ Orientalis conſuetudo, qua ſub communionis tempus Pontifex alta voce clamabat *Sanctа*, *Sanctis*, uti videre eſt in Conſt. Apoſt. lib. 8. cap. 13. in Liturgia Baſilii, apud Cyrillum Hieroſol. Catech. 5. Cyrillum alterum Alexand. lib. 12. in Joan. cap. 30., alioſque plures, quorum nonnullos refert Em. Author lib. 2. cap. 1. §. 1. & 3. & poſt ipſum Edmundus Martene de antiquis Eccl. Rit. lib. 1. c. 4. art. 10. nu. 6.

Præterea quamquam plura, ut vidimus, & alia nomina Euchariſtia fortita ſit, vel ex materia, in qua conficeratur, ut cum Auguſtino de conſenſu Evang. cap. 25., & ante ipſum a Tertulliano infra allegando, dicitur *Sacramentum Panis, & Calicis*; aut ex re contenta, ut cum *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini*, Bedæ hom. de Epiph. Anſelmo lib. de Sacram. Altaris p. 2. cap. 11. aliiſque ante ipſos Patribus appellatur, vel ex loco peculiari, in quo celebratur, ut cum Sacramentum Altaris dicimus, quo titulo præfatus Cantuarienſis Præſul Librum ſuum de Euchariſtia inſcripſit, vel ex inſtitutionis tempore, ut cum *Cœnæ Dominicæ* nomen habet; quemadmodum & illa dies etiamnum feria quinta in Cœna Domini vocitatur, quam olim ita appellavit Eligius Noviomenſis homil. 10. de Cœna Domini initio: *Vocatur*, inquit, *hæc dies Cœna Domini, quia hac, eademque die myſticum Paſcha Dominus cum diſcipulis celebrans Sacramenta Corporis, & Sanguinis ſui illis, atque per illos nobis tradidit, & ipſe celebrationis initium fecit*. Vel etiam ex uſu, ut cum *Viaticum* vocatur, quia tribuitur iis ad ſubſidium, qui aut in ſeculo verſantur, aut in aliam vitam tranſeunt, ut ait Card. Alanus de Sac. Euchar. lib. 1. cap. 1. quæ vox perperam ab aliquibus, veluti Henriquez lib. 8. cap. 1. num. 1. aliiſque reſtringitur ad communionem ſub mortem; verum ex Conciliis, ac Patribus *Viatici* notio latior, & univerſalior eſt, & ad quamlibet communionem Euchariſticam extendi affirmant S. Gaudentius Brixienſis Tract. 2. in Exodum ſub finem, ubi de Agno Euchariſtico loquens ait: *Hoc illud eſt Viaticum noſtri itineris, quo in hac via vitæ alimur, ac nutrimur donec ad ipſum pergamus de hac ſæculo recedentes*: Gaudentio ſubſcribit Ven. Petrus Cluniacenſis lib. 4. Epiſt. 21. ubi Euchariſtiam vocat *Viaticum peregrinationis noſtræ*. Et ſane omnes viatores ſumus, & *dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino*, ut Paulus ait 2. ad Corinth. 5. hinc quæcumque communio eſt nobis pro Viatico, etiam cum extra morbum, & mortis diſcrimen accipitur, ut optime ex D. Thoma Opuſc. 58. cap. 23. Turrecremata Tract. de Euch. cap. 4. & ex Alano ſupracit. obſervat Theoph. Rainaudus in ſuo Onomaſt. Euchar. ad hanc vocem *Viaticum*, quod & fuſius oſtendunt Claudius Eſpenczus lib. 2. de ador. Euch. cap. 2. & Gabriel Albaſpinæus lib. 1. Obſerv. cap. 11. Item ex alio ejus uſu *Synaxis* apud Græcos, ſeu apud Latinos *Colletta*, ut jam innuimus, dicitur Euchariſtia, quia ad hoc ſolum Sacramentum, inquit laudatus Card. Alanus, & ad aliud nullum populus fidelis ad ſupremum Dei cultum congregatur. Vel ab ejus miniſterio Græcis *Liturgia*, aut ab aliquo in eadem externo Ritu, ut cum Act. Apoſtol. cap. 2., & 20. *fractio Panis* dicitur, vel etiam ab effectu, quo modo a Punicis Chriſtianis, qui ſicuti Baptiſmum *Salutem* appellabant, ita apud ipſos Euchariſtia *Vita* vocari ſolita erat, teſte Auguſtino de pecat. mer. & remiſ. lib. 1. cap. 24. & a S. Paulo 1. ad Corinth. 10. Communicatio, ſeu *participatio Corporis Domini*, non quod plures debeant

una ſimul neceſſario ex hoc Sacramento participare (quod inſulſe fingunt Sectarii, contra quos ſuo loco) ſed quia hoc Sacramentum nos mirifice & Carni, & Deitati Chriſti conjungit, ut ſupra ex Dionyſio c. 3. de Eccl. Hier. & Damaſc.

Communior præ omnibus, & vulgaris divini hujus Sacrificii, & Sacramenti appellatio, Euchariſtia.

His tamen non prævalentibus Euchariſtiæ nomen ita huic Sacrificio Auguſtiſſimo, & Sacramento inditum eſt, ut hujuſmodi appellatio omnibus frequentior, communior, & vulgaris facta fuerit. Et quidem jure omni, & merito, cum munus omnium excellentiſſimum, quo nihil auguſtius dari, aut excogitari poteſt, gratiarum omnium fontem maxima cum gratitudine, & omni gratiarum actione celebrandum contineat; Euchariſtia etenim Grecis idem ac Latinis *bona Gratia*, ſeu gratiarum actio eſt; atque ex eo, quod in nobis impertiatur benedictionum ſpiritualium, ac beneficiorum ſummum, & optimum, iiſque rebus, modo, & ordine, ut omnem erga nos Dei benevolentiam, favorem, ac dilectionem uſque in finem plane exprimat; ideo primi Eccleſiæ Patres ſacram actionem illam, & cæremoniam, qua hæc tam ſingularis gratia nobis facta eſt, & data, appellarunt Euchariſtiam; ita S. Juſtinus Martyr ſub finem Apologiæ 2. pro Chriſtianis, de qua infra cap. 4. n. 4. *Qui apud nos vocantur Diaconi, atque miniſtri, diſtribuunt unicuique præſentium, ut participet cum, in quo gratiæ actæ ſunt, Panem, Vinum, & Aquam, & ad abſentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Euchariſtia.* Ita etiam Irenæus lib. 4. adv. hær. appellat itidem *panem, in quo gratiæ actæ ſunt*, hoc eſt Euchariſticum, ſeu Euchariſticum, aliique veterum ſeculorum fidei Doctores loco citato, ex quibus antiquiſſimum eſſe, & ab Eccleſiæ exordio Euchariſtiæ nomen huic Auguſtiſſimo Sacramento donatum dignoſcimus hucuſque retentum.

Sacrificium ſcilicet gratiarum actionis, & laudis.

Et quidem benigniſſimus Dominus non ſolum voluit hanc eſcam Carnis ſuæ, & Sanguinis poculum, eſſe in cibum potumque populi ſui, verum etiam, ut in ea conſtituatur memoria omnium mirabilium ſuorum, & cultus Chriſtianæ Religionis, atque Sacrificium laudis, quo ſolo, ſublatis omnibus aliis, per Prophetam David Pſalm. 49. ſe honoratum iri prædixit. Ut hic jam (inquit, Alanus loco ſupracit.) non tam pro ipſo dono, quam in ipſo, & per ipſum, quod agitur Sacrificium, ſumma laus, & continua gratiarum actio pro gratia novi Teſtamenti peragatur; ipſum enim opus, quod hic ſanctiſſime perficitur, eſt ſacrificium pacificum, & genus gratiarum actionis, atque laudis incomparabile, non verbis conſtans, aut interno ſolo gratitudinis affectu, ſed in oblationis officio, quo ſummum illud, quod Deus donavit in Sacramento, nos eadem actione reddimus in Sacrificio. Et hanc divinorum beneficiorum recordationem per hoc ſacrificium fieri debere voluit Salvator noſter, cum ait: *Hoc facite in meam commemorationem*: & D. Auguſtinus frequenter explicat, ut lib. 1. contra Adverſ. leg., & Proph. c. 18. explicans illud Pſalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*: *Quod eſt*, inquit, *ſacratius laudis Sacrificium, quo Dominus honorificabitur, quam quod eſt in gratiarum actione? Et unde majores gratiæ agendæ ſunt, quam pro ipſius gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum? quod totum fideles in Eccleſiæ Sacrificio ſciunt*: & eleganter in lib. de Spiritu, & Littera cap. 11. dicens: *Cultus Dei in hoc maxime conſtitutus eſt, ut anima ei non ſit ingrata. Unde in veriſſimo, & ſingulari Sacrificio Domino Deo noſtro agere gratias jubemur.* Et in Epiſt. ad Honoratum: *Hinc*, inquit, *gratias agimus Domino Deo noſtro: quod eſt magnum Sacramentum in ſacrificio novi Teſtamenti.* Denique hoc ſacrificium laudis ſoli Eccleſiæ ſacrificio, quod in Miſſa peragitur, his verbis tribuit memorato libro primo contra adverſ. leg., & Proph. cap. 20. *Eccleſia* (ait) *a temporibus Apoſtolorum per ſucceſſiones Epiſcoporum certiſſimas immolat Deo in Corpore Chriſti Sacrificium laudis, ex quo tempore Deus Deorum locutus vocavit terram a ſolis ortu uſque ad occaſum: cum nunc Iſrael ſecundum ſpiritum, ideſt, Eccleſia offert ſingulare Sacrificium ſecundum ſpiritum, de cujus domo non accipiet vitulos, neque hircos, ſed accipiet Sacrificium laudis* (gratiarum actionis, ut ſupra dixit) *non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech.* Hac de re videri etiam poteſt Joannes Faber Hilbrunnenſis Ord. Præd. qui in Tractatu de Miſſa Evangelica, quem ex Germanico idiomate Latinum reddidit Laurentius Surius Pariſiis edito an. 1567. c. 8. juxta Catholicum ſenſum docet hoc ſacrificium ita eſſe ſupremam Dei laudem, ut & ſimul verum ſit ſacrificium; in quam ſententiam, & veritatem immolationis in eodem ſacrificio agnoſcendam ſupra nudam laudem multa ex Patribus doctiſſime congerit.

Atque hæc ſatis dicta ſint de Miſſæ, & Euchariſtiæ nominibus. Qui autem de his item plura velit, eidem & alia, apud Græcos maxime nota, quæ & Latinis uſurpantur, Euchariſtiæ nomina, ſuppeditabit Gabriel Severus Philadelphienſis Metropolita de Sacramento divinæ Liturgiæ apud Richardum Simonium fidei Eccl. Orient. pag. 57. & ſeqq. ubi nonnulla dictu digna adnotantur. Adeat item Jul. Cæſ. Bulengerum in ſuis Diatribis adverſus Caſaubonum, ubi Spondano affirmante, Epitome Annal. Eccleſiaſt. ad an. 34. num. 16. in fine, purgans ille, quæ de iis, etſi bona, aut pro genuino ſenſu Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum, prolixe diſputavit idem Caſaubonus ſuis in Baronium Exercitationibus, alia ſubjungit egregia, quæ a Catholicis legi expediat, & in pretio haberi tamquam ſalutaria antidota contra Hæreticorum venena.

§. IV.

Tertulliani de Miſſæ Sacrificio Circumſcriptiones.

Tertullianus de Sacrificio Miſſæ.

COnſigno hoc caput variis appellationibus, quibus vetuſtiſſimus Latinorum Tertullianus hoc ſacrificium, ſive Euchariſtiam circumſcribit, licet interdum obſcure, ne arcana myſteria infidelibus, & indignis proderentur. Apologetici cap. 39. *Edam jam nunc ego ipſe negotia Chriſtianæ factionis. Corpus ſumus de conſcientia Religionis, & diſciplinæ unitate, & ſpei fœdere.*

Coimus

Coimus ad Deum, coimus ad literarum divinarum commemorationem: summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omni sancti commercii relegetur. Et infra, cœnam Christianorum, sive Agapen supra commemoratam cap. 1. §. 4. eleganter describit. Recte autem hoc caput, ut notat Pamelius, ab omnibus pene inscribitur, *De disciplina Christianorum*, in quo Missa describitur, qualis tunc in Africa agebatur. Cœtus enim præcipue cogebantur propter sacrificium, cui lectio Scripturarum, & peccatorum, ac pœnitentium exclusio annexa erant. Mysteria autem ante Agapen celebrata haud obscure indicat Apostolus ep. 1. ad Cor. cap. 11. in eodem Apologetico cap. 30. postquam dixit Christianos orare pro Imperatoribus, atque ipsis precari quæcumque hominis vota sunt, ait: *Hæc ab alio orare non possum, quam a quo scio me consecuturum, quoniam & ipse est, qui solus præstat, & ego famulus ejus, qui eum solus observo, qui ei offero opinam; & majorem hostiam* (majorem scilicet quam Gentes offerent) *quam ipse mandavit* (1). Non ignoro hunc locum alio detorqueri a (1)
Centuriatoribus, sed lib. ad Scapulam cap. 2. diserte meminit sacrificii dicens, *Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius, sed quo modo præcepit Deus, pura prece.* Addit autem puram precem, sicut & in Apologetico addidit, *orationem de carne pudica*, non quod de solo precum sacrificio loquatur: verum quia nostrum sacrificium Ethnico opponit, in quo *reprobi Bovis* sanguis immolabatur, *non enim*, inquit, *eget Deus conditor universitatis odoris, aut sanguinis alicujus: hæc enim dæmoniorum pabula sunt.* Nos vero prece pura Deo sacrificamus, quia nostrum sacrificium incruentum est, solisque precibus, & invocationibus perficitur (2), lib. 2. (2)
ad uxorem cap. 4. agens de muliere fideli viro infideli nupta, ait: *Quis* uxorem suam *nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo adimi libenter feret? Quis solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Quis ad convivium illud Dominicum, quod infamant, sine sua suspicione dimittet?* Et infra cap. ult. felicitatem prædicat matrimonii Fidelis cum Fideli, *quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio. Simul orant, simul jejunia transigunt; in Ecclesia Dei pariter utrique, pariter in Convivio Dei: eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo*; lib. 2. de cultu fœminarum cap. 11. *Vobis*, ait, *nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur. Quidvis horum gravitatis, & sanctitatis negotium est.* Lib. de Anima cap. 17. adversus Academicos disputans non esse in dubium sensus devocandos docet, *ne & in Christo de fide eorum deliberetur: ne forte dicatur, quod deceptus sit, & alium postea senserit vini saporem, quod in sanguinis sui memoriam consecravit.* Quod autem hic obscurius loquitur, clarius explicat lib. 4. adv. Marcionem cap. 40. dicens, *Sanguinem suum in vino consecravit.* Et paulo ante jam dixerat, *Acceptum panem, & distributum Discipulis, Corpus illum suum fecit, hoc est Corpus meum dicendo, id est figura Corporis mei.* Quomodo autem hæc verba Catholicum sensum habeant, ita ut in Sacramento sit simul veritas, & figura corporis Christi; atque unum alteri non repugnet, ostendunt Pamelius in Notis, & Bellarminus lib. 2. de Euchar. cap. 7. (3). Eadem (3)
phrasi usus est Tertullianus lib. 3. contra eundem Marcionem cap. 19. Nam cum iste impie assereret Corpus Christi phantasticum fuisse, eum redarguit Tertullianus ex eo, quod Christus Eucharistiam instituit tamquam figuram corporis sui, corporis scilicet veri, & non phantastici in cruce postea immolandi. Eodem modo loquendi usus est Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 1. cum dixit Filium Dei esse figuram subsantiæ Patris, cum quo tamen stat eum esse Patri consubstantialem. Ipse vero Tertullianus mentem suam

clarius explicat infra lib. 5. cap. 8. dicens: *Panis, & Calicis Sacramento jam in Evangelio probavimus Corporis, & Sanguinis Dominici veritatem adversus phantasma Marcionis*. Lib. de orat. cap. 6. *Christus panis noster est, quia vita Christus, & vita panis. Tum quod & Corpus ejus in pane censetur: Hoc est Corpus meum* (4). Et prope finem expresse differit de ritu orandi, de osculo (4)
pacis, de orationibus sacrificiorum, de Stationibus, & de sacrificii participatione. Rursum lib. de Anima cap. 9. falsas Priscillæ revelationes commendans, postquam defecerat ad Montanum; *Est hodie*, inquit, *Soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solemnia per ecstasin in spiritu patitur. Prout Scripturæ leguntur, aut Psalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiæ visionibus submini strantur. Post transacta solemnia dimissa plebe solet nobis renunciare quæ viderit*. Porro hic exactam eorum omnium, quæ etiam nunc in Missarum celebratione aguntur, periphrasim habemus; lectionem scripturarum, cantum psalmorum; adlocutiones, cum Sacerdos populum salutat, docet, hortatur; petitiones in Collectis, & aliis orationibus, ac demum in fine populi dimissionem. Lib. de Resurrect. carnis cap. 8. *Caro Corpore, & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur*. Et infra ejusdem mysterii meminit cap. 26. & 37. lib. de præscript. cap. 36. nonnulla recensens, quæ docebat Romana Ecclesia, inter cætera ait: *Legem, & Prophetas cum Evangelicis, & Apostolicis literis miscet, & inde potat fidem: eam aqua signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit*. Lib. de Corona cap. 3. agens de traditionibus, quæ sine scripto in Ecclesia servantur, *Eucharistiæ*, inquit, *Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium suminus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Calicis, aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur*. Omitto alia, ut cum lib. de Pudicitia cap. 9. nos vesci, ait, *opimitate Dominici Corporis, scilicet Eucharistia*: Et cum lib. de Idololatria cap. 7. ingemit Christianum, *eas manus admovere Corpori Domini, quæ Dæmoniis corpora conferunt*: & his similia plura. (5) Libuit autem ex (5)
hoc potissimum Scriptore allegata testimonia sumere, quod magni ponderis ejus auctoritas sit ad probandas divinas, & apostolicas institutiones.

Quæ Gentilibus majores hostiæ.

(1) *Majorem Hostiam, quam ipse mandavit*) Gentilium hostiæ aliæ majores, aliæ lactentes dicebantur. De majoribus est Ciceronis locus, Orat. 2. de lege Agraria in P. Servium Rullum: *Majores Hostiæ in foro confitutæ ad præconem, & tibicinem immolabantur*: alioque in loco: *Maxima Hostia parentabatur*. Hinc Festus apud Latinæ linguæ nomenclatores, maximam, inquit, Hostiam appellabant ovilli pecoris, non abamplitudine corporis, fed ab animo placidiore; porro majores Hostiæ erant Tauri, inde illud Maronis: *Et maxima Taurus Hostia*: Vide Historiæ Romanæ Scriptores.

Eucharistiam confici pura prece, plures item sentiunt.

(2) *Precibus, & invocationibus perficitur*.) Idem alii fenserant ad hunc locum: *pura prece*, idest absque profano thure, absque victima, omni scilicet prorsus amoto Ethnicorum ritu, sed sola, & nuda oratione de mente sancta, & innocenti, uti supra in Apologet. Item lib. 4. adv. Marcionem cap. 9. *Hominem*, ait, *offerre debere munus Deo apud Templum, orationem scilicet, & gratiarum actionem apud Ecclesiam per Christum Jesum Catholicum Patris Sacerdotem*. Minutius Felix in Octavio, posteaquam dixit, *delubra, & aras non habemus*, addidit: *litabilis Hostia bonus animus, & pura mens, & sincera sententia. Hæc nostra Sacrificia, hæc Dei Sacra sunt*: Denique Eucharistica nostra conficiri pura prece, five oratione testatur Justinus in Dialogo adv. Triphonem. Id autem non intelligi de precum tantum sacrificio, uti delirant Magdeburgenses, verum & præsertim de Eucharistiæ Sacramento, ex supradicto eodem Tertulliani loco Apolog. cap. 30. perspicuum est, ibi enim ait: *qui ei offero opimam, & majorem Hostiam, quam ipse mandavit*: hæc autem hostia non alia profecto est, quam illa, quæ a solis Sacerdotibus offerendam mandavit Christus Dominus cum solis Apostolis suis dixit: *hoc facite in meam commemorationem*, tunc enim Novi Testamenti Sacrificium, Eucharistiam, instituit; *opimam quidem, & majorem Hostiam*, ut eam distingueret a minoribus hostiis, precum scilicet, & orationum, quæ ab omnibus fidelibus offerri possunt. Quod autem hæc ita, & non aliter, intelligenda sentiat Tertullianus, satis se explicat tum lib. 3. adversus Marcionem, ubi latius exprimit, *Sacrificia munda*, & spiritualia, tum lib. 5. cap. 8., & lib. de oratione, ubi distertis verbis Sacrificii Eucharistiæ meminit: *non putant plerique*, inquit, *Sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto Corpore Domini. Ergo devotum obsequium Eucharistia resolvit?* Ubi vides non simpliciter

Non autem precum tantum Sacrificia.

Sed ea maximo a minoribus precum discrimine.

pliciter orationes dicere, neque orationum ſacrificia, licet iſtæ etiam ſacrificia ſint, minora quidem, ſed *Sacrificiorum orationes*, eas nempe, quæ fiunt in Sacrificiis, has ab iſtis diſtinguens, quia hoc loco agit de Euchariſtia, quæ inter Sacrificia maximum eſt, & omnium excellentius, quod & orationibus celebratur, quibus interveniebant fideles, ut ita poſt eaſdem Chriſti Dominii Corpus acciperent, quod indicat in contextu mox dicens: *utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & executio officii*, Sacrificium vocans Euchariſtiam, de qua iidem participabant fideles, quemadmodum iterum expreſſe ait de corona Militis cap. 3. *Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manibus, quam præſidentium ſumimus*, ut infra Emin. Author. Non ergo precum tantum, & orationum Sacrificio, ſed & alio omnium maximo, ac interdum, vero ſcilicet Corporis, & Sanguinis Chriſti Sacramento, in quo, ut ait Auguſtinus ad Paulinum ſcribens, omne precum, laudumque genus, de quo Paulus I. ad Timoth. cap 2. loquitur, continetur, perfectum erat Tertulliani ævo, ſicut & nunc perficitur, idem Catholicæ Eccleſiæ Sacrificium.

Quod idem nunc eſt, ac fuit Tertulliani ævo.

Nequeuiliter ſenſit Juſtinus Tertulliani præceſſor, dequo infra cap. ſequenti §. 4. qui Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum Sacrificium vocaloco ſupra citato, ibi enim loquens cum Tripbne Judæo: *de Sacrificiis*, inquit, *a vobis tunc datis, ſicut ſupra dixi, per Malachiam unum ex duodecim ait: Non eſt voluntas mea in vobis, dicit Dominus &c. de noſtris vero gentium, quæ in omnloco offerantur Sacrificiis, hoc eſt pane Euchariſtiæ, jam tum loquutus prædixit nos quidem gloriſare nomen ejus, vos autem prophanare*: Item circſinem Apologiæ maj. ad Antoninum: *Præſidens ero poſtquam gratiarum actionem perfecit, & pulus univerſus acclamatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, & Miniſtri dicuntur unicuique præſentium, ut participent ex, in quo gratiæ actæ ſunt, panem, vinum, & quam, & ad abſentes perferant*. Porro *alimentumne apud nos vocatur Euchariſtia*. Hanc autem Ehariſtiam non eſſe communem cibum, auuotum, ſed veram Carnem, & Sanguinem Imini noitri Jeſu Chriſti, paulo ante ibi Juſtin ipſe declarat: *Non enim*, ait, *ut communenanem, neque communem potum iſta ſumimus, ad quemadmodum per verbum Dei caro factus Jeſ Chriſtus Servator noſter, & Carnem, & Sanguin ſalutis noſtræ cauſa habuit, ad eumdem modumetiam eam, in qua per preces verbi ejus ab iſproſecti gratiæ ſunt actæ, alimoniam, unde Sang, & caro noſtra per mutationem aluntur, Incarti illius Jeſu Carnem, & Sanguinem eſſe di ſumus*. Juſtino ſuccinunt S. Irenæus inſtitandus, Euſebius Cæſarienſis lib. 1. Demonſtr Evang. cap. 10. S. Joannes Chryſoſt. in P. 95. S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. , & Theodoretus in cap. 1. Malachiæ, alii; plures, qui omnes illud dicti Prophetæ Orium de Sacrificio Euchariſtico intellexerur ut iterum infra conſtabit. Ex dictorum ite Tertulliani, & Juſtini, aliorumque Patrucontextibus evidentiſſime conſtat, Sacrificiunoſtrum, quod ex Juſtino vocatur *Euchariſtiæ gratiarum actione a Præſidente perficitur, incarnati Jeſu Carnem, & Sanguinem eſſe*, ipſiuſque participationem eamdem eſſe ex Tertulliano, ac participationemSacrificii, ac proinde ipſam Euchariſtiam Sacrificium eſſe, dum qui de eadem participat, participat de Sacrificio. Videant nunc Centuriatores Magdeburgenſes, cæterique Sectarii, an alio iſtorum antiquiſſimorum Patrum textus contra verum, & Catholicum ſenſum maligne pro libito detorqueri poſſint.

Porro quod maximum inter Sacrificia ſit Euchariſtia, neque eo modo indigitari, quo in Scripturis legimus Sacrificium cordis contriti, Sacrificium, & hoſtiam labiorum, orationis ſcilicet ac precum, ulterius comprobatur. Primo quia noſtra opera, *& univerſæ juſtitiæ noſtræ ſunt tamquam pannus menſtruatæ*, ut dicitur Iſaiæ cap. 64. v. 6. Non igitur poſſunt dici oblatio munda, de qua Malachias a Juſtino relatus, Luthero præſertim, qui noſtras juſtitias peccata eſſe contendit. Deinde, quia offerre opus noſtrum tamquam oblationem mundam, & Sacrificium Heterodoxi dicunt eſſe Phariſaicum. At de hujuſmodi Phariſaico Sacrificio neque Propheta, neque Patres loquuntur. Præterea has preces, & vota, cæteraque Religionis officia, quæ late ſumpto nomine Sacrificia nuncupantur, ad hæc ſignificanda Scriptura Sacra numquam Sacrificii nomen uſurpat abſolute, ſed cum adjuncto, ut *Sacrificium laudis, Sacrificium juſtitiæ, hoſtiam vociferationis*, & his ſimilia. Exemplum autem Sacrificii proprie ſumpti, correlative ad Sacerdotium, ac diſtincti ab aliis bonis operibus, & oblationibus habetur Oſee 6. 6. *Miſericordiam volui, & non Sacrificium, & ſcientiam Dei plusquam holocauſta*: At 1. Reg. 15. 22. *Melior eſt obedientia, quam victimæ*. Pſal. 39. 7. *Sacrificium, & oblationem* noluiſti: & Pſal. 50. 21. *Acceptabis Sacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta*.

Euchariſtiæ Sacrificium, omnium maximum.

Hinc patet non omne opus bonum (ut volunt Melanchton, & Kemnitius) nec omnem oblationem factam in honorem Dei (ut Calvinus, aliique ejus ſectarii, ac moderni Novatores intendunt) eſſe Sacrificium proprie dictum, quamvis, ut mox innuimus, & opera bona ſacrificia ſint, ſed lato modo ſumpta; quæ licet interdum vocentur ſacrificium, uti Pſal. 50. v. 19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*: impropriæ tamen ita dicuntur, nam quamvis hoc cordis contriti, & humiliati ſacrificium, una ſimul cum cæteris Deo oblatum ex nobis ſit, cujus defectu oblata in lege veteri Sacrificia Deus reſpuebat, uti non raro apud Prophetas, præcipue Iſaiæ 1. 11. ipſumque diviniſſimum, & excellentiſſimum, quod a nobis in nova lege exhibetur, Miſſæ Sacrificium, irritum nobis, & pernicioſum cederet, ſi contraria plane cordis habitudine, vel ſaltem illam non cupientes ſacris operaturi accederemus; hujuſmodi nihilominus cordis contriti Sacrificium proprie, & in ſuo ſenſu rigoroſe acceptum eſſe non poteſt; Sacrificium enim ita ſumptum eſt actus externus, ſeu oblatio exhibita Deo in Altari per legitimum Miniſtrum, qua recognoſcere profitemur ſummum ejus imperium, & tributum ipſius majeſtati exhibemus. A vulgari oblatione ideo differt, quod in Sacrificio realis quædam immutatio, ſeu deſtructio rei oblatæ intercedat neceſſe eſt, cum oblationem tantum ſimplex rei donatæ largitio referat

ferat; quæ omnia non soli interno cordis affectui, aut cuique externo operi bono, bene tamen, & unice augustissimo Missæ Sacrificio convenire perspicuum est, eidemque prænunciatum illud Malachiæ 1. 2. de quo supra Justinus, aliique Patres, *in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo Oblatio munda.* Indeque per hæc verba novum aliquod, & majus Sacrificium designari, quod succesturum sit Judaicis Sacrificiis, manifestum patet, nam spiritualia sacrificia precum, & orationum a Judæis frequentata fuisse nemo in dubium vertit. Aliud autem non est in Novo Testamento Sacrificium externum, quod in omni loco a solis ortu usque ad occasum, uti dicit Propheta, Deo offeratur, præter Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, quod ipse Dominus instituit, & Apostolis, eorumque successoribus fieri mandavit, ut infra capite sequenti.

Sacrificii nomine non aliud a Patribus intelligi, quam Eucharistiam.

Denique Sacrificii nomine non aliud a Patribus intelligi, quam Eucharistiam, ex dicendis satura lance patebit; si enim id aliter foret, absurde Concilium Arelatense I. an. 314. can. 20. decrevisset, ut *Peregrino Episcopo locus sacrificandi detur*, quod nihil aliud est, quam quod Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 24. memorat Anicetum porrexisse Policarpo concessisse obeundi ritum, qui in Ecclesia Romana peragi solet, scil. Eucharisticum, & Ignatius Epist. ad Smyrnæos: *Non licet sine Episcopo offerre, nec Sacrificium immolare &c.* Nec enim ad preces tantum fundendas, vel ad gratiarum actiones petendus foret, aut dandus locus, cum ubique ejusmodi Sacrificia Deo offerre possimus. Igitur quod peregrinis Episcopis olim dandus esset locus in alienis Ecclesiis Eucharistiæ Sacrificium celebrandi, quod aliis scilicet Sacerdotibus sine Episcopo sacrificare non liceret, id necessario evincit, Christianum Sacrificium non in simplici gratiarum actione, seu precibus consistere, uti dicti effutum Novatores, sed ulterius in vera hostiæ illius opimæ omnium maximæ immolationem, de qua ante Tertullianum S. Andreas Apostolus Ægeæ Proconsuli dixit: *Ego Omnipotenti Deo, qui unus, & verus est, quotidie immolo non carnes taurorum, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in Altari, cujus carnem postquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivus*: uti ex ejus Apostoli Actis, quæ infra suo loco vindicabimus, *incarnati*, scilicet, *illius Jesu Carnem, & Sanguinem* supra a Justino assertam. De quo novæ legis Sacrificio S. Laurentius apud Ambrosium lib. 1. offic. cap. 4. Sixto Pontifici dixit: *quo Sacerdos sancte sine Diacono properas? Numquam Sacrificium sine Ministro offerre consueveras*: Id uberius confirmat memorata Ignatii formula, *Sacrificium immolare*, quod de simplici gratiarum actione intelligere ridiculum, cum idem significet, ac offerre, quod vocabulum ad denotandum Eucharistiæ Sacrificium Patres in Synodis passim usurpant, uti in Nicæna, Ephesina, & Chalcedonensi videre est. In Epistola Concilii Carthaginensis apud Cyprianum lib. 1. Epist. 4. *In ordinationibus Sacerdotum nonnisi immaculatos Antistites eligere debemus, qui digne, & sancte Sacrificia Deo offerant*: qua notione Tertul. lib. de cultu femin. & Cyprianus præfatus lib. 2. Ep. 3. edit. Pamel. dicunt offerre sacrificium.

Cum igitur Eucharistia Sacrificium sit, & Oblatio, oportet esse & qui offerat, & qui sacrificet, & cui offeratur, & quod offertur, quæ omnia accurate describit laudatus Cyprianus in dicta Epistola nunc apud Joannem Fellum Londinen. 63. *Nam si Jesus Christus Dominus, & Deus noster ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in suam commemorationem præcepit, utique ille Sacerdos vice Christi fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, & Sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si hic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse*: Quod igitur ex Christi mandato offertur, Eucharistia est, Eucharistia Corpus Christi, idem vero sic oblatum Deo Patri a Sacerdote vice Christi, Sacrificium verum, & plenum est. Idem paulo post in dicta Epistola confirmat Cyprianus iis verbis: *Et quia passionis ejus mentionem in Sacrificiis omnibus facimus. Passio est enim Domini Sacrificium, quod offerimus, nihil aliud, quam quod ille fecit, facere debemus . . . . quotiescumque ergo Calicem in commemorationem Domini, & passionis ejus offerimus, id, quod constat Dominum fecisse, faciamus.* Catholicam hanc Ecclesiæ fidem universa proclamat antiquitas, yeteres omnes fatentur Patres, quos ongo agmine tum Latinos, cum Græcos pofert doctissimus Thomassinus Theol. dogm de Incar. Verbi lib. 10. a cap. 15. usque ad o. aliique nostratum Polemici Scriptores, qi ante, & post ipsum claruere. Quia vero ho Cypriani textu ad fuum firmandum errorem abutuntur Sacramentarii, ne fibi blandiantur rgivenduli figurarum, imaginumve mercatores, quod commentatio, quod intimio dicur a Cypriano Sacrificium, quod offerimus, os utique profitemur, & ipsis Christi verbis docti fumus commemorationem ejusdem Domini patientis hanc esse; in Canone quippe dicimus: *Unde & memores Dominicæ servi tui, sed & plebs tua sanctæ ejusdem servi tui Dominici nostri Jesu Christi tam beatæ passionis, nec non & ab inferis resurrectionis, sed & in Cælos gloriosæ Ascensionis, offerimus præclaram majestati tuæ &c.*

Idem & Oblatio.

Idemque ac Sacrificium. Gratis, eademque item Hostia sola. offerendi ratione diversa.

Verum non nudis symbolis, sign, aut figuris hæc commemoratio conficiturve ipsa rei veritas fub Sacramento repræsentur, ac perspicacibus fidei oculis conspicua itur. In id sane Cypriani mens neminem fere potest, I. cum ait in Ecclesia *offerri sacrificium verum, & plenum*: quatuor his verb, veluti quatuor ordinibus lapidum, quibus Aonicum Rationale conflabat, judicii dictum uia doctrinum, & veritatem in pectore ron gestandam, quando ingrediebatur coram omino, referebat, uti habetur Exodi cap. v. 30. omne adverfriorum intercluditur agium. (ait Thomassinus loco cit. cap. 17. m. 9.) „ nam offerri vix figura potest m & os- „ sensis positum, idque verum, plenum, „ de umbratili & mera Sacrificii cnemo- „ ratione quis nisi infanus diverit? Sacer- „ dos in Ecclesia vice fungitur Cli, id, „ quod Christus fecit, imitatur: Christus „ suam ipse mortem non potuit per cas- „ sus veritatis figuras anticipare, & rimere? „ Ubi Christus in Cœna semetipsu obtulit, num

„ num umbraticum obtulit Sacrificium? Quo „ ergo illi ſua defluxerat omnipotentia, quo „ veritas dilapſa erat? Quantillæ enim pote„ ſtatis eſt per figuras mortem præſignare? „ Homuncionis de vulgo cujuslibet ea vis eſt, „ & induſtria, ut id poſſit, & quod ad figu„ ras attinet, felicius etiam fortaſſe, & ex„ preſſius quam in Euchariſtia. An ergo uſque „ adeo viſum eſt debilitare poteſtatem, & in„ fringere majeſtatem Chriſti, ut nihilo plus „ illi liceat, quam homini de compito unicui„ que? III. Sed æque acerba veritati Chriſti „ inuritur contumelia, ſi veritas obumbratico „ Sacrificio deblateratur; Veritatis enim eſt „ umbras propulſare, figuras luce veritatis fu„ gare, non umbras, & figuras novare, ac „ nihil aliud, quam alias aliis commutare. „ IV. Sed omnem, vel leviſſimam dubitatio„ nis nubeculam abſtergunt hæc ex Cypriano „ laudata: *Paſſionis ejus mentionem in Sacrifi„ ciis omnibus facimus: Paſſio eſt enim Domini „ Sacrificium, quod offerimus*: En mentio Paſ„ ſionis, & Paſſio ipſa dicitur Sacrificium, „ quod offerimus, nempe innovatur incruente „ ipſa Paſſio; atque ita ipſa ſui mentio eſt, „ ſui figura, & veritas ſuæ figuræ ipſa ſimul „ eſt. Hæc ſapienter more ſuo Thomaſſinus.

Cypriano Latinæ Eccleſiæ addo ex Græca Chryſoſtomum, ut ſic utrobique eamdem fidem circa Sacramentum hoc Auguſtiſſimum ſemper extitiſſe amplius conſtet; Is igitur aureus Doctor hom. 17. in Epiſt. ad Hæbr. *Offerimus quidem*, inquit, *ſed ejus mortem revocamus in memoriam; & hæc oblatio una eſt, non multæ, quoniam ſemel eſt oblatus ..... Itaque unicum eſt Sacrificium. Quoniam multis in locis offertur, multine ſunt Chriſti? Nequaquam, ſed unus ubique Chriſtus. Quomodo ergo multis in locis oblatus, unum eſt Corpus, & non multa corpora, ita etiam unum eſt Sacrificium. Pontifex noſter ille eſt, qui illam obtulit Hoſtiam, quæ nos mundat, illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non poteſt conſumi. Hoc fit in recordationem ejus, quod tunc factum eſt. Hoc enim facite*, inquit, *in mei recordationem*. Vides item ex Chryſoſtomo, quod quamvis Miſſa ſit commemoratio Sacrificii a Chriſto in Cruce oblati, verum nihilominus, & proprie dictum Sacrificium eſt; verum, inquam, nam ſicut Cœna noſtra, inquit Natalis Alexander infra citatus, non eſſet commemoratio Cœnæ Dominicæ, imagoque illius, & exemplar, niſi vere manducaremus, ita nec Euchariſtia noſtra verum exemplar, & imago foret Sacrificii, quod in Cruce Chriſtus obtulit, niſi vere ſacrificaremus.

Non tantum ob Sacrificii a Chriſto in Cruce oblati memoriam, ſed ob veram ejuſdem ipſius Corporis, & Sanguinis oblationem, & immolationem in Altari.

Neque vero ob ſolam Sacrificii a Chriſto in Cruce oblati memoriam, Euchariſtiæ, ac Miſſæ nomen Sacrificii a veteribus tributum eſt, (quamquam & in ea cruenti illius redemptionis noſtræ Sacrificii memoria celebretur) ſed propter *oblationem, & immolationem Corporis, & Sanguinis Chriſti* in Altari, ut SS. Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, aliique docent, quos longo agmine refert idem Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſæc. XIII. & XIV. Differt. 13. num. 4. & ſeq., ac ex omnibus Liturgiis patet, ubi plena univerſalis Eccleſiæ voce idem Miſſæ Sacrificium *ſanctum, & tremendum, ſummum, verumque, item veriſſimum, & ſingulare* appellatur *Sacrificium*, idque idem, ac Sacrificium Crucis, cruentum illud, hoc incruentum, utrobique enim *& Sacerdos eſt ipſe offerens, ipſe & Oblatio*, ut ait Auguſtinus de Civit. Dei lib. 10. cap. 20., & alibi in Pſal. 131. nu. 7. de eod. Sacrificio loquens dicit: *Quis eſt iſte Sacerdos, niſi qui fuit Victima, & Sacerdos?* Quod & ex aliis Patribus bene multis, aliiſque momentis luculenter oſtendit laudatus Thomaſſinus dicto cap. 17. & 18. Ex hac proinde antiquiſſima univerſalis Eccleſiæ traditione Orthodoxorum omnium Patrum teſtimonio comprobata, necnon & Spiritus Sancti illuſtratione edocta Sacroſancta Tridentina Synodus ſeſſ. 22. cap. 2., inter cætera de eodem Miſſæ Sacrificio promulgata hæc declarat, & fidelibus populis prædicanda decernit: *Et quoniam in divino hoc officio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſe ipſum cruente obtulit*: Et poſt pauca: *una enim, eademque eſt Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa*.

Qui contra hanc Catholicam veritatem ſentiunt, priſcis Hæreticis accenſendi.

Quæ cum ita ſint, ut aliter eſſe non poſſint, qui his adverſa ſentiunt noſtri temporis Sectarii priſcis hæreticis Helceſeitis, Carpocratianis, & Gnoſticis Sacrificium omne, & præcipue Euchariſticum reprobantibus accenſendi ſunt, de quibus S. Ignatius ſupracit. Epiſt. ad Smyrnæos apud Theodoretum Dialogo 3. ſic ait: *Ab Euchariſtia, & oratione abſtinent* (quibus verbis notandum Euchariſtiam ab oratione diſtingui) *eo quod non confiteantur Euchariſtiam carnem eſſe Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit*; cujus Euchariſtici Sacramenti ſe aviditſimum Sanctus Martyr expreſſit ad Romanos ſcribens: *Panem Dei volo, panem cæleſtem, quæ eſt Caro Filii Dei*. Evidentibus hiſce, luceque ipſa clariſoribus teſtimoniis, etſi convicti totius antiquitatis ſententia, adhuc tamen credere detrectant Novatores, & quidquid contra ipſos clament Patres, Liturgiæ omnes, ac veteris, novæque univerſalis Eccleſiæ conſenſus prædicent, eos nihilominus ab hac fide retardat obex, quod tantum licere omnipotentiæ Dei non acquieſcant, incredulis Capharnaitis non abſimiles, qui Chriſto Domino de hoc ineffabili myſterio ad ipſos loquenti reſponderunt: *Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* deinde: *durus eſt hic ſermo, & quis poteſt ipſum audire?* quia cum ſecundum carnem judicarent, carnem ſic intellexerunt a Chriſto dandam, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, ut ait Auguſtinus tract. 27. in Joan. non autem in vero, & proprio ſenſu, quem intendit Chriſtus, modo ſcilicet excellentiſſimo Sacramentali, quo ſub ſpeciebus panis, & vini ſe ipſum vere, & realiter manducandum, & bibendum præbiturum dicebat: *Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Item, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*: Hinc, *durus ſermo, ſed incredulis*, inquit idem Auguſtinus ſerm. 2. de verbis Apoſt. & alibi in Pſal. 98. *ipſi erant duri, non ſermo*.

Ita

Si Calviniſtæ negarent eam Chriſti præſentiam in Euchariſtia negant.

Ita profecto & Calviniſtæ, qui ſi crederent Deum temporibus, locis, corporumque naturis dominari, uti par eſt credendum, non ſervire, ut illi vellent, Deumque hæc omnia poſſe, & tam facile, quam quæ facillime, ſemel animo imbiberint, jam nihil hæſitabunt, jam Scripturis, jam Sanctis Patribus, jam ipſi Chriſto, & Chriſti Eccleſiæ dignitati aſſentientur, rem non aliter ſe habere, quam a nobis prædicetur, eam ſcilicet Catholicam, & Orthodoxam Romanæ Eccleſiæ fidem, quæ Paulo teſte ad Rom. 1. v. 8. *annunciatur in univerſo mundo*. Sed quia fines, quos ipſis libuit, Omnipotentiæ Dei circumſcribunt, fidei quoque ſuæ fines, & anguſtias ſubjiciunt. Minus ergo mirum eſt, ſi Catholicæ fidei obſtrepunt, qui divinæ intercedunt omnipotentiæ: Hinc optime hac in re Philippus Melanchton, etſi Lutheranus, Calviniſtas confundit, eorumque pertinaciam exprobrat libro de veritate Corporis, & Sanguinis Domini: *Si ob rationes humanas*, inquit, *neges Chriſtum eſſe in Euchariſtia, quid dicet in tentatione conſcientia? quam affert cauſam diſcedendi a recepta ſententia in Eccleſia? tunc ipſa verba* Hoc eſt Corpus meum *fulmina erunt, quid his opponet mens perterrefacta? quibus Scripturis, qua voce Dei ſe muniet, ac ſibi perſuadebit neceſſario hic fuiſſe interpretandam metaphoram, cum verbum Dei præferri debeat judicio rationis*. Hæc recte contra Sacramentarios Melanchton, qui tamen & ſuos habet circa Euchariſtiam errores. Sed de illis iterum infra nota ſequenti, de Lutheranis alibi.

Rationibus, & argumentis, quibus hæc Catholica veritas comprobatur, finis non erit, ſi omnia perſequi vellem; hoc unum addo, nedum ut eadem in iſto Liturgico opere explanata roboretur, verum etiam, ut eorumdem Sectariorum capulo ipſis amplius temeraria hujuſmodi juguletur impietas. Præſtat igitur ex eorum grege eruditiſſimum teſtem Anglicanæ Sectæ profeſſorem Joannem Erneſtum Grabbe contra ipſos adducere. Is in Irenæi lib. 4. adv. hær. cap. 32. alias 17. annotationibus, & ad illum textum: *Sed & ſuis Diſcipulis dans conſilium primitias Deo offerre &c.* hæc habet. „ Eam, quam Fevardentius hic inſeruit de„ Sacrificio Euchariſtiæ Diſſertationem, in„ deque ſubnexam in Lutherum, Calvinum, „ &c. invectivam omitto, quod nimis prolixa, „ & intempeſtiva ſit, non quod rem ipſam„ inficias eam, aut ſubterfugiam; certum enim „ eſt Irenæum, ac omnes, quorum ſcripta„ habemus, Patres Apoſtolis ſive coævos, „ ſive proxime ſuccedentes Sacram Euchari„ ſtiam pro novæ legis Sacrificio habuiſſe. „ Atque hanc non privatam particularis Ec„ cleſiæ, vel Doctoris, ſed publicam univer„ ſalis Eccleſiæ doctrinam, atque praxim„ fuiſſe, quam illa ab Apoſtolis, Apoſtoli ab „ ipſo Chriſto edocti accepetunt, diſcite hoc, „ & ſequenti capite 34. docet Irenæus, atque „ ante ipſum Juſtinus Martyr partim in Apo„ logia 1. ad Antoninum, clarius vero, & „ prolixius in Dialogo cum Triphone Judæo; „ cujus, ut & S. Ignatii, Tertulliani, S. Cy„ priani, aliorumque verba tam a Pontificiis, „ quam a doctioribus Proteſtantibus, crebro „ allata hic deſcribere, non eſt neceſſe„ Hæc Grabbius, qui cum plura in hanc rem ſubjunxerit, demum ita concludit. „ Sed ſatis quo„ que ſcripturarum pro Sacrificio Euchari„ ſtiæ poſt Irenæum, alioſque Sanctos Patres „ adduxerunt recentiores Theologi non modo „ Pontificii, ſed & Proteſtantes, præſertim„ Anglicanæ Eccleſiæ Doctores, ex quibus „ unum nomino tam doctrinæ, quam pieta„ tis eximiæ virum Joſephum Medum, utpote „ qui peculiari Tractatu de Sacrificio Chriſtiano „ Anglice ſcripto hanc rem egregie probavit, „ & illuſtravit, ab omnibus proinde ſtudioſis, „ præſertim Sacri Presbyterii candidatis dili„ genter legendo; atque hujus non ſolum„ ſententiæ, ſed voto in fine capitis 8. ex„ preſſo toto corde ſubſcribo, atque opto, ut „ poſtquam multi pii, doctique viri e parte„ Proteſtantium hunc Lutheri, & Calvini er„ rorem, ac veram Apoſtolicæ Eccleſiæ do„ ctrinam bene agnoverint, hujus quoque„ ſanctiſſimas formulas Liturgicas, quibus di„ ctum Sacrificium Deo offertur, ab illis male „ e ſuis cœtibus proſcriptas in uſum revocent, „ & hunc ſummum Divinæ Majeſtati hono„ rem debite reddant.

Euchariſtiam pro novæ legis Sacrificio habitam, vel ipſi teſtantur Sectarii.

Ita Grabbius præfatus, qui & his ſimilia repetit ad ejuſdem Irenæi cap. 34. Grabbio nonnulli alii Scriptores Angli ſuffragantur, Thomas Brett, & Samuel Jebb, quorum primus in ſua Collectione præcipuarum Liturgiarum Eccleſiæ Chriſtianæ edita Londini an. 1710. pag. 104. peculiari Diſſertatione ipſam Sacram Euchariſtiam Sacrificium proprie ſic dictum eſſe argumentis ex Laickefii Sacerdotio Chriſtiano aſſerto Anglice ſcripto, & Jonſonii Sacrificio incruento ea pariter lingua exarato, quos in tota ſua dicta Diſſertatione tamquam Duces, & Authores ſequitur, repetitis oſtendit, & probat, ſicque cum iis hac in parte a communi Proteſtantium, ac præcipue civium ſuorum falſa doctrina pro iſtiuſmodi veritate tuenda diſcedit. Alter, ſcilicet Jebbius, in ſuo Juſtini Dialogo ex nova ipſius recenſione edito pariter Londini 1719. idem fatetur, & pag. 115. Apoſtolos, omneſque Eccleſiæ Patres Euchariſtiam pro Novi Teſtamenti Sacrificio habuiſſe, & ſub ſacris ſymbolis, ſeu ſpeciebus panis, & vini, illud Deo Patri in Altari oblatum docuiſſe demonſtrat.

Hæc vel inviti pro veritate clariores inter Anglos heterodoxos Theologi; utinam in reliquis dogmatibus non deſiperent, ipſique, & cæteri omnes conterranei ſui reſipiſcant, & prævaricatores tandem ad cor in unitate Catholicæ Romanæ fidei redeuntes, in una etiam ſint nobiſcum doctrina, & voluntate concordes. Interea ad hæc quid ultra reponent miſoliturgi nebulones, ſi ex iiſdem Sectariis doctiores emunctæ naris, & primi apud ipſos ſubſellii viri, neque unus, aut alter, ſed inter eoſdem bene multi ultro fatentur Lutherum, & Calvinum in abrogando Euchariſtiæ Sacrificio tam immaniter deliraſſe? Paulo fuſius viſum eſt de hujus auguſtiſſimi, tremendique myſterii evidentiſſima veritate differere, cum enim totum hoc Liturgicum opus in explicando Sacroſancto ejuſdem Sacrificii Myſterio, tuendiſque, ac vindicandis ipſius Ritibus, & eorum antiquitate conſtet, operæ pretium erat ipſius Catholicæ veritatis fundamentum amplius roboratum ab Hæreticorum etiam

ca-

calumniis, impiiſque cavillationibus propugnatum, etſi breviter ad nobis propoſitum inſtitutum, totis tamen viribus obfirmare. Qui plura voler, adeat poſt Bellarminum, Stapletonium, Becanum, Vaſquez, alioſque Polemicos Scriptores, præcipue Card. Perronium in ſuis operibus Euchariſticis, Claudium de Sainctes Ebroicenſem Epiſc. de rebus Euchariſtiæ controverſis, Dionyſium Petavium de poteſtate conſecrandi, & ſacrificandi Sacerdotibus conceſſa, Petrum de Marca de Sacram. Euchariſt., Nicolaum Coeffetau contra Mornæum, alioſque Sectarios, Joannem Hoffmeiſter de Sacrificio Miſſæ, quibus adjungendi recenſiti in ſequenti annotatione.

Indicantur alii hujus Tertullianei textus interpretes.

(3) *Bellarminus lib. 2. de Euchar. cap. 7.*) Præter indicatos ab Emin. Authore, videri poſſunt hac de re Theophylus Raynaudus in Onomaſtico Euchariſt. verbo *Figura*, Natalis Alexander Hiſt. Eccleſiaſt. Sec. 2. Diſſert. 9. art. 5. item & fuſius Sec. XI., & XII. Diſſert. 12. art. 5., & ſeqq. Emmanuel Schelestratius de Diſcipl. arcani c. 7. art. 6. pag. 144. Laurentius Card. Cozza ad S. Auguſtini librum de Hæreſ. part. 1. cap. 17. de Ophitis n. 44. & ſeq. ubi fuſe, & docte hanc catholicam veritatem illuſtrat, ac quomodo intelligi debeat Tertullianus, clariſſime demonſtrat. Præ cæteris autem ante ipſos videndi Eques Nicolaus Villagagnones in doctiſſimis reſponſionibus ad articulos Calvinianæ doctrinæ lib. 3. cap. 26., & ſeq. Joannes Garetius de Sacram. Euchar. contra eoſdem Calviniſtas a Claſſe 1. uſque ad 9. Item Joannes Dartis Comment. in Decreti III. partem tract. de Euchar. cap. 4. & ſeq. ubi contra dictos Sectarios probat non eſſe figuram, ſed verum Chriſti Corpus, & quomodo etiam figura intelligi poſſit, oſtendit. Poſt hos Chriſt. Lupus Diſſert. de quibuſdam Patrum locis cap. 3. inter Schol. ad Canones part. 3. edit. primæ pag. 334. & ſeq. Cajetanus Maria Meratus cl. Reg. in ſuis Diſſertationibus Polemicis parte 2. diſſ. 20. noviſſime Card. Vincentius Ludov. Gotti Ordinis Prædi. in ſuo aureo opere de vera Chriſti Eccleſia italice ſcripto adverſus Piceninum Curienſem pſeudo-Miniſtrum Tom. 2. part. 2. art. 12. §. 9. num. 8. Sed ut lectoribus ex dictorum Theologorum momentis ad abigendas hæreticorum nebulas quoad dictum Tertulliani textum nobis objectum, ejuſque verum, legitimum, ac genuinum ſenſum concipiendum, fax aliqua præbeatur, nonnulla ex iis delibata, reliquis, quoad alios Patres, in peculiari Diſſertatione in fine danda reſervatis proferamus.

Genuinæ ejuſdem textus interpretatio.

Et ſane Tertullianus dicens: *acceptum panem Corpus ſuum illum fecit*: veram indicat tranſmutationem ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti, ſi enim panem Corpus ſuum fecit, utique in Corpus ſuum panem tranſmutavit, & ita ex mente Tertulliani in Sacramento Euchariſtiæ verum, & reale Corpus Chriſti continerur, ea propter in libro de reſurrect. cap. 8. dicit. *Caro Corpore, & Sanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur*: Ubi non ait de figura, ſed vere de corpore, & ſanguine. Etenim ſi Corpus, & Sanguis Chriſti ore corporali non ſumantur, atque adeo in Euchariſtia non ſint realiter præſentia, quomodo caro dicetur illis veſci? In eo autem, quod ſubdit: *Hoc eſt Corpus meum, dicendo, ideſt figura Corporis mei*: non intendit panem Euchariſticum eſſe figuram Corporis Domini, ſed quod olim fuit figura panis, ſcilicet in Veteri Teſtamento, nunc in Novo mutatum eſſe in corporis veritatem, ita enim eſt ſenſus, *hoc*, ideſt panis, qui olim fuit figura Corporis mei, nunc vere eſt Corpus meum, adeoque mox addit: *figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus*: ideſt in Veteri Teſtamento panis non fuiſſet corporis figura, niſi in Novo correſponderet verum, & reale corpus. Atque id evidenter oſtendit per verba ſubſequentia referens Hieremiæ textum cap. 11. ubi Propheta loquitur de Chriſti Corpore in panis figura, & Iſaiæ cap. 63. ac etiam Geneſis cap. 49. quibus in locis ſub figura vini exprimitur Sanguis Chriſti. Verba, quæ ſequuntur, ſunt: *Cæterum vacua res, quod eſt phantaſma* (Marcionem ſuggillat nequiter aſſerentem Chriſtum Dominum corpus phantaſticum aſſumpſiſſe) *figuram capere non poſſet, aut ſi propterea panem corpus ſibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur panem corpus ſuum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem iſtam fuiſſe figuram Corporis Chriſti dicentis per Hieremiam*: venite mittamus lignum in panem ejus, *ſcilicet Crucem in Corpus ejus? Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit ſignificaſſe panem, ſatis declaravit corpus ſuum vocans panem. Sic & in calicis mentione teſtamentum conſtituens Sanguine ſuo obſignatum ſubſtantiam corporis confirmavit, nullius enim corporis ſanguis eſſe poteſt, niſi carnis; nam etſi qualitas corporis, qualitas non carnea opponetur nobis, certe ſanguinem niſi carnea non habet. Ita conſtitit probatio corporis de teſtimonio carnis, & probatio carnis de teſtimonio ſanguinis. Ut autem & ſanguinis veterem figuram in vino recognoſcas, audi Iſaias &c.* Et integrum Prophetæ textum referens, ac exponens, deinde concludit: *Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecravit, qui tunc vinum in ſanguine figuravit*: Vides igitur ex integro Tertullianæ textu, quem mutilum more ſuo proferunt Novatores, ipſius Afri Scriptoris ſenſum non alium fuiſſe, nec eſſe poſſe, niſi quod panis, qui in Veteri teſtamento fuit figura Corporis Chriſti, nunc in Novo non amplius figura, ſed in ipſa olim prælignatus, vere, & realiter in Chriſti Corpus tranſmutetur, quod vinum tunc ab Iſaia prænunciatum, nunc vere in Chriſti Sanguinem convertatur. Quod autem id aliter intelligi non poſſit, expreſſe declarat, rationem reddens, & dicens: *Figura autem* (olim) *non fuiſſet, niſi* (nunc) *veritatis eſſet corpus*: *fuiſſet* præterito tempore, *eſſet* in præſenti, ita enim ſonant hæc duo verba: Hinc Tertullianus hoc loco, & alibi Euchariſticum panem figuram Dominici corporis vocat, quemadmodum Auguſtinus lib. 1. contra Adimantium cap. 12. ſanguinem dicit animæ ſignum, ideſt non nudum ſignum, aut figuram vacuam, ſed ſignum, & figuram plenam, quæ in ſe figuratum continet.

Figura, & veritas apud Tertullianum non ſibi contradicunt.

Neque apud Tertullianum figura, & veritas ſibi contradicunt; cum enim Marcionitæ falſo putarent Chriſtum non habuiſſe veram Carnem, *quia in effigie Dei*, ajebant, *conſtitutus non rapinam exiſtimavit pariari Deo, ſed exhauſit ſemetipſum accepta ſervi effigie, non veritate, & in ſimili-*

litudine hominis, non in homine, & figura inventus homo, non ſubſtantia, ideſt non Carne: adeoque ipſis ita reſpondet Tertullianus lib. 5. adv. Marcionem cap. 20. *quaſi*, inquit, *non & figura, & ſimilitudo, & effigies ſubſtantiæ quoque accedant. Bene autem quod & alibi Chriſtum imaginem inviſibilis Dei appellat. Numquid ergo & hic, qua in effigie Dei eum collocat, æque non erit Chriſtus Deus vere, ſic nec homo fuit in effigie conſtitutus? Utrobique enim veritas neceſſe habebit excludi, ſi effigies, & ſimilitudo, & figura phantaſmati vindicabitur.* Sic itaque adverſus Marcionitas diſſerit Tertullianus: Vos dicitis, quod Chriſtus in ſimilitudine, & figura homo appellatur, ita pariter ego dicam, quod idem ipſe imago, & figura inviſibilis Dei nuncupatur, utrumque enim habet Paulus; aut igitur negate (ſi tanta vobis impietas) Chriſtum eſſe verum Filium Dei, aut, ſi id non poteſtis, utpote blaſphemum, taliter ſentire de Chriſto, concedite & ipſum etiam verum hominem eſſe. Idem a pari ex Tertulliani mente Euchariſticis noſtri temporis Marcionitis, ſcilicet Calviniſtis, dico: ſicut invenitis apud Tertullianum Euchariſtiam ab ipſo vocari figuram Corporis Chriſti, ita & apud eumdem ex Paulo invenio, quod Chriſtus imago, & figura inviſibilis Dei appellatur, & in ſimilitudinem hominum factus dicitur, & habitu inventus, ut homo; aut igitur dicant, ſi poſſunt, Tertullianum negaſſe Chriſtum verum Deum, & verum hominem eſſe, ſi ſimilitudo, & figura ſubſtantiam excludit, aut fateantur neceſſe eſt, quod etſi Panis Euchariſticus a Tertulliano figura Corporis Chriſti appelletur, id non tollit, quin apud ipſum in ſubſtantia verum ſit Corpus Chriſti, *utrobique enim veritas neceſſe habebit excludi, ſi effigies, & ſimilitudo phantaſmati vindicabitur.*

Idem ex aliis Tertulliani textibus evincitur.

Præterea id uberius declaratur; neceſſarium quippe eſt Tertullianum, ut rem adverſus Marcionem evinceret, ex ſupra relato ipſius textu ſupponere, illud, quod continetur ſub figura Panis, eſſe non phantaſticum, aut mere figurativum Corpus Chriſti, ſed verum, & reale; ſi enim illud non eſt vere Corpus Chriſti, ſed vere Panis, Panis utique, & non Corpus Chriſti traderetur, & crucifigeretur pro nobis, ut arguit Tertullianus; nam de eo, quod Chriſtus in manibus habebat, dixit: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Cum igitur abſurdum ſentiat, Panem fuiſſe traditum, & crucifixum pro nobis, plane ſequitur, quod ex Tertulliani ſententia id, quod Chriſtus in manibus habuit, nempe Euchariſtia, ſit vere, & & realiter ipſum Chriſti Corpus. Hinc quod ſupradicta Tertulliani verba, *ideſt figura Corporis mei*, non ſint conſtruenda, ut diximus, cum immediate præcedentibus, *Corpus meum*, nec applicanda Corpori, ſed referenda immediate ad pronomen *Hoc*, ita ut integer, & facile decurrens ſenſus ejus ſententiæ ſit: *Acceptum Panem, & diſtributum diſcipulis Corpus ſuum illum fecit, dicendo: Hoc*, ideſt Panis, qui olim erat figura Corporis mei, *nunc eſt Corpus meum*; ex alio ejuſdem Tertulliani loco, quo & hujuſmodi tranſponendi uſum eidem familiarem fuiſſe conſtat, uberrime demonſtratur; eapropter qui duro, & aſpero Tertulliani ſermoni, quem ita fuiſſe fatetur Calvinus ipſe Epiſt. 339., ac perturbatiſſimo, & hyperbatico, ut Ludovicus Vives de ipſo loquitur lib. 3. de trad. diſcipl., aſſueverunt, haudquaquam mirabuntur, quod aſſerimus, ſiquidem lib. adv. Praxeam cap. 29. explicationem ſubjecti propoſitionis videtur pariter aptare attributo; nam explicans ibidem, qua ratione Chriſtus, qui Deus eſt, mori potuerit, inducenſque illud Apoſtoli I. ad Corinth. 15. *Quoniam Chriſtus mortuus eſt*, ſtatim ſubdit: *dicendo, Chriſtus mortuus eſt, ideſt unctus, id quod unctum, mortuum oſtendit, ideſt Carnem*: ubi manifeſtum eſt illas particulas, *ideſt unctus*, non referri immediate ad eas, *mortuus eſt*, nec illud prædicatum afficere, ſed referri ad Chriſtum, ſive ſubjectum, ut ſenſus ſit Chriſtus, ideſt unctus, mortuus eſt.

Idem etiam ex Chryſoſtomo, & Cajetano confirmatur.

Idem hyperbaton occurrit apud Chryſoſtomum hom. 55. in Matth. juxta Latinos Codices, ait enim: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ideſt fidem, atque confeſſionem*: ubi fides, atque confeſſio, vel potius, ut græca habent exemplaria, *fides Confeſſionis*, videntur referri ad Eccleſiam, cum tamen aperte referantur ad petram, ſuper quam ædificanda erat Eccleſia, & ejus petræ explicationem contineant. Non alia ratione hanc tranſpoſitionem adhibuit Chryſoſtomus, niſi ut non interrumperet ſeriem verborum Chriſti, & Evangelici textus; ita pariter Tertullianus tum loco ſupracit. adv. Marcionem, in quo verba Chriſti confecratoria refert, tum adv. Praxeam, in quo Apoſtoli verba recitat, ne ipſorum verborum Domini, & Pauli ordinem interrumperet eorumdem expoſitione, aut interpretatione, hanc poſt omnia dicta verba inducere curavit; indeque factum eſt, quod ſenſus minus perſpicuus evaderet. Plura ex hujuſmodi byperbatis item in Caſſiodoro deprehendit Clar. eques Scipio Maffejus in notis ad dicti Senatoris, quas edidit, complexiones in Epiſtolas, & Acta Apoſtol. pag. 238. & ſeqq.

Quare ex dictis ſole clarius manifeſtum eſt Tertulliani ſententiam: *Hoc eſt Corpus meum, ideſt figura Corporis mei*: ita intelligendam omnino eſſe, ut ſenſus ſit: *dicendo Hoc*, ideſt, *figura Corporis mei eſt Corpus meum*: ut aliter ex ejus mente non pollit interpretari. Et ſane non aliud hoc loco dicere intendit Tertullianus, quam quod dixerat libro contra Judæos: *Sic enim Chriſtus in Evangelio revelavit, Panem Corpus ſuum appellans, cujus retro Corpus in Panem Prophetes figuravit*: Idque etiam eo loco, in quo verſabamur, ſatis exprimit, cum dixit: *Ut hinc jam eum intelligas figuram Corporis ſui Pani dediſſe*: & lib. 5. ſequenti eumdem Hieremiæ locum verſans: *Non intelligens*, inquit de Marcione, *veterem feciſſe iſtam figuram Corporis Chriſti*: quæ nunc tranſiit in figuratum, ſcilicet in verum Chriſti Corpus, uti optime Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. dicit poſt figuram Chriſtum adjunxiſſe veritatem, & ante ipſum idem Tertullianus de Reſurrect. Carnis cap. 20. *Non omnia*, inquit, *imagines ſunt, ſed & veritas, non omnia umbra, ſed & corpora, nam ſi omnia figura, quid erit illud, cujus eſt figura?* Illud autem, cujus eſt figura in Veteri Teſtamento, nunc in Novo vere eſſe Corpus Chriſti, iterum expreſſe confirmat lib. de Idololatria cap. 7. ubi dum invehitur in eum Chriſtianum, *qui audet eas manus admovere Corpori Domini*,

quæ

quæ dæmoniis corpora conferunt, agens cootra illos, qui poſt idololatriæ lapſum ad communionem accedere audebant, Corpus Domini, ut tunc moris erat, in manibus ſumentes, ſubdit: *Proh ſcelus! ſemel Judæi Chriſto manus intulerunt, iſti quotidie Corpus ejus laceſſunt.* Hæccine ſunt verba non Corpus, ſed figuram tantum Corporis admittentis? An Judæi Chriſto manus iotulerunt non vere, ſed in figura?

His omnibus accurate perpenſis, quid ultra pro hujuſmodi Tertullianæo textu, ejuſque genuina interpretatiooe deſiderandum ſupereſt? quid in contrarium reponent novi noſtri temporis Marcionitæ? Iis plaoe hac in hæreſi, aliiſque non prorſus abſimiles dices; illi enim Chriſtum Domioum io ſimilitudine, & figura hominis, non verum homioem pro nobis paſſum in Ara Crucis impie pronunciarunt, iſti eumdem Salvatorem noſtrum in figura, & ſimilitudine tantum, oon in reali Corporis præſentia nobis datum io Euchariſtica Menſa ſacrilege blaſphemant; at eodem telo, qoo olim Marcionitas verum Chriſti Corpus io Cruce paſſum oegantes confixit Tertullianus, illo ipſo & hodiernos Novatores verum ejuſdem Domini Corpus, & Saoguioem in Euchariſtiæ Sacramento donatum impugnantes jugulat; etenim ſi verum Chriſti Corpus eſt pro nobis traditum in Cruce, ut contra Marcionem Tertullianus luculenter oſtendit, verum & ipſum erit Chriſti Corpus, verus & ipſius Sanguis, qui nobis datur in altari, cootra Calvinum, alioquin *ſi Panem Corpus ſibi finxit, quia Corporis corebat veritate, ergo Panem debuit tradere pro nobis*: Si ergo Paoem noo tradidit io Cruce, ſed Corpus ſuum, ut non diffitentur Calviniſtæ, pariter noo Panem, ſed Corpus ſuum tradidiſſe nobis in Sacra Menſa fateiotur neceſſe eſt; utrobique enim idem Corpus ſuum eſſe affirmavit Chriſtus, cum dixit de Pane: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur*; de Calice: *Hic eſt Sanguis meus, qui pro vobis effundetur: utrobique enim*, (inquit Tertullianus) *veritas neceſſe habebit excludi, ſi effigies, & ſimilitudo, & figura phantaſmati vindicabitur*: Igitur ex Tertulliani mente concludendum, & cum Sancto Hilario Pictavien. Epiſc. lib. 8. de Trinitate, qui eidem conſonat, dicendum, uti etiam legitur in Decreti tertia parte de Conſecratione, diſt. 2. c. 82. *Corpus Chriſti, quod ſumitur de Altari, figura eſt, dum Panis & Vinum extra videtur, veritas autem, dum Corpus, & Sanguis Chriſti in veritate interius creditur*. Item ſicut Chriſtus eſt verus Deus, ac vere inviſibilis Dei imago, & figura ſubſtantiæ ejus ex D. Paulo ad Coloſſ. 1. 15. & ad Hebr. 1. 3. ita & ipſa Hoſtia conſecrata eſt verum Chriſti Corpus, & vere Chriſti realiter præſentis in Cruce pro nobis oblati, & in ultima cœna communicati figura, ſub ſpeciebus Panis, & Vini contenti. Sic S. Auguſtinus contra Adimaotium, Rabanus de Euchar. cap. 12. Algerus lib. 1. cap. 18. has explicant locutiones.

Calviniſtæ eadem jugulo, qua olim Marcionitæ a Tertulliano confixi.

Hæc tam clara, plana, & obvia ſunt, ut profecto cæcus ſit, oportet, qui hac io meridiana luce catholicam hujuſmodi veritatem non videt. Fremaot itaque dentibus, & tabeſcant cum ſuo Calvino, phantaſtici ejus gregales, id adeo verum eſt, ut aliter eſſe impoſſibile ſit. *Cælum, & Terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*, dicit Dominus, ſi enim per hæc Chriſti verba: *Hoc eſt Corpus meum*: nil aliud Salvator, quam figuram Corporis ſui intellexit, ut illi nequiter volunt, eadem prorſus ratiooe per hæc ejuſdem Dei verba: *Hic eſt Filius meus dilectus* Matth. 17. æterous Pater apud ipſos non naturalem ſuum, ac proprium Filium Unigenitum, ſed tantummodo Filium per adoptionem, & gratiam deſignaſſet, quod oon ſine blaſphemia, & impietate dici poſſe, vel ipſi Sectarii fatentur. Certe cum hi duo textus omnino ſint ſimiles, & ſibi invicem reſpondeant, ſi ſecundus litteraliter, & io ſuo ſenſu proprio iotelligendus eſt de Chriſto vere Dei Patris Filio, primum etiam ita intelligi debere conſectaneum, & fatendum eſt de vero Chriſti Corpore in Euchariſtia: *Utrobique enim veritas habebit excludi, ſi effigies, & ſimilitudo, & figura phantaſmati vindicabitur*.

Eidem eodem modo errantes circa realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, quo olim Abloptivi circa perſonam Verbi in Chriſto.

Utrobique, inquam, veritas; etenim tam clara tamque aperta iſta propoſitio: *Hoc eſt Corpus meum*: ac illa: *Hic eſt Filius meus dilectus*: Prima quidem a tribus Evangeliſtis, & a Paulo; ſecunda a tribus pariter Evangeliſtis, & a Petro; nec ulla uſquam variatio termini, aut rei diſſimulatio eſt; idem omnes dicunt, idem omnes repetunt, ideoque ſicut oullus Chriſtum Dei Filium per figuram interpretabitur: ita inſanus quicumque Corpus Domini per umbram, aut figoum commentabitur. *Et hæc itaque diſpoſitio ituli* (loquor ex eodem Tertulliano lib. de Reſurr. Carois cap. 19.) *fidem utique defendens vocabulorum, illuc proficere debebit, ut ſi quid pars diverſa turbat obtentu figurarum, & ænigmatum, manifeſtiora quæque prævaleant, & de incertis certiora præſcribant*, & cap. 20. *Adeo enim non omnia imagines, ſed & veritates: nec omnia umbræ, ſed & corpora, ut in ipſum quoque Dominum inſigniora quæque luce clarius prædicarentur*: Deoique cap. 1. *Utique æquum eſt incerta de certis, obſcura de manifeſtis præjudicari, vel ne inter diſcordiam certorum, & incertorum, manifeſtorum, & obſcurorum fides diſſipetur, veritas periclitetur, ipſa divinitas, ut inconſtans denotetur: tum quod veriſimile non eſt, ut ea ſpecies Sacramenti, in quam fides tota committitur, in quam diſciplina tota commitlitur, ambigue annunciata, & obſcure propoſita videatur*. Hæc Tertulliaous, qui eodem libro de veritate Carois, in qua omnes reſurgemus, ac de veritate Carnis Chriſti, de cujus item vero Corpore, & Sanguine caro ooſtra veſcitur, & potitur, agit; utrobique enim æqualem eſſe fidem aſtruit.

Quo tandem pervenient imaginari Chriſtiani illi, qui omnia in imagines, & ſimilitudines, in ſigna, & umbras detorquent, figuraſve, oec tam myſteria eſſe cenſent, quam ænigmata? Ergo & veritas in umbra eſt, & gratia in figura? Spes ergo, ac merces evaneſceot, & omnia Chriſtianis oon minus, quam Judæis in figura contingent? Abſit, idem enim Judæorum, & Chriſtianorum Deus locutus in Filio ſuo, quem cum filiis hominum eſſe voluit, expreſſe contrarium Judæos alloquens, affirmat Joan. cap. 6. v. 48., & 59. *Ego ſum Panis vitæ. Hic eſt Panis, qui de Cælo deſcendit; non ſicut manducaverunt Patres veſtri Manna, & mortui ſunt*: quibus certe ſignificat Chriſtus Dei Verbum ſe fidelibus ſummum aliquid, & eximium daturum, quod antiquis datum non fuerat, & Manna ipſa veteri longe præſtantius. At niſi

Qui variis rationibus & argumentis ex Scriptura, ac Patribus confutantur

vera, & ſubſtantialis ejus caro in Sacramento Euchariſtiæ intelligatur, nihil profecto erit ſingulare, quod veteribus ipſis conceſſum non ſit, quibus datum eſt fide, & ſpiritu Carnem Chriſti manducare: *Omnes enim* (de illis inquit Paulus I. ad Corinth. 10. v. 3.) *eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & eumdem potum ſpiritalem biberunt: bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Atque adeo* (rurſum Tertullianus dicto cap. 20.) *ſi omnia figuræ, quid erit illud, cujus figuræ?* dicant Calviniſtæ quid? Niſi Panis ille divinus, de quo ipſe Dominus ibidem ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro Mundi vita*, quem poſtea in ultima Cœna revera dedit, confirmans, & dicens: *Accipite, & manducate, Hoc eſt Corpus meum*: qui Panis vivus, & vitalis in pleriſque myſticis veteris Legis Panibus olim præſignatus, ut ſacri omnes Scriptores teſtantur, iis perquam maxime excellentior, ac ſupra modum ſublimior evincitur ex eo ipſo (quod vere eſt) Chriſti Corpore ſub ejuſdem cœleſtis Panis ſpeciebus contento: *tantum intereſt* (inquit Hieronymus, in cap. 1. Epiſt. ad Titum) *inter Panes Propoſitionis, & Corpus Chriſti, quantum inter umbram, & Corpus, inter imaginem, & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa, quæ per exemplaria figurabantur*: Cum enim Chriſtus Dominus ſit ipſa veritas, qui Panem manibus tenens dixit: *Hoc eſt Corpus meum*: neceſſe eſt veram eſſe propoſitionem, vera autem eſſe non poteſt, niſi fiat, quod dicitur, oratio quippe enunciativa operatoria, ſive efficax ejus eſt, quod affirmatur, uti in confeſſo apud omnes, ac infinitis propemodum exemplis demonſtrari poſſet; alias *veritas periclitaretur, ipſa divinitas, ut inconſtans denotabitur*, ex Tertulliano præfato, ſi in hoc Ven. Sacramento Euchariſtiæ non eſſet, niſi naturalis Panis, & Vinum repræſentans tantum mortem Chriſti, adeoque mera figura, in hac erronea Calviniſtarum ſententia longe nobiliores ram in ſe, quam repræſentative eſſent ipſa Euchariſtia veteres ejuſdem figuræ, cum illæ priores tempore, & prænuntiæ futurorum fuerint, hæc ſolum præteritorum ſoret, quid enim amplius haberemus nunc in lege Gratiæ præ Judæis in lege veteri, ſi omnia nobis, ſicut illis, in figura contingerent? Faceſſant igitur umbræ, dum veritas ita ſplendide lucet.

Præcipue ex eadem Tertulliano, Hieronymo, & Ambroſio.

An fortaſſe (id non crediderimus) audebunt dicere Chriſtum Dominum non potuiſſe nobis verum, & reale Corpus ſuum præbere in Euchariſtia, quaſi quod contra Evangelium Lucæ cap. 1. 37. non ſit poſſibile apud Deum omne verbum? Sed ridiculos hujuſmodi divinæ Omnipotentiæ menſores refellit Ambroſius libro de initiandis, ſeu de myſteriis cap. 9. diſerte docens naturam, & ſubſtantiam Panis converti in Corpus Chriſti, idque non eſſe impoſſibile tripliciter probat: Primo, quia Deus potuit facere, ut naturæ rerum exiſterent, quæ antea non exiſtebant, poteſt igitur facere, ut cum exiſtunt, una in aliam mutetur. Secundo potuit facere, ut virga Moyſis quoad naturam, & ſubſtantiam ſuam mutaretur in Serpentem, ita etiam poteſt facere, ut ſubſtantia Panis mutetur in Carnem Chriſti, non enim hoc eſt difficilius, quam illud. Tertio potuit multa alia facere, quæ ſupra naturam ſunt, nempe, ut Aqua Ægypti mutaretur in Sanguinem, ut amara fieret dulcis, ut ferrum ſecuris nataret ſuper aquam, ut ignis deſcenderet de Cœlo, ut Chriſtus naſceretur ex Virgine, cur ergo non poſſet facere, ut ſubſtantia Panis mutaretur in Carnem? Deinde concludit his verbis: *Sacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti Sermone conſcitur. Quod ſi tantum valuit ſermo Eliæ, ut ignem de Cœlo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? De totius Mundi operibus legiſti*: quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt: *Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus eſt novas rebus dare, quam mutare naturas*: & poſt pauca: *Hoc, quod conſcimus Corpus, ex Virgine eſt, quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti Corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus Jeſus partus ex Virgine? Vera utique caro Chriſti, quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt: vere ergo Carnis illius Sacramentum eſt*. Hæc magnus Ambroſius ex antiqua Eccleſiæ traditione, & fide, qui fuſius toto illo cap. 9. & lib. 4. de Sacramentis cap. 4., ubi ferme eadam repetit. Novatores omnes tum Calviniſtas, quoad præſentiam realem Chriſti Domini in Euchariſtia, tum Lutheranos, quo ad totalem tranſubſtantationem, ſeu mutationem, & converſionem Panis in Chriſti Corpus, ac Vini in ejus Sanguinem invicte confodit.

Ex quibus Ambroſii ſenſibus, quos etiam reliqui Patres confirmant, ut ſuo loco videbimus, ſic contra ipſos evidenter concluditur hoc argumento, quod exhibet nuperus Doctor Sorbonicus Honoratus Tournely in ſuo curſu Theol. Schol. Dogm. Tract. de Euchariſtia, quæſt. 2. art. 4. arg. 4. „ Tam vere Corpus Chriſti „ eſt in Euchariſtia juxta Sanctos Patres, quam „ vere Corpus in Incarnatione aſſumpſit, quam „ vere mutata eſt aqua in vinum in Cana Ga„ lileæ, virga in Serpentem &c. At Chriſtus „ verum Corpus aſſumpſit in Incarnatione, „ aqua vere converſa eſt in vinum, ſicut „ virga in Serpentem; ergo pariter in Eucha„ riſtia verum eſt Chriſti Corpus, & Panis „ vere in illud mutatur, ſeu tranſubſtantiatur; Nam ſicut aqua in vinum converſa, non amplius erat aqua, ſed vere vinum: virga in Serpentem mutata, non amplius virga, ſed vere Serpens; ita Panis per verba Chriſti in ſuum Corpus mutatus, & converſus, non amplius Panis erit, ſed vere Corpus Chriſti. Hæc pene eadem verba ſunt Sancti Cyrilli Hieroſolymitani, qui eodem ſeculo quarto, ac Ambroſius vixit, in ſua Catecheſi 4. Myſtagogica in fine; *qui videtur Panis*, (inquit, loquens de hoc Sacramento Euchariſtiæ) *non eſt Panis, etiam ſi guſtui ita appareat, ſed eſt Corpus Chriſti, & quod videtur Vinum, non eſt Vinum, etiam ſi guſtus velit, ſed Sanguis Chriſti*: Idem paulo ante ſimilibus verbis dixerat, queis nihil diſertius, & expreſſius ad hanc Orthodoxam veritatem propugnandam afferri poteſt. Vides hinc in hiſce duobus Patribus cœvis Latino, & Græco, quibus & reliqui omnes conſentiunt, antiquiſſimam, perpetuam, ac univerſalem utriuſque Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis fidem de hoc Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Non ajunt Patres Panem, & Vinum eſſe figuram,

rum, aut imaginem Corporis, & Sanguinis, ut Calvinistæ, & Sacramentarii volunt, sed vere ipsum Corpus, & Sanguinem Christi. Non dicunt sensibus credendum, qui Panem, & Vinum repræsentant, uti Lutherani, & Impanistæ sentiunt, sed unam audiendam fidem, quæ non amplius Panem, & Vinum, sed unice Christi Corpus, & Sanguinem esse tradit.

Sectarii ex ipsis Judæis confisti.

Præstat hos mimicos, ac nomine tenus Christianos, vel ex ipsis Judæis confundere. Aloysius Novarinus Veronensis Cler. Reg. vir, ut ait Emin. noster, multa præditus eruditione sacra, & profana, in suorum Sac. Electi. Tom. 3. quem Agnum Eucharisticum inscripsit, pag. 332. & 333. hæc habet. „ Panem Facie- „ rum Panem Eucharisticum adumbrasse, aper- „ te docet R. Judas ad cap. 28. Num. cujus hæc „ verba sunt: *Magistri ajunt eam ob rem didum „ esse Panem Facierum, quia in ipso Sacrificio „ erunt duo substantiæ, Divinitas, & Humanitas*: a Christiana schola hæc hausta diceres contra Sacramentarios: & post pauca: Scite „ R. Johai in eumdem locum: *quare autem „ dicatur Panis Facierum, est ratio, quia, ut di- „ xit R. Judas, transmutabitur ex substantia Pa- „ nis, cum sacrificabitur, in substantiam Corporis „ Messiæ, qui descendet de Cœlis, & ipse idem „ erit Sacrificium, ideo dicit*: respicietis ad of- „ ferendum mihi, *idest offerri me; & comme- „ moratus R. Judas in dictum cap. 25. Exodi „ etiam addit, ideo Panem Facierum vocari, „ quod facie tantum conspicua Panis appareat, „ quantum autem ad faciem non conspicuum, idest „ substantiam, Messiæ Corporis substantia sit.* Quid clarius contra Impanistas, & Lutheranos? vel ipsi inimici nostri sunt Judices, & insensissimi Christiani nominis osores, vel inviti testimonium Catholicæ perhibent veritati. Credant itaque qui Christum verum, & unicum Messiam Dei Filium descendisse de Cœlis, & in terris jam advenisse nobiscum credunt, ipsum eumdem esse, qui vere, & realiter adest præsens in Eucharistia, ubi transmutatur substantia Panis in substantiam Corporis Christi, seu Messiæ, qui & ipse idem est Sacrificium, & qui offertur, uti & ipsi tradiderunt antiquissimi Judæorum Rabbini, præcipue qui circa Christi tempora vixerunt, ex quibus octo eorumdem testimonia refert Joannes Garetius Lovanienfis Canonicus Reg. S. Augustini in suo Tractatu de vera Christi præsentia in Eucharistia Classe IX. ex quo fortasse Novarinus præfatus mox allata desumpsit, qui integro ferme sæculo post ipsum scripsit. Item Novarino coævus Phil. Marchinus de Sacr. Ordin. Tract. 3. part. 1. cap. 22. plura hujusmodi Rabbinorum scripta refert. De his etiam Petrus Galatinus, Thomas Bosius lib. 14. Cosmas Magalianus in fine Sect. 2. in 5. cap. Josue, aliique.

Sed, ut hæc amplius confirmentur, redeo, unde paululum digressus sum; dixit æternus Pater de Unigenito Filio suo Domino Nostro Jesu Christo: *Hic est Filius meus dilectus*, quid clarius, quid & certius? Verum ne adhuc hæsites, adjungit: *in quo mihi bene complacui*: dixit idem Jesus Dei Filius pro nobis factus Homo de Pane, quem in manibus habebat, deditque discipulis suis: *Hoc est Corpus meum*: quid manifestius, quid & verius? Addit tamen, ne umquam dubites: *quod pro vobis tradetur, quod pro vobis frangitur*: Similiter de Calice dixit: Hic est Calix Sanguinis mei: quid expressius, quid evidentius? Nihilominus subdit, ne item ambigas: *qui pro vobis effundetur*: An igitur Corpus Christi non re ipsa, sed per umbram, aut figuram pro nobis datum est, aut traditum? An Christi Sanguis imaginarie tantum, & phantastice, non vere, & realiter pro nobis effusus? An in imagine, & pro similitudine redempti sumus? Dicant Novatores, qui ita sentiunt, quando in veritate redimendi? Profecto qui Christi baptismo sunt regenerati, negare non possunt, ut diximus, Jesum Christum Dominum nostrum verum Dei Filium, Dei Verbum Carnem pro nobis factum, vere pro nobis in Cruce passum, utrumque enim omnes Scripturæ testantur de eodem, cui æternus Pater, ut ait Paulus ad Rom. cap. 8. non parcens *pro nobis omnibus tradidit illum*: & *pro omnibus mortuus est Christus* 2. ad Corinth. 5. 15. Si itaque verum Corpus pro nobis vere passum, & traditum in Ara Crucis profitentur, de consequenti fateantur necesse est, verum itidem Corpus, verumque Sanguinem nobis, & pro nobis datum in Altaris Sacramento; utrobique enim æterna Veritas ipsummet esse, & non alium, diserte pronunciat; utrobique idem Deus eodem sensu, iisdem pene verbis testificatus est, expresse affirmans, quod dixit; atque ita procul dubio firmiter credendum ipsius dicentis omnipotens sermo, & infallibile verbum constanter evincit, *ne fides dissipetur, veritas periclitetur, ipsa Divinitas, ut inconstans deneteur*; siquidem *verisimile non est ut ea species Sacramenti, in quam fides tota committitur, in quam disciplina committitur, ambigue annunciata, & obscure propofita videatur*, ut supra luculenter Tertullianus.

Calvini hæretici eodem tempore, ac olim Adoptivorum, confessa, & jugulata.

Hinc sicut per primum de vero Dei Filio Adoptivorum hæresis confutatur, ita per hunc secundum de vero Christi Corpore in Altaris Sacramento nobis dato Novatorum omnium perfidia conteritur. Atque hæc satis pro vindicato adversus Sectarios Tertulliano, & quidem paulo fusius ad obstruendam eorum iniquitatem, & malignantium perfidiam retundendam dicta sufficiant. Ne autem hujusmodi figurarum venditores sibi blandiantur ex reliquis Patribus, quos pro sui erroris pertinacia, & defensione maligne nobis objicunt, eosdem etiam vindicabimus in peculiari Dissertatione de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento inferius, Deo dante, ponenda, quam, utpote ab aliis doctioribus Theologis jam pluries actam, iterum agere animus profecto non erat; verum cum perditi homines, ac Satanæ filii, factorumque omnium osores, nedum Missam verum novæ legis Sacrificium a Christo institutum esse impie negent, uti nuperrime Samuel Basnagius Annal. Politico Eccl. Tom. 1. pag. 372. sed & inde eorum nonnulli temere proferre ausi fint Emin. Scriptorem nostrum in toto hoc opere Liturgico eruditi quidem, at falso apud ipsos supposito laborasse; hinc pro sacris, justis, piisque Sanctissimæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Aris ad mortem usque decertandum, adeoque, & ejusdem religiosissimum hyperaspistem propugnandum esse necessarium duxi.

(4) *Et Corpus ejus in Pane censetur, hoc est &c.*) Magistro possem adjungere discipulum,

Cypria-

Cyprianum nempe Serm. de Cœna Domin. apud Pamel. pag. 419. ubi ait: *Panis iſte communis in Carnem, & Sanguinem mutatus*: Et poſt pauca, quomodo mutatus ſit, explicat his verbis: *Panis iſte, quem Dominus porrigebat diſcipulis non effigie, ſed natura mutatus omnipotentia Verbi factus eſt caro, & ſicut in Perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat divinitas, ita Sacramento viſibili ineffabiliter divina ſe infudit Eſſentia &c.* At quia a pleriſque rigidioribus Criticis opuſculum illud Cypriano abjudicatur, in eodem vindicando non moramur, ſatis nobis exiſtimantes illud Authoris, quicumque is ſit, non longe ab ævo Cyprianico diſtantis fætum eſſe, uti fere omnes conveniunt, cum etiam Cyprianum eumdem ſimilia proferentem audiemus capite ſequenti.

(5) *Et his ſimilia plura.*) Plura ſane de Miſſæ Sacrificio, & Euchariſtiæ Sacramento teſtimonia habet Tertullianus, ſive Catholicus, ſive Montaniſta, quare ipſius hucuſque allatis hujuſmodi Liturgicis circumſcriptionibus liceat ſequentes, & ex iis nonnullas ab Emin. noſtro fortaſſe brevitatis gratia prætermiſſas addere, ut inde amplius, quod ſupra aſſeruimus, idem nempe Sacrificium Ritu, & ordine conſimili fuiſſe Tertulliani ævo, ac nunc a nobis in Eccleſia Catholica Romana perficitur, magis, magiſque comprobetur. Et primo Miſſam vocat Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 4., & ult. ac lib. de anima cap. 9. *Solemnia, Convivium Dominicum, Convivium Dei, Sacrificium ſine ſcrupulo*. Item antonomaſtice *Sanctum* lib. de Spectaculis cap. 25. *Sacrificium* vero abſolute pleriſque in locis præcipue Apolog. cap. 39. & de Pœnit. cap. 14. *Oblationem Dominici Sanguinis* lib. 1. Carm. contra Marcionem cap. 7. *Oblationem per Sacerdotem* lib. de Exhort. Caſt. cap. 11. Mitto alia, quæ confingnat, Miſſæ nomina, ne nimius videar. Miſſam porro in Eccleſiis offerri ſolitam patet citato lib. de Spectac. ubi ait: *quale eſt de Eccleſia Dei in diaboli Eccleſiam tendere*: Vide etiam Pamelii adnotationes in ejuſdem lib. de Idol. cap. 7. num. 29. & hanc ad Altare celebratam lib. de Orat. cap. 10. *Ne prius*, inquit, *aſcendamus ad Altare &c.* & cap. 14. *Si ad Aram Dei ſteteris &c.* Item ut ſupra de Exhort. Caſtit. ubi dicit: *Quomodo audebit orationem dicere ad Altare*: Luminibus item accenſis immolatum Sacrificium, clare illud indicat Apologet. memorato cap. 39. *poſt agnum manualem, & lumina*; & quidem Vaſorum Sacrorum miniſterio conſtat ex lib. de Pudicitia, quem Montani erroribus infectus ſcripſit, cap. 7. ubi ait: *procedant ipſæ pilluræ calicum veſtrorum*: & cap. 10. *Si forte patrocinabitur Paſtor, quem in Calice depingis*: & poſt pauca: *At ego Paſtoris ejus pilluram hauriò, quæ non poteſt frangi*: Ex quibus verbis nonnulli vitreos Calices olim fuiſſe deducunt, ſed an recte, diſputat Cardinalis noſter infra cap. 25. §. 1.

Rurſum non Laicorum, ſed Sacerdotum manu oblatum idem Sacrificium, nec niſi ab ipſis miniſtratum Euchariſtiam difertis verbis ſignificat vetuſtus Africæ Script. lib. de Præſcript. adv. hæret. toto cap. 41., ac præcipue ubi de illis conqueritur dicens: *Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras laicus, nam & laicis Sacerdotalia munera injungunt*: Quod & a noſtri temporis Novatoribus peſſime fieri veterum Hæreticorum exemplo nemo ignorat. Clarius lib. de Corona militis c. 3. ut jam ab Em. Authore dictum eſt: *Euchariſtiæ Sacramentum non de aliorum manu, quam præſidentium ſumimus*. Huc etiam pertinet illud libri de Exhort. Caſtitatis cap. 7. *differentiam inter ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus, adeo ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tinguis Sacerdos, qui es tibi ſolus*. Orationibus autem, ſeu Collectis, vel petitionibus, Pſalmis inſuper, & cantu ſolemni idem Sacrificium devote perfolutum præter ea, quæ refert Emin. noſter, ex lib. de Anima cap. 9. *Aut petitiones delegantur*, eſt illud Apolog. cap. 39. *Coimus in cœtum, & congregationem, ut ad Deum quaſi manus falta precationibus ambiamus orantes . . . . . oramus etiam pro Imperatoribus &c.* Item de Orat. cap. 14. *Non putant plerique Sacrificiorum orationibus interveniendum &c.* Cantus vero, & Pſalmi memorantur dicto Apolog. loco, ubi dicitur; *provocatur aliquid in medium canere*: & loco ſupracit. de Anima: *aut Pſalmi canuntur*.

Inſuper pro defunctis etiam fidelibus, ac in honorem Martyrum oblatum Sacrificium idem tradit Septimius lib. de Corona militis cap. 3. *Oblationes pro defunctis, pro Natalitiis annua die facimus*. Et quidem pro defunctis alia ſuppetunt teſtimonia lib. de Monogamia cap. 10. ubi loquens de uxore relicta: *Pro anima*, inquit, *ejus* (nempe mariti) *oret, & refrigerium interim adpoſtulet ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offerat annuis diebus dormitionis ejus*. Hujuſmodi autem oblationes fieri per Sacerdotem, ideſt in Sacrificio Miſſæ, diſerte exprimit ſupracit. lib. de Exhort. ad Caſtit. cap. 11. *Et jam repete apud Deum, pro cujus ſpiritu poſtules, pro qua annuas oblationes reddas. Sollicita ergo ad Deum cum tot uxoribus, quot illas vationes commemoras, & offeres pro duabus, & commemoras illas duas per Sacerdotem . . . . & aſcender Sacrificium tuum libera fronte &c.* Pro Natalitiis vero, ſcilicet antonomaſtice dictum pro Gloria, & Honore, feu Natali die Chriſti Confeſſorum, ac Martyrum plenius infra cap. xv. §. 2. demonſtrabitur. Porro de Scripturarum Lectione ad Miſſam, coucione ad populum, ſeu Myſteriorum Catholicæ fidei explanatione habetur laudato Apologetici loco, ſcil. cap. 39. & lib. de Anima, quem item Montaniſta confecit, cap. 9. Itidem de Præſcript. cap. 36. ubi ait: *Legem, & Prophetas cum Evangeliciis, & Apoſtolicis Litteris miſcet*: quibus clariſſime Lectio in Miſſa ex utroque Teſtamento, Veteri, & Novo denotatur, uti ex allatis ab Emin. textibus patet, quibus addo ſequentem loco Apologetici citato: *Cogimur ad litterarum divinarum commemorationem, ſed quid præſentium temporum qualitas, aut præmonere cogit, aut recognoſcere . . . . . diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam Exhortationes &c.* Confeſſionis item publicæ, quæ Miſſam præcedit, mentio eſt memorato Apologet. cap. 39. *Nam & judicatur*, inquit, *magno cum pondere . . . . . Si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis ſacri commercii relegetur*. Quod & de orat. cap. 10. clarius exprimitur, ut infra dicemus.

Miſſæ nomina ex Tertulliano.

Miſſam ex eodem in Eccleſiis offerri ſolitam.

Et ad Altare.

Vaſorum ſacrorum miniſterio.

Neque Laicorum ſed Sacerdotum manu oblatum Sacrificium.

Oratiouibus, ſeu Collectis idem poſtulatum Miſſæ Sacrificium.

Pro Defunctis etiam fidelibus, ac in honorem Martyrum oblatum Sacrificium.

Item eorum Scripturarum explicationem ſeu coucionem, & ad populum ſermonem.

Confeſſio publica antecedit Miſſam ſolita.

Sed

Reliquæ præter indicatas Miſſæ partes a Tertulliano memoratæ.

Sed & ſingulas Miſſæ partes ab Africano authore antiquiſſimo indicatas percurramus. Earum aliquot hucuſque vidimus, quæ ſuperſunt ſequentes recenſendæ. Itaque poſt ſermonem quo peracto juxta veterem illorum temporum diſciplinam, ut ſuo loco infra dicemus, ejectis cathecumenis, pœnitentibus, aliiſque, qui in Eccleſia conſiſtere non poterant, incipiebat

Miſſæ fidelium initium a Symbolo.

Miſſa fidelium dicta, quæ a Symbolo initium habebat; hujus ſymboli meminit Tertullianus in principio libri de velandis virginibus, de quo Emin. lib. 2. cap. 8. Idque ad Miſſam recitatum non obſcure indicat Apologetici cap. 30. ubi ait: *Nos invocamus Deum verum, Deum vivum*, & antea cap. 20. ubi loquens de unigenito Filio Dei Domino noſtro Jeſu Chriſto, inquit, *hunc ex Deo prolatum dilicimus, & prolatione generatum, & ideirco Filium Dei Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ*, paulo poſt, *Deum de Deo, lumen de lumine*, quæ verba Conſtantinopolitani Patres in Symbolo traduxerunt, quod nunc canit Eccleſia.

Offertorium.

Poſt Symbolum offertorii, ſeu oblationis item meminit Tertullianus dicto Apolog. libro cap. 39. Ait ibi: *Modicam ſtipem unuſquiſque menſtrua die, vel quam velit, etſi modo velit, etſi modo poſſit, apponit.* Qui pariter (inquit Emin. Author lib. 2. cap. 8. §. 4.) ideo lib. de Exhor. Caſt. cap. 7. omnes Sacerdotes eſſe dicit, non quod omnes poteſtatem habeant conſecrandi, ut Anonymus quidam perperam explicavit a Petavio in Diatriba de poteſtate conſecrandi egregie confutatus, ſed quia omnes panem, & vinum ad Altare Dei offerebant, ut idem Emin. ſuo loco luculenter oſtendit. Præfationem vero, ſeu immolationem Miſſæ indicat

Præfatio, ſeu Immolatio hujus.

Africanus Scriptor lib. de Orat. cap. 3. *Cui* (ſcilicet Deo) *illa Angelorum circumſtantia non ceſſat dicere*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *proinde & nos Angelorum, ſi meruimus, candidati jam hinc cœleſtem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis diſcimus.*

Conſecratione porro Sacrificium noſtrum confici, & conſummari ait prædictus Afer, rum lib. de Pudicitia cap. 15. ubi iſtud vocat Sacramentum benedictionis, tum de jejunio cap.

Conſecratio, ſeu ſacrificatio, & alocatio.

14. ubi, *Nobis*, inquit, *omnis dies vulgata conſecratione celebratur.* Sacrificationis item, & adorationis meminit lib. 3. contra Marcionem cap. 22. in fine, ubi Prophetam Malachiam explicans, qui de eodem noſtro Novæ legis Sacrificio vaticinatur cap. 1. *Sacrificium*, ait, *mundum, gloriæ ſcilicet, relatio, & benedictio, & laus, & hymni, quæ omnia ..... ſignaculum frontium, Eccleſiarum Sacramenta, & munditiæ Sacrificiorum* eſſe dicit; in qua ſacrificationis actione lib. de Orat. cap. 11. *Nos manus*, inquit, *ad Dominum non attollimus tantum, ſed etiam expandimus, & Dominica paſſione modulantes, & orantes confitemur Chriſto.* Quem adorationis modum confirmat cap. 13. & de Idololatria cap. 7. commemorationis poſtea Sanctorum, & pro defunctis jam ſatis mentio ſuperius facta eſt. Orationis vero Dominicæ

Oratio Dominica, & pax invicem data.

perſpicue meminit lib. de Orat. cap. 9. his verbis: *præmiſſa legitima, & ordinaria oratione* (Dominica ſcilicet, non enim alia magis legitima, & ordinaria oratio eſt, quam nobis a Chriſto tradita) *quaſi fundamento accidentium jus eſt deſideriorum, jus eſt ſuperſtruendi extrinſecus petitiones*, quas ſub finem libri *Sacrificiorum orationes* nuncupat, nos Collectas dicimus. Oſculi deinde pacis diſerte ibidem cap. 14. expreſſio habetur: *quæ oratio*, inquit, *cum divortio oſculi ſancti integra? quem Domino officium facientem impedit pax? quale Sacrificium eſt, a quo ſine pace receditur?*

Communio Euchariſtica. Hæc a Laicis ſub una tantum ſpecie panis ſumpta.

Communionem autem Euchariſticam a Laicis, & quidem jejunis ſub unica tantum panis ſpecie perceptam clare exprimit Carthaginenſis Scriptor lib. 2. ad uxorem cap. 5. *Non ſciet maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes, etſi ſciverit panem, non illum credit eſſe, qui dicitur*: de vini ſpecie nihil loquitur; & de orat. cap. ult. *Non putant plerique Sacrificiorum orationibus interveniendum, quod ſtatio* (ſcilicet jejunium, ut paulo ante ſe explicat) *ſolvenda ſit accepto Corpore Domini. Ergo devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit? an magis Deo obligat? Nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi & ad aram ſteteris? Accepto Corpore Domini, & reſervato utrumque ſalvum eſt, & participatio Sacrificii, & executio officii*: ubi pariter vides nihil de Calice Laicis miniſtrato commemorari. Item a confeſſione expiatis, & mutuo reconciliatis oblatam, & ſumptam Euchariſtiam declarat cit. lib. de Orat. cap. 10. iis verbis: *Ne prius aſcendamus ad Altare, quam ſi quid diſcordiæ, vel offenſæ cum fratribus contraxerimus, reſolvamus. Quid eſt enim ad pacem Dei accedere ſine pace? ad remiſſionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in fratrem? nec ab ira ſolummodo, ſed omni omnino confuſione animi libera debet eſſe orationis intentio*, &c. Orationes vero, quæ poſt communionem dicuntur, commemorat Apologet. cap. 39. ſupracit., ubi ait: *Æque oratio convivium dirimit.* Denique dimiſſionem populi, cum Sacerdos expleto Sacrificio dicit: *Ite Miſſa eſt*, indicat lib. de Anima cap. 9. inquiens: *poſt tranſacta ſolemnia dimiſſa plebe.*

Communio Euchariſtica nonniſi confeſſione expiatis tradita.

Poſtcommunio, ſeu gratiarum actio, & populi dimiſſio.

Hæc ex ſolo Tertulliano exeuntis ſecundi ſeculi ſcriptore ſeligere placuit, ut nemini dubium ſit, quidquid oblatrent Sectarii Miſoliturgi, non tantum eſſentiam, verum & reliqua Sacrificii Miſſæ, quemadmodum quoad ejus celebrationem nunc in Eccleſia Catholica Romana obſervantur, non eſſe recens inventa, ſed a Chriſto, ejuſque Vicario Petro Apoſtolorum Principe tradita, utpote ad quem pro ſuprema authoritate ſpectabant omnia, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem, & uſum neceſſaria eſſe, vel ab ipſo Chriſto Domino acceperat, vel Spiritu Sancto inſpirante intellexerat, diſponere. Ex eodem inſuper Latinorum antiquiſſimo Africanum hunc Miſſæ ritum, & ordinem ab ipſo indicatum illum eundem eſſe, quem olim & nunc Romana, ut diximus, obſervavit, & ſervat Eccleſia, *unde nobis* (inquit idem Tertullianus lib. de Præſcript. cap. 36.) *quoque authoritas præſto eſt, & eum qua felici Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſuo ſanguine profuderunt, Africanæ quoque Eccleſiæ conteſtarunt*; pro ut nos item infra cap. ſequenti ad §. 2. num. 3. & alibi oſtendemus.

Tertullianus conſentiens antiquiores priorum ſeculorum Patres.

Ex hac uniformi in ſacris obeundis conſenſione, & unitatem fidei apud Chriſtianos ſoveri, ac ſervari teſtantur veterum omnium præclariſſimi, inter quos præcipue Tertulliano anti-

antiquior S. Ignatius Martyr Divo Petro proximus in Sede Antiochena ſucceſſor, tum Epiſt. ad Epheſ. ubi omnes hortatur, & jubet *nominatim congregari obedientes Epiſcopo, & Presbyterio mente individua frangentes panem unum, quod immortalitatis pharmacum eſt, &c.* tum etiam Epiſt. ad Magneſianos, ubi ait: *Omnes ad orandum in idem loci convenite. Sit una communis precatio, una mens, una ſpes in charitate, & fide inculpata in Chriſtum Jeſum &c.* paulo poſt, *obſecro vos, ut una fide, una prædicatione, una Euchariſtia utamini &c.* Præ cæteris clariſſime Innocentius I. Papa in celebri ad Decentium Epiſtola (de qua fuſius infra Emin. Author) *Quis neſciat*, inquit, *aut non advertat id, quod a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari? &c.*

Poſſem & ex reliquis priorum trium ſeculorum Patribus, veluti Juſtino, Irenæo, Cypriano, Clemente, Dionyſio, aliiſque, item ex antiquioribus SS. Martyrum actis conſimiles excerpere Sacrificii Miſſæ circumſcriptiones; at cum iſtæ paſſim in hoc Opere Liturgico proferantur, eas omnes iſthic ſimul congerere ſuperfluum erit, dum ſatis reapſe iis, quibus ſanum ſinciput, quique Hiſtoriam Eccleſiaſticam non a limine tantum ſalutarunt, pleniſſime conſtet hanc fuiſſe, & eſſe veteris, ac hodiernæ Catholicæ Eccleſiæ diſciplinam, ut item infra ſuis locis uberrime demonſtrabitur. Neque rigidiores Critici objiciant Dionyſium Areopagitam, qui inter cæteros, Miſſæ Ritus, & ordinem antiquitus obſervatum, noſtroque fere per omnia ſimilem magnifice deſcribit, ſuſpectum propterea, ut ipſis placet, ac quarti ſeculi ſcriptorem allegatum fuiſſe; nam ut infra cap. VIII. num. 9. in fine dicemus, quamvis dubitetur nonnullis an ea, quæ ab hoc authore proferuntur, tamquam Eccleſiæ initio uſitata, vere Dionyſii Areopagitæ ætate viguerint; certum tamen eſt illa omnia debuiſſe ante ejuſdem Authoris ævum in Eccleſia voce, ſcriptis, uſuque doceri; ac proinde cæremonias, rituſque Liturgicos ab eo deſcriptos, qui etiam cum ſupra indicatis a Tertulliano conveniunt, non ut recentes, ac novos ſuo tempore obſervari cœptos, ſed ut veteres, atque ab Apoſtolis derivatos, ab ipſo jure affirmari, quod pro noſtro argumento ad eorum antiquitatem comprobandam ſatis eſſe perſpicuum patet.

Hinc No-vatorum Liturgica Sacris antiquum vitium contraria demonſtratur.

Videant inde prætenſæ reformatæ Anglicanæ Eccleſiæ gregales, & ex iis Guillelmus Cave, an eorum Liturgica, Ritus, ac cæremoniæ ad primævæ antiquitatis normam, & exemplar inſtituta ſint, ut ipſe Prolegomenum ſuorum ad Hiſtoriam ſuam literariam de Script. Eccleſiaſticis ſect. VII. cum Caſaubono, aliiſque ſuis inſanus deblaterat. Ubi enim apud ipſos *Oblatio per Sacerdotem, qui & Laicis Sacerdotalia munera*, ut diximus, *injungunt? Ubi apud ipſos differentiam inter ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus?* cum nolint, præcipue Calviniſtæ, in Eccleſia ullum officiorum, & dignitatum ordinem, ac diſtinctionem, ullaſque cæremonias? *Ubi oblationes pro defunctis*, & has *per Sacerdotem?* cum iidem, ut infra oſtendemus ad cap. 7. §. 2., & cap. 15. §. 4. nedum Miſſæ Sacrificium negent, verumetiam pro defunctis offerri non poſſe, iiſque nihil prodeſſe impie affirment; multo minus *Oblationes pro natalitiis*, ideſt pro gloria, & honore SS. Chriſti Martyrum *annua die* faciunt, qui hanc Sanctorum venerationem, ac religioſum Dei ſervorum in Cœlis triumphantium cultum idololatricam ſuperſtitionem ſacrilege vocant. Ubi denique illis, quemadmodum *nobis*, cum Tertulliano, *omnis dies vulgata conſecratione celebratur?* Lutherani enim raro admodum, & Calviniſtæ ſemel in anno ſuam cœnam faciunt. Mitto centena alia ipſorum deliramenta, quibus fruitra antiquitatem crepant, & veteres non noſtris, ſed ipſorum ritibus ſua ſacra peregiſſe falſo prædicant, cui namque ſanum ſinciput, & mica ſalis ineſt, ex hucuſque allatis antiquiſſimi Doctoris Africani de Miſſæ Sacrificio circumſcriptionibus, atque ex iis, quæ paulo infra ad c. 4. §. 2. nota 3. dicentur, optime, evidenterque conſpiciet Liturgica noſtra, non illorum, ſi quæ ſunt, ad primævæ antiquitatis normam, & exemplar inſtituta eſſe, neque aliter, ut diximus, Miſſæ Sacrificium olim a priſcis Patribus, Chriſtique fidelibus oblatum, quamquod & hodie in Eccleſia Catholica Romana obſervatum, conficitur, & quotidie celebratur; ſed ad ejuſdem tremendi Sacrificii inſtitutionem procedamus.

CAP.

CAP. IV.

Miſſæ ſacrificium a Chriſto inſtitutum, ab Apoſtolis frequentatum. Ethnicorum calumniæ adverſus Chriſtianos, & earum origo. Teſtimonia veterum Patrum de primitivæ Eccleſiæ ſacrificiis.

§. I.

Miſſæ Sacrificium a Chriſto inſtitutum.

Miſſæ Sacrificium a Chriſto inſtitutum.

CHriſtus Redemptor noſter, *immutabile habens ſacerdotium*, ut ait Cyrillus Hieroſolymit. Catec. 10. *neque factitio oleo unctus, ſed ante ſæcula a Patre*, ipſe per ſeipſum novæ legis, quam condidit, ſacrificium inſtituit, (1) infinitæ ſuæ erga nos charitatis indicium: idque adeo evidenter aſtruunt (1) Matthæus, Marcus, & Lucas Evangeliſtæ, ut nefas ſit viro Chriſtiano hoc Fidei dogma in dubium revocare. *Ipſe enim Dominus*, ut ſcite Paulinus ſcribit epiſt. 5. ad Severum, *Hoſtia omnium Sacerdotum eſt, qui ſemetipſum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima Sacerdotii ſui, & Sacerdos ſuæ victimæ fuit*. Cujus inſtitutionis rationem reddens B. Laurentius Juſtinianus ſerm. de Euch. cap. 7. ait: *Ad roborandam fidelium credulitatem nullum præter ſe fieri voluit hujus Sacramenti inſtitutorem: Non Prophetam, non Patriarcham, non Juſtum, non Angelorum quempiam, ſive de inferioribus, ſive de mediis, ſive de ſuperioribus. Ipſe plane illud inſtituit, qui ſemetipſum tradidit, cujus eloquia veriſſima ſunt, cujus ſapientia falli nullatenus poteſt, cujuſve ſententia mutari nequit, ipſo perhibente qui ait*, Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. *Nulla igitur humanis mentibus ineſſe debet infidelitatis ambiguitas, quando Deus ſolus iſtud perficit myſterium*. Ideo Chriſtus *Teletarchus* Magni Dionyſii voce *cap. 1. cæl. hier.* nuncupatur, quia ab ipſo prima ratio initiandi, primuſque ritus celebrandi profluxit; cum in ultima cœna ſeipſum obtulit Deo Patri ſub ſpecie panis, & vini; idemque fieri juſſit ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus uſque ad mundi conſummationem, *Hoc facite*, inquit, *in mei commemorationem* (2). (2)

Miſſæ Sacrificium in Sacrificiis Melchiſedech præfiguratum.

(1) *Novæ legis ..... Sacrificium inſtituit*) Iſtud novæ legis Sacrificium, Auguſtiſſimum nempe Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini Sacrificium in Euchariſtiæ Sacramento, adumbratum, ſeu præfiguratum fuiſſe in illo, quod olim obtulit Melchiſedech, conſtans eſt, ac perpetua omnium antiquorum SS. Patrum ſententia, qui Sacerdotium Chriſti Sacerdotio Melchiſedech aſſimilari docent ratione rei in illius Sacrificio oblatæ, panis ſcilicet, & vini. S. Cyprianus Epiſt. 63. ad Cæcilium inquit; *in Sacerdote Melchiſedech Sacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundum quod Scriptura Divina teſtatur, & dicit*: „ Et Mel„ chiſedech Rex Salem protulit panem, & vi„ num. Fuit autem Sacerdos Dei ſummi, & „ benedixit Abraham: *Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus Sanctus ex perſona Patris ad Filium dicens*: „ Ante Luciferum genui te: Tu es Sa„ cerdos in æternum ſecundum ordinem Mel„ chiſedech: *Qui ordo utique hic eſt de Sacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quod Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quod panem, & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, ideſt panem, & vinum, ſuum ſcilicet Corpus, & Sanguinem? Et circa Abraham benedictio illa præcedens ad noſtrum populum pertinebat ..... Ut ergo in Geneſi per Melchiſedech Sacerdotem benedictio circa Abraham poſſet rite celebrari, præcedit ante imago Sacrificii Chriſti in pane, & vino ſcilicet conſtituta, quam rem perficiens, & adimplens Dominus panem, calicem vino mixtum obtulit, & qui eſt plenitudo veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit*. Cypriano ſuffragatur Auguſtinus lib. 16. de Civ. Dei cap. 22. ubi ait in oblatione Melchiſedech *primum apparuiſſe Sacrificium, quod nunc a Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum*: implerique illud, quod longe poſt factum per Prophetam dicitur ad Chriſtum: *Tu es Sacerdos in æternum &c.* Idem confirmat lib. 1. contra adverſarium legis, & Prophetarum cap. 20. ubi dictum Oraculum Regii Vatis explicat. Item lib. 18. de Civit. Dei cap. 35. ubi poſt relata Malachiæ verba, de quibus ſupra ait: *Hoc Sacrificium per Sacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech, cum in omni loco a ſolis ortu uſque ad occaſum Deo jam videamus offerri; Sacrificium autem Judæorum, quibus dictum eſt, non eſt mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus veſtris munus, ceſſaſſe, negare non poſſunt*: ſimilia repetit lib. 19. cap. 23., & orat. contra Judæos cap. 9. præcipue autem lib. 4. de Trinitate cap. 14. *Quid tam grate*, inquit, *offerri, & ſuſcipi poſſet, quam caro Sacrificii noſtri corpus effecta Sacerdotis noſtri?*

Id a Patribus omnibus aſſertum.

Idem porro Sacrificium a Chriſto fuiſſe inſtitutum uno ore firmant Patres tam Græci, quam Latini. Jam ſupra Ignatium, Juſtinum, & Tertullianum audivimus, immo & hæreticorum nonnullos, vel invitos confitentes hanc antiquorum omnium fuiſſe doctrinam, indeque in re tam clara, & certa non amplius immorandum foret; verum ut & aliorum Catholicæ fidei hoſtium id dogma negantium pervicacia penitus contundatur, prædictis veritatis teſtibus ſequentes addimus ex innumeris, qui poſſent afferri. Sanctus Irenæus, de quo ſupra, ibi citato lib. 4. adv. hær. cap. 32. docet Chriſtum in ultima Cœna inſtituiſſe, & docuiſſe Apoſtolos *novam oblationem*. Item cap. 18. alias 34. idem affirmat, cujus integrum textum infra referemus §. 4. num. 3. & Origenes in cap. 26. Matth. Gregorius Nyſſenus orat. 1. de Reſurrect. aiunt Chriſtum in ultima Cœna præveniendo Judæorum violentiam, *ſe ipſum immolaſſe, quando celebravit Euchariſtiam.* Sed ne ſingulorum omnium textus referam, vide Clementem Alexandr. lib. 4. ſtrom. Euſebium de præpar. Evang. lib. 1. cap. 10., & lib. 5. cap. 3. Hieronymum Epiſt. 17. ad Marcellam, & in Epiſt. ad Evagrium, Chryſoſtomum hom. 35. & 36. in Geneſim, Epiphanium hær. 55. Nazianzenum orat. 1. contra Julianum, Cyprianum item, & alios infra in fine hujus capitis relatos. Denique uno ore unanimique conſenſu Catholicum iſtud Dogma expreſſe docent Græci, Latinique Patres, Concilia, vetereſque Liturgiæ Chriſtianarum omnium Gentium, Græcæ S. Baſilii, S. Joannis Chryſoſtomi, & ea, quæ S. Jacobi Apoſtoli nomen præfert, quam Trullana Synodus can. 32. laudavit, & nos ſuo loco vindicabimus, Armena, Chaldaica, ſeu Syriaca Maronitarum, & Orientalium omnium quotquot ſunt Anaphoræ, ſeu Liturgiæ, de quibus videndi Germanus Conſtant. Patriarcha in ſua Theoria Eccleſiaſtica, Goarus in Euchol. Græc. Ricardus Simon ad opuſc. Gabrielis Severi Philadelph. Euſebius Renaudotius in ſuis Orientalium Liturgiis, & Joſeph Simonius Aſſemanus in ſua Bibl. Orient. Ex Latinis Romana, Ambroſiana, ſeu Mediolanenſis, Hiſpanica Mozarabum appellata, & Gallicana vetus, cujus ritum exhibent tria antiqua Miſſalia a Card. Thomaſio, & Joanne Mabillonio edita, ex quibus omnibus, & ſingulis evidenter probatur hanc fuiſſe Eccleſiæ univerſæ fidem, quod Euchariſtia ſit verum, & proprie dictum Sacrificium a Chriſto Domino inſtitutum. Ex his nonnulla proferre lubeat, & primo ex Miſſali Gallicano veteri locum in officio Cœnæ Domini apud Thomaſium Cod. Sacram. pag. 457., & Mabillonium in Lirurg. Gallic. pag. 349. ubi de eadem Cœna Domini hæc leguntur: *In qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Novo Teſtamento ſacrificandi ritum inſtituit, dum panem, & vinum, quæ Melchiſedech in præfiguratione futuri Myſterii Sacerdos obtulerat, in Sacramentum ſui Corporis, & Sanguinis transformavit.*

Atque ex omnibus Ecclesiarum Liturgiis confirmatum.

Id præcipue teſtantur Miſſale Gothicum vetus, ſeu Mozarabicum, Miſſæ ſcilicet Sacrificium a Chriſto inſtitutum.

Conſonat & Miſſale Gothicum vetus, ſeu Mozarabicum in Conteſtatione Miſſæ Dominicalis quartæ apud præfatos Thomaſium pag. 391., & Mabillonium in Liturg. Gallic. pag. 297. ubi & ferme eadem habentur: *Dignum & juſtum eſt, inviſibilis, inæſtimabilis immenſæ Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui formam Sacrificii perennis inſtituens Hoſtiam ſe Tibi primum obtulit, & primus docuit offerri:* His ſimilia leguntur in prima Miſſa Dominicali: *Poſt Sanctus. Vere ſanctus, vere benedictus Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus. Qui venit de Cœlis, ut converſaretur in terris homo factus, ut habitaret in nobis: Hoſtia effectus, ut nos faceret Sacerdotes:* Item in tertia Miſſa pariter Dominicali: *Poſt myſterium. Magnum hoc munus miſericordiæ eſt: Qui nobis docuit Redemptionis noſtræ Sacrificia celebrare, ſicut obtulit Dominus noſter Jeſus Chriſtus in terris.* Pariter in Sacramentario Romano apud eumdem Thomaſium lib. 1. in Officio feriæ quintæ in Cœna Domini pag. 67. *Hanc igitur oblationem .... quam tibi offerunt ob diem jejunii Cœnæ Dominicæ, in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus tradidit Diſcipulis ſuis Corporis, & Sanguinis ſui myſteria celebranda:* Et pag. 102. in Miſſa Dominicæ poſt Aſcenſionem Domini poſt ſecreta: *Agentes igitur indefeſſas gratias, ſanctamque munificentiam prædicantes, majeſtati tuæ hæc ſacra deferimus, quæ nobis ipſe ſalutis noſtræ author Chriſtus inſtituit. Quem laudant Angeli, &c.*

Item Sacramentarium Romanum.

Poſſem & alia in hanc rem monumenta ex Orientalis Eccleſiæ Liturgiis adferre, at pio, ſtudioſoque lectori hæc ex Latinis Miſſalibus excerpta ſufficere crediderim; qui vero ex illis adhuc inſtrui velit, adire poterit Goarium, Renaudotium, Aſſemanum, alioſque, qui de iiſdem Anaphoris ex profeſſo tractarunt. Interim, quod maxime notandum, ex mox allatis intelligimus I. Chriſtum Dominum inſtituendo Sacrificium Corporis, & Sanguinis ſui, ſe *Hoſtiam* Deo Patri *primum* tunc obtuliſſe, cum eam *primum docuit offerri*: Quod utique de Sacrificio, non Crucis, ſed Cœnæ dictum eſſe, quivis cordatus lector intelligit, uti optime notat Mabillonius Præf. ad Liturg. Gallic. num. X. Præterea obſervanda ſunt illa verba tertii Miſſalis Gallicani ſupra memorati: *Dum panem, & vinum ..... in Sacramentum ſui Corporis, & Sanguinis transformavit:* Quod transformationis vocabulum in eodem argumento de converſione panis, & vini in Chriſti Corpus, & Sanguinem quater in Miſſali primo repetitum, non aliud quam tranſubſtantiationem ſignificat. Quibus verbis item evidenter contra Novatores demonſtratur tranſubſtantiationis vocem recentis non eſſe inſtituti, nec ſub Innocentio III. in Concilio Lateranenſi IV. anno 1215. introductam, uti nequiter maligni contendunt, cum eadem in veteribus Latinorum Liturgiis expreſſa, ut patet, videatur.

Et Gallicanum.

Denique non omittendum hoc loco id, quod legitur in Miſſali Francorum apud dictum Mabillonium pag. 325. num. 22. ſuper oblata: *Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, ſpiritalem tibi, ſumme Pater, hoſtiam ſupplici ſervitute deferimus, quæ miro, ineffabilique myſterio immolatur ſemper, & eadem ſemper offertur, pariterque & devotorum munus, & remunerantis eſt præmium: Ubi ſpiritalem Hoſtiam* dicit Sacerdos, eo quod ſpiritaliter, ſeu ut Theologi dicunt, ſacramentaliter immoletur vera Chriſti caro, veruſque Sanguis, ut ex locis mox allatis. Quid? quod *adoranda Sacrificia*

ficia appellantur in fine Miſſalis Gallicani pag. 377. quomodo vero *adoranda Sacrificia*, niſi in iis vere, & realiter adeſſet præſens noſtræ adorationis objectum, quod eſt Deus? Plura id genus aliis omittimus, ac denique concludimus hanc ante annos mille ducentos, & amplius, ex quo illæ Liturgiæ traditione ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus accepta, in uſum Eccleſiarum ordinatæ ſunt, extitiſſe majorum noſtrorum perſuaſionem, & fidem, qua Chriſtum ſe ipſum Patri in Euchariſtia obtuliſſe, cum illam inſtituit, & Panem, ac Vinum in Sacramentum Chriſti Corporis, & Sanguinis transformari credebant. Quam eamdem fidem a majoribus traditam denuo fidelibus populis annunciandam, & ab iis firmiter tenendam ſancivit ſacra Tridentina Synodus ſeſſ. 22. cap. 1., & ſeqq. ut ſupra monuimus. In hanc rem plura dabunt inter cæteros Dominicus a Sanctiſſima Trinitate in ſua Bibl. Theol. lib. 4. ſect. XI. c. 70. Tomi 3. p. 2. Thomaſſin. Theol. Dogm. de Incarnatione Verbi lib. 10. a cap. 15. uſque ad 30. aliique multi, & Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſæc. 13. & 14. Differt. 13.

(2) *Hoc facite*, inquit, *in mei commemorationem*) Magno Areopagitæ reliqui veteres ſubſcribunt Patres, quos ultra jam recenſitos, & plures alios referunt, qui de æterno Chriſti Domini Sacerdotio differunt, Theologi. At his amplius non immorandum, cum vel ipſis Gentilibus apud Minutium, Arnobium, alioſque priſcos noſtræ fidei vindices ſatis notum fuerit Chriſtum Dominum a ſectatoribus ſuis novæ Legis, novæ Religionis, novique Sacrificii inſtitutorem ſemper aſſertum fuiſſe, eoſque Chriſtianos propterea novitatum amatores, avitæ traditionis deſertores, patriæ hoſtes, & ſuperſtitioſi cultus reos, Deorumque oſores publice ab Ethnicis inclamatos eſſe certo certius conſtet. Cur autem magnus Teletarchus noſter Jeſus Chriſtus unigenitus Dei Filius Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech homo factus, inter homines converſatus nova Lege, novo Sacerdotio, novum Sacrificium ab hominibus offerendum inſtituerit, præter rationem a S. Laurentio Juſtiniano traditam, quam profert Emin. Author, aliam exhibet Concilium Tridentinum, & quidem ex Sacra Scriptura, ac Patribus hauſtam: *Quoniam*, (inquit loco ſupracit. cap. 1.) *ſub priori Teſtamento, teſte Apoſtolo Paulo propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem conſummatio non erat, oportuit, Deo Patre miſericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgere Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui poſſet omnes quotquot ſacrificandi eſſent, conſummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus, & Dominus noſter, ciſi ſemel ſe ipſum in ara Crucis morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum, applicaretur, Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis Apoſtolis, quos tunc Novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit: & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba*: Hoc facite in meam commemorationem, *uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit*: Et poſt pauca de hac menſa Domini iterum loquens, concludit: *Hæc denique illa eſt, quæ per varias Sacrificiorum naturæ, & Legis tempore ſimilitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia per illa ſignificata, velut illorum omnium conſummatio, & perfectio compleditur*: Ita ex perpetua Catholicæ Eccleſiæ fide de Auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti Divina inſtitutione Sacroſanctum Concilium Tridentinum. Id aſſerimus, id profitemur, id credimus.

Item denique Concilium Tridentinum, quod cur Chriſtus Dominus Miſſæ Sacrificium inſtituerit, oſtendit.

Parænesis ad Novatores Miſſalitarios.

Deridebunt, ſcio, Miſſoliturgi Novatores hanc nimiam, ut ajunt, credulitatem noſtram, & quemadmodum Lucianus Samoſatenus ex Chriſtiano Atheus factus, omnis Religionis aſpernator, homo fœdiſſimus, loquentiæ multæ, at ſapientiæ minimæ, ut inquit Czl. Rhodiginus lib. 9. lect. antiq. cap. 19. priſcis Chriſtifidelibus ſæculi ſecundi, quo ipſe vixit, infenſiſſimus, illis ſimplicitatem hujuſmodi doctrinæ cœleſtis olim exprobraverat hac periodo, quam ſæpe contra pios hominum nequiſſimus uſurpabat: *Omnis doctrina, omnis ſapientia veſtra eſt, crede*: idem & iſti nobis obtrudent; at nos non movet, nec movebit umquam iſthæc ſubſannatio, & deriſio eorum, qui ſunt in circuitu noſtro; ſimiles Luciano Epicuræo fiant, qui ita cum ipſo ſentientes Catholicæ Romanæ Eccleſiæ ſacra omnia derident, & Miſſæ Sacrificium a Chriſto Domino inſtitutum, ab Apoſtolis, ut mox dicemus, frequentatum, atque a primævis fidelibus ſemper in ſumma veneratione habitum, contemnunt: Nos enim, quæ a majoribus noſtris tradita accepimus, ſimplici corde ad juſtitiam credentes, & ore ad ſalutem confitentes, quidquid e contra blaterent adverſarii, fideliter cuſtodire, ac firmiter uſque in ſæculum obſervare gloriabimur. Iis interea, ut convertantur, & credant, illud Auguſtini ex Tract. 29. in Joan. Oper. Tom. 9. hac in re conſiderandum proponimus: *Si vis intelligere, crede*: *Deus enim per Prophetam dixit* (Iſaiæ 7. 9.) niſi crediderit is, non intelligetis. *Intellectus enim merces eſt fidei. Ergo noli quærere intelligere, ut credas, ſed crede, ut intelligas*: Credant vel ex hoc principio certiſſimo mox a nobis demonſtrato, atque ab ipſis adverſariis conceſſo, Miſſam nempe ab annis mille ducentis, & amplius publica, plenaria, & univerſali Eccleſiæ conſenſione habitam eſſe pro vero apud Chriſtianos Sacrificio, uti nec diffitentur, inviti licet, Lutherus de Captiv. Babyl. cap. 1. & in Epiſt. dedicat. ad lib. de abroganda Miſſa; item Calvinus inſtit. lib. 4. cap. 18. §. 1. & 18. Si enim id verum non eſſet, neceſſario ſequeretur, ut fuſe oſtendit Bellarminus de Miſſa lib. 5. cap. 23. ab eo tempore Chriſti fidem deſiiſſe, rediiſſe idololatriam, Eccleſiam periiſſe, ac vana fuiſſe Prophetarum, & Chriſti ipſius oracula. Quæ quum abſurdiſſima ſint, & nullo modo credibilia ipſi incre-

increduli judicent, ut ſic tandem reſipiſcant.

Quibus prædicta omnia recapitulantur, ut reſipiſcant, & credant.

Atque ut id promptius, & facilius exequantur, eiſdem iterum ſimul collectos uno proſpectu conſpiciendos proponimus veteres Eccleſiæ Patres, & quot miris, ac peculiaribus nominibus, epithetis dictum Miſſæ Sacrificium exornent, exhibemus. Ex his aliquot tantum, & ſelecta proferam. Dionyſius Areopagita, ſive ille Apoſtoli Pauli diſcipulus, qui ab ipſo tradita, ſive alius quarti ſæculi Author, qui in Eccleſia tunc credita ſcripſit, hoc *Sacrificium Sacrificiorum* vocat, id enim *Teleton Teletе* Budæo ſignificat. Juſtinus *parum Chriſtianorum Sacrificium*. Irenæus *Novi Teſtamenti novam oblationem*, Origenes homil. 13. in Lev. *Commemorationem facientem Deum propitium hominibus*: Cyprianus *perenne Sacrificium, villimam, medicinam infirmitatum, Sacrificium Melchiſedech*. Euſebius Gallicanus homil. 5. de Paſchate *perpetuam Redemptionis oblationem, & perennem villimam*. Cyrillus Hieroſolymitanus. *Propitiationis Hoſtiam, Sanctum vivificum, inæruentum Sacrificium*. Athanaſius, *Hoſtiam exanguem, incruentam Villimam, Sacrificium vivis, & defunctis propitiatorium*. Euſebius alter Cæſarienſis lib. 1. de demonſtr. Evang. cap. 10. *Sacrificium plenum, tremendum, ſacroſanctum, novo more ſecundum novum Teſtamentum, Hoſtiam munlam*: Auguſtinus, *Sacrificium mediatoris, Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini, Sacrificium panis, & vini, Sacrificium pretii noſtri, Hoſtiam, qua deletum eſt chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, Sacrificium ſalutare, Sacrificium Eccleſiæ, Sacrificium, quod norunt fideles, Sacrificium ſingulare, Oblationem, & Sacrificium Altaris, Sacrificium Novi Teſtamenti &c.* Chryſoſtomus, *Viviſicam Oblationem, honorabile Sacrificium, tremendu Sacrificia*, & alia hujuſmodi laudum præconia de hoc auguſtiſſimo Sacramento, ut præ cæteris in eodem magnificando, ac exaltando pene totus ſit in ſuis ad populum concionibus. Nitto reliquos Patres, qui omnes itidem ſimilibus encomiis, uno ore, eodem ſpiritu, parque fide glorificant Deum in hoc ſuo donorum dono, quo ipſe ſe nobis tradidit, ſecumque omnia nobis donavit, ac oſtendit delicias ſuas eſſe cum filiis hominum, cum quibus, uti promittere dignatus eſt, & nobiſcum erit redi præſentia majeſtatis in altiſſimo, ac admirabili ſe inſtituto Euchariſtiæ Sacrificio, & Sacramento. Horum omnium Elenchum plenique texuere, inter quos præcipui Card. Roſſenſis in Proem. Lib. II. de Euchariſtia contra Oecolampadium, Democharес Monchiacenus de Miſſa Tom. 2. Joannes Garetius in ſuo conſenſu omnium ætatum, nationum, & Provinciarum in veritatem Corporis Chriſti in Euchariſtia claſſe prima, & ſeq. Aloyſius Novarinus Elect. Sac. Tom. 3. ſeu de Agno Euchar. Theoph. Raynaudus in ſuo Onomaſtico pariter Euchariſtico, aliique. Hæc itaque, ut oſtendimus, veterum ſæculorum traditio eſt, quam a primis Fidei Chriſtianæ fatoribus, & Apoſtolorum diſcipulis acceptam Patres noſtri annuntiaverunt nobis; hæc Eccleſiæ univerſalis, & Catholicæ vox, doctrina, & Romana Fides, quæ olim Apoſtolo teſte ad Rom. 1. 8. & nunc plenario Liturgiarum omnium conſenſu, ut videbimus, annuntiatur in univerſo Mundo de hoc ineffabili Novi Teſtamenti Sacrificio. Qui Eccleſiam ſic docentem non audierit, ſit nobis tamquam Ethnicus, & Publicanus.

§. II.

Idem Miſſæ Sacrificium ab Apoſtolis frequentatum.

Item ab Apoſtolis frequentatum.

CHriſti vero mandata non neglexerunt Apoſtoli, nam ut ſcribit in eorum actis cap. 2. S. Lucas: *Erant perſeverantes in communicatione fractionis panis:* (1) Et infra cap. 20. *Una Sabbatorum cum convenirent ad frangendum* (1) *panem;* ad Sacramenta ſcilicet, & Myſteria celebranda, ut exponunt Auguſtinus Ep. 86. ad Caſulanum, Beda in Commentariis citati capitis, & alii Patres paſſim. (2) Paulus quoque 1. ad Cor. c. 11. ſic Scribit. *Convenientibus* (2) *vobis in unum jam non eſt Dominicam cænam manducare.* Et paucis interjectis, a Chriſto Sacrificium inſtitutum narrat dicens: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate. Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem, poſtquam cœnavit, dicens. Hic Calix novum teſtamentum eſt in meo Sanguine, hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.* Idem ad Timotheum Ep. 1. cap. 2. *Obſecro fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones.* Quem locum ad Sacrificium Miſſæ aptiſſime refert Auguſtinus Ep. 59. ad Paulinum, (five ut habetur in noviſſima editione Patrum S. Mauri ad Victorinum) quæſt. 5. dicens: *Eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Eccleſia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici: orationes, cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Eccleſia Dominica oratione concludit. Interpellationes autem,*

tem, ſive ut noſtri Codices habent, poſtulationes ſiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim Antiſtites veluti Advocati ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordioſiſſimæ offerunt pietati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Hæc Auguſtinus, ex cujus expoſitione evidentiſſime colligitur talem ejus ævo fuiſſe ordinem Miſſæ, qualis nunc permanet in Eccleſia Romana, quæ cum Africana tunc conteſſeravit, ut loquitur Tertullianus de *Præſcript. cap.* 36. (3) Nam primo præmittuntur precationes uſque ad Canonem; ſequitur Canon, quem nomine orationis intelligit Auguſtinus, in cujus fine oratio Dominica recitatur. Tum meminit benedictionis Epiſcopalis, quæ olim communioni præmitti ſolebat. Demum poſt communionem gratiarum actione Miſſarum Solemnia terminantur. Omnes autem Apoſtolos ad modum, & ritum Sacri miniſterii aliquid contuliſſe, teſtatur Epiphanius Hær. 79. *Petrus*, inquit, *& Andreas, Jacobus, & Joannes, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, Thaddæus, & Jacobus Alphæi, & Judas Jacobi, & Simon Cananæus, & Matthias in complementum duodecim electus, hi omnes electi ſunt Apoſtoli per orbem Sacram Evangelii funCtionem adminiſtrantes, una cum Paulo, & Barnaba, ac reliquis, & Myſteriorum inſtitutores cum Jacobo Fratre Domini, & primo Hieroſolymorum Epiſcopo.* Myſteriorum autem nomine Sacrificii celebrationem intelligi ſupervacue hic probare conarer. Idem tradunt Nicolaus Methonenſis *Tract. ad eos, qui baſitant*, & Cabaſila in *Expoſit. Liturg. cap.* 29.

(3)

Communicatio fractionis panis, cum communis, ſeu Euchariſtiæ.

(1) *In Communicatione fractionis panis*) Theodorus Beza, alii ipſius gregales, & nonnulli Catholici, ut notat Cornelius a Lapide in hunc locum accipiunt panem communem, quod nempe dicti Chriſtiani habebant menſas communes, & communia convivia agitabant; verum hæc laus non eſſet Chriſtianorum, ſed Epicurærorum. Panis igitur fractio hoc loco non communis, ſed Euchariſtici erat; & quidem Syrus Interpres clare vertit: *& communicabant in oratione, & fractione Euchariſtiæ*: græca utens dictione, quam retinuerunt Syri, & Latini acceperunt in ſignificando Corporis Chriſti Sacramento. Conſonat autem hæc dictio græcæ verſioni illius textus, item Lucæ ibidem cap. 13. v. 2. ubi dicitur: *miniſtrantibus illis Domino*, ideſt Sacrificantibus, ut Græcus legit Interpres, de quo ſupra Emin. Author, atque ita etiam interpretatur Eraſmus, cui ſuffragatur Sanctius, Eſtius, Card. Bellarminus, Lorinus, A Lapide, aliique; Nonnulli hunc Textum ſic optime vertunt: *ipſis autem Liturgiam Domino celebrantibus*, vel ut ex verſione vulgata, *miniſtrantibus Domino*, miniſterio ſcilicet a Chriſto Jeſu inſtituto, quod eſt Sacrificium, & celebratio Liturgiæ. Et ſane nonniſi hoc divino miniſterio ſtricte, proprie, ac proxime dicitur miniſtrari Domino; ſiquidem in cæteris ſacris Officiis, ſive ſint circa Verbi Divini prædicationem, ſive Sacramentorum diſtributionem, aut aliquid ſimile opus divinum, hæc potius hominibus impenduntur, quam Deo; non enim concionamur Deo, neque Sacramenta Domino diſpenſamus, ut inquit Card. Bellarminus de Miſſa lib. 5. cap. 13. ſed populo, cui æternæ ſaluti miniſtri, & diſpenſatores Myſteriorum Dei Sacerdotes conſtituti ſunt. Eapropter S. Evangeliſta loc. cit. dicit: *miniſtrantibus Domino*, ſcilicet Sacrificantibus, per illud quippe adjectum Domino, non aliud, quam Sacrificium ſe ſignificare voluiſſe denotat, eo vel maxime, quod licet hoc verbum λειτουργεῖν, Latine *Miniſtro* ad ſacra, & profana miniſteria accommodari poſſit, cum tamen accommodatur ad ſacra, & abſolute ponitur in Scripturis, ubique pro Sacrificii miniſterio accipitur, ut patet ex ipſius Luc. cap. 1. 23. ubi Liturgiæ voce miniſterium Sacerdotale Zachariæ exprimitur, & ex Ep. ad Hebræos cap. 2. 8. 9. ac 10. Quare apud Sanctos Patres, & omnes Orthodoxos Authores dictum verbum *miniſtro Domino* ſignificat, *Sacrifico*; & *Liturgia* Sacrificium per antonomaſiam, tamquam præſtantiſſimum omnium munus publicum, quod obiri poſſit. Vide Mortierium in ſua Etymol. Sac. Græcolat. verbo *Liturgia*.

Præterea quoad priorem Textum, id ex verbis circumſtantibus, & ipſo contextu patet, ea enim fractio panis interjicitur ibi inter doctrinam Apoſtolorum, & orationes, ſic namque habetur: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: Erat ergo hæc fractio ejuſdem ordinis, puta ſpiritualis, uti illa erant ſpiritualia, non carnalis, uti eſſet, ſi panis communis. Hæc ultra ex infra dicendis confirmantur. Porro Nicolaus de Lyra in ſuis Gloſſis ordinariis, & interlin. hunc textum utroque ſenſu interpretatur dicens: *In communicatione fractionis panis: tum quod quotidie*, ſubdit, *communicabant, tum quod communes cibos, ſicus & cetera communia habebant.*

Id communiter ſentiunt Patres.

(2) *Et alii Patres paſſim*) Paulo poſt idem Lucas: *Aſcendens autem*, inquit, *frangenſque panem, &c.* Dictos porro textus, quemadmodum, & ipſius Lucæ in Evangelii cap. 24. v. 31. ubi narratur, Chriſtum Dominum duobus diſcipulis in Emmaus panem fregiſſe, & diſtribuiſſe, atque ab iis cognitum fuiſſe in fractione panis, præter citatos Patres, Hieronymus

nymus in Epitaphio Paulæ, item Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evang. cap. 25. & tract. 2. in Epiſt. Joan. ac ſerm. 140. de temp. & alibi. Chryſoſtomus hom. ex var. Marci locis, Author Operis Imperf. in Matth. hom. 17. Heſychius lib. 2. in Levit. cap. 9. Euthymius, & Theophylactus in Lucam, aliique ſacri Doctores interpretantur de pane Euchariſtico. Verum non deſunt etiam ex Catholicis, qui aliter intelligi volunt, & hujuſmodi communicationem fractionis panis utroque modo exponunt, tum de pane cæleſti, tum de communi, ita Lyranus, ut ſupra. Card. Hugo, & de ſecundo tantum Card. Cajetanus in Acta Apoſt. ad hunc locum, aliique; Quin immo ſupranotatum Lucæ textum, ſeu fractionem panis, qua peregrinantes diſcipuli comitem Dominum agnoverunt, ſunt, qui negant de Euchariſtia debere intelligi, videlicet Janſenius Gandavenſis in Concor. Evang. cap. 146. Dionyſius Carthuſianus, & Suarez Tom. 3. in 3. partem D. Thomæ Diſp. 43. Sect. 3. in fine. Item Guillelmus Eſtius in Sacram Scripturam pag. 994. expreſſe affirmat nullum hoc loco ſumi argumentum pro conſecratione Corporis Domini, cumque ipſo Natalis Alexander Expoſit. in Evang. col. 1196. & in Paralipomenis Theol. Moral. ſeu variis de rebus moral. Epiſtolis editionis Delphien. pag. 194. Item Theol. Dogm. mor. edit. Ven. Append. 1. Epiſt. 33. pag. 25. panem illum a Domino Diſcipulis diſtributum in Emmaus communem fuiſſe, non Euchariſticum probare nititur, quamvis Euchariſtiæ typus fuerit.

Et ſæpe Expoſitores.

Verior tamen, & communior ſententia eſt tum ex dictis Patribus, tum ex Card. Roſſenſi art. 16. contra Lutherum, Thoma Waldenſi de Sacramentis cap. 89., Maldonato, Balthaſſare Corderio in Cat. Græc. PP. Cornelio a Lapide ſupracitato, Salmerono, Lorino, Dominico a Sanctiſſima Trinitate Bibl. Theol. Tom. 5. p. 2. lib. 4. ſect. XI. cap. 69. p. 818. Medina in 3. partem D. Thomæ quæſt. 55. art. 4. aliiſque pluribus Chriſtum Dominum ibi vere Euchariſticum ſui Corporis Sacramentum diſcipulis miniſtraſſe. Et primo, quia eodem modo loquuntur reliqui Evangeliſtæ de Euchariſtia, ut hic Sanctus Lucas de pane. Secundo, quia benedictio hæc non videtur facta initio Cœnæ, ſed potius in medio, vel fine, uti indicant verba Evangeliſtæ de Euchariſtia: *Et factum eſt, dum recumberet cum eis*: conſequenter non fuit communis benedictio, quæ Cœnæ præmittitur, ſed Sacra, & Euchariſtica. Accedit miraculum, quo ſtatim Diſcipuli cognoverunt Chriſtum in fractione panis, cum ipſum antea tot ſermonibus non agnoviſſent, quod alia ratione, quam virtute Euchariſtiæ factum eſſe non poteſt; pani enim communi id tribui nequit, uti optime notat Author Operis Imperfecti in Matth. loco ſupracit. Atque hinc, aliiſque ſimilibus locis ſufficienter comprobatur uſus unius ſpeciei in Sacramento Euchariſtiæ, hic enim calicem non ſumpſiſſe, ex eo patet, quod ſtatim poſt porrectionem panis aperti ſunt oculi eorum, & Chriſtus ab ipſis evanuit. Ubi igitur in Novo Teſtamento, vel a Chriſto Domino, vel ab Apoſtolis ex ejus inſtitutione fractio panis peracta legitur, hæc de Sacra Euchariſtia intelligenda eſt.

Panis item a Domino Diſcipulis in Emmaus diſtributus, non communis, ſed Euchariſticus.

Huic porro ſolidiori ſententiæ, quod ſcilicet Chriſtus Dominus duobus Diſcipulis Emmaus euntibus vere Euchariſtiæ Sacramentum porrexerit, vel inviti contrariæ opinionis aſſertores ſubſcribere videntur; Sanctus enim Auguſtinus, quem illi pro ſe allegant, & præcipue Natalis Alexander locis citatis lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum ad dictum textum Lucæ, noſtræ potius, quam eorum favet aſſertioni; ait enim ibi: *Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a Satana fuiſſe, ne agnoſceretur Jeſus, ſed tamen a Chriſto eſt facta permiſſio uſque ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Chriſtus poſſit agnoſci*: Notanda ſunt ea verba, *Sacramentum panis, & unitate corporis ejus participata*, quibus profecto non Euchariſtiæ typum, aut figuram, ſed vere Euchariſticum Sacramentum quiſque ſanæ fidei exprimi dicet. Itaque (ut optime contra Natalem Alexandrum alter ejuſdem Ordinis ſocius author Operis de Re Sacrament. contra Hæret. Tom. 1. pag. 441.) „ Diſcipuli Emmaus unitati Corporis „ Chriſti, accepto ex ejus manibus pane ſan„ ctificato participarunt, liberatique ſunt ab „ impedimento, quo eorum oculos, ne co„ gnoſceretur ab eis Jeſus, Satanas obſtrin„ xerat, qui ſunt Sacræ Communionis effe„ctus, neque hanc gratiam niſi ſolius Euchariſtici panis ſumptione obtineri, tum dictus Auguſtinus, tum reliqui Patres affirmant. Præterea Janſenius Gandavenſis, etſi videatur huic ſententiæ contrarius, tamen loco citato concludit probabile ſaltem hinc ſumi argumentum, quo defendatur receptus jam Eccleſiæ uſus communicandi Laicis Sacramentum Euchariſtiæ ſub unica ſpecie.

Eccleſiæ Africanæ cum Romana mutua in ritibus conſenſio.

(3) *Tertullianus de Præſcript. cap. 36.*) Ad hunc locum ita Chriſt. Lupus: Doctor affirmat Africanam Eccleſiam eſſe omnino orthodoxam, & germaniſſime Apoſtolicam, eo quod ſemper cum Romana quoad omnem catholicam communionem conteſſeraverit, atque ab ipſa acceperit conteſſerandi originem. Et ſane in eodem præſcript. libro, & cap. idem Tertullianus: *Habes*, ait, *Romam, unde nobis authoritas*: quam ſententiam eſſe Tertulliano familiarem dictus Lupus oſtendit in notis ad laudatum librum. Vide etiam Cyprianum Epiſt. 52. 55. 67., & 76. Porro de Liturgia, & Orthodoxa Africanæ Eccleſiæ conteſſeratione cum Romana nonnulla ſupradicta ſunt cap. 3. §. 4., atque item cap. 7. §. 3. dicentur. Verum, ut hoc loci eadem uberius comprobetur, alia itidem adjiciemus.

Utrumque Miſſæ ordo in Africa.

Et quidem eumdem Miſſæ ordinem in Africa fuiſſe, ac in Eccleſia Romana, non raro, quin & perſpicue exprimit Auguſtinus in ſuis ad populum Sermonibus, Operum Tomo 5. novæ edit. Etenim duas tantum lectiones de more, ut in Eccleſia Romana, cum intermedio pſalmo recitari ſoliras fuiſſe, id patet ex Serm. 112., alias in vet. edit. Serm. 33. *Lectiones*, inquit, *ſanctæ propoſitæ ſunt, & quas audiamus, & de quibus aliquid ſermonis, adjuvante Domino, proferamus. In lectione Apoſtolica gratiæ aguntur Domino de fide gentium. In pſal-*

mo

mo diximus: Deus virtutum converte nos, &c. *In Evangelio ad cœnam vocati ſumus*. Brevius in ſermone 165. *Apoſtolum audivimus, Pſalmum audivimus, Evangelium audivimus*; quod & repetit his ſenſibus in alio ſermone olim 10. de verbis Apoſt. *Lectionem Apoſtoli audivimus, deinde cantavimus Pſalmum, poſt hæc Evangelica lectio*. Idem colligitur ex ſermonibus 170. & 176. Vides hic Epiſtolam, graduale cum tractu, & poſtea Evangelium, uti in Miſſa Romana, Tractus item ſtatis diebus duplici claudebatur *alleluja*, uti etiam idem Auguſtinus pleriſque in locis, & Commentariis in Pſalmos teſtatur, præcipue in Pſal. 106. *Eſt alleluja*, inquit, *& bis alleluja, quod nobis cantare certo tempore ſolemniter moris eſt ſecundum Eccleſiæ antiquam traditionem, neque enim & hoc ſine Sacramento certis diebus cantamus alleluja*. Poſt Evangelium fiebat ſermo, ſeu homilia ad populum, uti & nunc moris eſt; *cum ergo*, (inquit Auguſtinus ſerm. 237. de tempore) *in ultimum ſit ſanctum Evangelium recitatum, non dubito expectare charitatem veſtram, ut de conductis, ac de mercede denarii aliquid audiatis*. Quod & alibi paſſim Sanctus innuit Doctor, ac luculenter demonſtrat clar. Bernardinus Ferrarius de vet. Concionum Ritu lib. 3. cap. 20. *poſt ſermonem ſit Miſſa* (ejuſdem Auguſtini verba ſunt ſerm. 49. num. 8.) *Cathecumenis*, ſeu illorum dimiſſio, & Miſſa Fidelium incipiebat, *manebunt Fideles, venietur ad locum orationis*: Præterea eadem clauſula in omnibus Collectis adhibebatur, videlicet: *Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.* Uti ex Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo, & Auguſtini diſcipulo oſtendit Emin. Author lib. 2. cap. 5. §. 5. Eadem pariter præfationum formula, ac Romana ibidem cap. 10. §. 1. ex pluribus Auguſtini locis evincitur, atque ex Concilio Carthaginenſi III. Can. 23. Deinde ex ſerm. 227. colligitur peracta ſanctificatione Sacrificii, ut inquit Auguſtinus, recitatam fuiſſe orationem Dominicam, & poſt ipſam, *pax vobiſcum*. Denique Poſtcommunio, ſeu gratiarum actio ab eodem Auguſtino indicatur Epiſt. 59. ad Paulinum, ubi ait: *Participato Sacramento gratiarum actio cuncta concludit*. Vides hic Africanam Liturgiam in omnibus Romanæ Miſſæ conformem, quod & toto libro ſecundo, in quo ſingulæ Miſſæ partes explicabuntur, uberius conſtabit. Licet autem eamdem Africanam Eccleſiam, ut fide, ita & ritibus cum Romana conveniſſe, item ex ſcriptis Tertulliani, Cypriani, Optati, aliorumque illius Eccleſiæ Doctoribus non obſcure colligatur; nonnulla tamen varietas apud ipſam interceſſit, de qua infra cap. 7. §. 2. nota 3. Quæ etiam, ut dicetur, ad ſola accidentalia pertinebat, Sacrificii non ſolum ſubſtantia, quæ rituum diverſitate non tollitur, ſed forma etiam, ac ſerie Pſalmodiæ, lectionum, & precum, ut ſupra dictum eſt, inconcuſſa permanente.

§. III.

Ethnicorum calumniæ adverſus Chriſtianos, & earum origo.

Ethnicorum adverſus Chriſtianos calumniæ.

HUc pertinent adverſus Chriſtianos Ethnicorum calumniæ ob cœtus antelucanos, & occulta conventicula, unde *natio latebroſa, & lucifugax* dicta apud Minutium Felicem. Et quia aliquid ſuboſcure perceperant de Sacramento Corporis, & Sanguinis Chriſti, accuſabant eos de cæde infantis, & epulis Thyeſtæis. *Dicimur ſceleratiſſimi*, ait Tertullianus Apolog. cap. 7. *de Sacramento infanticidii, & pabulo, inde & poſt convivium inceſto*. Cœcilius apud Minutium: *Infantis ſanguinem ſitienter lambunt, hujus certatim membra diſpertiunt, hac fœderantur hoſtia*. Juſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone: *An vos etiam de nobis creditis, homines nos vorare, & poſt epulum lucernis extinctis nefario concubitu promiſcue involvi?* Athenagoras in Apologia pro Chriſtianis: *Trium flagitiorum infamis rumor de nobis ſpargitur, impietas quæ Deos tollat, epulæ Thyeſtææ, concubitus inceſti*. Idem objectum a Tyranno Martyribus Lugdunenſibus ex illorum Actis didicimus apud Euſebium initio lib. 5. Eccleſ. Hiſtoriæ. Theophilus ad Autolicum lib. 3. *Iſtud præterea & crudeliſſimum, & immaniſſimum eſt, quod nobis intendunt crimen, nos humanis carnibus veſci*. Quæ profecto calumnia ex eo eſt orta, quod Chriſtiani metu perſecutionis clam convenirent, ut Miſſæ intereſſent, & Chriſti Corpore reficerentur. (1) Promiſcui autem concubitus hinc forte nata ſuſpicio, quod utriuſque ſexus Fideles *antelucanis coitionibus*, ut ait Minutius, congregarentur; quæ prima fuit Celſi Epicuræi adverſus Chriſtianos criminatio, teſte Origene lib. 1. adverſus eumdem: vel quia per oſculum pacis ſe invicem ante communionem ſalutabant. Ideo Tertullianus *lib. 2. ad uxorem cap. 4.* non paſſurum ait maritum gentilem uxorem fidelem cum cæteris Fidelibus nocturnis convocationibus convenire *ad Convivium Dominicum, quod infamant*, ſuſpicionibus videlicet ſupra enarratis. Miratus ſum virum magnæ eruditionis, (2) & dignitatis in Notis ad Tertullia-

Earum origo.

(1)

(2)

tullianum contra communem ſententiam hunc locum de Agapis explicare; cum ipſimet Sectarii fateantur, (3) non poſſe aliter exponi, quam de convivio Euchariſtico, niſi vis manifeſta textui inferatur. Prædictas vero criminationes quidam ad Gnoſticos, & Adamitas referunt, & ad eorum nefarios congreſſus, quod quamvis a veri ſimilitudine non abhorreat; verius tamen videtur Ethnicorum malitiæ adſcribendas eſſe, (4) qui ex odio adverſus Chriſtianos, & ex eorum occultis, ut diximus, coitionibus occaſionem arripuerunt falſa illis crimina imponendi. Sed præſtat alia teſtimonia Patrum afferre, quæ nulla poſſint interpretatione in alium ſenſum detorqueri. (3) (4)

A quibus, & quando inventa.

(1) *Et Chriſti Corpore veſciverentur*) Quandonam hæc calumnia in Chriſtianos ab Ethnicis inficta cœperit, indicat Tertullianus in Apologetico cap. 7. afferens ibi jam inde a temporibus Tiberii Thyeſtæas epulas in invidiam, odiumque Chriſtiani nominis confictas fuiſſe; a quibus vero eadem impoſtura primo inventa fuerit, notat Euſebius lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 7. ſcribens Carpocratem, Baſilidem, Saturainum, & Menandrum Simonis Magi diſcipulos ſeduxiſſe fidelium plurimos, & per illos *gentibus a fide noſtra alienis ampliam obtrectandi, & calumniandi Evangelii materiam ſubminiſtraſſe, dum ab illis primum orta infamia ad totius Chriſtiani nominis opprobrium diffunderetur. Atque hinc factum eſt, ut abſurda quædam, & impia de nobis opinio apud infideles tunc temporis ſpargeretur, quaſi nefario concubitu cum ſororibus, & matribus miſceri, & execrandis dapibus veſci ſoleremus.* Videtur porro Euſebius hoc loci Tertulliano contrarius, etenim Simonis Magi diſcipulos Tiberio poſteriores fuiſſe compertum eſt. Verum cum Simonem ipſum Tiberio coævum fuiſſe conſtet, nihil officit diſcipulos a ſuo impio magiſtro hanc calumniam didiciſſe, ita ut, quod Euſebius de publicato per orbem falſo crimine Adriani temporibus, quibus Simonis diſcipuli fideles feducebant, adſcribit, hoc de inventa per ipſum Simonem calumnia ſub Tiberii principatu Tertullianus collocare potuerit; ſiquidem Simon iſte poſt Chriſti Aſcenſionem a Philippo Diacono baptizatus, occultis Chriſtianorum Sacris ſæpius interfuit, adeoque ex ſecreti ritus proditione calumnia illa per hunc Chriſtianæ fidei deferrorem, infamem hæreticum, & ſceleſtiſſimum prætigiatorem oriri cœpit. Idque ex Origene confirmari poteſt lib. 6. contra Celſum, ait enim ibi, *quod Judæi Chriſtianæ doctrinæ initio ſparſerint rumorem, quod ejus Sectæ homines maſtati pueri veſcerentur carnibus*: Judæi autem a nullo alio edocti fuere, quam a Simone Mago, hic enim initio Chriſtianæ fidei, quam ſicte amplexus fuerat, ad vomitum reverſus, inter Judæos ſuos dudum verſatus eſt. Ab ipſo itaque edocti Judæi Chriſtianos de infanticidio accuſarunt, rumoremque criminationis hujus etiam apud gentes ſparſerunt. Potuere & alii Apoſtatæ calumniam eamdem confirmare, atque ejuſmodi infanticidium Chriſtianis affingere; quapropter iidem fidcles ad finem primi ſæculi eo de ſcelere coram Trajano Imperatore, & Plinio Bithyniæ Proconſule tamquam vere nocentes, & rei delati fuerunt, adeoque ad ſæculi tertii initium Cæcilius Ethnicus Octavio Chriſtiano apud Minutium Felicem appoſuit Frontonem in publicis theatris infanticidii crimen Chriſtianis objeciſſe. Atque inde origo hujuſcemodi impactæ in Chriſtianos calumniæ, quam etiam ex diſciplina Arcani tunc obſervata originem duxit, uti pluribus diſtinctiſſime oſtendit Emmanuel a Schelestrate in ſua hac de re peculiari diſſertatione. Sed de eadem in Chriſtianos calumnia iterum infra num. 4.

A Simonis Magi diſcipulis diſſeminatæ.

(2) *Virum magnæ eruditionis, &c.*) Præ modeſtia Emin. Author eruditiſſimi viri nomen reticet, ſed ut curioſo lectori morem geram, ſicque hujus ſæculi genio indulgeam, quo in iis, quæ ad eruditionem tantum, nullatenus ad fidem pertinent, unicuique licitum abundare in ſenſu ſuo, abſque imprudentiæ nota illum revelare ſas ſit. Is igitur eſt clariſſimus vir Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis in notis ad hunc locum Tertulliani pag. 163. poſt Optati, & Facundi Operi, ubi hanc opinionem mordicus ſuſtinet, cui, ut ait Rigaltius pariter in notis ad eumdem Tertullianum, ex antiquis fere unicus Theodoretus videtur faviſſe, cum S. Hieronymus, aliique Patres *Convivium Dominicum*, non Agapas, ſed Euchariſtiam intelligi affirment. Cæterum ſi femel inviti concedamus per dictum Convivium Dominicum Agapas a Tertulliano indicari, vix erit hujuſce appellationis cauſa probabilior, quam & Agapas ideo Dominicas nuncupari placuiſſe, quia Dominicis diebus ad eas Chriſtiani convenirent, & poſt Dominicam cœnam eædem celebrarentur. *Gabriel Albaſpinæus nomen.*

(3) *Cum ipſimet Sectarii fateantur*) Rhenanus, & Junius ad hunc Tertulliani locum, Caſaubonus Exercit. 6. in Baronium p. 512. Phil. Mornæus de Euchariſtia cap. 6. pag. 60. aliique.

Varie diverſitas.

(4) *Verius tamen videtur Ethnicorum malitiæ, &c.*) Varii varios harum criminatio-num adverſus Chriſtianos authores ferunt. Has primo Judæis adſcribunt Tertullianus in Apolog. cap. 7. *Tot hoſtes ejus* (Chriſtianæ Religionis, inquit,) *quot extranei, & quidem proprii ex æmulatione Judæi, ex conceſſione milites, ex natura ipſi etiam domeſtici noſtri*: Origenes, ut ſupra diximus lib. 6. contra Celſum hujus calumniæ Judæos impoſtores facit, & paulo poſt eamdem Chriſtianorum infamationem Gnoſticorum turpitudinum cauſa exortam referens, ita de iiſdem inquit: *Apparet ſane nihil ſecus egiſſe, ac Judæi in ipſo Chriſtianæ Religionis, & veræ diſciplinæ prorſus initio ſatisfabant, qui ad noſtræ doctrinæ notam, & infamiam illud diſſeminarent, quod Chriſtianis puerum aliquem immolandi mos eſſet, cujus & carnem.* *Judæis.* *Gnoſticis.*

rem ſinguli degustarent: Sic eiſdem Gnoſticis, & Adamitis hanc in Chriſtianos calumniam tribuit Epiphanius hær. 27. ubi non ſine lacrymis hæc de illis ſcribit: *Quod hominum genus ad Eccleſiæ Dei probrum, & offendiculum adornaſſe, & ſubmiſiſſe Satanas videtur, quippe qui Chriſtianorum ſibi nomen indiderunt, ut propter illos offenſæ nationes a Sanctæ Dei Eccleſiæ utilitate abhorreant, nunciatamque veritatem ob immania illorum facinora, & incredibilem nequitiam repudient*: Idem de Simonis Magi diſcipulis, ut item ſupra adnotavimus, teſtatur Euſebius.

Euſebianis. Hujus etiam calumniæ cauſam S. Julius Papa I. Epiſtola 3. ad Orientales (Concil. Tom. 2. pag. 507.) Euſebianis tribuit, ubi eoſdem increpat, quod *ſub externo Judice præſentibus Catechumenis, & quod pejus eſt, Ethnicis, & Judæis Chriſtianiſmum blaſphemantibus quæſtionem de Sanguine, & Corpore Chriſti habuerint*, quod & Synodus Alexandrina in cauſa Athanaſii confirmat. Denique Chriſtianorum famulis earum criminationum originem adſcribendam cenſent Euſebius præfatus Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 1., & Oecumenius Comment. in I. Epiſt. S. Petri cap. 3. in fin. ubi ſe ex Irenæo id didiciſſe ait, dicens, *quod cum Græci Servos Chriſtianorum in divinis myſteriis edoctorum apprehendiſſent, ipſiſque vim inferrent, ut videlicet arcanum quidpiam ab his de Chriſtianis diſcerent; hique Servi non haberent quomodo vim inferentibus ad delectationem, & gratiam loquerentur, præter quam quod a Dominis audierant, divinam participationem eſſe Sanguinem, & Corpus Chriſti, exiſtimantes ipſi, quod vere Sanguis, & caro eſſet, hoc reſponderint inquirentibus. Illi vero id ſumentes tamquam re ipſa hoc perageretur a Chriſtianis, id aliis quoque manifeſtabant Græcis, & Martyres, Sanctum, & Blandinam tormentis id fateri cogebant*: Hæc Oecumenius, quem & referunt Ant. Arnaldus Tom. 3. perpet. fid. lib. 7. cap. 2., ac Hon. Tournelly de Sacr. Euch. edit. Colon. Tom. 3. pag. 333.

Chriſtianorum ſervis.

Miratus ſum clar. virum Emm. Scheleſtratium Vaticanæ Bibliothecæ Præfectum in Oecumenio laudatum textum *nec Latine, nec Græce*, (ut inquit Differt. Apolog. de diſcipl. Arcani c. 3. pag. 3.) *reperire potuiſſe*, cum eumdem utraque lingua in cæteris illius Commentariis edit. Pariſ. 1631. excuſum legerim Tom. 2. pag. 498. niſi forte de vetere Codice MS. loquatur: quod an verum ſit, alii videant. Sed & neque in Irenæo, aut inter ejus fragmenta ex aliis Authoribus edita hiſtoriam hujuſmodi ab Oecumenio relatam conſpici ſubdit idem Scheleſtratius, quæ tamen non nihil diverſa exhibetur in Martyrum Lugduncnſium Epiſtola ad fratres per Aſiam conſtitutos data, quam ferme integram nobis ſervavit Euſebius lib. 5. cap. 1. Ejuſdem Epiſtolæ verba hæc ſunt, *Capti ſunt etiam quidam noſtrorum Servi, qui Gentiles erant, (quandoquidem Præſes nos omnes requiri palam juſſerat) qui dæmonis impulſu cum tormenta reformidarent, quæ Sanctos perpeti videbant, militibus ad hoc ipſum incitantibus, Thyeſtæas quaſdam cænas, & inceſtos Oedipi concubitus, & alia, quæ nec proloqui nobis, nec cogitare fas eſt, ac ne credere quidem juſtinemus, apud homines umquam geſta fuiſſe, adverſus nos mentiti ſunt. Hiſce autem evulgatis, omnes in nos, ut feræ dejecerunt.*

Ex his omnibus non aliud profecto videtur fuiſſe harum accuſationum fundamentum, quam male a Gentilibus intellectum, de quo infra dicemus, Eucharistiæ myſterium, ſcilicet, ut fieri aſſolet in iis, quæ fama tantum, & rumore quodam confuſo cognoſcuntur, eſt aliquid veri falſo admixtum, ſic hujuſmodi criminationum occaſio verum ſupponebat, a Chriſtianis nempe Chriſti Corpus, & Sanguinem manducari, & bibi, quod tamen multis falſis, putidiſque commentis adulterabant Gentiles, cum vivum Corpus viſibile mactari, diſcerpi, ac cruento modo comedi mentiebantur, modumque iſtius manducationis, ac præſentiæ Chriſti in Euchariſtia, utpote qui obſtruſior, & maxime reconditus, plane ignorarent. Hinc Sanctus Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 13. ex hac confuſa in Gentilibus Euchariſtiæ Chriſtianorum notitia, quodque Chriſtiani, ut Maximus Mediurenſis Philoſophus apud ipſum Epiſt. 16. alias 43. ajebat, Deum, quem quaſi proprium ſibi vindicabant, in locis abditis, ut præſentem colerent, inquit, *nonnullos exiſtimaſſe apud Chriſtianos Cererem, & Liberum coli*, qui Dii Gentilium ab ipſis Ethnicis fereta item frumenti, uvarumque Oblatione colebantur; adeo erat confuſa, & perturbata apud Paganos noſtrorum myſteriorum idea.

Utcumque fuerit, & quibuſvis ea calumnia adſcribenda ſit, in tantum popularium animos ipſa pervaſit, ut in theatris poſtmodum ac publicis concionibus ſæpius conclamaretur, *tolle impios*, quod univerſum Smyrnenſem populum aliquando exclamaſſe narrat illius Eccleſiæ Epiſtola Encyclica de S. Policarpi ejuſdem Epiſcopi martyrio. Hinc ipſis Gentilibus eam adverſus Chriſtianos criminationem adſcribit Athenagoras in ſua Apologia num. 3. ubi hæc addit: *capti ſunt quidam noſtrorum Servi, qui Gentiles erant, qui.... Thyeſtæas quaſdam cænas, & inceſtos Oedipi concubitus, & alia,... adverſus nos mentiti ſunt*. Athenagoræ adſtipulari videtur Terrullianus ipſe, pleriſque Apologetici ſui locis, præcipue in fine cap. 50. atque in Scorpiace cap. 11. *Ecce autem*, inquit, *& odio habemur ab omnibus hominibus nominis cauſa &c.* Item Apologet. cap. 37. *Propterea publici hoſtes Chriſtiani, quia Imperatoribus, neque vanos, neque temerarios honores dicant*: Diſerte denique idem aſſerit Dionyſius Alexandrinus Epiſt. ad Fabium apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 41. ubi ait, complures Chriſtianos per oppida, & vicos diſcerptos fuiſſe. Nolo ſingula hac de re percurrere Chriſtianorum Apologiſtarum teſtimonia, ut veriorem Emin. Scriptoris opinionem, omnes ſcilicet calumnias in Chriſtianos inflictas Ethnicorum potius malitiæ, & odio in illos pluſquam Vatiniano præ Judæis, & Gnoſticis adſcribendas eſſe confirmem, cum id alia ſuadeant rationum momenta. Et quidem Judæi, cum æque ac Chriſtiani tunc eſſent Gentilibus exoſi, nullam apud ipſos fidem mereri poterant, utpote qui a Militia, Magiſtratibus, aliiſque publicis officiis, & iis, quæ aliis nationibus licet barbaris conceſſa fuerunt, privilegiis forent diſcreti, nec umquam Romano dignati nomine, ut ex

Calumniæ adversus Chriſtianos a veteribus Apologiſtis Gentilium malitiæ attributæ.

ſpſo Joſepho Hebræo teſtatur S. Auguſtinus in Pſal. 58. Gnoſtici vero Romæ nonniſi circa Annum Chriſti 167. detecti fuerint occaſione cujuſdam Marcellinæ procaciſſimæ fœminæ, ac perditiſſimæ illius ſectæ peccatricis, de qua S. Irenæus adv. hær. lib. 1. cap. 24. & S. Epiphanius de hær. cap. 27.

Ipſo Chriſtianæ fidei exitio exortæ

Enim vero dictæ in Chriſtianos calumniæ ſtatim ipſo Evangelii ad Gentes prædicati initio exortæ fuere, uti vel ipſi Gentiles teſtantur, Tacitus, Suetonius, & Dio in Nerone, qui primus Gentilium Eccleſiæ perſecutor ab omnibus nuncupatur; Hic enim, inquit, Tacitus Annal. lib. 15. *Condendæ urbis novæ, & cognomento ſuo appellandæ gloriam quærere, & ſic juſſum incendium credebatur; ergo abolendo rumori ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgo Chriſtianos appellabat.* Idem Svetonius pene habet cap. 16. *affecti ſupplicüis Chriſtiani genus hominum ſuperſtitionis novæ, & maleficæ.* Id vero maxime Gentiles in Chriſtianos commovebat, uti optime in hanc ſententiam Theodoricus Ruinart Præfar. in Acta Mart. ſincera, & ſelecta pag. LXVIII., & LXIX. quod ſcilicet Chriſtiani illorum Sacrificia pro bono Reipublicæ ſtatu, aut Imperatorum, vel Patriæ ſalute offerri prorſus improbarent, iiſque nec adeſſe, nec etiam ſive per publicos, ſive per privatos Imperatorum genios jurare umquam acquieſcerent. Ad hæc Chriſtiani a feſtis ſolemnibus, ludis publicis, aliiſque ejuſmodi ſpectaculis, quæ pro victoriis adverſus hoſtes partis, aut Imperatorum natalitiis fieri conſueverant ſeſe abhorrere teſtabantur.

Hinc mirum non eſt, ſi Imperatores etiam, qui mitiſſimi habiti ſunt, Chriſtianos penitus extirpare conati fuerint, quos nempe non religioni ſolum ſuæ, ſed etiam propriæ ſaluti adverſari exiſtimabant. Hinc etiam Politici, qui diviſiones, & inteſtina bella ob ſacrorum varietates pertimeſcebant, e Reipublicæ bono eſſe cenſebant, ut Chriſtiani omnino delerentur. Ipſum denique vulgus, cui Chriſtiani publicas lætitias, & largitiones invidere videbantur, de illorum morte exultabat. His adjungi poſſent privata odia, & avaritia Magiſtratuum, & Præſidum, qui ſub Religionis ſpecie Chriſtianorum facultates vel in fiſcum, vel in proprios uſus convertebant. Quæ omnia Sacerdotum, & Magorum, quorum authoritas, ut plurimum maxima erat, zelo, ac invidia incendebantur, quippe qui ſacra ſuorum Deorum neglecta, oracula contempta, quandoque falſi convicta, authoritatem minutam, ac reditus pene ad nihilum redactos conſpicerent. Hinc omnes, qui Chriſtianis adverſabantur nihil non ſibi licere in iis denunciandis, damnandiſque exiſtimabant. Indeque falſæ criminationes, ſcelera, flagitia, malefícia, aliaque omnis generis delicta üſdem impacta, adeout etiamſi quæ calamitates publicæ contingerent, Chriſtianorum ſtatim imputatis ſceleribus tribuerentur. *Si*, inquit, Tertullianus Apolog. cap. 40. *Tiberis aſcendit ad mœnia, ſi Nilus non aſcendit ad arva, ſi Cœlum ſtetit, ſi Terra movit, ſi fames, ſi lues: ſtatim Chriſtianos ad Leonem.*

Ethnici ea calumnias forte ex veritate myſterii male intellecti conflabant.

Potuit item ea de humanarum carnium calumnia, de qua ſupra Athenagoras, quamque Gentiles in Chriſtianos ementiti ſunt, nedum ex Gnoſticorum ſceleribus eſſe conflata, verum etiam ex veritate myſterii male accepti, ut optime advertit Spondanus ad ann. 120. nu. 15. Nimirum quod in confeſſo eſſet apud omnes Catholicos ſe in Sacris Carnem Chriſti Domini Noſtri Jeſu cibo, & Sanguinem potu participare, ſic enim & pleraque alia Chriſtianorum dogmata non bene intellecta Gentiles in pravum ſenſum accepiſſe multis conſtat antiquorum exemplis. Videndus hac de re non ignobilis Scriptor Jacobus Hugo Belga Canonicus Inſulenſis in ſuo Opere, quod *vera Hiſtoria Romana, ſeu Origo Latii* inſcripſit, & Alexandro VII. nuncupavit lib. 1. pag. 8., & alibi pleriſque in locis, ubi id eximie probat, ac cap. 33. in fine pene omnia, quæ ad noſtram Sacroſanctam Religionem pertinent, ab Ethnicorum Sybillis vaticinata recenſet. Hanc porro calumniam præ cæteris, qui pro Chriſtiana Religione Apologias ſcripſere, diluit Tertullianus lib. cit. cap. 7. *Obſidemur*, inquit, *quotidie, continenter prodimur, ſæpe deprehendimur, & ipſo conventuum tempore opprimimur, num is puer mortuus, aut moribundus umquam repertus eſt? quis cruenta, ut invenerat, Cyclopum, & Syrenum ora Judici referavit? Quis vel in uxoribus aliqua immunda veſtigia deprehendit? Quis talia facinora cum inveniſſet, celavit? Num aliquando quidam illorum criminum teſtis extitit? Num aliquis eorum, qui nos apprehenderunt?* Et cap. 9. ut eaſdem a Gentilibus objectas criminationes falſas fuiſſe demonſtret, eos alloquens, inquit; *Erubeſcat error veſter in Chriſtianos, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus, qui propterea quoque ſuffocatis, & morticinis abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto.* Idem expreſſe affirmat Minutius Felix in Octavio: *Nobis*, ait, *homicidium nec videre fas, nec audire, tantumque ab humano ſanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis ſanguinem noverimus.* Quod & confirmavit Sancta Biblis, ſeu Bibliades Martyr Lugdunenſis apud Euſebium lib. 5. cap. 1. *quæ malevolis Chriſtianorum obtrectationibus ex adverſo ſic reſpondit: Quomodo ejuſmodi viri liberos ſuos devorare, in animum potuerunt inducere, quibus ne licitum quidem ſit ſanguinem animalium ratione carentium comedere?* Adhuc enim primis potiſſimum tribus Eccleſiæ ſæculis obſervabatur abſtinentia a ſanguine, & ſuffocato ex Apoſtolica conſtitutione Act. c. 15. v. 29. prudentiſſime ab Apoſtolis ſancita, *in qua ut nedum* (inquit Auguſtinus contra Fauſtum lib. 32. cap. 13.) *cum Iſraelitis etiam gentes propter angularem illum lapidem duos parietes inter ſe contentem aliquid communiter obſervarent*: verum etiam ut futuris Ethnicorum in Chriſtianos calumniis obviaretur. Quæ poſtea ſanctio cum ad tempus fuerit ceſſante cauſa, & perſecutionum metu ſenſim communi Eccleſiæ præſertim Latinæ conſenſu in deſuetudinem abiit, ut idem innuit Auguſtinus loco citato, & nos infra cap. 6. §. 1. in fine.

Eadem a Chriſtianis diſſuta.

His omnibus ita perpenſis liquido evincitur veriorem profecto eſſe Emin. Authoris ſententiam, calumnias ſcilicet fere omnes in Chriſtianos objectas Ethnicorum malitiæ potiſſimum adſcribendas eſſe, qui ex odio adverſus eoſdem occaſionem ex ipſorum occultis conventibus arripue-

Concluditur veriori eſſe ex Card. ſententia dictas calumnias Ethnicorum malitiæ adſcribendas.

arripuerunt falſa illis crimina imponendi, etſi nefarios Simonis diſcipulos, Gnoſticos, & Adamitas dictos, alioſque hujuſmodi Chriſtiano nomine indignos præfatis Gentilibus anſam etiam ad has criminationes Dei ſervis infligendas eorum ſceleribus, pravoque exemplo, ac peſſimis moribus præbuiſſe non diffiteamur. Utcumque autem fuerit hujuſmodi criminum, adulterii ſcilicet, promiſcui carnalis concubitus, homicidii, aliorumque immanium ſcelerum adverſus innocentes Chriſtianos exortæ ſuſpicio, mihi plane perſuaſum videtur eamdem in cauſa plurimum fuiſſe, cur in diverſis Eccleſiis, præſertim Africanis tantus in tria hæc, & ſimilia peccata obſervatus diſtrictionis rigor exiterit, de quo infra cap. 17. quo etiam offenderetur Gentilibus, aliiſque Chriſtiani nominis hoſtibus tantum abeſſe, ut nefandis hiſce criminibus glorietur ſanctiſſima Chriſti Religio, quin contra nec veniam facilem indulgeret admiſis, & hinc Tertullianæa phraſi lib. de Pudicitia de illis ſceleribus diceretur: *non ſunt delicta, ſed monſtra*: ac propterea de his tribus laudatos Actus Apoſtolorum loco citato loqui, Tertullianus idem, Sancti Cyprianus, & Pacianus exiſtimant, quaſi illud, *ut abſtineatis vos ab immolatis Simulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione*, de Idololatria, homicidio, & mœchia intelligendum ſit, ut obſervat Albaſpinæus lib. 2. Obſerv. 15. ſed de his ſatis.

§. IV.

Teſtimonia veterum Patrum de Primitivæ Eccleſiæ Sacrificiis, & exotica quædam de ipſis.

Teſtimonia de Miſſa. S. Ignatii. Act. S. Andreæ.

IGnatius Apoſtolorum Diſcipulus conſuetudinem, quæ tunc vigebat, Sacrificium offerrendi ſæpe commemorat in ſuis Epiſtolis, in ea præſertim, quam Smyrnenſibus ſcripſit, ex qua hæc verba recitat Theodoretus in impatibili dialogo 3. *Euchariſtias, & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe Carnem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*. (1) Presbyteri Achajæ in Epiſtola, quam de Martyrio S. Andreæ conſcripſerunt, (1) (2) ipſum Proconſuli dixiſſe referunt, *Ego omni die ſacrifico Omnipotenti Deo*. Irenæus Polycarpi diſcipulus lib. 4. cap. 32. *Dominus ſuis diſcipulis* (2) *dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens:* Hoc eſt Corpus meum. *Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum Sanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo offert Deo*. S. Laurentius apud Ambroſium lib. 1. offic. cap. 41. dicebat Sixto: *Quo Sacerdos Sancte ſine Diacono properas? Nunquam Sacrificium ſine miniſtro offerre conſueveras*. Juſtinus Martyr, qui Apoſtolorum temporibus proximus fuit, circa finem Apologiæ 2. pro Chriſtianis ſic divinæ Liturgiæ ſeriem deſcribit. Nos preces, & ſupplicationes fundimus, *ut digni idoneique ſimus, qui veritate agnita per opera etiam ipſa boni, atque officioſi rerum adminiſtratores, & datorum nobis mandatorum cuſtodes inveniamur, atque ut ſalute ſalvemur ſempiterna. Finitis vero precibus, mutuis nos invicem oſculis ſalutamus. Deinde ei qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ, & vini; quibus ille acceptis laudem, & gloriam rerum univerſarum Patri per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert, & Euchariſtiam ſive gratiarum actionem pro eo quod nos donis ſuis biſce dignatus ſit, prolixe exequitur. Atque ubi ille preces, & gratiarum actiones abſolvit, populus, qui adeſt, omnis fauſta approbatione acclamat dicens*, Amen. *Amen autem voce Hebræa* Fiat *ſignificat. Præſidens vero poſtquam gratiarum actionem perfecit, & populus univerſus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Miniſtri, diſtribuunt unicuique præſentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ ſunt, panem, vinum, & aquam, & ad abſentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Euchariſtia, quod nulli alii participare licitum eſt, quam veram eſſe doctrinam noſtram credenti, & lavacro propter remiſſionem peccatorum, & generationem abluto, & ita, ut Chriſtus tradidit viventi. Non enim, ut communem panem, & communem potum iſta ſumimus, ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Servator noſter, & Carnem, & Sanguinem ſalu-*

S. Irenæi.

S. Laurentii Mart.

Juſtini Mart.

tis noſtræ cauſa habuit, ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, alimoniam, unde Sanguis, & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu Carnem, & Sanguinem eſſe docti ſumus. Nam Apoſtoli in Commentariis a ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepiſſe ſibi Jeſum. Eum enim panem accepto cum gratias egiſſet, dixiſſe, Hoc facite in mei recordationem; Hoc eſt Corpus meum. *Et poculo ſimiliter accepto, & gratiis actis dixiſſe*, Hic eſt Sanguis meus: *ac ſolis ipſis ea tradidiſſe*. (3) Hæc Juſtinus, qui poſt pauca ait die ſolis, hoc eſt die Dominica, fieri omnium conventum, legique ſcripta Apoſtolorum, & Prophetarum: tum ab eo qui præſidet, orationem haberi, qua populum inſtruit, & ad imitationem eorum quæ lecta ſunt adhortatur. (3)

Poſt hæc conſurgere omnes, Deumque precari, offerri deinde panem, vinum, & aquam, & reliqua fieri, quæ ſupra commemoravit. (4) Optatus Milevitanus lib. 1. meminit Eccleſiæ, & altaris, in quo Cyprianus, Lucianus, & alii Sancti Epiſcopi celebraverant. (5) Dionyſius *cap.* 3. *Eccl. hier.* poſtquam magnificis verbis ſalutaris hoſtiæ oblationem, & ſacrificii excellentiam extulit: Pontifex, inquit, de ſacrificio dignitatem ſuam ſuperante ſe purgat, ad Chriſtum prius exclamando, *Tu dixiſti, Hoc facite in meam commemorationem*. Cyprianus ep. 63. ad Cœcilium quoſdam rep rehendit, qui *in Calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando non hoc faciunt, quod Jeſus Chriſtus Dominus, & Deus noſter ſacrificii hujus auctor, & Doctor fecit, & docuit*. [6] Euſebius *lib.* 1. *Demonſtr. Evang. cap.* 10. poſtquam multum diſſeruit de Sacrificio a Chriſto inſtituto, tandem concludit nos ſacrificare memoriam celebrantes magni illius ſacrificii, ſecundum myſteria, quæ ab ipſo tradita ſunt. Ambroſius in precatione ante Miſſam: *Ego Domine*, inquit, *memor venerandæ paſſionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi ſacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti in tui commemorationem pro ſalute noſtra*. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum qu. 61. *Sacerdos noſter in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech ſeipſum obtulit holocauſtum pro peccatis noſtris, & ejus ſacrificii ſimilitudinem celebrandam in ſuæ paſſionis memoriam commendavit, ut illud quod Melchiſedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum in Chriſti Eccleſia videamus offerri*. Poſſem hic longum Sanctorum Patrum Catalogum texere aſſerentium ſacrificium noſtrum a Chriſto ad Apoſtolos, ab iſtis ad nos profluiſſe, ſed nolo in re clara & indubitata, nimia prolixitate gravare lectorem. [7]

Optati Milevit. (4)

Dionyſii Areopag. (5)

Cyprian. (6)

Euſebii Cæſarienſis.

Ambroſii.

Auguſtini.

(7)

Proferuntur Epiſtolarum S. Ignatii M. actus diſputandi.

(1) *Eſſe carnem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*) Ut vero clarius, & expreſſius Sanctus Martyr indicaret, quid circa Euchariſtiæ Sacramentum, ejuſque fidem Apoſtolica ſemper, & ubique a primis uſque ſæculis ſenſiſſet Eccleſia, ita tim ſubdit: *quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit*: Sicque eam ipſam eſſe in Euchariſtiæ Sacramento oſtenderet; quod & alibi in Epiſtola ad Romanos confirmat dicens: *Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus ſæculi: Panem Dei volo, panem cæleſtem, qui eſt Caro Chriſti Filii Dei, qui factus eſt poſterioribus temporibus ex ſemine David, & Abrahæ: & potum volo Sanguinem illius, qui eſt charitas incorruptibilis, & vita æterna*: Item ad Philadelphios ſcribens ait: *Obſecro vos, ut una fide, una prædicatione, una Euchariſtia utamini, una enim eſt Caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, & unus illius Sanguis, qui pro nobis effuſus eſt, & unus Calix, qui pro omnibus nobis diſtributus eſt, unus panis, qui omnibus fractus eſt, unum Altare omni Eccleſiæ*. Porro Hæretici illi, de quibus cavendis ad Smyrnæos ſcribebat Ignatius, quique Euchariſtias, & oblationes non admittebant, neque confitebantur Euchariſtiam eſſe Carnem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ii erant Simonis Magi diſcipuli, Menander, Baſilides, Nicolaitæ, Theodotus, & Cleobolus, peſſimæ ſtirpis mala germina, de quibus idem clariſſimus Martyr in Epiſt. ad Trallianos; Docetæ propterea dicti, ſeu Apparentes, quia veritatem humanæ naturæ in Chriſto negabant, atque omnia, quæ de ipſo leguntur, eidem in figura contigiſſe affirmabant, quos ipſe glorioſus Chriſti Athleta indicta Epiſtola invicte refellit, & anathematizandos pronunciat. Patet inde, quales Præcurſores, ac protoparentes habeant noſtri temporis Novatores Sacramentarii, & Calviniſtæ, quorum errores jam initio ſurgentis Eccleſiæ a viris Apoſtolicis proſcripti, & condemnati fuere.

Quos fruſtra eludere tentant Sectarii, eos Ignatii Epiſtolæ genuinas eſſe negantes.

Ut hanc iſti confuſionem eluderent, neve ex tam evidenti, ac perſpicuo inclyti primitivæ

tivæ Eccleſiæ Pontificis, & Martyris teſtimonio adigerentur eamdem confiteri Catholicam fidem, quam a veteri Apoſtolica traditione Sacroſancta Mater recepit Eccleſia Romana, eamque ipſam, quam illa hucuſque, utpote divinum depoſitum ſibi a Patribus ex hæreditate relictum, fideliter in ſinu ſuo cuſtodivit, & paſſis deinceps obſervatum tenet, ac vindicat, aſſcrere: ne, inquam, hujuſmodi teſtibus, quibus contradicere impium eſt, jugulari viderentur, ad argumentum negativum hæreticorum more confugere cogitarunt, & hafce genuinas Sancti Ignatii Epiſtolas, quas ſemper venerata eſt, & paſſis brachiis acceptavit antiquitas, totis viribus oppugnare tentarunt, eas non verentani Martyris ſorum, ſed ſpurias, ſuppoſititias, & ab Apoſtolico tempore, ac ſtylo alienas buccis crepantibus prædicantes, ex quibus ſunt poſt Calvinum, Centuriatores, & Socinum, Presbyterianæ, Calvinianæque Sectæ homines, Blondellus, Dallæus, Salmaſius, Aubertinus, aliique eorum aſſeclæ, contra quos ad propugnandam harumce Epiſtolarum veritatem prolixas diſſertationes publica luce donarunt non ſolum Catholici Doctores noſtri, ſed etiam dictæ hæreſis Calvinianæ Sectarii, ac Proteſtantes, ſcilicet Nicolaus Vedelius Genevenſis Miniſter, Iſaacus Voſſius, & Henricus Hammondus Presbyter in ſchiſmate Anglicano, qui fuſiorem adverſus Blondellum texuit diſputationem, qua nedum omnibus illius argumentis fecit ſatis, verum & adductis novis, firmiſque rationum momentis ſcptem Ignatii genuinas Epiſtolas viriliter aſſeruit, eidemque eximio Confeſſori vindicavit.

Quorum tamen nonnulli æquiores eaſdem admittunt, & vindicant.

Harum etiam Epiſtolarum doctas vulgarunt vindicias Joannes Pearſonius dicti Anglicani ſchiſmatis Presbyter, poſtea nuncupatus Epiſcopus Ceſtrienſis, atque ante ipſum Uſſerius Armachanus, quibus Ignatianam cauſam validis, adeoque invictis munierunt argumentis, ut omnes adverſariorum objectiones funditus diſſlarint. Quibus addendi heterodoxi item Scriptores Thomas Ittigius, Guillelmus Cave, aliique eorum gregales, qui in eamdem ſubſcripſere ſententiam; cum itaque pro ipſis Epiſtolis tota retro clamet antiquitas, & peritiores Critici cum Catholici, tum Hæretici has Sancto Chriſti Martyri tamquam legitimas adjudicent, ne pili quidem facere debemus frigidas, inſulſaque conjecturas, quibus nonnulli Catholici nominis hoſtes, una cum ſupradictis omnes ingenii ſui nervos in eo contendunt, ut his ſeptem Ignatii Epiſtolis, quæ ipſorum errores jugulant, præcipue quoad Sacramentum Euchariſtiæ, ejuſque veritatem, omnem adimant fidem, quamcumque detrahant authoritatem. Velint, nolint Sycophantæ iſti „ En „ præclarum Polycarpi de his Epiſtolis teſtimonium, (inquit ipſe Guillelmus Cave Hiſtor. litter. Script. Eccleſ. in Ignatio) *ex „ iis magnam vobis percipere utilitatem licebat, „ continent enim fidem, patientiam, & cætera, „ quæ ad augendum Domini Noſtri cultum pertinent.* Et ſunt ſane, (ſubdit Caveus) pri„ mævæ pietatis, doctrinæ Eccleſiaſticæ, & „ regiminis Epiſcopalis in ipſa Apoſtolica Ec„ cleſia vigentis teſtes luculentiſſimi: Hæc ille; Cum itaque ex Ignatii ore non refragantibus ipſis Catholicæ communionis Adverſariis tamquam hæretici vitandi ſint, & fugiendi, qui *Euchariſtiam, & Oblationem*, ideſt Miſſæ Sacrificium, *non admittunt, quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe Carnem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt* &c. Eadem pariter ſententia plane conſtat Sacramentarios, Calviniſtas, aliaſque noſtri temporis nebulones, qui Miſſæ Sacrificium, ac realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia pertinaciter negant, cum priſcis hæreticis condemnatos, atque ab Eccleſia Catholica, Chriſtique fidelium communione ſegregatos eſſe; ſed ad alios pergamus Patres.

(2) *In Epiſtola, quam de Martyrio S. Andreæ, &c.*) Acta S. Andreæ ab Achaja Presbyteris conſcripta, plerique recentioribus criticis, veluti Dupinio, Tillemontio, aliiſque tamquam fubdita, & ſuppoſititia judicantur; verum cum ab iis in contrarium objecta tanti non ſint, ut æquo lectori fucum facere, & eximium hoc venerandæ antiquitatis monumentum ad Miſſæ Sacrificium a Chriſto Eccleſiæ ſuæ per Apoſtolos traditum contra Sectarios comprobandum nobis præripere valeant, proinde in hac Emin. Authoris perſiſtentes ſententia, eadem Acta vere ab Andreæ Diſcipulis confecta, ac genuina ſolidioribus momentis ex eadem antiquitate petitis vindicabimus infra cap. 18. §. 4. num. 2.

Acta S. Andreæ genuina.

(3) *Ac ſolis ipſis ea tradidiſſe*) Clariſſimum hunc Juſtini locum, quo nihil lucidius, nihil apertius deſiderari poteſt ad Orthodoxam fidem de Euchariſtiæ Sacramento comprobandam toto niſu, ac ſolitis hæreticorum cavillationibus obnubilare pertentant Edm. Albertinus, Claudius Pfeudo-Myſtes Charentone nſis, Larroquanus, aliique Calviniſtarum primipili; at eorum omnium fucos invicte diſſipant, poſt Ant. Arnaldum in libris de perpetuitate fidei Cath. Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Sæc. XI. & XII. Diſſert. 12. art. 6., ac noviſſime Nicolaus le Nourry Appar. ad Bibl. Max. Diſſert. 2. 6. 13. adeout nihil ex adverſo iis reponendum ſuperſit. Et fane ſi Juſtino optime perſpecta erat Apoſtolica doctrina, & conſuetudo, ut inter Proteſtantes ipſos Hier. Zanchius Oper. Vol. 3. apud Popeblount cenſura celebr. Auth. pag. 160. affirmare non veretur; ſi hujus antiquiſſimi Scriptoris, & Apoſtolici viri magni apud veterum Hiſtorias nominis authoritatem, ut & inquit Dallæus de uſu Patrum pag. 255. nulla obſcurabit ullius in diſputando induſtria, atque etiam in hoc ſcite Sam. Beſnagius Tom. 1. Annal. pag. 427. profecto eximium hunc Philoſophum, ac invictiſſimum Chriſti Martyrem vere, & ex animo non alia ſcripſiſſe, niſi quæ ab Apoſtolis tradita fiebant, & de fide credebantur apud Chriſtianos, nemo, cui ſanum ſinciput, negabit vel ipſis, ut mox innuimus, non refragantibus adverſariis; alias Juſtinum in hac ſua Apologia, quam Imperatoribus, Senatui Romano, cæteriſque Gentilibus pro Chriſtianorum defenſione obtulit, voluiſſe iiſdem illudere, atque mentitum fuiſſe, dici poſſet, quod utique de tanto viro, ac Sanctiſſimo pugilem fentire iniquiſſimum eſt.

Allatum Juſtini locum dumbilave... tantat Sectarii, ſed fruſtra.

Item enim... ab eorum cavillationibus vindicamus.

Candide igitur, ſimpliciter, ſincereque Catholicam, genuinamque Chriſtianorum de Euchari-

chariſtiæ Sacramento doctrinam exponens Juſtinus, illamque eo omni modo, quo ſublatis difficultatum repagulis ab Ethnicis Religionis noſtræ adverſariis facilius intelligeretur, nullamque alicujus figuræ ſigni, aut ſymboli, quocumque nomine vocetur, mentionem faciens, expreſſe aſſeverat, & abſque ulla dubitatione, aut ambiguitate affirmat in Euchariſtia verum Chriſti Domini Corpus, & Sanguinem exiſtere, ipſumque realiter ſub ſpeciebus Sacramentalibus panis, & vini contineri. Atque ut amplius quamcumque in contrarium ſuſpicionem, & hæſitationem tolleret, orthodoxam hanc veritatem exemplo, & comparatione cum ipſuſmet Chriſti Incarnatione confirmat, docetque quemadmodum Verbum Dei vere Carnem hominis, & Sanguinem aſſumpſit, ita verum Chriſti Domini Corpus, & Sanguinem eſſe in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

Quare adnotandum, quod Juſtinus eamdem veritatem ut aſſtruat, alterius, a qua iſta promanat, aſſimilatione credendam exprimit, atque ita Chriſtianos hanc, ſicut illam ab Apoſtolis edoctos æque credidiſſe deſcribit; e contra vero ſi aliter intellexiſſet Chriſti Athleta fortiſſimus, atque in Euchariſtia nihil aliud eſſe exiſtimaſſet, quam Corporis, & Sanguinis Chriſti figuram, typum, & imaginem, uti nequiter Calviniſtæ contendunt, id ſane difertis verbis expreſſiſſet, dum ita facilius ſibi Gentilium animos conciliaſſet, qui inanes Deos ſuos in Simulacris, & imaginibus venerabantur, aut ſaltem aliam ex typicis rebus Veteris Teſtamenti petiam, puta ex Oblatione Melchiſedech, ex Manna, ex Panibus propoſitionis, aliiſque excentis ſacræ Scripturæ figuris comparationem inſtituiſſet; cum autem nullam ex his adhibuerit Juſtinus, quin & perſpicue aſſerat tam verum Chriſti Corpus eſſe in Euchariſtia, quam vere Dei Verbum carò factum eſt, omni prorſus evidentia clariſſime dignoſcitur, longe a Calviniſtarum errore abfuiſſe Chriſti Philoſophum, quem illi fruſtra ad ſe trahere tentant, & totum in recta orthodoxaque fide, ac ſententia fuiſſe, utpote quam iiſdem, ut Catholici, verbis explicat, quibus etiam mox Ignatium differentem audivimus.

Atque ex Irenæo, aliiſque PP. confirmatur.

Hanc autem Catholicam, & Apoſtolicam fuiſſe nedum primitivæ Eccleſiæ, ſed & ſequentium ſeculorum fidem teſtantur præter Ignatium, & Juſtinum præfatos, S. Irenæus, de quo item infra, lib. 4. adv. hær. cap. 18. alias 34. ubi nonnullos hæreticos, qui ſimul & veram Chriſto Carnem negabant, & Euchariſtiam celebrabant, contradictionis arguit dicens: *Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo quæ prædicta ſunt; noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram.* S. Hilarius lib. 8. de Trinit. num. 13. *Si vere*, inquit, *Verbum caro factum eſt, & nos vere Verbum Carnem cibo Dominico ſumimus*: vere non in figura, aut imagine; quemadmodum igitur Verbum veram propriam, & naturalem aſſumpſit, ita veram, propriam, & naturalem ejus carnem in Euchariſtico Sacramento ſumimus. S. Ambroſius, ſeu alius coævus Author, lib. 6. de Sacram. cap. 1. *Sicut*, inquit, *verus eſt Dei Filius Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, non quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi Filius ex ſubſtantia Patris, ita vera caro, ſicut ipſe dixit, quam accipimus*: quod & libro de Initiandis, qui vere ipſius eſt, cap. 9. confirmatur: *Hoc*, ait, *quod confecimus Corpus ex Virgine eſt . . . . . Vera utique caro Chriſti, quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta*. S. Iſidorus Peluſiota Epiſt. 109. lib. 1. Panem Sacræ menſæ appellat *proprium Incarnationis Verbi Corpus*. S. Cyrillus Alexandrinus Epiſtola ad Neſtorium, quæ ſynodica eſt Concilii Alexandrini, cui ipſe præfuit, de qua Concil. Tom. 3. pag. 404. *Non illam, ut Carnem communem ſuſcepimus . . . . Sed tamquam vere vivificam, ipſiuſque Verbi propriam &c.* Denique S. Joannes Chriſoſtomus in Catena Græc. PP. ad cap. 6. Joannis pag. 192. ab ipſo Svicero Calviniſta relatus in ſuo Lexico Eccleſiaſt. Tom. 1. pag. 519. *Panis proprie eſt ipſummet Unigenitum Dei Verbum, quod proceſſit ex ſubſtantia Patris, cum ipſum ſit natura ſua vivum, & omnia vivificet*: proprie, Inquit, non figurative.

Item ex antiqua Fidelium formula, qua communicantes Euchariſtiam accipiebant.

Aſt eccur Patres coacervamus? publicam hanc fuiſſe univerſalis Eccleſiæ fidem proclamant quotquot ex veteribus formulam referunt verborum, quibus tum miniſter porrigens Euchariſtiam, tum fidelis accipiens, utebantur, de qua formula vide Emin. Scriptorem noſtrum infra lib. 2. cap. 17. §. 3. Sacerdos itaque Sacramentum diſtribuens, quid daret, conteſtabatur, dicens: *Corpus Chriſti*, & accipiens reſpondebat *Amen*, qua voce verum illud eſſe profitebatur, ut ex Tertulliano de Spectaculis cap. 25. & Authore Conſtit. Apoſtol. lib. 8. cap. 13. aliiſque antiquiſſimis teſtibus patet. Itaque ſi Sacramentarii, & Calviniſtæ Patres audire, ac antiquitatem interrogare velint, quod utique iis præſtare incumbit, qui nos ad eoſdem Patres, & ad primitivam Eccleſiam provocant, viderent profecto ipſos idem de admirabili Euchariſtiæ Sacramento ab initio credidiſſe, & prædicaſſe, quod ſemper credendum, profitendumque Sacroſanctæ Romanæ omnium magiſtra & nunc tradit Eccleſia, Corpus ſcilicet Chriſti, quod in Euchariſtia contineatur, illud idem ipſum eſſe, quod ex Maria Virgine natum eſt, paſſum, mortuum &c. Neque enim duplex eſt, ſed unicum Chriſti Corpus proprium, ac naturale; hinc ſicut unus eſt Chriſtus, unum & idem eſt numero Sacrificium, una & eadem Hoſtia, ſeu Victima in ſingulis Hoſtiis conſecratis, quæ quidem nec numero, nec individuali natura, ſed ſola Sacerdotis conſecrantis externa actione variæ ſunt, ac multiplices, ut Theologi docent.

(4) *Reliqua fieri, quæ ſupra commemoravit*) Tertullianus de Oratione cap. 15. *Nonne*, inquit, *ſolemnior erit Statio tua, ſi & ad Aram Dei ſteteris? Accepto Corpore Domini, & reſervato utrumque ſalvum eſt, & participatio Sacrificii, & executio officii*: Ara Dei nulla profecto eſt ſine Sacrificio, neque participatio Sacrificii, ſi Sacrificium non erit, uti jam ſupra indicatum eſt, & iterum mox dicemus. Clariſſime Cyprianus Epiſt. ex edit. Pamelii 66. *Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & miniſtros voluit avocare*. Ut quid Altare, ut quid Sacerdotes, niſi pro Sacrificio?

Item Tertulliani de Sacrif. Miſſa Teſtimonium.

(5) *Et alii Sancti Epiſcopi celebraverant*) Et

Et lib. 6. adverſus Parmenianum: *Quid enim eſt Altare, niſi ſedes Corporis, & Sanguinis Chriſti?* Et paulo poſt eoſdem Donatiſtas compellans, qui Sacra Eccleſiæ Altaria confregerant, inquit: *Quid vos offenderat Chriſtus, cujus ibi per certa momenta Corpus, & Sanguis habitabat? Quid vos offendiſtis etiam vos ipſi, ut illa Altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum ſpatia ſanctæ, ut arbitrabamini, obtuliſtis. Dum impie perſequimini manus veſtras illic, ubi Corpus Chriſti habitabat, feritis & veſtras. Hoc modo Judæos eſtis imitati, illi injecerunt manus Chriſto in Cruce, a vobis percuſſus eſt in Altari.* Et poſt pauca: *Hoc tamen immane facinus geminatum eſt, dum fregiſtis etiam Calices Chriſti Sanguinis portitores, quorum &c.* Deinde poſt alia in hanc rem narrata Donatiſtarum crimina hac exclamatione concludit: *O ſcelus nefarium, o ſacrilegium inauditum!* Ex quibus, inquit Dupinius Bibl. Eccl. Tom. 2. edit. Lat. pag. 202. manifeſte videre eſt qua obſervantia tunc temporis Euchariſtia coleretur, evidenterque oſtenditur eam non habitam fuiſſe tamquam panem, & vinum, ſed verum Corpus, & Sanguinem Jeſu Chriſti fuiſſe exiſtimatam: & pag. 207. verbis adeo perſpicuis mentem ſuam aperit (Optatus) circa præſentiam realem Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini in Euchariſtia, & circa adorationem, quæ huic Sacroſancto Sacramento debetur, ut nihil expreſſius deſiderari queat; multas enim obſervat ceremonias quoad ejuſdem Euchariſtiæ celebrationem, quam Sacrificii nomine inſignit, idque Sacrificium pro tota Eccleſia Catholica tempore ſuo ſuper Altari ligneo, quod ad majorem reverentiam linteo ornatum, & coopertum erat, celebratum fuiſſe teſtatur. *Cum altaria*, ait lib. 3. *ſolemnia Sacrificio aptarentur.* Et in fine agens de Miſſa in Africa celebrari ſolita, *Ritu ſolito ſolemnis conſuetudo perſpecta eſt, eum viderent divinis Sacrificiis, nec mutatum quidquam, nec additum, nec ablatum.*

Optatus a Sectariis, quod magni faciat Altaria reprehenſus, vindicatur.

Hæc de Euchariſtico Sacrificio, ac ſacris Altaribus Optatus, quem propterea reprehendunt Sectarii, qui non veriti ſunt veteres Donatiſtas & rabie, & infidelitate ſuperare, nedum Altaria, ſed ipſum Sacrificium abolendo; reprehendunt, inquam, quod tanti faciat Altaria, quæ quia lignea erant, non vere Altaria, ſed menſas fuiſſe, & dici debere contendunt; ita Calviniſtæ, Nicolaus Vedelius in notis ad Ignatii Epiſtolas, & Samuel Baſnagius Annal. Politico Eccl. Tom. 1. pag. 364. nu. 55. & ſeq. hincque, ut Euchariſtiæ Sacrificium temere negent, falſo deducunt, Altaris vocem, græce Thyſiaſterion genuino, ac proprio ſignificatu per priora tria Eccleſiæ ſecula ab antiquis Patribus acceptam non fuiſſe, quod pleriſque diſtortis veterum locis obfirmare nituntur, at irrito conatu; nam primo incertum eſt, utrum priſcis Eccleſiæ temporibus Chriſtiani pro Altari tabula lignea, vel lapidea uterentur. Veriſimile enim eſt (inquit Gaſpar Juenin de Sacram. Diſſert. 5. quæſt. 8. cap. 3.) Utramque materiam adhibitam fuiſſe indiſcriminatim, dum ſæviret perſecutio, prout nempe rerum, locorumque opportunitas ferebat. Præterea non materies lapidea, aut lignea, ſed Sacrificium ſupra menſam cujuſcumque materiei ſit, Deo ab hominibus oblatum, Altare proprie dictum conſtituit, uti per ſe omnibus patet, atque ex ipſa Sacrificii definitione evincitur, quæ ſtricte & proprie ſumpta non alia eſt, niſi *oblatio externa ſoli Deo facta in ſignum, & recognitionem ſupremi ejus dominii a legitimo Miniſtro, qua res aliqua ſenſibilis, & permanens ritu myſtico conſecratur, & mutatur.* De loco, ſuper quem offeratur, an lignea, vel lapidea menſa, ſive Altare ex peculiari materia conſtructum eſſe debeat, nihil id ad rationem veri Sacrificii; etenim in omni loco *Sacrificatur, & offertur nomini meo Oblatio munda*, ait Dominus Malach. cap. 1. v. 11.

Præcipue a Baſnagii dictis.

Adhuc tamen audax nimium Samuel Baſnagius loco cit. num. 55. mira confidentia hæc effutire non veretur „ pervagati apud homines ſermonis legibus, Menſam, & Altare permiſcere vetabatur, nec ullo oſtendi „ exemplo poteſt menſam, in qua panes propoſiti in Templo Hieroſolymitano collocabantur, induiſſe nomen altaris „ & n. 56. inquit: „ inauditum eſt in omni memoria „ germanum Altare nomine Menſæ fuiſſe „ deſignatum: evolvantur annales Ethnicorum, & Judæorum, appellatio tam peregrina nullo veſtigio reperietur „: Et poſt pauca ſubdit: „ Altaria vulgo non extruebantur ligno, ſed ære, terra, lapidibus; „ atqui olim non in lapidibus, ſed lignis conſecrabatur Euchariſtia „: hinc temere poſt multa male congeſta in ſuorum Calviniſtarum placitum, peſſime concludit, dicens num. 72. Euchariſtiam verum, propriumque Patribus Sacrificium non fuiſſe, atque inter cætera, ut id probare videatur, ait: „ Verum Sacrificium „ in Menſa non perpetratur, ſed in Altari, „ jam vero in Menſa Euchariſtia celebrabatur, hinc dictum Auguſtino de Civit. Dei „ lib. 17. cap. 20. Chriſtum *menſam in vino, & panibus præparaſſe.* Urgens deinde Ethnicorum adverſus Chriſtianos objectionem, apud Origenem, Arnobium, & alios, quod nempe Altarium expers Chriſtianorum religio non ædes ſacras, non aras, non altaria haberet; „ Si Euchariſtia, infert, verum eſt „ Sacrificium, mera calumnia noſtris imponebatur, quam negando facillime contudiſſent Arnobius, atque Lactantius; atqui „ Ethnicos vera prædicare profitentur, nedum falſa accuſatione liberent innocentiam „ religionis: Hæc Calvinianus Annaliſta, cujus exceptiones, quia recoctas, ac pluries a noſtris diſſutas, adeoque vix caſſa nuce dignas, floccifacere exiſtimaveram; at ne hominem apud ſuos eruditionis fama celebrem prorſus aſpernari videamur, ei faciles reſpondemus.

Primum ex veteri Teſtamento, ubi Altare, & Menſa promiſcue eadem munerum ſpecie donantur.

Et primo miſſis Ethnicorum annalibus, de profanis enim quid ad nos? ad ſacros Judæorum confugimus, & ex ipſis bene multis teſtibus, quos habere poſſemus, fautores, jam laudatum Prophetam Malachiam ſeligimus, qui dicto c. 1. v. 7. & 12. magnum hiſtoriarum omnium helluonem Baſnagium ſic ex tripode muſquam germanum altare menſæ nomine deſignari pronunciantem, falſitatis, & mendacii manifeſte arguet; ita enim Sacerdotes interpellans divinus Scriptor: *Ad vos o Sacerdotes*

dotes ..... offertis ſuper Altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? in eo, quod dicitis, menſa Domini deſpecta eſt: & paulo poſt v. 10. & ſeqq. *Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito?* deinde interpoſito Sacrificii Euchariſtici vaticinio proſequitur, repetens: *Et vos polluiſtis illud in eo, quod dicitis: Menſa Domini contaminata eſt, & quod ſuperponitur contemptibile eſt cum igne, qui illud devorat:* Vides hic altare menſæ nomine, menſamque promiſcue altaris nuncupatione deſignari. Sed & Ezechiel Propheta cap. 41. v. 22. ubi Sanctum, & Sanctuarium Templi deſcribens ait: *Altaris lignei trium cubitorum altitudo .... parietes ejus lignei:* deinde: *hæc eſt menſa coram Domino:* Eamque ipſam eſſe menſam Panum propoſitionis, de qua Levit. cap. 1. ver. 6. & ſeq. *quorum ſenos altrinſecus ſuper menſam puriſſimam coram Domino ſtatues:* cenſent cum Hieronymo reliqui veteres Sacræ Scripturæ Interpretes fere omnes. Porro hos panes propoſitionis, etſi non ſuper altare, quod intendit Baſnagius, ſed ſuper menſam poſitos, verum fuiſſe in lege veteri Sacrificium clariſſime conſtat ex dicto Levitici cap. 1. v. 9. ubi de iiſdem legitur: *Eruntque Aaron, & filiorum ejus, ut comedant eos in loco ſancto, quia ſanctum ſanctorum eſt, de Sacrificiis Domini jure perpetuo.*

At pergit Calvinianus criticus, Moſaicum quidem altare de lignis Setim ædificatum fuit, quia vel transferri debuit, vel typi rationem habuit, communis autem hæc materia non fuit, verum leviſſima hæc ſunt Heterodoxi Annaliſtæ momenta; Moſaicum enim altare tabernaculi, etſi mobile fuit, quia in itinere a Levitis aſportandum cum Arca Teſtamenti, aliiſque ſacris utenſilibus Sanctuarii in terram promiſſionis; Altare tamen Salomonicum, quod deſcribit Ezechiel, quod Malachias commemorat, quod uterque menſam Domini nuncupat, itemque ad Moſaici ſimilitudinem ligneum, auroque coopertum, certe haudquaquam mobile erat, quia in eodem Templo Salomonis conſiſtens, ibique fixum, perpetuoque manſurum, non alio aſportandum fuerat; dixit enim Dominus ad Salomonem, poſtquam ædificavit Templum Paralip. lib. 2. cap. 6. v. 16. *elegi enim, & ſanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum.* Hinc juge Sacrificium, de quo Danielis cap. 8. v. 11. & 12. quod uſque ad plenitudinem temporis perduravit, quo miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus; qui finis legis Chriſtus (loquitur Apoſtolus ad Rom. 10. & ad Hæbr. 9.) aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius Tabernaculum non manufactum Novi Teſtamenti mediator per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, novumque Sacrificium inſtituit, quo nihil mirabilius, nihilque ſublimius; *ut figura* (inquit S. Leo Papa Serm. 8. de Paſſ. Dom. cap. 7.) *in veritatem, prophetia in manifeſtationem, & lex in Evangelium verteretur, & quod in uno Judææ Templo obumbratis ſignificationibus tegebatur, pleno, apertoque Sacramento univerſarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc etiam carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum una Corporis, & Sanguinis tui, Domine, implet oblatio, &c.* Hæc ex veteri Teſtamento.

Item ex Novo Teſtamento, ubi & promiſcua appellatione nuncupantur.

Sed & ex Novo Fœdere teſtimonia non deſunt, quibus genuino veteris Legis Altari menſæ nomen impoſitum habemus. Audiatur iterum magnus gentium Doctor cit. Ep. ad Hæbr. cap. 9. ubi Moſaicum deſcribens Tabernaculum: *Tabernaculum enim factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur Sanctæ: Poſt velamentum autem ſecundum Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum:* Et poſt pauca: *in priori quidem Tabernaculo ſemper introibant Sacerdotes, Sacrificiorum officia conſummantes .... In ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex,* &c. Continebantur Sancto, ut hic ſcribit Apoſtolus (inquit Auguſtinus Calmet Comment. in Sacr. Script. Tom. 8. ad hunc locum pag. 620.) I. Candelabrum aureum ſepticeps ad meridiem, II. Altare aureum, ſive altare thymiamatis ad ſeptentrionem. III. Altare Panum propoſitionis, qui coram Domino ſtatuebantur. Porro hoc aureum altare thymiamatis, quod Paulus, ut vidimus, menſam vocat, neque altaris nomine donat, cum idipſum eſſe exiſtimaverit, hoc, inquam, S. Lucas in Evangelio cap. 1. v. 11. ubi de Zacharia Sacerdote Patre Sancti Joannis Baptiſtæ loquitur, altare incenſi eſſe explicat: *apparuit autem, ait, illi Angelus Domini, ſtans a dextris altaris incenſi:* Neque aliter hos Sacræ Scripturæ texrus interpetrantur Patres, qui & altare paſſim menſam nuncupant, & promiſcue utraque appellatione locum, ubi Sacrificium Euchariſticum celebratur indigitant.

Idem etiam ex Patribus comprobatur.

Pro Græcis ſe offert S. Gregorius Nyſſenus Baſilii Magni frater, ſeculi quarti Scriptor Orat. in Baptiſmum Chriſti: *Altare*, inquit, *hoc Sanctum, cui adſtimus, lapis eſt naturæ communis ..... poſtquam vero Dei cultui conſecratum, atque dedicatum eſt, ac benedictionem accepit, menſa ſancta eſt, altare immaculatum, quod non amplius ab omnibus promiſcue tangitur, ſed a ſolis Sacerdotibus,* &c. Ex Latinis adeſt ejuſdem ſeculi Doctor Auguſtinus, qui ſerm. 113. de diverſis, de Sancti Cypriani altari loquens: *Sicut*, ait, *noſtis, quicumque Carthagine noſtis, in eodem loco, ubi propter nomen Chriſti ſanguis fuſus eſt Cypriani, menſa Deo conſtructa eſt. Tamen menſa dicitur Cypriani, non quia ibi umquam eſt Cyprianus epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus, & quia ipſa immolatione ſua paravit hanc menſam, non in qua paſcat, aut paſcatur, ſed in qua Sacrificium Deo, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur.* Poſſemus & alia in id argumenti teſtimonia proferre, ſed iſta intelligenti ſufficiant, quibus ex Sacris fere omnibus Eccleſiaſticæ antiquitatis monumentis contra Baſnagium, ejuſque gregales Miſoliturgos evidentiſſime demonſtrarur germano altari tum in veteri, tum in nova lege menſæ nomen indirum fuiſſe; nunc & aliam ſupereſt ejuſdem malignantis Scriptoris ridiculam exceptionem diluere, quam & facile vel ipſorum aliquot Symmiſtarum ſuorum ſubſidio diſſipabimus. Exceptio hujuſmodi eſt.

Pri-

Alia Basnagii objectio diffutatur ex suis ipsis gratibus.

Primis sane Fidelibus objiciebant Gentiles apud Minutium Felicem, Origenem, Arnobium, Lactantium, aliosque veteres Christianæ Religionis Apologistas, quod nempe nullas æides sacras, seu Templa, nulla nota simulacra, non aras, non altaria haberent; at si in notas eruditas, quas ad dictos Arnobium, & Minutium ediderunt Joannes Wovverius, Geverhartus Elmenorstus, Desiderius Heraldus, Jacobus Ouzelius, aliique apud suos Batavos clari, cum oculis & mentem figere dignatus fuisset Basnagius, utique observasset eos omnes id ita interpretandum asserere, quod nempe, non simpliciter intelligendum, (inquit, Elmenorstus ad hunc Minutii locum. Comment. pag. 24.) quasi Templa nulla omnino habuerint Christiani. Habuerunt enim, ut recte notat clar. Wovverius, Basilicas, & Templa sua, sed non more Ethnico consecrata, nec sublimibus elata fastigiis, eaque frequentabant, nisi persecutione impedirentur, tunc enim ad domos privatas confugiebant. His subscribit Ouzelius, qui plura in hunc sensum addit ad eumdem locum. Legendus item Heraldus in notis ad Arnobii lib. 6. pag. 229. & 237., ac seq. ubi item plura erudite in idem congerit. Itaque si Templa sua habebant Christiani, profecto & altaria, neque enim & apud Gentiles Templa sine altaribus sunt.

Et nulla prisce fidelibus Altaria fuisse, id de publicis intelligendum, non de privatis.

Hinc si primi Ecclesiæ Vindices in suis contra Paganos disputationibus nulla Christianis altaria fuisse dissimulando non negarunt, haud aliter quam de altaribus publicis Ethnicorum more constructis, in quibus Sacrificia maximo apparatu, & superstitioso Gentilium ritu fierent, sunt intelligendi, non de privatis ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacrificium celebrandum erectis, quæ procul dubio apud Christianos, & ab initio fidei extitisse constat; hoc diserte exprimit Apostolus ad Hebræos ita scribens cap. 13. v. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt*: idest qui abrogatis Mosaicæ legis præceptis, adhuc detineri volunt, ut omnes exponunt Patres; Græci legunt pro altaris voce *Thysiasterion*, altare scilicet pro sacrificio, nam, ut diximus, *Thysia* sacrificium est, victima, hostia. *Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fieret*, testeeodem gentium Doctore dicta Epist. cap. 7. v. 12. cumque lege, & Sacerdotio consequenter & Sacrificium; hoc autem Sacrificium ubi? nisi in eo altari, de quo edere valeamus? de quo vero quid nunc edimus, nisi Eucharistiæcum? quo *caro Corpore, & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo fagineture*; utor Tertulliani verbis de Resurr. carnis cap. 8. qui & lib. de Pudicitia cap. 9. idem nos vesci ait: *Opinitate Dominici Corporis, Eucharistia scilicet*: Num vescimur sacrificio laudum, precum, & orationum, quæ nonnisi impropriæ, ut diximus, sacrificia vocantur? At his diutius nonimmoremur, cum nobis iterum de Christianorum altari infra cap. 20. differendum sit, ubi contra Basnagium testimonium dicent Guillelmus Beveregius, Joannes Clericus, Gothofredus Voigtus, aliique ejusdem heterodoxæ communionis cum eo socii.

(6) *Author, & Doctor fecit, & docuit*) S. Irenæus lib. 4. adver. hær. cap. 18. alias 34. *Igitur Ecclesiæ Oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei*. Neque ex adverso asserant Protestantes S. Ireneum docere quidem Eucharistiam *purum Sacrificium* esse, non autem addere, & expresse definire quod eadem sit *verum, & proprium*; nam verba in propria, & confuseta significatione accipienda sunt, nisi contrarium probetur, quod ipsis incumbit; præterea S. Irenæus Sacrificium novæ Legis comparat cum Sacrificiis veteris Testamenti, quibus ratio veri, & proprii sacrificii conveniße indubium est; immo cap. 12. alias 33. agens de eadem Malachiæ prophetia, de qua supra, distinguit inter *incensum*, & *Sacrificium*, quod nempe in omni loco offeratur incensum, & Sacrificium purum; incensa autem Joannes Apoc. 5. 9. interpretatur esse orationes Sanctorum, quæ quidem Sacrificium sunt, sed impropriæ. Consequenter cum Malachias addat, & Sacrificium purum, tum Propheta, tum Irenæus eodem modo *verum, & proprium* intelligunt: purum enim Sacrificium in se spectatum ratione victimæ holocausti nonnisi verum, & proprium est. Irenæum sequitur Cyprianus, qui clarissime idipsum explicat; etenim Epist. 63. ad Cæcilium, (de qua hoc loco meminit Card. noster) non solum ait Christum Dominum fuisse Sacerdotem, & obtulisse *hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest panem & vinum, suum scilicet Corpus & Sanguinem*: verum etiam ait pag. 200. novæ edit. ut dictum est supra: *Si Jesus Christus Dominus, & Deus noster, ipse est Summus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Patri se ipsum primus obtulit, & hoc fieri in suam commemorationem præcepit, utique ille Sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, & Sacrificium verum, & plenum* (notentur hæc verba) *tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse*: Hæc cum Irenæo Cyprianus antiquissimus tertii seculi Scriptor; quod & reliqui antiqui Patres, veteres Ecclesiarum Liturgiæ, ut vidimus, & infra denuo demonstrabitur, atque universalis omnium nationum Christifidelium consensus, ex Apostolica traditione derivatum testantur.

Missæ Sacrificium verum, & proprium esse, Irenæo demonstratur.

(7) *Nimia prolixitate gravare lectorem*) Qui plura velit, adeat Joannem Garetium Lovaniensem Ord. S. Augustini de vera præsentia Corporis Christi in Eucharistia Classe 1. ubi ab Apostolis ad nostra usque tempora hac de re Sanctorum Patrum testimonia, & authoritates congerit contra Sacramentarios. Vide etiam noviſſimos Rerum Liturgicarum Scriptores, & præcipue J. Grancolas Doctorem Sorbonicum in suo opere Gallice scripto de antiquis Liturgiis, & quoad Orientales pag. 24. & seq. quo vero ad Occidentales pag. 261. & seq. Tom. 1. ubi bene multa, quæ veteres Patres de Sacrosancto Missæ Sacrificio scripsere, Lectori exhibet. Videntur item Natalis Alexander Histor. Eccl. Dissert. 13. sæc. XIII., & XIV. ac in Theol. Dogm. mor. Tom. 1. p. 2. lib. 2. de Sacr. Euchar. cap. 6. pag. 84. & seq.

Indicantur nonnulli Auctores hac de re agentes.

Exotica de Miſſæ Sacrificio apud Gentiles notitia ex numiſmate Conſtantiniano.

Hucuſque de Miſſæ nomine, antiquitate, atque apud Chriſtianos ſignificatione. Ut autem & exotica quædam de ejus qualicumque apud Gentiles notitia, ipſiuſque publico, ut ita dicam, triumphali præconio nonnulla proferamus, lubet hic eruditiſſimi viri Nicolai Claudii Peireſcii nuper in Provinciæ Parlamento Senatoris celeberrimi hac de re opinionem, & conjecturam adferre, quamvis iſta a Salomone Deylingio Acatholico Scriptore Obſerv. Sacr. parte 1. Obſerv. 37. (an merito, videant eruditi) rejiciatur. Putaverat Peireſcius, ut iſte ibi notat, ſe Miſſæ Sacrificium in perveruſto quodam Conſtantini Magni nummo inveniſſe; in ejus enim poſtica, cum altaris ſpeciem quamdam, & ſupra illud orbiculare quid obſervaſſet cum inſcriptione: *Beata tranquillitas*: continuo ſacram Hoſtiam, ſeu panem orbicularem in Sacræ Euchariſtiæ uſum adhiberi ſolitum animo concepit, ut Sacrificii Miſſæ antiquitatem exinde probaret; At vero figuram illam orbicularem a Peireſcio pro Miſſæ ſymbolo imprudenter, ut ille ait, acceptam, globum Mundi Sponium obſervaſſe affirmat ex ſimili nummo, & minus detrito, in quo Zodiacus, & Stellæ aliquot diſtinctiſſime apparent. Plures ejuſmodi nummos tum a Conſtantino ipſo, tum ab ejus filiis Criſpo, & Conſtantino juniore ſignatos a Patino, Dufreſnio, Mediobarbo exhiberi tradit Deylingius, exiſtimatque Peireſcii opinionem nulla re magis, quam ex temporum rationibus, quas vir ſummus non attenderit, refelli poſſe. Cum enim in hujuſmodi nummis pleriſque juxta aram legatur *votis XX.*, illud indicio eſſe, eos anno Chriſti 326. cuſos eſſe, quo anno Conſtantinus Romæ vicennalia celebraverit, quemadmodum Antonius Pagius in ſua Diſſertatione Hypatica oſtendit, in qua ſolemnia illa prolixe deſcribit. Conſtantino enim illo tempore ſalutari fonte nondum abluto, adhuc incognitæ fuiſſe Sacræ Euchariſtiæ ſymbola, neque ei, ſi cognita fuiſſent ejuſmodi myſteria, ac ritus quæ coram Catechumenis, & Paganis ſummo ſtudio occultabantur, obſtante diſciplina arcani, publicari licuiſſe. Hæc hæreticus author, cumque eodem alii Miſoliturgi.

Peireſii opinio de hujuſmodi Conſtantini numiſmate adverſus Deylingium propugnatur.

Verum his non obſtantibus non ita facile reſpuenda videtur laudati, & clariſſimi Scriptoris conjectura. Etenim hujus nummi ſignificationem ita ab illo exhibitam a veritate non admodum alienam eſſe ſatis oſtendi poſſe videtur. Et primo numiſma iſtud Chriſtiani Principis eſſe indicant ara, & orbicularis figura cruce ſignata ſuperimpoſita, uti videre eſt apud Danielem Papebrochium in vita Conſtantini Magni Act. SS. Maji ad diem 21. pag. 23. & 25. ubi plures ejuſmodi nummos ab Alexandro Wilthemio illuſtratos profert cum ſupradicta inſcriptione *beata tranquillitas*, quem titulum hactenus, ut Wilthemius ipſe affirmat, in nullis Auguſtalibus vidi, (vidi autem, inquit, prope innumerabiles) præter quam in his Conſularibus Vicennalium Conſtantini, utpote Chriſtiani Imperatoris. Et quidem Conſtantinum jam eo tempore, ab anno ſcilicet 312. ad fidem Chriſtianam converſum in confeſſo eſt apud omnes, & Sozomenus lib. 5. cap. 1. id ſatis oſtendit, ut notat Pagius præf. in Critica Baronii ad eumdem annum num. 18. Immo publice etiam id ipſum teſtatum fuiſſe, atque Chriſtianam religionem amplexum ſatis ſuperque demonſtrat Joannes Damaſcenus in Synodica ad Theophilum pag. 112. ubi loquens de Conſtantino hæc ait: *Pietatis in Chriſtum verum Deum noſtrum præcipuum argumentum fuit, quod Imperatorio, ac publico numiſmati ſalutaris Crucis, quod in Cælo viderat ſignum, Chriſtique Dei hominis venerandam imaginem cum ſua ipſius impreſſerit, quo ſcilicet Cæleſtis Regis præ terreno majorem potentiam declararet*: Idem confirmat Anonymus in antiquitatibus Conſtantinopolitanis apud Combefiſium Orig. CP. pag. 99. Conſtat etiam ex Damaſo Papa, aliiſque Conſtantinum Redemptoris imaginem in ſella ſedentis ex argento laterali dedicaſſe, etſi magno antiquariæ eruditionis detrimento inter tot, qui ſuperſunt Conſtantini nummis, nullus hactenus repertus fuerit, in quo Chriſti imago effingatur. Cæterum Chriſtianam Conſtantini pietatem ſatis hac in parte demonſtravit Criſpus filius, & Cæſar, qui Patris exemplo Chriſti in throno ſedentis imaginem in prægrandi æneoque numiſmate imprimi voluit, ut ex Card. Baronio habetur in ſecunda annalium ſuorum editione ad an. 324. num. 15. quod nobile numiſma in honorem Chriſti Domini conditum Criſpi Cæſaris eſſe, præter illuſtriſſimi viri Fulvii Urſini rerum antiquarum Cenſoris eximii atteſtationem, validis, probatiſque argumentis ita vindicat Baronius, ut vix dubitationi locum relinquat. Sic etiam eruditiſſimus Franciſcus Blanchinius in noviſſima ſua Anaſtaſii Bibliothecarii editione, Tom. 1. num. 55. ubi ſuſe ea, quam habuit pleniſſima rei antiquariæ notitia, differit de hoc nummo. Ex quo indubitatum habetur teſtimonium Chriſtianæ Religionis publice exercitæ ſub Conſtantino, ante quam idem Criſpus Fauſtæ novercæ calumnia neceretur.

Si igitur Conſtantinus Chriſti Domini imaginem nummis impreſſam cudi voluit, eccur etiam non potuit Sacræ Euchariſtiæ ſymbola, panem ſcilicet Cruce ſignatum, quem indicat ſupra Aram poſita orbicularis figura, item imprimi jubere, quibus ejuſdem Salvatoris noſtri, ac Chriſtianæ religionis cultus exprimeretur? Et maxime in Vicennalium ſuorum feſtis, in quibus ſicut Ethnici Imperatores ſuis inanibus Diis vota publica faciebant, eaque nummis impreſſa donabant, uti videre eſt apud veterum numiſmatum Collectores, ubi Auguſtorum vota decennalia, quindennalia, ac vicennalia, vel cum effigie ſacrificantis in tripode, uti Antonini Pii apud Pagium in Critica Baronii ad an. 159. num. 3. vel cum Ara, & igne ſuperpoſito, aut cum corona Auguſtæa lauro texta, atque inſcriptione ſolita *vot. decennal.*, aut *vot. XX.* aliove profano emblemate, ſic ipſe Chriſtianus Princeps religioſiſſimus votum ſuum non aliter, quam Chriſtianorum Sacrificio, ritu, ac more, non gentilium ſuperſtitionibus, vero Deo, Cœli, & Terræ Creatori ſolvi voluit; quod nummus plane indicat, figura quippe orbicularis ſupra Aram, ac Stellæ

tres

tres in ipſius apice poſitæ unum Deum, & Trinum Orbis terræ, ac Cœli factorem ſignificare portendunt; neque aliter id tunc exprimi poterat, niſi per orbem, ac tres ſtellas, quo orbe etiam Cruce ſignato Panem cœleſtem, Euchariſtiam ſcilicet, unici, ac Divini Sacrificii Symbolum intelligi a piiſſimo Principe perſuaſiſſimum eſt; quo enim alio ritu, niſi per Euchariſtiæ Sacramentum ineffabile Chriſtianæ Religionis myſterium a Chriſtiano Imperatore vota publica redderentur?

Neque obſtant ab ipſo in contrarium objecta.

Neque obſtat diſciplina Arcani ſupra a Deylingio objecta, Conſtantinus namque, ut notat infra Emin. noſter cap. 16. §. 3. atque mordicus ſuſtinent Scheleſtratius Diſſert. de eadem arcani diſciplina cap. 7. art. 4., & in Antiquit. illuſtr. de rebus Eccl. Diſſert. 3. cap. 6. & apud Rocabertum in Biblioth. Pontif. Tom. XI. pag. 87. laudatus Franc. Blanchinius in noviſs. Anaſtaſii edit. in S. Silveſtro, aliique doctiſſimi viri, ante Concilium Nicænum Romæ a dicto S. Silveſtro baptizatus eſt. Dato etiam, non tamen conceſſo, quod idem Imperator Nicomediæ in fine vitæ baptizatus fuerit, uti contendunt Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Sæc. IV. Diſſert. 23. Daniel Papebrochius in vita Conſtantini ad diem 21. Maji, & in Conatu Chronol. Summ. Pontif. in Silveſtro, aliique; negari profecto non poteſt (uti & iſti clariſſimi viri non diffitentur) Conſtantinum, utcumque tunc fuerit, ſive baptizatus, ſive Catechumenus, Sacrorum myſteriorum ſuiſſe participem, id quod etiam expreſſe tradit Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 21. & cap. 57. eumdem Imperatorem, cum cæteris fidelibus pernoctaſſe, & vota Deo perſolviſſe ſcribit. Vide quæ infra dicentur cap. XVI. §. 3. not. 3. ubi iterum de Conſtantini baptiſmo diſſeretur. Non inquam obſtat diſciplina arcani; ſi enim, ut ait Natalis Alexander loco citato, Antiocheno Concilio in celeberrimi Templi dedicatione celebrato intereſſe Conſtantium adhuc Catechumenum Epiſcopi paſſi ſunt, ſi Valentem Imperatorem Arianum ab Eccleſiæ ingreſſu non prohibuit S. Baſilius, quin etiam paſſus eſt, ut dona ad Altare offerret (ex Theodoreto lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 18.) quidni erga Conſtantinum tam integræ fidei, tamque inſignis pietatis Imperatorem, cui tot nominibus obſtricta erat Eccleſia, ea indulgentia uſi ſint Antiſtites, ut Eccleſias ingredi, inque illis preces fundere, etſi nondum baptizatus (ut Critici plerique volunt) necnon Conciliis intereſſe potuerit ad fidem, & unitatem Eccleſiæ contra hæreticos, & Schiſmaticos protegendam? cum in ipſo nullum abutendi periculum fuiſſet.

Nihil igitur ex dictis vetat cur Peireſcii opinioni ſubſcribamus, & diviniſſimum Chriſtianæ Religionis Sacrificium, pium Imperatorem, quem etſi nolimus concedere de eodem communicaſſe, ſaltem audiviſſe, atque ita ſacrorum myſteriorum notitia imbutum fuiſſe compertum eſt, in publicum ſuæ fidei teſtimonium proprio numiſmate cudi voluiſſe credamus; hujus porro numiſmatis ectypum hic tibi exhiberemus benigne Lector, uti apud laudatum Papebrochium loco citato deſcribitur, at cum ipſum in promptu non habeamus, nec nobis neceſſarium viſum fuerit, illud ibi a te examinandum relinquimus. Cæterum hæc exotice, ut innuimus, & extra callem dicta ſint, non enim hercle is ſum, qui rei antiquariæ peritos erudire videar, ejuſdem penitus ignarus; ſed ut nonnihil profanæ, & ſecularis notitiæ Lectori utcumque offerrem, ne videlicet nimius Liturgicæ majeſtatis ſcrutator opprimeretur a gloria, utque a feria illius contemplatione tantiſper allevietur, hæc propterea ſubdere exiſtimavi. Scio quidem Deylingium non eſſe unicum, qui relatam Peireſcii opinionem de hoc nummo Conſtantiniano refellat, ac reſpuat, cum in hanc ejus interpretationem fere nemo ex Eruditorum collegio vel dignetur attendere, & ſignantet inter primi ſubſellii viros præſtantiſſimus Bandurius Tom. 2. numiſm. Impp. ſic de eodem nummo loquatur „ Ara, ſuper „ quam globus, & tres Stellæ in Ara *Votis* „ XX. Nummi cum hac epigraphe in Con„ ſtantino, Criſpo, Conſtantino Jun. & Lici„ nio Jun. occurtunt. Typus enim his Princi„ pibus proprius longa explicatione non eget: „ Cum enim Ara quadrata perpetuitatem, „ globus orbem deſignet, apparet perpetuam „ orbis tranquillitatem his in nummis com„ mendari„. Hæc ille. Quidquid autem ſit, ſi cui privato ſtudio fortaſſe arriſerit narrata Peireſcii conjectura, eidem aſſentiri liberum eſto, dum nos ad noſtra Liturgica diſquirenda remeamus.

CAP. V.

Quo tempore, & quo loco prima Missa ab Apostolis celebrata sit. Quis ex illis primus omnium celebraverit. Quo apparatu, quibus vestibus, quibus verbis, qua lingua. Addita quædam de linguarum mutatione. Cur lingua vulgo ignota Ecclesiasticæ functiones peragantur.

§. I.

Quo tempore, & quo loco prima Missa ab Apostolis celebrata sit. Quis ex illis primus omnium celebraverit.

QUi Christus in ultima Cœna, qua Corporis & Sanguinis sui tremendum Sacrificium instituit, omnes Apostolos Sacerdotio initiavit, tributa eis consecrandi potestate, ut unanimi consensu Sancti Patres & Theologi asseverant; hinc orta est controversia, quandonam cœperint tradita sibi facultate uti, statimne ac Dominus a morte redivivus surrexit, an post adventum Spiritus Sancti. Silent de hac re Scripturæ, silent antiqui Patres: vulgus autem Scriptorum in duas partes scissum est. Quidam putant abstinuisse Apostolos a celebratione in triduo Passionis, utpote mœstos de nece sui Domini, (1) & dispersos sicuti oves absque Pastore; depulsa vero mœstitia per gaudium Resurrectionis nihil obstitisse, quin illico Sacrum peregerint, ut hunc supremum cultum redderent Deo, sive in gratiarum actionem pro gloriosa Magistri a mortuis Resurrectione, sive in memoriam acerbissimæ mortis ejus, sive pro sua, aliorumque Fidelium consolatione: idque fervidus eorum zelus, amorque ardentissimus, & aliæ quædam congruentiæ, quas affert Raynaudus *lib. de prima Missa sect.* 1. *cap.* 2. persuadere videntur. Alii existimant nequaquam ausos fuisse tam sublime ministerium aggredi, donec ad illud disponerentur divinæ gratiæ plenitudine, qua in adventu Spiritus Sancti imbuti sunt. Et hæc quidem sententia probabilior mihi videtur, (2) cujus præcipuum momentum ex eo deduci puto, quod ut affirmant melioris notæ Theologi, adhuc lex antiqua usque ad Pentecosten vigebat, nova nondum sufficienter promulgata; nec decebat novum offerri Sacrificium, Sacerdotio nondum translato. Favent Actus Apostolorum, in quibus *cap.* 2. legimus Apostolos accepto Spiritu Sancto hortatos esse populum ad pœnitentiam; continuoque subdunt, fuisse eos *Perseverantes in communicatione fractionis Panis, & orationibus:* cumque eadem verba ante descriptam missionem Spiritus Sancti Lucas *cap.* 1. dixisset, nullam facit mentionem fractionis panis, sed *erant*, inquit, *perseverantes unanimiter in oratione, & obsecratione;* quia nimirum ante Pentecosten nondum erat usus Sacrificii, & Communionis. Suffragatur huic sententiæ Hesychius in *cap.* 9. *Levitici* dicens Christi Sacrificium innotescere cœpisse, *ex quo Spiritus adveniens Parthos, & Medos, & Elamitas, & omnium gentium primitias ad Apostolorum Cœnaculi superiora collegit.* Consentit quoque Paschasius *lib. de Corp. & Sanguine Domini cap.* 21. *Ex quo*, inquit, *renovati sunt Sancti Apostoli per adventum Sancti Spiritus de Cœlis, & inebriati musto Charitatis; ex eo sane credimus hunc Calicem in Ecclesia consecratum, quoniam ille Spiritus veritatis, in quo renovati sunt ex vetustate, induxerat eos in omnem veritatem, & confirmaverat in plenitudinem Doctrinæ.* Primum igitur Christianæ Ecclesiæ sacrificium Hierosolymis peractum est, in ipsomet Cœnaculo, in quo Spiritum Sanctum acceperant, non a Jacobo Fratre Domini, ut *lib. de Apostol. Litur-*

An Apostoli in triduo Passionis Domini Missam celebraverint, contra Doctorum sententias. (1)

Probabilius quod non celebraverint. (2)

Prima Missa in die Pentecostes a Petro Apostolo celebrata.

Liturgia exiſtimat Genebrardus; ſed a Petro Principe Apoſtolorum, ut ſcribit Demochares *Tom.* 2. *de Miſſa cap.* 5. (3) Nemini enim convenientius (3) hæc prærogativa tribui poteſt, quam Petro, *Quem*, ut verbis utar S. Leonis Magni Serm. 3. in ſua Aſſumpt. *Omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus Chriſtus præpoſuit, cui conſortium potentiæ ſuæ tribuit Divina dignatio.* Recte Aſterius Amaſenus Hom. in Principes Apoſtolorum: *Sicut Petrus primus omnium, Gentibus ac Iſraelitis tanquam Epiſcopus & Paſtor omnium prædicavit; ita credendum eum primum Sacrificium obtuliſſe.*

An Apoſtoli in triduo mortis Chriſti vere potuerint conſecrare.

(1) *Utpote mœſtos de nece ſui Domini &c.)* Item quæſtio eſt inter eoſdem Scriptores, an Apoſtoli in triduo mortis Chriſti verum potuerint conficere ejuſdem Chriſti Corpus. Et quidem certum eſt, quod ſi ab ipſis illo triduo Sacramentum hoc eſſet confectum, fuiſſet in eo utique Chriſti Corpus, ſed exanime, non animatum, cum anima a corpore tunc temporis eſſet ſeparata, ita docet S. Thomas 3. parte quæſt. 76. art. 1. ad 1., & art. 2. in c. In hac autem controverſia etſi pars affirmativa ſatis accepta ſit, eamque nonnulli amplexam tueantur, contraria tamen non improbabilis videtur, quod nempe in illo triduo Apoſtoli minime conſecrare potuerint, nam Chriſtus Dominus, dum eos Sacerdotes inſtituit, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: Ipſe vero Chriſtus, dum conſecravit, poſuit ſub ſpeciebus panis Corpus ſuum non exanime, ſed animatum; ſignum eſt ergo ipſum dediſſe Apoſtolis poteſtatem conſecrandi, quando ſub ſpeciebus panis Corpus ſuum animatum poni poteit, hoc autem in illo triduo mortis Chriſti fieri non poterat, adeoque nec Apoſtoli conſecrare. Et hanc ſententiam tenet Gloſſa in cap. 25. *Timorem* de conſecr. diſtinct. 2., cui adhærent plerique apud Card. de Lugo de Sacram. Diſput. 19. ſect. 6. n. 85. ubi alias plures non contemnendas rationes adducit, eamdem etiam ſequitur Herinchx Diſput. 2. quæſt. 5. num. 61. Verum quidquid ſit de hac ſententia, huic contrariam multo plures ſuſtinent, potuiſſe ſcilicet in dicto triduo mortis Chriſti Apoſtolos conſecrare, pro qua videndi Joſeph Cacheranus Theolog. Aſſert. Tract. 9. lib. 1. cap. 7. §. 13, & Puteobonellus de Sacrificio Miſſæ quæſt. 1. art. 2. §. 4. nu. 6., qui ſuſe hac de Controverſia diſſerunt. Cæterum etſi Apoſtolis ante adventum Spiritus Sancti fuerit poteſtas conſecrandi, eaque uti potuerint, ex eo tamen colligere non poſſumus ipſos hanc poteſtatem revera exercuiſſe, ut optime notat Criticorum noſtri temporis prudens Diſcretor Honoratus a Sancta Maria in ſuis Animadv. in Reg. & uſum Critices lib. 5. Diſſert. 3. art. 1. in fine.

Utraque ſententia probabilis.

Probabilius Apoſtolos non ante adventum Spiritus Sancti celebraſſe.

(2) *Et hæc quidem ſententia probabilior &c.)* Quam mordicus tuetur dictus Theoph. Raynaudus multa ad ejus probationem congerens, quæ apud ipſum legi poſſunt in præcitato libro de prima Miſſa a cap. 4. uſque ad finem ſectionis. Ante ipſum eidem ſententiæ videtur adhæſiſſe S. Thomas, ita enim ait in officio, quod compoſuit de ſolemnitate Corporis Chriſti: *Congruit, ut tanti Sacramenti inſtitutionem illo tempore ſpecialiter recolamus, quo Spiritus Sanctus corda diſcipulorum edocuit ad plene cognoſcenda hujus Sacramenti myſteria, nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a Fidelibus frequentari.*

Iterum probatur primam Miſſam non a Jacobo, ſed a Petro celebratam fuiſſe.

(3) *Sed a Petro, ut ſcribit Demochares &c.)* Quoad primam Miſſam, a quo celebrata fuerit, duæ ſunt ſententiæ. Prima eorum, qui cenſent a Sancto Jacobo Apoſtolo celebratam fuiſſe, & hanc tenent Molina in Sacerd. Inſtruct. Tract. 3. cap. 2. Cornelius a Lapide prolegom. in Epiſt. Jacobi §. 10. Balthaſar Paez quæſt. 6. procem. in eamdem Epiſt. & Genebrardus ab Emin. citatus in S. Dionyſii Liturg. cap. 7. qui nonnullis rationibus hanc ſuam opinionem probare nititur, præcipue ex eo, quod Jacobus primus Hieroſolymorum Epiſcopus fuerit, verum id non probat ei delatum munus primo ſacrificandi, aderat enim plenarium Apoſtolorum Concilium, ipſeque Eccleſiæ Princeps Sanctus Petrus, cui proinde primas deferre tamquam Eccleſiæ capiti, & primario Sacerdoti cæteros Apoſtolos voluiſſe credendum. Præterea S. Jacobus in Pentecoſte nondum erat conſtitutus Hieroſolymitanus Antiſtes, quod poſtea per S. Petrum de cæterorum Apoſtolorum conſenſu eſt confecutus teſte Chryſoſtomo hom. 87. in Joannem. Leve igitur eſt argumentum pro vindicanda illi prima Miſſæ celebratione. Secunda ſententia, & probabilior aſſerit Petrum fuiſſe, qui in Pentecoſte primus ſacrificaverit, proque hac late Demochares lib. 2. de Sacrif. Miſſæ cap. 5., & Joannes Antonius Pallotta, cumque iiſdem laudatus Raynaudus de prima Miſſa ſect. 2. cap. 2. ubi plura in hanc rem erudite congerit. Huic veriori ſententiæ conſonant S. Leo Magnus, & Aſterius Amaſenus ab Emin. allati. Neque obſtant Remigius Antiſſiodorenſis Monachus de Expoſit. Miſſæ initio, & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis pag. 8. cap. 14. aſſerentes Sanctum Petrum primam Miſſam Antiochiæ celebraſſe, id enim intelligendum de Miſſa certo ritu celebrata, quam ita dicti Pallotta, & Raynaudus exponunt, non vero de ſimplici Sacrificio per orationem Dominicam, & verba Domini tunc peracto.

§. II.

§. II.

Quo apparatu, quibus veſtibus eadem prima Miſſa celebrata fuerit.

Incertum, quo qualiſve Miſſæ apparatus Apoſtolis fuerit.

QUis vero qualiſve fuerit primi hujus ſacrificii apparatus, incertum eſt; vixque aliud dici poteſt quam omnia decentiſſime compoſita, & ornata fuiſſe, quantum loci, temporis, perſonarumque conditio, atque aliæ circumſtantiæ permittebant. Succenſa lumina non deſuiſſe credibile eſt, illorum enim uſus in Sacris apud Hebræos vigebat, quibus juſſerat Deus *Exodi* 25. & *Levitici* 24. aureum Candelabrum in templo fieri, & lucernas ſeptem. Adhibitam quoque veſtem a profana, & communi diſtinctam, quamvis negent Hugo Victorinus *lib.* 2. *de officiis Eccleſ. cap.* 11. & Walfridus Strabo *cap.* 24. conſentaneum videtur Apoſtolicæ pietati, & reverentiæ erga tantum myſterium, cum præſertim ante oculos haberent Sacerdotum Legalium exemplum, imo & Gentilium, quibus in Sacrificiis veſtis erat peculiaris. (1) Planetæ S. Petri ab Antiochia Pariſios delatæ, & in Templo (1)
S. Genovefæ collocatæ meminit in vita S. Hugonis Cluniacenſis alter Hugo ejuſdem Monaſterii Monachus apud Surium die 29. Aprilis. (2) Sacram item (2)
veſtem S. Joannis Evangeliſtæ Gregorio Magno tranſmiſſam refert Joannes Diaconus in ejus vita *lib.* 3. *cap.* 59. de qua ipſe Gregorius ſcripſit Joanni Abbati *Epiſt.* 3. *lib.* 2. *Indict.* 11. Sunt & aliæ quædam hiſtoriæ de veſtibus Apoſtolorum, quibus in oblatione divini Sacrificii uſi fuiſſe dicuntur, quarum dubia eſt fides, tum propter antiquitatem, tum propter Veterum de illis ſilentium. (3) De Penula Pauli Troade relicta, quam Planetam ſive Caſulam (3)
fuiſſe plerique exiſtimant, (4) ſermo erit infra capite XXIV. Puto autem hic (4)
locum habere regulam traditam ab Auguſtino lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Audacius igi-

Nicolaus Alemannus notatus.

tur quam par eſſet Nicolaus Alemannius in *Diſſertatione de parietinis Lateranenſibus cap.* 9. Sacrarum veſtium uſum non ſolum Apoſtolis, ſed etiam Apoſtolicis viris abnegat; idque ait explodendum eſſe tanquam ridiculum, & ab omnibus viris doctis improbari. Nimia prorſus audacia. Nemo enim negabit viros doctos fuiſſe Valdenſem, Democharem, Baronium, Staplctonium, Sauſſayum, & alios contrariæ ſententiæ aſſertores. Fatemur quidem Chriſtum non aliis quam propriis veſtibus indutum hoc Sacramentum inſtituiſſe: Apoſtolis vero, & Apoſtolicis viris ſacra indumenta auferre nemo poteſt, niſi ſimul oſtendat a quo primum fuerint introducta, alioquin regulæ ab Auguſtino traditæ, & Concilio Tridentino adverſabitur, a quo *ſeſſ.* 22. *cap.* 5. inter cætera quæ pia Mater Eccleſia Sacrificio adhibet ex Apoſtolica diſciplina & traditione, veſtes recenſentur. Honorius in Gemma animæ cap. 89. Apoſtolos ait, & eorum ſucceſſores in quotidianis veſtibus Miſſas celebraſſe: mox ſubdit, *Sed Clemens tradente Petro Apoſtolo uſum ſacrarum veſtium ex lege ſumpſit; & Stephanus Papa in ſacris veſtibus Miſſas celebrari conſtituit.* At hæc quis non videt aſyſtata eſſe? Nam ſi tradente Petro uſus ſacrarum veſtium ſancitus eſt, quomodo Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, Apoſtolorum Principis traditionem, ſeu præceptum neglexerunt in quotidianis veſtibus celebrantes? Stephanus autem id tantum decreviſſe dicitur, ne

Item Joſeph Vicecomes.

miniſtri veſtes ſacras ferrent extra Eccleſiam. (5) Joſeph Vicecomes, ut pro- (5)
bet Apoſtolos profanis indutos veſtibus ſacrificaſſe, naſcentem Eccleſiam ſumma rerum inopia laboraſſe, & pecunia caruiſſe ait, qua veſtes peculiares ad uſum Sacrificii compararet, tum inquit Gentiles id nequaquam permiſſuros, quorum perſecutioni ſe palam expoſuiſſent, ſi diverſa a communibus veſtimenta in Sacris adhibuiſſent. Sed iſtæ objectiones ſuo vitio cadunt. Ex

Acti-

Actibus ſiquidem Apoſtolorum conſtat, eos qui ad Chriſtum convertebantur prædia vendidiſſe, eorumque pretium Apoſtolis obtuliſſe, quo abunde poterant & egenorum neceſſitatibus providere, & veſtes ac reliqua emere, quæ ad Sacrificii uſum requirebantur. Nec illis Chriſti diſcipulis, quos Evangelium divites, & potentes vocat, pietatem defuiſſe credimus ad emendas veſtes Apoſtolis incruentum Sacrificium offerentibus, qua prius moti fuerant ad pretioſa aromata comparanda, quibus Corpus Chriſti mortuum ungeretur. Quod vero de Gentilibus addit, inane eſt: non enim publice Sacris operabantur Apoſtoli, ſed in locis ab infidelium notitia remotis, ſervata ab omnibus inviolabilis ſilentii fide, ſine teſtibus, ſine arbitris. Unde eſt illud Tertulliani in Apologetico cap. 7. *Si ſemper latemus, quando proditum eſt quod admittimus? Imo a quibus prodi potuit? Ab ipſis enim reis. Non utique, cum vel ex forma omnibus myſteriis ſilentii fides debeatur. Si ergo non ipſi proditores ſui, ſequitur ut extranei. Et unde extraneis notitia? Cum ſemper etiam piæ initiationes arceant profanos, & arbitris caveant.* Nihil igitur obſtat, quin Apoſtoli ſacris veſtibus uti potuerint: quod vero uſi ſint, pietas eorum & erga auguſtiſſimum miniſterium reverentia evincit. Et ſi aliquando communibus indumentis uti inſtans neceſſitas coegit, non aliis ſane quam illis, quæ tunc honeſtiora habebantur. Nec improbabile puto, quod quædam ex illis in ſacros uſus translata, & quodammodo ſanctificata fuerint, quibus propterea profani homines ad fidem converſi, uti deinceps, ob divini ſacrificii reverentiam, deſierint.

Veſtis peculiaris ab Apoſtolis in Sacrificio adhibita exemplo Sacerdotum legalium.

(*) *Veſtis erat peculiaris*) Et quidem de Sacerdotibus Legalibus id habetur Exodi 28., & 29. item 39., & 40. Levitici 8. v. 1. 8. Expreſſe autem a Sacerdotibus in Sacrificio particulares veſtes adhibitas legimus in Ezechiele Propheta cap. 42. v. 14. *Cum autem ingreſſi fuerint Sacerdotes, non egredientur de Sanctis in atrium exterius, & ibi reponent veſtimenta ſua, veſtienturque veſtimentis aliis, & ſic procedent ad populum:* & infra cap. 44. v. 19. *Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent ſe veſtimentis ſuis, in quibus miniſtraverant, & reponent ea in gazophylacio Sanctuarii, & veſtient ſe veſtimentis aliis, & non ſanctificabunt populum in veſtibus ſuis.* Vide etiam Joſephum lib. 3. antiquit. Judaic. cap. 8. Quin & veſtes ipſas Sacerdotum cum iiſdem Sacerdotibus ſacratas fuiſſe ex Sacro Textu deducit, & teſtatur S. Felix Papa IV. an. 526. in ſua prima, quæ circumfertur Epiſtola relata de Conſecrat. Diſt. 1. cap. 2. ubi hæc habet: *Ipſa ſacra non alii, quam Sacerdotes ſacra unctione delibuti, Dominoque cum veſtibus ſanctis ſacrati, & Levitæ tractabant:* Hinc ſi Sacerdotes veteris legis ſacris veſtibus utebantur, multo magis, (ut recte infert Ivo Carnotenſis apud Binium in notis ad Stephani I. Papæ Epiſt. 1.) in lege nova Sacerdotes ad divinum cultum, & miniſterium rectè peragendum, & præſertim ad Corpus, & Sanguinem Domini conſecrandum ſacris veſtibus uti oportuit.

Quin & Gentilium.

Gentilium vero Sacerdotes quoque peculiares veſtes inanibus in ſacrificiis ſuis, eaſque lineas adhibuiſſe, teſtes ſunt Apulejus in Apolog. & lib. 2. ubi de Iſidis Sacerdotibus in Ægypto: *Mundiſſima lini ſeges*, ait, *inter optimas fruges terræ exorta, non modo indutui, & amictui ſanctiſſimis Ægyptiorum Sacerdotibus, ſed opertui quoque rebus ſacris uſurpatur.* Idem confirmat lib. XI. *Mileſ-Antiſtides Iſidis ſacrorum proceres illi, qui candido linteamine cinctum pellorale ad uſus veſtigia ſtrictum injecti:* Alibi *linteo undique me contectum amicimine.* Plinius lib. 19. veſtes Sacerdotibus Ægypti lineas gratiſſimas tradit eo genere lini, quod Xilon vocant, unde & dicta Xilina, quibus nulla ſunt in candore, mollitieve præferenda. Quare Ovidius, Juvenalis Sat. 6., & alii linigeros appellant. Hinc velati etiam iidem Sacerdotes Gentiles dicebantur eo quod veſtem aliam miniſterio peculiarem, cæteriſque diſtinctam geſſerint; velati enim veſtibus ſacris quoquomodo induti dicebantur. Ovid. lib. 3. Amorum Eleg. 13. loquens de Junonis famulabus ſacra facientibus.

More Patrum ſanctæ, velatæ veſtibus albis
Tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.

Et lib. 10. Metamorph.

Feſta piæ Cereris celebrabant annua Matres,
Illa quibus nivea velatæ corpora veſte.

Item Virgilius Æneid. lib. 12. v. 120. deſcribens miniſtrantes ſacris ait:

Velati lino, & verbena tempora vincti.

De Sacerdotibus, qui Ammonis Sacra in Templo Gaditano procurabant, Silius Italicus, ita eos deſcribens lib. 3. —— *nec diſcolor ulli*
Ante aram cultus velantur corpora lino.

Sacerdotes Deæ Syriæ veſte candida indutos dum ſacra operarentur teſtatur Lucianus lib. de eadem Dea. De Romanorum vero Sacerdotibus vide Tibullum lib. 2. Eleg. 1. Atque hæc ſatis de profanis Ethnicorum Sacerdotibus, de quibus etiam nonnulla vide infra cap. 24. §. 4. jam vero redeamus ad ſacros novæ Legis Miniſtros.

Id ſuadent veteſta Eccleſiæ monumenta.

Peculiares itaque veſtes a communibus diſtinctas ab initio etiam adhibitas fuiſſe in ſacro

cro miniſterio plurima ſuadent vetuſta Eccleſiæ monumenta. Etenim quis ignorat in Carthaginenſi Eccleſia perfectionibus nondum per Conſtantinum ſublatis, quando ſcilicet Menſurius ejus Eccleſiæ Epiſcopus Romam ad cauſam dicendam a Maxentio Tyranno vocatus eſt, fuiſſe *ex auro, & argento plurima ornamenta*, uti Optatus Milevitanus teſtatur lib. 1. cap. 17. 18. Notiſſimum eſt, quod ex ſacro hymno S. Laurentii apud Prudentium legitur Periſteph. hym. 2. de quo infra Emin. Author cap. 25. §. 2. ubi legitur auro offerri conſueviſſe a Romanis Pontificibus Sacrificium, quod & manifeſte probant inventa ſacra miniſterialia vaſa bene multa ex argento confecta, dum effoderetur Crypta ad Cœmeterium Calliſti, in qua SS. Martyrum Valeriani, Tiburtii, Maximi, & Cæciliæ corpora ſepulta fuerant, uti refert Baronius ad an. 233. n. 2. Demum Eccleſiam Romanam ex piis Fidelium largitionibus adeo opibus abundaſſe, ut ex more, inſtitutoque ejuſdem ad perfecutionem Diocletianæam uſque ſervato, Fideles omnes *jam inde ab ipſo religionis exordio vario beneficiorum genere afficeret, & Eccleſiis quam plurimis, quæ in ſingulis urbibus conſtitutæ ſunt, neceſſaria vitæ ſubſidia* tranſmitteret. Ita teſtatur Euſebius lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 23. ex Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi ad Clerum, & Eccleſiam Romanam Epiſtola, Sotere Apoſtolicam Sedem regente, & lib. 7. cap. 5. ex alterius Dionyſii Epiſcopi Alexandrini Epiſtola ad Stephanum Papam.

Nec obſtat primitivæ Eccleſiæ inopia a Joſeph Vicecomite objecta.

His ſtantibus nemo cum Joſeph Vicecomite, viro cætera doctiſſimo, de quo infra Emin. Author num. 5. nobis obtrudat Romanæ Eccleſiæ, & nonnullarum ante Conſtantini tempora inopiam in iis præſertim, quæ ad Sacrificii divini cultum pertinent, cum hæc egeſtas veterum monumentis reprobetur, atque miniſteria ſacra ex auro, & argento, in Romana præſertim Eccleſia, fuiſſe pateat; ſi enim tanta illi tunc cura fuit de vaſis ſacris pretioſis comparandis, ut vidimus, & infra loco ſupracitato plenius videbimus, an putabimus paſſam fuiſſe, ut vilioribus veſtibus, & uſu communi detritis celebrantes induri Miſſarum ſolemnia peragerent? cum eodem modo, quo vaſa miniſterialia adhibebat pretioſa, & dumtaxat ad uſum ſacrum diſtincta, potuerit & veſtes peculiares ſimulque pretioſas adhibere ex Fidelium largitione donatas, ut inde novæ Legis Sacrificium quoad exteriorem cultum, & ornatum inferius non eſſet veteris Legis, immo & Gentilium Sacrificiis, in quibus peculiares veſtes, ut vidimus, ſacrificantium humeros ornabant.

Aſſertum hoc de re Patrum teſtimonia.

Sed ad Patres tranſeamus. Origenes hom. XI. in Exod., & Hieronymus in Ezechielem 44. *Religio*, ait, *divina alterum habitum habet in miniſterio, alterum in uſu, vitaque communi*: & hinc idem lib. 1. contra Pelagium, Epiſcopos, Presbyteros, omnemque Clerum in Sacrificii adminiſtratione candidis veſtibus uti ſolitos fuiſſe affirmat. Idemque expreſſe Epiſt. 3. ad Heliodorum refert Nepotianum Presbyterum morti vicinum avunculo suo diciſſe: *Hanc tunicam, qua utebar in miniſterio Chriſti, mitte dileciſſimo mihi ætate Patri, Fratri, collegæ &c.* ideſt ipſi Hieronymo, uti mox ipſe teſtatur, quam tunicam Marianus Victorius Caſulam, ſeu Planetam, oprime interpretatur; non enim alia in Sacerdotali Chriſti miniſterio adhibetur, niſi forte Albam intelligi voluerit.

Inſuper Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. Veſtium facrarum mentionem facit, & in Liturgia orationes ponit, quas Sacerdos dicit, dum ſacras veſtes induit. Euſebius item in ea oratione, quam habuit ad Epiſcopos in Dedicatione Eccleſiæ Tyri lib. 10. Hiſt. Eccl. cap. 4. ita eoſdem alloquitur: *Amici Dei, & Sacerdotes, qui ſacra tunica talari induti, & cæleſti gloriæ corona decorati, & Sacerdotali Sancti Spiritus veſte amicti eſtis*: Iis igitur inſignia, & indumenta ſacerdotalia propria in ſacro miniſterio aſſignat. Idem habet & Gregorius Nazianzenus, ubi de ſui conſecratione loquitur: *Idcirco me Pontificem ungis, ac poderecingis, capitique cidarim imponis*: Item in viſione ſua de Eccleſia Anaſtaſiæ Oper. Tom. 2. pag. 78. repræſentat Diaconos ſtantes in niveis veſtibus ſic dicens:

Veſtibus in niveis aſtabat turba miniſtra
Splendorem referens agminis Angelici.

Severianus Gabalenſis Epiſcopus, qui Chryſoſtomo ſynchronus fuit homil. de filio prodigo inter Oper. Chryſoſt. Tom. 6. loquens de Diaconis ſacra ſua officia obeuntibus lineis veſtibus ipſos indutos exprimit. Concilium Carthaginenſe IV. An. 398. can. 41. Statuit, *ut Diaconus tempore Oblationis tantum, vel lectionis alba induatur.*

Et Scriptorum de eadem argumenta tranſlantes.

Porro de ſacris veſtibus propriis in miniſterio Altaris adhibitis per quinque priora Eccleſiæ ſecula plura eruditiſſime congerit clar. vir. Ludovicus Thomaſſinus Gallicanæ Congreg. Oratorii Presbyt. in ſua Veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina parte 1. lib. 2. cap. 45. per totum. Noviſſime autem, & egregie Dominicus Georgi de Liturgia Summi Pontificis lib. 1. cap. 3. ubi num. 7. Emin. noſtri ſententiam libenter ampleCtitur, adhibitas nempe fuiſſe aſſerens ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris in miſſarum ſolemniis veſtes peculiares a communibus diſtinctas, quod & toto cap. 5. profequitur, ubi Octavii Ferrarii, & Andreæ Bocquillotii opinionem de ſacris Veſtibus in communi, & promiſcuo uſu adhibitis confutat. Hiſce item adſtipulatur Emin. Card. Proſper Lambertinus Archiepiſcopus Bonon., nunc SS. Papa Benedictus XIV. nedum in ſuis notificationibus nu. XX. ſed & egregio Tractatu de Sacrificio Miſſæ §. 37. Annotationum Tom. 2. pag. 98. ubi & cum iiſdem Joannem Franciſcum Buddeum nuperum heterodoxum Scriptorem eadem perperam ſentientem egregie refellit, atque Emin. noſtro lubenter ſubſcribit. „ Quibus animadverſis (nobiſcum inquit Criticorum noſtri temporis peritiſſimus P. Honoratus a Sancta Maria Carmelita Diſcalceatus Tom. 2. de Regulis, & uſu critices lib. 4. Diſſert. 6. art. 1. in fine) nobis perſuaſum eſt Apoſtolos, eo„ rumque ſucceſſores ſex priorum Eccleſiæ „ ſeculorum ſpatio non obtuliſſe Sanctum„ Miſſæ Sacrificium iiſdem veſtibus, quibus „ reliquo tempore amicti erant, & quamvis

„ ſin-

„ singulares essent, & diversæ, iisdem tamen „ vocatas esse nominibus, & eadem fuisse „ forma, qua cæteræ vulgares vestes, sed ab „ iis peculiari usu sacro distinctæ, ut diximus. Quare sive Jesus Christus Dominus noster sumpserit habitum solemnem, sive suum retinuerit, cum Eucharistiam instituit, sive Apostoli Jesum Christum imitari voluerint, sive hanc consuetudinem ipsi statuerint: certum est Ecclesiam ab ipso exordio eam servasse, vestes scilicet peculiares in Sacrificio semper adhibuisse, & traditionem hanc firmissimum habere in primæva illius antiquitate fundamentum, quod & rationibus, ac responsionibus ad objecta eximie probat idem eruditissimus Scriptor loco citato art. 2. 3. & 4., ubi dictorum Ferrarii, Bocquillotii, ac Pelletterii, Simonvillii, aliorumque contra hanc traditionem sententium argumenta invicte refellit.

(2) *Apud Surium die 19. Aprilis*) Et Hildebertus Cenomanensis Episc. pariter in ejus vita apud eumdem cap. XI. & Bolland. aliique.

Nonnulle de vestibus Apostolorum Historiæ.

(3) *Tum propter veterum de illis silentium*) Sane plura circumferuntur de sacris Apostolorum, aut primi sæculi Patrum vestibus apud nonnullos, quæ non omnem videntur mereri fidem, & Scriptorum potius nimiam simplicitatem redolent, quam historiam; quare ut probabiliora a falsis, ac veritati magis consona, a dubiis secernamus, hac de re ea tantum proferentur, quæ ab antiquis, & quidem gravioribus Authoribus scripto consignata sunt. Et primo de Jacobo fratre Domini, ac Episcopo Hierosolymitano narrant Epiphanius hær. 29. quæ est Nazar. num. 3. & hær. 78. Antidicomarianit. item num. 2. ex Hegesippo lib. 5. Commentar. & Clemente Alexandr. Eusebius Hist. Eccles. lib. 2. cap. 23., ac Sanctus Hieronymus de Script. Eccl. in Jacobo, *quod hic solitus erat ingredi Sancta Sanctorum, ejusdem vestibus lineis non uebatur, sed lineis, solusque ingrediebatur Templum, & flexis genibus pro populo deprecabatur.* Ex quo vides lineas vestes Apostolum in Templo gestasse. Scio multa, quæ in hac Hegesippi Historia de Jacobo, quem postea secuti sunt nobiles prædicti Scriptores, nonnullis displicere, præcipue Josepho Scaligero, qui in animadversionibus ad An. Mundi MMLXXVII. pag. 178. tamquam inanem fabulam respuit. Verum adversus eumdem doctissime calamum acuerunt Dionysius Petavius in notis ad dictam Epiphanii hæresim 78. Nazaræorum, & P. Halloixius Tom. 2. Script. Eccl. Orient. ad vitam Hegesippi cap. 3. quibus adhæret Henricus Valesius in notis ad Eusebii locum citatum, omnesque illi conveniunt Jacobum cum Templum ingrederetur, Sacerdotalem omnem ornatum adhibuisse, & tunica linea, lineisque femoralibus, zona, & cidari lineis usum fuisse.

Apostolos propriis Sacerdotalibus indumentis usos fuisse in Sacrificio peragendo.

Neque uni tantum Jacobo hujusmodi Sacerdotalis dignitatis insigne peculiare fuisse, sed & cæteris Apostolis commune perhibetur; etenim ex eodem Epiphanio dicta hær. 29. num. 3. cum Christus Dominus Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, & Rex ex semine David secundum Carnem, in Ecclesiam suam, ac ejus Pontifices tum Sacerdotium, tum thronum David, ipsamque regiam dignitatem una cum Pontificio in æternum permansuram transtulerit, hinc proprio Sacerdotali indumento S. Joannem Apostolum usum fuisse, & quemadmodum S. Jacobus bracteam in capite gestabat, ut præfati Scriptores testantur, ita illum laminam auream in fronte gestasse ex Polycratis Ephesiorum Episcopi Epistola ad Victorem Papam tradunt laudati Eusebius lib. 5. c. 24., & Hieronymus de Script. Eccl. in Joanne, qui ejusdem Polycratis verba sic vertens ait: *qui supra pectus Domini recubuit, & Pontifex ejus fuit, aureum laminam in fronte portans.* Neque vero Joannes fuit ex genere Judæorum Sacerdotali, ut de Jacobo dicitur; erat itaque non Legis, sed Christi Pontifex, & uti talis ita amiciebatur. Idem pariter de Marco Evangelista scribit Passionis ejus Author. Quare ex his Apostolos sacris vestibus in Altaris ministerio usos fuisse, perspicuum est; eoque magis quo prædictis Authoribus Hegesippo scilicet, Clementi Alexandrino, Polycrati Ephes. Episc. tanto majorem deberi fidem, quanto propiores erant iis temporibus, quibus Apostoli universo Orbi illuxere, nemo est, qui neget, cum enim exeunte secundo Ecclesiæ sæculo, & tertio ineunte vixerint, cum ipsis Apostolorum discipulis versari potuerunt.

Ex Epistola Theodosii Patriarchæ Hierosolymitani ad S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum.

Quod vero rursus ad Jacobi Apostoli indumenta, cum ipse sindone tantum simplici uteretur, inde factum est, ut ad ejus imitationem, atque etiam in ipsius Christi Domini Hierosolymis crucifixi memoriam successores Hierosolymitani Episcopi simplici candida veste induti incederent, licet ejusdem Ecclesiæ Clerici sericis, atque splendidis uterentur, uti præ cæteris conitat ex Cyrillo Monacho Schytopolitano in Vita Sancti Euthymii Abbatis, qui anno 472. obiit, cap. 10. apud Bollandum ad diem 20. Januarii, & Cotelerium monument. Eccl. Græc. Tom. 3. pag. 220. itemque apud Jacobum Loppin Mon. Bened. Cong. S. Mauri Analect. Græc. Tom. 1. pag. 1. Ac denique S. Jacobi sacras vestes diutiilime conservatas, iisque in sacris ministeriis ipsius successores Episcopos uti solitos docet Epistola Theodosii ejusdem Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopi scripta post plura secula, anno scilicet 809. tempore octavæ Synodi ad Sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, qua profiteur se eamdem ipsam sacram Apostoli vestem ei dono cum aliis item sacris muneribus mittere. Verba ipsius Epistolæ hæc sunt apud Labbeum Concil. Tom. VIII. col. 987. *poterem, & superhumerale cum mitra, pontificalem Stolam S. Jacobi Apostoli, & fratris Domini, ac primi Archiepiscoporum, qua Antecessores mei Patriarchæ circumamicti semper in Sancta Sanctorum ingrediebantur Sacerdotio fungentes, videlicet sandam memoriam vitæ, & sanctum calciare, quæ & ipse ego indui, eadem gerens desiderabili, & honorando mihi tuo capiti ex amore, & dilectionis copia transmisi, quatenus &c.* Hæc de Apostolorum vestibus in sacro ministerio adhibitis.

Plura alia leguntur, fed incertæ fidei. Thomas Valdensis Tom. 2. cap. 29. num. 12. adducit locum ex Actis S. Silvestri, quibus di-

Quædam de Apostolorum vestibus supposititia adhibita.

eitur Euphrosinum Pamphyliæ Episcopum Romam venientem Colobium S. Jacobi Apostoli attulisse, eoque indutum sacra peregisse, quod & refert Combefilius in ejusdem Papæ vita ab ipso edita. Verum Eruditis dudum observatum S. Silvestri Acta supposititia esse, aut saltem in aliquibus depravata, uti etiam non diffitentur Baronius ad an. 324. num. 31. & Binius in notis ad Silvestrum. Item in Basilica XII. Apostolorum Romæ, ex Inscriptione antiqua ad valvas illius Ecclesiæ posita, dicitur ibidem asservari Colobium S. Thomæ Apostoli; an vero hæc vestis sacrificalis fuerit, aut communis, incertum, quemadmodum & de Tunica S. Joannis Evangelistæ donata S. Gregorio Magno, uti scribit Joannes Diaconus in ejus vita, censendum videtur. Ejusdem fidei sunt, quæ ex Chiffletio, 2. parte Historiæ Vesontionensis scribit Raynaudus de prima Missa cap. 3. videlicet Dalmaticam Sancti Stephani, qua Jacobo Apostolo sacrificanti ministrabat, ut innuit S. Ignatius Martyr Epist. ad Trallianos, 2. S. Helena Vesontionem transmissam fuisse. Quidquid autem sit de hac Historia, an hæc etiam vestis eadem fuerit, quæ ministerialis, aut in usu confueto, pariter dubium est, cum eruditus quoque vir Andreas Saussajus lib. de var. S. Stephani translationibus, Tunicam tantum eam vocet, & in Martyrol. Gallic. ad diem 22. Augusti vestem simpliciter appellet.

(4) *Causam fuisse plerique existimant*) Hi sunt Octavius Ferrarius de re Vestiaria p. 1. lib. 1. cap. 36. & præcipue parte 2. c. 7. Joannes Baptista Donius de utraque Penula, & Ludov. de la Cerda Adversar. Sacrorum cap. 36. num. 12. ac novissime Ducangius in Glossario Græc. verbo *Phænolium*, qui omnes Baronii sententiam amplectuntur, de quibus iterum infra cap. 24. §. 8.

Vestes sacras extra Ecclesiam ferre sacris ministris vetitum.

(5) *Vestes sacras ferrent extra Ecclesiam*) Hanc Emin. nostri sententiam laudat, & confirmat Emmanuel Schelestratius in suis eruditissimis Dissertationibus de Ecclesia Africana Dissert. 2. cap. 6. num. 4. Atque ad hunc Honorii textum hæc observat „ Habet hoc ultimum Honorius ex Anastasio Bibliotheca„ rio, apud quem verba illa longe aliter con„ cepta sunt in vita Stephani Papæ: *Hic con„ stituit Sacerdotes, & Levitas vestibus sacratis „ in usu quotidiano non uti, & non nisi in Ec„ clesia tantum*: quæ verba planum reddunt „ sensum ab Honorio depravatum, ubi enim „ ille innuit a Stephano decretum cum sacris „ vestibus Missas celebrari, ibi Anastasius, & „ cum eo Author Catalogi Summorum Pon„ tificum tempore Justiniani Imp. conscripti „ innuunt a Stephano vetitum, ne extra Ec„ clesiam, & Liturgiam sacris vestibus ute„ rentur, quod supponit earumdem usum an„ tecedentem, prout quoque tradiderat Ho„ norius„. Hæc Schelestratius. Idem etiam statuit Concilium Carthag. IV. an. 398. celebratum can. 41. *Ut Diaconus tempore Oblationis tantum, vel Lectionis Alba utatur*: Ex quo etiam patet Altaris Ministris vetitum sacras vestes extra Ecclesiam ferre, quas prius ferebant. In Ecclesia igitur sacris vestibus utebantur, licet ipsis extra Ecclesiam nonnulli abuterentur, quod jure prohibitum fuit.

Facessant igitur, qui aliter persuasum habent, nec Apostolos, nec eorum successores in vestibus sacris celebrasse, sed quotidianis, & communibus tantum usos fuisse; ex supradictis enim crassa eorum ignorantia perspicue se prodit. Quare eosdem æquissimo perstringit calamo Emin. Author, cui subdam, & maxime dolendum, quod viri alias Catholici, nec primo tantum fuco eruditi erroneam hanc sententiam ex pestilenti Calvini libello, quem Indicem Reliquiarum vocitat, ubi vestes sacras impie deridet, hausisse videntur, dum Dalmaticam Sancti Stephani, qua Jacobo Apostolo sacrificanti ministrabat, ut innuit S. Ignatius Martyr Epist. ad Trallianos, 2. S. Helena Vesontionem transmissam fuisse. Quidquid autem sit de hac Historia, an hæc etiam vestis eadem fuerit, quæ ministerialis, aut in usu confueto, pariter dubium est, cum eruditus quoque vir Andreas Saussajus lib. de var. S. Stephani translationibus, Tunicam tantum eam vocet, & in Martyrol. Gallic. ad diem 22. Augusti vestem simpliciter appellet.

Qui vestes sacras Apostolis, privilegiumque Ecclesiæ de iis credituum avertat Deus) sacrarum vestium usum Apostolis, & Apostolicis viris abnegant, & tamquam ridiculum explodendum ajunt. Præstat hic, ut confundantur, eosque pudeat nequissimi pædagogi hac in parte quasi catapedes esse, integrum Calvini textum referre. Ait ille loco citato loquens de Sancti Petri Apostoli Casula, quam irriserie dicit Romæ ostendi. *Quo ad Casulam ejus spectat, est quod Papistarum infelicitam merito deploremus, hos dicere non pudet Petrum gestasse Casulam, quia scilicet mores ætatis Apostolicæ prorsus ignorant; tempus sane nondum advenerat, ut Ministri Ecclesiæ divina larvati celebrarent, mimicisque ludis, ut postmodum factum est, hactenus nunc usque, in sacris lascivirentur*. Hæc facinlegus venerandæ antiquitatis derisor, atque Ecclesiasticorum Rituum contemptor blatphemus. At impium sycophantarum omnium coryphæum Andreas Saussajus Panoplix Sacerd. p. 1. lib. VI. de Casula cap. 6. juremerito, & doctissime cum aliis confutat, illique verius impudentissimam ejus insectiam retorquet. Et sane quoad primum ipsius in nos fcomma, jam suprafatis ostensum est Apostolos, & Apostolicos viros peculiares vestes in sacris adhibuisse. Quoad secundum, larvatosne dicet, & in sacris lascivientes impius iste Hæresiarcha veteris Legis Pontifices, quos Deus ipse, ut vidimus, ac plenius constat Exodi toto cap 28., vestibus auro textis, pretiosisque monilibus ornatis indutos voluit, dum ad sacra facienda procederent? Larvatosne item dicet SS. Apostolos Jacobum, & Joannem, de quibus supra lineis vestibus indutos fuisse dictum est? Itane pariter lascivientes in sacris Tyrios Patres, de quibus item supra Eusebius sacra Tunica talari ac Sacerdotali veste indutos describit, quemadmodum & Nazianzenus se ipsum in sua confecratione podere cinctum, ac cidari capite ornatum exprimit? Vah hominem omnium nequissimum! sed ad nostra redeamus.

Qui vestes sacras Apostolis, privilegiumque Ecclesiæ fundatoribus negant, Calvino favere videntur.

§. III.

Quibus verbis, ſive qua formula Apoſtoli Sacrum peregerint.

Duæ Patrum ſententiæ circa formulam ab Apoſtolis in Sacro celebrando adhibitam.

HIs præmiſſis de primæ Miſſæ apparatu, diſquirendum nunc eſt quibus verbis, ſive qua formula Apoſtoli Sacrum peregerint; de qua re duas invenio veterum Patrum ſententias inter ſe diſcrepantes. Nam Gregorius Magnus *lib.* 7. *Ep.* 63. morem Apoſtolorum fuiſſe ſcribit, ſola oratione Dominica oblationis hoſtiam conſecrare, additis procul dubio verbis Conſecrationis. (1) Honorius item in Gemma animæ cap. 86. *Miſſam*, inquit, *Dominus* (1) *Jeſus inſtituit, quando ex Pane & Vino Corpus & Sanguinem ſuum fecit, & memoriam ſui Suis celebrare præcepit. Hanc Apoſtoli auxerunt, dum ſuper Panem & Vinum verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam orationem dixerunt.* Clarius idem expreſſit Walfridus Strabo cap. 22. de rebus Eccleſiaſticis. *Quod nunc agimus multiplici orationum, cantilenarum, & conſecrationum officio, totum hoc Apoſtoli & poſt ipſos proximi, ut creditur, orationibus & commemoratione paſſionis Dominicæ, ſicut ipſe præcepit, agebant ſimpliciter. Et relatio Majorum eſt, ita primis temporibus Miſſas fieri ſolitas, ſicut modo in Paraſceve Paſchæ, in quo die apud Romanos Miſſæ non aguntur, communionem facere ſolemus, id eſt præmiſſa oratione Dominica, & ſicut ipſe Dominus noſter præcepit, commemoratione paſſionis ejus adhibita, eos Corpori Dominico communicaſſe & Sanguini, quos ratio permittebat.* (2) E contrario (2) Proclus Conſtantinopolitanus in libello de traditione divinæ Liturgiæ ſic loquitur. *Salvatore noſtro in Cœlis aſſumpto, Apoſtoli antequam per omnem terrarum orbem diſpergerentur, conſpirantibus animis convenientes ad integram orandum diem convertebantur: & cum multam conſolationem in myſtico illo Dominici Corporis Sacrificio poſitam reperiſſent, fuſiſſime, longoque verborum ambitu Miſſam decantabant: id enim patiebatur, ac docendi inſtitutum cæteris rebus omnibus tanquam præſtantius anteponendum exiſtimabant. Maxima ſane cum alacritate, plurimoque gaudio huic divino Sacrificio tempus inſumentes inſtabant impenſe, jugiter memores illorum verborum Domini dicentis*, Hoc eſt Corpus meum: &, Hoc facite in meam commemorationem: &, Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in eo. *Quo circa & contrito ſpiritu multas preces decantabant impenſe divinum implorantes Numen.* Chryſoſtomus quoque Hom. 27. in primam ad Cor. idem affirmat. *Cum ſacras illas Cœnas accipiebant Apoſtoli, quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur & hymnos? Nonne in ſanctas vi-*

Facile tamen inter ſe conciliantur.

gilias? Nonne in longam illam doctrinam & multæ philoſophiæ plenam? Hæ ſunt in ſpeciem diſſidentes Patrum ſententiæ, quæ facile conciliari poſſunt, ſi dixerimus Apoſtolos utramque formulam & brevem, & prolixam diverſis temporibus adhibuiſſe; brevem quidem cum temporis anguſtia, vel perſequentium metu premebantur; prolixam vero cum per tempus, & occupationes licebat. Credo autem ab initio breviſſimum fuiſſe Liturgiæ ritum, ita exigente primæ Chriſtianitatis inter procellas adverſantium naſcentis conditione: poſtea vero creſcente Fidelium numero excoeperunt Apoſtoli Lectiones, preces, cæremonias adjicere, quibus & Sacrificii dignitas clarius eluceſceret, & major ipſi veneratio conciliaretur, pietaſque Fidelium ac fervor magis accenderentur; exemplo nimirum veteris Teſtamenti, in quo plures a Deo cæremonias inſtitutas ſacræ Literæ nos docent. (3) (3)

Nicolaus de Nouvry notatur, & vindicatus Eunin. Author.

(1) *Additis procul dubio verbis conſecrationis*) Hæc Gregorii Epiſtola ab Emin. citata, in noviſſima editione Monachorum S. Mauri, extat lib. 9. Epiſt. 12. ad Joannem Epiſc. Syracuſanum, ubi Gregorius intendit quidem orationes alias excludi, non autem Evangelica verba ad conſecrationem ſemper adhibita, uti optime ad hunc locum notant dicti eruditiſſimi Patres

Benedictini, licet ex iis Nicolaus de Nourry in suo Apparatu ad Biblioth. Max. Vet. PP. Tom. 1. Differt. 2. cap. 1. §. 3. aliter Gregorium intelligi posse suspicetur, ait enim ibi „ „ Hinc quoque Cardinalis Bona, ubi proxime „ laudata Gregorii verba protulit, subaudien„ dum esse censet : additis procul dubio ver„ bis confectionis : at si quis conjecturæ lo„ cus sit, non absurde forsan dixeris Grego„ rium, dum hæc scriberet, respexisse ad ea „ Hieronymi verba adv. Pelagium lib. 1. cap. „ 18. *Sic docuit* (Christus) *Apostolos suos, ut* „ *quotidie in corporis illius Sacrificio credentes* „ *audeant dicere Pater noster, qui es in Cœlis* „ *&c.* Verum tanti viri venia hujusmodi conjecturæ locum non esse, neque alia verba, præter orationem Dominicam in consecratione adhibita Hieronymum, & ex ipso Gregorium ullatenus intelligi voluisse, eorum sensum optime consideranti patet ; hi siquidem duo præclarissimi Ecclesiæ Doctores ignorare non poterant Christi Domini præceptum Apostolis traditum, quod post Evangelistas refert S. Paulus ad Corinth. 1. cap. 11. v. 24. ubi post consecrationem Panis, & Calicis ait : *hoc facite in meam commemorationem* : idem repetens ad utramque consecrationem, sicuti etiam expresse habetur Lucæ cap. 22. 19. neque enim possunt fieri ea omnia, quæ Christus fecit, atque in sui commemorationem, nisi & eadem verba, quæ ipse dixit, recitentur, & proferantur.

Ex Patrum sensu constat Apostolos solam orationem Dominicam Christi Domini verbis consecrationis addidisse.

Dicendum est igitur Apostolos ex eorumdem Patrum sensu solam orationem Dominicam, nullasque alias preces Christi Domini verbis consecrationis addidisse. Et quidem, uti scite advertit Cad. Baronius ad an. 590. edit. Rom. pag. 131. ex iis, quæ idem Gregorius hic subdit, prædicta elucidantur, dum enim ait : dici ipsam orationem Dominicam super Christi Corpus, & Sanguinem indicat evidenter non oratione Dominica consecratum ab Apostolis Corpus, & Sanguinem Christi, sed super ipsum jam consecratum dici consuetam, ex quorum traditione idipsum hactenus Romana servaret Ecclesia, subdit enim, *& valde mihi inconveniens visum est, ut precem, quam Scholastici composuerat super Oblationem diceremus, & ipsam orationem, quam Redemptor noster composuit super ejus Corpus, & Sanguinem non diceremus.* Hæc Baronius. In quorum confirmationem attendendum est insuper ad ipsa Gregorii verba ; scribit enim Epistola supracitata Apostolos *ad ipsam solummodo orationem Dominicam consecrasse* : illud autem *ad* sumi pro *post*, nemo non videt ; refertur enim non ad prius, sed ad posterius, quemadmodum Cicero 1. Tusc. quæst. *Ego doleam, si ad decem millia annorum gentem aliquam urbem nostram potiturum putem* : & ad Atticum : *nescio quid interfit, utrum nunc veniam, an ad decem annos* : Verum hac in parte Baronio quidem adhærens ulterius addam dictam orationem Dominicam non tantum post consecrationem, sed & ante ipsam pro dispositione ad tantum Sacramentum suscipiendum recitatam ab Apostolis fuisse, quod infra vero simillimum demonstrabo. Consecraturi igitur Apostoli solummodo orationem Dominicam recitabant, tum per verba a Christo Domino institutа consecrabant, uti expresse innuunt infracitandi Walafridus, & Honorius ; item Hugo Victorinus lib. 2. de offic. Eccl. cap. 11. Ita etiam sentit ad hunc Gregorii locum Petrus Gussanvillæus „ Sic autem (inquit) intelligo. „ Non erat tunc Missale, nec Canon Missæ, „ ut nunc habentur ; consecraturi ergo Apo„ stoli solummodo orationem Dominicam „ recitabant, tum per verba a Christo insti„ tuta Panem, & Vinum consecrabant. Post„ modum Ecclesia ante, & post consecratio„ nem preces addidit, quas Scholasticus qui„ dam composuit, ut ait ipse Sanctus Grego„ rius. Apostoli ex verbis S. Gregorii incipie„ bant ab oratione Dominica, Ecclesia tamen „ Romana tantum post consecrationem eam „ recitabat ; Græci eam conjunctim cum po„ pulo recitabant, Romæ vero solus Sacer„ dos „ : Hæc Gussanvillæus, cujus Sorbonici Doctoris calculo Emin. & nostra confirmatur sententia. Porro ex illis Gregorii verbis male perceptis, solam orationem Dominicam ad consecrandum Christi Corpus, & Sanguinem sufficere, falso putaverat Amalarius de Eccl. Offic. lib. 4. cap. 26. At in retractatione hujus operis, re maturius perpensa, hunc errorem emendasse obfervat Mabillonius Comment. in Ord. Rom. cap. 12. pag. LXXXIII.

An Apostoli orationem Dominicam ante vel post consecrationem recitarent.

(2) *Quo ratio permittebat.*) His adjungendus Bertio Augiensis Abbas lib. de quibusdam ad Missam spectantibus cap. 1. ubi eadem, quæ Gregorius, repetit : *Mos Apostolorum*, inquit, *fuit, ut ad ipsam solummodo orationem Dominicam Oblationis Hostiam consecrarent* : ad hæc ex iterum repetitis Gregorii verbis alia subit quæstio, quam ipse ambiguam reliquit, videlicet an Apostoli præmitterent consecrationi orationem Dominicam, an vero eam postponerent. Ipse quidem Gregorius postponi jussit judicans absurdum, ut oratio Dominica super Corpus, & Sanguinem non recitaretur, & illius loco aliæ preces, puta Sacri Canonis, dicerentur a Scholastico quodam concinnatæ ; non ait tamen Apostolos dixisse orationem Dominicam super Corpus, & Sanguinem Domini, sed tantum *ad ipsam solummodo orationem Dominicam Oblationis Hostiam consecrasse* : quæ verba sonant potius Apostolos nihil aliud præmisisse consecrationi, quam dictam orationem, & hunc fuisse totum apparatum, quem sacrificaturi adhibebant. Hinc Ciacconius, ejusque continuator Oldoinus, Natalis Alexander in Gregorio, aliique eruditi Scriptores post aliquot SS. Patres non sine ratione existimarunt eumdem Gregorium postponendæ orationis Dominicæ in Missa Authorem fuisse, etsi Pagius uterque, & alii aliter sentiant, ac forte melius, nam Augustinus, qui pluribus annis Gregorium præcessit, Epist. 59. vet. edit. qu. 5. ubi in illud Apostoli ad Timoth. 1. cap. 2. de orationibus in Ecclesia fieri solitis hæc ait : *quam totam actionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit* : quibus testatum habemus præfatam Dominicam orationem jam ab initio Ecclesiæ post consecrationem dictam.

Dicendum Apostolos eamdem ante & post consecrationem recitasse.

Verum ista omnia facile conciliari possunt dicendo, Apostolos & ante, & post consecrationem, laudatam orationem, pro apparatu

parstu ſcilicet ad Miſſam, & pro gratiarum actione recitaſſe; etenim nulla profecto alia precatio, ſive præparatoria, ſive Euchariſtica, melior ab ipſis illa eadem, quam ipſi ex ipſis, & nobis recitandam tradidit Redemptor noſter, adhiberi poterat; ſicque vere dici poteſt cum Gregorio Apoſtolos ad ipſam ſolummodo orationem Dominicam Oblationis Hoſtiam conſecraſſe, ideſt conſecrationem Panis, & Vini per verba Domini factam, intra ſolius Dominicæ orationis terminos, nulla alia prece adhibita, concluſiſſe. Huic porro ſententiæ non refragantur vel ipſi a noſtra Catholica Romana communione alieni, veluti Thomas Brett Anglus, qui in ſua Collectione præcipuarum Liturgiarum Eccleſiæ Chriſtianæ, quam edidit Londini an. 1710. pag. 206. ait: orationem Dominicam olim, non ut Joſephus Magnus exiſtimat, ipſius Sacramenti conſecrationi, ſed tantum communicantium præparationi inſervire.

Diverſa porro a Gregorii ſententia ea eſt Remigii Antiſſiodorenſis Monachi, qui ſeculo nono floruit; hic enim lib. 1. de celebr. Miſſ. poſt relatum, quaſi ex recepta per illud tempus opinione, quod Sanctus Petrus Apoſtolus primus omnium Antiochiæ celebraverit, ſubdit: in hac Petri Miſſa tres tantummodo orationes prolatas fuiſſe, quæ incipiebant ab illo loco, ubi dicitur: *Hanc igitur Oblationem &c.* Remigio porro, quam Gregorio hac in parte ſubſcribit Cl. Ambroſius Gardeboſc Tom. 1. Hiſt. Eccl. neque enim, inquit, credendum Apoſtolos nuda confecrationis verba protuliſſe, ſed vero ſimillimum eos aliquas prius fudiſſe ad Deum orationes, non omiſſa omnium excellentiſſima, quam ex ore Divini magiſtri acceperant, antequam conſecrarent, ut gratiam largiretur ad digne tractandum illud myſterium; item alias preces, quibus ſeſe ad communionem diſponerent, & denique aliquas, quibus pro accepto tam ſingulari beneficio grates rependerent. Hæc Carmelita eruditiſſimus, quibus & noſtra confirmatur ſententia, ac uberius Gregorii ſenſus explanatur. Vide de hac item infra lib. 2. c. 15. §. 1. ubi ad nonnullas exceptiones contra Emin. ſententiam mox ſequentem a Clar. Antonello allatas reſpondebimus.

(3) *Sacræ literæ nos docent*) Ut ſupra dictum eſt §. 2. nota 1. Hinc longas preces in Liturgiæ celebratione antiquitus recitatas fuiſſe teſtatur S. Juſtinus Martyr Apolog. 2. circa finem, de qua ſupra capite antecedenti §. 4. ubi illa verba *Euchariſtiam . . . . prolixe exequitur*, hoc ſatis declarant. Notanda porro hoc loci ſunt Emin. Authoris verba: „ Poſtea „ vero creſcente fidelium numero, cœperunt „ Apoſtoli lectiones, preces, & cæremonias „ adjicere, quibus Sacrificii dignitas clarius elucesceret, ac reliqua uſque ad finem. Ad quæ ſi attendiſſet D. Claudius De-Vert Monachus Cluniacenſis, non tam inſipienter in ſuo opere, quod paucis ab hinc annis patrio, ſeu gallico idiomate conſignavit hoc titulo: *Explicatio ſimplex, litteralis, & hiſtorica cæremoniarum Eccleſiæ*, quam in quatuor Tomos diviſit, & Pariſiis impreſſit ann. 1707., & 1708. eaſdem ſacras cæremonias temerare auſus fuiſſet, illas arbitrio ſuo, nonniſi ad metam rationis juxta, vel compellentem neceſſitatem, commoditatem, vel etiam utilitatem, aut urbanitatem explicandas eſſe contendens abſque ullo reſpectu ad myſterium, & ſymbolicam ſignificationem, quam ipſæ ex primæva inſtitutione portendunt, quo nonnihil Novatoribus faveret, etenim dum iſti ſacras Eccleſiæ cæremonias, inanes & ſuperſtitioſas eſſe blaſphemant, ille eaſdem ad ridiculas, viles, injuriosas, ineptas, ac inſulſas interpretationes traducit. At quemadmodum illos Sacrorum Rituum profanatores, & irriſores optime profligavit Author Libri, cui titulus *Spiritus Eccleſiæ in Sacrorum Myſteriorum celebratione*; quem multi D. Robinet Doctoris Sorbonici opus eſſe volunt, ita Duvertium plerique ex ipſis Gallis, ſtatim ac publice, ut ſupra, prodiit, egregie confutarunt, in primis Illuſtriſſ. D. Joſephus Languet Epiſcopus Sueſſionenſis edito contra ipſum peculiari libro ſic inſcripto: *De vero Spiritu Eccleſiæ in ſacrarum cæremoniarum uſu*, Pariſiis item impreſſo an. 1718. & iterum anno 1721. in 8. poſt quem Petrus le Brun Congr. Oratorii Galliæ Præsb. præfat. in Tom. 1. Explicationum Sacrarum precum & cæremoniarum, Miſſæ pag. XXIII. & ſeq. atque in toto opere. Dein P. Antonius Boucat in ſua Theologia Patrum Scholaſtico-dogmatica, ubi de Sacramentis, Tom. 20. in 8. pag. 3. & ſeq. ad quos Lectorem amando, & ad noſtram Diſſertationem de Sacris Eccleſiæ Ritibus ad humanum ſpiritum, ſeu placitum non traducendis, in fine hujus Operis cum aliis ſuo loco, Deo dante, ponendam.

Item a nonnullis confutatus.

Porro hoc loci Bollandianus Continuator Joannes Pinius in ſuo Tractatu de Liturgia antiqua Hiſpanica Cap. 1. §. 5. num. 44. & 45. Emin. noſtrum tantillum vellicat quod relatos ab ipſo SS. Patrum textus, Procli videlicet, quem Vincentius Ricardus Cler. Regularis Romæ edidit an. 1630. & doctis Commentariis illuſtravit, ac Chryſoſtomi in 1. ad Corinth. „ Nimium, ait ille, iſta probant, „ ecquis enim concipiat tantum inter ardua „ tot negotia ſuperfuiſſe otii Apoſtolis? Et „ forte Sanctus ille Pater (loquitur de Chryſoſtomo, cujus Proclus diſcipulus erat) mo„ do oratorio plus dixit, minus volens intel„ ligi, prout Patribus illis, ac S. Auguſtino „ in primis, non raro uſitatum eſſe norunt „ Theologi:„ Et paulo ante quoad opinionem Cardinalis circa breviorem, vel longiorem Liturgiæ durationem ſub Eccleſiæ primordiis poſt relatum integrum candidi Purpurati textum hæc pro levi animadverſione habet Criticus Soc. Jeſu Theologus „ Sed imminens, „ perſecutorum furor, & præſens profana„ tionis myſterii inter res ſacras ſacratiſſimi, „ cum ſi non ſemper, plerumque ſaltem pe„ riculum inſtaret, cumque Apoſtoli, ac pri„ mi eorum diſcipuli, & adminiſtri tot aliis „ maxime ad ſalutem animarum neceſſariis „ occupationibus diſtinerentur, exiſtimo eos „ Sacram Liturgiam breviter, vel ſemper, „ vel plerumque ſaltem expediviſſe. Exem„ plum, quod additur ex veteri Teſtamento, „ huc non ſpectat, quia non erant illa in„ commoda in veteri Teſtamento, quæ fuiſſe „ diximus in novo. „ Hæc ſapiens Agiographus, & Liturgicus Scriptor.

Joannes Pinius Cardinalem nonnihil velliens refellitur.

Claudius de Vert a plerisque notatus.

Verum

Ejus ſcrupulis occurritur, & ab iſtiſmet noſter Author vindicatur.

Verum quoad primum ejus ſcrupulum, ſic ipſum diſpellendum cenſerem, videlicet: Quod Apoſtolis tantum otii non fuiſſet ad prolixam celebrandam Liturgiam inter tot arduas, ac continua perſecutorum pericula diurno tempore facilis admitterem; at ſi de nocturnis horis ſermo ſit, id non adeo leviter conceſſerim, rariſſimas quippe legimus nocturnas Gentilium in Chriſtianos irruptiones. Quapropter cum nocte quicſcentibus inimicis ſecuriores ab eorum incurſibus fideles viderentur, certum eſt tunc ſub noctis ſilentio congregari ad Miſſas, eaſque protrahere potuiſſe, quod & facilitatum perſecutionum tempore ſcribit Tertullianus lib. de fuga in perſecutione cap. 14. *ſi colligere interdiu non potes, habes noctem.* Et ad uxorem lib. 1. cap. 4. *Quis noctturnis convocationibus, ſi ita oportuerit, a latere ſuo adimi libenter feret? Quis denique ſolemnibus Paſchæ abnoctantem ſecurus ſuſtinebis?* Tertulliano ſuffragatur Prudentius in Hymno de S. Laurentio his verbis.

Auroque noctturnis ſacris
Adſtare fixos cereos.

Immo hoc ipſum Apoſtolorum temporibus ſolemne fuiſſe expreſſe tradit Auguſtinus Epiſtola ad Caſulanum ver. edit. 86. ubi diſſerens de iis, quæ in actibus Apoſtolorum narrantur Paulo accidiſſe, cum effet Troade, ait: *Et ita eadem nocte fracturos panem, ſicut frangitur in Sacramento Corporis Chriſti, produxit ſermonem uſque ad medium noctis, ut poſt Sacramenta celebrata rurſus uſque ad diluculum alloquens congregatos &c.* Hæc confirmant cœtus antelucani, de quibus Plinius lib. 10. Epiſt. 97. ad Trajanum, alique ſupra cap. antecedenti §. 3. relati, quorum cœtuum cauſa male audiviſſe Chriſtianos, atque in ipſis ſacra peracta fuiſſe teſtatur Cæcilius apud Minutium Felicem: *Certe occultis, & noctturnis ſacris appoſita ſuſpicio*: quia ſcilicet (ut inquit Emin. Scriptor loco cit.) Gentiles, qui aliquid ſuboſcure perceperant de Sacramento Corporis, & Sanguinis Chriſti, accuſabant Chriſtianos de cæde infantis, & epulis Thyeſteis. Hinc idem Purpuratus noſter lib. 1. cap. 21. §. 4. in fine optime concludit: *In his autem conventibus Sacramentorum celebrationem non defuiſſe, ex moribus illius ſeculi manifeſtum eſt.* Quod & ulterioribus argumentis ex antiquitate petitis comprobari poſſet, niſi per ſe notum eſſet.

Prioribus Eccleſiæ ſeculis noctu ut plurimum, exactæ Chriſtianorum. Synaxes, & tunc prolixiores actiones adhibitæ preces in Sacrificio.

Itaque ſi prioribus naſcentis, atque inter perſecutionum procellas adoleſcentis Eccleſiæ ſeculis noctu, ut plurimum, & minori cum periculo Sacræ fiebant Chriſtianorum Synaxes, quid prohibere poterat, quod tunc prolixior in iis adhiberetur Liturgia? Hanc ſane eo tempore uſitatam fuiſſe nos dubitare non ſinunt, primo Apoſtolus Gentium Doctor ad Timotheum ſcribens, & per eum ad omnes Eccleſiæ Antiſtites, ut ſcirent quæ ad inſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam ipſe cenſuerat eſſe neceſſaria, quod advertit Chryſoſtomus in Proœm. *Obſecro* (inquit Epiſt. 1. cap. 2.) *primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, &c.* „ Porro haud dubium eſt (ut ait Guillelmus Eſtius in hanc „ Pauli Epiſtolam) quin præſens locus acci- „ piendus ſit de publicis Eccleſiæ precibus, „ vel quas ad altare facit Sacerdos, ut ſen- „ tit Auguſtinus Epiſt. 59. ad Paulinum quæſt. „ 5. vel generalius, quæ in conventibus Ec- „ cleſiæ per Miniſtros ejus fiunt (ſub quibus „ & Sacrificium comprehenditur, ut act. 13.) ſimul orante cum eis populo, quemadmodum ſentiunt Chryſoſtomus, Ambroſius, & Proſper lib. 1. de vocat. gent. cap. 12. Hæc autem omnia non brevi temporis intervallo fieri poterant, ſed prolixe, ut ſupra notavimus ex Juſtino Martyre, qui item lectiones divinas, & preces multas in Sacrificio Euchariſtico recitata fuiſſe teſtatum reliquit.

Quid ex Tertulliano, Cypriano, aliiſque probatur.

Deinde ex Tertulliano ſupra in fine capitis tertii relato, præcipue nota 5. & ultima ſatis ubertim didicimus eodem ferme ordine, ipſo ritu, ac ſimilibus cæremoniis olim Eccleſiæ initio a priſcis majoribus noſtris celebratum Miſſæ Sacrificium, quibus hodie in Romana Eccleſia Catholica conficitur, & obſervatur. Ab ea enim Eccleſia omnium Principe & Matre conteſſerationem, ut ait Tertullianus de Præſcriptionibus cap. 36. nedum Africana, verum etiam reliquæ totius orbis Eccleſiæ accipiunt, quod & teſtatur Innocentius I. Epiſt. ad Decentium. Tertulliano Cyprianum adjungo, magiſtro diſcipulum, ac tertii ſeculi Patrem, qui Epiſt. 34. pariter divinas literas lectas fuiſſe, ac nominatim Evangelium inter Miſſarum ſolemnia, oblationes pro Sacrificio a populo factas, eorum, qui offerebant nomina recitata narrat; item Epiſtola 10. & 40. Præfationem Canoni præmiſſam: lib. de orat. Dom. Verba ſacræ actionis *Solemnia* appellata, quibus finitis *Solemnia adimpleta* eſſe dicuntur Serm. de Lapſis. Solemnis autem precis nomine apud Latinos ſignificari certa, & ſolemnia publicarum precationum, & obſervationum verba formulis certis, & definitis concepta, ne quid verborum præteriretur, ex Plinio lib. 27. cap. 2., & Briſſonio de formulis lib. 1. obſervat. Clar. Dom. Georgi in ſua Liturgia Rom. Pont. Tom. 1. Præfat. num. XLX. Hi porro memorati Patres, aliique, quos proferre poſſemus, inter acerbiores vexatæ a perſecutoribus Eccleſiæ, anguſtias claruere; neque aliam, niſi quam exprimunt, Liturgiam celebraſſe credibile eſt.

Et nonnulli recentiores Ecclaſii confirmant.

Sed quid ultra in id probandum moramur? Ambroſius Gardeboſcus in ſua Hiſt. Eccleſ. ſecl. II. parte VIII. de Diſcipl. Eccl. lib. 3. Differt. 1. quæſt. 2. apprime oſtendit tum primo, tum ſecundo Eccleſiæ ſeculo non ſine pluribus cæremoniis adminiſtratum Euchariſtiæ Sacramentum, & Miſſæ Sacrificium oblatum, quod & non abnuit Honoratus a Sancta Maria Animadv. in Reg. & ſui Critices Lib. V. Differt. 3. art. 2. §. 3. num. 2. hoc argumento „ Cum Liturgia ſacra fal- „ tem a ſecundo ſeculo redunderet quamplu- „ rimis precationibus, orationibus, obſecra- „ tionibus, gratiarum actionibus, Epiſtola, „ Evangelio, aliiſque multis Miſſæ partibus „ e ſacris literis depromptis, nemo ſibi per- „ ſuadere poterit rem divinam celebratam „ fuiſſe

„ fuiſſe ſine Liturgiis in uſum Miniſtrorum „ &c. Quæ cum ita ſint, quis prudens ſibi cum Pinio perſuadeat Sanctos Joannem Chryſoſtomum, & Proclum, quoad primævæ Liturgiæ durationem modo oratorio plus dixiſſe, quam vellent intelligi, dum non alia Patres illi ſcripſere, quam quæ ipſi ex majorum, ut vidimus, traditione acceperunt.

Alteri Pinii ſcrupulo reſpondetur.

Secundo autem Pinii ſcrupulo, quod nempe in veteri Teſtamento ea non eſſent incommoda, quæ in novo, primis ſcilicet Eccleſiæ ſeculis in ſacris peragendis, ſic occurrimus. Certum eſt veteris Teſtamenti cæremonias a Deo inſtitutas, populoque Iſraelitico obſervandas traditas fuiſſe, cum peregrinaretur in deſetto, *poſtquam*, ut inquit S. Thomas 1. 2. quæſt. 102. art. 3. *declinavit ad Idololatriam adorando vitulum conflatilem*. Hæc autem præcepta cæremonialia præfiguraſſe myſteria, ſacraſque novi Teſtamenti cæremonias, quibus Miſſæ Sacrificium omnium maximum, ac veterum completivum conficitur, adumbraſſe, Pauli doctrinam aſſecuti ex illis verbis 1. ad Corinth. 10. *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri*: & paulo poſt: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*: Patres fere omnes expreſſe confirmant. S. Irenæus lib. 4. cap. 28. inter cætera ſcribit Deum eruditſſe populum Hebræorum *per multas advocationes ..... hoc eſt per typica ad vera, per temporalia ad æterna, per carnalia ad ſpiritualia, & per terrena ad cæleſtia*, deinde concludit: *Itaque lex, & diſciplina erat illis, & prophetia futurorum*. S. Epiphanius lib. 1. adv. Hæreſes, Hær. 42. Marcionitarum comparans Sacrificia veteris Legis cum Sacrificio incruento novi Teſtamenti, ſic de iſto loquitur: *Hujus porro Sacrificii ..... pædagogus lex fuit, quæ per figurarum adumbrationes deduceret, & ad aliud diſciplinæ conferret*. Clarius idem exprimit Sanctus Cyrillus Alexandr. lib. 4. contra Julianum, *Deum*, ait, *permiſiſſe interim ſuis, ut ex conſuetudine priſci cultus gratiarum actiones, & Sacrificia vite, ſapienterque inſtituta offerrent, ut tamquam in figuris, & umbris veritatem præmonſtrarent. Lex enim figuram habet veritatis, & per illam Chriſti myſterium deſcribitur*.

Si itaque Sacrificia, & cæremoniæ veteris Teſtamenti noſtrum novi fœderis Sacrificium prænuntiarunt, eccur eorum exemplum huc non ſpectabit? Figura utique, & exemplum, quæ præceſſerunt, ad figuratum, & exemplar, quod conſequitur, ſuapte natura abſque dubio reſpiciunt, ac relationem dicunt. Quid, quod pene eadem, ac non minora fuere Iſraelitis incommoda in veteri Teſtamento, antequam pacifice ſacrificare poſſent in Templo, ac quæ in novo majoribus noſtris fuiſſe affirmat Pinius? Legimus 1. Regum cap. 7. inter graviſſimas, quibus a Philiſtæis Iſraelitæ tenebantur, anguſtias, oblatum ſolemniter a Samuele Sacerdote holocauſtum, & ſacrificium Domino. *Aſcenderunt Satrapæ Philiſtinorum ad Iſrael. Quod cum audiſſent filii Iſrael, timuerunt a facie Philiſtinorum; dixerunteque ad Samuelem: Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu Philiſtinorum: Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, & obtulit illum holocauſtum integrum Domino, & clamavit Samuel ad Dominum pro Iſrael, & exaudivit eum Dominus. Factum eſt autem cum Samuel offerret holocauſtum Philiſtiim iniere prælium contra Iſrael &c.* Non abſimile habemus lib. 1. Machabæorum cap. 4. ubi ſic legitur v. 41. *Tunc ordinavit Judas viros, ut pugnarent adverſus eos, qui erant in arce, donec emundarent Sanctia, & elegit Sacerdotes ſine macula &c.* Deinde poſt narratam Sanctorum emundationem, ſequitur: *Et ante matutinum ſurrexerunt ... & obtulerunt Sacrificium ſecundum legem ſuper altare holocauſtorum &c.* His ergo corruere videmus omnem Pinii in hunc Cardinalis locum cenſuram, quam & ipſe notat obverſo theta Catechiſmus Romanus parte 2. de Sacramentis in genere cap. 1. num. 18. docens, quod *merito quidem a primis uſque Eccleſiæ temporibus illud ſemper ſervatum eſt, ut Sacramenta ſolemnibus quibuſdam cæremoniis miniſtrarentur*. Quidni Euchariſticum in Miſſæ Sacrificio inter cætera ſingulare, & auguſtiſſimum? Hæc porro dicta ſint, non ut clariſſimo viro quidquam ſummæ eruditionis, quam poſſidet, detrahere videat, ſed ut Novatoribus noſtri temporis, aliiſque Miſoliturgis eorum aſſeclis anſam omnem Sacros Ritus noſtros, ac venerandas Eccleſiæ Catholicæ cæremonias illudendi, eiſque Apoſtolicam antiquitatem quoquomodo minuendi, aut exturbandi præriperem; ſicque Emin. Authoris doctrinam, quod nempe in Miſſa, creſcente fidelium numero cœperunt Apoſtoli lectiones, preces, cæremonias adjicere, quibus & Sacrificii dignitas clarius eluceſceret, & major ipſi veneratio conciliaretur, ſuis rationum momentis, veterumque Patrum, Scriptorumque antiquorum fulcitam amplius confirmarem. Sed de hac re iterum infra differendum fortaſſe occurret. Nunc qua lingua celebraverint Apoſtoli diſquirendum obvenit.

Et non minora fuiſſe Iſraelitis incommoda antequam pacifice Sacrificarent in Templo ac quæ primis Chriſtianis deteguntur.

§. IV.

Qua lingua Apoſtoli celebraverint. Addita quædam de linguarum mutatione. Cur lingua vulgo ignota Eccleſiaſticæ functiones peragantur.

Joannes Echius putans Apoſtolos nonniſi hebraice celebraſſe refellitur.

SUpereſt nunc alia difficultas explananda, qua lingua Apoſtoli celebraverint. Joannes Echius *lib. 2. de Sacrif. Miſſæ cap. 2.* nullo adhibito teſte auſus eſt diffinire, Miſſam non niſi Hebraice actam tam ab Apoſtolis, quam ab eorum Succeſſoribus uſque ad tempora Adriani Imperatoris: & tunc demum cœpiſſe Eccleſiam lingua Græca in Sacris uti. Sed hujus ſententiæ

nullum

nullum reperio apud Veteres fulcimentum; multa autem habeo, quæ ipſam convellant. Secundo enim labente ſeculo, quo vixit Adrianus, jam fides noſtra in varias regiones propagata erat, Apoſtoli autem donum linguarum a Spiritu Sancto acceperant, ut fidem, ejuſque myſteria ſingulis gentibus proprio cujuſque idiomate prædicarent & docerent, non exotico, & præſertim Hebraico, quod tunc temporis nec vulgo quidem Hebræorum notum erat. (1) Deinde Jacobus Liturgiam ſuam græce ſcripſit: (2) (1) (2)
hanc autem legitimum illius Apoſtoli fœtum eſſe ſuo loco oſtendemus. (infra cap. 8. §. 3.) Paulus item de publicis Eccleſiæ precibus ad Corinthios ſcribens, *Si benedixeris*, inquit, *Spiritu, qui ſupplet locum idiotæ quomodo dicet* Amen *ſuper tuam benedictionem, quoniam quid dicas neſcit?* Hæc autem verba S. Thomas & alii ita interpretantur, ut velint Apoſtolum loqui de Sacrificio Miſſæ, & nolle ipſum agi ſermone prorſus ignoto & peregrino, qualis tunc erat Hebraicus Corinthiis, & aliis nationibus. (3) Aſ- (3)
ſerendum itaque videtur Apoſtolos eorumque Succeſſores eo idiomate in ſingulis regionibus uſos, quod tunc illis commune & vernaculum erat: & ita Hieroſolymis Chaldaice; Antiochiæ vero, Alexandriæ, & in aliis Græcorum Civitatibus Græce; Romæ autem & in toto Occidente Latine celebraſſe. (4) Nititur hæc mea aſſertio antiquiſſimæ & immemorabili Eccleſiæ conſue- (4)
tudini: in Occidente enim non inveniuntur antiquæ Liturgiæ, niſi Latinæ: In Oriente vero, quamvis multæ diverſarum linguarum nationes ſint, quæ Chriſtiana profeſſione cenſentur, veteres tamen Liturgias non habent, niſi Græca, qua Græci, & Melchitæ, & Chaldaica lingua, qua Maronitæ, Neſtoriani, & Jacobitæ per varias provincias diſperſi utuntur. (5) Hinc autem liquet (5)
vetuſtas offerendi formulas maxima cura, & religioſiſſima ſolicitudine a Majoribus noſtris cuſtoditas fuiſſe, ut ſicut una eſt fides, ita una eſſet lingua communis, qua multæ nationes poſſent mutuo communicare. Miſſæ enim Chaldaico, Græco, & Latino ſermone primum compoſitæ, eodem ſemper celebratæ ſunt, quamvis illæ linguæ deſierint eſſe vulgares. (6) Gentes autem (6)
quæ in Occidente ſucceſſu temporis Chriſtianam Religionem amplexæ ſunt, Germani, Franci, Angli, Poloni, & alii Septemtrionales, Latina lingua, licet illis ignota eſſet, Sacrificium offerebant. In Africa etiam Latinæ linguæ uſus in Sacris ſemper viguit, licet eam populus non intelligeret, ut Auguſtinus teſtis eſt; ſcribens enim Cœleſtino Papæ Epiſt. 261. (ſeu, ut in novo ordine num. 219.) ait ſe curaſſe ut Epiſcopus in loco, qui Fuſſala dicebatur, ordinaretur: *Quod, ut fieret*, inquit, *aptum loco illi, congruumque requirebam, qui & Punica lingua eſſet inſtructus:* ut nimirum plebem Latini eloquii ignaram inſtruere poſſet. Idem *lib. 2. Retract. cap. 3.* de agone Chriſtiano, humili ſermone ſe ſcripſiſſe aſſerit pro fratribus in eloquio Latino ineruditis. Et in expoſitione inchoatæ Epiſtolæ ad Romanos: *In quorumdam*, inquit, *ruſticanorum collocutione, cum alter alteri dixiſſet, ſalus, quæſivit ab eo, qui & latine noſſet, & Punice, quid eſſet ſalus:* Tractatu item in Joan. *multi fratres*, ait, *imperitiores latinitatis loquuntur ſic ut dicant, dolus illum torquet, pro eo, quod eſt dolor:* Erat autem lingua Punica hebraicæ, & Syræ dialectus, ut ipſemet Auguſtinus teſtatur *tract. 15. in Joann.*, qua paſſim utebantur Africanæ gentes, ubi non erant Coloniæ Romanorum. Idem accidit in Oriente quoad linguam Græcam & Chaldaicam, nam iis utuntur in divinis officiis, quamvis Populis ignotæ ſint, qui vel Græca vulgari, vel Arabica communiter loquuntur. Fert hoc rerum humanarum viciſſitudo, ut linguæ vulgares mutationibus ſubjectæ ſint, vel quia corrumpuntur alterius Nationis commercio, vel quia Provinciæ in extraneorum Principum dominium tranſeunt, qui proprias leges, & mores, & linguam in eas introducunt. Vetus

Veteres Liturgiæ nonniſi Chaldaico, Græco, & Latino ſermone conſcriptæ.

Gallo-

Gallorum lingua, qua uti ſolebant priuſquam Regnum illud in Provinciam a Romanis redigeretur, penitus abolita eſt. Sic etiam Hiſpani proprium amiſerunt ſermonem, cum poteſtati Romanorum ſubditi fuerunt. Veteres Francos, qui Regnum in Galliis conſtituerunt, Germanica lingua loquutos Beatus Rhenanus *lib.* 2. *rerum Germanicarum* oſtendit, ex antiquiſſimo Codice Evangeliorum, quem Friſingæ ſe vidiſſe ait in linguam Francicam translatum, quæ eadem eſt ac Germanica. (7) Regiones quoque Septemtrionales (7)
a Romanis ſubactæ latine loqui didicerunt, donec ipſa Latina lingua interiit, & ex ejus corruptione in Italia, Gallia, & Hiſpania vulgares hodiernæ exortæ ſunt. (8) Eodem fato Græca, & Chaldaica extinctis, Turcica, Arabica, & (8)
aliæ vulgares in pleriſque Regnis Orientalibus ſucceſſerunt. Ut autem Religio adverſus hujuſmodi mutationes inconcuſſa maneret, ſemper & ubique Orthodoxa Eccleſia vetus idioma in divinis officiis retinuit, id exigente Sacrarum rerum dignitate & majeſtate, ut nihil in iis immutetur, nihilque erroneum aut impurum in eas irrepat: quod facile contingeret, ſi eas ab antiquo ſermone, quo ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris traditæ ſunt, in alium recentiorem, vel a primævo diverſum transferre liceret. Quod ſi Græca, & Latina lingua conſervatæ olim non eſſent, & uſque ad nos propagatæ propter neceſſarium earum uſum in Sacris functionibus, jam inutiles nobis forent veterum Conciliorum Canones, Antiquorum Pontificum Conſtitutiones, Sanctorum Patrum & aliorum Lucubrationes Græco, vel Latino ſermone exaratæ, quia nec eas legere, nec intelligere poſſemus, ſicut non intelligimus priſcos Hiſpaniæ characteres, qui in nummis conſervati ſunt, (9) nec (9)
ſcimus quid dicat Pœnulus apud Plautum, (10) quia lingua Punica, qua ille (10)
loquitur, dudum interiit. Narrat Polybius *lib.* 3. *Hiſt.* quod cum inita pax eſt poſt ſecundum bellum Punicum, pacta primæ pacis vix intelligebantur, adeo lingua tempore interjecto mutata erat. Idem nunc apparet in Italica noſtra, & in Gallica, multum enim diſcrepat hodierna ab antiqua. Cum ergo experientia docuerit ſingulis fere ſeculis vulgare idioma mutari, ſi Miſſa ſermone vulgi celebraretur, iiſdem mutationibus ſubjecta foret, non ſine gravi diſpendio debitæ venerationis, & cum evidenti periculo depravationis. Tolleretur etiam neceſſaria ad Fidei unitatem Eccleſiarum communicatio, quæ hoc vinculo nectitur: nec poſſet Sacerdos Italus in Gallia, aut in Germania, nec Germanus, aut Gallus in Italia ſacris operari. (11) Quare ſa- (11)
pientiſſime ab Eccleſia conſtitutum eſt, ut quo idiomate Miſſæ primum inſtitutæ ſunt, eo ſemper celebrentur, licet populo ignotum ſit. (12) Præ- (12)
ceſſit exemplum hujus diſciplinæ in veteri Teſtamento, nam cum populus poſt captivitatem Chaldaice loqueretur, Pſalmos tamen & Scripturas Hebraice ſemper cantavit, & legit; quem morem Hebræi etiam hodie in Synagogis obſervant: nec enim voluit Deus mutari Scripturam, licet Populus linguam mutaſſet. Eadem Romanis cura fuit ſervandi in Sacris ſermonis antiquitatem, nam carmina Saliorum vix Sacerdotibus ſuis intellecta, ut ait Quintilianus *lib.* 1. *Inſtit. Orat. cap.* 6. numquam mutarunt, (13) quia vetabat Religio, & conſecratis utendum erat. De aliis gentibus, quæ lingua peculiari ſacra myſteria celebrant, locus agendi erit, cum de propriis cujuſque nationis Liturgiis tractabo. (13)

Hebræi poſt captivitatem non amplius hebraice, ſed Chaldaice loquebantur.

(1) *Nec vulgo quidem Hebræorum notum erat*) Sane Hebraicum idioma antiquum, illud ſcilicet quo loquebantur veteris Teſtamenti Patriarchæ, Apoſtolorum ævo, nec vulgo quidem Hebræorum notum, illique exoticum fuiſſe aliquot argumentis demonſtratur; & primo cum Hebræi, qui ad Babylonicam uſque captivitatem ſola Hebraica lingua uti conſueverant, Babylone captivi degentes propriam obliviſci, & alienam, ideſt Chaldaicam, addiſcere cœperunt, cumque eam linguam non ita facile callere poſſent, & pronunciare, quin aliquid ſemper de Hebraica retinerent, orta eſt quædam tertia

Quin, & Syriace, lingua ex utraque mixta.

lingua ex Hebraica antiqua, & Chaldaica mixta, atque a regione dicta Syriaca, quæ deinceps Judæis cœpit esse vulgaris, & Hebraica vulgo appellata, quia variis terminis ex Hebræa desumptis erat interpolata; hac Christus Dominus creditur usus, eademque S. Matthæi Evangelium, ac S. Pauli Apostoli Epistola ad Hebræos scripta traduntur, ut infra dicemus; quod apparet ex vocabulis hebraicis, quæ in novo Testamento habentur, omnia enim sunt, ut bene adnotavit S. Hieronymus, vocabula Syriaca; hinc ipse Christus Dominus dicens non transiturum vel Jota Legis Dei &c. ostendit litteris Hebraicis novis, & hodiernis, non vero antiquis usos esse Hebræos, illud enim denotat, I. Judæorum literulam fuisse, quod de Jod Syriaco verum est, non de Samaritano magna littera cum tribus crucibus conscripto, ut notat Dupinius Prælim. ad Tom. 1. Biblioth. Eccl. Ex eo autem quod scribit Hieronymus in Prologo Galeato initio apparet apud Samaritanos linguam adhuc hebræam veterem permansisse, licet non eisdem characteribus, quibus communiter utebantur Hebræi posteriores, a quibus idem S. Hieronymus Præf. in librum Tobiæ testatur Linguam Chaldaicam non fuisse intellectam, nec vicissim a Chaldæis hebraicam, accivit enim hominem utriusque Linguæ peritum, qui ei, quæ in Syriaca Tobiæ editione continebantur, hebraicis verbis expressit.

Ut Morinus aliique ostendunt Eruditi.

Legendus de hac re Clar. Joannes Morinus, qui Sacræ Scripturæ textum Samaritanum, Moysis scilicet Pentateuchum publica luce donavit, & eidem versioni fortasse justo nimis addictus, ipsum esse veterem hebraicum, quem antiquis characteribus exaratum retinuerunt antiqui Samaritani, omni argumentorum genere demonstrare nititur in Præfat. ad Hexapla Parisiensia, & Biblia Polyglotta, cui subscribunt quamplures Eruditi, præcipue Capellus, & Waltonus in Bibl. Polyglottis Londinen. Prolegom. XI. qui tamen attendere debuerant, nedum ad sui gregalis Joannis Henrici Hottingeri exercitationes Antimorinianas, verum & ad ea, quæ contra ipsum Morinum profert notissimus Hebraicæ Linguæ Magister Abbas noster D. Julius Bartoloccius in sua Bibl. Rabbin. parte IV. pag. 171. & seq. usq. ad 186., ubi hunc textum Samaritanum dialecto Chaldaica, & literis, seu characteribus Cuthæis, sive Samaritanis, non vero hebraicis antiquis scriptum, & in Bibliis Polyglottis Londinensibus quoad alium Samaritanum Pentateuchum ibi exaratum plura menda irrepsisse ostendit, cui sententiæ lubens subscribit cl. Abbas Joseph Pasinus primum in Seminario Patavino, postea in Regia Taurinensi Academia linguarum Orientalium Professor publicus, nunc in eadem Bibliothecæ Præfectus, in suo Opusculo de præcipuis sacrorum Bibliorum Linguis, & versionibus Anno 1716. Patavii impressis circa finem.

Ut ut autem sit de hac versione, quam linguæ hujusmodi peritis examinandam relinquo, legendus iterum nuperus Scriptor Matthæus Petitdidier Monach. Benedict. in suis Dissertationibus criticis in Sacram Scripturam Dissert. 8. pag. 63. ubi pluribus ostendit linguam Chaldaicam, seu Chaldaico-Syriacam tempore Christi Domini, & Apostolorum Hierosolymis fuisse vernaculam, non vero hebraicam antiquam vulgo dictam linguam sanctam. Judæi enim, ut diximus, jam inde a captivitate Babylonica iis gentibus Deo sic permittente propter eorum prævaricationes servire compulsi, illius suæ propriæ obliti, victorum novas linguas addiscere, iisque uti coacti sunt. Et sane tot nobis ex novo Testamento se præbent argumenta, quibus linguam Hierosolymis vernaculam Salvatoris nostri, & Apostolorum ejus ævo non aliam fuisse, quam dictam Chaldaico-Syriacam, ut plane cæcutiat, qui hoc in Scripturis novi Testamenti non agnoscat. Primo enim voces, quæ in Evangelio latine non redditæ leguntur, videlicet, *Abba*, *Satana*, *Siloe*, *Gabbata*, aliæque plures Chaldaicæ sunt. Secundo ad quid titulus Crucis linguæ Hebraica, seu Syriaca, si hæc Hierosolymis vernacula non fuisset? Et licet præter Hebraicam, Græca etiam, & Latina additæ sint, hoc ideo fuit, quia plerique Græci Proselyti Hebraicam, nonnulli autem Romani non tantum hebraicam, sed & græcam ignorabant. Deinde cur Paulus Act. 22. Judæos alloquens Sermone Syro-Chaldaico usus est, nisi quia hæc erat eorum lingua? Item cur idem Apostolus Epistolam ad Hebræos, & Matthæus Evangelium pro iis, qui in Judæa, & Hierosolymis crediderant, hebraice, seu patrio idiomate sibi magis familiari scripserunt? de primo enim hoc testantur Eusebius Hist. Eccl. lib. 3. cap. 38. Clemens Alexandr. apud eumdem lib. 6. cap. 14. & S. Hieronymus de Script. Eccl. de secundo vero constans adeo est omnium veterum traditio, ut totius pene antiquitatis testimonio hac in re refragari nefas sit, quemadmodum vel ipse affirmat Guillelmus Cave de Script. Eccl. in Matthæo; quinimmo S. Irenæus, & Hieronymus diserte asserunt, istud Evangelium lingua vulgari Judæorum fuisse conscriptum.

Quæ & pluribus argumentis comprobatur.

Lingua Syriaca Christi, & Apostolorum tempore Hierosolymis vernacula, & communis.

Quibus omnibus plusquam certo colligitur linguam Syriacam Hierosolymis Christi tempore, & Apostolorum fuisse communem, & vernaculam. Hinc si a nobis quæratur utrum Apostoli Hierosolymis degentes Sacram Liturgiam hebraico idiomate celebraverint, ex Emin. nostri sententia, & cum Eusebio Renaudotio Dissert. de Liturg. Orient. origine, & authoritate c. 6. respondendum, quod si per linguam Hebraicam intelligatur Hierosolymitana, quæ tempore Domini Nostri Jesu Christi vulgaris erat in Palæstina, & quæ hebraica vocatur in novo Testamento, licet sit solum affinis hebraicæ, uti S. Hieronymus Comment. in Isaiæ cap. 19., & S. Augustinus in Joan. cap. 15. affirmant, hac lingua sic dicta, tunc populo Hebraico vernacula, quæ Syriaca, & Judaica appellabatur e regione, quam ipsimet Hebræi incolebant, hac inquam lingua Syriaca, vel Syro-Chaldaica Missam ab Apostolis celebratam fuisse concedimus, non vero primigenia, & pura lingua Hebraica antiqua, quam plebs illiterata, ut diximus, & literatorum fortasse nonnulli non satis intelligebant. Et sane cum Christus Dominus hanc linguam, utpote consanguineis, affinibus, atque discipulis

suis

ſuis familiarem divino ſuo ore prolatam conſecraverit, eaque etiam Evangelium ſuum primitus promulgatum fuerit, plane credibile, convenientiſſimum, immo certo certius exiſtimandum hac eadem nedum Hieroſolymis, ſed ubi hæc ipſa vernacula erat in Syria, & Palæſtina Sacram Liturgiam, ſive ab Apoſtolis, ſive a Chriſti Diſcipulis primo celebratam fuiſſe.

(2) *Jacobus Liturgiam ſuam græce ſcripſit*) Id jam ſupra dictum cap. 3. §. 1., & infra cap. 8. §. 3. iterum dicetur. Eam porro, quam habemus, Jacobi Liturgiam, Græca lingua exaratam eſſe haud dubium eſt: an vero Apoſtolus ipſe eodem græco idiomate illam ſcripſerit, incertum, quare hoc loco non admodum mihi quid ſibi velit (ingenue fateor) conſtare videtur Emin. Author, ſi enim, ut paulo infra, aſſerendum ait Apoſtolos Hieroſolymis Chaldaice celebraſſe, id ita a fortiori dicendum de Jacobo Hieroſolymorum antiſtite, & quam diſpoſuit Liturgiam, Chaldaice, ſeu Syriace ſcripſiſſe, utpote lingua ibidem vernacula, & vulgari, quod etiam infra oſtenderur; neque enim aliter celebraſſe, & aliter ſcripſiſſe credendum eſt; eoque magis quod peculiarem pro dicta ſua Eccleſia confecerit Liturgiam, quam non niſi dicto idiomate ibi communi, & patrio, adeoque illi Clero, & populo noto exaraſſe par erat. Atque hanc opinionem, uti probabiliorem, autumat Leo Allatius Diſſert. de Liturgia Jacobi. Verum his non obſtantibus Emin. Authorem ſic interpretari, & conciliare poſſumus, dicendo, quod Jacobus Hieroſolymis quidem Liturgiam Chaldaice celebraverit, ſed Proſelytorum, aliarumque Orientis Eccleſiarum, quæ græce loquebantur, commodo, & uſui, eamdem poſtea græce ſcripſerit, quemadmodum & Epiſtolam ſuam canonicam græce item ſcripſit, ut omnes Eruditi conſentiunt.

(3) *Qualis tunc erat hebraicus Corinthiis &c.*) Quod S. Thomas, aliique interpretantur, conſentaneum primo aſpectu videtur menti SS. Patrum Baſilii, Chryſoſtomi, & Theophylacti, qui quodammodo ſimilia hac in re dixiſſe perhibentur; & quidem Baſilius in Libro quæſtionum ex varüs Scripturæ locis quæſt. 278. Chryſoſtomus hom. 35. in 1. ad Corinth. & Theophylactus in Commentariis ad eamdem. Quibus forſaſſe motus Thomas de Vio, Card. Cajetanus in expoſitione dictæ Pauli Epiſtolæ cap. 14. *Ex hac*, inquit, *Pauli doctrina habetur, quod melius ad ædificationem Eccleſiæ eſt, orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, dici lingua communi Clericis, & Populo, quam dici latine.* Verum, ſi optime dictorum veterum Patrum ſenſum perpendiſſet, in aliam procul dubio iviſſet ſententiam, uti eum jure merito redarguit ejuſdem Ordinis Syncellita Ambroſius Catharinus in ſuo Libro Annotationum apud Sixtum Senenſem Bibl. Sanctæ lib. 6. annotat. 263. ubi perſpicue oſtendit hanc opinionem valde a Pauli mente alienam, plurimum Luthero, aliiſque noſtri temporis Novatoribus favere, qui ſupradictis authoritatibus male intellectis freti, Sacras Miſſas, Pſalmos, Hymnos, & alias preces vulgari cujuſque gentis lingua, ut ab omni infima plebe queant intelligi, in Templis recitandas adſtruunt; & quidem Paulus non cogit, ut credamus, quod debeant ab omnibus intelligi ea, quæ in Eccleſiis proferuntur; non enim quidquam detrimenti eſt, quod ſinguli neſciant reſpondere *Amen* ſuper benedictione; providit quippe ſapienter Eccleſia, ut Miniſtri vice totius Populi reſpondeant, immo hoc eſt, quod Apoſtolus ait, cum ibi ſubdit: *qui ſupplet locum idiotæ*, ſcil. indocti, *quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem*? Ecce quod erant, qui ſupplebant locum vulgi, & reſpondebant, quos utique intelligere oportebat, quæ dicebantur. Atque utinam Miniſtri ipſi Eccleſiæ omnes, quorum munus eſt ſupplere locum idiotæ, ſeu populi, Presbyteri, & Diaconi eruditi ſorent, atque ea quæ in ſacris myſteriis peraguntur, apprime callerent, cum inter ipſos plerumque nonnulli ſint, qui quæ orant, aut legunt, forſaſſe non ſatis, ut oporteret, intelligant.

Porro Sancti Patres præfati aliter a Cajetani ſenſu hunc Pauli locum interpretantur. Et primo Baſilius non loquitur de his, qui Pſalmos, preces, aut Miſſas in Templo recitant, ſed de iis, qui in Eccleſia orationes, ſeu Sermones ad populum habent, & de ſacris rebus verba faciunt. Hoc enim eſt apud eum orare, quod & ad cœtum loqui S. Joannes Chryſoſtomus per eum, quem Paulus idiotam vocat, non intelligit promiſcuam plebem, ut Latinus vertit Interpres, ſed Miniſtrum Eccleſiæ, qui locum ſuppleat idiotarum non intelligentium, & reſpondeat *Amen* pro univerſu illiteratorum cœtu; hunc autem Chryſoſtomus Laicum, ideſt popularem, ſeu plebejum appellat ἰδιωτικὸν, inquiens, κοινὸν λέγω, quemadmodum obſervarunt plerique cum Sixto Senenſi, ubi ſupra, & nuper cl. P. Nicolaus Mortierius in ſuo Etymologico Græcolat. verbo *Laicus*: ita etiam Theophylactus, & Oecumenius ſentire videntur, eo nimirum argumento, quia mos erat antiquitus, ut Sacerdotum precibus ipſe populus acclamaret, cujus acclamationis meminit Juſtinus ſub finem Apologiæ ſecundæ, idque declarant veteres Liturgiæ Baſilii, & Chryſoſtomi, ac in Eccleſia quoque Romana uſitatum teſtatur Hieronymus præfat. lib. 2. Commentar. in Epiſt. ad Galatas inquiens: *ubi ſic ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui Amen reboat*: & nos etiam infra dicemus.

Quem Idiotæ nomine intelligant Sancti Patres.

Thomas de Vio Card. Cajetanus notatus.

Hanc autem Græcorum interpretationem cum Cajetano ſecuti ſunt Guilliandus, & Joannes Gagnæus, qui tamen non exponunt cur Apoſtolus idiotam ſignificare voluerit per eum, qui ſupplet locum idiotæ, cum hæc potius circumlocutio videatur, quam expoſitio, quis enim Regem ipſum ſignificare volens, dicat: is, qui ſupplet locum Regis: quare Eraſmus etſi ita verterit dictum textum: *qui implet locum indocti*, quaſi impleat, non ſuppleat, in paraphraſi tamen melius hoc modo reddit: *qui plebis vice fungitur*, quod eſt, ſupplere. Atque hæc omnium genuina videtur ad hunc locum Apoſtoli Pauli interpretatio, quam & ipſe Gentium Doctor indicat ead. Epiſt. ad Corinth. c. ult., ubi loquens de Stephana, Fortunato, & Achaico in miniſterium Eccleſiæ ordinatis ait: *id quod verbis deerat, ipſi ſuppleverunt*:

Quis dicatur Idiotæ locum ſupplere.

Is autem dicitur ſupplere locum idiotæ, ſeu illiterati, ac ſine ſtudio artis Grammaticæ, qui tempore officii divini populum repræſentat, ſub quo idiotæ comprehenduntur; ita hodie qui inſervit celebranti, & paſſim appellatur *Miniſter*, vel *Miniſtrans*, reſpondetque *Amen*, vel *cum Spiritu tuo*, ſupplet locum idiotæ, quæ ſuppletio etiam fit per Chorum pſallentium, qui etſi inter idiotas non ſint, dum tamen ſic reſpondent Idiotis tacentibus, & ſolo voto concurrentibus, populo ſcilicet ſilente, & extra Chorum conſtituto, ſupplent locum idiotarum. Porro S. Thomas etſi velit Apoſtolum loqui de Sacrificio Miſſæ, nolitque celebrari ſermone prorſus ignoto, & peregrino, non tamen inde deducitur eumdem velle, ut peragatur lingua omnibus communi, Clericis ſcilicet, & populo, ſeu vulgari, ut Cajetanus putat; poteſt namque aliquid dici idiomate non prorſus ignoto, & ſimul non vulgari, quemadmodum nobis lingua Latina, quæ non eſt omni populo communis, & tamen non poteſt dici prorſus ignota, cum plerique laici ſortaſſe &, de infima plebe eamdem intelligant.

D. Thomas non ſatis a Cajetano perceptus exponitur.

Atque ita juxta mentem Apoſtoli locutus eſt D. Thomas, Paulus enim, ut ait Guillelmus Eſtius, loquitur de lingua peregrina, qualis erat Corinthiis Perſica, vel Ethyopica, forte etiam Latina, nam & hanc adfert Chryſoſtomus pro exemplo; verum Latina, ut mox diximus, peregrina non eſt, cum ſit maxime communis, & nota non ſolum Eccleſiæ miniſtris, ſed & multis extra Clerum, adeo ut Epiſcopi quondam ad populum Latine concionati fuerint, non in Italia modo, verum etiam in Africa, Gallia, & Hiſpania, tametſi plures e plebe non intelligerent. Et quidem de Africa exemplum habemus Auguſtini, qui non aliter, quam Latine ad populum Sermonem habuit, & lib. 2. de Doctrina Chriſti cap. 11. aperte teſtatur ſuo tempore Pſalmos Latina Lingua publice in Eccleſia decantatos, item lib. de dono perſeverantiæ cap. 13. circa fin. ait in Præfatione Miſſæ verbis latinis populum Sacerdoti reſpondere ſolitum: *habemus ad Dominum*, & *dignum, & juſtum eſt*. At in Africa non Latinam linguam, ſed Punicam fuiſſe vulgarem, & communem idem Sanctus Doctor affirmat Expoſit. inchoat. Epiſtola ad Romanos, & S. Hieronymus ſupracit. lib. 2. in Epiſt. ad Galatas. De Gallia vero teſtis eſt Proſper Aquitanus lib. 1. de vita contempl. cap. 13. Idem dicas de reliquis regionibus, & Provinciis, ut fuſe & eruditiſſime infra diſſerit Emin. Author, ac docte etiam probat nuperus Scriptor Joannes Maria de Turre Ord. Prædic. in ſuis Inſtitutionibus ad Verbi Dei intelligentiam Tom. 2. Tract. 2. quæſt. 5. art. 17. §. 2. num. 16. Ex dictis igitur plenisſime conſtat SS. Patres, præcipue Angelicum Doctorem optime ex Apoſtoli ſenſu tradidiſſe publicas in Eccleſia preces, Sacraſque Liturgias vulgari quidem idiomate recitari non debere, ſed nec prorſus ignoto, ac peregrino, qualis e. g. nobis Latinis eſſet Hebraica, Arabica, vel etiam Græca lingua; & his nationibus Latina. Sed de hac re iterum infra.

In plerisque Eccleſiis Latine ab Epiſcopi Populo ſermocinatum.

Carl. Bona ab Edmundi Martene cenſura vindicatur.

(4) *Et in toto Occidente Latine celebraſſe*) Edmundus Martene de antiquis Eccleſ. Rit. Tom. 1. Lib. 1. cap. 3. art. 2. hoc loco Emi. Authorem tantillum vellicat, de ipſo enim inquit: „quod vero addit, nititur hæc mea „aſſertio antiquiſſimæ, & immemorabili Ec„cleſiæ conſuetudini &c. Videtur his verbis „omnes antiquarum Liturgiarum preces ad „tres haſce Linguas reſtringere, quamvis, „ut initio dixerat, probabilius ſit non ſolum „tribus hiſce Linguis, ſed (Apoſtolos, eo„rumque ſucceſſores eo idiomate in ſingulis „regionibus uſos, quod tunc illis commune, „& vernaculum erat.) „Ita Martenius, qui poſtea probare nititur alias etiam Linguas in Sacris Liturgiis adhibitas fuiſſe, ſed irrito conatu, nam ad ejus argumenta, quæ in hujus ſuæ ſententiæ confirmationem profert, infra poſt notam ſequentem reſpondebimus, eorumque aciem nullius eſſe roboris demonſtrabimus. At vero Emin. Author injuſte a Martenio carpitur, quod omnes veterum Liturgiarum preces ad tres tantum linguas reſtringat, nam, ſi quæ aliæ ſunt, hæ propriæ, ac vere linguæ dici non poſſunt, ſed illarum trium principalium dialecti, quæ ab ipſis tamquam parentibus fluxere; hinc quamvis dixerit Apoſtolos, eorumque ſucceſſores eo idiomate in ſingulis regionibus uſos, quod tunc illis commune, & vernaculum erat, quid tamen communis idiomatis nomine intelligat, ſtatim aperit, mentemque ſuam exprimit ſubdens: & ita Hieroſolymis Chaldaice, Antiochiæ, & in aliis Græcorum Civitatibus græce: Romæ autem, & in toto Occidente latine celebraſſe; quare pene incredibile eſt Emin. Authorem in eadem ipſa periodo ſibi contradicere voluiſſe, niſi has tres tantum linguas tunc in Orbe communes, & vernaculas fuiſſe intenderit, cum omnibus Erudiis probe notum ſit has tres cæterarum linguarum eſſe matrices, uti oſtendit Voſſius de arte Grammaticæ lib. 1. cap. 9. & ſeq.

Lingua Hebraica, ſeu Chaldaica, Græca, & Latina, Paleſtinis, ſeu Syris, Græcis, & Latinis populis olim reſpective vulgares.

Cæterum Emin. Authori noſtro facem præbuit in hac ſententia Angelicus Doctor Coment. in Pauli ad Corinth. 1. cap. 14. lect. 3. ubi interroganti quare non dentur a Sacerdotibus benedictiones in vulgari, ut intelligantur a populo & conforment ſe magis eis, ita reſpondet: *Dicendum eſt, quod hoc forte fuit in Eccleſia primitiva: ſed poſtquam fideles inſtituti ſunt, & ſciunt, quæ audiant in communi officio, fiunt benedictiones in latino*. Idem etiam pene ad verbum confirmat ibi lectione ſequenti. Et ſane linguas Hebraicam, Chaldaicam, ſcilicet ita nuncupatam, ſeu Syriacam, Græcam, & Latinam tunc fuiſſe in primitiva Eccleſia iis nationibus, Hebræis nempe, ſeu Paleſtinis, & Syris, Græcis, & Latinis vulgares, ex eo conſtat, quod Crucis titulus non aliter, quam his tribus linguis a Pilato ſcriptus fuerit, ut idem iis gentibus, quæ tunc Hieroſolymis aderant, propria cuique lingua innoteſceret. Item Evangeliſtæ, & Apoſtoli his tribus tantum uſi ſunt in novi Teſtamenti libris conſcribendis, ac Eccleſia primitiva non aliter, quam iis tribus verſionibus legere conſuevit verbum Dei; Matthæus enim hebraice, ſeu Syriace, Lucas, & Joannes græce, & Marcus latine Evangelia ſua ſcripſere, uti pluribus probat Natalis Alexander Hiſt. Eccl.

ſect.

sect. 1. cap. 12. art. 2. §. 1. cumque ipso Eruditi fere omnes, inter quos Claudius Fraſſen Diſquis. Bibl. lib. 1. cap. 7. §. 2. pag. 660. Remigius Ceillerius Mon. Bened. Hiſt. Gen. Script. Sac. lib. 2. cap. 2. art. 2. n. 3. ac Tillemontius in Hiſt. Eccl. ubi de Sancto Matthæo nota 3. quibus & Acatholici conſentiunt Ernestus Tentzelius in ſuis Animadv. ad D. Hieronym. Comment. in Matth., & Joannes Alb. Fabricius in Bibl. Eccl. pag. 31. etſi de Marco an latine Evangelium ſuum ſcripſerit, diſputent nonnulli; Verum non græce, ut iſti autumant, ſed latine primum Romæ rogatum a fratribus ſcripſiſſe, luculenter oſtendunt cum Baronio clariſſimi viri Bernardus de Montfaucon in ſuo Itinerario Italico pag. 55. Juſtus Fontaninus Diſſert. de Codice Veneto Evangelii S. Marci; & Bollandiani Socii Tom. 3. Menſis Aprilis pag. 245. reliqui vero Apoſtoli Epiſtolas ſuas græce, excepta Pauli ad Hebræos, ſcripſere.

Apoſtolorum Principes Petrus, & Paulus in toto Occidente Latine celebraverunt.

Apoſtolos porro, præſertim eorum Principes Petrum, & Paulum Romæ, & in toto Occidente latine celebraſſe, ac formas Sacramentorum non aliter, quam latine protuliſſe, atque eadem lingua Evangelium prædicaſſe, id maxime rationi conſentaneum eſſe perſpicuum videtur; etenim Latina Lingua illo tempore principatum jure tenebat, & Romana ab urbe Orbis Domina dicebatur, eademque in omnibus, utpote familiari, utebatur Senatus, Populuſque Romanus. Id ſatis evincunt Sacri Libri ſub Apoſtolorum temporibus in dictum Latinum idioma translati, publiceque, & privatim a Fidelibus lecti, ut teſtantur Juſtinus in Apologia 2. Tertullianus in Apologet. cap. 39. & de Anima cap. 9. aliique priorum Eccleſiæ temporum Patres. Item Auguſtinus, & Hyeronymus ſecundum antiquam verſionem latinam Sacræ Scripturæ teſtimonia in ſcriptis ſuis produxere; quare fatendum eſt in Occidente Veteris, & Novi Teſtamenti libros non aliter, quam latine reddidos, lectos fuiſſe. Atque hanc Scripturarum latinam editionem tunc in Eccleſia Occidentali uſitatam, eam ipſam eſſe, quæ vulgo Itala dicebatur, ex Gregorio diſcimus in fine Epiſtolæ ad Leandrum: hujus enim exordium, inquit, ignoratur, neque illius Author deſignari poteſt; immo etiam ante Gregorium antiquiſſimam fatetur S. Auguſtinus lib. 2. de Doctr. Chriſti cap. 11. eamque cæteris verſionibus latinis nedum ob antiquitatem, ſed ob verborum tenacitatem, & ſermonis proprietatem præponit. Et ſane quemadmodum Synagoga Judæorum in ſua Lingua Hebræa ſcripturam authenticam Veteris Teſtamenti habebat, & Eccleſia Græca verſionem ſeptuaginta Interpretum, ita etiam æquum erat, ut & Latina Eccleſia Synagoga profecto illuſtrior, & ſuper omnes Græcorum Eccleſias eminentior ſuam propriam Latinam verſionem haberet, quam revera habuiſſe teſtatur S. Hieronymus Præf. in Joſue. Sed de hac antiqua verſione Itala, ſeu Romana dicta iterum infra lib. 2. cap. 2. §. 4.

Neque enim aliter, quam latine ſacri Codices in Occidente lecti.

Bibliorum verſio Italica omnium antiquiſſima.

(5) *Per varias Provincias diſperſi utuntur*) In priori Emin. Scriptoris Autographo hæc inſuper adjecta leguntur. „ Sunt etiam Abyſſini, quorum Liturgia ſermone peculiari „ peragitur, ſed qui Chaldæo affinis, & ſimillimus eſt.

(6) *Quamvis illæ Linguæ deſierint eſſe vulgares*) Quia, ut ait Irenæus lib. 1. cap. 3. *Etſi in Mundo loquelæ diſſimiles ſint, virtus tamen traditionis una, & eadem eſt*: Ea propter unaquæque natio, ſeu Eccleſia, Miſſam celebrare, & Sacramenta miniſtrare debet ea lingua, ritu, & forma, quibus a majoribus ſuis tradita accepit, adminiſtranda. Porro ad hunc, & antecedentem locum nota dignum eſt, quod refert Pagius in Critica Baronii Tom. 2. ad ann. 397. num. XI. ubi divina variis linguis perſoluta ſub Theodoſio Cœnobiarcha olim fuiſſe ex Theodoro Petræ Epiſcopo illius vitæ Scriptore tradit. Alia exempla hac de re affert Papebrochius in cauta Chronico Hiſt. Diſſert. 15., & in Paralipomenis aſſerens optandum eſſe, ut Sacra Congregatio de Propaganda Fide indulgeat Siniis, & Japoniis, aliiſque ibi cultiſſimis Nationibus Linguam Latinam penitus ignorantibus, nec eam niſi difficillime docendis, ut ſua quique lingua Miſſam celebrare poſſint. Papebrochio aſſentitur Edmundus Martene, ut ſupra de antiquis Eccl. Rit. Tom. 1. lib. 1. cap. 3. art. 2. ubi iterum Emin. noſtrum hac in parte reprehendens, atque ab ejus ſententia tantiſper abſcedens nonnulla & ipſe congerit exempla, quibus vernacula Liturgia Miſſam olim celebratam fuiſſe contendit. Verum eadem optime conſideranti ex iis tantum deduci poſſe conſtabit ſacras preces, hymnodiam ſcilicet, & pſalmodiam, quæ Liturgiam præcedebant, atque ad ſummum ipſam Miſſam Cathecumenorum uſque ad Evangelium, quod prius græce, aut latine legebatur, deinde gentili, ac patria lingua, per ſermonem exponebatur ad populum, ſicuti etiamnum fit, non vero ipſam Sacram Liturgiam, ſeu Miſſam Fidelium apud Catholicos (de hæreticis enim, aut ſchiſmaticis, qui foris ſunt, quid ad nos?) populari, ſeu vulgari lingua celebratam fuiſſe. Atque in hujus ſanioris opinionis confirmationem ad ſingula ex adverſo illata reſpondeamus objecta.

Miſſa ſemper primigenia lingua celebrata, etſi non amplius vulgari.

Quidquid in contrarium opponant Papebrochius, & ex ipſo Martenius.

Ejus argumenta diluuntur. Objectio 1.

Opponit itaque primo laudatus doctiſſimus vir exemplum S. Antonii Abbatis, qui uti legitur in ejus vita a S. Athanaſio ſcripta, cum litteras non didiciſſet, nec aliud, quam vulgare, ſeu patrium, ideſt Ægyptium idioma noviſſet, ingreſſus tamen Eccleſiam, & audita Sancti Evangelii lectione, qua Chriſtus Dominus perfectionem aſſequi cupienti vendere omnia, quæ haberet, præcepiſſe dicitur, quaſi hæc ſibi ipſi pronunciata fuiſſe exiſtimans, ad novum vitæ genus inſtituendum incitatus, univerſa vendidit, quæ habebat, pretio eorum in pauperes diſtributo. Ex quibus neceſſario concludendum, ait ille, ſacrum, quod lectum fuit, Evangelium Ægyptiaco Idiomate fuiſſe decantatum, alioquin Antonius, qui litteras ignorabat, illud non intellexiſſet. At pace tanti viri quam futilis illatio! An forte in hac Miſſa ſolemni utique, & die Dominica celebrata, cui adfuit Antonius (mos quippe tunc erat illa ætate apud Ægyptios teſte eodem S. Athanaſio Apolog. contra Arianos num. 11. novæ edit. Tom. 1. pag. 133., & 198.

198. ut nonnisi Dominica die sacra adirentur in Ecclesia, uti etiam notant Benedictini Patres Athanasii Operum Editores in Præf. num. 3. de Disciplina Ecclesiæ Athanasii ævo, testatur & ipse Athanasius paulo ante in hac ipsa S. Antonii Vita num. 1. ubi ejus puertiam narrans; *cum parentibus*, ait, *in Dominico conventibus aderat*:) an, inquam, in hac Missa non fiebat ab Episcopo, seu Sacerdote ad populum fermo, sive Evangelii expositio vulgari, ac patria lingua ex more, numquam interrupta serie ab initio Ecclesiæ ad nostra usque tempora, servato? (de quo Justinus Martyr Apolog. 2. Conventus Christianorum narrans, in quibus Sacræ Scripturæ legebantur, *deinde*, inquit, *lectore quiescente Præsidens sermonem habet, quo populum instruit, & ad imitationem tam pulcherarum rerum cohortatur.*) An forte Antonius nobilibus, & Christianis parentibus natus, atque ab illis ingenue educatus, licet iis adhuc adolescens orbatus fuerit, numquam eosdem de Sacris Scripturis differentes audivit, quibus postea ad memoriam revocatis, quæ legerentur in Ecclesia, addita divina gratia, qua imbutus erat, nullatenus intelligeret? Quis non videt pleraque Religiosas Virgines, & Sanctimoniales fœminas, etsi litterarum rudes, ac Latinæ Linguæ ignaras, nihilominus ex continua Sacrarum Scripturarum lectione, sive auditione aliquid saltem, si non totum, ex iis intelligere? Potuit igitur Antonius litterarum expers, vel ex ipsa nuda Evangelii lectione, Græca Lingua, quæ tunc in Ægypto communis erat, excepta, saltem aliquid, immo totum verius ex ipsius expositione per Sacerdotem facta quid de Evangelio legeretur, percipere.

Quod autem scripturæ planiori, quam quo legebantur sermone, & ad captum plebis aptiore per Sacerdotes & Ecclesiæ ministros exponerentur, evidenter fuadent, ac confirmant ipsa Glossaria Coptica, quæ in diversis extant Bibliothecis, quæ græcas voces multas, & quidem vulgatissimas linguæ particulas Coptice primum, deinde Arabice expositas continent, quæ Glossæ nullum alium usum habent, nisi ad græca vocabula legenda, neque omnia, sed ea solum quæ ad Ecclesiasticos libros pertinebant, unde unum ex iis Glossariis *Schola Ecclesiastica Sahidica* appellatur; quia scilicet continebat voces ex sacris libris depromptas, & lingua *Sahid*, seu Thebaidis, quæ purior erat, explicatas. Unius igitur ejusmodi collectionis Glossarium in Præf. sic habet, uti testatur Eusebius Renaudotius Tom. 1. Liturg. Orient. pag. 207. *Antiquum morem fuisse, ut lectiones ex scripturis legerentur græce, sequeretur que Coptica interpretatio, idque factum antequam ulla omnino apud Christianos foret Arabicæ linguæ cognitio, sed per universam Ægyptum antiquitus Christiani legebant Sectionem græce, eamque Coptice explicabant.* Ubi videos hoc præclaro testimonio, multisque aliis argumentis usum duplici lingua, græca scilicet, & Coptica Scripturas legendi in Ægypto vetustissimum. Itaque si id in Scripturæ lectionibus quibuscumque servatum, quanto magis in Missa solemni, ad quam omnis Populus conveniebat? Optime igitur Antonius ex interpretatione Coptica, seu Ægyptiaca, utpote lingua sua patria, & vernacula, quid ex Evangelio legeretur in Missa percipere, & intelligere potuit.

Objicit secundo memoratus Author exemplum, quod longe clarius ait, ex vita S. Theodosii Archimandritæ superius indicata Authore Theodoro Petrazorum Episcopo apud Allatium in Epistola ad Naudæum, ubi de S. Niceta Dacorum Episcopo sic legitur „ .. Hic „ cum intra Monasterium quatuor exædifi- „ casset Ecclesias, unam, in qua græca dia- „ lecto multitudo Patrum separatim Sacri- „ ficium laudis Deo sacrificaret, alteram, in „ qua nativo sermone aliud genus hominum „ (Bessi dicuntur in ejus vita apud Surium „ 10. Januarii) Supremo Deo supplicationes „ deferrent, tertiam, in qua Armenii per- „ petuo divinis Hymnorum cantibus addicti „ Lingua propria Domino laudes dicerent; „ quartam, in qua, qui ab impuro dæmone „ torquerentur fratres &c. hæc itaque ratio- „ ne in his Sacræ Psalmodiæ regula perage- „ batur, cum fæpius in die creaturæ uni- „ versæ Authorem collaudarent. In Sacræ „ vero communionis Synaxi Missæ seriem ab „ initio ad Evangeliorum Sacrorum lectio- „ nem in propria lingua singuli. & Ecclesia „ complentes, tum omnes, excepti a dæ- „ mone vexatis fratribus, in magnam Græ- „ corum congregantur Ecclesiam; ibique di- „ vinorum Mysteriorum participes fiunt. Hæc ex citatis Authoribus Edmundus Martene. At quid inde? Ex hac historia nihil contra nos, immo & ipsa pro nobis pugnat. Ultro fatemur Sacram Psalmodiam, publicas preces, & Hymnorum canus in propria cuique lingua, quandoque olim fuisse licitum persolvere, nunc etiam aliquo in Ecclesiis passim, & in Parochialibus ferè omnibus laudes spirituales vulgo dictas patrio sermone a promiscua plebe, & populo decantari audimus, at Sacram Liturgiam olim, & vulgari lingua celebratam fuisse constanter negamus, idque ex ipsamet allata narratione convincimus, cui si probe advertisset Martenius, non tam facile Emin. Nostri opinionem improbasset, & erroneæ contrariæ adhæsisset. Notentur duæ ultimæ periodi, & maxime totius hujusce historiæ clausula, *tum omnes in magnam Græcorum congregantur Ecclesiam, ibique divinorum Mysteriorum participes fiunt.* Bessi scilicet, Armenii, aliique diversarum Nationum fideles, qui paulo ante in propriis Oratoriis, seu Ecclesiis patria lingua psallebant, inde ad Sacram Synaxim convenientes Græcæ Liturgiæ, quam ipsi profecto non intelligebant, intererant, & Sacram communionem ibi percipiebant. Neque vero credendum est Græcos præfatos alio, quam proprio, & antiquo suæ Ecclesiæ ritu in hac publica Synaxi usos fuisse, cum verba illa ultimam periodum præcedentia satis indicent Sacram Liturgiam græca lingua peractam extitisse, etenim in propria lingua Missæ seriem ab initio ad Evangeliorum Sacrorum lectionem singuli complentes, idest Missam Cathecumenorum, quæ in precibus, & Psalmis a populo recitatis consistebat, tum ad Missam fidelium omnes in magnam

Objectio 2.

gnam Græcorum conveniebant Eccleſiam, ubi non dicitur, quod propria lingua ſinguli eamdem Liturgiam peregerint, ſed a Græcis ibi peractam audiviſſe, & ab iis Sacram communionem accepiſſe. Et ſane ſi omnes iſti in magnam congregabantur Græcorum Eccleſiam, eo quidem loci conveniebant, ubi non alia, quam una ex dictis tribus linguis, (Græca ſcilicet) ſacra peragebantur Myſteria. Quid ultra urgebit Martenius?

Objectio 3. At opponit iterum, & tertio illud, quod de S. Saba Abbate ſcribit Cyrillus Scytopolitanus in ejus vita: „Eo itaque tempore Armenios a parvo Oratorio in Eccleſiam a „Deo extructam tranſtulit, ut pſalmodiæ regulam Armeniorum dialecto exequerentur, „imponens eis Megalion, & reliquam offi„cii ſeriem in Synaxibus ſeparatim Armenica lingua peragerent, & tempore divinæ „oblationis cum Helleniſtis convenirent, & „divina participarent myſteria„. Hæc de S. Saba Cyrillus, atque ex iſto Martenius. At huic etiam objecto eadem, qua ſupra, ſatisfacimus reſponſione. Permiſit igitur Sabas Armeniis, ut propria dialecto pſalmodiam quidem perſolverent, & id factum antiquitus, ut ſupra, non negamus, Liturgiam vero nequaquam; iis enim juſſit, ut *tempore oblationis divinæ cum Helleniſtis convenirent, & divina participarent Myſteria*: Notum eſt Eruditis, qui fuerint Helleniſtæ, Hebræi ſcilicet, erant in Græcia nati, ac enutriti, græciſque moribus imbuti, ut declarat Chryſoſtomus in Acta Apoſtol. Hom. 14. Quare ſi græcis ritibus addicti, non aliam profecto, quam græcam adhibebant Liturgiam.

Objectio 4. Opponit denique toties laudatus Martenius Indultum Joannis Papæ VIII. quo Sclavis, ac Moravis conceſſit, ut divina Officia, ac Sacram Liturgiam lingua Sclavonica peragere poſſent, de qua infra cap. 9. §. 4. Sed reponimus I. quod etſi ab Apoſtolica Sede alicubi quandoque indultum fuerit, ut aliter quam alterutra ex ſupradictis tribus Linguis ſacra legerentur Myſteria, id non vulgari, aut plebeja dialecto, ſed ea cultiori, ac politiori non ab omnibus, ſed Eruditis tantum, intellecta permiſſum. Audiendus hac de re idem Pontifex in Epiſt. 247. ad Sſentopulcrum Moraviæ Comitem, quam adfert, cuique præcipue innititur Edmundus Martene loco citato: *Litteras denique Sclavonicas a Conſtantino quodam* (legendum, *quondam*, ut optime advertit Pagius in Critica Baronii ad an. 879. n. 6.) *Philoſopho repertas, quibus Deo laudes debitas reſonent, jure laudamus, & ut in eadem Lingua Chriſti Dei noſtri præconia, & opera enarrentur, jubemus &c.* Quibus verbis apertiſſime conſtat Summum Pontificem permiſiſſe quidem, ut Illyricis, ſeu Sclavonicis litteris a Conſtantino antea Philoſopho, dein Cyrillo nuncupato S. Methodii Moraviæ Apoſtoli fratre inventis Sacra peragerentur, non vero lingua uſuali, quam tunc Sclavi habebant, deinde dato quod vulgari Sclavonica lingua Moravis, Sclavis &c. permiſſum fuerit ſacra Myſteria celebrari, quod non diffitemur, neque ipſe Card. Bona diſſimulat loco mox indicato; id tamen nihil officit Purpurati Authoris noſtri doctrinæ, quod nempe antiquitus non aliis, quam memoratis tribus linguis eadem Sacra peracta fuerint, ſic enim ſpeciali Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione ſupradictis Populis ac Nationibus conceſſum eſt ab Adriano II. & Joanne VIII. qui ſeculo tantum nono vixere, quod aſſumptum noſtrum roborat potius quam infirmet; exceptio enim, ſeu diſpenſatio firmat regulam. Hinc notandum Joannem VIII. in dicta conceſſione, quam invitus indulſit, expreſſe innuere illis verbis; *neque enim tribus tantum Linguis &c.* cum iiſdem Moravis, ac Sclavis ita diſpenſare ut alia a tribus Linguis, Hebraica nempe, Græca, & Latina celebrare poſſent Divina Myſteria, Deique laudum officia perſolvere, quod manifeſte indicat tunc temporis nonniſi una ex illis tribus Linguis Miſſæ Sacrificium celebratum fuiſſe. Ulterius obſervandum eumdem Pontificem adeo antiqui ritus tenacem extitiſſe, ut lectionem latinam Evangelii *majoris honorificentiæ cauſa* retinendam, eamque lectioni, ſeu expoſitioni Sclavonicæ præmittendam mandaverit; quin etiam Miſſas, *ſi ita placeret Principi, & Judicibus ejus*, Latina Lingua magis audiri, earumque Solemnia latine celebrari hortatus fuerit. Cæterum hujuſmodi facultas per eamdem Apoſtolicam Sedem adempta fuit, ut infra loco jam indicato videbitur, ubi item plura de hoc ritu Illyrico, ſeu Sclavonico dicentur.

Supradicta confirmantur maxime quoad tria memorata, & a Martenio in contrarium adducta exempla; conſtat enim, ut optime notat Joannes Baptiſta Caſalius de vet. Chriſtian. Rit. cap. 47. circa fin. non alium antiquitus ſolitum fuiſſe in Eccleſia Orientali, poſt tertium ſeculum, quam græci idiomatis uſum, ſicut Latini in Occidentali; clarum quippe eſt S. Baſilii Liturgiam univerſo Orienti fuiſſe communem, ut ex Petro Diacono ad Fulgentium. Quod autem Baſilius Liturgiam ſuam græce ſcripſerit, conſtat ex Conciliis Trullano cap. 2., & ex ſecundo Nicæno, item ex Damaſceno Orthod. fid. lib. 4. cap. 14. et nihilominus, quod omnibus illis populis græcum idioma vulgare non fuiſſet, præſertim Cappadocibus, Galatis, Licaonibus, Ægyptiis, Syris &c. æque compertum eſt; nam ex omnes Orientis Provinciæ linguam propriam ſeparatim habebant, ut ex mille PP. authoritatibus oſtendi poteſt. Videndus hac de re clar. Euſebius Renaudotius in ſua collectione Liturgiarum Orientalium Tom. 1. Diſſ. 1. c. 6. ubi invicte probat, quod ſicut Eccleſia Romana, poſtquam Latina Lingua deſiit eſſe communis, noluit diverſo idiomate Sacra peragere, ita & præſtiterint Orientis Eccleſiæ. Hinc licet Syri Syriace, Copti Coptice, Armeni Armenice, Ethiopes Ethiopice ſacra faciant, indeque harum exemplo propria cuique lingua ab Occidentalibus fieri debere contendat in ſuo Opere poſthumo Jacobus Uſſerius Armachanus; ſemper tamen verum eſt omnes Chriſtiani Orientis incolas non vulgari, aut vernacula eorum lingua, ſed ea ſtudio comparata, quemadmodum nos latina, divina ſua peragere officia, uti de iiſdem Syris, Coptis, Armenis &c. evincit laudatus Renaudotius loco indicato, cui & ſuffragatur Clar.

Non alius olim in Eccleſia Orientali in ſacris, quam Græci idiomatis uſus.

Clar. Joſeph Aſſemanus in ſua Bibliotheca Orientali Tom. 1. p. 478. ubi de antiqua Syrorum Liturgia, & Tom. 3. parte 11. Diſſert. de Syris Neſtorianis §. 22. Coptitæ etiam & Æthiopes, ut reliqui præfati, veterem, quam ab initio habuerunt, Liturgiam, ejuſque linguam, qua olim conſcripta erat, nunc adhuc retinent, ut expreſſius ſuo loco dicemus, cum de Orientalium Liturgiis.

Eadem proinde fuit, ac modo eſt Orientalis, atque Occidentalis Eccleſiæ diſciplina, unde hujuſmodi Romanæ Eccleſiæ antiquiſſimam conſuetudinem, qui Orientalium exemplo improbare tentant, velint, nolint, eam potius confirmant. Eadem inſuper ratione morem hunc conſervandum Orientales, atque Occidentales duxerunt, ob antiquitatis nempe reverentiam, & ad ſacrarum rerum majeſtatem augendam; cum interim plebium inſtructioni ſatis abunde conſulatur per conciones, & catecheſes vulgari, ac vernacula lingua pronunciandas. Ut autem firmius in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum, duobus hiſce eximiis Scriptoribus, & tertium addo pro nobis teſtem Honoratum a Sancta Maria pluries alibi laudatum, qui Tom. 3. Animadv. in Reg., & uſum Crit. lib. 5. Diſſ. 4. art. 1. §. 3. contra Simonium, & Boucquillotium luculenter oſtendit, quatuor prioribus ſeculis rem divinam minime celebratam fuiſſe eo ſermone, quem Populi ad fidem converſi promiſcue callerent. Eorum ex adverſo objecta diffiat, & Cardinalis noſtri partes ſuſtinet, tuetur, ac vindicat. Ex his igitur concluditur nihil eſſe, quod Emin. noſtri ſententiam infirmet, ſacram nempe Liturgiam non alia, quam una ex dictis tribus linguis antiquitus celebratam, neque ab iis diverſas in eadem adhibitas fuiſſe umquam conſtabit. Verum de hac re, & controverſia iterum in peculiari Diſſertatione.

De Otfridi Codice Evangeliorum Friſinga invento.

(7) *Quæ eadem eſt, ac Germanica*) Codex iſte Evangeliorum, quem Friſingæ in Bibliotheca S. Corbiniani ſe vidiſſe teſtatur Rhenanus, ille idem eſt, quem Otfridus Wizeburgenſis Monachus Ord. S. Ben. Rhabani Mauri quondam diſcipulus, & auditor, qui ſeculo nono floruit, antiquis rhythmis Theotiſcis, ſeu Teutonica, vel Germanica lingua compoſitum, & in libros quinque diſtributum peculiari præfatione latina Liutberto Archiepiſcopo Moguntino dedicavit, uti teſtatur mox laudandus Petrus Lambecius. Hujus Codicis exemplar ipſius Otfridi ævo exaratum, & in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi aſſervatum deſcribit idem Clariſſimus Vir Commentar. ejuſdem Biblioth. lib. 2. cap. 5. num. 24. atque eruditis in ipſum obſervationibus exornat. Præclarum hoc Otfridi opus primus edidit Baſileæ impius Novator Matthias Flaccus Illyricus Magdeburgenſium Centuriatorum primipilus an. 1571., ſed nedum propter vitioſitatem Codicis, quo ipſe uſus eſt, verum & ex propria malitia hanc ſuam editionem perverſis dogmatis, horrendis conviciis, & calumniis in Sanctam Eccleſiam Catholicam, & S. Bonifacium Epiſcopum Moguntinum, ac Martyrem reſperſam perfidus hæreticus fœdavit, ut merito eam obliterandam, & nigro theta damnatam pronunciaverit laudatus Lambecius, qui & ipſum Otfridum ab omni Illyricianæ pravitatis labe immunem, & catholicum fuiſſe vindicat. Ipſius porro Otfridi Præfationes ad dictum Evangeliorum librum, Symbolum Apoſtolicum, orationem Dominicam, & fidei profeſſionem, Sacramque antiquam confeſſionem, & exhortationem ad Plebem Chriſtianam, aliaque id genus, veteri lingua Francica, ſeu Theotiſca ab ipſo conſcriptas cum nova verſione latina, non longe ab Illyriciana diſſimili nuper edidit Diedericus Van-Stade Stadæ Ducatus Bremenſis an. 1708. hoc titulo: *Specimen lectionum antiquarum Francicarum ex Otfridi Monachi Wizeburgenſis libris Evangeliorum, aliiſque Eccleſiæ Chriſtianæ veteris monumentis antiquiſſimis collectum cum interpretatione Latina &c.* Quæ Latina Verſio an legitima, ac genuina ſit juxta ipſius Otfridi genuinum ſenſum, judicent alii; nam ex Joanne Trithemio Abbate Spanheimenſi viro eruditiſſimo, quem profecto Theutonicam, ſeu Germanicam linguam apprime calluiſſe diffitendum non eſt, tum in libro de Scriptoribus Eccleſ., tum in Catalogo Viror. Illuſtr. Germaniæ, in Otfrido diſcimus, quod *ea, quæ* (ipſe Otfridus) *patrio ſermone* (ſeu Teutonica noſtra lingua, ut in opere ſecundo indicat) *non facile noſtra ætate legi, & intelligi poſſunt, etiam ab homine quantumcumque Teutonicæ Linguæ perito, quippe cum ſermo ille regulatus a noſtro plus differat, quam Hetruſcus a Latino*: Quomodo ergo Illyricus, & Vanſtadius Trithemii ævo longe poſteriores tam facile interpretari potuerunt, quod nec ille, nec ipſe auſus eſt Lambecius, qui ſolum, purumque Otfridi textum Theotiſcum, ſeu Francicum antiquum exſcripſit? Idem profecto judices de Rhabani Mauri, Notkeri Sangallenſis, & Willerami Uſpergenſis Abbatum, aliorumque illius ſeculi Germanorum Scriptorum Opuſculis primæva eorum lingua Theotiſca compoſitis.

Ejus lingua Theotiſca vetus, ſeu Teutonica nec a viris doctis percepta.

Hanc meam, utcumque opinionem confirmo ex Juſti Lipſii magnæ doctrinæ viri ab Emin. noſtro, & Eruditis omnibus appellati, in Epiſtola ad Henricum Schottium, quæ Centuriæ tertiæ ad Belgas quadrageſima quarta eſt, ubi de Otfridi Germanica Pſalterii interpretatione. *Appello*, inquit, *ad libros majorum ævo ſcriptos, multa veteris Germanicæ linguæ vocabula deſita, multa obſcura, nec niſi conjecturis indaganda*: Dein poſt pauca: *habes, quod ſufficiat in ſpecimen, & dic ſodes pleraque omnia, quam a ſermone hodierno divertunt? verba plura ignota, ac deſita, ipſæ terminationes, caſus, & conjugationes differentes. Illud vide quanta ab annis circiter ſeptingentis mutatio, quid igitur ab alteris, alteriſque illis fuit? erat enim, qui in re inſtabili maxime, ideſt lingua, quærit firmitatem*: Hæc Lipſius cui adſtipulantur Conradus Geſnerus in Mithridate, ſeu libro de Migrationibus Gentium, Melchior Goldaſtus in Syntagmate rerum Alemann. & alibi, Bonaventura Vulcanius in libro de Literis, & lingua Gothorum, Paulus Merula in notis ad Wilerami Abbatis antiquam Theotiſcam Paraphraſim in Cantica Cantic. aliique, inter quos rei antiquariæ ſtudioſiſſimus Vitus Amerpachius Præfat. ſeu Epiſtola dedicatoria

ad

ad Carolum V. Imper. de Conſtitutionibus Caroli Magni a ſe primo editis anno 1655. Ingolſtadii, in qua de ipſis Caroli Magni Capitularibus ita barbare ſcriptis, quæ in Cœnobio Tegernſenſi invenit, ſic ait: *Præterquam quod in ſcripturæ inſolentia tantum non oportuit me aliquando repueraſcere, hoc eſt litterarum, & ſyllabarum formulas, aut conferendo, aut divinando diſcere, cogitandum fuit de ſenſu, & examinanda fuere multa vocabula non minore ſtudio, quam olim in oraculis, aut in ænigmatis examinari ſolent*: Plura alia ſubdit, quibus *in tanta*, ut ait, *vetuſtate morum, & ſermonis Germanici* ſe pro certo identidem aberraſſe in ea lingua interpretanda ſincere profitetur. His optime conſideratis quam temeraria profecto fuerit Illyrici, & Vanſtadii audacia facile quiſque dignoſcet, qui quod tam illuſtres & ex Germanis doctiores viri ſe aſſequi non potuiſſe ingenue profeſſi ſunt, iſti ſe conſecutos confidenter pronuntiant. Porro ſupradictam Theotiſcam Otfridi linguam, qua eadem uſi ſunt cum Carolo Magno, primæ, ac ſecundæ ſtirpis Francorum Reges, uti teſtantur Trithemius loco ſupra indicato, & Dufreſnius in Gloſſario Med. & inf. Latin. verbo *Theotiſci*, longe ſatis diverſam ab hodierna fuiſſe pluribus probant *Freherus* ad formulam fœderis Ludovici Germaniæ, & Caroli Galliæ, Regum Ludovici Pii filiorum, & Brovverus in apparatu ad Annales Trevirenſes cap. 10. num. 14. ex capit. 19. Capitul. Caroli Magni hac lingua imperante dicto Ludovico Pio exarato. Atque hæc de antiqua Francica lingua occaſione Otfridiani Evangeliorum Codicis dicta ſint.

Cum eadem valde diverſa ſit ab hodierna.

(8) *Vulgares hodiernæ exortæ ſunt*) Sane id evidens per ſeſe, ac manifeſtum eſt, ut diſerte Carolus Dufreſnius in Præf. ad ſuum Gloſſarium mox laudatum num. 1. cum modo non ſit invenire quænam fuerint Pœnorum, Phœnicum, Gallorum, Germanorum, Britannorum, Hiſpanorum, aliarumque Gentium linguæ, quarum nulla, vel certe pauciſſima ſuperſunt veſtigia, ita ut non eædem, quæ prius, ſed diverſæ prorſus eſſe videantur. Quis enim Italos, Gallos, & Hiſpanos latine umquam loquutos ſibi perſuaſerit ex hodiernis eorum linguis, quæ latinam, ut matrem agnoſcunt, & a qua originem ducunt? *Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas*: Virg. Æneid. 3. Idipſum porro in linguis accidiſſe quis inficiari audeat (ſubdit Anglus Scriptor Thomas Smith. lib. 1. de Linguæ Græcæ pronunciat.) nonne enim tres illas præſtantiſſimas Latinam, Græcam, & Hebraicam injuria temporis tamquam Saturni edacitate vorſas, atque conſumptas videmus, ut ubi maxime illæ frequentarentur olim a vulgo, ibi hodie ne intelligantur quidem? Legendi hac de re Voſſius in Præfat. ad ſuum librum de vitiis ſermonis, Carolus Dufreſnius ut ſupra, præcipue num. 29. 30. 31. & ſeq. Henr. Card. Noriſius in ſuis Cænotaphiis Piſanis Diſſert. 4. ubi quantum puritas Latinæ Linguæ extra Urbem maxime ab Auguſtæa ætate defecerit, eximie probat. Unus pro mille ſit Seneca, quem alicubi ſic legiſſe memini: *Vix inveniri*, ait, *ullam Terram, quam indigenæ colant, permixta omnia, & inſititia eſſe, exterorumque converſatione ſermonem a patrio defeciſſe*.

Veteres linguæ vulgares pene deperditæ.

(9) *Non intelligimus priſcos Hiſpaniæ characteres &c.*) Veteres Hiſpaniæ nummos, tum æneos, tum argenteos rudioris alias operis ignotis ut plurimum litteris ſignatos inveniri teſtatur rei antiquariæ hujuſmodi petiſſimus Ezechiel Spanhemius in ſua erudita Diſſertatione de præſtantia, & uſu Numiſmatum pag. 56. ac de iis dignoſcendis, eorumque characteribus intelligendis non una eſt Antiquariorum ſententia. Antonius Auguſtinus Dial. 6. præter Punicos, & Gothicos Hiſpaniæ nummos aliquot ex iis veteri patriæ linguæ charactere exaratos credidit: Olaus Wormius diverſam amplexatus ſententiam eoſdem a Gothis in Hiſpania ſignatos, & clara litteraturæ Gothicæ, vel Runicæ argumenta præferre exiſtimat Litt. Runic. cap. 10. At rurſus eruditi viri, qui mox elapſo ſæculo in illuſtrandis nummis patriis verſati, Muſæi ſcilicet Hiſpanici Editores Antonii Auguſtini prementes veſtigia, omnes id genus peregrinis, aut barbaris litteris inſculptos priſcis Hiſpanicis adnumerant. Ipſe Spanhemius aliquot ex iis ad Punicos veteres Hiſpaniæ nummos, pleroſque vero rudiores ad Gothicos ejuſdem Regnorum tractus referre conſultius autumat. Iidem porro quid indicent, aut ſignificent, non explicant, ſed tantum divinando alia aliter ſentientibus de obſcuris, & ignotis obſcuriſſime differunt.

Hiſpaniæ characteris antiquior non intellecti.

(10) *Nec ſcimus, quid dicat Pœnulus apud Plautum*) Pœnulus, ſive Pœnolus Plauti, qui & Patruus, & Phagon dicitur apud Joannem Alb. Fabricium in ſua Biblioth. Latina Tom. 1. in Plauto nu. 15. varie a variis exponitur; ſed an ab aliquo Punica verba in hoc dramate occurrentia recte juxta Plauti ipſius mentem explanata ſint, incertum. Eadem vocabula parum a puritate Hebraiſmi abeſſe affirmat Joſeph Scaliger Epiſt. 362., & Hebraicis litteris in ſua Plauti editione deſcripſit Paræus. Sane Afram, & Hebream, linguas vicinas fuiſſe oſtendit Voſſius lib. 3. de Arte Grammat. ſive de Analogia lib. 1. cap. 20. in fine ex Auguſtino in Quæſtionibus Evangelii; ſed an eadem dialecto, & ſignificatione verborum uterentur, ignotum eſt. Eadem etiam quomodocumque illuſtrarunt dictus Scaliger ad fragmenta Græcorum pag. 32. Salmaſius Epiſt. 18. Reineſius de Lingua Punica, ſed maxime Sam. Petitus lib. 3. Miſcell. cap. 1. 2. 3. ſelicius Bochartus in Chanaan lib. 6. Jo. Clericus Tom. 9. Biblioth. univerſ. pag. 256. rhytmos eſſe putat, & ante ipſum Jo. Seldenus Prolegom. de Diis Syris cap. 2. Porro de Punicis in Plauti Pœnolo differuerunt Iſaacus Caſaubonus apud Wolphium in Caſaubonianis pag. 121. Athanaſius Kircherius in Prodromo Copto pag. 179. Bernardus Aldrete in antiquitatibus Africæ, & Hiſpaniæ Hiſpanica lingua vulgatis pag. 107. aliique plures.

Quid Pœnulus apud Plautum ſignificet, ignotum.

(11) *Aut Gallus in Italia ſacris operari*) Sunt & aliæ rationes bene multæ, & graves propter quas ita fieri magis expedit, quas videre eſt apud Guilielmum Eſtium in Epiſtolam Pauli ad Corinth. I. c. 11. v. 14. Joan. Bapt. de Bertis Sacrif. Miſſæ Reſol. mor. quæſt. 7. dub. 4. pag. 159. & apud ſupra laudatum Caſalium

de Vet. Chriſtian. Rit. loco citato, atque infra forte referentur in propria de hac re Diſſertatione.

(12) *Eo ſemper celebrentur, licet populo ignotum ſit*) Nonnullæ extant hac de re Eccleſiaſticæ ſanctiones, præ cæteris Concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 8. can. 9. quibus præcipitur, ut *retento ubique cujuſque Eccleſiæ antiquo, & a S. Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum matre, & magiſtra probato Ritu Miſſa vulgari paſſim lingua non celebretur, & ſi quis contrarium dixerit, anathema ſit*. Porro de Miſſa, aut Sacra Scriptura vulgari lingua non legendis extant plurium eruditorum virorum doctiſſimæ lucubrationes, quas omnes ſimul in unum collectas elapſo ſæculo juſſu Cleri Gallicani edidit Pariſiis Antonius Vitrè an. 1661., quibus inſuper quam ſapientiſſime ab Eccleſia ita definitum fuerit, abunde confirmatur.

(13) *Carmina Saliorum vix Sacerdotibus &c.*) Salii Sacerdotes Martis ſic dicti, quod in portandis ancilibus ſaltare ipſis mos eſſet. Hos Numa inſtituit, & duodecim Marti Gradivo legit, tunicæque pictæ inſigne dedit, & ſuper tunicam æneum pectori tegmen, cæleſtiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre, ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis ſolemnique ſaltatu juſſit, ut narrat Livius lib. 1. Horum Saliorum carmina jam Horatii ævo obſoleta, vixque a quoquam intellecta fuiſſe ipſe teſtatur Epiſt. lib. 2. Ep. 1. v. 86. ubi ita habet. *Saliorum carmina olim vix ipſis Sacerdotibus intellecta.*

Jam ſaliare Numæ carmen qui laudat, & illud,
Quod mecum ignorat, ſolus vult ſcire videri.

Porro de Saliis, & eorum carminibus, vide Meurſium parte 2. Exercit. Crit. pag. 105. & nuperum Authorem Th. Guthberletum libro peculiari de Saliis cap. 19. & 26.

CAP. VI.

Diverſas Eccleſiarum conſuetudines in Miſſæ celebratione olim fuiſſe, & nunc eſſe. Quæ ſit earum cauſa & origo. Sacrificium idem ubique quo ad eſſentiam. Varios ritus fidei unitatem non lædere. Quid peccatum in hoc genere.

§. I.

Diverſas Eccleſiarum conſuetudines in Miſſæ celebratione olim fuiſſe, & nunc eſſe.

Miſſæ orationes, & cæremoniæ ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus inſtitutæ.

Miſſæ inſtitutio ita ad Chriſtum referenda eſt, ut ipſum ejus Auctorem agnoſcamus quo ad eſſentiam, quæ mutari non poteſt; cætera vero, quæ ad Preces, & Ritus, & cæremonias pertinent, & quæ paraſcevaſtica, & acceſſoria, ac veluti parérga ſunt, ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus conſtituta fateamur. Huc enim pertinent Apoſtoli verba ad Corinthios, *Cætera, cum venero, diſponam*, ut docet Auguſtinus hunc locum tractans Ep. 118. ad Januarium: *Unde*, inquit, *intelligi datur, quia multum erat, ut in Epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per Orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur*. (1) Sunt igitur quædam in omnibus Liturgiis, in quibus omnes Eccleſiæ conveniunt, utpote ſine quibus Sacrificii ratio nullo modo ſubſiſteret; cujuſmodi ſunt Panis, & Vini præparatio, Oblatio, Conſecratio, Conſummatio, & ipſius Sacramenti communicare volentibus diſtributio. (2) Aliæ item præcipuæ partes ſunt, quæ licet ad Sacrificii integritatem non ſpectent; in omnibus tamen omnium gentium Liturgiis reperiuntur, Pſalmorum ſcilicet modulatio, lectio ſacræ Scripturæ, Miniſtrorum apparatus, thurificatio, Catechumenorum & aliorum profanorum excluſio, Precatio pacis, Preces diverſæ, Gratiarum actio, & ſi quæ alia ſunt ejuſdem generis. Modus autem & ritus, quibus hæc omnia peraguntur, verba quibus preces concipiuntur, Ordo cæremoniarum, & reliqua minoris momenti diverſis Eccleſiis diverſa, & peculiaria ſunt: nec ita ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris inſtituta fuerunt, ut perpetua forent, & immutabilia. Ideo in illis varietates apparent, & mutationes, quæ unitatem Eccleſiæ non ſcindunt, nec Fideles offendunt. Narrat Auguſtinus Ep. 118. (ſeu ex nov. ord. 54.) ſibi dubitanti de variis Eccleſiarum obſervationibus dixiſſe Ambroſium, *Ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi*.

(1) (2)

Ritus, & modus celebrandi Miſſam, quo ſcilicet ordine, ac precibus, non ita ab initio inſtituti, ut ubique perpetui forent, & immutabiles.

tibi. Idem Ep. 86. (ſeu noviſs. edit. 36.) *In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Divina Scriptura, mos populi Dei, vel inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt: de quibus, ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio*. Hieronymus Epiſt. 28. ad Lucinium, *Illud te breviter admonendum puto traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſervandas ut a majoribus traditæ ſunt: nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubverti*. Nicolaus I. Ep. 2. ad Photium, *De conſuetudinibus, quas nobis opponere viſi eſtis ſcribentes per diverſas Eccleſias diverſas eſſe conſuetudines, ſi illis canonica non obſiſtit auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus, vel eis reſiſtimus*. (3) Fulbertus (3)
Carnotenſis Ep. 2. ad Finardum: *Plura ſunt in Eccleſiaſticis officiis, in quibus Orientales Eccleſiæ, & noſtræ communi obſervatione ſibi reſpondent: ſunt vero alia, in quibus alias ab aliis cultu diſpari, & varia obſervatione audivimus diſſonare. Nec tamen nos offendit obſervantiæ diverſitas, ubi fidei non ſcinditur unitas*. Ernulfus Roffenſis Epiſcopus Ep. 2. Tom. 2. Spicilegii edita, Chriſtum ait docuiſſe quæ facienda erant, ſed non præfixiſſe modum, quo fieri deberent. Tum ſubdit. *Hinc eſſe videtur quod ait*, Hoc facite in meam commemorationem: *Non ait, hoc modo facite. Unde nonnulla Chriſtianæ Religionis inſtituta eum in Eccleſiæ naſcentis initio ſuæ modum originis accepere, quem in progreſſu ejuſdem credentis propter quaſdam rationabiles cauſas non diu tenuere*. Eodem tomo Spicilegii, quod vir eruditiſſimus Lucas Dacherius Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri de re literaria optime meritus, ex veterum monumentis, e ſitu Bibliothecarum erutis ſumma cura & judicio in plures Tomos diſtinctum edidit; extat Tractatus Ratramni Monachi Corbejenſis contra Græcorum oppoſita, qui lib. 4. multa diffuſe congerit, ut oſtendat mutari ſubinde ſalva Fide conſuetudines, eaſque in diverſis Eccleſiis diverſas eſſe. Gregorius Protoſyncellus adverſus Marcum Epheſinum apud Leonem Allatium de Synodo Photiana pag. 531. *In ritibus*, inquit, *Eccleſiaſticis conſuetudo eſt varia. Nam Conſtantinopolitana major Eccleſia in celebrandis officiis alio more utitur, alio vero majora Monaſteria, alio minora ad quietem accommodata, denique alia Sacerdotum ſecularium Eccleſiæ. Quin Tabennefiotæ in uno eodemque cœnobio varios jejunandi, pſallendique modos habebant, aliis per biduum jejunantibus, aliis per hebdomadam: & his quidem ad veſperam, illis vero de media nocte ſacros hymnos canentibus: quod fiebat etiam in Monaſterio Acœmetorum*. Alia de hac rituum diverſitate Græcorum teſtimonia idem Allatius affert in Hottingero convicto *cap.* 3. & *lib.* 3. *de perpetua conſenſione Eccleſiæ Occid. & Orient. cap.* 13. & 14. (4) Aſſerit Sozomenus *lib.* 7. *c.* 19. neminem poſſe eaſdem traditiones (4)
per omnia ſimiles in omnibus Eccleſiis reperire, quamvis inter ſe conſentiant. (5) Cui Socrates ſuffragatur *lib.* 5. *cap.* 21. dicens cujuſque religionis (5)
varios eſſe ritus, licet in eadem fide conſentiant. Ut enim docte Bernardus ait *Ep.* 77. ad Hugonem Victorinum, *Ibi unuſquiſque in ſuo ſenſu ſecurus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnende auctoritati, quod ſentitur, non obviat*. Tertullianus denique his omnibus antiquior initio libri de Velandis Virginibus, *Regula fidei*, inquit, *una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis. Cætera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem*. (6) (6)

(1) *Quod nullo morum diverſitate variatur*) Et ante Auguſtinum Sanctus Clemens I. Papa Epiſt. ad Corinth. num. 40. apud P. Couſtantium Epiſt. Rom. Pontif. ita ait: *Cum ergo hæc nobis manifeſta ſint, etiam in divinæ cognitionis profunda inſpicientes cuncta ordine debemus facere, quæ nos Dominus juſſit peragere ſtatutis temporibus, oblationes, & officia perfici; neque temere, vel inordinate fieri præcepit, ſed præfinitis temporibus, & horis, ubi etiam & a quibus celebrari vult ipſe excelſiſſima ſua voluntate definivit, ut religioſe omnia ſecundum beneplacitum facto accepta eſſent voluntati ejus. Qui ergo aſſignatis temporibus oblationes ſuas faciunt, accepti,* *Licet etiam ab initio omnia ordinate facta fuerint.*

Institutа hujusmodi Ecclesiastica ab Apostolis tradita ex SS. Patribus.

accepti, & beati sunt. Quibus verbis jam ab initio omnia ordinate fieri, statutis scilicet ritibus, cæremoniis, ac temporibus perspicue demonstrat. Instituta etiam hujusmodi Ecclesiastica ab Apostolis tradita asserit alter Romanus Pontifex Innocentius I. in celebri Epistola ad Decentium, de qua infra Emin. Author §. 3. quibus additipulatur Vigilius item. Papa Epist. ad Profuturum, de qua cap. Sequenti ubi ait: *Textum directimus subter adjectum, quem Deo propitio ex Apostolica traditione accepimus*: sed omnium antiquissimus Tertullianus plerisque in locis id testatur, & primo lib. de Corona Mil. circa initium: *Harum, & aliarum hujusmodi disciplinarum*, inquit, *si legem expostulues Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi prætenderetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Rationem traditionis, & consuetudinis, & fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit, disces*: Et paulo post: *Si nulla Scriptura determinavit, certe consuetudo roboravit, quæ sine dubio de traditione manavit*: Quæ autem traditio hæc erit a Tertulliano indicata, nisi Apostolica? hancque ipsam esse multis exemplis ibidem probat. Item lib. 4. adverſ. Marcionem cap. 5. *In summa si constat id verius, id prius, quod ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis, pariter utique constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerat sanctum.* Hinc Augustinus, sive, ut alii volunt, Gennadius lib. de Eccl. Rom. cap. 31. *Observationum quoque Sacerdotalium Sacramenta inspiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Ecclesia uniformiter celebrantur.* Et sane id satis exprimunt, quæ etiam minutissima, quoad veterum Rituum, & cæremoniarum ordinem leguntur in Dionysii Areopagitæ libris, & Clementis Constitutionibus Apostolicis, ubi quam exacte, distincte, ac religiose primitivæ Ecclesiæ sacra mysteria, ac Divinæ Liturgiæ tunc peractæ disciplinam profequantur, vix dici potest; & licet a pluribus nostri temporis eruditis eorum Opera præsata pro suspectis habeantur, nihilominus extra controversiam est, quæ in memoratis libris describuntur, doctrinam esse, & observantiam trium priorum Ecclesiæ Sæculorum, uti plenius infra dicetur cap. 8. §. 4. num. 4. & 5. atque cap. 9. §. 8. num. 4.

Quibus, aliisque veterum Scriptorum monumentis permoti Tridentini Patres sess. 22. c. 5. de Sacrificio Missæ juremerito cæremonias ab Ecclesia adhibitas ex Apostolica disciplina, & traditione fluxisse decreverunt. Huic catholicæ veritati neque ipsi refragantur Hæretici, si saltem, qui inter ipsos minus aversi, & sinceriores sunt, e quibus Ernestus Grabbe jam supra a nobis commemoratus in notis ad Irenæum loco ibi citato, quem etiam noviſſime refert R. P. D. Cajetanus Meratus Commen. in Gavantum Prælim. num. 12. pag. 28. „ Ilos, inquit, qui in omnibus istis Liturgiis „ (Apostolicis nempe, de quibus loquitur) „ exprimuntur, quique jam olim ubique inter „ sacra mysteria usitati fuerunt Ritus ex Apostolica traditione fluxisse; Ecclesias enim „ ab Apostolis institutas formam aliquam, & „ Ritum offerendi Sacrificium, cui tam arcta sit, & præcipua cum Religione connexio, non accepisse, quis sanus sibi persuadeat? Non quod tamen Liturgias omnes „ Apostolicas iis, quorum nomine insigniuntur, adjudicare velim. Sufficiat Liturgiarum antiquiorum, si non Scriptores, saltem primos authores fuisse Apostolos „ Hæc Ernestus Grabbe, cui succinit Hugo Grotius voto pro pace Eccl. pag. 670. de Missa. „ Consensus, ait, Liturgiarum per omnia loca, ac tempora in precibus illis, ut Deus dona per Spiritum suum sanctificet, eaque faciat Corpus, & Sanguinem Christi, me dubitare non sinunt, venire hoc a prima Apostolorum institutione. Ex ipsorum igitur Hæreticorum testimonio perspicuum est Sacros Ecclesiæ Ritus, & Cæremonias ab Apostolis, eorumque successoribus ad nos fluxisse.

Ritum, & formam ofcirendi Sacrificii ab Apostolica traditione derivari, nonnulli ex Sectariis fatentur.

(2) *Communicare volentibus distributio.*) Ex his Cardinalis verbis non benc juxta ipsius sensum intellectis nonnulli sive plus justo Critici, sive nimium scrupulosi, qui omnia rigore, ut dicitur, metaphysico intelligenda judicant, non leve nuper argumentum desumi autumarunt affirmandi, quod si Eucharistiæ communicare volentibus distributio ex iis est, sine quibus Sacrificii ratio nullo modo subsisteret, fidelium, si dispositi sint, in Missa communio, de jure Divino facienda inde consurgat; ac proinde Sacerdotes illam digne petentibus negantes, Superiores item Ecclesiasticos extra casum publici demeriti eamdem prohibentes graviter peccare. Hanc opinionem præ cæteris tribus circiter abhinc annis quidam Ecclesiæ Cremensis Presbyter, occasione emanatæ cujusdam inhibitionis, ne Sacerdotes in privilegiato quodam altari, ubi frequens est quotidie Missarum numerus, celebrantes communicarent fideles Eucharistiam petentes, nedum dictis, sed & scripto firmavit; cui hac in parte assentientes Monachi Collegiales Benedictini S. Xisti Placentiæ in nuperis suis Thesibus Critico-dogmaticis de authoritate & vero usu SS. Patrum nonnullis abhinc annis ibidem editis anno scilicet 1742. §. 13. num. 2. expostuerunt *Sacerdotem sub gravi teneri ad Eucharistiæ distributionem, quando adsint fideles digne dispositi, qui juxta Tridentini Concilii votum eamdem sacramentaliter sumere volunt.* Quæ asserta non adeo ex Cardinalis mente concepta, cum ad trutinam Theologicam vocanda, fuisque justis pendenda momentis peculiarem exigant Dissertationem; hanc propterea cum cæteris dabimus, suo loco ponendam.

Ritum tamen varietate non scindi eadem testantur Græci, inter quos Photius.

(3) *Nihil judicamus, vel eis refsiimus*) Fatetur id vel ipse Photius Græcorum omnium vaferrimus Epist. 1. ad eumdem Nicolaum Papam apud Baronium an. 861. edit. Vatic. pag. 210. „ Nam revera, ait, communia sunt „ omnibus, quæ omnes custodire necesse est, „ & ante alia, quæ de fide debemus, ubi vel „ paulum declinare est mortifero se piaculo „ obstringere, quædam propriæ alios consequuntur, quorum prætermissio eis multam „ affert, quibus illa tenenda data sunt; qui „ vero non acceperunt, hi propterea quod „ non observavcrint, minime condemnantur. „ Et quæ Occumenicis, & communibus præcepta

„ cepta ſunt ſuffragiis, convenit ab omnibus „ cuſtodiri; quæ vero Patrum aliquis expo„ ſuit, vel auctoralis definivit Synodus, eo„ rum, qui ſervant, non efficit ſuperſtitioſam „ mentem, qui autem non acceperunt, ea„ „ præterire ſine periculo poſſunt. Sic &c. „ Cumque plura ad hanc rem protulerit exempla, paulo poſt ſubdit „. Et quidem inter hæc „ quantum intereſt, aliæ enim in unoquoque „ ordine, & gradu orationes, aliæ cæremo„ niæ, alia item miniſteria, aliæ & obſerva„ tiones temporum, & morum probationes. „ Verum quod quis in legis loco non acce„ pit, ejus non obſervati defenſionem hanc „ objiciens, quod non receperit, ab eo ratio „ nulla poſcetur (Deinde concludit) ita ubi „ nulla eſt prævaricatio fidei, nec communis, „ & Catholici decreti everſio, cum alii apud „ alios mores, & leges cuſtodiantur, nec cu„ ſtodes injuſte agere, nec eos, qui non ac„ ceperunt, contra legem facere, is qui recte „ judicare norit, definiat. Hæc ſubdolus Photius, qui utinam ad ſupradicta, quæ ſcripſit, attendiſſet, non enim diro, ac diuturno ſchiſmate Romanam, & Occidentalem Eccleſiam, non tam ob aliquot fidei Catholicæ capita, quibus ab eadem impius defecit, quam ob diſcrepantes illius Eccleſiæ ab Orientalii Ritus, & cæremonias, quæ ad diſciplinam tantum, non ad fidem pertinent, exagitaſſet.

Sed huic fidei ſubleſtæ homini, ac mendaci Græco alium ejuſdem nationis rituſque virum, fidei tamen puritate, animi ſinceritate, vitæ ſanctimonia, morumque religione, ac ſanioris conſilii Monachum longe illo præſtantem, qui in eumdem pene ſenſum conſpirans ob Rituum varietatem a Latina Eccleſia numquam diſſenſit, adjungamus. Is eſt S. Nilus junior eximiæ ſanctitatis Hegumenus, ideſt Abbas, quamquam, ut diximus, Ritibus Græcanicis addictus, Photio quidem ætate, & doctrina poſterior, ſed fide potior, virtute melior, religione, ac pietate præſtantior, & vera Sanctorum ſcientia inſtructior. Hic igitur e Græcia Montem Caſinum veniens circa an. 980. ibi quindecim cum exegiſſet annos, uti ejus teſtantur acta a contubernali ejus diſcipulo græce ſcripta, a Joanne Matthæo Caryophilo Iconienſi Archiep. latine reddita apud Baronium ad dictum annum, & Lucam Dacherium in Actis SS. Ord. S. Benedicti ſæc. V. pag. 647. interrogatus aliquando a Monachis dicti Caſinenſis Monaſterii de variis Orientalis Eccleſiæ Ritibus ab Occidentali diſcrepantibus, præ cæteris de jejunio ſabbati, in quo Græci a Latinis diſcrepant, prudentiſſime reſpondit, dicens. „ Qui manducat, non man„ ducantem non ſpernat, & qui non mandu„ cat, manducantem non judicet, Deus enim „ utroſque aſſumpſit: Tu autem, quare judi„ cas fratrem tuum? Sive igitur comedimus „ nos, ſive jejunatis vos, omnia in Dei glo„ riam agimus. Quod ſi adhuc reprehenditis, „ quod Sabbato non jejunamus, cavete ne „ Sanctis Patribus adverſari videamini Eccle„ ſiæ columnis Athanaſio, Baſilio, Gregorio, „ & Joanni Chryſoſtomo, aliiſque innume„ ris, & ſacris Conciliis, a quibus quod non „ obſervatum, nec etiam lege cautum eſt. „ Quin etiam Ambroſio Doctori veſtro, de „ quo legitur in ejus vita tota hebdomada je„ junare ſolitum, excepiſſe Sabbatum, & diem „ Dominicum. Ego vero nec ipſum S. Sil„ veſtrum arbitror jejunium hoc ſanxiſſe præ„ ter conſuetudinem Sanctorum Patrum &c. Deinde poſt alia hujuſmodi reſponſa ſcite concludit. „ Et nos igitur bene facimus non je„ junantes in deteſtationem abominabilium „ Manichæorum eo die lugentium, & calum„ niantium vetus Teſtamentum, quaſi a Deo „ non datum, non tamen abſtinemus ab ope„ ribus, ne ſimus ſimiles interfectoribus im„ piis Judæis. Et vos neceſſario jejunatis præ„ purgantes vos ad Sanctum Reſurrectionis „ diem „ ſubdit poſtea ejus vitæ Scriptor. „ His, & pluribus aliis Monachi (Caſina„ tes) utilitatem, & voluptatem capientes „ omnes ſtupebant, & mirabantur in verbis „ gratiæ, quæ procedebant de ore ejus „. Ita ex ſcientia Sanctorum prudentia, qua imbutus erat Nilus, diſſeruit de jejuniis, aliiſque cæremoniis ſecundum rirum diverſarum Eccleſiarum diverſo modo peragendis cuſtodita ſemper perpetua charitate in vinculo pacis.

S. Nilus Junior, Abbas.

Et quidem optime, Rituum quippe diverſitas non ſcindit Eccleſiam, uti hodierni blaterones effutiunt Græci, cumque iis Sectarii, qui hanc Romanis novitatem impingunt. Idem expreſſe etiam profitetur Græcus alter ſeculo XII. in Orientali Eccleſia magni nominis vir Baſilius Acridenus Archiepiſcopus Theſſalonicæ in reſponſione ad Hadriani IV. Papæ Epiſtolam circa an. 1155. ſcriptam de pace inter utramque Eccleſiam concilianda apud Baronium, & Spondanum dicto anno, cui reſpondit Baſilius, facile coaleſcere poſſe unitatem, ſiquidem nulla erat de ſumma fidei diſſenſio, neque ſe minime abſciſſum ab Eccleſiæ Catholicæ unitate proteſtatur, licet quibuſdam Ritibus diſcreparet ab Occidentali Orientalis Eccleſia, quemadmodum id ipſum Petrus Abbas Cluniacenſis ad S. Bernardum, & ad Eugenium III. ipſe Melliſluus Doctor, confeſſi ſunt, ac penes doctos, & Catholicæ Fidei ſtudioſos Græcorum Antiſtites perſuaſiſſimum ſemper fuit. Sed cum regimen Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ imperiti, refractarii, ut ait Spondanus loco citato, nugaces, gloriæ Latinorum æmuli ſuſcepere; iidem ex diverſitate Rituum, doctrinæ quoque varietatem æſtimantes, hoſtes implacabiles effecti, perſecutionem adverſus Latinos excitare numquam deſtiterunt. Sed de his iterum infra §. 3. nota 5. & 6.

Baſilius Acridenus, aliique.

(4) *Eccl. Occid., & Orient. cap. 13. & 14.*) Rituum, & cæremoniarum diſcrepantiam hujuſmodi plurium olim nationum, & Eccleſiarum nedum ab Eccleſia Romana, ſed & inter ſe, neque tantum inter Græcos, verum & inter Latinos erudite deſcribit, pluraque ad id rei congerit Joannes Baptiſta Caſalius de vet. Sac. Chriſt. Ritibus cap. 9. pag. 91. & ſeq. ad quem Lectorem mitto.

(5) *Quamvis inter ſe conſentiant*) Subdit hoc loco Valeſius in notis ad Sozomenum; duplicem enim notat differentiam, quod neque eædem eſſent ubique preces, & Lectiones, neque eodem tempore fierent apud omnes.

(6) Cæ-

Quia quæ ad disciplinam tantum, non ad fidem pertinent, admittunt varietatem.

(6) *Cætera jam disciplinæ ..... admittunt novitatem*) Idem Tertullianus ibi cap. 2. *non poſſumus*, inquit, *reſpuere conſuetudinem, quam damnare non poſſumus, utpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus communicamus jus pacis, & nomen fraternitatis. Una nobis cum illis fides &c.* Tertulliano adjungi poteſt alter ferme coævus, Firmilianus nempe Cæſarienſis Epiſcopus in Epiſt ad Cyprianum 75. edit. Pamel. ubi ait: *Scire quis etiam inde poteſt, quod circa celebrandos dies feſtos Paſchæ, & circa alia divinæ rei Sacramenta videat eſſe apud illos* (Romanos intelligit) *aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur. Secundum quod in cæteris quoque Provinciis multa pro locorum, & nominum diverſitate variantur, nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace, atque unitate aliquando diſceſſum eſt*: Item S. Irenæus Epiſt. ad Victorem I. Papam, ubi loquens de varia variis in locis in jejunio obſervando conſuetudine ſic habet: *atque hæc quidem in obſervando jejunio varietas non noſtra primum ætate nata eſt, ſed longe antea ſub majoribus noſtris, qui negligentius, ut verisimiliter eſt, traditum morem tenentes ex ſimplicitate, & imperitia induxerunt conſuetudinem, quam poſtmodum tranſmiſerunt. Nihilominus pacem & iſti inter ſe retinuerunt, & nos invicem retinemus, ac jejunandi diverſitas conſenſionem fidei commendat*: quod & proſequitur uſque ad finem.

In idem argumentum ita pariter ſubſcribit Auguſtinus ad Caſulanum Presbyterum ſuper jejunii varietate diverſimode pleriſque in Eccleſiis obſervata, reſpondens Epiſt. nunc 36. alias 86. cap. 8. num. 22. ubi hæc ait: *Sit ergo una fides univerſæ, quæ ubique dilatatur, Eccleſiæ, tamquam intus in membris, etiamſi ipſa fidei unitas quibuſdam diverſis obſervationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum eſt, impeditur*: Omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinſecus: *Illæ autem obſervationes, quæ varie celebrantur, in ejus veſte intelliguntur; unde ibi dicitur*, in fimbriis aureis circumamicta varietate. *Sed ea quoque veſtis ita diverſis celebrationibus varietur, ut non adverſis contentionibus diſſipetur*. Hæc Auguſtinus, qui & in fin. cap. 14. idem confirmat his verbis: *Et ideo res quoque iſta* (jejunium ſcilicet diverſimode variis in locis obſervatum) *ſicut aliæ plurimæ, quas enumerare difficile eſt, invenit in veſte illius filiæ Regis, hoc eſt Eccleſiæ, varietatis locum*. Denique magni Ambroſii magiſtri ſui verbis hac deſuper re dictis concludit: *ad quamcumque Eccleſiam veneritis*, ait, *ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere*: Quibus, quæ jam dicta a Tertulliano confirmantur: *unus nobis, & illis fides* (ſubdit cap. 2.) *unus Deus, idem Chriſtus, eadem ſpes, eadem lavacri Sacramenta. Semel dixerim, una Eccleſia ſumus. Ita noſtrum eſt, quodcumque noſtrorum eſt. Cæterum dividis Corpus*: Eccleſiam ſcilicet, ut optime interpretatur Pamelius. Itaque aliud fidei, ſeu Religionis diverſitas, aliud rituum, ſeu veſtis varietas; Fide ſiquidem eadem ſtante, eademque perſeverante ſanctitate una, & eadem ſemper manet Eccleſia non tam ex diverſitate conſuetudinis ſollicitanda, quam miranda potius ex varietate veſtis, qua uti Sponſa Chriſti adſiſtit *Regina a dextris ejus in veſtitu deaurato, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus*: neque enim in conſuetudine poſita eſt, ſed in fide, & charitate firmata, eoque major in his appareat concordia, quo minor fortaſſe in uſibus convenientia; licet enim diſpar ritu, par tamen affectu, & religione, etſi aliter ſervit, non tamen aliter ſentit, nec aliter vivit; *ſemel dixerim*, iterum cum Tertulliano, *una Eccleſia ſumus*, ſub uno inviſibili Capite Jeſu Chriſto Domino noſtro, ſub uno viſibili ejuſdem Vicario in Terris Romano Pontifice, & Petri Succeſſore: *Ita noſtrum eſt quodcumque noſtrorum*.

Conſuetudines ſcilicet, quæ ad Ritum, & ornatum Eccleſiaſticum ſpectant.

Ex his manifeſte colligitur conſuetudines locorum diverſas, quæ mutabiles, & adiaphoræ dicuntur, ſpectantque ad ritum, & ornatum Eccleſiaſticum, poſſe ab Eccleſia variari, ut mox diximus, & item docuit Tertullianus ipſo initio Libri de Corona mil. Hæ vero ſunt quædam adiaphoræ, quædam bonæ, quædam meliores. Quæ meliores conſilii ſunt, quæ bonæ ſunt uſurpandæ, ut ſcite ait doctiſſimus, ac nuperus Scriptor Franc. Dominicus Abbas Bencinius in Regio Taurinenſi Archigymnaſio Sac. Theol. Polem. Lector primarius Diſſert. 2. de Liter. Encycl. c. 5. §. 1. nu. 9. cæteræ autem cum fidei, & Eccleſiaſticæ compagis unitate variari ab unoquoque poſſunt, niſi obſtet præceptum Eccleſiæ, interveniat contemptus, aut detur proxima occaſio ſcandali. Huc pertinent aquæ luſtralis aſperſio, Sanctæ Crucis in fronte ſignatio, ad Orientem inter orandum ſe convertere, aquam baptiſmalem benedictione conſecrare, Dominico die, & quinquaginta poſt Paſcha diebus genua non flectere, ſpeciatim quoad Sacram Liturgiam hoc, vel illo ritu ab Eccleſia approbato Miſſam celebrare v. g. Romano, vel Ambroſiano, ad eamdem communicare, vel extra ipſam, & id genus complura. Quod omne ei rationi innititur, quam tradit Baſilius Magnus ad Amphilochium de Spiritu Sancto cap. 27. Conſuetudines nimirum alias immutabiles eſſe, & divino jure cenſeti, quales ſunt, ut de Liturgicis loquar, ex, quas ſuperius exprimit Emin. Author, & in quibus omnes Eccleſiæ conveniunt, alias humani, & poſitivi eſſe juris, quæ mutabiles authoritate Eccleſiæ, aut more contrario abrogari poſſunt, videlicet longas, & prolixas Pſalmorum, Hymnorum, & vigiliarum preces in Sacrificio adhibere, quotidiana fidelium omnium communio peracta conſecratione, communio ſub utraque ſpecie a Laicis aliquando ſervata, Agape, ſeu convivia communia olim in Eccleſia fieri conſueta, mutuo ſe invicem oſculo ſancto poſt preces ſalutare. Quæ conſuetudines, aliæque ſimiles ad rituum, morumque diſciplinam ſpectantes penſatis rerum, locorum, temporumque circumſtantiis antiquatæ ſunt, & mutari poſſunt ab Eccleſia. De hujuſmodi Eccleſiaſticæ diſciplinæ varietate legendus clar. Lud. Ant. Muratorius in ſuo nuperrimo Opere, quod ſub nomine Lamindi Pritanii inſcripſit de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio, ubi toto cap. XV. hac de re optime diſſerit.

Illi tamen Ritus immutabiles, in quibus omnes Eccleſiæ conveniunt, ſeu legum vero mutabiles.

Nec mirum, quandoquidem mutari poſſunt & ſcriptæ traditiones ab iisdem Eccleſiæ

Quia ex quæ adhuc unitate Traditiones antiquitus obſervatæ.

ſix Paſtoribus etiam aſſiſtente Spiritu Sancto profectæ, qualis eſt illa celebris de abſtinentia a ſanguine, & ſuffocato, quam nullus Chriſtianorum obſervat hodie, & quam olim Apoſtoli Hieroſolymis in Concilio congregati Antiochiæ, & Syriæ fratribus ſervandam ſcripſerunt Act. cap. 15. v. 28. de hac vide Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. ſect. 1. Diſſert. 10. ubi dicta eruditiſſime diſcutitur, & mutabilis probatur, quod & ſupra innuimus ad cap. 4. §. 3. not. 4. circa fin. His & alium addo patriæ Taurinenſis Accademiæ Theologum in notis ad Anonymum de optima legendorum Eccleſiæ Patrum methodo Authorem ibi ex Regia Typographia nuperrime editum pag. 328. „ In hac, inquit, Eccleſiaſticæ diſciplinæ mutatione ſedulo, & accurate diſtinguendi ſunt „ peculiares ritus, & conſuetudines a ſpiritu, „ & fine, quo regitur Eccleſia. Varii quidem fuere ritus, & unus ſemper, idemque „ ſpiritus, variarum quippe conſuetudinum, „ alias circumſtantiarum varietas induxit, ut „ communionem ſub una ſ vel utraque ſpecie; alias remiſſior Chriſtianorum charitas, ſive illorum imbecillitas, ut refectiunculam veſpertinam die jejunii, & pœnitentiæ publicæ abrogationem; alias prudens, & œconomica tolerantia, ut creberrimas diſpenſationes &c. alias demum, quas nec probat, nec patienter tolerat Eccleſia, immiſit peſſima quorumdam indulgentia, ut faciliorem abſolvendi a peccatis conſuetudinem &c. In hiſce tamen omnibus mutationibus uno ſemper, eodemque ſpiritu ducitur Eccleſia, nimirum majoris emolumenti Chriſtianæ Religionis, ſive probans, ſive improbans mutationes. Igitur in Eccleſiaſtica diſciplina Conſuetudines quidem variæ ſunt, & mutabiles, at ſpiritus tamen, quo ducitur Eccleſia in illatum uſu, unus ſemper, idemque eſt „. Hæc ſcite Taurinenſis Doctor. Porro de hac rituum varietate, quæ unitati fidei non obeſt, vide etiam Emin. noſtrum de div. Pſalmodia cap. 18. n. 1. ubi idem eximie oſtendit. His poſitis nil eſt, quod ex rituum aliquot antiquata diſciplina nobis obtrudant Miſoliturgici cenſores, ſed ut amplius obſtruatur os eorum loquentium iniqua, denuo idem argumentum magis, magiſque illuſtrandum proſequimur.

§. II.

Quæ ſit hujuſmodi Rituum varietatis cauſa, & origo. Sacrificium idem ubique quoad eſſentiam. Varios Ritus fidei unitatem non lædere.

Hujuſmodi varietatis cauſa diſpares nationum mores, & ingenia.

CAuſæ vero tantæ rituum varietatis in tanta Fidei unitate hæ fuiſſe videntur. Vel quia diſpares diverſarum Nationum mores & ingenia ſunt, quæ diverſos ritus & cæremonias, ut in rebus politicis, ita etiam in Eccleſiaſticis exigunt: vel quia nullo extante de his Chriſti, vel Apoſtolorum præcepto, libera facultas Epiſcopis (1) relicta eſt id ſentiendi & decernendi, quod unicuique ſalva Fide magis expediens viſum fuit: vel quia ſæviente in Chriſtianos perſecutione, cœtus Epiſcoporum in unum cogi non potuit, in quo communibus ſuffragiis communis forma Sacrificii celebrandi ab omnibus cuſtodienda ſtabiliretur. Diviſis enim Provinciis inter Apoſtolos ad Evangelii prædicationem, credibile eſt unumquemque illorum gentibus, quas fide imbuerant, modum quoque Liturgiæ tradidiſſe ad eorum mores & conſuetudines, quibus ante ſuſceptam fidem vivebant, accommodatum. (1)
(2) Quia vero diſſimiles apud varias Nationes mores ſemper fuerunt, hinc orta rituum diverſitas eſt. Eadem libertate alios item Antiſtites uſos fuiſſe, qui in variis regnis ſucceſſu temporis Evangelium diſſeminarunt, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores docent. Nota eſt Epiſtola Gregorii Magni ad Auguſtinum, quem in Angliam miſit, ut illas gentes ad Fidem converteret, Illi enim interroganti, *Cur una cum ſit fides, ſunt Eccleſiarum conſuetudines tam diverſæ? & altera conſuetudo Miſſarum eſt in Romana Eccleſia, atque altera in Galliarum Eccleſiis tenetur*? Sic reſpondet S. Pontifex. *Novit Fraternitas tua Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit enutritam. Sed mihi placet, ut ſive in ſancta Romana, ſive in Galliarum, ſive in qualibet Eccleſia aliquid inveniſti, quod plus Omnipotenti Deo poſſit placere, ſolicite eligas, & in Anglorum Eccleſia, quæ adhuc in fide nova eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis Eccleſiis colligere potuiſti, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca nobis amanda ſunt.* (3) Anſelmus quo- (2) (3)
que Cantuarienſis in Reſponſione ad querelas Valeranni Nuvemburgenſis

Epiſ-

Episcopi cap. 1. eidem conquerenti de varietate rituum Ecclesiasticorum, habere nos a Sanctis Patribus ait, quod si unitas servatur charitatis in fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa. (4) Natas autem varietates asserit ex humanorum sensuum diversitate, qui quamvis in unitate non dissentiant, in aptitudine tamen & decentia administrationis non concordant: quia quod unus aptius esse judicat, alius sæpe minus aptum æstimat. In Ecclesia Neocæsarienſi quædam ſuo tempore introducta refert Basilius Magnus *Epist. 57. ad Clerum ejusdem Ecclesiæ*, (5) quæ tempore Gregorii Thaumaturgi in usu non erant. Andreas Masius vir eruditus cum animadverteret brevio-
rem esse apud Syros, quam apud Græcos Basilii Liturgiam, hanc hujus rei affert rationem Præf. in Liturgiam Syrorum: *Quippe is fuit perpetuus hominum in religione sensus, ut intra præscriptas a Patribus cæremonias, quantumvis sanctissimas, se se continere pauci potuerint. Unde pro temporis tractu ad illas pro vario Antistitum pietatis affectu alia addita, multa etiam mutata videre est.* (6) Solus Fidei Canon, ut supra diximus, inconcussus, & immutabilis est, cætera quæ ad ritus, & disciplinam pertinent, justa interveniente causa, sine reprehensione mutari possunt. Hoc Pelagius II. Epistola ad Episcopos Istriæ, post Magnum Leonem, & alios suos Prædecessores, professus est, specialem scilicet Synodalium Conciliorum causam fidem esse: quicquid vero præter fidem agitur, nihil obstare, si ad judicium revocetur. Hoc idem asserit Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, dicens, *Ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere: ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humanitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana.* (7)

Item humanorum sensuum diversitate. (4)

(5)

(6)

(7)

Opinio etiam quod Episcopis hæc facultas relicta fuerit. (1) *Libera facultas Episcopis relicta est*) Ita arbitratur Socrates supracit. lib. 5. cap. 21. & 22. ubi de variis Ecclesiarum consuetudinibus prælocutus subdit: *Hujusmodi discrepantiæ, ut opinor, Authores fuerunt Episcopi, qui Ecclesiis suo quisque tempore præfuerunt*: rationem dederat præcit. cap. 21. *quoniam nemo de ea,* (scil. consuetudine) *præceptum litterarum monumentis proditum potest offendere, perspicuum est Apostolos liberam potestatem in eadem cujusque menti, vel arbitrio permisisse, ut quisque nec metu, nec necessitate inductus, quod bonum est, deligere, & sequi posset.* Hinc Episcopi in locum Apostolorum suffecti ritus Ecclesiæ, cui præerant, ab illis adhibitos retinuerunt. At iterum infra cap. seq. §. 4. legendus hac de re cl. Joannes Mabillonius Comment. in Ord. Rom. §. XXI. ubi eruditissime de hujusmodi materia differit idem sentiens cum nostro Emin. Authore.

Hebræorum ritus aliquot in Ecclesia admissi. (2) *Quibus ante susceptam fidem vivebant*) In hanc rem Hebræorum ritus aliquot in Ecclesia admissos testatur Hieronymus Epist. ad Evagrium 85. ver. edit. *Et ut sciamus*, inquit, *traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento: quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in templo fecerunt, hoc sibi Episcopi, Presbyteri, & Diaconi vendicant in Ecclesia.* Presbius S. Gregorius Nazianzenus orat. in Sanctam Pentecosten: *Oh has fortasse rationes, vel his proximas, vel etiam sublimiores quasdam, magisque divinas Pentecostes diem Hebræorum voce colimus, quemadmodum & alios multos hebraicos ritus observamus, apud illos quidem figura tenus observatos, a nobis autem mystice restitutos, atque perfectos.* His consona scribit S. Basilius in Isaiæ cap. 1. & ad Ampiloch. de Spiritu Sancto cap. 27. Immo & Gentilium ritus varios ab imperfectionibus emandatos ad sacros conversos fuisse, & ad Ecclesiam traductos, pluribus docet Card. Baronius ad an. 44. num. 80. Item ad an. 58. num. 72. & seqq.

Quin & Gentilium, sed emendati.

(3) *Sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt*) Idem ipse Gregorius repetit scribens ad Leandrum Hispalensem de trina, vel unica mersione baptismatis, sicque illi respondet lib. 1. Epist. 41. *De trina vero mersione baptizmatis nil responderi verius potest, quam quod ipsa fecistis, quia in una fide nil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa.*

(4) *Nihil officit consuetudo diversa*) *Quoniam*, inquit, *multæ sunt diversitates, quæ non in substantia Sacramenti, neque in virtute ejus, aut fide discordant, neque omnes in unam consuetudinem colligi possunt, existimo eos potius in pace concorditer tolerandos, quam discorde cum scandalo damnandos, habemus enim a Sanctis Patribus &c.* Benedictino Doctori alium addo ferme coævum ejusdem regulæ Monachum Petrum Mauritium Venerabilem Monasterii Cluniacensis Abbatem, qui ad consimiles querelas, & in eumdem sensum S. Patri Bernardo respondens

pondens Epiſt. 17. lib. 4. & inter Bernardinas noviſs. edit. Venetæ ordine 229. ſimulque cauſas diſſenſionum inter Cluniacenſes, & Ciſtercienſes exponens, hæc præ cæteris habet ſua conſideratione digna, quibus ſuperius dicta confirmantur; ait itaque num. 8. *Cumque omnem pene numerum excedat multiplicitas Eccleſiarum ſub una fide, & eadem charitate Deo famulantium tanta pene apud eos invenitur varietas uſuum, quanta eſt infinitas locorum. Hoc in cantibus, hoc in lectionibus, hoc in omnibus Eccleſiaſticis officiis, hoc in veſtitu vario, hoc præter authentica, quæ mutari non poſſunt, jejunia, in jejuniis diverſis, hoc in univerſis ſimilibus, quæ pro temporum, locorum, gentium, regionum varietatibus, a Prælatis Eccleſiarum, quibus ſecundum Apoſtolum, quantum ad talia pertinet, in ſuo ſenſu licet abundare, inſtituta ſunt. Relinquent ergo omnes iſtæ charitatem, quia mutaverunt conſuetudinem? Ceſſabunt eſſe Chriſtiani, quia videntur in diverſis uſibus varii? Peribit ab iis omnibus ſummæ pacis bonum, quia unuſquiſque modo vario operatur bonum? Non ita &c.* Er poſtquam plura attulit in hæc Sanctorum Patrum, veterumque Eccleſiarum exempla, ſic denique concludit num. 9. *Cum hoc ita ſit, nec antiqui, nec moderni propter tam celebres, & famoſas uſuum diſſonantias a charitate mutua deſciverunt, quia nihil, quod fidem, vel charitatem læderet, in his omnibus invenerunt.* Hæc venerabilis Abbas, qui & pluribus aliis idem argumentum fuſe uſque ad finem Epiſtolæ proſequitur.

(5) *Baſilius Magnus Epiſt. 57. &c.*) Fortaſſe mendum irrepſit in hujus Epiſtolæ citatione, ſiquidem in editione Pariſ. an. 1638. qua uſum ſuiſſe Emin. Authorem probabile eſt, cum eam in ſua reliquerit Bibliotheca, hæc epiſtola eſt num. 63. In hac igitur Epiſtola Baſilius reprehendens dictæ Eccleſiæ Neocæſarienſis Clericos, quod ipſe ab iis falſo propter Pſalmodiam accuſaretur, ait: *ſed iſta dicitis tempore Gregorii Magni non fuiſſe, verum neque Litaniæ, quas vos jam in uſu habetis, illius tempore fuerunt*: & poſt pauca, *quod autem ea, quæ facimus ſub admirando Gregorio, in uſu non fuerint, quibus teſtimoniis evincere poteritis? Nihil eorum, quæ ille in uſu habuit, ad hunc uſque diem illibatum ſervaſtis.* Deinde plura ad hanc rem ſanctus Doctor ibi proſequitur. Hinc itidem rituum diverſitas in unaquaque Eccleſia introducta, quod earum Epiſcopi ſuos ritus aliis digniores cenſerent. S. Ambroſius lib. 3. de Sacram. vel alius eorum Author cap. 1. *Hoc ideo*, inquit, *dico non quod alios reprehendam, ſed mea officia ipſe commendem, in omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam, ſed tamen & nos homines ſenſum habemus, ideo, quod alibi veſtius ſervatur, & nos veſte cuſtodimus.* Præterea hanc olim rituum varietatem adſcribere poſſumus, & fortaſſe verius, frequentibus immaniſſimis Tyrannorum perſecutionibus, quibus, primis maxime ſui exortus ſeculis Eccleſia ab Ethnicis nimium vexata fuit, indeque factum eſt, ut percuſſis Paſtoribus, ac diſperſis Gregibus Epiſcopi ſuperſtites, & Eccleſiarum Prælati non ita facile congregari, ritus ſibi invicem communicare, ac de eorum uniformitate ſervanda convenire permiſſum, uti poſtea ſedatis hoſtium furoribus, gentibuſque ad fidem converſis, pace ubique Terrarum per Conſtantinum Chriſtianis lata actum hac de re in Conciliis fuit, prout capite ſequenti dicetur.

Quænam de nova introducta in Eccleſia Neocæſarienſi Baſilii tempore.

Rituum varietas Tyrannorum perſecutionibus adſcripta.

(6) *Multa etiam mutata videre eſt*) Idem repetit Maſius in Epiſtola hac de re ad Buſbeckium ſcripta, cui ſuccinit Jacobus Goar in Euchologio Græc. ubi de Liturgia Chryſoſtomi, cujus varia exemplaria cum plurimum inter ſe diſcrepantia conſpexiſſet, hujus varietatis rationem reddens, hæc inquit: „ Ut „ enim ritus, & preces quaſdam a nobis ſuo „ loco notandas ab alterius Hierurgi, ſacræ „ nimirum Liturgiæ conditoris ter magni Baſilii opere in ſuum transferre non eſt veritus (Chryſoſtomus) ita Græcorum poſteri „ nova quædam dicenda, faciendave a Diacono, vel Sacerdote hic, & illic pro ſuo „ nutu reſpergere, & præcipere frequentius, „ quam par eſſet, pro ambita minus ab ipſis „ antiquitatis ubique ſervatæ gloria ſunt auſi. „ Inde tanta non editorum ſolum, ſed & MSS. „ antiquorum varietas &c. „ Nec tantum apud Græcos, ſed & apud Syros, & Maronitas idem deprehendere eſt, non enim eadem illis eſt Miſſa Chryſoſtomi, quæ apud Græcos, uti neque Miſſa Marci, & aliæ, quæ ſub eodem nomine apud utroſque comprehenduntur. Unius Jacobi Miſſa in utriuſque Gentis Codice Liturgico apparet, quod magno utique argumento eſt ad illius germanam antiquitatem comprobandam, de qua infra cap. 8. §. 3 His addo Victorium Sciaiach Accurenſem Maronitam, qui in Præfat. ad Liturgias ſuas Syriacas: *Neque vero, eſt*, inquit, *cur miremur primam hanc Liturgiam non nihil ab ea differre, quæ græce S. Baſilii Magni nomine circumfertur; nam ut Latini ipſi, & Græci Pontifices multa deinceps in ſuis Liturgiis, quas jam inde ab Apoſtolis acceperant, pro re nata, vel adliderunt, vel immutarunt, ita etiam ab Alexandrinis, & Ægyptiis par eſt credere pro tempore ſallitatum &c.* uti infra Emin. Author cap. 9. §. 2.

Ut apud Latinos, ita variæ apud Orientales Rituum mutationes.

(7) *Cum pace catholica, & charitate Chriſtiana*) Ex præmiſſis itaque tot gravibus momentis, & rationibus perſpicue manifeſtum eſt, diſciplinam Eccleſiæ, quoad conſuetudines, ſeu cæremonias, ritus, ac mores pro temporum, locorum, aliarumque circumſtantiarum varietate firma ſemper, ac ſalva fide, & Chriſtianæ charitatis unitate ipſius Eccleſiæ conceſſione mutabilem eſſe „ diſciplina ſiquidem (ut ſcite obſervat Ludovicus Thomaſſinus in Præfatione ad Opus ſuum omni ſane eruditione refertum de Veteri, & Nova Eccleſiæ diſciplina) mutatur in dies, & labentibus annis ſeneſcit, „ ac priſtinæ rurſus ſe reſtituit juventuti, alia, „ & alia ſubinde & augmenta experitur, & „ decrementa. Suus erat juventæ vigor eximius, ſed obrepebant & vitia. Vitia illa „ ſuſtulit ætas poſterior, verum dum bona „ accedunt nova, veterum alicubi ſplendor „ evaneſcit. Senectus languidior eſt, ut teſtatur remiſſio illa, & indulgentia, quam „ hiſce temporibus neceſſariam putant. Verum ad trutinam expendas omnia, ut juventuti, ita & ſenectuti experieris ſua ineſſe „ vitia, ſuas virtutes. Quod priori diſciplinæ „ deerat

Sic quod priori deerat disciplinæ adjectum ab Eccleſiæ Patribus.

„ deerat, adjecere Concilia, Pontifices, & Patres. Quid dicam nuperrimi (ſcilicet Tridentini) Oecumenici Concilii leges, quid „ egregia illa ſtatuta complurium noſtris temporibus Epiſcoporum, qui excellenti & „ doctrina, & pietate, velut quædam Eccleſiæ „ ſidera ſplendeſcunt; nonne quidquid vitii, „ & labis in hujus ætatis inoleverat diſciplina, vel abſterſere, vel abſtergere ſedulo „ pergunt„. Hæc Thomaſſinus, qui plura ibi, ac in toto laudato ſuo Opere in hanc materiam doctiſſime congerit. Vide item §. ſequenti num. 6.

§. III.

Quid peccatum in hoc genere. Alii ſemel ſuſceptis conſuetudinibus pertinacius inhærentes turbas in Eccleſia ſuſcitarunt. Alii nullum ſtatuentes diſcrimen inter capita fidei, & diſciplinæ, mutuis concertationibus exarſerunt.

ATque utinam Eccleſiæ Antiſtites ab hac regula pacis & charitatis nullo unquam tempore receſſiſſent; in tanta enim conſuetudinum diverſitate nulla fuiſſet animorum diſſenſio, nullæ inter Chriſtianos ſciſſuræ, nulla ſcandala: nihilque ineptum, nihil reprehenſibile in Eccleſiaſticos ritus irrepſiſſet. Sed dum plerique poteſtate ſibi tradita abutuntur, dum nimirum ſibi, ſuiſque adinventionibus indulgent, dum veterum Patrum ſtatuta parvipendunt, in varios errores lapſi ſunt. Et primo quidem rituum varietas, qua Græci a Latinis, & utrique inter ſe olim diſcrepabant, ingens augmentum ſumpſit ex nimia libertate, quam ſibi temere arrogarunt, quidlibet in hoc genere audendi, minorum etiam gentium Epiſcopi, & ipſi quoque Monaſteriorum Præfecti, adeo ut nonnulli Apoſtolicis inſtitutionibus neglectis, veterumque Patrum auctoritate poſthabita, multa prorſus inſulſa, & ab Eccleſiaſtica gravitate aliena Ritualibus libris inſerverint, quæ in antiquatis Codicibus hodie legimus, & deteſtamur. (1) Adverſus hanc licentiam juſta percitus indignatione S. Innocentius Papa hujus nominis primus ſic ad Decentium Epiſcopum Eugubinum ſcripſit. (2) *Si inſtituta Eccleſiaſtica, ut ſunt ab Apoſtolis tradita, integra vellent ſervare Domini Sacerdotes, nulla diverſitas, nulla varietas in ipſis Ordinibus, & Conſecrationibus haberetur. Sed dum unuſquiſque, non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc æſtimat eſſe tenendum, inde diverſa in diverſis locis, vel Eccleſiis, aut teneri, aut celebrari videntur, ac ſit ſcandalum populis, qui dum neſciunt traditiones antiquas humana præſumptione corruptas, putant ſibi, aut Eccleſias non convenire, aut ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim neſciat, aut non advertat, id quod a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque euſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuperinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præſertim cum ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque intercjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes.* (3) *Aut legant ſi in iis Provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe. Quod ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, a qua eos principium accepiſſe non eſt dubium, ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere. Sæpe Dilectionem tuam ad Urbem veniſſe, ac nobiſcum in Eccleſia conveniſſe, & quem morem vel in conſecrandis myſteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneat, cognoviſſe, dubium non eſt: quod ſufficere ad informationem Eccleſiæ tuæ, vel reformationem, ſi Præceſſores tui minus aliquid, aut aliter tenuerunt, ſatis certum haberem, niſi de aliquibus conſulendos nos eſſe duxiſſes.* Hæc fuſius ex Innocentio huc tranſcribenda putavi, ut ejus teſtimonio evincerem primarias Eccleſias proprios ritus a Fundatoribus

Nimia hoc in genere Præſulorum alias quot licentia.

(1) (2) (3)

ribus acceſſiſſe, quoſdam vero ex ſucceſſoribus per licentiam, & poteſtatis abuſum ſæpe illos immutaſſe, & novitates introduxiſſe. (4) Hoc primum (4) in hoc genere peccatum fuit, quod dum alii evitare nimio ſtudio conati ſunt, ſtultorum more in contrarium inciderunt, ſemel enim ſuſceptis conſuetudinibus pertinacius adhærentes, turbas in Eccleſia ſuſcitarunt, ut mox videbimus, cum Romani Pontifices, vel abuſus Epiſcoporum incuria introductos evellere, vel errores hæreticorum fraude inſertos expungere, vel aliquid in iis innovare juſtis de cauſis voluerunt. Alii denique nullum ſtatuentes diſcrimen inter capita fidei & diſciplinæ, ex varietate rituum, dogmatum quoque diverſitatem æſtimantes, mutuis inter ſe odiis & concertationibus exarſerunt, diſruptoque vinculo pacis & dilectionis, ſchiſmati, & erroribus patentiſſimum oſtium apertum eſt. Quot & quam luctuoſæ tragœdiæ inter Græcos, & Latinos hac de cauſa exortæ ſint, notum eſt omnibus. A Photio illarum initium ſeculo nono, & nondum finis: adhuc enim in pleriſque Orientalibus ferox odium adverſus Latinos fervet, & forte acrius, quam cum primum ab unitate, & obedientia Romanæ Eccleſiæ defecerunt. Superbia omnium malorum cauſa rebellionis origo fuit; (5) tum acceſſerunt (5) ex Rituum diverſitate vani prætextus: nec enim Orientalibus lis unquam de ritibus mota eſt a Romana Eccleſia, quæ ſedulo potius in hanc curam ſemper incubuit, ut illibati ſervarentur. Debet igitur unaquæque Eccleſia cuſtodire ritus ſuos, ſed receptos a Majoribus, longoque uſu præſcriptos, & legitima auctoritate approbatos. Si quid vero innovatum, ſi quid perperam immutatum, id expungendum, & corrigendum eſt. (6) (6)

Hinc turbæ & diſſentiones exortæ.

In antiquatis Codicibus hodie legimus.

(1) *Quæ in antiquatis Codicibus hodie legimus*) Vide noviſſimos rituum veterum collectores poſt Pamelium, præcipue quoad Orientales Euſebium Renaudotium in ſuo Liturgico Orient. quoad Occidentales Edmundum Martene de antiquis Eccleſ. ritibus, item de antiqua Eccleſiæ diſciplina in celebrandis officiis, & de antiquis Monachorum ritibus, ubi pleraque ſimplicitatis extremæ, ac pene ridicula ſacris olim admixta fuiſſe narrantur. Sane Carolinis ſeculis, vel paulo ante in Gallia, Italia, & Hiſpania ex lingua Latina, quæ toties barbarorum illuvie fœdata fuit, deturparos pariter fuiſſe ſacros Eccleſiarum Codices, ex Amanuenſium item incuria, ſeu potius inſcitia, facile dignoſcet, qui legere volet Marculphi Formulas, quas in ſuis Capitularibus Reg. Franc. edidit Stephanus Baluzius Tom. 2. pag. 369. Eas ubique ita barbaro, ac ruſticano ſtylo compactas inveniet lector, ut fere Oedipo paſſim indigeant, cum nulla interdum verborum connexione cohæreant, atque ignotis ſcateant vocabulis. Hæc in Gallia, & Germania; ex Hiſpanicis Scriptoribus legeſis unicum Elipandum Toletanum, cujus extant fragmenta aliquot inter Alcuini Opera, qui etiam nedum incomptæ dictionis nævis facros Miſſales Codices infecit, ſed & hæreſis errore vel inſperſit, aut antea corruptos emendare non ſolum renuit, at ipſum eosdem fic fœdatos in ſuæ ſectæ patrocinium adſiſcere, & Sanctis Epiſcopis præceſſoribus ſuis adſcribere non puduit, uti plenius infra cap. XI. ubi de Liturgia Mozarabum §. 2. nota 2. dicetur. Quam etiam Liturgiam adhuc Franciſci Card. Ximenii ævo, qui eam emendari juſſit, pluribus errorum maculis ſcatuiſſe teſtatur cum aliis Alphonſus Ortizius Canonicus Toletanus, qui eamdem ipſius mandato recognovit, & reſtauravit; *Et tandem ſic actum eſt* (inquit in Præfat. ad dictum Card.) *nam diſperſis, in ordinem redactis, vitiis abraſis, dubiiſque enucleata veritate luſtratis, & ceu abolita multa reſarciens, tuo juſſu, ut valui, omnia illuſtravi*. Quod & idem accidiſſe antiquis Ambroſianis Miſſalibus fatetur Federicus Card. Borromæus in ſua Encyclica ad Clerum Mediolanenſem Epiſtola Miſſali ipſius juſſu edito An. 1609. præfixa: *Sed cum præter menda* (ait) *quæ negligentia Typographorum invexerant, ipſe etiam uſus proceſſu temporis nonnulla eſſe offenderit, quæ vel reſtitui, vel corrigi, vel mutari oportere merito viderentur; nos hanc quoque curam &c.* Idipſum ſibi eveniſſe de antiquis Eccleſiarum Ritualibus libris, quos vidit, eoſque mire commaculatos, reperiſſe non diſſiteatur Edmundus Martene in Præfat. ad Tom. 1. de antiq. Eccl. Rit. At de hujuſmodi negotio iterum infra cap. ſequenti §. 6. not. 2.

(2) *Innocentius ... ad Decentium Epiſcopum Eugubinum*) Ad hanc Innocentii Epiſtolam lege notas eruditas Petri Coultantii Mon. Bened. Epiſt. Summ. Pontif. pag. 855.

(3) *Aut ejus ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes*) Ideſt Epiſcopos, uti etiam ſupra hujus textus initio Epiſcopos Sacerdotes vocat Innocentius. Etenim Sacerdotis nomen antiquitus ſolis Epiſcopis tributum teſtantur S. Ambroſius lib. 5. Epiſt. 30. ubi ait: *Sanctus Damaſus Romanæ Eccleſiæ Sacerdos*: Gregorius Turonenſis lib. de Gloria Confeſſ. cap. 109. ubi de Sancto Paulino Epiſcopo Nolano loquens, *decedente*, inquit, *Sacerdote apud Nolanam urbem, ipſe in locum Epiſcopi ſubrogatus*: Paulinus

ipſe in Epithalam. agens de Æmilio Beneventano Epiſcopo hæc ait:

Poſtertor natus ſenior, quia ſede Sacerdos
Geſtat Apoſtolicam pectore vaniciem.

Supra vero — *Sandta Sacerdotis venerando pignora paſto.*

Junguntur . . . . . .

Hoc eſt Memorii Epiſcopi. De hac re vide la Cerda in Adverſ. Sac. cap. 39. num. 13. Presbyſteri vero appellabantur ſecundi ordinis Sacerdotes, uti videre eſt apud Sidonium Apollinarem lib. 4. Epiſt. 25. alioſque, ſicque Epiſcopi primi ordinis Sacerdotes erant dicti. Paulatim poſtea mos iſte deſiit, & inde ad Presbyteros vox iſta paſſim delata. Rabanus Maurus lib. 1. de Inſtit. Cler. cap. 5. Sacerdos vocari poteſt, ſive Epiſcopus ſit, ſive Presbyter: cui præivit Honorius Auguſtodunenſis lib. 1. cap. 182. Apud Veteres vero, puta Cyprianum, Auguſtinum, alioſque ſolis ſemper, aut plerumque, defertur hoc nomen Epiſcopis.

Nedum ab Epiſcopis, ſed & ab inferioris Ordinis Sacerdotibus præſumi novitates introductæ.

(4) *Et novitates introduxiſſe*) Neque Epiſcoporum tantum, aut aliorum ſuperioris ordinis Antiſtitum, ſed & Presbiterorum ejuſmodi tanta prorupit licentia, ut unuſquiſque novos Ritus introducere ſibi fas eſſe exiſtimaret. Id accidiſſe ipſo etiam Gregorii Magni ævo dictus Pontifex teſtatur ſupra laudata Epiſtola ad Joannem Syracuſanum Epiſcopum lib. 9. ind. 1. Ep. 12. Eo enim uſque illorum temeraria proceſſit audacia, ut ex ipſis quidam, non alias in Miſſa, quam a ſe compoſitas orationes recitarent; quare eorum perverſam conſuetudinem damnans hæc ſcribit ibi: *Valde mihi inconveniens viſum eſt, ut precem, quam Scholaſticus compoſuerat ſuper oblationem, diceremus, & ipſam orationem, quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper ejus Corpus, & Sanguinem taceremus.*

(5) *Superbia . . . . rebellionis origo fuit*) Et ſane ambitio, faſtus, & Græcorum ſuperbia primum Schiſma, deinde hæreſim iis invexit, omnium enim malorum radix ſuperbia. De Græcorum Schiſmate præ cæteris legendus Card. Laurentius Cozza Ord. Min. in ſua de eodem Hiſtoria Polemica, ubi quidquid ab aliis de hac re ſcriptum eſt, ſcite, & aptiſſime congeſſit, plura de ſuo addidit, ac in quatuor tomos diſtribuit. Exordium autem Græcanici hujuſce ab Eccleſia Romana diſidii initium ipſe ducit a labente ſeculo quarto, quando nempe anno circiter 381. occaſione Synodi Oecumenicæ Conſtantinopolitanæ I. hæreſiſque Macedonianæ in eo damnatæ Conſtantinopolitani Patriarchæ primatum poſt Romanum Pontificem ſuper cæteras Orientis Eccleſias ambire cœperunt, atque hunc in eadem Synodo ſibi adjudicare tentarunt, quaſi Eccleſiaſticus Principatus non a Chriſto Domino, & Petro ejus Vicario, ſed ab Imperatore, aut ſeculari poteſtate originem traheret. Hinc exeunte ſeculo quinto depravati antiqui ritus, additumque Triſagio contra verum, & communem Eccleſiæ ſenſum, *qui crucifixus es pro nobis*, de quo vide infra lib. 2. cap. 6. §. 4.° Hac additione ſub falſo pietatis prætextu inique per Petrum Fullonem Antiochenum inveſta, ibique publice decantata plurium hæreſum ſenſibus, Eccleſiaſticæ diſciplinæ relaxationi, Sacrorum Rituum contemptui, variiſque ſuperſtitionibus introductis oſtium magnum apertum eſt; ad quæ omnia ſemper Græcia mendax pluries Eccleſiæ Romanæ reconciliata, pluricſque ab eadem diſciſſa, quaſi canis ad vomitum infelix rediens, dum eidem ſe ſubdere ſuperbâ renuit, ſub vili jugo perfidis gentibus, & intinctis populis ſe invitam tradi demiratur, & luget. Sed de hac Græcorum diſſenſione ab Eccleſia Romana iterum infra nota ſequenti, & cap. 23. ubi de Azimi, & Fermentati controverſia differetur.

Ex veterum rituum depravatione rebellionis origo, & ſchiſmati apertum oſtium.

(6) *Si quid perperam immutatum &c.*) In eandem Emin. Joannis noſtri ſententiam conſpirat Joannes alter, ejuſdem eruditionis, ac profeſſionis Monachus, ſupra laudatus nempe Mabillonius citato Commentario in Ordinem Romanum §. XXI. dicens „ Ubi regnant antiqui Ritus, hi conſtanter retinendi, ubi novi præ antiquis prævaluerunt, antiquos laudare decet, novos non rejicere. Vix enim umquam accidit, ut quod uſu ſemel receptum eſt, ac firmatum, abſque perturbatione poſſit mutari. Et quidem, ut Rituum varietatem induxit locorum varietas, ita etiam eorumdem iiſdem in locis mutationem aliquando perſuaſit temporum diverſitas. Itaque laudanda in ejuſmodi rebus conſtantia, modo cætera adſint, Eccleſiæ pax, & concordia, atque Chriſtiana charitas, cui omnes Ritus cedere, & ſuffragari neceſſe eſt. Quod ſi ſalva pace, & charitate retineri poteſt antiquitas, quin novitati præferenda ſit, nemo ſapiens negaverit „. Ita quoad Latinos Mabillonius. Quo vero ad Græcos legendus Leo Allatius jam ſupra ab Emin. Scriptore laudatus pleriſque in locis, præſertim de utriuſque Eccleſiæ Occident. & Orient. perpetua conſenſione lib. 3. cap. 13. ubi luculenter oſtendit immerito Græcos de Latinis queri quod relictis antiquis conſuetudinibus novas induxerint, Græcos ipſos non ſemper eaſdem conſervaſſe, nec etiam nunc apud omnes eaſdem eſſe multis exemplis probat; Græci enim conſuetudines novas depravatas ad veteres ſæpe redigunt, in Eccleſiaſticis myſteriis plura immutarunt, præ cæteris in celebratione Miſſarum, adminiſtratione Sacramentorum, & aliis quam plurimis; hinc male Latinos accuſant. Eorum etiam libri Rituales a receptioribus multis additis multiſque detractis non ſine Eccleſiaſtici ordinis noxa immutati ſunt, & concludit ſimilem Græcorum criminationem adverſus Latinos nullam fore, ſi diſcrimen, quod eſt inter res fidei, & conſuetudinis, agnoſcant; fides enim, ut optime differit doctiſſimus vir, immutabilis, atque irreformabilis eſt, cætera diſciplinæ admittunt correctionis novitatem. Hæc, & his ſimilia de Græcis Græcus, ſed non Græcæ fidei Allatius. Cui & alterum addo Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtodem Lucam Holſtenium Differt. 1. de Miniſtro Confirm. apud Græcos circa init. *Luctuoſam Schiſma, quod Orientis, & Occidentis Eccleſias dudum disjunxit, illis potiſſimum imputandum eſt, qui chriſtiana charitate poſthabita diſputandi prurita omnia in quæſtionem, & con-*

Antiqui ritus, ubi vigent, conſtanter retinendi.

Nedum ab Epiſcopis, ſed & ab inferioris Ordinis Sacerdotibus præſumi novitates introductæ.

Ex veterum rituum depravatione rebellionis origo, & ſchiſmati apertum oſtium.

troverſiam

troverſiam adduxerunt, quæ diverſo ritu apud partem adverſam aguntur. His nulla, vel exigua veritatis cura, ſed unum vincendi ſtudium, ut ex ſua conſuetudine, vel opinione aliis legem præſcribant.

Ex rituum diſſenſu non arguit fidei varietatem, ex ipſis hæreticis comprobatur.

Atque ut etiam ab exteris, hæreticis nempe, huic veritati teſtimonium quæramus, ejuſdem perſpicuus teſtis eſt, quo antiquior, eo hac in parte acceptior, Elias cognomento Geveri Hieroſolymæ, & Damaſci Neſtorianorum Metropolita, de quo cl. vir Joſeph Simonius Aſſemanus in ſua Biblioth. Orient. Tom. 3. pag. 513. Vixit iſte Syrus Scriptor, ut idem Aſſemanus notat, exeunte ſeculo nono, & decimo ineunte, atque in Tractatu, quem edidit de Concordia fidei inter Neſtorianos, Melchitas, & Jacobitas Syriam incolentes ibidem pag. 516. hæc habet, quibus diverſitatem Rituum, qualem inter Chriſtianas Orientis gentes ſuo tempore obſervabat, unitati fidei nequaquam officere teſtatur. *Quum una, inquit, ſit omnium fidei regula, quis locus diſſenſioni, & diſcordiæ fuerit? Quod autem in precum numero, aut feſtorum ordine, aut Eccleſiaſtici officii tempore, aut jejuniorum obſervantia alii alios ſuperent, aut ab invicem diſſentiant, id profecto nec in religione, aut in fide ullam differentiam, diſcordiamque arguit, cum pro diverſitate, varietateque regionum, & linguarum diverſi, variique ritus invaluerint, & cuilibet genti ex tot quin pluribus, quæ Chriſtianam Religionem amplexæ eamdem diligenter, firmiſſimeque tenent, ſuggeſſerit Deus, cujus nomini honor, & gloria, certus Chriſtianæ pietatis Ritus propriis locis accommodatos.* Hæc Neſtorianus Scriptor; & quidem optime, ſi unitas, & concordia ſit veræ, & Orthodoxæ fidei Catholicæ, non alterius falſæ, uti ille ſibi peſſime perſuaſum ibat; firmis quippe manentibus cujuſque gentis in errores ſuos, eorumque authores, patronoſve ſtudiis id fieri non poſſe perſpicuum eſt; errans enim in fide, utique & errabit in ritu, cum verax fides varios quidem admittat ritus ſed non erroneos.

Orientali Hæretico & alium Occidentalem addamus Lutheranum Matthæum Scrivenerum ſecta Presbyterianum, qui in reſponſione particulari ad Joannem Dallæum Calviniſtam de uſu Patrum pag. 115. loquens de Ritibus, hæc ait: „ Qui ſi temporis diuturnitate exoleverint, ſi pro poteſtate Eccleſiæ a Chriſto commiſſa, vel ſenſim deſinere ſunt paſſi, vel ſpreti, parum admodum „ ad controverſiam facit (ſcilicet fidei, ut „ paulo ante explicat) cum eorumdem, ſi „ quis hodie fuerit ignarus, tuto ſit ignarus: Hæc ille, neque falſo id, licet ab Hæretico, dictum; ritus quippe obſoletos, & antiquatos, non omnes tenentur ſcire, ſed eos, qui ab Eccleſia præſcripti ſunt, & obſervandi. Pro coronide hujus capitis ea ſubdam, quæ optime animadvertit Illuſtriſſimus Joannes Baptiſta Braſchius Sarſinæ Epiſc. in ſuo opere de Libert. Eccl. Tom. 3. pag. 406. „ Quemadmodum, inquit, ad decorem Eccleſiæ triumphantis, pertinet diverſitas Ordinum Angelicorum in tres hierarchias, & novem choros diſtinctorum, qui ſub diſtinctis muneribus, & naturis uno tamen ore Deum glorificant, uti dicitur Danielis cap. 3. v. 58. ſic ad venuſtatem Eccleſiæ militantis attinet „ diverſitas Rituum Sacrorum a diſtinctis nationibus cuſtodita Latinis, Græcis, Illyricis, „ Armenis, Syris &c. Qui diſſonis moribus, „ & cæremoniis uno tamen concentu, uno „ ſpiritu Domino famulantur quotquot in charitate, & Catholica veritate conveniunt. „ Hæc autem ſpecioſa pulchritudine jam ſtatuta in pleriſque locis, præſertim in Chriſti „ unitate, Inſulæ Cypri, noviſſime in magna „ Græcia, ſic dicta Regni Neapolitani per „ diviſionem Eccleſiarum in binos ritus Latinum, & Græcum, quemadmodum juſtum „ non erat, ut Græca Eccleſia Eccleſiis Latini Ritus eſſet infeſta, ita nec juſtum erat, „ ut Latina Eccleſia Eccleſiis Græci Ritus „ ingereret gravitates, ſed apud utramque „ valetet aureum illud proloquium Magni „ Pontificis Leonis I. Epiſt. 64. *Suis terminis contentus ſit quiſque, nec ſupra menſuram juris ſui aſſellet augeri.* Atque hæc ſatis de Rituum varietate.

Ad venuſtatem Eccleſiæ militantis attinet diverſitas Sacrorum Rituum a diſtinctis nationibus cuſtodita.

CAP.

CAP. VII.

Actum in Conciliis de Rituum observantia, eorumque varietate tollenda. Quomodo Sectarii Missam perverterint. Romana Missa studio Pontificum ab omnibus Occidentalibus recepta. Quorumdam in hoc renitentia, ejusque causæ. Romanæ Ecclesiæ tradita Missa a Petro Apostolo, ab aliis aucta. Romæ olim diversa officia. Quid in his immutatum a Fratribus Minoribus.

§. I.

Actum in Conciliis de Rituum observantia, eorumque varietate tollenda.

Initium cogendi Concilia ab initio Ecclesiæ derivatum.

INitium cogendi Concilia in Actibus Apostolorum describitur cap. 15. cum Christianorum causa adversus Judæos, qui Gentibus ad fidem conversis Circumcisionem & alia Mosaicæ legis præcepta ad salutem necessaria esse docebant, discussa ac definita fuit. Nata igitur cum Ecclesia simile cum ipsa incrementum, & summam in ea auctoritatem habuerunt, semperque a Fidelibus cum ingenti veneratione suscepta sunt. *Aguntur*, inquit Tertullianus lib. de jejun. cap. 13. *certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.* Altiora autem quæ in his tractantur, nemo est qui ignoret. Ad ea enim pertinet non solum de dogmatibus fidei agere, sed ritus etiam in sacris functionibus servandos præscribere, succrescentibus malis remedia afferre, exortas controversias componere, collapsam disciplinam reparare. Ideo sancitum fuit, ut frequenter in unum Episcopi convenirent, ut si quid alienum a fide, & ab Ecclesiasticis observationibus diabolica fraude irrepsisset, communi consensu corrigeretur. Magna Synodus Nicæna *Can.* 5. statuit bis in anno hæc Concilia celebrari, ante Quadragesimam, & circa tempus Autumni. (1) Ad quem Canonem (1) S. Leo respexit, cum ad Episcopos Siciliæ scripsit saluberrime a Sanctis Patribus constitutum, ut bini debeant in annos singulos Episcoporum esse conventus. Hæc sanctio innovata est in Concilio Antiocheno sub Julio I. Can. 20. & in Regiensi sub Sixto III. c. 7. In primo autem Arausicano sub Leone Magno can. 29. in Agathensi sub Symmacho can. 71. in Emeritensi sub Vitaliano can. 7. in Aurelianensi secundo & quarto ordinatum est singulis annis Episcopos congregari; quod item præcepit Hilarius Papa Epist. 8. ad Galliæ Metropolitanos. Nicolaus I. Epist. 27. Ludovico & Carolo Regibus conqueritur Episcopos de ipsorum Regnis non fuisse Romam ad Synodum missos, ut novitatum mala, quæ multiplicata erant, facilius tolli possent. Romæ autem convocari Concilium solebat circa finem Septembris, ut ex præcitata Leonis Magni Epistola colligitur, ad quod singulis annis aliquot Episcopi ex qualibet Provincia specialiter electi convenire debebant: ita enim decernit ibidem S. Pontifex his verbis: *Terni semper ex vobis ad diem tertium Kalendarum Octobrium Romam fraterno Concilio faciendi occurrant, & indissimulanter a vobis hæc consuetudo servetur. Quoniam adjuvante gratia Dei facilius poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cum coram Beatissimo Petro semper in communione tractatum fuerit, ut omnia instituta Canonumque Decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant.* Quia vero discrepantia rituum, dissensionum fomenta præbebat, sedulo huic tollendæ Sancti Episcopi Synodaliter congregati

gati incubuerunt. Unde in Concilio Epaunenſi anno 509. can. 27. & in Gerundenſi anno 517. can. 1. ſtatutum eſt, ut idem Miſſæ ordo in univerſa Provincia ſervaretur, quem ſervabat Eccleſia Metropolitana; anno autem 563. Bracarenſe I. (2) can. 22. conſtituit, ut eodem ordine Miſſæ ab omnibus celebrarentur, quem Profuturus ejus Eccleſiæ Archiepiſcopus a Sede Apoſtolica ſuſceperat. (3) Et ſeculo ſequenti Bracarenſe II. c. 1. ſancivit, (3) *Ut per ſingulas Eccleſias Epiſcopi per Diœceſes ambulantes primum diſcutiant Clericos, quomodo Ordinem Baptiſmi teneant, vel Miſſarum, & qualiter quæcumque officia in Eccleſia peragantur. Et ſi recte quidem invenerint, Deo gratias agant; ſi autem minus, docere debeant ignaros.* Ulterius progreſſus Teodulfus Aurelianenſis in Epiſt. ad Clerum ſuum cap. 4. decrevit deferri ad Synodum libros, veſtimenta, & vaſa ſacra. *Quando*, inquit, *more ſolito ad Synodum convenitis, veſtimenta, & libros, & vaſa ſacra, cum quibus veſtrum miniſterium, & injunctum officium peragitis, vobiſcum deferte: necnon duos, aut tres Clericos, cum quibus Miſſarum Solemnia celebratis, vobiſcum adducite, ut probetur quam diligenter, & quam ſtudioſe Dei ſervitium peragatis.* Idem in ſuo Capitulari præcepit Riculfus Epiſcopus Sueſſionenſis. (4) (4) Tanta ſolicitudine & zelo antiqui Patres ſatagebant, ne quis in ordine Sacrificii ſtatutos a majoribus terminos tranſiliret. Noverant enim quam facile ſoret in ſuperſtitiones & ineptias incidere, ſi omnibus permitteretur quidpiam, vel minimum in ſacris Ritibus innovare. (5) (5)

Bis in Anno antiquitus Concilia celebrata.

(1) *Ante Quadrageſimam, & circa tempus Autumni*) Hunc Concilii Nicæni Canonem de Synodis quotannis celebrandis in pluribus Provinciis obſervatum fuiſſe, & præcipue in Eccleſia Africana oſtendit Chriſtianus Lupus in ſuo Opuſc. de Appellationibus pag. 539., & ſeq. De Synodo bis in anno cogenda extant inter Capitularia Reg. Franc. Decretum Synodi Vernenſis an. 755. cap. 4. apud Baluzium Tom. 1. pag. 169. Item Capitulare 6. an. 806. cap. 1. ibidem pag. 455. & Capitular. lib. 1. cap. 127. pag. 728. Quod ſemel ſaltem in anno Synodus convocetur S. Gregorius Magnus lib. 6. Epiſt. 10. & lib. 12. Epiſt. 31. Epiſcopis Siciliæ indulſit, idem etiam poſtea ſtatutum a Zacharia Papa in Epiſtola ad Sanctum Bonifacium, atque in Synodo Germanica, eodem Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino Præſide, & Legato Apoſtolico ſub Carolomanno Francorum Rege an. 742. Capitul. 1. cap. 1. apud Baluz. ut ſupra pag. 145. quod & confirmatum fuit in ſequenti Synodo habita an. 744. ſub Pippino cap. 2. ibid. pag. 157. Idem etiam in Hiſpania antiquitus obſervatum patet ex illius Monarchiæ Conciliis, quæ edidit doctiſs. Card. de Aguirre, qui plane legendus hac de re in ſua Parænefi, ſeu monito ad Lectorem quarto Tomo eorumdem Hiſpaniæ Conciliorum præfixo, ubi inter cætera ait: „ Dolendum „ ſane eſt, quod in florentiſſimis Hiſpaniarum „ Regnis, ubi olim tam frequentia, tam „ gravia, & toti Eccleſiæ veneranda Concilia celebrabantur, jam ab aliquot ſeculis „ parum frequentata, aut etiam fere prætermiſſa fuerint.

Nedum in Gallia, & Germania, ſed & in Hiſpania.

(2) *Anno autem 563. Bracarenſe I.*) Ita in veteri Conciliorum Collectione, in nova autem Labbeana, quam Emin. noſter videre non potuit, Concilium hoc Bracarenſe eſt in ordine II. primum enim fuit ſub Pancratio Præſule, & Innocentio I. Papa an. 411. habitum, quod ex capite 2. lib. 6. Monarchiæ Luſitanæ Bernardi de Brito Ord. Ciſtercienſis primo collectioni ſuæ Conciliorum addidit Labbeus. Cardinalis de Aguirre maluit antiquum Ordinem retinere, etſi ad dictum annum 411. præfatam Synodum & ipſe retulerit, ut in ejus annotationibus ad Concil. Hiſpan. Tom. 2. pag. 259. num. 50. Porro loco c. 22. lege cap. 4. mendum enim in hac citatione irrepſit.

(3) *Quem Profuturus .... a Sede Apoſtolica ſuſceperat*) Videlicet a Vigilio Papa, uti oprime advertit Steph. Baluzius in notis ad Antonii Auguſtini Dialogos de Emendat. Gratiani pag. 400. Præſtat hic referre, quæ ad illuſtrandum hunc Cardinalis locum idem ibidem obſervat, ac denuo in ſua nova Collectione Concil. retulit col. 1467. „ Illuſtriſſi„ mus, inquit, Card. Baronius cum deſcribere „ pararet Epiſtolam illam in ſuis Annalibus, „ neſciretque cujus Civitatis Epiſcopus fuiſ„ ſet homo iſte, pronunciavit ex ea colligi „ poſſe, *ipſum fuiſſe Epiſcopum in extremis Hiſ„ paniæ oris Oceano conjunctis, vel in Luſita„ nia, aut in Gallicia*, quo factum eſt, ut „ poſtea nonnulli Hiſpani Scriptores ſibi perſuaſerint, tamquam rem certam Epiſco„ pum illum fuiſſe Bracarenſem in Luſitania, „ etiam propterea in hunc Terrarum Orbem „ inducentes anthoritatem Juliani, Lucæ Ar„ chidiaconi Toletani, & Marci Maximi Ar„ chiepiſcopi Cæſarauguſtani Chronographo„ rum, ſi Superis placerer, antiquiſſimorum, „ & indubitatæ fidei. At in antiquiſſima Col„ lectione Canonum Lugdunenſi optimæ notæ, „ quam in Hiſpania confectam, & inde Lug„ dunum advectam puto, cum varia illius „ Epiſtolæ capita in ſeptem variis locis refe„ rantur, ſemper referuntur ex Epiſtola Vi„ gilii ad Profuturum. Itaque dubitandum

non

» non eſt mea quidem ſententia, quin expun-
» gendum ſit ex titulo Epiſtolæ nomen Eu-
» therii, ut reponatur Profuturi, nam di-
» ferta Epiſtolæ a Sede Apoſtolica ad Pro-
» futurum Metropolitanæ Bracarenſis Eccle-
» ſiæ Epiſcopum ſcriptæ mentio extat in Ca-
» nonibus, quarto, & quinto Concilii primi
» Bracarenſis habiti ſub Ariamiro Rege. Hæc ſunt Canonum verba: *Item placuit, ut eodem ordine Miſſæ celebrentur ab omnibus quem Profuturus quondam hujus metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ Sedis authoritate ſuſcepit ſcriptum. Item placuit, ut nullus eum baptizandi ordinem prætermittat, quem & antea tenuit Metropolitana Bracarenſis Eccleſia, & pro amputanda aliquorum dubietate prædictus Profuturus Epiſcopus ſibi, & decretum a Sede Beatiſſimi Apoſtoli Petri ſuſcepit.* Quibus verbis nemo non videt deſignari aperte Epiſtolam Papæ Vigilii, quæ ad Profuturum data dicitur in veteri Codice Eccleſiæ Lugdunenſis; ex qua interim obſervatione illuſtrari poterunt, quæ de ordine Miſſæ Hiſpanicæ ſcribit Emin., & doctiſſimus Card. Bona lib. 1. Rer. Liturg. cap. 7. Hæc Baluzius dicti Cardinalis noſtri, dum viveret, amiciſſimus. Vide item infra §. V. num. 1.

Statutum in Hiſpania ut eadem ordine ac omnibus Miſſæ celebrarentur, quem ab Apoſtolica Sede Profuturus accepit.

(4) *Riculfus Epiſc. Sueſſionenſis*) Idem pene etiam legitur in Capitularibus Caroli Calvi tit. 5. cap. 9. apud Baluzium Capitul. Reg. Franc. Tom. 2. pag. 26. ubi Epiſcopis injungitur, ut in Synodis Presbyteros ſuos examinent, *non per occaſionem, ſed per veritatem miniſterii ſui teſte Deo, ad quod conſtituti ſunt.*

(5) *Vel minimum in ſacris Ritibus innovare*) Ea propter etiam primi religioſæ vitæ Inſtitutores apud Caſſianum Inſtit. lib. 2. cap. 5. id obſervare, hancque Rituum in divinis officiis celebrandis concordiam cuſtodire magnopere curarunt: *Verentes ſcilicet, ne qua in quotidianis neceſſitatibus inter viros ejuſdem culturæ conſortes diſcrepantia, vel varietas exorta quandoque in poſterum erroris, vel æmulationis, ſeu Schiſmatis noxium germen emitteret.* Ea etiam motus ex cauſa S. Franciſcus Ord. Minorum Seraphicus Fundator, & Pater in Regula, quam præſcripſit obſervandam alumnis ſuis, præcipit, *ut in locis, in quibus morantur fratres, Miſſa celebretur ſecundum formam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*: uti infra cap. 14. §. 6. fuſius dicetur. Id autem a majoribus noſtris ſalubriter inſtitutum eſt, juxta Apoſtoli Pauli præceptum 1. ad Corinth. 14. v. 40. quo ſtatuitur, *ut omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant.* Cui ſuccinit S. Ignatius Martyr Epiſt. ad Smyrnæos, ubi ait: *Omnia in vobis decenti ordine perficiantur in Chriſto.* Quia hic ordo conſenſionis Rituum, & cæremoniarum in Eccleſia in ſe venuſtus eſt, & decorus, confuſionem, & perturbationem omnem excludit, & alios extra Eccleſiam poſitos valde ædificat. Vide Suarez in 3. partem D. Thomæ Tom. 3. Diſp. 84. Sect. 1. ubi plura in hanc rem de Ritibus Miſſæ, & poſt ipſum, Bellarminum Tom. 3. Controv. lib. 2. de Sacramentis in genere, item Honoratum Tournely eodem loco quæſt. ult. & ſeqq.

Id etiam a Sanctis Ordinum Religioſarum Fundatoribus obſervari mandatum.

§. II.

Quomodo Sectarii Miſſam perverterint.

SEctariorum hoc proprium fuit, ut cum a fide deficerent, libros quoque Rituales vel ſuis erroribus inficerent, vel privata auctoritate immutarent. Quid auſi ſint in hoc genere Gnoſtici, Adamitæ, Pepuziani, & alia hujuſmodi monſtra, turpe eſt enarrare. (1) De Neſtorio, ſive de Theodoro Mopſveſteno ejus magiſtro ita Leontius Byzantinus ſcribit Lib. 3. adverſus eumdem Neſtorium: *Audet & aliud malum non ſecundum ad ſuperiora, aliam enim Miſſam effutivit, præter illam, quæ a Patribus tradita eſt Eccleſiis, neque reveritus illam Apoſtolorum, nec illam magni Baſilii in eodem ſpiritu conſcriptam. In qua Miſſa blaſphemiis, non precationibus, Euchariſtiæ myſterium opplevit.* Donatiſtæ ut calumniam Catholicis ſtruerent, ſparſerunt in vulgus, eos ſolitum Sacrificii ritum immutaſſe, ut patet ex Optato Milevitano in fine lib. 3. *Nihil*, inquit, *probavit aſpectus ex iis, quibus perturbatus erat auditus. Viſa eſt puritas, & ritu ſolito ſolemnis conſuetudo perſpecta eſt. Cum viderent divinis Sacrificiis nec mutatum quicquam, nec additum, nec oblatum, pax a Deo commendata volentibus eſt.* De iiſdem ſic ſcribit Auguſtinus Epiſt. 119. (nunc in novo ord. 55. c. 18.) *Donatiſtæ nos reprehendunt, quod ſobrie pſallimus in Eccleſia divina Cantica Prophetarum, cum ipſi ebrietates ſuas ad canticum Pſalmorum humano ingenio compoſitorum quaſi tubas exhortationis inflamment.* Ipſorum autem tanta erat rabies, tam immane odium adverſus Catholicos, ut altaria frangerent tanquam polluta, in quibus celebraverant. Sacrificia enim Cæciliani, & eorum, qui cum ipſo communicabant, impura eſſe & Deo inviſa. prædicabant. Jacobitas diverſas Miſſarum editiones habuiſſe con-

(1)

Sacri Rituales libri vel ab Hæreticis immutati, vel ſuis erroribus infecti.

contra traditiones Eccleſiaſticas, teſtatur auctor Anonymus editus a P. Combefis *Tract. de hæreſi Jacobitarum*, quem putat eſſe Demetrium Cyzicenum. (2) De Pauli Samoſateni in hac re impietate legenda Epiſtola Synodi Antiochenæ apud Euſebium lib. 7. Hiſt. cap. 30. (3) De Sectatoribus Apollinarii refert Sozomenus lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 25. quod ritibus utebantur alienis a Catholicæ Eccleſiæ inſtitutis. Iſaac Catholicus Armeniorum Invect. 2. adverſus eoſdem, hæreſi 25. *Rem ſacram*, inquit, *contemnunt, neque ornamentum mutant, aut habent ſacrarum veſtium varietatem pro ſacro miniſterio, quas magnus Silveſter lege ſanxit. Eorum autem quilibet iis veſtibus indutus, quarum uſus communis eſt, quaſque nullo paſſim diſcrimine adhibere ſolemus, ita ad altare ingreditur.* (4) Nimis in longum irem, ſi cunctas Sectas percurrere vellem, & quid in ſacros ritus ſingulæ peccarint, enarrare. Poſtquam enim ab Eccleſia reſilierunt, minus ſe feciſſe putarunt, niſi id quod in ea excellentius & ſanctius eſt, Sacrificium videlicet, & Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, falſis, & inter ſe contrariis opinationibus perverterent. Et ut veteres omittam, adeo multa nobis exempla recentiores Miſoliturgi ſuppeditant, ut omnium ſeculorum errores nedum exæquent, ſed excedant. Ipſum Miſſæ nomen ita pleriſque exoſum eſt, ut Miſſam odiſſe amoris inter ipſos, & fraternitatis ſymbolum ſit (5). (2) (3) (4) (5)

Recenſentur Hæretici Sacrificii Miſſæ corruptores.

(1) *Hujuſmodi monſtra turpe eſt enarrare*) Horum enim neſanda myſteria auditu horrenda, maxime quæ ab impiis Carpocratianis ex dicta Gnoſticorum fæce ſceleratiſſimis peragebantur cum horrore, & naufea referunt Euſebius lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 7. Epiphanius hær. 26., aliique apud Cardinalem Laurentium Cozza Commentar. in S. Auguſtini lib. de Hæreſ. cap. 6.

(2) *Quem putat eſſe Demetrium Cyzicenum*) In Auctario Biblioth. vet. PP. Tom. 2. pag. 270., cui conſentit Poſſevinus apud eumdem in indice librorum Bibliothecæ Palatinæ, & Tom. XII. Biblioth. vet. PP. edit. Lugdun. pag. 813., ubi ſub Demetrii Cyziceni Metropolitæ nomine hoc opuſculum editum eſt, quod tamen vero authori reſtituit Combefiſius in notis ex Codice Palatino, & extare etiam dicitur in Bibliotheca Scorialenſi teſte eodem Poſſevino Append. pag. 100. Porro Jacobitarum errores circa Miſſæ celebrationem recitat Jeſuabus Niſibenus apud Hebedieſu in Catalogo librorum Syrorum cap. 195. & ex eodem Joſephus Simonius Aſſemanus Biblioth. Orient. Tom. 3. pag. 305.

(3) *Apud Euſebium lib. 7. Hiſt. cap. 30.*) Ex quo aliiſque Card. Baronius ad an. 272. num. 5. & ſeq. Spondanus ad eumdem annum num. 1. Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſæc. 3. cap. 3. art. 8. aliique plures ejus indigna ſcelera enarrant.

(4) *Ita ad Altare ingreditur*) Eo pariter irreligioſo, & impio ritu utebantur Thaboritæ hæretici ex Huſſitarum Secta, ut refert Æneas Silvius, ſeu Pius II. Epiſt. 122. etenim Sacrificium Miſſæ celebrando veſtimenta non mutabant, nullum aſſumebant ornatum, & præter orationem Dominicam, ac verba conſecrationis, nil aliud dicebant.

(5) *Ut Miſſam odiſſe ..... fraternitatis ſymbolum ſit*) Sic Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium damnarunt, contempſerunt, vel interdixerunt ex Hæreticis antiquis *Helxeitæ*, ſeu Elceſetæ ab Helſæo pſeudo-propheta nequiſſimo ex Judæis oriundo, de quo Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 31. S. Epiphanius hær. 19. & 53. S. Auguſtinus de hær. cap. 32. *Maſſaliani*, de quibus idem Epiphanius hær. 80. & Theodoretus lib. 4. hæret. fab. cap. 2. *Bogomili*, ſeu Baſiliani a Baſilio Medico, de quo Euthymius in Panoplia parte 2. tit. 23. cap. 17. ex Conſtantino Harmenopulo de opinionibus Hæreticorum, & Zonaras in Annal. *Petrus de Bruis*, de quo Spondanus ad ann. 1126. num. 6. *Pſeudo-Apoſtoli* apud Petrum Cluniacenſem Epiſt. 1. contra Petrobruſianos. *Waldenſes*, de quibus S. Antoninus 4. parte tit. 11. cap. 7. §. 2. Item Lollhardus Walterus, a quo *Lollhardi*, de quibus Trithemius in Chronico ad annum 1315. *Joannes Wicleffus* art. 5. in Concilio Conſtantienſi damnatus. *Arnoldus de Villanova*, qui ut refert Nicolaus Eymericus in Direct. Inquiſit. parte 2. quæſt. 11. impie dixit, quod in Sacrificio Miſſæ non laudatur Deus opere, ſed ore tantum. Quos omnes hac in impietate ſecuti ſunt *Lutherus*, qui eo proceſſit, ut tractatus duos de abroganda Miſſa privata, ſeu de abominatione Miſſæ privatæ anno 1525. diabolice ſcripſerit, qui item in colloquiis convivalibus, libro contra Regem Angliæ, & alio contra Oecolampadium, & Zuinglium, atque ad cap. 66. Iſaiæ tot convicia, & improperia adverſus Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ſacrilego ore evomuit, ut nedum catholicum, ſed & Chriſtianum nomen ea referre horreat: *Calvinus* lib. 4. Inſtit. cap. 18., ubi quod & alibi diximus, Sathanam cum peſtilentiſſimo errore totum pene orbem excæcaſſe ſcribit, ut crederet Miſſam Sacrificium, & oblationem eſſe ad impetrandam remiſſionem peccatorum, & alia, ut Lutherus, deliria. Ejuſque item ſequa-

quaces, ex quibus *Nicolaus Hemmingius* ad cap. 2. Epiſt. 2. Pauli ad Theſſalonicenſes ſacrilege ait: *Miſſam abominabilius idolum eſſe, quam ullum Ethnicum unquam fuit*; cui hac in blaſphemia ſocius *Jacobus Heerbrandus* in poſteriori diſputatione de Miſſa adv. Gregorium de Valentia, & Petrum Soto: *Conſentes affirmamus*, ait, *Miſſam eſſe cultum impium & idololatricum*. Item *Confeſſioniſtæ*, *Carolſtadius*, *Zuvinglius*, *Illyricus*, *Mornæus*, aliique nefariii Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, Sacrorumque omnium Rituum hoſtes, de quibus videndus nuperus Scriptor noſter Abbas D. Joannes Sianda in ſuo Lexico Polemico.

§. III.

Romana Miſſa ſtudio Pontificum ab omnibus Occidentalibus recepta.

ET hæc quidem fuit hæreticorum perverſitas & audacia, quam Patres Orthodoxi ſedulo ſemper comprimere ſtuduerunt, eos ritus illibatos cuſtodientes, quos Eccleſiæ legitime traditos agnoverunt. Et ne in re tanti momenti a veritatis ſemita aberrarent, omnes fere Occidentales regiones Romanæ Eccleſiæ adhæſerunt, *In qua*, ut ait Auguſt. Epiſt 162., (quæ in noviſſ. edit. eſt num. 43.) *ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ principatus*. Ita docuit in ſuis Præſcriptionibus cap. 36. Latinorum antiquiſſimus Tertullianus, percurrendas nimirum Apoſtolicas Eccleſias veritatem ſcire cupientibus, *Romanam præſertim, cui totam doctrinam Apoſtoli cum Sanguine ſuo profuderunt*. [1] Et ejuſdem ſeculi ſcriptor Irenæus (1)
Lib. 3. Cap. 3. *Ad hanc*, ait, *Eccleſiam*, nempe Romanam, *propter principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique Fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt, undique conſervata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt traditio*. Hoc ſummorum Pontificum, hoc Epiſcoporum, piorumque Principum ſtudium, hæc cura fuit, ut omnes gentes, quæ in Occiduis partibus ſunt, traditiones & Ritus Romanæ Eccleſiæ in ordine Miſſæ ſequerentur; ex quo paulatim factum eſt, ut propriis, ſi quos habebant, uſibus abrogatis, Romanos receperint, adeo ut in pleriſque Eccleſiis veterum conſuetudinum non ſolum nulla remanſerint veſtigia, ſed ipſa etiam memoria evanuerit. Africanam Eccleſiam ut fide, ita & ritibus cum Romana conveniſſe ex ſcriptis Tertulliani, Cypriani, Optati, & Auguſtini non obſcure colligimus: quod ſi qua varietas fuit, ea, ut ſæpe dictum eſt, ad ſola accidentalia pertinebat, Sacrificii non ſolum ſubſtantia, quæ rituum diverſitate labefactari non poteſt, ſed forma etiam ac ſerie Pſalmodiæ, Lectionum, & Precum, ut ſupra oſtenſum eſt Capite III. num. 4. & cap. 4. §. 2. inconcuſſa permanente. (2) Marius Victorinus Afer Lib. 1. (2)
adv. Arium ſententiam citat ex Liturgia Africana, quæ in ordine Romano non extat: *Sicut*, inquit, *& in Oblatione dicitur, Munda tibi populum circumvitalem, æmulatorem bonorum operum, circa tuam ſubſtantiam venientem.* Fulgentius quoque Ruſpenſis in Fragmentis editis a Sirmondo cap. 14. in Epiſt. 1. ad Cor. quodam teſtimonio Liturgiæ Africanæ utitur, quod in Romana non reperitur. Ex quibus, & ex aliis quibuſdam conjecturis ſuſpicor Ritum Africanum illi ſimilem tunc fuiſſe, qui in Hiſpania *Mozarabicus* dictus eſt. (3) In Anglia prima fidei ſemina ſparſiſſe dicitur Joſeph ab (3)
Arimathia, ut Gildas Britannus ſcribit: (4) & Tertullianus teſtis eſt *Lib.* (4)
adv. Judæos Cap. 7. Britannorum inacceſſa Romanis loca, ipſo vivente Chriſto ſubdita fuiſſe; nam tempore Eleutherii Papæ ſub Lucio Rege Evangelium publice ſuſceperunt, ut narrat Beda Lib. 1. cap. 4. Hiſt. gentis Anglorum. (5) Cum autem pulſis Britannis ab Anglis & Saxonibus idololatris (5)
Inſula occupata fuiſſet, Gregorius Magnus miſſo in eam Auguſtino, gentes illas ab Idolorum cultu ad fidem Chriſti convertit. Nec ulli dubitare fas eſt, quin ab iiſdem Pontificibus Eleutherio, & Gregorio Romanos ritus

Summorum Pontificum, Epiſcoporum piorumque Principum ſtudium, ut omnes Occidentis Eccleſiæ Ritus Romanos in ordine Miſſæ ſequerentur.

tus acceperint a quibus fidem ſuſceperunt : licet Gregorius facultatem tribuerit Auguſtino ex aliarum Eccleſiarum, præſertim Gallicanæ, uſibus decerpendi quicquid magis ad Dei gloriam expedire judicaſſet. Poſtea vero juſſu Agathonis miſſi ſunt ex Urbe Cantores, qui populum illum cantum Romanum docerent, de qua miſſione prolixam hiſtoriam refert Beda *Lib.* 4. *cap.* 18. Demum in Concilio Cloveshoviæ habito an. 747. can. 13. ſtatutum eſt, ut in Anglia ritus Romanæ Eccleſiæ in Miſſarum celebratione ſervaretur. Hiſpaniam Jacobi Apoſtoli prædicatione ad fidem converſam, conſtans illarum partium traditio eſt : (6) nec deſunt qui ſentiant Paulum (6) quoque eas regiones peragraſſe, (7) & illic prædicaſſe. Aſſerit Tertullianus ad Scapulam Cap. 4. nomen Chriſtianum ibidem vexatum a Præſide Legionis, & Cyprianus Epiſt. 68. ſcripſit ad Clerum & plebes in Hiſpania conſiſtentes. (8) Quo vero ritu tunc uterentur, nos latet, niſi quod Concilium Bracarenſe I. refert, Profuturum Archiepiſcopum Ordinem Miſſæ ab Apoſtolica Sede accepiſſe, (ut ſupra dictum eſt §. 1. num. 3.) Sed hic Ordo qualis fuerit incertum eſt. Scimus autem quod omnes Hiſpaniarum & Galliæ Narbonienſis Eccleſiæ ritu Mozarabico, de quo agam Cap. XI. diu uſæ ſunt uſque ad Gregorium VII. quo procurante Romanum ſuſceperunt. Germaniæ & Septententrionis plures nationes inter eas, quæ ſuo tempore Chriſti legem amplexæ fuerant, enumerat Tertullianus Lib. adv. Judæos: cumque S. Bonifacius fundato Moguntino Epiſcopatu Evangelium plurimum propagaſſet, Romanum etiam ritum ibidem conſtituit, de qua re extant Gregorii Secundi Literæ ad eundem Bonifacium. In Gallia fere omnes civitates primos Epiſcopos ab Apoſtolis illuc miſſos venerantur, quorum Catalogum hic texere & examinare non eſt mei inſtituti. (9) (9) Cum vero Franci Galliarum regnum in ſuam poteſtatem redegiſſent, gentes illæ, Clodovæo Rege baptizato, Chriſto initiatæ ſunt. Ritus ibidem varios fuiſſe fuſius oſtendam, cum de Miſſa Gallicana tractabo. Pipino autem & Carolo Magno regnantibus, propriis uſibus relictis, Romanis uti cœperunt.

(1) *Sanguine ſuo profuderunt*) Ad hunc locum legendus Chriſtianus Lupus in Scholiis ad eumdem Tertullianum pag. 560. ubi alia veterum Patrum congerit teſtimonia.

(2) *Forma etiam .... inconcuſſa permanente*) Videndus hac de re Emmanuel Scheleſtratius in ſuis Diſſertationibus de Eccleſia Africana, ubi prædicta omnia eruditiſſime confirmat. Vide item, quæ diximus ſupra cap. 4. §. 2. nota 3. ubi hæc uniformitas oſtenditur.

(3) *Qui in Hiſpania Mozarabicus dictus eſt*) Suſpicionem hanc, ſeu conjecturam, quam Emin. Author fortaſſe ex Jacobo de Vitriaco Epiſcopo Acconenſi lib. de Hiſt. Orient. cap. 81. & ex Joanne Bapt. Grammaye lib. 2. Africæ illuſtratæ cap. 6. qui idem ſentiunt, hauſit, dubiam habet, quinimmo rejicit, eamque improbat Emmanuel Scheleſtratius in ſua Eccleſia Africana Differt. 2. cap. 6. num. 5. & 6. ubi, quemadmodum in Prolegomenis ſibi propoſuerat, probare nititur : *Miſſam Africanam*, inquit, *non Mozarabicæ, ut putavit Cardinalis Bona, ſed antiquæ Romanæ conſonam fuiſſe*. Id etiam intendere videtur Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 2. num. 13. At eorum argumenta non ſatis dictam Emin. noſtri conjecturam evellunt; Miſſam quippe Africanam Mozarabicæ, quæ ex ipſa profluit, potius quam antiquæ Romanæ conſenſiſſe ex dicendis manifeſtum eſt. Et quidem in Africa quotidiani Sacrificii uſus erat, prout diximus, ex Tertulliano qui & de Jejun. cap. 14. *Nobis certe*, ait, *omnis dies etiam vulgata conſecratione celebratur* : ex Cypriani Epiſtola ad Cornelium Papam de Lapſis edit. Pamel. ord. 54. num. 3. ubi hæc habentur, *ut Sacerdotes, qui quotidie Sacrificia Dei celebramus* : & ex Auguſtino pluribus in locis, primo ex Sermone 58. de oratione Dominica ad competentes, ubi ait : *Oratio quotidie dicenda eſt vobis, cum baptizati fueritis. In Eccleſia enim ad Altare Dei quotidie dicitur iſta Dominica oratio, & audiunt illam fideles; non ergo timemus, ne minus diligenter eam teneatis, quia etſi quis veſtrum non poterit perfecte tenere, audiendo quotidie tenebit.* Deinde in Epiſt. 98. (quæ in novo ordine eſt 163.) Evodii ad Auguſtinum ubi clarius : *Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen in Sacramento non ſolum per omnes Paſchæ ſolemnitates, ſed omni die populis immolatur?* In Eccleſiis pariter Hiſpaniarum id etiam antiquitus uſitatum habemus ex Hieronymi Epiſt. 28., & ex Canone 5. Concilii Toletani I. an. 400. celebrati : *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclе-*

Miſſa Africana Mozarabicæ potius, quam Romanæ antiquæ ſimilis alverſus Scheleſtratum, & Mabillonium demonſtratur.

eccleſiæ deputatus Clericus, ſi intra Civitatem, vel in loco, in quo Eccleſia eſt, aut Caſtello, aut Vico, aut Villa ad Eccleſiam, ad Sacrificium quotidianum non acceſſerit, clericus non habeatur. In Romana vero Eccleſia aliter factum, & feria ſexta, ac Sabbato ceſſatum a Sacrificio propter jejunium, tradit Socrates in Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 22. uti ex eodem, aliiſque refert infra Emin. Author noſter cap. 18. §. 2. Socratem exſcribit Nicephorus lib. 12. Hiſt. Eccl. cap. 34. quod & confirmatur ex celebri Innocentii I. Epiſtola ad Decentium Eugubinum, cujus textum paulo infra §. 3. recitat idem Emin., & licet ipſe ibi de ſolo jejunio, non de Sacrificio intelligi debere exiſtimet, uti & alii recentiores eruditi, inter quos Petrus Couſtantius in Epiſt. Summ. Pontif. ad hunc Innocentii locum, in quem infra ſuo loco nonnulla adnotabimus; nihilominus ſi litteræ, ac textui inhærere velimus, habemus ex traditione Romanæ Eccleſiæ, *iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari*: immo uſque ad Gregorium II. Feriam quintam. Quadrageſimæ abſque Miſſa fuiſſe diſcimus ex Anaſtaſio Biblioth. in dicto Pontifice, qui de eodem ſic ſcribit: *Quadrageſimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque Miſſarum celebritas fieret in Eccleſiis, quod non agebatur, inſtituit.*

Tres iſti Miſſæ Ritus ſimul confe-runtur.

Verum omiſſis his, quæ non ad Sacrificium ſed ad Sacrificii tempus pertinent, quæ & ſuum habent robur, uti ſuo loco dicemus, alia inſuper ſuppetunt argumenta, quibus veterem Africanum ritui potius Mozarabico, quam Romano appropinquaſſe, ac conveniſſe demonſtratur. Et primo in Miſſali antiquo Mozarabo, ſicut & in Ambroſiano, duæ quotidie ad Miſſam præſcribuntur Lectiones dicendæ ante Evangelium, una quidem ex veteri, altera ex novo Teſtamento, idque etiam in Africa obſervatum non obſcure docet Tertullianus de Præſcript. cap. 36. *legem*, inquit, *& Prophetas cum Apoſtolicis Litteris miſcet, & inde &c.* Cui conſonat Auguſtinus Serm. 45. nov. edit. quem ſic auſpicatur. *In omnibus Lectionibus, quas audivimus, ſi animadvertit charitas veſtra, primam Lectionem Iſaiæ Prophetæ &c. deinde aſcendit Lectio Apoſtolica.* Et Sermone 82. ubi poſtquam egit de Lectione Evangelica num. 8. hæc habet: *quid eſt, quod ait Salomon, quod hodie ex alia Lectione primitus audivimus, &c.* Et infra num. 15. addit: *Auditis cum Epiſtola ad Hebræos legeretur.* Idem colligitur ex ejuſdem S. Doctoris Sermonibus 170. 176. de Verbis Apoſtoli, alias 10. in quo hæc habet: *has tres Lectiones*, (videlicet primam veteris Teſtamenti, ſecundam Apoſtolicam, tertiam Evangelicam, de quibus ibi loquitur) *quantum poſſumus, pertractemus.* Item in Serm. 281. qui ejus nomine circumfertur, & a PP. Benedictinis in appendice ad Tom. 5. rejicitur pag. 332. idem pene habetur. In Eccleſia vero Romana unicam tantum Lectionem, ſive ex veteri, ſive ex novo Teſtamento, exceptis aliquibus diebus, ſeu feriis, aut vigiliis, quibus plures legebantur, præſcriptam fuiſſe colligitur tum ex Hieronymi libro Comitis appellato, (de quo Emin. noſter infra lib. 2. cap. 6. §. 2.) ubi unica tantum lectio ſingulis diebus deſignatur, tum ex antiquis ejuſdem Eccleſiæ Sacramentorum Libris, in quibus poſt collectam, ſeu orationem in ordine Miſſæ legitur: *ſequitur Apoſtolus*, qua dictione unica Lectio, ſive ex Epiſtolis Pauli, vel aliis Canonicis, ex quibus ſæpe eadem Lectio deſumpta erat, indicatur, quare etiam ibi Epiſtola nuncupatur, licet ex aliis item Scripturæ libris quandoque legeretur.

Aliud inſuper indicium conſenſus Liturgiæ veteris Africanæ cum Miſſa Mozarabum ex eo dignoſcitur, quod quemadmodum in Africa Auguſtini tempore Symbolum ſtatim poſt Miſſam Catechumenorum recitabatur, uti ex ejus Sermone ad Competentes 58. num. 12. & 13., atque Emin. Scriptor liquido oſtendit lib. 2. cap. 8. ita etiam in Hiſpania jam ab anno 589. in Miſſa quidem Fidelium, ſed poſt Confecrationem priuſquam Dominica diceretur Oratio, voce clara a populo decantabatur, uti idem Emin. ibidem num. 2. In Eccleſia vero Romana antiquitus recitatum Symbolum non ante ſeculum 9. perſpicue demonſtrat ex Leonis III., & Joannis VIII. teſtimonio, aliiſque documentis Edmundus Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus Tom. I. lib. 1. cap. 4. art. 5. num. XI. pag. 377. Quod ſi ordinibus Roma[illegible] a Mabillonio editis attendamus, ad ſummum ad ſæc. 8. hujuſmodi uſus efferetur, cum eos ipſemet Mabillonius hoc ſeculo ſuperiores eſſe non præſumat. Quare his omnibus, dictiſque ab Emin. rationibus, ac momentis optime perpenſis, non video, cur ita facile prudens hujuſmodi conjectura ab Emmanuele Scheleſtratio, aliiſque floccipendi, ac rejici poſſit. Sed de Symbolo, ejuſque in-Miſſa recitatione iterum lib. 2. cap. 8. §. 2.

Joſeph ab Arimathia primus fertur Angliæ Apoſtolus.

(4) *Ut Gildas Britannus ſcribit*) Ac Polydorus Virgilius in Hiſtoria Anglorum lib. 2. conſtanſque illarum gentium traditio eſt, quam tamen improbant nonnulli rigidiores critici. Caterum, ſi vera ſunt, quæ de Joſepho narrantur, fertur hic a Judæis navi fine velis, & remis cum Maria Magdalena, Martha, Lazaro, & Maximino impoſitus, Deo duce, & remige Maſſiliam appuliſſe, ac ſubinde in Anglia poſt Chriſti Evangelium prædicatum obiiſſe, unde ab Anglis quaſi eorum Apoſtolus colitur. Ita Baronius ad annum Chriſti 35. nu. 4. & ante ipſum Lucius Dexter, quiſquis ille fuerit, in Chronico an 48. itemque veteres Hiſpaniæ Breviaria, præſertim Alluricenſe, & Palentinum apud Franciſcum Bivarium. Verum quidquid ſit de hoc Joſephi ab Arimathia in Angliam prodigioſo adventu, ejuſque nobilis Decurionis in iis regionibus prima fidei Chriſtianæ prædicatione, reipſa tamen ibi Chriſti Evangelium diſſeminaſſe, poſt longum hujuſce Anglicæ traditionis examen, teſtantur Acta Concilii Conſtantienſis ſeſſ. 30. Item Senenſe, ſeu Papienſe Concilium ſub Martino V. & Baſileenſe, de quibus quoad hunc Joſephi Apoſtolatum in Britannia legendum Anonymi cujuſdam Opuſculum ſic inſcripturn *Nobiliſſima Diſceptatio ſuper dignitate, & magnitudine Regnorum Britannici, & Gallici habita ab utriuſque Oratoribus, & Legatis in Concilio Conſtantienſi*: quod edi curavit Lovanii an. 1517. Robertus Wingfeldius Hen-

rici

riei VIII. Angliæ Regis Orator ad Maximilianum Imperatorem. Quin & Joannes Balæus Hibernus Oſorienſis Cent. 1. cap. 22. de dicti Joſephi ſepulchro, ejuſque Corporis translatione ad Monaſterium Glaſconienſe loquitur. At hæc cum obſcura ſint, non aliam, niſi, quam dicti Authores habent, fidem merentur.

(5) *"Ut narrat Beda lib. 1. cap. 4. Hiſt. Anglorum"*) Card. Baronius Lucium Britanniæ Regem Commodo, non Marco Aurelio ejus patre imperante ad fidem converſum ſcribit, teſteſque adhibet Adonem in Chronico, ac Rogerium de Wendover pariter in Chronico circa ann. 1335. in lucem edito. Verum Uſſerius Armachanus Libro de Britannicarum Eccleſiarum primordiis cap. 4. cum Beda, Hermanno Contracto, Mariano, Scoto, aliiſque, quibus longe major fides adhibenda, (ut ait Pagius in critica Baronii ad an. 181. num. 3.) hanc Britannorum converſionem refert ſub Marco Aurelio Imperatore, cum eam collocet circa initium Pontificatus Eleutherii, qui acceptis Lucii Literis illuc Fugatium, & Donatianum, ſeu Damianum ad Gentem illam Chriſtianæ fidei myſteriis imbuendam direxit. Id omne diſerte confirmat Ambroſius Gardeboſc Hiſt. Eccl. ſæc. 2. ſeu Tom. 2. lib. 1. Diſſert. 2. q. 2. ubi hanc Lucii Hiſtoriam veram eſſe oſtendit, & oppoſita in contrarium argumenta diluit. Britanni porro Chriſtianam fidem ex eo tempore amplexi eam retinuerunt quoad uſque immanis Diocletiani Imp. erupit furor; nam teſte Gilda ab Authore noſtro citato, deinde ob crudelitatem perſecutionis Religio ita refriguit, ut pene extincta tandem a S. Gregorio Magno, miſſis illuc doctis, & Sanctis viris Auguſtino, aliiſque Monachis Ord. S. Bened. ſub finem ſeculi ſexti renovata fuerit, quam uſque ad ſeculum decimum ſextum per mille circiter annos integram, inviolatamque conſervarunt, & circa Annum Chriſti 1534. per turpiſſimum ſchiſma ab Eccleſia Catholica Romana ſe obſtinate retraxerunt, in quo ſchiſmate, & hæreſi adjuncta adhuc hodie pertinaciſſime perſeverant.

(6) *Conſtans illorum partium traditio eſt.*) Ita ex Breviario Romano ad diem 25. Julii, & ex Cardinali Baronio in notis ad Martyrologium Romanum, ad quas in Annalibus ad an. 44. remiſerat Lectorem, qui tamen Tom. IX. eorumdem Annalium ad ann. 816. retractavit, quæ pro eadem Jacobi profectione in Hiſpanias dixerat in præfatis notis. Verum adverſus ipſum conſurrexit pro ſuarum Eccleſiarum traditione univerſa Hiſpania multis ea de re a quocumque hominum genere, ut ait Spondanus ad dictum ann. 44. num. 4. editis ſcriptis, quæ ſi vidiſſet Baronius, etiamſi non id neceſſario evincant, quod volunt, ſunt tamen ejuſmodi, ut eum potuerint in priori ſententia continere. Porro traditionem hanc viriliter, & acerrime, non ſine magna eruditione tuetur contra ejuſdem impugnatores, præcipue Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. ſæc. I. Diſſert. XV. prop. 2. alioſque nonnullos Scriptores Gallos Emin. Card. de Aguirre Tom. 1. Concil. Hiſp. Diſſert. 9. nu. 23. & ſeqq. item num. 137. ſcilicet a pag. 136. uſque ad 159., eamque ante ipſum amplexatus eſt Fevardentius in notis ad Irenæi lib. 1. cap. 3. Item eumdem hunc S. Jacobi Apoſtoli adventum in Hiſpaniam pluribus argumentis probat clar. Comes de Villarmajor Luſitanus in ſua Collectione Documentorum, Statutorum &c. Academiæ Regiæ Hiſtoricæ Luſitanicæ Tom. 2. Diſſert. 2. edit. Ulliſippone 1725. Idem pariter argumentum fuſe perſequitur D. Emmanuel Cajetanus Souſa Cler. Regul. nonnullis additis Diſſertationibus item Ulliſippone an. 1727. Vide etiam Acta SS. Julii Tom. 7. ubi in fine habentur vindiciæ breves pro dicta Hiſpanica S. Jacobi prædicatione adverſus Auguſtinianum quemdam. Denique nuperrimus Scriptor clar. Cajetanus Cenni in ſua Antiquitate Eccl. Hiſp. Tom. 1. Diſſert. 1. cap. 2. num. 15. pag. 37. poſt argumenta hinc inde diſcuſſa, in fine, *id ratum*, inquit, *& firmum eſſe debet, quod prædicatio S. Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniis firmo ac ſtabili fundamento traditionis innititur, non autem levi ſuppoſitorum operum authoritate, quæ non pauces deceperunt:* Firma igitur, atque non neganda, utpote ſolidis rationum, & authoritatum momentis munita, hæc de S. Jacobi Apoſtoli prædicatione Hiſpanorum traditio eſt, etſi eidem nonnulli intemperantiores refragentur.

S. Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam profectio aliquibus viriliter aſſerta.

(7) *Nec deſunt, qui ſentiant Paulum &c.*) Quoad Pauli Apoſtoli prædicationem in Hiſpania, id nedum traditione conſtat, ſed & authoritate plurium Sanctorum Patrum comprobatur, ut dictus Natalis Alexander apprime oſtendit ibid. Concl. I. neque refragatur heterodoxus Scriptor Jo. Erneſtus Grabbe in notis ad ſupracit. Irenæi locum. Et ſane de profectu Pauli Apoſtoli in Hiſpanias, ut de re certa ſcribit S. Athanaſius in Epiſtola ad Dracontium, id ipſum ſentit S. Hieronymus, qui apocryphis non facile fidem adhibere conſuevit, in Iſaiæ cap. 11., & in Amos cap. 5. Hoc & profitentur S. Cyrillus Hieroſolym. Cathech. 17. Epiphanius in Panar. hær. 27. S. Joannes Chryſoſt. hom. 76. in Matth. & Thodoretus in I. Epiſt. ad Philipp. cap. 1. aliique veterum Scriptorum plures apud Baronium in notis ad Martyrolog. Roman. 22. Martii, & fuſius in Annalibus. Et licet Dupinius, ubi de S. Paulo differit, Prælim. pag. 183., & 391. Bibl. Eccl. Tillemontius art. 47. pag. 315., & annot. in D. Paulum pag. 609. in dubium referant, quod de Pauli in Hiſpanias profectione dicti Patres expreſſe aſſerunt, illos non de Pauli facto, ſed de intentione interpretantes; utrumque nihilominus inter primarios noſtri temporis criticos juſta cenſoria virga invicte percellit P. Honoratus a S. Maria in ſuis Animadverſionibus in regulas, & uſum critices Tom. 1. Diſſert. 2. art. 8., cui non eſt quid reponant dicti, cæteroquin eruditiſſimi Scriptores.

Item Sancti Pauli Apoſtoli.

(8) *Et plebes in Hiſpania confiſtentes*) Ad hanc Cypriani Epiſtolam eruditiſſimas texuit notas Card. de Aguirre Tom. 1. Concil. Hiſpan. pag. 160. Præterea, ſi Flavii Lucii Dextri Chronico fides adhibenda eſt, florentiſſimam, ſecundo maxime Chriſti ſeculo, Hiſpaniarum Eccle-

Ecclesiam extitisse facile persuasum erit, plures siquidem is Author memorat Ecclesias suis propriis Episcopis, & Sacerdotibus decoratas, quorum nomina ibi recitantur; plurimorum insuper Martyrum ibidem mentio, ex quibus quid de rebus Ecclesiæ primi, & secundi seculi in Hispania ipsi Hispani senserint, innotescit. Cæterum etsi Dextriani Chronici fides Eruditis omnino suspecta sit, non tamen existimandum illius Chronici Compilatorem, seu corruptorem ita mala fide scripsisse, ac temere omnia absque ullo delectu congessisse, quin aliquando ex puro & antiquiore monumento quidpiam veri hauserit; quemadmodum enim vix ullus est Author tam emunctæ naris, cui aliquid falsi, five per insciti am, five per oscitantiam non excidat; ita e contra nullus est tam ignarus, & negligens, qui quidpiam boni, seu veri non proferat. Quare admodum probabile est ipsum quandoque incidisse in solidum aliquod monumentum, ex quo defumpta putanda sunt ea, quæ in antiquis plurium Hispaniæ Ecclesiarum tabulis memoriæ commendata leguntur; proinde ullo absque dubio affirmandum Hispaniarum Ecclesias a primis seculis Christiana fide imbutas Episcopos suos, Sacerdotes, Clerum, & populum fidelem sacris ritibus, & cæremoniis instructos habuisse, sed quo ordine, qua Liturgia, qua disciplina tunc usi fuerint, incertum. Constat quidem apud Hispanos jam ante quartum seculum Sacrificii Christiani usum extitisse, prout supra didicimus ex Toletano Concilio I. Constat item ex Innocentii Papæ I. Epistola ad Decentium eosdem Hispanos ad Romanæ Ecclesiæ ritus acceptandos, itemque ex ejusdem alia ad dictum Concilium Epistola, ut collapsæ in Hispaniis disciplinæ Ecclesiasticæ mederentur, invitatos, & hortatos fuisse; sed an Romanum Ordinem jam ex tunc acceptaverint Hispani Præsules, certo definiri posse incompertum est.

Dextri Chronicon, etsi in plerisque suspectum, non tamen in omnibus repuendum.

(9) *Quorum Catalogum texere .... non est mei instituti*) De primis Galliarum Episcopis videndi Jo. Chenu notitia Episcopatuum Galliæ, Carolus le Cointe in Annalibus Eccl. Francorum, Sanmarthani fratres in Gallia Christiana, Lud. Thomassinus Discipl. Eccl. ver. & nov. Natalis Alexander in sua Hist. Eccl. sæc. I. & II. Ambrosius Gardeboscus pariter in sua Hist. Eccl. Tom. 1. aliique.

§. IV.

Quorumdam in hoc venitentia, ejusque causæ.

HAC uniformitate in omnes Ecclesias Occidentales, excepta Mediolanensi, tandem introducta, factum est ut errores & abusus tollerentur, quos experientia docuit in multa consuetudinum discrepantia vix posse evitari. Non omnibus tamen Ecclesiis, quæ Latino sermone sacra persolvunt, eadem facilitate potuerunt Pontifices persuadere, ut proprios Ritus abrogarent, & Romanis uterentur. Exortæ sunt enim turbæ & contentiones, pugnantibus quibusdam pro patriis moribus tanquam pro aris & focis, (1) ac si salus in illis, & fidei fundamenta consisterent. Adhærent nimirum plerique mortalium consuetudinibus, quas cum lacte imbiberunt, longo usu assueti ea omnia respuere, quæ ab illis diversa sunt. Quod si robur accedat præjudicatæ opinioni ex eorum sanctitate, quos veluti Auctores Rituum suorum colunt, vix locus relinquitur contrariæ persuasioni, omnem inobedientiæ & pervicaciæ notam eluente prætextu pietatis & Religionis. Hanc reddit rationem Sozomenus *Lib. 7. Cap. 19.* cur plerique semel susceptis ritibus pertinaciter inhæserint, quia videlicet ob reverentiam vel eorum, qui eos ab initio introduxerunt, vel eorum, qui istis successerunt, prævaricari sibi nec licitum, nec tolerandum esse putabant. Sequitur Sozomenum Nicephorus lib. 12. cap. 34. *Tales*, inquit, *dissensiones in Ecclesiis invaluisse opinor, reverentia eorum qui eis ab initio præfuerunt, & qui illis deinde successerunt. Nam ii tanquam leges quasdam ab illis acceptas per manus posteris tradiderunt; non satis pium, neque ferendum esse arbitrati, si traditiones, in quibus educati essent, non honorifice colerent, sed contemptim reijcerent.* Accedit alia ratio ex ipsa vi & potentia consuetudinis, quæ cum inveterata est, vix potest vinci. Ideo homines vindices esse solent & acerrimi propugnatores legum, & cæremoniarum, quas a Majoribus acceperunt, & cum iis innutriti sint, non facile possunt ab earum usu divelli. Omnes denique in his quæ fidei non adversantur, abundant in proprio sensu, adeo, ut nec Sancti viri ab hac communi mortalium affectione immunes fuerint. Cui dicto fidem præstat

(1)

Ambro-

Ambrosius lib. 3. de Sacram. Cap. 1. *In omnibus*, ait, *cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, & nos recte custodimus*. Hæc Ambrosius, si tamen ipse horum librorum, qui de Sacramentis inscribuntur, Auctor est. Testatur quidem Augustinus scripsisse Ambrosium libros de Sacramentis, sive de Philisophia adversus Platonem, quorum meminit *lib.* 2. *Retract. cap.* 4. *& de doctrina Christiana lib.* 2. *cap.* 28. eosque petiit sibi mitti a S. Paulino Epist. 34. (seu 31. novis. edit.). Sed illi vel perierunt, vel alicubi latent, longeque diversi sunt ab his qui nunc extant, ut patet ex sententiis, quas ex illis citat idem Augustinus Lib. 2. primi operis adversus Julianum cap. 5. & tribus sequentibus. De his vero, quos hodie habemus,

Card. Bona e Catholicis primus, qui S. Ambrosii libros de Sacramentis dubios habuerit.

fecit primo ut dubitarem styli diversitas; cum enim Opera Ambrosii ante aliquot annos haud perfunctorie percurrerem, cum ad hoc perveni, visus sum mihi alterius linguæ hominem ab Ambrosio prorsus diversum loquentem audire. Tum animadverti loca Scripturæ in his citata non esse ejus versionis, qua in aliis libris Ambrosius uti consuevit. Quædam etiam in his reperi, quæ seculo Ambrosii minus convenire visa sunt. (2) Nihilominus a scriptoribus octavi, & noni Seculi laudantur sæpius tanquam Ambrosii legitimus fœtus, quorum auctoritati cedens eos deinceps sub ejus nomine, cujus est possessio, semper citabo. Meam autem suspicionem seu conjecturam Doctioribus examinandam relinquo, & ad Missam Romanam redeo, a qua digressus sum. Hæc, ut dixi, ab omnibus in Occidente recepta est, cunctorum enim repugnantium & contradicentium pervicaciam vicit Pontificum potestas, & industria, Regumque ac Principum erga Apostolicam Sedem reverentia. (2)

(1) *Exortæ sunt enim turbæ, & contentiones &c.*) Vide infra cap. X. §. I. ubi de Ambrosiano Ritu, & cap. XI. §. 3. ubi de Missa Mozarabum. Huc etiam referri possunt, quæ infra dicentur §. 6. & 7. Item narrata apud Bzovium in Pio V. ad an. 1568. num. 47., ac quæ leguntur in ejusdem Sancti Pontificis, & Clementis Papæ VIII. Bullis de Ecclesiastici Officii reformatione, Romano Missali, & Breviario præfixis.

(2) *Quædam etiam in his reperi, quæ &c.*) Ad illustrandam, confirmandamque Emin. Scriptoris suspicionem, seu conjecturam, quam ipse primus, quod sciam, inter Catholicos elevat, atque humiliter, & ingenue pro more suo doctioribus examinandam reliquit, cuique postmodum plerique inter Eruditos non infimi subsellii viri lubenti animo subscripsere, Arnaldus de frequenti Commun. parte 1. cap. 13. Godefridus Hermant in Vita S. Ambrosii pag. 30. Mabillonius de Liturgia Gallicana, & ex ipso Benedictini Patres Ambrosii Operum Editores. Dupinius in Bibl. Eccl. Tom. 2. Petrus le Brun Explicat. Missæ Tom. 2. pag. 26. Tillemontius Histor. Ecclesiast. Tom. X. edit. Venetæ pag. 765. nota 62. aliique, refragantibus nonnullis post Cardinales Perronium in Perronianis edit. Colonien. 1669. pag. 7. Bellarminum, & Labbeum de Scriptoribus Ecclesiasticis, præcipue Natali Alexandro Hist. Eccl. sec. 4. cap. 6. art. 27. §. 2. integra foret, ac prolira disceptandum Dissertatione, sed quum tanti non sim ingenii, ut id valeam, idemque operis nuper susceperint, ac felici exitu perfecerint Laudati Benedictini Ascetæ in docta sua Prælatione ad dictos Ambrosio adscriptos libros de Sacramentis, idcirco er iis, quæ ipsi fusius prosecuti sunt, paucula nobis delibare sufficiat.

Cujus suspicionis seu conjecturæ adhærendum censent Benedictini Patres Ambrosii Operum Editores, aliique plures viri docti.

Et primo cum iisdem observandum Catholicis perinde esse, cuicumque opus illud tribuatur, quia Ambrosius eamdem doctrinam habet in Tractatu suo de Mysteriis, quæ eidem Sancto Doctori strenue vindicant dicti eruditissimi Patres contra Bulengerum, Cocum, aliosque Protestantes, quorum etiam plerique inter ipsos doctiores Ambrosium illius Tractatus Authorem ultro fatentur; idcirco quamvis cum nonnullis supponeretur Authorem librorum de Sacramentis seculo septimo, vel octavo floruisse, uti hæretici Aubertinus, & Dallæus volunt, causam tamen Ecclesiæ Catholicæ contra ipsos validiorem fore, quia duos diversos testes haberet, qui ejusdem Ecclesiæ sententiam assererent, & quidem diversis seculis, Ambrosium scilicet quarto seculo in dicto libro de Mysteriis, vel Sacramentis, & alterum hunc Authorem seculo septimo, vel octavo in libris, ut supponitur, de Sacramentis. Nihilominus quia non pro cujusque ingenio, aut partium studio, sed pro rei veritate res quæque eraminanda, ac judicanda est, ideo quæstionem hanc circa Authorem hujus Operis Ambrosii nomine inscripti maxima cum sinceritate expendunt Benedictini Patres, quasi numquam fuisset exagitata; referunt ea omnia, quæ in hanc rem dicta sunt, deinde cunctis partium rationibus ad itrut-

trutinam revocatis æquissimo, ac prudentissimo judicio sententiam suam proferunt Emin. nostri opinioni conformem, & solidis firmant rationibus.

Primum improbant contumelias, quibus maligni Critici Protestantes Authorem illum lacerant, ferre nequeunt, eum tamquam ignarum, impostorem, ridiculum, mendacem ab iis repræsentatum iri, quasdam sententias errantes, & absurdas, quas Cocus, Rivetus, & Dallæus, aliique Calvinistæ ipsi impegerunt, ab eo amovent, evincunt; denique ei immerito a præfatis Novatoribus falsam subtilitatem, barbariem, & allegorias futiles exprobrari. Deinde rationibus, quibus ex nostris Catholici Authorcs; plerique hujusmodi de Sacramentis libros Ambrosii fœtum esse probant, doctissime respondent, simulque eas non multum certas esse ostendunt. Et quidem primaria horum ratio petita ex authoritate plurium Manuscriptorum Codicum antiquorum, in quibus libri illi Ambrosii nomen præferunt, quibus item suffragantur editiones omnes, quæ de iis prodierunt, accedente testimonio plurimorum seculi noni, & sequentium Scriptorum, videlicet Hincmari Rhemensis, Deoduvini Leodiensis, Paschasii Ratberti, Ratramni Corbejensis Monachi, Flori Lugdunensis Diaconi, Lanfranci, Berengarii, Algeri, Guitmundi, Durandi Troarnensis Abbatis, Ivonis Carnotensis, Gratiani, Magistri sententiarum, aliorumque recentiorum, qui omnes præfatos libros de Sacramentis sub Ambrosii nomine laudarunt, etsi argumentum satis plausibile reddere videatur, nihilominus id certum penitus non esse ostendunt eruditissimi Asceræ; quot enim, inquiunt, adjudicata sunt, & quotidie adjudicantur opera Authoribus, sub quorum nominibus semper prodierant? Quis ignorat plerosque, qui postremis seculis Opera Patrum laudarunt, diligenter non expendisse utrum illa eadem, quæ citabant, eorum essent, sed vulgari inscriptioni stetisse? Quod attinet ad Codices Manuscriptos, dicti Religiosi antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimi affirmant, vetustioribus nullum Authoris nomen præfixum esse, & verisimile recentioribus Ambrosii nomen appositum fuisse, vel quia compertum erat argumentum illud ab Ambrosio tractatum esse, vel etiam, quia libros istos reperarent unacum libro de Mysteriis, qui circa eamdem materiam versatur, cumque huic nomen Ambrosii, qui verus, ac germanus ejus Author est, præfixum esset, arbitrati erant, posteriores quoque ejusdem Sancti Doctoris esse.

Respondetur objectionibus in contrarium adductis.

Ad aliud argumentum desumptum ex styli hujus Operis convenientia cum stylo Libri de Mysteriis reponunt laudatissimi Patres, verum quidem esse Authorem illum Ambrosii adeo studiosum imitatorem fore, ut transcribat, quæ ab eo dicta sunt, sed observant illum, dum transcribit, eadem accommodare stylo suo, qui Ambrosii multo inferior est. Sane quamvis accidere possit, ut Author idem modo simpliciori, minusque elato scribat, quam solet, ejus tamen ingenii vis eadem ubique semper elucet; neque enim contingit ut Author, qui vulgo eleganti, ac nobili stylo utitur, idem penitus inculto, vili, abjectoque modo umquam scribat. Ambrosius hac in parte numquam peccat, non frigidas, & pueriles adhibet interrogationes similes iis, quæ passim in hoc Tractatu occurrunt. Præterea verisimile non est Ambrosium tam accurate se ipsum imitatum fuisse, & transcripsisse alteram partem libri sui de Mysteriis, & alteram Tractatus, quem de Virginis Institutione inscripsit. Quibus omnibus, aliisque momentis utrinque sapientissime discussis, & æqua lance perpensis, Emin. nostri suspicioni potius, quam contrariæ sententiæ adhærentes præfati Monachi dissertissimi rationem cur dictum opus Ambrosio adscriptum de Sacramentis inter dubia, aut supposititia illius Sancti Patris opera non rejecerint, nec a genuinorum ejusdem numero expunxerint, ingenue fatentur, quod nempe in hac re derogatum noluere cujusquam opinioni, non ignorantes inde plurimos fore, qui scriptionem hanc pro Ambrosiana tandiu communi pene consensu habitam solito suo loco privari molestе ferrent, adeoque propensius illam in ordine suo, & possessione duxerunt conservandam, quod cum ex Ambrosii sententiis, plerumque etiam verbis concita fuerit, hac saltem de causa, quæ Ambrosianis accenseatur, indignam non existimarunt prudentissimi Patres, quorum rectum, sapiens, sincerumque judicium satis erit pro roboranda, tuendaque Emin. Cardinalis conjectura, qua hujusmodi Sacramentorum Libri ab Ambrosianis arceri non sine suo rationum pondere censentur.

Disquiritur quis illorum librorum vetus Author fuerit.

Porro quis hujus Operis genuinus Author sit, non est hoc loci nostrum penitus inquirere; illum dignoscere conantur memorati Ambrosianorum Operum Editores, sed in eodem indicando hærent, neque an Venerius Mediolanensis, aut alius quivis alterius Ecclesiæ Episcopus fuerit, affirmare audent. Casimirus Oudinus in suo Opere de Scriptoribus Ecclesiasticis Tom. 1. ad calcem col. 1807., & seqq. peculiari Dissertatione totis viribus probare nititur Sanctum Ambrosium Cadurcensem Episcopum octavo seculo definente doctrinæ, & sanctitatis fama in Galliis celebrem horum librorum parentem esse. Præcipuum ipsius in hac sententia momentum est, quod nec Paschasius Ratbertus, nec Ratramnus Corbejenses Monachi, qui seculo nono scripserunt, libros istos Ambrosii nomine allegantes, per Ambrosium a se citatum illum Mediolanensem Archiepiscopum nequaquam, aut ullo modo indicaverint, sed nude tantum Ambrosium vel Ambrosium Episcopum appellarint. Ast, uti scite observat Pater Joseph Antonius Orsi Ord. Præd. in sua Theol. Dissertatione de Liturgica Sancti Spiritus invocatione cap. 2. pag. 42., & 43. nihil hac audacissimi Apostatæ conjectura frigidius, & insulsius est, quum nihil exploratius sit, quam Paschasium, aliosque noni seculi Scriptores hos libros allegantes per Ambrosium a se citatum, Mediolanensem Archiepiscopum intellexisse. Paschasius Ratbertus Epistola ad Furdegardum post quædam relata S. Ambrosii verba, statim subjungit: *Ecce ipse in hoc contrarius sibi non est, ut quidam putant, cujus sententia hæc plenissima,*

ſima, inquam, & veriſſima in eo eſt libro, quo ait, quia ipſa eſt Caro Chriſti in Sacramento, quæ de Maria Virgine ſumpta eſt, & Sanguis, qui de Cruce fluxit ex latere. Ita & B. Cyprianus confirmat in eo Opere ad Populum, ubi de Sacramento Corporis Chriſti, & Sanguinis loquitur; quos ſequitur ſubtiliſſimus diſputator præfatus Pater Auguſtinus &c. An Ambroſium Cadurcenſem Auguſtino quatuor pene ſeculis poſteriorem ipſe Auguſtinus ſequutus eſt? Deinde ab hujus ſeculi Scriptoribus valde alienum eſt, ut omnes norunt Eruditi, pene coætaneos Authores inter præcipuos Eccleſiæ Patres recenſere, & eorum teſtimoniis ad confirmanda Eccleſiæ dogmata uti, cum ſemper ad antiquiores recurrere conſuetum fuerit.

Non Ambroſius Cadurcenſis Epiſcopus, ut vult Oudinus.

Neque refert, quod Ambroſium laudando Mediolanenſis Archiepiſcopi titulum non adjecerit, nam & alios citans indubios ejuſdem Sancti Doctoris libros præfatum titulum omittit, immo adverſarii conjecturam id argumenti manifeſtiſſime evertit, quandoquidem inter Eccleſiaſticos Scriptores cum celeberrimum eſſet Ambroſii Mediolanenſis Archiepiſcopi nomen, & Ambroſii recentis Epiſcopi Cadurcenſis ignotum pene, & obſcurum, hujus Epiſcopatum minime ſiluiſſent, ne quod proclive erat, ac obvium, audito inter alios Eccleſiæ Doctores Hilarium, Auguſtinum, Gregorium &c. Ambroſii nomine ſtatim Mediolanenſem Archiepiſcopum intelligeremus. Certum itaque eſt Paſchaſium, & Ratramnum non alii, quam Ambroſio Mediolanenſi libros de Sacramentis adjudicaſſe. Jam vero id interrogo (inquit laudatus nuperrimus Scriptor) an veroſimile ſit in ejuſmodi errorem viros doctos circa Authorem pene coævum, & conterraneum incidere potuiſſe? Nam librum *de Corpore, & Sanguine Domini* an. 831. ut oſtendit Mabillonius Præf. 2. in ſec. IV. Bened. §. 1. num. 4. & §. 4. num. 17. Paſchaſius elucubravit, trigeſimo circiter anno ab obitu Cadurcenſis Epiſcopi, vel alterius Authoris, qui poſt receptum in Galliis Caroli Magni opera ordinem Romanum, ut Oudino placet, in iiſdem Galliis floruerit. Quo cum nihil fingi poſſit abſurdius, potius ad ſeculum ſextum laudatum Scriptorem retrahendum judico, ne ſe omnium ludibrio expoſuiſſe dicamus, qui ad illum ineunte ſeculo nono, ut ad Ambroſium Mediolanenſem Archiepiſcopum, confugiebant. Hactenus clariſs. P. Magiſter Orſius, cujus rationibus eorum etiam corruit opinio, qui Ambroſio Autperto Ord. S. Benedicti Abbati ſeculi octavi Scriptori, forſitan ex nominis affinitate decepti hos Sacramentorum libros tribuunt.

Neque Ambroſius Autpertus, ut alii perperam arbitrantur.

Omnium probabilior eſt illorum ſententia, qui hos libros de Sacramentis S. Maximo Taurinenſi Epiſcopo adſcribendos cenſent; ita cl. Joannes Mabillonius Muſæi Ital. Tom. 1. p. 2. in Præf. ad Homilias ejuſdem S. Maximi, quas ipſe primo edidit, ubi obſervat memoratos ſex libros, ſeu Sermones de Sacramentis, qui Ambroſio in editis tribuuntur, abſque Authoris nomine inſeri ſermonibus, ſeu Homiliis prædictis S. Maximi in Codice Monaſterii S. Galli antiquiſſimo, quem ab annis mille exaratum exiſtimat, atque in Sermones ſeptem diſtribui, ex quo ſuſpicatur vir doctiſſimus hos prædictos Sermones, qui de Sacramentis ſunt, & iidem cum editis ſub Ambroſii nomine, vere Ambroſii non eſſe, ſed Sancti Maximi Taurinenſis Epiſcopi, qui quinto ſeculo floruit; præterea pergit Mabillonius: hi Sermones, ſeu Homiliæ in dicto Codice Sangallenſi ita ſimul collectæ, & colligatæ ſunt, ſibique invicem reſpondent, ut ſi unius Author exploratus habeatur, idem & de aliis conſequens ſit ferendum judicium: Author quippe paſſim Homiliæ præcedentis in ſubſequenti mentionem facit. Cum autem pleræque earum Maximum, uti legitimum parentem agnoſcant, utpote quas Gennadius manifeſte deſignavit, cæteras quoque, & has pariter de Sacramentis eidem tribui debere non inficiandum.

Sed potius S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus, cui probabilius ii libri tribuendi.

Ut ut ſit de horum Librorum Authore, eo ſtabilior viget ſuis, noviſque non deſtituta ſuffragiis Emin. noſtri conjectura, quod hi Sacramentorum libri hucuſque S. Ambroſio Mediolanenſi attributi, vere Ambroſii illius non ſint, ſed alterius Eccleſiaſtici Scriptoris; hunc porro vixiſſe ante VII. ſeculum probabilius exiſtimo; & ad id credendum duo præſertim argumenta me movent. Primum eſt, quod Author libri 3. cap. 2. num. 12. Catechumenos, & quidem plures ſuo tempore adhuc extitiſſe, aperte indicat, ibi: *Ergo, quando dediſti nomen tuum, tulit lutum, & linivit ſuper oculos tuos*: Adhuc igitur tunc temporis nomen ſuum dabant ad baptiſmum Catechumeni, qui in Competentium ordinem admittebantur, Catechumenos autem ante ſeculum VII. deſiiſſe, cum nulli amplius infideles exiſterent, oſtendunt Emin. noſter infra cap. 16. §. 7. & poſt ipſum Morinus de Catechum. expiatione cap. 16. Alterum eſt, quod idem ibidem lib. 4. cap. 5. ait: *Dicit tibi Sacerdos, Corpus Chriſti, & tu dicis Amen*, hoc eſt verum: Fideles autem Sacerdoti reſpondebant *Amen*, quum Euchariſtiam manu accipiebant, poſtquam vero ſtatutum eſt illam ore ſumere, nihil reſpondent. Deſiit porro ante idem ſeculum VII. Euchariſtia a fidelibus manu ſumi, ut ex Emin. Authore ſuo loco lib. 2. cap. 17. §. 7. His omnibus undequaque perpenſis, ſive S. Maximo Taurinenſi Epiſcopo, qui poſt Ambroſium medio ferme ſeculo floruit, tribuantur hi Sacramentorum Libri, ut putat Mabillonius; ſive Venerio Mediolanenſi, Ambroſii diſcipulo, & ſucceſſori, uti ſuſpicantur Benedictini Patres Ambroſii Operum Editores; Sive alteri Eccleſiaſtico Scriptori, qui quinto, vel ſexto ſeculo vixerit, ut ex duobus mox allatis momentis arbitramur, plane conſtat ſuo rationum pondere firmata Emin. noſtri conjectura, eoſdem nempe de Sacramentis Libros hucuſque Ambroſio tributos, ejuſdem Sancti Doctoris fœtum non eſſe.

Quiſquis illorum Author fuerit, conſtat hunc ante ſeculum ſeptimum vixiſſe.

§. V.

Romanæ Eccleſiæ tradita Miſſa a Petro Apoſtolo, ab aliis auctа.

POrro hic de Miſſa Romana inquirendum neceſſario videtur, a quo primum inſtituta fuerit, & quibus incrementis ad eum ſtatum pervenerit, in quo nunc reperitur. Utrumque dubium egregie diſſolvit Walfridus Abbas *lib. de reb. Eccl. cap.* 22. Nam poſtquam ſtatuit ex Majorum traditione conſtare Miſſam temporibus Apoſtolorum multo breviorem fuiſſe quam nunc ſit, proficiente deinde Religione a Succeſſoribus Apoſtolorum auctam, non quod illis fuerint ſcientia & pietate majores, ſed quia tempora ſic exigebant, tum ſubdit. *Et Romani quidem uſum obſervationum a B. Petro Principe Apoſtolorum accipientes, ſuis quique temporibus quæ congrua judicata ſunt addiderunt. Quorum morem ideo in ſacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia & tanti magiſterii ex apice Apoſtolico primordiis clarent, & nulla per orbem Eccleſia æque ut Romana ab omni fœce hæreſeon cunctis retro temporibus pura permanſit.* Poſt hæc percurrens ordinem Miſſæ fuſius ediſſerit, a Celeſtino Papa *Introitum*, a Teleſphoro *Hymnum Angelicum*, ab aliis alia inſtituta, quæ a nobis Lib. II. cum de ſingulis Miſſæ partibus agemus, ſingillatim examinabuntur. Vigilius Papa Epiſt. ad Eutherium, (1) *Ordinem precum*, ait, *in celebritate Miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtivitate ſignificamus habere diverſum, ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrare. Quapropter ipſius Canonicæ precis textum direximus ſubter adjectum, quem Deo propitio ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus.* Idem aſſerit Iſidorus lib. 1. de Eccl. Offic. cap. 15. *Ordo Miſſæ vel orationum, quibus oblata Deo Sacrificia conſecrantur, primum a Sancto Petro eſt inſtitutus, cujus celebrationem uno eodemque modo univerſus peragit orbis.* Legendus quoque Innocentius I. loco citato Capite ſuperiori. Ex quo & aliis habemus antiquam, & immemorabilem traditionem eſſe, Miſſæ ordinem a Petro Apoſtolo traditum Romanæ Eccleſiæ, (2) cui Succeſſores aliquot preces, & cæremonias addiderunt. (3) Ita enim fert rerum omnium conditio, ut initium ſuum habeant, ſequatur incrementum, omnibus demum numeris perficiantur. Quod vero dixit Iſidorus Miſſæ celebrationem uno eodemque modo peragi ab univerſo Orbe, hoc de re & ſubſtantia, non de verborum tenore ac cæremoniis intelligendum eſt. Quod item aſſerui omnes Eccleſias Occidentales, Mediolanenſi excepta, Miſſa Romana nunc uti, de illis etiam dictum volo, quæ Miſſale proprium habent, ſive Seculares ſint, ſive Regulares. Omnes enim cum Romanis conveniunt in forma & diſpoſitione Miſſæ; idem prorſus apud omnes eſt Canon; idem ordo, & eadem ſeries Confeſſionis, Introitus, Collectarum, Epiſtolæ, Gradualis, Verſus, vel Tractus, Evangelii, Symboli, Offertorii, Præfationis, Canonis, Communionis, gratiarum actionis, & finis. Quod autem aliqui omittant pſalmum ante Confeſſionem, quod formulam confeſſionis breviorem habeant, quod panem & vinum unica oblatione offerant, quod item oblatio aliis verbis concepta ſit: quod diverſas a Romanis Epiſtolas & Evangelia legant, quod non eaſdem feſtivitates Sanctorum celebrent, quod in modo procedendi, thus adolendi, & aliis hujuſmodi minutioribus ab uſu Romano diſcrepent, hæc proculdubio nec Ritus diverſitatem inducunt, nec Ritum peculiarem conſtituunt.

(1)

(2)

(3)

Miſſa Romana omnibus Occidentalis Eccleſiis, Mediolanenſi excepta, communis.

(1) *Vi-*

(1) *Vigilius Papa Epist. ad Eutherium*) In omnibus haſtenus Conciliorum editionibus, etiam in Pariſienſi Labbei, & Coſſartii hujus Epiſtolæ titulus inſcriptus quidem erat ad Eutherium; revera tamen a Vigilio data fuit hæc Epiſtola ad Profuturum Bracarenſem Epiſcopum, uti ſupra §. 1. num. 3. monuimus ex Baluzio. Id etiam ingeuue fatetur Emin. Card. de Aguirre Tom. 2. Concil. Hiſpaniæ pag. 277. qui monitus primum per litteras a D. Joanne Mabillonio id poſtea veriſſimum deprehendit ex Concilio Bracarenſi I. quod paulo poſt refert. Idem antea, ut diximus, adverterat Steph. Baluzius in ſua nova Conciliorum collectione loco ſupracit. ubi etiam hanc eamdem Epiſtolam cum inſcriptione ad Profuturum Bracarenſem, nedum in vetuſtiſſimo Codice Eccleſiæ Lugdunenſis, ſed & in duobus Bibliothecæ Colbertinæ optimis, & ſignatis nu. 408., & 3970. extare fidem facit. Neque obſtat, quod hæc Epiſtola in dictis Codicibus legatur data an. 538., in quo nondum Vigilius fuerat rite in Pontificem electus, namveluti talem ſe gerebat, & ut Pontifex Summus creditus conſulebatur a pluribus Epiſcopis, ac ſi jure, & canonice Sedem Apoſtolicam poſſideret, uti notat Baronius ad dictum annum a num. 21. ad 29. Cæterum fieri poteſt ut Epiſcopus ille Tarraconenſis, ad quem Vigilius Papa ſcripſit, utroque nomine appellaretur & Eutherius, & Profuturus. Ita variantes MSS. Codicum Lectiones conciliari commode poſſent.

(2) *Missæ ordinem a Petro Apostolo traditum Romanæ Ecclesiæ*) De hac traditione ſic ſcribit clar. P. Honoratus a Sancta Maria lib. 5. de uſu Critices Diſſert. 3. art. 2. §. 2. (de quo nos infra ad cap. 9. §. 8. nota 4.) Licet „ D. Paulus primus, atque unus Apoſtolo„ rum ſit, qui ſcripto tradiderit prim am Sa„ cræ Liturgiæ ſpeciem, quæ revera præci„ puas miſſæ partes complectitur, religioſa„ in unaquaque Liturgia deinceps in Eccle„ ſia prodita ſervatas, nihilominus conſtans „ ſeculorum omnium traditio nos docet SS. „ Petrum, & Jacobum ore ſaltem tenus, „ atque exemplo normam dediſſe Liturgia„ rum omnium, quæ ab Eccleſia Græca, & „ Latina uſurpatæ fuerunt. Quo ſtante S. Pe„ trus habendus eſt tamquam primus inſtitu„ tor Miſſæ Romanæ, & S. Jacobus Hiero„ ſolymitanæ, quæ deinde propagatæ ſunt, „ prior in omnibus Occidentis, altera in Orientis Eccleſiis. Ita religioſus, & Criticorum eruditus Inſpector. Hanc porro antiquiſſimam, non Romanæ tantum, ac Latinæ, ſed & Græcæ, totius proinde univerſalis Eccleſiæ traditionem, quam Occidentis, & Orientis vetuſtiſſimi Patrum prædicant, inter quos ex Latinis Tertullianus, ex Græcis Irenæus, ambo ſecundi ſeculi Scriptores ſupra ab Emin. relati §. 3. fic & argumentis comprobamus.

Missæ Ordinem a Petro Romanæ Ecclesiæ traditum ratiocinio comprobatur.

Si enim Eccleſias ab Apoſtolis inſtitutas formam aliquam, & ritum offerendi Sacrificium ab iiſdem accepiſſe indubium eſt, uti nec diſſentur heterodoxi Scriptores Erneſtus Grabe, & Hugo Grotius, ut ſupra ad cap. 6. §. 1. nota 1. indicati, atque expreſſe Card. noſter infra cap. 8. initio confirmat; cum Eccleſiam Romanam a Beato Petro Apoſtolorum Principe fundatam, & inſtitutam fuiſſe conſtet ex plenario Hiſtoricorum, & Patrum conſenſu, pro quibus omnibus unus ex Græcis ſufficiat Euſebius in Chronico ad an. 44. *Petrus .... Christianorum Pontifex primus Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans XXV. annis ejusdem urbis Episcopus perseverat*: Ex latinis Hieronymus in Catalogo Script. Eccleſ. ubi de Petro loquens, ait: *Romam pervexit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit .... sepultus Romæ in Vaticano &c.* Eliminatis profecto veteribus Gentilium ſuperſtitionibus, novaque religione, ac vera fide invecta, novum pariter Sacrificium, ejuſque conficiendi ordinem illi ab eodem traditum neceſſario confequitur, neque enim ulli aliter ſuſpicandi locus erit, cui nota fit (ut præfati Grabbe, & Grotius cum noſtro Emin. ajunt) tam arcta, & præcipua Sacrificii cum Religione connexio, adeo quod ullum non ſit fine religione Sacrificium, nulla ſine Sacrificio Religio. Itaque cum ex Cicerone lib. 2. de Juvent. *Religio sit, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, cultum, cæremoniamque affert*: primus autem ex Ariſtotele lib. 7. Politicorum cap. 8. *ac præcipuus circa rem divinam cultus, quem vocant, Sacrificium existat*: unius, ſoliuſque omnipotentis Dei, & unice vera Chriſtianæ fidei religione cum Cathedra Summi Pontificatus in urbe Orbis Domina, ut diximus, conſtituta, novum novi incruenti Sacrificii ritum, Miſſæ ſcilicet celebrandæ ordinem, eidem Urbi, & Orbi Divum Petrum tradidiſſe, nemo plane abſque temeritatis nota, his ſtantibus momentis non contemnendis, inficias ibit.

Et revera, *ſi legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi*, ut infra ad cap. 9. §. 8. nota 5. in fine ex Cæleſtini Papæ I. Epiſt. 8. ad Epiſcopos Galliæ, utique lex credendi legem ſupplicandi, ideſt ſacrificandi ſupponit, ut hæc illam ſtatuat, ſicque una ſine altera eſſe nequit; quare cum fidem Romanis arcibus a Petro invectam, ubique clament conſtans Eccleſiæ Catholicæ traditio, immobilis populorum orthodoxi nominis omnium aſſenſus, concors Scriptorum præcipue veterum aſſertio, ac perpetua in urbe memoria locorum, ubi Petrus Evangelium prædicavit, baptizavit, ac diſcipulos ordinavit (de qua re iterum ex Græcis Euſebius, lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 14. de Petro loquens: *Salutaris*, inquit, *prædicationis verbo primus in Urbe Roma Evangelii sui clavibus januam Regni cœlestis aperuit*: Ex Latinis S. Cyprianus Epiſt. 3. ad Cornelium, ubi de Schiſmaticis, *navigare audent*, ait, *ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est*) Hæc igitur Romæ fundata, ac ſtabilita Chriſtiana Religione, cum ſupremo ejuſdem ibi erecto Sacerdotio & Liturgicum ordinem, quo iſtius *circa rem divinam cultus, quem vocant Sacrificium*, rite peragererur, atque ita dictæ fidei, ſeu *credendi lex* per *ſupplicandi legem* ſtatueretur, inducſum fuiſſe neceſſario concludendum erit.

Idem ulterius confirmatur

Quis, qualisque fuerit, ex Justina deprehenditur.

Quis autem, qualiſque fuerit primigenius ille

ite Christiani Sacrificii, seu Missæ ordo a Petro Apostolo Romanæ Ecclesiæ traditus, etsi præcise non constet, ut intra infra dicemus, quales scilicet præter orationem Dominicam, & verba Christi Domini consecratoria (quæ supra ad cap. 5. §. 3. nota I. adhibita fuisse ostendimus) obsecrationes, postulationes, & preces ad idem Sacrificium celebrandum institutæ fuerint; constat tamen ex S. Justino Martyre, qui Apostolorum ævo proximus secundo seculo claruit, & Romæ passus est, eas actiones in Sacrificio persolutas, quas ipse sub finem Apologiæ secundæ describit, ut supra ad cap. 4. §. 4. & expressius indicat Tertullianus Justino coævus item supra ad cap. 3. in fine, ubi ab eodem singulas Missæ partes circumscriptas adnotavimus, quæ profecto eædem per omnia sunt, ac nostræ hodiernæ Missæ Romanæ, ut ibi observavimus, & utrasque conferenti perspicue patet.

Prima Missa a Petro Romæ celebrata in Pudentis Senatoris domo, postea S. Pudentianæ dicta.

Porro Justinus non aliam describit Liturgiam loco citato, nisi quam ipse, ut ejus acta testantur, Rustico Urbis Præfecto respondens celebratam dixit ad Balneum cognomento Timothinum, Thermas scilicet Timothei, & Novati dictas, seu titulum Pastoris in Pudentis Senatoris domo, ubi Sanctus Petrus primum Romæ Sacrificium obtulit, aliique successores Pontifices celebrarunt, præcipue S. Pius hujus nominis primus, qui dictam Ecclesiam, & titulum in honorem S. Pudentianæ Virginis dedicavit, cujus Papæ tempore Justinus Romam venit, ibique in eadem tunc prima Urbis Basilica cum cæteris Christianis sacras Synaxes frequentavit.

Hujusmodi autem Liturgiam, quam sic in eodem loco, quo Petrus sacrificavit, a suis discipulis, & successoribus celebratam vidit Justinus, quis umquam, nisi insanus, dubitaverit eam ipsam esse, quam Petrus iisdem a se ordinatis Sacerdotibus, & per ipsos eorum posteris tradidit observandam, aliamque a primæva statim post seculum substitutam fuisse Justini tempore credideris? cum inter persecutiones maxime primos illos Christianæ fidei fatores, Dei, ejusque Ecclesiæ pugiles in Sacris custodiendis institutis, ac traditis Patrum legibus, ad divinum præsertim Sacrificium spectantibus ferventiores, ac religiosiores extitisse omnibus perspicuum constet.

Et sane neminem latet, cui notum, ut diximus, quam arcta sit fidei cum Sacrificii religione connexio, Romanam Ecclesiam, sicuti depositum fidei constanter tenuit, & ab initio semper illæsum custodivit, & religiose custodit, ita & illi annexum Sacrificium idem semper in re, & quoad substantiam, ut ab Apostolorum Principe traditum, integre, firmiterque asservasse, licet ad majorem ergatantum mysterium venerationem in fidelium mentibus excitandam aliquot deinde preces, & cæremoniæ additæ fuerint. Nemo item inficias ibit eam pariter, quam Tertullianus describit, Liturgiam Romanam ipsam esse a Petro traditam, cum Africana Ecclesia quemadmodum in fide, ita & in Ritibus cum Romana convenerit, uti ex scriptis ejusdem Tertulliani, Cypriani, Optati, & Augustini non obscure colligimus, inquit Emin. noster

Hæc Missa non alia esse videtur, nisi quam Justinus, & Tertullianus describunt.

supra §. 3. & ante ipsum fuse, ac luculenter ostendit Card. Baronius in notis ad Martyrol. Roman. sub die 16. Octobris, nosque item ad cap. 4. §. 2. nota 3. confirmavimus. Satis itaque his omnibus profatis certum, exploratumque haberi quisque conspicit Missæ ordinem Romanæ Ecclesiæ a Petro traditum esse, quem totum in quinque, quas habemus, Missæ partibus, in quibus & omnes ubique gentium veteres Liturgiæ conveniunt, & singuibus (ut inquit Emin. Author initio capitis antecedentis, suo tamen loco explicandus) Sacrificii ratio nullo modo subsisteret, constitui dicendum arbitramur, in panis scilicet, & vini præparatione, oblatione, consecratione, consummatione, & Sacramenti communicare voluntibus distributione, eo precum, & cæremoniarum ordine ac ritu, quos Justinus, ac Tertullianus præfati describunt. Sed in quo hic Romanus Missæ ordo a Petri Successoribus Romanis Pontificibus auctus fuerit, discipiendum.

(3) *Aliquot preces, & cæremonias addiderunt*) Eapropter (ut optime advertit Joannes Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 5. cap. 2. num. 4. & seqq.) Romanæ Liturgiæ triplex veluti ordo seu status considerandus est. Unus primigenius ab Ecclesiæ nascentis exordio ad Gelasium usque receptus, alter Gelasianus, authorem, seu amplificatorem habens Gelasium Papam ejus nominis primum; tertius Gregorianus ita dictus ex nomine Gregorii Magni, qui Gelasianum ordinem correxisse memoratur. Qualis fuerit primigenius ille, ut diximus, non omnino constat; constat quidem Romanam Liturgiam, etsi non quoad omnes sui partes, quoad præcipuas tamen Divo Petro Apostolorum Principi tribuendam esse, uti supra ex Clemente, Innocentio, Vigilio Romanis Pontificibus, aliisque priscis Scriptoribus dictum est, sed qualis ante Leonem, seu Gelasium Missæ Romanæ ordo fuerit, id definire difficillimum. Legendi Edmundus Martene de antiquis Eccl. Rit. Tom. 1. cap. 3. art. 1. §. 7. Jacobus Grancolas de antiquis Liturgiis Tom. 1. pag. 51. & seq. Petrus le Brun Tom. 2. Explic. Missæ Differt. 2. art. 2. & Dominicus Georgi in suo primo Vol. de Liturgia Rom. Pontif. lib. 1. cap. 2. qui omnes hac de re eruditissime disserunt, & Romanam Liturgiam, ut diximus, Divo Petro Apostolorum Principi tamquam primario Conditori adscribendam censent. Porro Gelasianus diu desideratus fuerat, sed tandem illum e tenebris eruit Ven. Vir de Ecclesia benemeritus Josephus Maria Thomasius Cler. Regularis, dein S. R. E. Cardinalis doctrina, & pietate conspicuus, atque anno 1680. Romanis Typis evulgavit. Demum Gregorianus in usu communi est apud omnes fere Ecclesias notis, & observationibus ab Hugone Menardo illustratus, atque inter Opera S. Gregorii Magni novis. edit. Monach. S. Mauri relatus, ac nonnullis uberioribus notis auctus.

Romanæ Liturgiæ triplex ordo, seu status considerandus.

Qui tamen jam pridem a Pamelio Tom. 2. Liturgicorum, & ab Angelo Rocca ex Bibl. Vaticana editus fuerat. Pamelianam editionem cæteris omnibus præferendam censet Ven.

Cardi-

Cardinalis Thomasius præfatus, quod brevior sit cæteris, nec tot Missas, & festa habeat: proindeque cum vetustissimis Codicibus MSS. consentiat; Hugo Menardus suam ex venerandæ pariter antiquitatis MS. Codice Corbejensi S. Eligii extulit, quam plerique eruditorum laudant; at editiones istæ non omnino consonæ sunt, unde apparet auctum, successione temporis S. Gregorii Sacrameotorum librum; quod vel ipsi Editores non diffiteotur; Pamelius Prolegom. in 2. Tomum Liturg. Eccl. Lat. hæc inter cætera habet: *Grimoldus Abbas .... Divo Gregorio hunc attribuit, præterquam quod fatetur quædam jam tunc adjecta fuisse officia, quæ Gregoriana non essent, quæ virgulis illis ante positis se jugulasse scribit &c.* Menardus item in Præfat. ad dictos Gregorii libros Sacram. *Hunc etiam Codicem S. Eligii*, inquit, *diligenter contuli cum edito Sacramentorum libro, qui exiit ex Bibl. Vaticana, sed non minimum discrimen inter utrumque reperi, licet in multis conveniant. Nam &c.* Hinc Benedictini Patres S. Hilarii operum Editores in Præf. generali pag. 8. num. 23. ingenue fatetur vix ullum reperiri hujus Gregoriani Sacramentarii exemplar, quod Gregorio adscribere ex solido valeas; & sane ipsa Codicum inspectio, & collatio satis docet, quantopere ii ab Amanuensibus fuerint inrerpolati. Iodeque iidem doctissimi Ascetæ rati se laterem loturos, si ralem dare ejusdem Sacramentarii editionem niterentur, quæ nullo plane augmento, nulla interpolatione laboraret, in editione Operum S. Gregorii, quam dedere, Menardianam secuti sunt. At rei difficultate haudquaquam territus laudatissimus Card. Thomasius, cum & Codices, qui apud Sveciæ Reginam extabant, aliosque Vaticanos, & Ottobonianos, immo & Vindobonenses, (quem tamen eam, quam Lambecius Tom. 2. de Bibl. Vindob. pag. 299. & Tom. 4. pag. 306. supponit, antiquitatem haud habere deprehendit) magno studio contulisset, textum Gregorii purissimum jam daturus erat, cum anno 1712. ad Cardinalatum evectus, & sub sequeotis anni initia vivis ereptus pollicita adimplere non potuit, uti legitur in Diario Litteratorum Italiæ Tom. 9. pag. 469. & Tom. 20. parte 12. Sed ad discrepantiam inter hos Sacramentorum libros Gregorii a Gelasii Codice revertimur.

Gregorianum Sacramentarium successione temporis auctum.

Gregoriani Sacramentarii a Gelasiano totum discrimen est in varietate, & numero orationum, seu Collectarum, nam cæteræ utriusque eædem omnino partes sunt. In Gelasiano duæ, aut tres ante Epistolam orationes, extant, unica secreta ante Præfationem, atque post Communiooem, quarum una est supra Populum. At in Gregoriano tres tantum ad singulas Missas assignantur orationes, quarum una ante Epistolam, altera secreta, tertia post Communionem. Id vero in Ordine Gelasiano præstitit Gregorius testante Joanne Diacono, quod *multa subtraxit, pauca convertit, nonnulla adjecit*, atque Gelasianum Codicem io tres libros distinctum *uno volumine coarctavit, quod volumen librum Sacramentorum prætitulavit*. Joanni Diacono succinit Gervasius Ricobaldus non ignobilis seculi XIII. Scriptor, (de quo Hieronymus Rubeus in sua Hist. Ravenn. lib. 2. & 6., ac Joannes Gerardus Vossius de Hist. Latinis lib. 2. cap. 62.) Ait ille in sua Historia Imperatorum apud Joaonem Georgium Eccardum Corp. Hist. medii ævi Tom. 1. col. 1155. & hæc de divino officio habet: „ Gregorius post Ambrosium plura mutavit, demovit, & addidit; Sancti enim primi statim omnia ad decorem Ecclesiæ videre non potuerunt, sed diversi diversa tradiderunt; oam Missæ inceptio tres habuit varietates, prius enim a lectione inchoabatur, sicut sabbato sacro adhuc; post Celestinus Papa Psalmos ad Missæ iotroitum cantari instituit, Gregorius vero introitum Missæ in cantu ordinavit, & illum usum ex illo Psalmo, qui cantatur, cantari retinuit, Psalmos enim olim circa aram in modum coronæ circumstantes concorditer concinebant, eoque dictus est Chorus a corona; sed Flavianus, & Theodorus, quod alternatim cantarentur, instituerunt hoc ab Ignatio habentes, qui super hoc divinitus edoctus fuit; Hieronymus Psalmos, Epistolas, Evangelia, & ex magna parte officia divina, & nocturna, præter cantum, ordinavit. Gelasius, & Gregorius orationes, & cantus addiderunt, & lectionibus, & Evangeliis coaptaverunt. Gradualia, tractus, & alleluja Ambrosius, Gelasius, & Gregorius ad Missam cantari instituerunt. Hilarius addidit ad Gloria in excelsis Deo, laudamus te, & quæ sequuntur. Notkerus Abbas Sancti Galli sequentias pro Neophytis ipsius Abbatiæ composuit, sed Nicolaus Papa ad Missas eas cantari concessit. „ Hæc Ricobaldus, ex quo ordioem Missæ, jam ab antiquo servatum, quem nunc habemus, optime descriptum conspicimus. Ita ergo procedit Ordo Romanus, ut primo dicatur Antiphona, quæ vulgo *Introitus* appellatur, deinde *Kyrie eleison*, tum hymnus Angelicus *Gloria in excelsis Deo*, olim diebus festis, & Dominicis in Missa Episcopali, in cæteris tantum in Pascha, postea una, vel plures orationes, exinde Epistola, Graduale cum *Alleluja*, Evangelium, Offertorium, Oratio secreta, Præfatio, Trisagium, Canon, Oratio Dominica, *Agnus Dei*, Antiphona ad Communionem, Postcommunio, & Benedictio; Evangelium S. Joannis in fine, quod recentioris est instituti, ut ex Micrologo colligitur, & Emin. Author ad calcem sui hujus Operis Liturgici lib. 2. cap. 20. §. 5. luculenter ostendit. Atque hæc de Romani Ordinis partibus dicta sint, de quibus omnibus singulatim infra suis locis differetur. Missæ etiam Ambrosianæ plures preces, & cæremoniæ a Mediolanensibus Archiepiscopis additæ sunt, ut infra cap. 20. §. 4. dicetur.

Ejusdem a Gelasiano discrimen.

§. VI.

§. VI.

Iterum de variis Miſſæ mutationibus, ac diverſitatibus pleriſque in locis a Romano Ritu diſcrepantibus.

SCribit Joannes Langhecrucius *lib. 2. de Divinis officiis rite peragendis*, relatus a Cornelio Schultingio Tomo 1. Bibliothecæ Eccl. p. 1. cap. 45. Miſſalia particularia diverſarum Eccleſiarum poſt Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludovico Pio introducta fuiſſe. (1) Nam Carolus Magnus (1) hortatu & juſſione Summorum Pontificum Ritum Romanum in Gallia ſervari præcepit; varietas autem, & diverſitas a Romano in aliquibus Eccleſiis inde exorta videtur, quod ſinguli Epiſcopi pro ſuo arbitratu, vel pro loci conditione, aut patriæ moribus aliquid vel addiderunt, vel ſubtraxerunt, ſibique propria officia compoſuerunt, idemque fecerunt Ordinum religioſorum Præfecti, & dum unus unam, alius aliam partem mutat, a veſtigiis, & inſtitutione primorum Auctorum deflexerunt. Hoc ipſum in Hiſpania contigiſſe arbitror poſt Gregorium VII. qui illic Romanum officium introduxit. Ordines autem Religioſi illum Ritum ab initio ſuſceperunt, qui vigebat in ea Provincia, in qua prima ordinis cujuſque fundamenta jacta ſunt. Succeſſu vero temporis tam generalia comitia, quam ſupremi Ordinum moderatores poteſtatem ſibi arrogarunt plura mutandi & innovandi, quod manifeſtum cuique erit, ſi antiqua, & nova, & medii temporis Ritualia inter ſe conferre voluerit. Hæc autem licentia quidlibet pro arbitrio audendi ſine certa lege, & diſciplina adeo quandoque excrevit, ut in multis codicibus adhuc extent officia, Miſſæ, Hymni, Orationes, quæ ſine riſu, vel potius indignatione legi non poſſunt. (2) Olim in Concilio Milevitano II. Can. 12., ſeu potius (2) Carthaginenſi, ut citatur in Codice Eccleſiæ Africanæ cap. 103. ſancitum fuit, ne quid publice in Eccleſia recitaretur, niſi prius in Synodo approbatum foret. (3) Sciebant enim ſapientiſſimi Patres non omnium eſſe Ec- (3) cleſiaſticam in his gravitatem & diſciplinam ſervare; magnamque futuram in rebus ſacris perturbationem, ſi ſapientibus & inſipientibus paſſim, & ſine delectu licuiſſet proprias adinventiones, tanquam Spiritus Sancti dictata, Eccleſiæ obtrudere, & divinis Altaribus admovere. Noviſſime vero Apoſtolica Sedes ſacram Rituum Congregationem inſtituit, a qua non ſolum ſumma ſapientia & prudentia examinantur officia, quæ particulares Eccleſiæ ſibi concedi petunt; ſed leges etiam ſancitæ ſunt, quibus per licentiam uſurpata poteſtas coercetur, & abuſibus olim gliſcentibus via deinceps præcluſa eſt.

(1) *Sub Ludovico Pio introducta fuiſſe*) Anno ſcilicet 816. in dicto enim Concilio cap. 28. Epiſcopis injungitur, *ut operam dent, quatenus Presbyteri Miſſalem, & Lectionarium, ſive cæteros libellos ſibi neceſſarios bene correctos habeant*: quod etiam legitur & confirmatur Capitular. lib. 1. cap. 103. & lib. 5. cap. 229. Porro paulo ante in alia Synodo Aquiſgranen. ſub Carolo Magno ann. 789. Miſſalis mentio ita habetur cap. 70. ubi Sacerdotibus ſuggeritur, quod *ſi opus eſt Evangelium, vel Pſalterium, vel Miſſale ſcribere, perfectæ ætatis homines ſcribant cum omni diligentia*: Idem recitatur Capitular. lib. 1. cap. 68., & lib. 6. cap. 377. Vide Baluzii notas ad dictum Capitul. lib. 1. cap. 103. Tom. 2. col. 1155., atque infra in hoc Opere cap. 25. §. 10. ubi de Libris Liturgicis, aliiſque ad Eccleſiæ uſum ſpectantibus.

(2) *Quæ ſine riſu, & indignatione legi non poſſunt*) Sane complura incongrua, inepta, inſulſa, & a gravitate Eccleſiaſtica prorſus aliena, nonnulla etiam indecora, & ex rudi ſimplicitate a debita ſolidæ devotionis pietate devia, & abſona, ac veneranda tremendi Sacrificii Euchariſtici majeſtate indigna in pleriſque diverſarum Orbis Eccleſiarum Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, atque etiam Italiæ manuſcriptis Liturgicis, ſeu Eccleſiaſticis Codicibus, qui ſeculis præſertim octavo, nono, & decimo exarati fuere, vel amanuenſium incuria, vel ex privato ſpiritu, hominumque placito conſcripta leguntur, uti jam monuimus cap. antecedenti §. 3. & paſſim notarunt Ma- *Plura inepta, & incongrua in MSS. Miſſalibus antiquis.*

Macri fratres in Hierolexico, atque Carolus Druſeſne in ſuo Magno Gloſſario Med. & infimæ latinitatis, ubi etiam nonnulla apocrypha, & ſuperſtitioſa conſpiciuntur.

Ut autem nonnulla de iis proferantur, reliſtis antiquioribus dictorum temporum, de quibus videndi nuperi aliquot Scriptores, præſertim Galli, Martene, Le Brun, Duvert, Bocquillot, aliique, qui de antiquis Eccleſiaſticis ritibus ſcripſerunt: Huc pertinent Miſſæ illæ, de quibus infra diſſeremus, ad cap. 15. §. 7. num. 2., huc Miſſa ſeptem Angelorum ſpirituum adſtantium ante thronum Dei, quæ in Miſſali Romano Venetiis impreſſo apud hæredes Juntæ an. 1563. pag. 310. legitur, poſt quam Miſſam recenſentur eorumdem Angelorum nomina, videlicet Saalthiel *Orator*, Jehudiel *Remunerator*, Raphael *Medicus*, Michael *Victoriosus*, Gabriel *Nuntius*, Barachiel, *Adjutor*, Uriel *Fortis*; quæ nomina, exceptis tribus Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis ab Eccleſia approbatis de fide, cum eadem expreſſe in ſacra Scriptura indicata reperiantur, reliqua dubia, ſuſpecta, & apocrypha ſunt, nullum quippe de illis legitimum ex eadem ſacra Scriptura, aut ab Eccleſia teſtimonium habetur, & licet in lib. 4. Eſdræ cap. 4. v. 1. fiat mentio Urielis Angeli, nullius tamen hæc ponderis eſt, cum tertius, & quartus Eſdræ a librorum Canonicorum Indice proſcripti inter apocryphos rejecti ſint. Ea propter Concilium Romanum an. 745. ſub Zacharia Papa, actione 5. ut ſacrilegam damnat orationem Clementis, & Adalberti, qui Urielem, alioſque falſos ſpiritus, tamquam bonos Angelos invocabant. Et verba Concilii ad Pontificem: *Nos autem, ut a veſtro Sancto Apoſtolatu edocemur, & divina tradit authoritas, non plus, quam tria Angelorum nomina agnoſcimus, ideſt Michael, Gabriel, Raphael*: de qua Synodo videndus Baronius ad dictum annum Tom. 9. Annal. pag. 179.

Hinc miratus ſum Jo. Stephanum Durantum virum cætera doctiſſimum lib. 2. de ritibus Eccl. Cath. cap. 31. num. 22. hoc Urielis tamquam boni Angeli nomen, adhuc poſt Concilium Tridentinum, cujus decreto, ut diximus, Libri tertius, & quartus Eſdræ inter apocryphos rejecti ſunt, admittere, quod tamen per oſcitantiam id factum reor. Licet enim Urielis nomen apud Ambroſium lib. 3. de Fide cap. 2. Iſidorum Hiſpal. Etymologiarum lib. 7. in Miſſa antiqua Mozarabum, Albertum Magnum, Bonaventuram, alioſque legatur, mirum propterea non eſt, cum eorum omnium ætate nondum ab aliquo generali Concilio, uti expoſt a Tridentino, dicti Eſdræ libri extra Sacrorum Canonem poſiti fuerint.

Plura autem de hiſce Angelorum nominibus Cornelius a Lapide in cap. 1. Apoc. ſed præ ipſo legendus Abbas D. Julius Bertoloccius noſter in ſua Bibliotheca magna Rabbin. Tom. 1. pag. 230. & ſeqq. ubi de iiſdem fuſe, & eruditiſſime diſſerit. Huc etiam accenſendæ ſunt nonnullæ Præfationes, & precationes, quæ in antiquis aliquot Miſſalibus Ambroſianis reperiuntur olim ante Sanctum Carolum Borromæum (qui omnes Eccleſiaſticos ſuæ Diœceſis Mediolanenſis libros reformavit, & ad priſtinum decorem reſtituit) in iis enim aliqua barbaro ſtylo concepta, & ex rudi Authorum, ſeu ſcribarum ſimplicitate profana ſacris quandoque immixta legebantur. At de his item infra.

Ea propter Liturgici Codices ſæpius emendati, & ſuo decori reſtituti.

(3) *Niſi prius in Synodo approbatum ſuerit*) Vide Scheleſtratium de Eccleſia Africana Diſſert. 3. cap. 11. pag. 245. Hinc Concilium Tridentinum in Decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ ſeſſ. 22. „ Cum „ igitur, inquit, multa ſum ſive temporum „ vitio, ſive hominum incuria, & improbi„ tate irrepſiſſe videantur, quæ a tanti Sa„ crificii dignitate aliena ſunt, ut ei debitus „ honor, & cultus ad Dei gloriam, & fide„ lis populi ædificationem reſtituatur, decer„ nit Sancta Synodus, ut ordinarii locorum „ Epiſcopi ea omnia prohibere, atque e me„ dio tollere ſedulo curent, & teneantur, „ quæ vel avaritiæ idolorum ſervitus, vel ir„ reverentia, quæ ab impietate vix ſejuncta „ eſſe poteſt, vel ſuperſtitio veræ pietatis „ falſa imitatrix induxit „. Deinde poſt ali„ quæ. „ Poſtremo ne ſuperſtitioni locus ali„ quis detur, edicto, & pœnis propoſitis „ caveant, ne Sacerdotes aliis, quam debitis „ horis celebrent, neve ritus alios, aut alias „ cæremonias, & preces in Miſſarum cele„ bratione adhibeant præter eas, quæ ab „ Eccleſia probatæ, ac frequenti laudabili „ uſu receptæ fuerint. Quarumdam vero „ Miſſarum, & candelarum certum nume„ rum, qui magis a ſuperſtitioſo cultu, „ quam a vera religione inventus eſt, omi„ nino ab Eccleſia removeant. „ Denique ſeſſ. 25. idem Sacrum Concilium Decreto de libris Eccleſiaſticis, Catechiſmo ſcilicet, Breviario, & Miſſali, præcipit, ut quidquid ab illis (Epiſcopis) præſtitum eſt, Sanctiſſimo Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio, atque authoritate terminetur, & evulgetur; Idemque de Catechiſmo a Patribus, quibus mandatum fuerat, & de Miſſali, ac Breviario fieri mandat. Ea propter S. Pius V. Clemens VIII., & Urbanus VIII. Romani Pontifices Miſſale Romanum, & Breviarium pleriſque in locis depravata emendarunt, reformarunt, & ſuo decori reſtituta edenda curarunt, uti ex eorum Bullis ipſis Breviario, & Miſſali affixis videre eſt.

Dein cautum ne Sacerdotes aliis ritibus uterentur, quam ab Eccleſia probatis.

§. VII.

Romæ olim diverſa Officia. Quid in his immutatum a Fratribus Minoribus.

IPſam Romanam Eccleſiam ab aliqua varietate non fuiſſe immunem teſtatur Petrus Abaelardus Epiſtola Apologetica, quam vir turbulentus temere ſcripſit adverſus S. Bernardum pag. 250. *Antiquam*, ait, *Romanæ Se-*

Sedis conſuetudinem nec ipſa Civitas tenet ; ſed ſola Eccleſia Lateranenſis , quæ mater eſt omnium , antiquum tenet officium , nulla filiarum ſuarum in hoc eam ſequente , nec ipſa etiam Romani Palatii Baſilica . (1) Quæ autem ſuerit hæc diverſitas , & quando cœperint aliæ Eccleſiæ a Lateranenſi diſcrepare , nec Petrus dicit , nec alibi memini me legiſſe . Illud vero certiſſimum eſt , quod vir doctiſſimus , ſacrorumque rituum peritiſſimus Radulfus de Rivo Decanus Tungrenſis docuit *Lib. de Canonum obſervantia ,* (2) duplicem olim in Urbe fuiſſe modum divini officii , unum breviorem , quo Romana curia , ſive Capella Pontificia utebatur ; alterum prolixiorem pro cæteris Eccleſiis Urbis , qui proprie Ritus Romanus dicebatur . Atque hinc ortum eſt diſcrimen in antiquis Codicibus ſæpe occurrens officiorum ad uſum Curiæ , & ad uſum Eccleſiæ Romanæ . Officium Curiæ brevius erat & mutationibus obnoxium , ob varias & continuas occupationes ſummi Pontificis , & Cardinalium , aliorumque Prælatorum , qui ei in Sacello , ſive ut loquitur Abaleardus , in Baſilica Palatii diu noctuque intereſſe ſolebant . Officium Eccleſiæ prolixius erat , manſitque multo tempore integrum abſque ulla mutatione . Quæ fuerit utriuſque differentia incertum eſt , niſi quod ex ipſo Radulfo & ex aliis officiorum expoſitoribus liquet diſcrimen potius in Horis Canonicis , quam in Miſſa fuiſſe : idque libri Miſſarum MSS. evincunt , qui cum libro Sacramentorum , & Antiphonario S. Gregorii in forma & ſerie Miſſæ uniformiter conveniunt . Docet autem Radulfus in præcitato libro propoſit. 22. operà Fratrum Minorum utrumque officium Curiæ & Eccleſiæ in unum coaluiſſe , ita ut prolixiori & proprio abrogato , omnes poſtea Eccleſiæ officio Curiæ uſæ ſint . Quomodo vero id acciderit , ipſe enarrat his verbis . *Hodie omnium credulitas & opinio divulgatur , quod nullæ Eccleſiæ ſervent Ordinem S. Romanæ Eccleſiæ , niſi Fratres Minores : nec in aliquorum , niſi in ipſorum Breviariis & libris contineatur , ex eo quia B. Franciſcus in Regula præcipit , ut Clerici faciant Divinum officium ſecundum dictum Ordinem , ubi Breviaria habere poſſunt . Hujus autem rei Romæ contrariapi didici veritatem. Nam olim quando Romani Pontifices apud Lateranum reſidebant , in eorum Capella ſervabatur divinum Officium non ita complete , ſicut in aliis Urbis Eccleſiis Collegiatis . Imo Clerici Capellares ſive de mandato Papæ , ſive ex ſe Officium Romanum ſemper breviabant , & ſæpe alterabant , prout Domino Papæ , & Cardinalibus congruebat obſervandum . Et hujus officii Ordinarium vidi Romæ a tempore Innocentii III. recollectum , & iſtud Officium breviatum ſecuti ſunt Fratres Minores . Inde eſt quod Breviaria eorum , & libros officii intitularunt ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ : non autem curaverunt mores aliarum Eccleſiarum Urbis Romæ recipere & obſervare . Aliæ autem nationes Orbis Romani libros & officia ſua habent e directo ab ipſis Eccleſiis Romanis , & non a Capella Papæ , ſicut ex libris , & tractatibus Amalarii , Valfridi , Micrologi , Gemmæ , & cæterorum de Officio divino ſcribentium colligitur evidenter .* Et multis interpoſitis, quibus oſtendit officium Fratrum Minorum nullo modo poſſe dici Romanum , quod ab ipſis immutatum & confuſum fuit , ſubdit . *Sciendum tamen quod Nicolaus Papa III. natione Romanus de gente Urſinorum , qui cæpit anno Domini MCCLXXVII. & palatium apud S. Petrum conſtruxit, fecit in Eccleſiis Urbis amoveri Antiphonarios , Gradualia , Miſſalia , & alios libros officii antiquos quinquaginta , & mandavit ut de cætero Eccleſiæ Urbis uterentur libris , & Breviariis Fratrum Minorum , unde hodie in Roma omnes libri ſunt novi & Franciſcani .* (3) Hæc Radulfus , qui omnia quæ ſpectant ad Romanos Ritus diligentiſſime inveſtigavit , eorumque index acerrimus fuit . (4)

(1) (2) (3)

Duplex olim Romæ in ipſa urbe Divini Officii perſolvendi modus.

(1) *Nec*

(4)

Quin & in ipsa Romani Palatii Basilica, scilicet Lateranensi.

(1) *Nec ipsa etiam Romani Palatii Basilica*) Abaelardc subscribit Joannes Diaconus apud Mabillonium Musæi Ital. Tom. 2. in Appendice ad ordinem Romanum pag. 566. num. 7. ubi ait, quod Ecclesia Lateranensis *reservans Apostolicam institutionem nonnisi Dominica in officiis utitur oratione, quoniam aliæ orationes positæ sunt superadditæ*: ex scilicet, quas Collectas dicimus. Hunc ritum notavit Guilelmus Durandus lib. 4. cap. 14., qui etiam ritus olim in Ecclesia Pictavien si viguisse dignoscitur ex Fuberti Carnotensis Epist. 79. Porro Joannes Diac. præfatus ibi loco citato, rationem reddit, cur in dicta Basilica, nonnisi Dominica recitetur oratio, *congruum est*, inquit, *atque conveniens, ut prima, & summa omnium aliarum Ecclesiarum primam, & summam omnium aliarum orationem frequentet, & quæ Salvatoris vocabulo consecrata est, Salvatoris orationem, quam discipulos suos orare docuit, præ cæteris præcipuam semper habeat*: Item *in dicta Ecclesia* (ut paulo ante dicit num. 6.) *quia typum gerit cælestis Ecclesiæ*, die, nocluque quotidie ad officia festive pulsatur. *Inde est, quod in ea non cantatur ad Missas, Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi dona nobis pacem, quoniam ibi summa pax justorum ipse Christus erit &c.*

(2) *Lib. de Canonum observantia*) Ita optime inscribitur liber iste ab Antonio Possevino in suo Apparatu sacro Tom. 2. pag. 311. & ex ipso Bibliothecæ PP. noviss. edit. Lugdun. Collectores Tom. XXVI. quamvis sub hoc titulo *Calendarius Ecclesiasticus* Lovanii editum esse apud Welleum ex MS. Codice Jacobi Pamelii an. 1568. cumque hac inscriptione illius mentionem agere Joannem Molanum, lib. de Martyrologiis cap. 7. & Aubertum Miræum de Scriptoribus Ecclesiast. recte quidem scribat Casimirus Oudinus Supplem. item de Script. Eccles. Sed hallucinatus ipse perperam unum opus cum altero confundit; Radulphus enim scripsit & librum de *Canonum observantia in Ecclesiasticis Officiis*, qui viginti tribus propositionibus, seu Capitulis constat, de quo Possevinus, ac Bibliothecæ PP. Editores præcitati, & *Calendarium Ecclesiasticum*, de quo Molanus, ut supra, & in fine sui Martyrologii, ubi optime unum opus ab altero distinguit, quem Scriptorem utique hoc loco, ne deciperetur, videre deberat Casimirus Oudinus.

Casimirus Oudinus notatus.

Radulphus Tungrensis aquil Fratres Minores male habitus.

(3) *Hodie in Roma omnes Libri sunt novi, & Franciscani*) Male audit apud Fratres Minores Radulphus, præcipue apud Franciscum Pagi Breviar. Gest. Pontif. Rom. Tom. 2. in Nicolao III. num. 24. pag. 252., qui eumdem vel in suos Fratres male affectum, vel deceptum fuisse ex eo evidenter demonstrare, nititur, quod centum fere annis ante institutionem, & confirmationem Ordinis Minorum factam ab Honorio III. omnes Ecclesiæ Urbis excepta Lateranensi relicto officio antiquo, quo Romana Ecclesia utebatur, novum illud Breviarium admisissent, quod certo constat ex Petro Abaelardo, ut supra; si itaque Petri tempore, hoc est circa an. 1140. in omnibus Ecclesiis urbis Romæ legebatur illud Officium breviatum, quo pacto dicere potuit Radulphus Nicolaum III. mandasse, *ut Ecclesiæ Urbis uterentur Libris, & Breviariis fratrum Minorum*? cum centum, & quinquaginta circiter annis ante Nicolaum III. *Officium illud breviatum*, quod ut ipsemet asserit Radulphus, *secuti sunt Fratres Minores* in omnibus Romanæ urbis Ecclesiis, excepta Lateranensi, legeretur, quod, aliquo modo fatetur ipse Radulphus, dum ait: se vidisse *Rome hujus Officii ordinarium tempore Innocentii III. recollectum*, ideoque ante Fratres Minores. Falso ergo subdit Radulphus: *non curaverunt* (Fratres Minores) *mores aliarum Ecclesiarum urbis Rome recipere, & observare*: cum omnes Ecclesiæ Urbis, excepta Lateranensi, morem illum cantandi Officium breviatum, multo ante initium Fratrum Minorum accepissent.„ Quæ „ cum ita sint mirum est Cardinalem Bona „ Sacrorum Rituum indagatorem peritissi- „ mum Rer. Liturg. lib. 1. cap. 7. num. 7. „ hane Radulphi narrationem nulla adhibita „ censura retulisse, cum ibidem integrum „ Abaelardi locum referat„. Hæc Pagius.

Card. Bona a Francisci Pagi censura cum dicto Radulpho vindicatus.

At pace tanti viri, si ad institutum, propositumque Emin. Authoris intendisset, hujus certe negligentiæ suspicionem non incurrisset; advertisset nempe hoc loco Card. Bonam sibi proposuisse tantum de rebus Liturgicis, & ad Missæ Sacrificium spectantibus, non vero de Officio divino, seu horis Canonicis agere: cum de iis speciatim in Harmonia psallentis Ecclesiæ tamquam in propria sede differat, ubi cap. 15. §. 20. in fine ait ex eodem Radulpho Breviarium vetus Romanum a Fratribus Franciscanis olim abbreviatum fuisse, adeoque ex Officio divino sic abbreviato Breviarii nomen dictum: cujus quidem exemplar seu Diurnale Fratrum Minorum ita inscriptum secundum consuetudinem Romanæ Curiæ, & manu exaratum vidi in nostro Monasterio B. M. Gratiarum Montis Sorac tis, ibi enim ad Ecclesiam S. Silvestri in cacumine Montis sitam, quondam consistebant Fratres Minores.

Breviarium unde dictum.

Breviarii porro Romani antiqui vulgo de Camera dicti secundum morem S. R. E. exemplar habemus in hac nostra Bibliotheca S. Bernardi ad Thermas sub litt. Ω tab. X. num. 10. impressum Venetiis apud Gregorium de Gregoriis anno 1521., in quo ad calcem extant officia peculiaria de Sanctis ad usum Fratrum Eremitarum S. Augustini, & Fratrum Minorum S. Francisci. Ad hæc, inquam, si respexisset, indeque attendisset ad ea, quæ paulo ante præfatus Cardinalis observat, nempe quod ex ipso Radulpho, & ex aliis divinorum Officiorum Expositoribus liquet, discrimen inter Officium ad usum Curiæ, & Officium ad usum Ecclesiæ Romanæ potius in horis Canonicis, quam in Missa fuisse, id enim evincunt Libri Missales manuscripti, qui cum Codice Sacramentorum Gregoriano in ritu, ferie, & ordine Missæ uniformiter conveniunt, non ita demiratus esset, quasi graviter extra callem erraverit, Radulphum absque censura prætereundo, cum ille non de ordine Missæ, sed de Breviario, seu Officio divino dictim recitando locutus sit. Quod si de Missa locutus fuisset, eum utique debita censura no-

tare, ac Fratres Minores ab injuria, ſi qua eſt, vindicare non deſiſſet, quemadmodum infra cap. 14. §. 6. Epiſtolam S. Franciſci a Sectariis male habitam, peſſimeque intellectam de abroganda Miſſa privata ſtrenue vindicat, eorumque objectiones contra ipſam invicte diluit. Injuſte igitur Pagius de Emin. noſtro conqueritur, & nullo fundamento notam eidem, quam non meretur, infligit. Cæterum Emin. Cardinalis opinionem tuentur, ac firmant Ludov. Thomaſſinus Diſcipl. vet. & novæ Parte 1. lib. 2. cap. 84. nu. 12., & 13. ac noviſſime Lazarus Andreas Bocquillot in ſuo Tractatu Hiſtorico Liturgiæ Sacræ gallice edito Pariſiis 1701. cap. 10. lib. 1. pag. 228.

De hoc item Breviario ſic a Fratribus Franciſcanis contracto plura dicemus, Deo dante, in notis ad dictum Emin. Authoris cap. 18. §. 20. ſeu 21. Div. Pſalmodiæ Interim pro noſtra, & recentiorum, quos innuimus, ſententia, vide, quæ in hanc rem affert R. P. D. Cajetanus Meratus Comment. in Gavantum Tom. 2. part. 1. ſect. 2. cap. 1. num. 4. pag. 25. Et ſane cum ipſemet Wadingus ad annum Chriſti 1234. Religionis Minorum 37. fateatur ab Haymone Ordinis S. Franciſci Generali Breviarium Romanum mandante, & approbante Gregorio tunc Papa IX. reformatum, & in meliorem ordinem digeſtum fuiſſe, idque ſic correctum, & emendatum eo authoritatis perveniſſe, ut præcipiente Nicolao III. in Ordinarium S. R. E. ritum tranſierit, nil obſtat, quin & ſuſtineri poſſit eumdem Nicolaum III. omnibus Eccleſiis, in quibus jam introducta erat recitatio Officii jam antea contracti quidem, ſed non bene digeſti, præſcripſiſſe lectionem utique ejuſdem Officii, at juxta emendationem, & correctionem factam a dicto Haymone Ordinis Minorum Generali, & a Gregorio Papa IX. approbatam. Quare ſuo iterum ipſo fundamento corruit hæc Pagii parum æqua in Emin. noſtrum cenſura.

(4) *Eorumque vindex acerrimus fuit*) Uti etiam fatetur Melchior Hittorpius in Radulphi Elogio præfixo illius operi præladato in Bibliotheca Patrum Tom. XXVI. pag. 289. ſupracitata. Radulphum præterea antiquarum Eccleſiæ conſuetudinum peritiſſimum ſimul, ac tenaciſſimum appellat Guillelmus Cave de Scriptoribus Eccleſiaſt., quo elogio a pleriſque aliis tum coævis, & antiquis, tum recentioribus idem donatur, qui ſic ſatis a Franciſci Pagii exceptionibus vindicatur.

CAP. VIII.

De Liturgiis Apoſtolorum. Exploditur a Lindano edita ſub nomine Petri. Dubiæ fidei eas eſſe, quæ Matthæo, & Marco tribuuntur. Aſtruitur Liturgia Jacobi. Cujus ævi cenſeantur Conſtitutiones Apoſtolicæ, & in eis deſcripta Clementis Miſſa. De Liturgia a Dionyſio tradita. Anceps de eo judicium.

§. I.

De Liturgiis Apoſtolorum. Exploditur a Lindano edita ſub nomine Petri.

ECcleſias ab Apoſtolis inſtitutas formam aliquam & Ritum offerendi Sacrificium (1) ab iiſdem accepiſſe, nemo opinor inficias jerit, cui nota ſit Sacrificii cum religione inſeparabilis & intrinſeca connexio. An vero Liturgiæ, quæ nomine quorundam Apoſtolorum inſcriptæ circumferuntur, legitimæ ſint, diſquirendum nunc eſt. Et primo quidem occurrit illa, quam Petri Apoſtolorum Principis inſcriptione inſignitam circa finem ſuperioris ſeculi græce, & latine edidit ex Codice MSS. Cardinalis Sirleti, & notis illuſtravit vir doctus Guillelmus Lindanus Epiſcopus Gandavenſis, addiditque pro ea Apologeticon multa eruditione refertum. Sed qui ipſum accurate perlegerit, mecum fatebitur nihil aliud ex eo concludi, niſi quod Petrus ſeu voce, ſeu ſcripto, Eccleſiæ primum Antiochenæ, deinde Romanæ Liturgiam aliquam tradiderit. Quod vero iſta, quam Sirletum in Apulia reperiſſe ait, ea ipſa ſit, nec ille probat, nec ullus credet, qui noverit verum a falſo, & proprium ab alieno diſcernere. Si enim hæc Miſſa vere eſt Principis Apoſtolorum, quomodo Romana Eccleſia, quæ ejus lipſana, & Epiſtolas inter tot perſecutionum procellas uſque in præſentem diem ſolicite conſervavit, hanc egregiam ſacrificandi formu-

(1)

formulam neglexit? Cur nullum ejus veſtigium extitit per mille quingentos & amplius annos apud Orthodoxos Scriptores? Ubi tanto tempore delituit, & unde emerſit? Nempe in Apulia, quæ olim magna Græcia, reperta eſt, *pulcherrima calographia deſcripta*, ut Lindanus ait cap. 9. Apologiæ, *ut impreſſam non pauci ſpectatores judicarint*. At ex hoc liquet iſtud exemplar recentiori manu ſcriptum fuiſſe, & fortaſſis idem qui ſcripſit, compoſuit, cum nulla præſertim fiat mentio antiqui Codicis, ex quo deſcriptum ſit. Detegit quoque impoſturam Canon Romanus, prout hodie in uſu eſt, eidem inſertus, quem a quodam Scholaſtico compoſitum, ut ait Gregorius Magnus *Lib. 7. Epiſt. 64.* & ab aliquot Pontificibus auctum ſuo loco demonſtrabimus lib. 2. cap. XI. §. 2. Sunt in ea quædam orationes ex Libro Sacramentorum Gregorii, eſtque conſarcinata ex Miſſa Latina, & ex Liturgiis Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi. (2) Quibus rite perpenſis, ea mihi ſuſpicio in mentem venit, præterito ſeculo ſcriptam fuiſſe ab aliquo Sacerdote Italo-græco, vel exercitii gratia, vel ut Græcam Liturgiam, de cujus nimia prolixitate ſæpe Romæ conqueſti ſunt, ad hanc breviorem formam rediget. Nomen autem Petri ei præfixit, vel quia Canon Romanæ Eccleſiæ, cujus Petrus fundator fuit, præcipua ejus pars eſt: vel ut ei auctoritatem tanti nominis interpoſitione conciliaret. Narrat Lindanus breviſſimam Petri Liturgiam apud Franciſcum Turrianum extitiſſe, ſed ea nuſquam comparuit. (2)

Miſſalis liber ad Sacrificium initio adhibitus.

(1) *Formam aliquam ... ab iiſdem accepiſſe.*) Emin. noſtro conſentit vel ipſe Erneſtus Grabe heterodoxus Scriptor, de quo ſupra meminimus cap. 6. §. 1. ubi eadem fere verba, quæ Emin., adhibet. Id ipſum firmat Hugo Grotius ibi relatus. Quorum teſtimonio vel ex inimicis ſumpto perſpicue conſtat ab Apoſtolis formam aliquam, & ſacrificandi ritum Eccleſiis traditum fuiſſe. Et ſane Miſſalem aliquem librum in re divina conficienda antiquitus adhibitum, ejuſque uſum vetuſtiſſimum aſſerunt Joſeph Vicecomes Obſervationum ſuarum Tom. 4. lib. 7. cap. 10. Lazarus Andreas Bocquillot in ſuo tractatu Hiſtorico Gallice conſcripto, de Sacra Liturgia lib. 1. cap. 9. quibus noviſſime ſubſcribit P. Cajetanus Maria Meratus Commentar. in Gavantum Tom. 1. pag. 12. Et licet Petrus le Brun Tom. 2. Explicationum Miſſæ gallica pariter lingua Scriptarum Diſſert. 1. ſuſtinere conetur tum contra Emin. noſtrum, tum etiam præfatos, per ſolam traditionem ſervatum fuiſſe antiquitus Liturgiæ ordinem, uſque ad quintum Eccleſiæ ſeculum, nihilominus ab Emin. ſententia, & prædictorum recedendum non eſſe, nos ſuadent, primo S. Juſtinus Martyr, qui in Apologia 2. de qua ſupra cap. 4. §. 4. inter cætera ſic ait: *Deinde ei, qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ, & vini, quibus ille acceptis laudem, & gloriam rerum univerſarum Patri per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert, & Euchariſtiam, ſive gratiarum actionem .....prolixe exequitur.* Quomodo autem per ſolam traditionem, ac memoriter tantum abſque ullo Codice, in quo legerentur, iſtæ orationes, & preces uno ordine, unoque ritu prolixe perſolvi poterant? Vide ſupra Emin. Authorem cap. 5. §. 3. ubi ex Chryſoſtomo, ac Proclo ejus diſcipulo Conſtantinopolitanis Epiſcopis oſtendit Apoſtolos prolixam etiam ſacrificandi formulam adhibuiſſe, lectiones ſcilicet, preces, & cæremonias exemplo veteris Teſtamenti, in quo plures a Deo cæremonias inſtitutas ſacræ litteræ nos docent, quæ utique longæ preces, ut ex eadem, & eodem modo ab omnibus abſque ullo variatione recitentur, ſine Codice communi id fieri non poſſe manifeſtum eſt.

Non per ſolam traditionem Liturgiæ ordo antiquitus ſervatus.

Id ex plurimis veterum Patrum teſtimoniis clare deducitur.

Hoc confirmari poteſt ex multis Patribus, præſertim ex Tertulliano ſupra ab Emin. citato cap. antecedenti §. 1. lib. de Jejuniis cap. 13. ubi ait: *Aguntur certis in locis Concilia ex cunctis univerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur*: Etenim ad altiora quæque, ut optime notat Emin. Author, pertinet non ſolum de fidei dogmatibus agere, ſed ritus etiam in ſacris functionibus ſervandos præſcribere. Et ſane quid altius in Chriſtiana religione, quam Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacrificium? Quod ut uno ordine, unoque ritu, & forma in Eccleſia celebretur, nonniſi ex certis præſcriptis cæremoniis, & orationibus uniformiter recitandis peragendum ipſa religio nos ſuadet, ipſa fides oſtendit. Hæc autem quomodo memoriter tantum, & ex ſola traditione abſque ullius ſcripti Codicis ſubſidio ſine defectus, aut variationis periculo obſervari poſſunt? Hinc eſt, quod S. Hieronymus in Catalogo Script. Eccl. loquens de S. Hilario Pictavienſi hæc ſcribit: *eſt ejus & liber hymnorum, & myſteriorum altius*, ubi pro myſteriorum libro Codicem Miſſalem intelligi ſatis ſuperque evincitur ex veterum Scriptorum omnium teſtimonio, qui Miſſam myſterium nuncupant. Colligitur denique ex S. Athanaſii Epiſtola ad Orthodoxos, in qua graviter dolet, & conqueritur Arianos ſacros libros omnes, qui Eccleſiaſtico uſui deſtinati, erant, igne

igne conſumpſiſſe. At quinam libri magis ſacri, uſuique Eccleſiaſtico addicti, quam quibus rei divinæ peragendæ ritus, & ordo conſignati erant?

Sed & ante Hilarium, & Athanaſium, notum eſt edictum Diocletiani, & Maximiani Imperatorum de tradendis, cremandiſque ſacris Chriſtianorum Codicibus, quorum conflagrationem luget Arnobius contra Gentes lib. 4. dictique impii decreti paſſim meminit Optatus Milevitanus in libris ſuis contra Parmenianum, ſicut & Lactantius de mortibus perſecutorum, ac Auguſtinus in Epiſtolis, aliiſque Commentariis adverſus Donatiſtas, de quo etiam edicto Acta Martyrum publica ſæpius agunt; at iterum quinam libri magis ſacri iis, in quibus Dei verbum, veteris ſcilicet, & novi Teſtamenti myſteria continentur, & Sacramentorum fidelibus tradendorum adminiſtratio præſcribitur? Denique ex Actis S. Suſannæ apud Baronium an. 294. num. 10. ex S. Auguſtino, tum in Epiſtola ad Vitalem Carthaginenſem, tum libro de dono Perſeverantiæ cap. 23., ac præſertim ex S. Cœleſtino Papa I. in Epiſt. ad Galliarum Epiſcopos, de quibus Euſ. Author lib. 2. cap. 5., §. 4. ubi obſecrationum Sacerdotalium Sacramenta ab Apoſtolis tradita in toto mundo, atque in omni Catholica Eccleſia uniformiter celebrari, cum Auguſtino affirmat S. Pontifex, clariſſime evincitur extitiſſe antiquitus ab initio Eccleſiæ librum Miſſalem aliquem, ex quo tot orationes, & preces diverſas, quas iidem Auguſtinus, & Cœleſtinus memorant, ſatis prolixas legeret Sacerdos, ut inde uniformiter in tota Eccleſia ſacra myſteria celebrari poſſent. Vide quæ ibi loco citato dicemus in notis.

Quin & ab initio Eccleſiæ ex D. Paulo.

Porro hæc de Sacerdotalibus obſecrationibus Apoſtolica traditio ab Epiſtola Pauli I. ad Timoth. cap. 2. derivari illis verbis oſtenditur, quibus fieri in Eccleſia præcipit *obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus &c.* quas orationes ſingulas recitat Author Conſtitutionum Apoſtol. lib. 8. cap. 12. Notant vero Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & alii ſacri Interpretes ad hunc locum Apoſtolum loqui maxime de oratione publica, & communi, qualis eſt Miſſa, Litania, & ſimiles, unde S. Auguſtinus præfatus Epiſt. 59. vet. edit. ad Paulinum quæſt. 5. apte has precationes omnes refert ad Miſſæ Liturgiam, ut *obſecrationes* ſint orationes illæ, quæ fiunt ante conſecrationem, in quibus eſt frequens deprecatio, & obſecratio per Chriſtum, & alias res ſacras: *orationes* vero ſint ex, quæ fiunt ſub conſecrationem, ita enim intelligitur ex ipſo textu græco oratio, quæ fit cum oblatione, qualis eſt in conſecratione. Deinde, ut *poſtulationes* fiant poſt conſecrationem cum populus benedicitur, *tunc enim*, inquit Auguſtinus, *Antiſtites velut advocati ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordioſiſſimæ offerunt poteſtati*, ſcilicet cum Sacerdos poſt conſecrationem pro ſe ipſo, pro vivis, & defunctis poſtulat beneficia, cumque populum benedicit, tunc eum quaſi miſericordiæ Dei ſiſtit, & ſua benedictione beneficio afficiendum offert, *quibus peractis, & participato tanto Sacramento gratiarum actio cuncta concludit*, Liturgiæ ſcilicet, & Miſſæ myſteria.

Plura hic affert Sanctus Doctor, quibus voces illas obſecrationum, orationum, interpellationum, & gratiarum actionum etiam ex contextu græco illuſtret, ac poſtremo ait: *Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Eccleſia, ut precationes accipiamus illas, quas facimus in celebratione Sacramentorum: antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici, orationes cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Eccleſia Dominica oratione concludit; ideo in hujus Oblationis ſanctificatione, & diſtributionis præparatione exiſtimo Apoſtolum juſſiſſe proprie fieri orationes, quibus peractis &c.* Hactenus Auguſtinus, ex quo patet Miſſæ ritum ſaltem in communi, & quoad has partes ipſius Sancti Doctoris ævo fuiſſe univerſalis Eccleſiæ uſu receptum uti traditum a majoribus ex Apoſtolorum inſtitutione. Idem patet ex Liturgiis SS. Jacobi Apoſtoli, Baſilii, & Chryſoſtomi, quas ipſorum genuinas eſſe ſuo loco demonſtrabimus. Hanc proinde faciem, quæ antiqua eſt; etiam hodierna, & nationum omnium ſuffragiis approbata Liturgia noſtra, ſeu Miſſa retinet. Scio præfatam Auguſtini interpretationem a peſſimo Calvino reprehendi, ſed illius cenſura eum jugulat, dum puerum vocat Auguſtinum, quod ſupradicta Apoſtoli verba ad ritus ſui temporis detorſerit. Nihilo ſecius vel invitus agnoſcere cogitur ſeductor iſte jam ab Auguſtini temporibus eumdem apud Latinos ritum extitiſſe, ac nunc obſervatur.

His poſitis quomodo juxta Apoſtoli præceptum 1. ad Corinth. 14. v. 40. quo jubetur, *ut omnia in Eccleſia honeſte, & ſecundum ordinem fiant*, eadem ex ſola vocali traditione ita uno ritu, & ordine in omnibus obſervari poterant a tot diverſarum Provinciarum, & gentium Sacerdotibus abſque ullo ſcripto per manus tradito, quin ulla varietatis, & diſcrepantiæ interveniret perturbatio? quo pacto tot preces, diverſas obſecrationes, ſcilicet orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, quas ut ſupra deſcribunt Author Conſtit. Apoſtol. & Auguſtinus, memoriter tantum ſine ullo codice, ex quo illæ legerentur, ab Epiſcopis, & Presbyteris recitari poterant abſque ullo erroris, aut confuſionis periculo? Credemuſne Eccleſiam Chriſtianorum ipſo ſui exortus initio huic ingruenti malo non occurriſſe, exemplo maxime Synagogæ Judæorum, quæ ſuos utique Rituales, & cæremoniales libros, quibus eorum Sacra dirigebantur, habuiſſe, vel ab Apoſtolorum ævo manifeſtum eſt, & quemmodum nonnullos ritus, & cæremonias in proprium, & ſanctiorem uſum adhibendas ab eadem Synagoga mutuavit Eccleſia, uti pluribus oſtendit Baronius ad an. 44. n. 88. & an. 58. num. 83. & ſeqq. dicemuſne hujuſmodi tam opportunos Codices Liturgicos tunc inducere noluiſſe? Sani profecto conſilii non eſt ita imprudenter de primitiva Eccleſia ſentire. Hæc aſſerta noſtra confirmat eruditiſſimus Pater Honoratus a Sancta Maria de uſu

Ut omnis in Eccleſiis ubique uno, & eodem ordine fiant, vix ſine ullo Codice omnibus communi, ex quo legantur, id conſequi poteſt.

Cri-

Critices lib. 5. Differt. 3. art. 2. §. 3. num. 2. ubi de hujuſmodi Miſſali libro „ Quando- „ quidem, ait, Liturgia Sacra ſaltem a ſe- „ culo ſecundo quamplurimis precationibus, „ actionibus, obſecrationibus, gratiarum- „ actionibus, Epiſtola, Evangelio, aliiſque „ multis Miſſæ partibus e Sacris Litteris de- „ promptis conſtabat, nemo ſibi perſuadere „ poterit, rem divinam celebratam fuiſſe ſine „ Liturgiis conſcriptis in uſum miniſtrorum, „ atque officii publici exemplar. Item neceſ- „ ſariæ erant ad ſervandam æquabilitatem in „ Sacris illis conventibus, atque removendos „ malos uſus, qui nullo negotio irrepſiſſent „ ..... Denique neceſſitatem habebat Litur- „ giam deſcribere, ut univerſa Eccleſia ritus „ eoſdem, quod attinet ſaltem ad eorum na- „ turam ſervaret: Sic Honoratus, qui & alia in hanc rem ſubdit. Mitto reliqua ad id comprobandum argumenta, quæ videſis apud laudatum Meratum loco ſupracitato, qui etiam nonnulla in contrarium a Tillemontio, & Bruno objecta ex Juliano Garnerio in nupera ſua S. Baſilii editione ſapienter diluit. Vide etiam infra Emin. Authorem cap. 25. §. 10. item quæ dicemus nota ſequenti.

(2) *Ex Liturgiis Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi*) Nam primo in Liturgia Petri Apoſtolorum Principis ſpecioſo nomine inſignita, & inſcripta ſit mentio Sanctorum Pontificum, & Martyrum, qui diu poſt S. Petrum Apoſtolum vixerunt, videlicet Xiſti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chryſoſtomi, Coſmæ, & Damiani. Secundo initium hujus Liturgiæ ex Græca S. Baſilii, Præfatio vero, Canon integer, atque oratio, quæ poſt precem Dominicam *Pater noſter* legitur ex Miſſa Latina, & tandem, quæ ſubſequuntur, ex S. Baſilii Liturgia deprompta ſunt. Plura alia extant, quæ Liturgiam hanc Petro ſuppoſitam, Spuriam, ſeu pſeudepigraphamindicant, de quibus vide Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. ſec. I. cap. 12. art. 3. Hiacynthum Amat de Graveſon de Scriptura Sacra pag. 376. Dupinium in Bibl. Eccl. Guillelmum Cave, aliaſque Scriptorum Eccleſiaſticorum Nomenclatores, & præ cæteris videndus eruditus P. Nicolaus le Nourry in ſuo Apparatu ad Bibl. Max. ver. Patrum Tom. 1. Differt. 2. cap. 4. & ſequentibus, ubi de eadem fuſe differit: qui doctiſſimus Aſceta ibi pariter Cardinalis noſtri ſuſpicionem confirmans hanc Liturgiam opus eſſe dicit Compilatoris cujuſdam, ſeu Clerici, Græci, ſeu Monachi Baſiliani in Italia degentis, qui ut illam Græco Ritu retento Romanæ Miſſæ ſimiliorem redderet, ex Græca S. Baſilii Liturgia, & Canone Romano unum Corpus efficit. Utrum autem uni, vel pluribus Eccleſiis aliquando uſui fuerit, incertum eſt, cum unicum tantum illius exemplar reperiatur. Duas porro Liturgias Divo Petro Apoſtolorum Principi, ut notat Cotelerius ad PP. Apoſtolicorum ſcripta pag. 343., & ante ipſum quoad Syros Abraham Ecchellenſis, de quibus infra cap. 9. §. 9. num. 1. adſcribunt Orientales; utramque tamen, ut ſubditam rejiciunt Eruditi, atque ejuſdem dubiæ fidei, veluti ſunt illæ Matthæo, & Marco (de quibus in ſeq. §.) tributæ cenſentur.

Liturgia Petri nomine a Lindano elitaſuppoſitia diæque infra dicendæ.

Cæterum quidquid de iis ſit, ſcite obſervat Riccardus Simon in notis ad Apol. Gabr. Severi pag. 209. quod prima hujuſmodi Liturgiarum facies Authores habuit Apoſtolos, qui Eccleſiarum fundamenta jecerint, unde Epiphanius hæreſi 79. dum mulieres a publico miniſterio arcet, recte annotat Petrum, Andream, & reliquos Apoſtolos non ſolum Evangelii Miniſtros fuiſſe, ſed & *Myſteriorum conditores cum Jacobo fratre Domini, & primo Hieroſolymorum Epiſcopo*. Ex quo haud dubie factum eſt, ut Liturgiæ ſub horum fere omnium nominibus in Eccleſia Orientali habeantur; quælibet enim Eccleſia ſuum ſibi ſtatuit protoparentem, a quo primum inſtituta fuerit, & ad eum veluti ad Principem, ac ductorem ſuum refert id omne, quod habet cæremoniarum, & rituum: huic propterea traditioni tamquam a Patribus acceptæ ſummam defert authoritatem Baſilius Magnus libri de Spiritu Sancto cap. 27. ubi ſtrenue pro hujuſmodi traditionibus non ſcriptis decertans totus eſt, ut oſtendat Apoſtolorum temporibus ea, quæ ritus ſunt, citra ſcripturam tradita fuiſſe. *Neque enim*, inquit, *iis contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus, aut Evangelium; verum alia quoque & ante, & poſt dicimus tamquam multam habentia virtutem ad Myſterium, quæ ex traditione citra ſcriptum accepimus*. Ex his concludit Simonius: Cum igitur in Liturgias, quæ Petri, Jacobi, Matthæi, Marci, & aliorum Apoſtolorum nomina præferunt, incidimus, neceſſe non eſt, ut eas Petro, Jacobo, & cæteris tribuamus; quaſi reapſe libros hujuſmodi Miſſales in Eccleſiarum ſuarum uſum confecerint &c. ſed hæc, & alia ejuſdem generis complura ex traditione hauſta ſunt. Hæc de Apoſtolorum Liturgiis non infimi ſubſellii in Gallia Criticus, cui hac in parte ſubſcribens addo Apoſtolos quidem Miſſales libros non per ſe ipſos confeciſſe, ſed formam illam Ritualem ſacrificandi, quam Eccleſiis, ut initio capitis dictum eſt, iidem tradidere, ab eorum diſcipulis, & ſucceſſoribus, ne forte excideret, aut variari quoad ſubſtantiam nullatenus poſſe, prudenter, ut item admonuimus, ſcripto conſignatam, cumque ſacra ſupelleſtile, ac Divinarum Scripturarum libris caute, ac fideliter cuſtoditam fuiſſe, quod non ſine rationabili fundamento factum, exiſtimamus.

Caterum Liturgiæ Apoſtolorum nominibus inſcriptæ ex traditione in pluribus hauſtæ.

Erneſtus Tenzelius conſultatur.

Scio Lutheranum Scriptorem apud ſuos celebrem Erneſtum Tenzelium ſinas hujuſmodi argumentationes aſpernari, ac deridere; inſua enim, ut ait, florum ſparſione ad S. Hieronymi librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 1. ubi de S. Petro Apoſtolo, deque ejus Liturgia num. 4. pag. 11. poſt relata, quæ exſcripſimus, ultima Simonii verba, quibus ſimiles Liturgicas formulas, licet Authorum, quorum nomina præferunt, non ſint, ex traditione tamen hauſtas eſſe prudenter affirmat, hic Sectariorum more, qui pene omnia refpuunt, quæ a Catholicis proferuntur, temere ſubdit „ Sed quam infirmo, inquiens, tibicine „ tales nitantur traditiones, eleganter oſtendit „ Joannes Dallæus lib. 9. de Latinorum cultibus religioſis cap. 10. & 11. Sic ille ex tripode pronuncians. At cum multo poſt Natalem

talem Alexandrum, qui invicte, & quidem elegantissime, dictum Calvinistæ Dallæi opus confutavit in sua Hist. Ecclesiast. jam ab anno 1686. Parisiis edita, tum sæc. 11. Dissert. 16. ubi de Traditionibus, quarum necessitatem ex Ecclesiæ primitivæ doctrina, Sanctorum Patrum authoritatibus, & quamplurium rationum momentis evidentissime probat, tum etiam seculi V. Dissert. XXV. ubi consimile argumentum, de cultu scilicet Religioso Ecclesiæ Catholicæ contra eumdem Charentonicum Calvini Ministrum late prosequitur, atque ex iisdem, aliisque locis Theologicis sacrum illum cultum semper ab initio fidei Christianæ observatum perspicue demonstrat, aliique post ipsum nostrates idem contra Sectarios evincant, neque exadverso solidi quidquam illorum ullus reponere valuerit; cum, inquam, Tenzelius prædicta scripserit anno 1703. debuerat heterodoxus iste Natalis Alexandri primum responsiones ad Dallæi objecta diluere, si potis erat, aut aliquem, qui id præstiterit, indicare, neque sic insipienter putidam ab illo propositam, & toties rejectam crambem denuo Novatorum more recoquere; gratis enim, & insulse regeritur, quod jam satis reprobatum exhibetur.

Præterea meminisse debuerat, se pridem anno 1683. cum duas illas disputationes adversus Emmanuelem Scheleſtratium exaras set, in earum prima circa disciplinam arcani apud veteres usitatam, Casubonum, & Mejerum, aliosque similis damnatæ fidei homines secutum contra ipsum affirmasse, per disciplinam arcani ritus quidem & cæremonias fuisse occultatas, non cum ipsis Ecclesiæ primordiis, sed exeunte demum secundo post Christum natum seculo occultari cœpisse, indeque non mirum, si exposti SS. Patres pauca locuti, & quasi symbolice fuerint. Itaque si duobus primis Ecclesiæ seculis ipso judice publica erat, & omnibus nota Christianorum de sacris eorum cæremoniis, ac ritibus traditio, quam profecto tunc temporis, utpote ab Apostolis, eorumque discipulis, ac successoribus derivatam nemo cordatus, & nec ipse negabit, eccur eadem rituales sacrificandi formulæ posterius item adhibitæ, & secreto apud fideles observatæ ex ipsa antiquitatis traduce conservari non potuerint? quomodo quod primis duobus seculis publicum fuit, tertio posita, ac tam brevi tempore occultum fieri, & pene ignorari potuit? Ex occulto quidem publicum fieri facile est, at ex publico occultum, & ignotum vix esse posse, nonnisi post longum annorum spatium quisque conspicit.

Sed & Ernestum Tenzelium Lutheranum refellit Ernestus alter, ac pariter Lutheri assecla, Grabbius scilicet, jam supra memoratus nota 1. qui in suo Spicilegio SS. Patrum priorum trium seculorum Oxoniæ edito anno 1699. Tom. 1., ubi de Liturgiis Apostolicis, hæc de iis habet, quæ denuo repetere abs re non erit, ut veritas iterum eluceſcat: *illos, inquit, qui in omnibus ipsis Liturgiis exprimuntur, quique jam olim ubique inter sacra mysteria usitati fuerunt, ritus, ex Apostolica traditione fluxisse; Ecclesias enim ab Apostolis institutas formam aliquam, & ritum efferendi Sacrificium, cui tam astrictas sit, & præcipua cum religione connexio, non accepisse, quis sanus sibi persuadeat? Non quod tamen Liturgias omnes Apostolicas iis, quorum nomine insigniuntur, adjudicare velim. Sufficiat Liturgiarum antiquiorum non Scriptores, saltem primos Authores esse Apostolos.* Ita Grabbius, quo etiam teste, & quæ superius dicta sunt, confirmantur. Sed & nuperrime Tenzelium confodit Lutheranus alter Tubingensis Professor Christ. Matthæus Pfaffius, de quo infra §. 3. nota 9. in fine. Is, ut ibi referemus, de hujusmodi Liturgiis loquens: *Quamvis autem*, inquit, *omnes hæ Liturgiæ ab iis conscriptæ non sint, quorum nomina præferunt, maximæ tamen authoritatis esse nemo, qui sapit, dubitaverit, cum jam antiquissimis temporibus in Ecclesiis Orientalibus præcipuis fuerint usitatæ. Ita Liturgiam Jacobi &c.* subdit deinde: *Quod vero, si ita est, apparet, haud spernenda omnino esse, quæ ex hisce Liturgiis pro fide veteris Ecclesiæ depromantur argumenta.* Hæc Pfaffius, cui succinit Thomas Brett Anglicanæ communionis heterodoxus Scriptor (de quo supra ad cap. III. §. 4. nota 2.) in sua Collectione præcipuarum veterum Liturgiarum Ecclesiæ Christianæ Londini edit. ann. 1720. ubi formam, seu Ordinem confecrandæ Eucharistiæ ab Apostolis derivari, si non qua singula verba, tamen qua rem ipsam, & qua singulas partes essentiales in antiquis Liturgiis a se editis superesse non dubitat, præcipue in Clementina Constitutionibus Apostolicis inserta, quam ut omnium antiquissimam, & ut normam cæteras omnes Liturgias dijudicandi commendat pag. 24. Quod itaque ex dictis Liturgiis Apostolorum nomine inscriptis, ac proinde utcumque fit de earum titulo, citra tamen dubium vetustissimis deducere libuit Grabbio, Pfaffio, & Bretto, eccur Riccardo Simonio non liceat asserere, quæ in iisdem continentur, ex Apostolica traditione hausta esse?

Alium propterea, & Dallæo suo meliorem tibicinem sibi asciscat Tenzelius, qui si sanum sapere velit, traditiones, sive Divinas, sive Apostolicas, sive Ecclesiasticas, quas a majoribus nostris, sua quidem differentiæ discretionis observandas accepimus, ipsi veneranda antiquitate, veterum scilicet Ecclesiarum omnium consensu clamante, atque hujusmodi gentium omnium vocis, quæ & vox Dei est, præconibus quotquot de sacris Christianorum mysteriis scripserunt Doctoribus, quorum longum agmen referunt Bellarminus Controv. Tom. 1. lib. 4. cap. 4. & seq. Natalis Alexander citata Dissert. XVI. seculi II. Petrus Annatus Theol. Posit. lib. 3. art. 3., & ante ipsos præ cæteris doctissimi Batavi fratres, & Episcopi Adrianus, & Petrus de Walenburch peculiari hac de re opere edito Moguntiæ 1667. aliique plurimi, nobiscum asserat, amplectatur, & teneat; Verbum enim Dei est Apostoli præceptum 2. ad Thessalon. c. 2. 14. *State, & tenete traditiones, quas didicistis.* Et quoad Liturgicas traditiones, de quibus hic nobis instituitur est fermo, vide infra c. seq. §. 8. n. 3. & 5. ubi nonnulli pro earum authoritate afferuntur Patres; sed ad reliquas sub Apostolorum nominibus evulgatas Liturgias procedamus.

Ritus, qui in dictis Apostolorum Liturgiis exprimuntur, ab Apostolica traditione fluxisse, hic denuo comprobatur, & iterum Tenzelius refellitur ex eo suorum gregarium testimonio.

§. II.

§. II.

Dubiæ fidei eas eſſe, quæ Matthæo, & Marco tribuuntur.

EXtant etiam Matthæi & Marci Evangeliſtarum nominibus Liturgiæ, quas, cum pleriſque, inter dubiæ fidei ſcripta recenſeo. Illa Æthiopum, (1) hæc Alexandrinorum dicitur eſſe: Matthæum enim fidem in Æthiopia prædicaſſe aſſerit Romanum Martyrologium; Marcus vero Alexandrinæ Eccleſiæ primus Antiſtes fuit. Et illa quidem unde primum prodierit, neſcio: hæc Sirleti manu obſtetricante edu&ta eſt in lucem ex vetuſto Codice Monaſterii Roſſanenſis in Calabria Ordinis S. Baſilii, ex quo idem Sirletus eam deſcribi curavit, miſitque Pariſios Joanni a S. Andrea ejus Eccleſiæ Canonico, atque ibidem græce, & latine edita fuit. De illa altiſſimum ubique ſilentium eſt: hanc commemorat & veluti Pſeudepigrapham rejicit ſeculi XII. Scriptor Theodorus Balſamon *Reſp.* 1. *ad Marcum Patriarcham*, *&* *ad Can.* 32. *Concilii Trullani*. Nicolaus Methonenſis in *libello ad eos qui hæſitant*, ait, Marcum Liturgiam Eccleſiæ Alexandrinæ tradidiſſe, quod & alii aſſerunt, & nos ultro fatemur: an vero iſta, quæ ad nos pervenit, ipſa ſit, quam Marcus ſcripſit, res in ambiguo eſt, deficientibus per multa ſecula veterum Patrum atteſtationibus (2). (1) (2)

S. Matthæi Liturgia Æthiopum dicta ſuppoſititia.

(1) *Illa Æthiopum*) Miſſam Æthiopum S. Matthæo Apoſtolo adſcriptam non eſſe Sanctiſſimi Evangeliſtæ opus, evidentiſſime evincunt plures errores in fide, pleraque commentitia, falſa, & incongrua, quæ ibi leguntur. Et primo in hac Chriſtus Dominus vocatur Filius Patris, & Spiritus Sancti, qui manifeſtus error eſt. O *Princeps noſter Jeſu Chriſte*, inquit, *cujus ſubſtantia creata non eſt, ſed & purum verbum, tu es Filius Patris, & Spiritus Sancti*. Secundo nonagintanovem Angelorum ordines invocat, cum Eccleſia dumtaxat novem agnoſcat. Tertio Urielis ignoti in Eccleſia Angeli nomen celebrat, de quo ſupra nonnihil diximus cap. antecedenti §. 6. nota 2. Quarto, duodecim Apoſtolos apud Deum patronos adhibet, at S. Jacobum Epiſcopum Hieroſolymitanum, & S. Paulum. Doctorem Gentium extra eorum ordinem numerat. Quinto, Pontificum, Regum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum dormientium in Chriſto memoriam celebrat, cum tamen S. Matthæi tempore Pontifices ulli, aut Reges Chriſtiani nondum obiiſſent, ſiquidem ſuperiſtes erat totius Eccleſiæ Pontifex S. Petrus, neque Rex ullus Chriſti fidem amplexus erat præter Æthiopum Regem Ilpigenizæ virginis patrem, quem cum uxore, & univerſa Provincia ad Chriſti fidem converterat Matthæus, uti legitur in Breviario Romano. Nomina porro Patriarcharum, & Archiepiſcoporum quatuor primis Eccleſiæ ſeculis inaudita ſunt. Cum ipſis inſuper legitur memoria Evangeliſtarum, quorum unus ipſe Matthæus eſt: Mentio item fit Synodorum Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, & Epheſinæ, quæ longo poſt tempore coactæ ſunt: Athanaſii denique, Gregorii, Baſilii, Cyrilli, & Chryſoſtomi nomina referuntur tribus ſeculis ab Apoſtolorum ætate poſteriorum. Sexto monetur Sacerdos, ut declaret epactam, aureum numerum, mobilia, & immobilia feſta, quæ temporibus Apoſtolicis non conveniunt, & recentioris ſunt inſtituti. Demum anathema dicit eis, *qui non credunt in Sanctam Mariam Virginem*, cum ſolus Deus ſit objectum fidei noſtræ, ut obſervant Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 1. art. 3. aliique; Præterea hoc anathemate Neſtorii, vel Helvidii error longe poſterioris ævi confoditur. Plura alia ſunt, ex quibus liquido conſtat hanc Liturgiam nec Matthæi Apoſtoli opus eſſe, nec probati alicujus Scriptoris Eccleſiaſtici, nec admodum antiquam. De hac autem Æthiopum Liturgia, quæcumque illa ſit, vide infra capite ſequenti §. VI.

Item Sancti Marci Evangeliſtæ Alexandrinæ dicta.

(2) *Deficientibus . . . . . veterum Patrum atteſtationibus*) Præterea Liturgiam hanc perperam ſub S. Evangeliſtæ nomine obtruſam fuiſſe, ejuſdemque furfuris ac fidei cum præcedentibus facile domonſtrarunt. Primo quia in ea fit ipſius S. Marci memoria his verbis: *Protege Civitatem iſtam propter Martyrem tuum, & Evangeliſtam Marcum, qui nobis viam ſalutis demonſtravit*. Quod utique ipſius adhuc viventis non eſſe oſtendit. Secundo vocat Pontificem *Sanctiſſimum, & Beatiſſimum Papam, & Epiſcopum Reverendiſſimum*, quæ nomina primis Eccleſiæ ſeculis uſurpata non ſunt. Tertio fiunt in hac Liturgia orationes pro Rege Chriſtiano, nemo autem dixerit Sancti Marci tempore Alexandriæ fuiſſe aliquem Regem Chriſtianum, cum Octavianus Auguſtus Imperator poſt victoriam Actiacam de Marco Antonio, & Cleopatra reportatam univerſam Ægyptum Romano Imperio vectigalem fecerit, ejuſque Provinciæ adminiſtrationem Cornelio Gallo Equiti Romano commiſerit, uti teſtantur Romanæ Hiſtoriæ Scriptores. In eadem denique Liturgia Monachorum, & Religioſorum fit mentio, quod utique poſteriores ævi eſt; recitantur item hæc verba ex

ſymbolo

ſymbolo Conſtantinopolitano ſere exſcripta: *Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, qui in lege, & Prophetis, & Apoſtolis locutus eſt tibi conſubſtantialis, ex te procedens*: Quæ omnia emunctæ naris eruditis hanc Liturgiam ſpuriam, & ſuppoſitiam eſſe denunciant. Quare non ſatis cautum ſe præbet Godefridus Henſchenius in actis Sanctorum Aprilis Tom. 3. pag. 346. cum *de Liturgia S. Marci, quæ dicitur ab eo pro ſua Diœceſi confecta* conſuli monet Adamum Conzen in proœmio Commentarii ſui in Evangelium S. Marci; Conzenius enim cum Sirleto, aliiſque nonnullis pro genuino Evangeliſtæ fœtu eamdem Liturgiam habet, qui tamen omnes non ſatis pro hac eorum ſententia prædictas rationes, & argumenta in contrarium, ut ſupra allata, convellunt. Hinc *meliori ſucceſſu* (inquit Willhelmus Ern. Tenzelius ad S. Hieronymi Catalogum de Script. Eccleſ. cap. 8. de Marco num. 3.) *Henſchenius conſulendum propoſuiſſet Cardinalem Bona, cujus Libri Rerum Liturgicarum quinquennio ante tertium Aprilis Tomum prodierant, qui non dubitat hanc Marci Liturgiam... cum pleriſque inter dubiæ fidei ſcripta recenſere.* Cæterum hanc Marco adſcriptam Liturgiam ante concilium Chalcedonenſe conſcriptam fuiſſe oſtendere nititur Euſebius Renaudotius in ſua Diſſert. de Liturgiis cap. 4. Aſt an vere ita ſit, alii examinent, prædicta enim in contrarium objecta poſterius ævum potius quam anterius ſapere videntur.

Suppoſititia Liturgia Joannis Evangeliſtæ.

Prædictis adjungenda eſt alia procul dubio non melioris fidei Liturgia, quam ſub nomine *Joannis Evangeliſtæ* cum pluribus aliis Liturgiis, ſeu anaphoris Romæ Syriaca Lingua impreſſam refert Riccardus Simonius in ſupplemento ad libellum Leonis Mutinenſis, ſeu comparatione cæremoniarum Judaicarum cum diſciplina Eccleſiæ, & in Miſſali Maronitarum legitur, ubi etiam habentur duæ Petri Liturgiæ. Addit præfatus Simonius Jacobitas, & Maronitas, perſuaſum ſibi habere, quod illæ Liturgiæ ab iis, quorum nomina præ ſe ferunt, revera ſcriptæ ſint verum qua ætate Codex Liturgicus apud Maronitas obtinere cœperit, incompertum eſt. Gabriel Sionita e Monte Libano in Diſſertatione, quam de nonnullis gentis ſuæ ritibus inſtituit, ita fatetur: *De Miſſali antiquitate nihil auſim aſſeverare &c.* Et poſt pauca: *forſitan haud inepte concludi poteſt Miſſale, cæteroſque Syrorum libros eſſe quarto ſæculo priores.* Ex quo tamen nihil certi deducitur. Porro de Syrorum, aliarumque Orientis Gentium Liturgiis nonnulla dicemus infra capite ſequenti §. IX.

Subditæ item illæ Domini noſtri, & Dominæ noſtræ dictæ.

Nec denique deſunt qui vel ipſi Chriſto Domino noſtro, ac Beatiſſimæ Virgini Mariæ ejus Matri Liturgias tribuerint; etenim apud Æthiopes uſurpatur Liturgia, quæ *Domini noſtri* dicitur, de qua ſequenti Capite §. 6. nota 3. & alia, quæ *Dominæ noſtræ* nomine inſignitur; Verum Ludolphus Jobus Hiſtor. Æthiop. lib. 3. cap. 4. num. 39. monuit ex ipſo textu ſatis evinci poſſe, quod Liturgiæ iſtæ nomen ſuum ab Authoribus non acceperint, idque de Mariæ Virginis Liturgia ipſum titulum indicare; dicitur enim Liturgia Dominæ noſtræ Mariæ, quam compoſuit Abbas Cyriacus &c. Unde patet, quod Liturgia Mariæ Virginis appelletur, non quaſi ab ipſa compoſita, ſed potius quod in ejus feſtis diebus legeretur.

§. III.

Aſtruitur Liturgia Jacobi Apoſtoli.

His ergo rejectis, vel in quæſtione relictis, de Liturgia Jacobi fratris Domini Hieroſolymorum Epiſcopi omnium celeberrima paulo fuſius diſſerendum eſt. Scripſit de illa eruditiſſimam Epiſtolam ad Bartoldum Nihuſium Leo Allatius in ejus Symmictis editam pag. 176. qua eam ab hæreticorum oppoſitionibus vindicat, & prolatis Antiquorum teſtimoniis (1) genuinum Jacobi fœtum eſſe demonſtrat. Magni autem ponderis ad (1)
ejus veritatem ſtabiliendam, in primis eſt perpetua Eccleſiæ Græcæ traditio, quæ illam ſemper ut legitimam agnovit. Conſentiunt Græcis Syri, qui teſte Abrahamo Ecchelenſi in notis ad Hebedieſu de Scriptoribus Chaldaicis pag. 135. aſſerunt S. Jacobum primum omnium Liturgiam ſcripſiſſe, & ad ejus normam cæteras inſtitutas fuiſſe: idque confirmat Abraham Joannis Maronis, qui intra ſextum & ſeptimum vivebat ſeculum, aliorumque Antiquiorum teſtimonio, qui in ejus Liturgiæ Commentariis affirmant hanc traditionem ad ipſos per manus deductam a tempore Apoſtolorum. Accedunt traditioni ejuſdem exemplaria in vetuſtiſſimis Codicibus exarata, & ex ea veterum Patrum excerptæ apud Allatium auctoritates ad Catholicæ fidei dogmata comprobanda. Synodus Trullana c. 32. ejus teſtimonio utitur, ut refellat eorum errorem, qui ſolam aquam in Sacrificio offerebant. Manuel Malaxus *in Homocanone cap.* 220. eam in uſu fuiſſe ait uſque ad tempora Baſilii Magni: ejuſque

me-

meminit Proclus *in Tract. de traditione Divinæ Liturgiæ*, &. Cyrillus Hieroſolymitanus multa ex ea tranſtulit in quintam Catecheſim myſtagogicam. (2) Varias adhibent machinas ad eam abolendam Sectarii, ſed (2) omnem ipſorum conatum irritum eſſe facile oſtendam. Ajunt reperiri in ea vocem *Homouſion* ante Concilium Nicænum ignotam; vocem quoque *Theotocos* in Concilio Epheſino repertam. Atqui id temere & falſo ab illis dicitur. Nam Athanaſius *in Libro de Decretis Concilii Nicæni* auctores profert, qui nomine *Homouſii* ante ipſum Concilium uſi ſunt. (3) (3) Theodoretus item *Lib.* 1. *hiſt. Eccl. Cap.* 13. eam vocem non eſſe novam ait, neque a Patribus Nicææ congregatis inventam, ſed a majoribus receptam. Et ut alios ſileam, ipſemet Euſebius Cæſarienſis Arianæ factionis propugnator hoc idem aſſerit apud Theodoretum ibidem, & apud Socratem *Lib.* 1. *Cap.* 5. Simili modo ante Concilium Epheſinum B. Virginem *Theotocon*, ideſt Dei Genitricem nuncupatam Evagrii teſtimonio evincitur, qui *Lib.* 1. *Hiſt. Cap.* 2. Neſtorium reprehendit, quod hanc vocem a multis ſpectatiſque Patribus uſurpatam rejecerit: cui conſentit Theodoretus (4) *Lib.* 4. *hæret. fabul. Cap.* 12. dicens, antiquiſſimos fidei Or- (4) thodoxæ Prædicatores juxta traditionem Apoſtolicam Matrem Domini *Deiparam* nominaſſe & credidiſſe. Ajunt inſuper *Triſagion* & *Doxologiam* recentioris ævi eſſe, atque inde concludunt perperam tribui Jacobo hanc Liturgiam, in qua iſta reperiuntur, ſed nugas agunt, nam *Hymnus ter Sanctus* Iſaiæ cap. 6. & Apocal. cap. 4. v. 8. legitur; & Glorificatio Sanctiſſimæ Trinitatis ab Apoſtolis emanavit, qui cum credentes baptizarent in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, eos docuerunt Patri & Filio & Spiritui Sancto ſolemnem *Doxologiam* decantare. Ajunt denique alia quædam in ea eſſe, quæ recentiorum ſunt. Hoc probandum ipſis erat; ajunt enim illi, nos negamus. Sed ultro concedamus nonnulla addita a recentioribus ut in ſimilibus fieri ſolet, an idcirco abijcienda omnia velut ſpuria, illa etiam quæ genuina ſunt? An ideo Pentateuchum Moyſi tribuendum non erit, quia in fine Deuteronomii ipſius mors & ſepultura ab alio ſcriptore addita eſt? Non eſt hominis ſani ſic argumentari. (5) Nihil igitur offi- (5) ciunt Jacobi Liturgiæ Novatorum objectiones. Eam ipſi temere explodunt, nos veterum teſtimonio nixi amplectimur & approbamus. (6) (6)

(1) *Prolatis antiquorum teſtimoniis*) Videlicet S. Procli Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui & S. Joannis Chryſoſtomi ſucceſſor, ac diſcipulus fuit, Nicolai Methonenſis, Iſaaci Armeniæ Catholici, Joannis Citrii, Marci Epheſii, Gennadii Scholarii, Manuelis Malaxæ, Gabrielis Severi, & aliorum, de quibus infra in particulari Diſſertatione, quam Deo dante ſuo loco ſubjiciemus.

(2) *In quintam Catecheſim myſtagogicam*) Meminit Epiphanius hær. 79. Jacobi Apoſtoli tamquam Liturgiæ Inſtitutoris (ait Emmanuel Scheleſtratius in ſua Diſſertatione de Diſciplina Arcani cap. 6. pag. 97.) extatque etiamnum Liturgia ejus nomine, quam licet aliqui a poſterioribus auctam voluerint, in pleriſque tamen genuinum eſſe Jacobi Apoſtoli opus nullatenus dubitandum videtur.

(3) *Ante ipſum Concilium uſi ſunt*) Ii Authores ſunt Theognoſtus, & uterque Dionyſius Alexandrinus, & Romanus, qui ibidem apud Athanaſium loco citato *Filium ex Patris ſubſtantia productum, & Patri conſubſtantialem* dixerunt. Quin etiam Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola ad Paulum Samoſatenum *conſubſtantialem dici Filium Patri ab antiquis* affirmat. Porro Dionyſius obiit an. 264. floruitque medio tertio ſeculo, atque Origenis diſcipulus fuit. Si igitur Filius Patri conſubſtantialis ab antiquis ante Dionyſium dicebatur, id certe non ab Origene tantum, ſed & ab antiquioribus dictum fuiſſe fatendum eſt. Et ſane id ab Apoſtolorum diſcipulis, eorumque immediatis ſucceſſoribus Ignatio, Juſtino, Athenagora, Irenæo, aliiſque ſcripto traditum luculenter oſtendit Ambroſius Gardeboſc Hiſtor. Eccl. ſecundi ſeculi parte 6. de Doctrina Eccl. lib. 1. Diſſert. 2. quæſt. 2. pag. 317. Porro de ante-Nicænis Patribus, qui Dei Filii cum Patre conſubſtantialitatem aſſeruerunt, videndi etiam Georgius Bullus, etſi heterodoxus, in Defenſ. fidei Nicenæ ſec. 2. §. 8. pag. 49., & ex ipſo, aliiſque Jacobus Laderchius act. Mart. Vindic. lib. 3. cap. 4. ubi plura in hanc rem, noſque etiam in peculiari Diſſertatione pro Jacobi Liturgia proferemus.

(4) *Cui conſentit Theodoretus &c.*) Theodoreti Neſtorii hæreſiarchæ quondam aſſeclæ,

Vox homouſion ante Concilium Nicænum I. apud Patres uſitata.

Vox item Theotocos, ſeu Deipara ante Concilium Epheſinum a Patribus adhibita.

& propugnatoris, postmodum Catholicæ fidei Ephesinæ Confessoris hujusmodi assertum orthodoxum dogma de Beata Virgine Deipara, ita ab antiquis Patribus nuncupata contra Nestorium eximie probat Natalis Alexander Hist. Eccl. seculo V. Dissert. 23. art. 2. & Theol. Dogm. & Mor. Tom. 1. lib. 1. de fide, & symbolo, art. 4. §. 2. pag. 65. clarissima adducens ibi SS. eorumdem veterum Patrum Ignatii, Justini, Irenæi, Hippolyti, Origenis, Dionysii Alexandrini, item Tertulliani, Lactantii, S. Athanasii, aliorumque plurium Latinorum, & Græcorum, qui diu ante Concilium Ephesinum claruerunt, testimonia, quibus iidem unanimi consensu Beatissimam semper Virginem Mariam Dei Genitricem fuisse docuerunt, atque Theotocos, seu Deiparæ titulo invocandam pronunciarunt. Quare nullatenus video cur ex hoc capite Jacobi Liturgiam, in qua eadem Beatissima Virgo hujusmodi Theotocos nomine nuncupatur, uti spuriam, & suppositiiam rejiciant præsatus Natalis Alexander ibid. sec. I. cumque ipso, & alii Catholici ejusdem Apostolicæ Liturgiæ censores.

(*) *Non est hominis sani sic argumentari*) Præter hæc adnotata ab Emin. plura sunt in Pentateucho, quæ ab alio, non a Moyse scripta videntur; legimus enim c. 12. libri Numerorum laudes Moysis, ubi dicitur: *Erat enim Moyses mitissimus super omnes homines, qui morabantur in Terra*. Sic Genesis cap. 14. urbs Lais vocatur *Dan*, cum tamen diu post obitum Moysis hoc nomine donata sit, & ibid. cap. 22. Mons *Moria* appellatur Mons *Domini videbit*, quo tamen vocabulo ille post Moysis obitum vocari cœpit, eo videlicet tempore, quo mons idem *Moria* ædificationi Templi destinatus est. Hæc & similia, vel Josue, qui in regimine populi Israel Moysi successit, vel Esdras, qui post captivitatem Babyloniacam libros sacros recognovit, aut alius Sacer Scriptor eodem Spiritu Sancto afflatus addidit, vel majoris claritatis gratia, vel ut Moysis laudes magis innotescerent; an propterea ob leves has additiones, aut immutationes quispiam Pentateuchi Authorem Moysem esse, negabit?

Card. Bona a Samuelis Basnagii dicteriis vindicatur, & contra eumdem Liturgia Jacobi defenditur.

Ait reponit Samuel Basnagius, & hujusmodi Emin. nostri argumentationes deridens illum primo mira confidentia in Sectarios hoc loco processisse arguit Annal. Politico-Eccl. ad an. 5*. num. 14. ubi de Jacobi Liturgia, quam ipse notham, & fabditam totis nervis jactitare nititur: *In Sectarios tamen* (ait ille) *aliquid benignitatis Bonæ dignum vocabulo conferre libuit*: Vah novum Catonem Romanæ gravitatis in optimo Magistro Censorem! hominemne hunc dicemus Bona meliorem, ipsoque magis manfuetum, benignum, & pium? Id dicant sui, si possunt, nobis sufficit Basnagium, utpote hæreticum, a nullo Catholicorum bonitatis, aut religionis titulo laudari posse, Emin. vero nostrum hac in parte, & ab ipsis Sectariis laudatum iri. At Basnagius satis superque loquela sua se ex Sectariis esse manifestum facit, dum ipsos minus benigne hoc eorum vocabulo a Purpurato Bona vocitari dolet. *Quando enim sine alicujus nomine contra vitia scribitur, qui irascitur, accusator est sui*, ait S. Hieronymus lib. I. in Ruffinum cap. 3. Pudeat itaque Basnagium Catholicæ Religionis in Gallia, a qua aufugit, desertorem, & Sectæ Calvinianæ professorem, ac ministrum fuisse, neque tunc pudebit Sectarium nuncupari.

Iterum vero insurgit Basnagius loco citato subdens: *Attamen Bonæ incubuit ostendere, quæ pars Liturgiæ Jacobum Authorem habuit, quod satis difficillimum, vel Bellarmino Judice lib. de Script. Eccl. Præterea fama constans ubique gentium nuntiavit Moysis esse libros, qui ejus nomine circumferuntur, cum quadringentis amplius annis de Jacobi Liturgia nil auditum sit.*

Quibus verbis hanc Liturgiam Jacobo abjudicandam duplici hac motus ratione contendit: quod nempe difficillimum sit primo indicare quænam pars Liturgiæ genuinus Jacobi sit fœtus, quæque alium Authorem habeat. Secundo quod inter libros Moysis, & Liturgiam, de qua agimus, palmare, ut jactat, discrimen adduci possit: cum illos vere Moysis esse constans omnium gentium fama nuntiaverit: de Liturgia vero Jacobi per quadringentos, & amplius annos altum silentium observetur.

Sed ad primum ejus objectum: vel ipsi judicent adversarii nostri, an Bonæ incumbat ostendere, quæ pars Liturgiæ Jacobum Authorem habuit, qui eamdem integram ex perpetua Ecclesiæ Græcæ traditione, ac veterum testimonio nixus, uti genuinum amplectitur, approbat, & ab impugnatorum cavillationibus ita strenue vindicat? Hæccine sunt verba admittentis non omnem, sed partem tantum hujus Liturgiæ esse Jacobi, quam ipse indicare teneatur, qui ita scribit: *Ajunt denique quædam in ea esse, quæ recentiorum sunt, hoc probandum ipsis erat, ajunt enim illi, nos negamus?* At iterum regeret Basnagius, quæ idem subdit Bona: *Sed ultro concedamus nonnulla addita recentioribus &c. an ideo abjicienda &c.* Verum hæc sunt quidem ex abundantia dantis, non autem concedentis verba, ut confideranti patet. Convellat igitur Basnagius, si poterit, Bonæ Cardinalis argumenta, quibus Jacobi Liturgiam astruit, retorqueat, si valet, ejusdem. Purpurati responsa ad ipsi in contrarium prolata, & tunc revera poterit dicere: *Bonæ incubuit ostendere, quæ pars Liturgiæ Jacobum Authorem habuit*; notum quippe est lippis & tonsoribus, quod qui affirmanti, & probanti contradicit, illius momenta fortiori rationum acie repellere tenetur, frustra enim negatur, quod non probatur.

Non obstat difficultas ostendendi, quæ pars Liturgiæ Jacobum Authorem habuit.

Insuper etsi factu difficillimum sit demonstrare quæ pars Liturgiæ Apostolum Authorem habuit, an propterea eadem abjicienda, & inter spurias amandanda? Nonne certum est, ut notant S. Athanasius in Synopsi, Hilarius Prologo in Psalmos, & Hieronymus tum Epistola ad Cyprianum, tum in alia ad Sophronium, aliique SS. Patres testantur, olim non omnes, qui in libro Psalmorum continentur, Psalmos Davidis existimatos fuisse, quin immo nonnullos multo post ejus obitum putatos fuisse conscriptos? proinde difficile creditum eorum assignare Authores, & di-

diſcernere eos, qui vere Davidis, ab iis, qui ab aliis compoſiti dicebantur, firmat Dupinius, & probat Differt. prælim. ad Biblioth. Eccl. §. 1. Item Hiacynthus Amat de Graveſon tum in Hiſt. Eccl. Vet. Teſtam. Tom. 2. circa finem, edit. Rom. pag. 462. tum in Tractatu de Script. Sacra pag. 230. ubi pluribus id confirmat. Et ne horum tantum Scriptorum authoritate nitimur, ſane ex ipſis Pſalmorum titulis non-nullis, quibus eorum uti Authorum nomina indicantur, nimirum *Aſaph*, *Heman*, *Idithun*, *Core*, & filii ejus, quos Scriptura Sacra lib. 1. Paralip. cap. 25. & alibi Prophetantes appellat, videtur non uni Davidi Regi centum quinquaginta Pſalmos adſcribendos eſſe.

Præterea quidam ſunt Pſalmi, qui ad Regii Vatis tempora primo aſpectu referri nequeunt, videlicet Pſalm. 136. *ſuper flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus &c.* quem eo tempore, quo Judæi in captivitatem Babylonicam abducti ſunt, ac ſubinde longe poſt Davidis obitum fuiſſe conſcriptum, plerique exiſtimarunt. Similiter Pſal. 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion &c.* quia cum editus videatur poſt ſolutam captivitatem Babylonicam ad Davidem pertinere dubitarunt nonnulli. Vide P. D. Auguſtini Calmet Differt. in Auth. Pſal. Tom. 1. edit. Lucen. pag. 380. & ſeqq. Sane maximam quidem partem Pſalmorum Davidis eſſe, non vero omnem, haud obſcure indicant verba illa, quæ in fine Pſalmi 71. leguntur, videlicet *defecerunt laudes David filii Jeſſe*. His tamen non obſtantibus *ſive David omnes Pſalmi, ſive aliorum aliqui ſint*, ut inquit Theodoretus argum. in Pſalm. cum certum ſit præcipuam libri Pſalmorum partem a Davide conditam eſſe, reliquam vero eodem Spiritu affante confectam, & ex alia parte denominationem ſumi a potiori, eaproprter ipſi coronato Prophetæ integer Pſalmorum liber jure inſcribitur, & de ejus nomine tota Pſalterii ſeries nomenclaturam accepit. Ita pariter de Liturgia Jacobi ſentiendum nihil enim prohibet, quin ipſius etiam Apoſtoli vere tota dici debeat, quamvis eidem aliquid a recentioribus aſſutum fuiſſe gratis admitti poſſit. Atque hæc pro primo Baſnagii objecto.

Neque de eadem Liturgia antiquorum diſſentium.

Quo vero ad ſecundum ejus momentum de Jacobææ Liturgiæ ortio apud antiquos priorum trium ſeculorum Patres, notum eſt Eruditis veteres Chriſtianos tribus maxime dictis primis Eccleſiæ ſeculis Canonem librorum veteris Teſtamenti a Judæis conditum ſecutos fuiſſe, quo in Canone plerique, qui poſtea Canonici habiti ſunt, comprehenſi non erant, uti teſtantur Melito Sardenſis Epiſcopus apud Euſebium lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 26. & Origenes ibid. lib. 6. cap. 25. ut autem unum, aut alterum referam, Librum Tobiæ non extare in Canone ſacrorum Librorum, quem habent Judæi, quemque ſecuti ſunt, ut diximus, plerique antiqui SS. Patres doctrina, & ſanctitate conſpicui, & præter citatos, Athanaſius in Epiſtola Feſtali, S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 4. S. Hilarius Præfat. in Pſalmos, aliique affirmant, quibus addi poteſt Synodus Laodicena, quæ in Canone, quem condidit, ſacrorum librorum vet. Teſtamenti dictum Tobiæ librum non reponit, eum tamen poſtea uti Canonicum ex Innocentio I. in Epiſtola ad Exuperium, Concilio Hipponenſi an. 393. Concil. Carthagin. III., & IV. atque ex S. Auguſtino lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 8. & denique ex Gelaſii I. Papæ decreto in Synodo Romana ann. 494. univerſa acceptavit Eccleſia.

Idque comprobatur exemplo nonnullorum veteris Teſtamenti librorum.

Item Liber Judith in omnibus antiquis librorum Canonicorum Catalogis non tantum excluditur, at ne quidem a veteribus citatur; hinc cum non fuerit in Hebræorum Canone, Joſephus Hebræus nec hujus, nec Tobiæ meminit in ſuis antiquitatibus Judaicis. Laudant quidem Judithæ actionem heroicam plerique priorum ſeculorum Patres, ſed an' librum probaverint, non liquet; hoc certum eſt, non ante quartum ſeculum inter Canonicos cum aliis ab Eccleſia librum iſtum receptum eſſe; ſiquidem primo hunc inter Canonicos recenſuit Africana Synodus Carthaginenſis III. an. 397. cui S. Auguſtinus interfuit, quemque ipſe citato lib. 2. de Doctr. Chriſt., uti Canonicum habet, ſicuti & Hieronymus Præf. in Judith, dein ab Eccleſia Romana ſub Innocentio I. in ejus Epiſtola ad Exuperium, mdeque per univerſum Orbem ex dicto ſynodico Gelaſii decreto in ſacrum Scripturarum Canonem relatus eſt. Porro de his libris Tobiæ, & Judith vide Natalem Alexandr. Hiſt. Eccl. vet. Teſtam. Tom. 2. Differt. 7. art. 4., & laudatum Graveſon Tom. 3. ejuſdem Hiſt. edit. Rom. pag. 163.

Atque etiam ex novo Teſtamento.

Idem accidit quoad novi Teſtamenti narrationem de ſudore Chriſti ſanguineo, & Angeli confortatione, quæ in Lucæ Evangelio cap. 22. habetur. De hac enim Hiſtoria S. Hilarius lib. 10. de Trinit. & S. Hieronymus lib. 2. contra Pelag. nihil ſcriptum repereri neque in Græcis, neque in Latinis codicibus multis, etſi in aliquibus reperiatur, aperte teſtantur, quam tamen idem Hieronymus ibidem admittit, ut veram, & a Luca ſcriptam, ac ante ipſum Dionyſius de cœleſti Hierarchia cap. 4. Item S. Epiphanius in Anchorato, aliique Patres. Vide Sixtum Senenſem in Bibl. Sancta lib. 1. de ſecundo ordine ſcript. novi Teſtam., ubi eam ſtrenue vindicat.

Idem etiam dicas de Hiſtoria mulieris adulteræ, quæ Joannis cap. 8. habetur, quam pariter non extitiſſe in multis Græcis, Syris, & Latinis Codicibus idem Hieronymus citato lib. 2. contra Pelag. teſtatur; quin & Joannes Maldonatus in dictum Joannis caput, ait, ſe nec in antiquiſſimo Codice Vaticano, nec in viginti trium Patrum Græcorum Codicibus hanc Hiſtoriam ſcriptam inveniſſe: *Habemus*, inquit, *Græcos impreſſos multos, Origenem, Clementem Alexandrinum, Chryſoſtomum, Nonnum, Theophylactum, nemo eorum legit, cum Chryſoſtomus, & Theophylactus ſcripſerint in totum Joannem Commentarios*: Ricardus etiam Simonius Hiſt. Crit. novi Teſtam. cap. 13. plures, quos vidit, citat MSS. Codices græcos Bibliothecarum Regiæ, & Colbertinæ, in quibus non extat hæc de adultera muliere. Hiſtoria, quam tamen etſi græci non legant, legunt omnes Latini Codices, Arabici, & ver-

ſio vulgata; ac proinde veriſſimam eſſe, & pro canonica Hiſtoria haberi idem S. Hieronymus loco citato cap. 6. Ambroſius Epiſt. 23. num. 4. & Epiſt. 76. ad Studium, Auguſtinus tract. 33. in Joannem, & lib. 4. de conſenſu Evangeliſt. cap. 10., aliique SS. Patres teſtantur; quinimmo licet in quibuſdam, ut diximus, exemplaribus deſideretur, in pluribus tamen optimæ notæ codicibus, nimirum in Cantabrigienſi, in omnibus Miſſalibus antiquis, quos & ipſe legit Theodorus Beza, invenitur.

Demum in Epiſtola Joannis prima cap. 5. verſiculum illum, in quo habentur; *tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt*: non extare in Codicibus græcis affirmat idem Ricardus Simonius ibidem cap. 18., & quidem non alia de cauſa, ut notat S. Hieronymus Præfat. in Epiſt. Canon. quam quod hæc ab Arianis in pleriſque Codicibus abraſa fuerint. Hinc nec Concilium Nicænum, nec veteres Patres, qui Arianam hæreſim impugnarunt, unquam hoc verſiculo uſi ſunt, præcipue Athanaſius, in cujus genuinis operibus non legi hunc verſiculum nonnulli dudum Eruditi obſervarunt, quo certe, inquiunt, uſi ſuiſſent, ſi ipſum legiſſent, & genuinum eſſe credidiſſent.

Qui licet antiquis quibuſdam ignoti, aut non pro Canonicis habiti, poſt ab univerſa Eccleſia admiſſi ſunt.

His tamen non obſtantibus, quia ex poſt tum prædictæ duæ hiſtoriæ, tum textus iſte Joannis, in aliquot Eccleſiarum Codicibus, & plurium veterum Patrum ſcriptis relatæ, & citatæ inventæ ſunt, tamquam pars genuina, & authentica ſcripturæ Divinæ ſunt cooptatæ. Et revera dictus textus apud ipſum Athanaſium lib. 1. ad Theophilum de unita Deitate Trinitatis, & diſputatione cum Ario in Concilio Nicæno ex ejus ſcriptis collecta reperitur & apud S. Fulgentium Ruſpenſem lib. contra objectiones Arianorum ſub finem, ubi etiam adducitur S. Cyprianus lib. de Unitate Eccl. item apud S. Auguſtinum in hunc Joannis locum, quem etiam uti genuinum proclamant reliqui noti Africanæ Eccleſiæ Patres Eugenius Carthaginenſis in ſua confeſſione fidei contra Arianos Bb. PP. Lugdun. Tom. 8. pag. 683. Vigilius Tapſenſis, qui etiam Eugenii confeſſioni fidei ſubſcripſit, tum in Diſputatione contra Arium, tum in altera contra Felicianum Arianum, quarum prima extat inter Opera S. Auguſtini edit. Pariſ. Tom. 8. Append. pag. 39. fecunda cum operibus S. Athanaſii Mon. S. Mauri Tom. 2. pag. 614. Victor Vitenſis lib. 3. de Perſecutione Wandalica, aliique. Præterea non in Africanæ tantum, ſed & in emendatioribus, ac antiquiſſimis Eccl. Rom. Codicibus verſiculum illum deſcriptum fuiſſe invicte probat vir cl. Scipio Maffejus in notis ad Caſſiodorum pag. 251. Quapropter tot Patrum teſtimoniis, ac univerſalis Eccleſiæ authoritate exdem hiſtoriæ, & verſiculus præfatus, tamquam partes veræ, canonicæ, & integræ, tum Evangelii Lucæ, & Joannis, tum hujus Epiſtolæ comprobatæ fuere.

Legendus hac de re nuperus Scriptor Antonius Boucat Ord. Minimorum, qui præcipue quoad laudatum Joannis textum peculiarem, & eruditam Diſſertationem texuit Tom. 10. ſuæ Theologiæ Patrum Scolaſtico-dogmaticæ pag. 394. & ſeqq. ubi contra Ricardum Simonium, qui ex adverſo Hiſtor. Crit. novi Teſtam part. 1. cap. 18. verſiculum hunc Joannis aſſutum impudenter, ac temere contendit, illum rationibus Theologicis, veterum Codicum teſtimoniis, aliiſque momentis ſtrenue propugnat, & vindicat. Quinimmo & Proteſtantium criticorum plerique dictum Joannis verſiculum, uti legitimum, atque autheniticum agnovere, ex quibus nonnullos profert P. Auguſtinus Calmet ſupra laudatus in ſuis Diſſert. Biblicis Tom. 2. pag. 296. edit. Lucen. Legendi inſuper de ſupradictis Sacræ Scripturæ Libris Deuterocanonicis, & eorum partibus olim controverſis R. P. Dominicus a SS. Trinitate in ſua Biblioth. Theol. lib. 3. ſect. 1. ubi cap. 30. 31. 66. 75. & alibi de his optime differit, poſtque ipſum Natalis Alexander Hiſt. Eccl. novi Teſtamenti ſeculo I., & Hinc. Amat de Graveſon. de Scriptura Sacra, nuperque Antonius Conſtantinus Ord. Minim. in ſua Diſſert. de Canonib. Apoſt. cap. 2. num. 9. &c. aliique multi, qui de iiſdem egregie ſcripſerunt; inter quos noviſſime Jo. Laurentius Berti Ord. S. Auguſtini de Theol. Diſcipl. lib. 7. cap. 3. ubi invictis rationibus, & momentis hujus divini textus authenticitatem egregie vindicat.

Quæ & de aliquibus noſtri Teſtamenti libris non refragantur Calviniſtæ typ.

His omnibus accurate perpenſis judicet æquus Lector, an ex eo, quod quadringentis amplius annis de Jacobi Liturgia nil auditum fuerit, eadem reſpuenda ſit, ut effutit Baſnagius. Nihil igitur ex antiquorum ſilentio nobis oggerant adverſarii. Alii dicet aliquis, quid inde contra Baſnagium, qui utpote hæreticus Calvinianus pleroſque veteris Teſtamenti, nonnullos Novi Libros, aut capita, ſive eorum partes non admittit? Scio hominem Acatholicum, & Sectarium plures Sac. Scripturæ partes reſpuere; at quamvis haud infimæ eruditionis imbutum non diffitear, quia vero Eccleſiam non audit, & plus ſapere vult, quam oportet ſapere, ideo hujusmodi pſeudotheologorum doctrinæ nullatenus ſubſcribam; indeque mihi pro nihilo eſt, nec mirum, quod idem reſpuat, vel non Jacobi Liturgiam, ſi Sacræ Scripturæ libros aliquot Canonicos, quos pridem priorum quatuor ſeculorum Eccleſia, quam ſe venerari dicit, admiſerat, veluti ſupradictos, qui quarto circiter ſeculo Canonicis adſcripti ſunt, ipſe non recipit. Cæterum id illi fatis ſit pro palinodia ſua, quod ſi iidem ſacri libri, aut eorum partes certo pro Canonicis non poſſunt recipi, quia de iis quandoque a nonnullis dubitatum fuit in primitiva Eccleſia, eadem ratione neque poterunt certo pro Canonicis recipi Epiſtola ejuſdem Jacobi, ſecunda Petri, ſecunda, & tertia Joannis, Epiſtola Pauli ad Hebræos, & Apocalypſis, de quibus aliqua in contrarium ſuſpicio apud veteres fuit. At vero Calviniſtæ ſui has omnes, & Apocalypſim pro Canonicis recipiunt, ut patet ex ipſius Calvini libris, in quibus paſſim citantur, & ex confeſſione miniſtrorum illius Sectæ, quam Piſſiaci obtulerunt an. 1561. Vide Dominicum a SS. Trinit. Tom. 2. Bibl. Theol. pag. 123. Atque hinc accipe novum argumentum pro vindicanda Jacobi Liturgia contra Baſnagium. Verum miſſis hiſce Sectariis quibuſcumque, pro tuenda eadem Apoſtolica Li-

tur-

turgia Catholicos noſtrates alloquor, non hæreticos, qui Liturgiam omnem, quaſi figmentum Papiſtarum, ut ipſi blaterant, temere contemnunt; at ne horum deliramenta, & cavillationes cuipiam ex noſtris fucum facere, & importune obverſari valeant, argumentis, ut ſupra ex antiqua Eccleſiæ doctrina petitis paulo fuſius reſpondendum cenſui.

(6) *Nos veterum teſtimonio nixi ampleſtimur, & approbamus*) His non obſtantibus rationum momentis contra Allatium præfatum, & Emin. noſtrum illius hac in parte hyperaſpiſtem inſurgit, recentiorum fere omnium. Eruditorum cohors in id unum conſpirans, ut a Jacobo Apoſtolo Liturgiam ejus nomine inſcriptam amandent, ſpuriam, ac ſuppoſititiam deprædicent, quod tam feliciter conſecutos ſibi blandiuntur, *ut mirum plane videri debeat* (ait Guillelmus Cave de Scriptor. Eccl. in Jacobo) *viros cætera doctiſſimos Leonem Allatium Diſſertatione hac de re edita, & Cardinalem Bona de Reb. Liturg. hanc Liturgiam tamquam genuinam S. Jacobi opus tueri, quamvis a poſterioribus interpolatam nonnullis additis, vel detractis, vel pro opportunitate temporis immutatis non inficiantur*: hinc ne parieti inclinato, aut maceriæ depulſæ inhæſiſſe videantur hi duo præſtantes viri; eorum cauſam ſic fere communi voto nedum Sectariorum, ſed & noſtratum Catholicorum plurium, quod utique mirandum, injuſte proſcriptam peculiari Diſſertatione reaſſumere, utcumque fas erit, propugnare, & ad ſingula denuo in contrarium objecta reſpondere pro virium modulo conabimur, quam cum aliis Deo dante proferemus in fine hujus Operis.

§. IV.

Cujus ævi cenſeantur Conſtitutiones Apoſtolicæ, & in eis deſcripta Miſſa Clementis.

DUodecim Apoſtolorum nomine duas extare Liturgias apud Orientales ſcribit Abraham Ecchellenſis in notis præcitatis. (1) Liturgiæ quoque S. Barnabæ meminit Alexander Monachus in ejus vita apud Metaphraſtem. (2) Hæc autem periiſſe creditur, illas non vidi. Recenſeri item poteſt inter Apoſtolicas ſancti Clementis Romani Liturgia in Libro Conſtitutionum deſcripta & ab Apoſtolis accepta, ut ille ait, a qua paucis me expediam. Teſtimonium de illa perhibet Proclus initio tract. *de traditione Miſſæ* aſſerens B. Clementem Apoſtolis dictantibus eam ediſſe; cujus ſententiæ adhærent Baronius anno 102. num. 23. Bellarminus *lib. de Scriptorib. Eccleſiaſticis*, & alii, qui eam legitimam eſſe putant, ſed auctam a Succeſſoribus. (3) Sicut enim formulam Symboli ab Apoſtolis traditam Patres deinde auxerunt, ut fidei myſteria clarius exprimerent: ita Liturgiæ ab illis, prout ferebant tempora, contextæ, ab aliis poſtea amplificatæ fuerunt. Alii tamen non infimi ſubſellii ſcriptores, qui negant Clementem Apoſtolicarum Conſtitutionum auctorem eſſe, ab eo conſequenter Miſſam abjudicant, quæ pars illarum notabilis eſt. Photius Codice 112. tria capita ipſis Conſtitutionibus opponi ait, ſed quæ facile dilui poſſint. Epiphanius hæreſi 70. num. 10. citat librum Conſtitutionum Apoſtolicarum, tum ait. *Qui Liber tametſi dubiæ apud nonnullos fidei ſit, non eſt tamen improbandus; nam in eo quæ ad Eccleſiæ diſciplinam attinent, omnia comprehenduntur; neque quidquam aut in fide, ac Catholica profeſſione depravatum, aut Eccleſiæ adminiſtrationi, ac decretis contrarium continet*. Sed has Conſtitutiones quas Epiphanius citat, diverſas videri ab his quæ octo libris comprehenſæ circumferuntur, obſervat Petavius in ſuis Animadverſionibus: quædam enim illarum ſententiæ ab Epiphanio citatæ in vulgatis non extant. At hæc Petavii conjectura eſt, qua non obſtante haud improbabile exiſtimo eaſdem eſſe, ſed interpolatas, & aliquibus in locis vel librariorum incuria, vel hæreticorum fraude depravatas. Quidam putant ad eas alludere Dionyſium Alexandrinum in Epiſtola, quam refert Euſebius lib. 7. cap. 7. in qua nihil prorſus deprehendo, quod ad Clementem referri poſſit. Quicquid autem ſit de Auctore harum Conſtitutionum, certum apud omnes & exploratum nunc eſt, quod ſi ab Apoſtolis immediate dictatæ non fuerunt, Concilio tamen Nicæno antiquiores ſunt, (4) & in his continetur diſciplina Eccleſiaſtica

(1) (2) (3) (4)

qua

qua Orientalis Eccleſia ſub Ethnicis Imperatoribus ante Magnum Conſtantinum regebatur, ut vir eruditiſſimus Joannes Morinus docet *Parte* 2. *de ſacris Ordinat. pag.* 20. Cui adſtipulatur Joannes Fronto in prænotatis ad Kalendarium Romanum §. 5. Petrus item de Marca *Lib.* 3. *Concordiæ cap.* 2. ejus libri Auctorem ſaltem ſexto tertio floruiſſe ait, idque omnibus hodie perſuaſum eſſe. (5) Eſt igitur Miſſa Clementis antiquiſſima, (5)
ejuſque teſtimonio ſæpius utar, ſi non præciſe ut ab Apoſtolis editæ, & a ſucceſſoribus auctæ, quod valde probabile eſt; ſaltem ut a Patribus ſecund. vel tertii ſeculi uſurpatæ.

(1) *Abraham Ecchellenſis in notis præcitatis*) Cap. 20. ubi ait: *Supra quinquaginta memorantur apud Orientis Chriſtianos Gentes Liturgiæ partim communes, partim ſingularum gentium proprie. Ex his autem XXXI. nobis extant, nimirum S. Jacobi, duæ duodecim Apoſtolorum nomine, major ſcilicet, & minor &c.* Vide infra cap. 9. §. 9.

S. Barnabæ Apoſt. nomine inſcripta Liturgia dubia.

(2) *In ejus vita apud Metaphraſtem*) De hac S. Barnabæ Liturgia altum apud alios ſilentium, nec recentiorum quiſpiam ejuſdem meminit. Quo ſeculo vixerit hic Alexander Monachus, conjicit Daniel Papebrochius ad diem XI. Junii Tom. 2. ubi illum ſcripſiſſe Barnabæ Apoſtoli Encomium putat anno circ. 508. triginta ſcilicet annis poſt inventionem reliquiarum ejus Sacri Corporis, quæ accidit anno 477. ſub Zenone Imperatore. Mentio autem Liturgiæ Barnabæ ita fit ab Alexandro his verbis cap. 2. num. 28. *Barnabas vero cum Panem, & Calicem ſumpſiſſet, & Divini Miniſterii ordinem totum complevisſet, una cum fratribus particeps. factus eſt Euchariſtiæ myſteriorum*: Quis autem fuerit hic miniſterii ordo totus a Barnaba adhibitus, incompertum eſt. Joſeph Viccecomes lib. 2. de ritibus Miſſæ ait, S. Barnabam Apoſtolum Miſſæ ritus Mediolanenſibus tradidiſſe, quos a S. Miroclete auctos, a S. Ambroſio illuſtratos ſcribit, at hæ conjecturæ ſunt nullo nixæ fundamento, ut infra oſtendit Emin. Author cap. 10. ubi de Miſſa Ambroſiana. Id unum pro certo eſt Liturgiam Barnabæ Apoſtoli nomine inſcriptam, pſeudepigraphum eſſe. Porro de hujuſmodi Apoſtolorum ſcriptis vide Cotelerium, Ittigium, & Moynium, alioſque, qui de Scriptoribus Apoſtolici ævi differuerunt.

(3) *Sed auctam a ſucceſſoribus*) Clementis nomine inſcripta Liturgia Syriace extat apud Joſeph Sim. Aſſemanum Tom. 1. Bibl. Orient. ex Codice Nitrienſi 2. cap. 562. cujus initium: *Deus qui es mare ineſtabile*: quam e Græco ex lib. 8. Conſt. Apoſtol. in Syriacum tranſtuliſſe dicitur Thomas Heracleenſis in Catalogo Anaphorarum Syriacarum apud Schultingium nu. 5. Prodiit Latine per Renaudotium Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 186. Adde Fabricium in Bibl. Græc. vol. 5. pag. 38. Cæterum hujus Liturgiæ Clementem Authorem non eſſe, ſatis ex eo conſtat, quod Conſtit. Apoſtol. citato lib. 8. cap. 12. edit. Coteler. in PP. Apoſt. Tom. 2. pag. 398. non Clemens, ſed Jacobus Joannis Zebedæi frater illius ſcriptor dicatur. De hac Liturgia plura differit infra, cirandus Thomas Brett in noviſſima ſua Collectione præcipuarum Liturgiarum Eccleſiæ pag. 24., & 25., de qua item infra num. 5.

Item S. Clementis dicta ſuppoſititia.

(4) *Concilio tamen Nicæno antiquiores ſunt*) Emin. noſtro ſubſcribunt Scheleſtratius in antiq. illuſtr. part. 2. Differt. 2. cap. 2. Pagius in Critica Baronii ad annum 100. num. X. alique: & quidem Nicæna Synodus eaſdem regulas Apoſtolicas paſſim commemorat, uti videre eſt Can. 6. 9. 10. 13. 16., & 18. Item Conſtantinus Imperator Epiſt. 2. ad Euſebium, & Antiochenos citat Canonem XIII. eumdem Conſtitutionum, ex quo evincitur eos Canones ante Nicænam Synodum cognitos fuiſſe. Ex hoc porro Emin. Authoris loco Chriſtianus Lupus merito redarguit quemdam ſub larvato nomine Chriſtiani Philateis Authorem reſponſionis adverſus ipſius exhibitionem ſacrorum Canonum circa jus Regularium quoad prædicationem Verbi Dei in eorum Eccleſiis, ubi eruditiſſimus Doctor Emin. noſtri ſententiam confirmans hæc habet cap. 2. „ Arguit exhibitionem, quod ipſas „ Conſtitutiones Apoſtolicas dicat ſpurias, natas quarto ſeculo, & pro ſe adducit Emin. „ Rev. ac eruditiſſimum virum Joannem „ Bona S. R. E. Presb. Cardinalem, qui „ cenſet ipſas eſſe antiquiores Nicæna Syno„ do, adeoque prodiiſſe tertio ſeculo: Et „ Demonſtrator de Domino Cardin. adjungit, „ nec tamen negat ipſum Clementem ſuiſſe earumdem Authorem. „ Reſpondet Lupus Demonſtratorem hallucinari; etenim, inquit, „ Dominus Cardinalis Conſtitutiones, quas „ affirmat eſſe tertii ſeculi, quomodo non„ neget eſſe Clementis? S. Clementem eſſe „ ſub Trajani imperio glorioſa morte affe„ ctum affirmat Martyrologium Romanum, „ quomodo igitur ille poſſit tertio ſeculo con„ geſſiſſe has Conſtitutiones, aut eas com„ poſuiſſe? An hæ ſint tertii, aut quarti ſe„ culi omnino nihil refert; Ille dumtaxat „ evincere voluit ipſas non eſſe S. Clemen„ tis, ideoque primitivam Eccleſiæ ſub Apo„ ſtolis diſciplinam non poſſe ex ipſis demon„ ſtrari. Abſit a me, ut refrager tanto Ec„ cleſiæ Principi, cui obſtringor ex multis, „ & magnis titulis; ſi tamen mea dicta ſta„ biliam, certus ſum optimo, ac eruditiſſi„ mo Prælato non diſpliciturum „. Hæc Lupus Emin. noſtri amiciſſimus, qui deinde has Conſtitutiones eſſe quarti ſeculi exiſtimat; ſed quidquid ſit, ex his, quæ in ſui ſententiam adducit, non ſatis probari videtur, quod non ſint Concilio Nicæno antiquiores. Cæterum de tanto viro judicent alii, nobis ſufficiet, vel ipſum Guillelmum Cave, & cum illo Beveregium, etſi hæreticos, opinari, ac fere

Conſtitutiones Apoſtolicas Concilio Nicæno antiquiores eſſe tum noſtro Card. Bona plures viri doct i affirmat.

pro

pro certo habere, quod circa finem ſeculi ſecundi Conſtitutiones iſtæ Apoſtolicæ vulgo dictæ conſcriptæ ſint.

De his ait Caveus de Script. Eccleſiaſt. in Clemente. „ Conſtitutionum Apoſtolicarum „ Libri VIII. eodem circiter tempore, quo „ Canones Apoſtolici ſcripti ex variis docu„ mentis, & inſtitutionibus, quas viri Apo„ ſtolici tunc temporis edere ſolebant, pri„ mum compoſiti „: Canones autem Apoſtolorum, ut ipſe ſcribit, videntur ex communi Eccleſiæ diſciplina, inſtitutis decretis, orti circa finem ſecundi ſeculi in unum ſynodicon eſſe redacti, Apoſtolici dicti, non quod ab ipſis Apoſtolis conditi ſint, ſed quod ex doctrina, & praxi Apoſtolica profluxerint. An vero a Clemente Alexandrino primum collecti, qui ſcripſit de Canonibus Eccleſiaſticis, ut fidem nobis faciunt Euſebius lib. 6. cap. 12. Hieronymus de Script. Eccl. cap. 15., & Photius Cod. III. uti ſatis acute conjicit Beveregius, qui adverſus Dallæum, ejuſque hyperaſpiſten eoſdem vindicavit tum in Annotationibus ad Pandectas Canonum, rum in Codice Canonum Eccleſiæ primitivæ Londini edito an. 1678. aliorum eſto judicium. Ut ut ſit pro Canonibus Apoſtolicis, indeque pro eorumdem Apoſtolorum Conſtitutionibus, cum utrobique, ut diximus, par ſit cauſa, prolixam, & eruditam Diſſertationem texuit P. Antonius Conſtantinus Ord. Minimorum S. Franciſci de Paula, quam nuper edidit Romæ 1697. ubi ab Apoſtolis emanatos hos Canones, & a Clemente ſcriptos probare nititur.

Conſtitutiones prædictas, ſecuti Canones Apoſtolicos, ſecundo, vel tertio ſeculo conditas, vel ipſi fatentur Sectarii.

(5) *Idque omnibus hodie perſuaſum eſſe*) Sane iſtas Conſtitutiones, ſeu Canones Apoſtolorum nomine vulgo nuncupatos ante Concilium Nicænum ſancitos, editoſque fuiſſe nemo unquam ante noſtram ætatem dubitavit, uti expreſſe affirmat Guill. Beveregius præfatus Procem. in Cod. Can. Eccl. prim. quin potius plurimi eos ab ipſis Apoſtolis, quorum nomen præferunt, conſtitutos, & a Clemente Romano eorum diſcipulo ſcriptos eſſe arbitrati ſunt; ac quidem fere omnes Græci per mille retro annos, & amplius in hanc ſententiam convenerunt; nonnulli etiam e Latinis, ut Franciſcus Turrianus, Lambertus Gruterus, Willelmus Lindanus, Alphonſus Salmeron, aliique eamdem amplexi ſunt. Qui vero parce, ac ſobrie de hiſce antiquis Canonibus locuti ſunt, eos ſaltem ſecundo, tertiove æræ Chriſtianæ ſeculo, adeoque ante Concilium Nicænum conditos, collectoſque aſſeruerunt, ita e recentioribus Joſeph Scaliger, Gabriel Albaſpinæus, Petrus de Marca, Henricus Hammondus, vel ut ſemel dicam omnes ante Dallæum, qui ipſis eos Apoſtolis abjudicarunt. Neque ipſe David Blondellus iis eximendus eſt, quippe qui eoſdem Apoſtolorum Canones ſic dictos circa annum Domini 280. conditos diſerte affirmavit in Apolog. pro ſent. Hieron. pag. 317. & quamvis Joannes Dallæus Calviniſtarum Primipilus, atque inter ſuos celebris aliis omnibus ſe unum oppoſuerit, & in tertio de Pſeudepigraphis libro toto contra Canones Apoſtolorum conſcripto, eos nonniſi quinto adulto, immo exeunte ſeculo extitiſſe, publicarique cœptos eſſe contenderit, id tamen apud omnes, & quidem ſuos, non evicit, ſed poſt librum ſuum præfatum ann. 1653. editum æque, ac antea media illa apud pleroſque adhuc prævaluit ſententia, quæ Canones hoſce, ut diximus, ſecundo, tertiove æræ Chriſtianæ ſeculo conſtitutos, editoſque judicat.

Atque ut de aliis, quos plurimos graviſſimos in hac cauſa teſtes evocare poſſumus, in præſenti taceamus, duo ex ipſis hæreticis, qui Beveregium, & Caveum prævere, Petrus Gunning, & Joannes Pearſon ambo apud ſuos magni nominis hanc opinionem non tantum verbo, ſed & ſcripto tradiderunt, ille in ſuo opere de Jejunio antepaſchali anglice edito ann. 1662., ubi pag. 40. hæc Latine reddita habet: „ In ſecunda Annorum centuria poſt „ ultimum Apoſtolorum primum laudo Cano„ nes Apoſtolicos dictos, non ita dictos, quod „ ab ipſis Apoſtolis, ſed quod ab Apoſtolicis „ Epiſcopis, qui haud raro lingua veterum „ Apoſtoli, teſte Theodoreto, aliiſque appel„ lati ſunt, ut proximis, ſive propinquis Apo„ ſtolorum ſucceſſoribus, conditi fuerint „. Hæc Gunning. Alter vero Pearſonius hos eoſdem Canones a Concilio Epheſino, a Conſtantino Magno, ab ipſa ſynodo Nicæna, & ante eam ab Alexandro Alexandrino Epiſcopo, ac proinde ante primam illam univerſalem ſynodum editos fuiſſe ſuſe, docteque contra Dallæum demonſtravit in vindiciis Epiſtolarum S. Ignatii.

His adjungendus Thomas Brett Anglus ſupra memoratus, qui in ſua collectione præcipuarum Liturgiarum Eccleſiæ Chriſtianæ, quam edidit Londini an. 1710. plura de Liturgia S. Clementis, quæ in Libro Apoſtolicarum Conſtitutionum deſcribitur, earumque pars notabilis eſt, erudite diſſerit, quam ut omnium antiquiſſimam, & ut normam cæteras omnes dijudicandi commendat, præcipue pag. 24. & 25. ubi ad nuperas objectiones Renaudotii, quod nempe hæc Liturgia numquam in ulla Eccleſia uſu recepta fuerit, & præterea in nonnullis hæc appareat interpolata, reſpondens, prius non negat eam privato tantum conſilio, ſed communi tamen veteris Eccleſiæ traditioni convenientem ante Concilium Nicænum compilatam eſſe largitur. Atque hoc ipſum ejus authoritatem augere potius, quam imminuere affirmat, cum tali ratione interpolationes illas, & mutationes, quibus Liturgiæ publicæ in diverſis Eccleſiis obnoxiæ fuerunt, effugerit, atque adeo veterem, & Apoſtolicam traditionem puriſſime conſervarit. Quod vero interpolata non ſit, ſi unam fortaſſe rubricam de flabello, ſplendido veſtitu Sacerdotis exceperis, per ſingulas ejus partes cum conſentientibus Scripturæ, & Patrum ante Nicænorum teſtimoniis comparatas probare toto niſu fatagit. Sic ille, qui hoc modo vindicata Clementis Liturgia, ejuſque antiquiſſima, & ante Nicænum Concilium traditione, Conſtitutiones etiam Apoſtolicas, a quibus ipſa promanat, dicto Nicæno Concilio antiquiores adſtruit.

Iſti igitur, aliique complures, quos recenſere non eſt negotii, poſthabitis Dallæi argumentis,

mentis, Canones iſtos, non modo ante quintum adultum, verum etiam ante quartum inchoatum ſeculum, ſicque ante Concilium Nicænum conditos fuiſſe, nobiſcum arbitrati ſunt. Hos porro Conſtitutionum Apoſtolicarum libros perperam Clementi Papæ adſcriptos fuiſſe, nec ab Apoſtolis umquam profectos ſcite obſervat Cotelerius in ſua Apoſtolicorum PP. Collectione, & licet inter ſuppoſititia Clementis Opera adnumerentur, haud tamen, ut optime notat Emin. Author ex Epiphanio, ſunt reprobati, ſed ſicut aliqua in eis Heretici, eodem teſte, nequiter interpretati ſunt, ita etiam ut Canon II. ſextæ Synodi docet, ab eiſdem multa fuere corrupta, & quædam re ipſa ex Græcis fontibus effluxiſſe putat Card. Baronius ad an. 102. Verum quoto æræ Chriſtianæ ſeculo Conſtitutionum libri lucem primo conſpexerint, quem parentem habuerint, quem corruptorem, quibuſque in locis depravati fuerint, ambiguum eſt, nec facile judicari poteſt: hoc tantum pro certo habemus illorum Scriptorem poſt tempora Apoſtolica, & ante Epiphanium vixiſſe, cum illorum ipſe meminerit: ſed an propior illis, vel huic fuerit, incertum. Porro de Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, præter huc uſque citatos viros doctos videndi Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 1. Differt. 18. Dupinius in ſua Bibl. nov. aliique, qui eoſdem Nicæno Concilio antiquiores eſſe nobiſcum affirmant, & præ cæteris noviſſimus, ac eruditus Scriptor Remigius Ceillier Benedictinus Cong. S. Mauri in Gallia Monachus, qui in ſuæ Hiſtoriæ Generalis Authorum Sacr. & Eccl. editæ nuper Pariſiis an. 1732. Tom. 3. cap. 32. & 33. de hiſce Conſtitutionibus Apoſtolicis agens, eas Concilio Nicæno antiquiores, etſi non citius, certe ineunte ſeculo quarto collectos ſtatuit, ſimul vero & falſam Dallæi opinionem, qui eaſdem, & Apoſtolicos Canones ſeculo quinto confectos aſſerit, egregie refutat; ubi etiam magnam in utraque Eccleſia Latina, & Græca eorum authoritatem fuiſſe luculenter oſtendit.

Earundem Conſtitutionum, ſeu Canonum Apoſtolicorum, Libri perperam Clementi Romano tributi.

§. V.

De Liturgia a Dionyſio tradita. Anceps de eo judicium.

(1) ILlam denique Apoſtolicam Liturgiam plerique exiſtimant, quam Dionyſius magnifico ſtylo deſcribit Cap. 3. *Eccleſ. Hierarchiæ*. (1) Si enim iſte Areopagita fuit, Athenarum Epiſcopus, & S. Pauli diſcipulus, Sacrificii ritum & cæremonias ipſum ab eo accepiſſe, a quo fide imbutus fuerat, rationi conſentaneum videtur. At inſurgunt multi ex adverſo, & multa objiciunt, quibus probare conantur non eſſe Dionyſii Areopagitæ opera, quæ illi tribuuntur, ſed alterius recentioris. Ajunt ipſum nunquam ſe Areopagitam aut Epiſcopum nominare, cum tamen non defuerint illi occaſiones hos ſibi titulos tribuendi. Cap. 7. Eccl. Hier. Millenariorum hæreſim confutat, quæ circa annum Chriſti 120. exorta eſt. Cap. 6. ejuſdem libri Monachorum ſolemnem conſecrationem refert, aſſerens eos multo antiquiores fuiſſe, quam ipſe fuerit. *Hinc Sancti*, inquit, *Præceptores noſtri Divinis eos appellationibus ſunt proſecuti*. De his tamen apud Scriptores primi & ſecundi ſeculi nulla diſtincta mentio reperitur, ſed de ſolis Deo dicatis Virginibus: neque ſi fuerunt tunc Monachi, credibile videtur, illius ſeculi perſecutionibus & aliis circumſtantiis attentis, eos tot cæremoniis fuiſſe ab Epiſcopis Deo dicatos. Cap. 7. cœl. Hierarch. & c. 1. de Div. nominibus Deum *Trishypoſtaton* vocat, ſuntque illi tres perſonæ *tres hypoſtaſes*, eaque voce utitur tanquam ſuo tempore uſitata; cum tamen conſtet hoc nomine Græcos primum uſos poſt Concilium Alexandrinum anno 362. celebratum, repugnantibus Latinis, ut ex Hieronymo conſtat Epiſt. 57. Cap. ultimo Eccl. Hier. de infantium baptiſmo, ejuſque circumſtantiis agens, quas Ethnici irridebant, ſe id ſcribere ait, quod divini Pontifices ab antiqua traditione edocti uſque ad ipſum produxerunt. Qui ſunt autem hi Pontifices, quæ antiqua traditio, ſi hic fuit Areopagita Pauli diſcipulus? Plura de his Morinus *lib. de Sacr. ordinat. Præf. in ritus Ordinationum traditos a Dionyſio*. Omitto magis vulgatas objectiones, ut quod de illo ſiluerint antiqui Patres, Euſebius præſertim & Hieronymus: quod a ſeculo Apoſtolorum ſtylus abhorreat, grandiloquus, inuſitatæ, ac in rebus etiam facilibus dithyrambos ſupergrediens,

grediens; quod ea ſcripta hominis videantur, qui in otio & pace ſenuerit: quod nullum in illis veſtigium appareat perſecutionum, & calamitatum, quibus primi ſeculi Eccleſia vexabatur: quod ſacrorum rituum pompa & apparatus, templorumque majeſtas, & magnificentia, ſicut ab eo deſcribuntur, naſcenti Eccleſiæ & Sacerdotibus, ſævientium tyrannorum metu, ſecreto celebrantibus non conveniant: & alia ejuſdem generis, quæ apud alios legi poſſunt. His vero oppoſitionibus, qui hæc opera Areopagitæ vindicant, acerrimis & prolixis diſſertationibus reſpondent; ſed quam plene, & quam ſolide, viderint doctiores: neque enim tanti me facio, ut quæſtionem inter viros doctos diu agitatam, & perplexis hinc inde difficultatibus intricatam dirimere, vel componere auſim. Mota hæc lis erat ante annos octingentos vivente Photio, qui Cod. 1. ſuæ Bibliothecæ Theodori Presbyteri librum de hac controverſia a ſe lectum refert, ſed non exprimit tempus, quo ille ſcripſit. Per me igitur cuique licebit, cui maluerit, parti adhærere, nam qui Apoſtolico ſeculo vixiſſe contendunt, (2) propoſito noſtro magis favent; qui poſterioris ævi fuiſſe volunt, fateri tamen debent circa finem quarti ſeculi vixiſſe, (3) ante annos ſcilicet mille trecentos, quod ad conciliandam Dionyſii ſcriptis venerationem & auctoritatem ſatis eſt. (4) Unus fortaſſis fuit ex profeſſoribus Platonicæ Philoſophiæ, (5) qui in ſchola Alexandrina, circa finem quarti ſeculi, vel initio quinti, ſapientiæ laude floruerunt; Chriſti vero fidem amplexus, doctrinam, qua prius imbutus fuerat, retinuit: nulla enim ejus pagina legi poteſt, in qua non appareant phraſes, axiomata, & idiotiſmi Platonicorum. Jacobus Billius *Sacrarum obſervationum lib.* 1. *cap.* 23. oſtendit apud Gregorium Nazianzenum quædam reperiri mutuata a Dionyſio, (6) ſed vereor ne ex præjudicata opinione id, quod ſibi probandum erat, tanquam certum poſuerit, Dionyſium ſcilicet, utpote Pauli diſcipulum Nazianzenum præceſſiſſe; dicent enim qui contrariæ ſunt ſententiæ, Dionyſium potius ea a Gregorio accepiſſe. Sermo quoque extat inter opera Joannis Chryſoſtomi de Pſeudoprohetis, & falſis Doctoribus editus a Gerardo Voſſio, in quo hæc verba leguntur, *Ubi Dionyſius Areopagita volucris Cœli?* Sed plerique viri docti hunc ſermonem Pſeudepigraphum putant. (7) His ergo omiſſis tanquam incertis, id breviter referam, quod indubitatum, & ab omnibus conceſſum eſt; primam ſcilicet mentionem Dionyſii Areopagitæ ejuſque operum, quæ ad noſtram notitiam pervenerit, factam fuiſſe in Collatione habita Conſtantinopoli in Palatio Juſtiniani Imperatoris anno 532. inter Catholicos, & Severianos, ſive Acephalos, in Collatione ſecundæ diei: ſiquidem in eo congreſſu ab hæreticis citata, & ab Orthodoxis tanquam ſpuria repudiata fuerunt. Sed cum poſtea matura conſideratione agnoviſſent eorum librorum in fide ſoliditatem, & admirabilem doctrinam, eos amplexi ſunt, & tributum Areopagitæ nomen auctori permanſit. Primi inter Græcos, (8) qui Dionyſium Areopagitam cum laude citarunt, fuere Leontius *Lib. de Sectis Act.* 3. & *Lib.* 2. *contra Neſtorium & Eutychetem:* & Anaſtaſius Sinaita *Lib.* 7. *Anagogic. contempl. in Hexaemeron*, qui ambo Juſtiniano imperante vivebant. Inter Latinos primus fuit Gregorius Magnus Hom. 34. quem plures deinde ſequuti ſunt. Lis autem de Auctore tunc nulla erat, poſtea a Criticis ſeptimi, vel octavi ſeculi excitata fuit, quorum argumentis reſpondit Theodorus relatus a Photio Cod. 1. Atque utinam, aut ille extaret, aut epitomen reſponſionum ejus Photius excerpſiſſet, forſitan enim ſolidas Dionyſii vindicias haberemus. (9)

(2) (3) (4) (5) (6) (7) (8) (9)

Liturgia Dionyſio Areopagitæ tributa.

(1) *Cap. 3. Eccl. Hierarchiæ*) Liturgia, ſeu Anaphora Syriaca Dionyſio Areopagitæ attributa prodiit latine edita ab Euſebio Renaudotio Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 202. cujus initium: *Domine Deus, qui es ſimplex*: Hujus meminit Stephanus Edenenſis de Catholicis Anaphorarum Authoribus num. 9. Ejuſdem Areopagitæ nomine edita fuit in Miſſali Chaldaico Liturgia, quæ incipit *Charitatem, & concordiam*: ſed quæ, ut advertit idem Renaudotius ibid. pag. 213. præter titulum commune cum iſta nihil habet, quum in Miſſali tribuatur Dionyſio Barſalibi Amideno Jacobitarum famoſiſſimo, ut & obſervaverat Edenenſis loco citato, de quo Dionyſio Barſalibæo nonnulla dicemus infra cap. ſequenti §. 9. cum de reliquis Orientalium Anaphoris, ſeu Liturgiis.

De ſcriptis S. Dionyſii Areopagitæ variæ diſputant Eruditi. Referuntur qui eum ſeculo Apoſtolico vixiſſe contendunt.

(2) *Qui Apoſtolico ſeculo vixiſſe contendunt*) Ii ſunt inter celebriores Sixtus Senenſis Bibl. Sanctæ lib. 2. Nicolaus Sanderus lib. de viſibili Eccl. Monarchia pag. 260. num. 6. Card. Bellarminus de Script. Eccleſiaſt. Card. Baronius Annal. Eccl. Tom. 1. ad ann. 109. num. 31. & in notis ad Martyrol. Romanum ſub die 9. Octobris, Poſſevinus in Appar. Sac. Tom. 1. Andreas Schottus in ſcholiis ad Bibl. Photii Cod. 1. Sauſſajus in Martyrol. Gallic. Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 1. Diſſert. 21. ubi etiam refert cenſorium judicium Sac. Facultatis Pariſienſis, quo contraria Eraſmi, aliorumque, ut infra, ſententia configitur, & damnatur. Petrus Halloixius de Vita, & Operibus S. Dionyſii, quæſt. 1. Martinus del Rio Vind. Areopagit. cap. 8., Petrus Lanſellius Diſp. Apolog. de S. Dionyſio, & ejus ſcriptis. Joannes de Chaumont Areopagitæ Defenſ. adverſus Hæreticum Calviniſtam Charentone Miniſtrum, Emmanuel Schleſtratius Antiqu. illuſtr. parte 2. Diſſert. 3. art. 1. ad Concilium Antioch. can. 2. cap. 3. num. 2. et in Diſciplina Arcani cap. 7. art. 2. Petrus Annatus in ſuo Method. Appar. ad Theol. Poſit. lib. 4. art. 9. Bail in Summa Concil. Tom. 2. pag. 689. Chiffletius in peculiari diſſertatione, aliique recentiores bene multi. Qua in opinione ſteterunt & veterum plerique medii ævi non ignobiles Scriptores S. Antoninus Hiſtor. 1. parte tit. 6. cap. 18. & 19. Petrus Equilinus lib. 9. cap. 41., Mariana, Genebrardus, aliique Chronologi præter vetuſtiores tum Græcos, tum Latinos, quos omnes noviſſime refert Card. Laurentius Cozza in ſuis Vindiciis Areopagiticis parte I.

Recenſentur qui illum poſterioris ævi Authorem faciunt.

(3) *Fateri tamen debent circa finem quarti ſeculi vixiſſe*) Ita poſt Laurentium Vallam, Eraſmum, Lutherum, Centuriatores Magdeburgenſes, Rivetum, Scultetum, Caſaubonum, Uſſerium, Dallæum, Caveum, Oudinum, alioſque hæreticos, aut ſuſpectæ doctrinæ Criticos, nonnulli etiam ex noſtratibus Catholicis Joannes Morinus de Sacr. Ord. parte 2. cap. 6. Sirmondus de duobus Dionyſiis, Petavius Theol. Dogm. Tom. 2. lib. 6. cap. 6. Papebrochius in Reſponſ. ad exhibitionem errorum per P. Sebaſtianum a Sancto Paulo art. 5. & in Append. ad diem 2. Maji, ac noviſſime Nicolaus le Nourry Appar. ad Bibliothecam PP. Diſſert. 10. cap. 19. mitto Launoyum, ejuſque aſſeclam, & diſcipulum Ellies Dupinium Bibl. Eccl. Tom. 1. in Dionyſio, qui cum nimiò moverentur ſcribendi cacoëthe, mirum non eſt, ſi iiſdem ex animo facile hac in parte adhæſerint, quibus accenſendi Bailettus, & Tillemontius nuperi inter Criticos Sctiptores Gallos, ille item ſuſpectæ fidei, iſte ſanioris utique, & judicii diſcretione præſtantior. His adjungo (& mirari non deſinam) Michaelem Le Quien Diſſert. 2. prælimin. ad Opera S. Joannis Damaſceni, poſtque ipſum Hyacinthum Amat de Gtaveſon Hiſt. Eccl. ſec. I. colloq. 6. ambos Ordinis Prædicatorum alumnos, viros cætera eruditiſſimos, ſed hac in Controverſia minus quam par eſt, liceat dicere, propenſos in Sanctiſſimum ſuum Præceptorem, & Eccleſiæ Doctorem Angelicum, dum expreſſe contra mentem eximii eorum Magiſtri, & Theologorum omnium facile Principis Thomæ Aquinatis, qui paſſim mille in locis Summam ſuam totius Theologiæ fere in omni quæſtione, & articulo primæ maximæ, & ſecundæ Partis ex Dionyſii Areopagitæ ſententiis, ac verbis conflavit, & communivit, adeo ut vix ulla ſit Dionyſii petiodus, ex qua S. Thomas tamquam apis argumentoſa Theologicum ſuccum non extraxerit, uti luculenter oſtendit Balthaſar Corderius obſerv. gener. præf. Oper. S. Dionyſii pag. 15. & ſeqq. Quin etiam idem Angelicus Doctor Dionyſii librum de divinis nominibus ex integro expoſuit. *Le Quien, & Graveſon notati.*

Igitur hi viri Religioſi nimium hac in parte abundantes in ſenſu ſuo, quaſi diſcipuli ſupra magiſtrum aſſurgentes, eidem Dionyſio hujuſmodi Opera abjudicant, & alteri mentito Authori potius, quam Areopagitæ tribuunt; ulterius veto progreſſus Pater Le Quien ea Opera nedum Dionyſio Areopagitæ adſcribenda negat, ſed & affirmat eadem non alium parentem habuiſſe, quam hæreticum quemdam Monophyſitam, ſeu Euthychianum, qui ſuæ hæreſeos virus, ut ait, in hiſce Operibus effudit, idque multis ſibi viſis argumentis, ac teſtimoniis ex hiſce libris petitis evincere conatur, quaſi vero ex hujuſmodi cænoſo, ac putido fonte D. Thomas ſalutaris ſapientiæ hauſerit aquarum rivos, quin Angelica ſua perſpicacia, ac mirabili prorſus ſagacitate in Theologicis rebus dignoſcendis, hæreticum authorem ſub Areopagitæ toties a ſe laudati, & Catholici nomine latitantem diſcernere valuerit.

Neque tantum Angelicus Doctor, ſed quod & amplius urget, ipſius Præceptor Albertus cognomento Magnus Archiep. Ratiſponenſis ex Ord. Prædicatorum, de quo Trithemius lib. de Script. Eccl. *Non ſurrexit*, inquit, *poſt eum vir ſimilis ei, qui in omnibus litteris, ſcientiis, & rebus tam doctus, eruditus, & expertus fuerit*: Magni propterea nomen tum ob eximiam ſcientiarum excellentiam, tum ob ſanctitatis præſtantiam etiam vivens adeptus, qui Dionyſii libros de Cœleſti, & Eccleſiaſtica Hyerarchia, de Myſtica Theologia, atque ejuſdem Epiſtolas X. Commentariis ſuis illuſtravit, uti videre eſt in Operum Alberti Magni Tom. XIII. quæ edidit Petrus Jammy Ord. Prædicat. Lugduni an. 1657. Quis itaque

itaque ſibi in animum inducere poterit hunc etiam præclariſſimum Doctorem cum Angelico hallucinatum fuiſſe, & pro Catholico Patre hæreticum adornaſſe? uti injuſte contendit Lequienius, quem non tenuit docti, & religioſi hominis character, quin infelicem, & Novatoribus gratiſſimum hac in re conatum adhibuerit. Diſplicuit ſane nuperrimo ejuſdem Ord. Præd. Scriptori Hyacintho Seguræ Hiſpano exceſſivus conſodalis ſui auſus iſte in Criticis Hiſtoriæ regulis paucis ab hinc annis editis (uti notat nuperus item, ac Hiſpanus Author Michael a S. Joſeph Ord. SS. Trinit. Excalc. Bibliographiæ Sac. & proph. Tom. 1. verbo Dionyſius) ubi a pag. 332. ægre admodum feri, quod alumnus Dominicanæ Scholæ, cui primi Præceptores, iique doctrina, ac ſanctitate clariſſimi dogmata Areopagitica ut certum Sacræ Theologiæ theſaurum tradidere, eadem veluti hæreticorum figmenta contemnat, & his totum ferme Literatorum omnis ætatis cœtum deluſum, immo imbutum ſupponat. Sed hæc obiter dicta ſunto, cæterum hac de opinione ſentiat Lequienius quod velit, mea non intereſt de viro Eruditorum Orbi notiſſimo judicium ferre; nobis ſatis eſt, quod prædicti, plerique etiam hæretici, ac inter ipſos magni nominis, veluti Joannes Peârſonius Vind. Ignat. par. 1. cap. 10. apud Cotelerium Tom. 2. Oper. SS. PP. Apoſtol. primit. Eccl. Guillelmus Cave de Script. Eccl. ad annum 361., aliique circa finem ſeculi quarti poſtremis ſcilicet Eutebii temporibus vixiſſe hunc Dionyſium putant. Atque hæc recentiorum fere omnium eſt opinio; vide Conſtantini Roncagliæ animadverſiones in Natalis Alexandri Hiſtoriam Eccleſiaſticam, quam noviſſime recenſuit, ſec. 1. Diſſert. 21. pag. 266.

Qui tamen fateri debent eumdem circa finem quarti ſeculi vixiſſe.

(4) *Ad conciliandam Dionyſii ſcriptis venerationem ſatis eſt*) Cum enim & ipſi Hæretici uno ore fateantur Eccleſiam Romanam primis ſaltem quinque ſeculis, Apoſtolicæ doctrinæ puritatem retinuiſſe, uti ex pluribus eorumdem Sectariorum teſtimoniis erui, præſertim Calvini ex anteſignanis primi, qui lib. 1. inſtit. cap. 11. ſect. 13. ſic in terminis ait: *meminerimus quingentis circiter annis magis adhuc floruiſſe Religionem, & ſinceram fidem*: atque ex Magdeburgenſibus de Lutheri parte Cent. 7. cap. 1. aliiſque pluribus perſpicue oſtendit Card. Laurentius Cozza Commentar. in S. Auguſtini librum de Hæreſ. parte 2. cap. 1. ſive Hæreſ. XXIII. de Apelle n. 75. & ſeq. ſi Sacram Liturgiam noſtram, quam habemus, ab ipſis priorum ſeculorum Patribus deductam, eamdem ipſam eſſe ſemel conſtet quam illi adhibuerunt, nobiſque ſcriptis ſuis traditam reliquerunt, præcipue Dionyſius iſte, quicumque ille ſit, Catholicus quarti ſeculi Scriptor, ipſo non refragante Baſnagio ad an. 51. num. 61. qui eumdem in Concilio Romano jam ab anno 649. ſub S. Martino Papa celebrato laudatum, & Areopagiticorum Operum Authorem pronunciatum fuiſſe act. 1. ibidem ſcribit, & actione 3. *Divinus Dionyſius* appellatur, ſi, inquam, Liturgia noſtra quoad omnes ſui partes, maxime quoad integritatem, & rationem Sacrificii eadem, ac veterum eſt, ut toto hoc Opere demonſtratur, temere utique, ac falſo illam nobis oppugnant maligni Novatores prætenſi Reformati, ſuo ſe capulo jugulantes, dum negant hic, quod alibi affirmant.

Plerique cum Card. Bona Philoſophum Platonicum Dionyſium fuiſſe putant.

(5) *Ex Profeſſoribus Platonicæ Philoſophiæ*) Hæc Emin. Authoris conjectura ſua plane probatione non vacat; Suidas enim in Collectaneis, & Pachymeres Proœm. in Opera Dionyſii tradunt: *aliquos externos Philoſophos præſertim Proclum contemplationibus Dionyſii uſum fuiſſe, atque adeo meris ipſis dictionibus*: horum teſtimonio fatendum eſt contemplationes Dionyſii Proclo illo Diadocho dicto, qui ſub Leone Thrace medio circiter ſeculo quinto libris conficiendis operam dedit, antiquiores eſſe, uti etiam non diffitentur Morinus de Sac. Ordin. in hac quæſt. cap. 6. §. 12. qui tamen Authorem hunc initio quinti ſeculi, & ante Concilium Chalcedonenſe collocat, Launoyus, qui tempore primæ Synodi Epheſinæ, & Eraſmus, qui Auguſtini ætate eumdem vixiſſe putant. Ut ut ſit de ætate, Dionyſium Platonicæ Philoſophiæ Profeſſorem, quinimmo Platonicorum facile Principem pronunciat Marſilius Ficinus in ejuſdem Dionyſii lib. de myſtica Theologia, & de Div. nomin. ubi hæc inter cætera ait: „ Quod ſi „ Dionyſium Platonis tamquam pii Philo„ ſophi ſectatorem alicubi declaramus, ipſum „ tamen non ſolum cæteris propter doctrinæ „ Platonicæ culmen, verum etiam ipſi Plato„ ni propter novum Chriſtianæ veritatis lu„ men anteponendum eſſe cenſemus.„ Hæc Ficinus, cui non pauci doctiſſimi viri ſubſcribunt apud dictum Card. Laurentium Cozza in Vind. Areopag. pag. 28., & ſeqq., ac pag. 191. & ſeqq.

Alii vero nonnulli dubitant, & Pauli diſcipulo Platonicam Philoſophiam arbitrantur non convenire.

Cæterum etſi magnificus ſtylus, ut ait Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. I. Diſſert. 22. in reſponſione ad object. 4. rerum, de quibus in eiſdem agitur libris, majeſtati, & obſcuritas dogmatibus tunc tradendis conveniret nihilominus quis facile ſuaderi poterit Dionyſio tamquam Epiſcopo ad Idololatriam eliminandam aſſidue intento tale otium fuiſſe, quo poſſet tanta verborum pompa, tantoque artificio, tot libros componere? Sed neque illorum Authorem adamaſſe obſcuritatem, ne dogmata infidelibus proderet (uti Scheleſtratius putat Diſſert. de Diſcipl. Arcani cap. 7. art. 2. pag. 121.) illud ſatis oſtendit, quod inter alia Incarnationis Myſterium adverſus Neſtorianos, & Eutychianos apertiſſime explicat, unde evincitur illis Eccleſiæ ſeculis ſcripſiſſe, quibus neceſſe non erat vel ſilentio, vel verborum involucris fidei articulos tegere. Denique numquam vel opinandum crederem Dionyſium Apoſtolorum diſcipulum in erudiendis fidelibus Platonicam admiſcuiſſe Philoſophiam, ac tot, tantaque ſupra communem eorum captum conſcripſiſſe. Hæc autem dicta ſint, non ut Areopagitæ Opera, ſi vere illius ſunt, rejiciam, ſed ut Emin. Scriptoris conjecturam, qua ſuſpicatur eadem cuidam ex ſchola Alexandrina Platonicæ Philoſophiæ Profeſſori tribuenda eſſe, confirmem. Cui opinioni plerique Eruditi ſubſcribunt, præſertim Tillemontius in Dionyſium Areo-

pag. nota quarta circa finem. Neque obſtat, quod ex Dupinio Bibl. Eccl. Tom. 1. ubi de Epiſtolis S. Ignatii Martyr. reſp. ad objectionem tertiam, e contra dici poteſt, objectiones ſcilicet a ſtylo ſumptas parvi ponderis eſſe, adeoque Dionyſii Opera eidem Areopagitæ tribui debere, quamvis eam ſimplicitatem Apoſtolicis temporibus convenientem præferre non videantur, cum & Epiſtolæ Ignatii quamtumvis ſublimes, & graves, atque non nihil inflatæ, ipſi tamen ab omnibus adjudicentur, & præterea Aſiaticorum ſtylus, magis quam aliarum Gentium, tumidus ſit, & affectatus; nam Dionyſii ſtylus, præter quam quod ubique grandiloquus, & tumens, Platonicam inſuper Philoſophiam, ut diximus, undequaque redolet, quod nec in Ignatii Epiſtolis, aliiſque Apoſtolici ævi Patribus non ita facile reperitur.

Quædam item apud Gregorium Nazianzenum reperiri mutuata a Dionyſio autut Card. Sirletus, & Perronius, aliique.

(6) *Quædam reperiri mutuata a Dionyſio*) Billio ſubſcribunt Emmanuel Scheleſtratius de Diſcipl. Arcani cap. 7. art. 2. pag. 113., & ante ipſum vir in Græcis verſatiſſimus Guillelmus Sirletus poſtea S. R. E. Cardinalis, cujus hac de re Epiſtolam ad Card. S. Crucis Sedis Apoſtolicæ Legatum in Concilio Tridentino ex Codice MS. 0277. Bibliothecæ Vaticanæ primo editam ſubnectit ibi Scheleſtratius, in qua Epiſtola Sirletus ſe magis confirmatum affirmat in ea opinione, quæ Dionyſii Areopagitæ Opera eidem adſcribit; *vidi enim*, ait, *quod Gregorius Nazianzenus non ſolum ſententias ſuas ex eo deſumpſerit, ubi loquitur de eadem materia, ſed ipſiſſima quoque verba, idque non ſemel, ſed ſæpius fecerit. Neque refert, quod eum non nominet; non ſolet enim citare authoritatem alicujus, præterquam Scripturæ veteris, & novi Teſtamenti. Accedit, quod Oratione de Nativitate Domini exponens inſigne Triſagii Myſterium, quo dicitur tribus vicibus Sanctus, & una Dominus Deus, ac exprimitur una ſubſtantia cum tribus Perſonis, ſignificat ſeſe ſenſum illum accepiſſe a Dionyſio Areopagita hiſce verbis: quod & ab alio quodam ante nos ſapienter intellectum eſt, pulcherrimeque dictum & altiſſime*: neque ſolum Sirletus, ſed & Card. Perronius lib. . de Euchariſtia Author. II. & lib. 3. de eadem cap. II. per *alium*, quem dicit Nazianzenus, intelligit cum Guillelmo Budæo apud Martinum Delrio vindic. Areopag. cap. 10. Dionyſium Areopagitam, idque ipſum alii confirmant aſſerentes locum a Nazianzeno laudatum reperiri apud dictum Dionyſium lib. de Cœleſti Hierarchia cap. 7. ſub finem. Et ſane per illa verba, *ab alio quodam ante nos ſapienter, pulcherrimeque dictum, & altiſſime*, non alium, quam Areopagitam connotari ſatis indicare videtur Dionyſii ipſius ſtylus, qui ut omnibus notum, & mox diximus, altus, ſublimis, grandiloquus, & magnificus eſt. Verum his non obſtantibus adhuc in ſuo robore viget exceptio, quam in contrarium ſubdit Emin. Author: nempe, quod ſibi probandum erat, fortaſſe tamquam certum poſuerunt Scriptores iſti, Dionyſium ſcilicet, utpote Pauli diſcipulum, Nazianzenum præceſſiſſe; dicent enim qui contrariæ ſunt ſententiæ, Dionyſium potius ea a Gregorio acceptiſſe, aut ſaltem ab alio non Areopagita, Gregorium: uti re ipſa ab Athanaſio Alexandrino accepiſſe Petrus Halloixius, ab altero vero antiquiore Joannes Pearſonius, ille vel Areopagiticorum Operum vindex, iſte non admodum alienus cum aliis exiſtimant. Quare hæc non adeo certa eſſe, ut ipſis incubare nos ſinant, perſpicuum eſt.

Quem tamen Nazianzeni Sermonem Viri docti plerique pſeudepigraphum putant.

(7) *Hunc Sermonem pſeudepigraphum putant*) In editionibus Pariſienſi Morelliana, & Anglica Savilliana hæc Homilia habetur Tom. VII. Operum S. Joannis Chryſoſtomi, quæ etiam habetur inter Opera S. Ephrem Syri a Gerardo Voſſio Præpoſito Tungrenſi edita. Verum nec Joann. Chryſoſt., nec Ephrem, ſed Joannis Neuſtetæ eſſe cenſent Uſſerius, Voſſius præfatus, & Pearſonius; Fronto etiam Ducæus in notis ad Tom. VI. eamdem Chryſoſtomo abjudicat. Cæterum veriſimile Chryſoſtomum hujus Sermonis authorem eſſe pluribus oſtendere nititur ſupra laudatus Emm. Scheleſtratius loco citato pag. 110., & ſeqq. tum quod eumdem Sancto Doctori tribuant Codices omnes MSS. Græci etiam Vaticani, inter quos Codex 450. ante ſeptingentos, & ultra annos exaratus, tum ex Anaſtaſio Bibliothecario mille circiter abhinc annis, qui in Epiſtola ad Carolum Calvum, *hunc*, ait, ſcil. Dionyſium Areopagitam, *Beatus Joannes Chryſoſtomus volucrem Cæli in ultimo Sermonum deſcribit*: Ex quibus jam ab antiquiſſimis temporibus Sermonem hunc de pſeudoprophetis, & falſis Doctoribus Chryſoſtomo tributum fuiſſe concludit idem Scheleſtratius; at quemadmodum dicti Sermonis textum alicubi in pluribus Codicibus MSS. corruptum, ac præcipue Juſtiniani Imp. & Neſtorii hæreſiarchæ nomina per aliquem ſciolum inſerta fuiſſe non diffitetur Scheleſtratius, ita pariter reponent Adverſarii ea, quæ ibi de Dionyſio leguntur, ab eodem, aut alio aliquo aſſui potuiſſe.

Areopagitæ librum longe ante ſeculum ſextum Catholicis non ignotos fuiſſe nonnulli exiſtimant.

(8) *Primi inter Græcos*) Ante Leontium Byzantinum, de quo hoc loco Emin. Author, Dionyſii Areopagitæ Operum teſtimonio uſi ſunt Andreas Cæſarienſis Commentar. in Apocal. cap. 10. 28. & 44. Jobius Monachus lib. de Incarnato Verbo apud Photium Cod. 222. Ephræmus Syrus Patriarcha Antiochenus apud eumdem Photium Cod. 229. lib. de Sac. Antiochiæ legibus, vel, ut mavult Pearſonius, in Apologia pro Concilio Chalcedonenſi, qui omnes circa Initium ſexti ſeculi floruere. Quinimmo putant aliqui Libros Areopagitæ nomine inſcriptos longe ante ſextum ſeculum Catholicis non ignotos fuiſſe, cum S. Maximus in ſcholiis ad cap. 5. de Cœleſti Hierarchia, & Anaſtaſius Synaita in libro, quem vocat *Odigos*, ſive *Duæ viæ*, contra Acephalos ſcribant S. Dionyſium Alexandrinum Origenis diſcipulum Librum de divinis nominibus ſcholiis illuſtraſſe. At nec Euſebius, neque Hieronymus, qui ejuſdem Dionyſii Alexandrini Opera in ſuis Authorum Catalogis recenſent, ullam hujuſmodi ſcholiorum mentionem habent, eapropter aut alteri cognomini item Alexandrino Rhetori dicto hæc ſcholia adſcribenda erunt, aut ab aliquo Græco Scriptore ſub Dionyſii nomine ſuppoſita.

Porro,

Porro, ut notat elar. vir Joſeph Simonius Aſſemanus, ex Linguarum Orientalium, præſertim Syriacæ, & Arabicæ Interprete, ac collega noſtro, nunc Vaticanæ Bibliothecæ Apoſt. primarius Cuſtos in ſua Biblioth. Orient. Tom. 3. pag. 13. Dionyſiana Opera, quæ nonnulli recentiores ad Dionyſium Corinthium, alii ad Apollinarem Laodicenum, aut ad Dionyſium quemdam Apollinaris Diſcipulum, alioſque referunt, Areopagitæ Athenienſi conſtanter adſcribunt Syri, eaque illuſtrarunt, ex antiquis Phocas Edeſſenus, Rabanus, Joſeph Huzita cognomento Videns, Joannes Darenſis, aliique Monophyſitæ eorumdem meminere in Collatione Conſtantinopolitana Anno Chriſti 533. Quod autem Abraham Ecchellenſis aſſerit in Catalogo Librorum Syrorum Ebedieſu Metropolitæ Sobenſis cap. 4. pag. 132. & confirmat Epiſtola ad Joannem Morinum apud Ricardum Simonem poſt notas in Gabriclis Severi Philadelphienſis Opuſcula pag. 279. videlicet Joannem Darenſem Dionyſii Arcopagitæ commentatorem ſeculo quarto floruiſſe, Id rejicit, & explodit laudatus Aſſemanus Tom. 2. ejuſdem Biblioth. Orient. pag. 218., & ante Ipſum dictus Joannes Morinus in notis ad Syrorum Ordinationes num. 22. Cæterum veruſtiſſimum Syriacum exemplar in pergameno Dionyſiani Operis de Cœleſti Hierarchia cum Commentariis dicti Joannis Darenſis, quod apud ſe habere teſtatur memoratus Echellenſis loco citato, circa annum Chriſti 912. conſcriptum fuiſſe apparet ex nota eidem Codici præfixa. Quibus omnibus perſpicue conſtat nullam Dionyſii Areopagitæ Operum mentionem ante ſeculum ſextum factam fuiſſe, uti animadvertit Emin. Author.

Et quidem Syri veteres id teſtantur, qui & Dionyſii Opera notis ſuis illuſtrarunt.

Cæterum an hæc Dionyſii Operum mentio ante ſeculum ſextum facta fuerit, incertum.

(9) *Forſitan ſolidas Dionyſii vindicias haberemus*) Theodorus iſte, quem Presbyterum fuiſſe Photius dicit, cujuſnam Eccleſiæ fuerit, vel quo tempore vixerit, non ſatis liquet. Petrus Halloixius in Imagine ſecundi ſeculi quæſt. 4. in Vitam S. Dionyſii putat eum vixiſſe circa initium quinti ſeculi, ſed non admodum probat, fortaſſe illum confundit cum Theodoro Presbytero Antiocheno, qui eo tempore vixit, & Mopveſtenus poſtea Epiſcopus fuit, primus Author Pelagianiſmi, tradux, & propago Neſtorianiſmi, de quo plura Chriſtianus Lupus in notis ad var. PP. Epiſt. circa Acta Concil. Epheſini, & Chalcedonenſis, cujus etiam meminere Gennadius, & Photius; at hunc, ſive Presbyterum, ſive Epiſcopum de Dionyſii operibus ſcripſiſſe nullibi legimus. Quidquid ſit de hoc Theodoro, quem laudat Photius, conſtat ipſum nihilominus elaruiſſe initio ſexti ſeculi poſt annum 520., quando nempe Controverſia de Areopagitæ libris orta eſt, & ante Photii tempora. Scripſit porro Theodorus librum, quo docet germanum eſſe S. Dionyſii opus, inquit Photius, & argumenta in contrarium allata pro virili diſſolvere, & legitimum illum eſſe magni Dionyſii partum oſtendere conatus eſt; Argumenta vero recitat quidem Photius, ſed Theodori ſolutiones non item; has itaque ſilet, vel quod non recenſuerit, vel quod excerpta ex Codice Photiano exciderunt. Eaſdem Photii Interpres Andreas Scotus ſupplere nititur, ſed non plane evincit, hanc proinde Spartam denuo propugnandam aggreſſus eſt Emin. Card. Laurentius Cozza in ſuis vindiciis Areopagiticis ſupra laudatis pag. 51. & ſeqq. eruditiſſime quidem, at nec ipſe invicte, nnn. enim deſunt, quæ illi diſſolvenda reponant Antiareopagitici apud Nicolaum le Nourry Mon. Bened. Appar. ad Biblioth. PP. Tom. 1. Diſſert. 10. cap. 6., & ſeqq.

Controverſia de Dionyſii Libris poſt an. 520., & ante Photii tempora exorta.

Et ſane cum Photius ex Theodori libro quatuor tantum argumenta, etſi præcipua, deſcripſerit, quibus potiſſimum Dionyſii Opera notha, & ſuppoſita tunc fuiſſe demonſtrabantur, neque eorum in contrarium ſolutiones attulerit, ſatis utcumque id indicat ipſum eidem ſeotentiæ adhæſiſſe, quod & non diffiterur Antonius Poſſevinus in Appar. ſacro verbo *Photius*, ubi eumdem, etſi Areopagiticorum aſſertor, in ea opinione fuiſſe ſic non dubitat pronunciare: *Opera B. Dionyſii, ut pſeudepigrapha videntur ab eo notari*. At e contra Photium hujus non fuiſſe ſententiæ conſtare videtur ex iis, quæ in eadem ſua Bibliotheca Cod. 231. de eodem Dionyſio Areopagita ſic habet: *& Dionyſius copioſus quidem verbis, copioſior tamen ſpeculatione, Diſcipulus S. Pauli, Chriſti Martyr, Athenienſium Epiſcopus*: quæ certe non diceret, ſi Opera, quæ Areopagitæ nomine inſcripta ſunt, eidem non adjudicaret; quare in hac ambigua, & intricata controverſia cuinam hi libri Dionyſii nomine inſcripti vere, & legitime tribuendi ſint, tandiu inter Eruditos excuſſa, neque hactenus extincta, nil aliud profecto dicendum ſupereſt, niſi cum Emin. Authore: utinam, aut ille Theodorus extaret, aut Epitomen reſponſionum ejus Photius excerpſiſſet, ita enim fortaſſe ſolidas Dionyſii vindicias haberemus.

De eadem tamen Photius nihil certi definit.

Hinc diſputationibus Eruditorum diſcutiendæ relicta.

Verum enimvero ſi Theodorus ille, vel Epitome Reſponſionum ejuſdem adhuc extaret, profecto tot contentiones, diſſidia, ac partium ſtudia hinc inde inter Eruditos etiam primarii ſubſellii viros, etſi ſalva utrinque, crediderim, Chriſtiana charitate non exarſiſſent. Sane Dionyſii Areopagitæ Operum diſquiſitio an ejus, vel alterius illa ſint, tot movit illuſtrium noſtræ ætatis ſcriptorum ingenia, ut ſi diſſertationes omnes, conjecturæ, argumenta, reſponſiones, & facta pro, & contra ex utraque parte producta colligerentur, in plures abſque dubio tomos excreſcerent; hæc enim Controverſia ob magnum Authoris nomen, & ſumma rerum capita, quæ in his operibus tractantur, tantæ molis erat, tantique ponderis, ac momenti viſa eſt, ut vix alia fuerit, in qua diſcutienda, & examinanda recentiores fere omnes Critici majori diligentia inſudarint. Eapropter Emin. Author eamdem quæſtionem diu inter viros doctos agitatam, & perplexis hinc inde difficultatibus implicatam prudenter, ac ſcite pronunciat, ſeque hnic componendæ, aut dirimendæ imparem ingenue profitetur, etſi in adverſam potius negativam partem propendere, & inclinare videatur. Hinc ſaltem pro utriuſque ſententiæ celebrium Scriptorum notitia hujuſce Dionyſianæ Diſceptationis brevem utcumque chronotaxim curioſo Lectori exhibere non pigeat.

Pri-

Recenſentur præcipui utriuſque partis Auctores, qui pro aſſerendis, & refellendis Areopagitæ operibus ſcripſerunt, & primo pro parte negativa.

Primi, qui vulgari opinione depoſita de Dionyſii operibus dubitarunt duobus ab hinc ſeculis, fuere Laurentius Valla, & Eraſmus, qui & propterea validiſſimos omnium ſibi adverſantium impetus exceperunt; contra hos duos Scriptores Joannes Novius Apologiam pro S. Dionyſii operibus ſcripſit, quam refert Emin. Cozza in ſuis vindiciis Areopagit. Parte 2. pag. 496. Ante ipſum vero Vallæ, & Eraſmo ſe totis viribus oppoſuere Joannes Picus Mirandulanus, Marſilius Ficinus, Lilius Gyraldus, Budæus, Billius, Genebrardus, Arnaldus Pontacus, aliique multi. Dein ſuperiori ævo illorum cauſam iterum propugnandam ſuſcepit Jacobus Sirmondus erudita Diſſertatione de duobus Dionyſiis adverſus veterem Epocham confecta cap. 2., & confilii ſui ſectatorem habuit Franciſcum Bouſquetum Montiſpeſſulani Epiſcopum in priori ſua Gallicanæ hiſtoriæ Parte lib. 1. cap. 26. Duos iſtos Scriptores adorſus eſt P. Milletus edito Opere de Adventu S. Dionyſii Areopagitæ in Gallias, eique præſidio fuere Andreas Sauſſajus, aliique. His amici Sirmondi duabus Epiſtolis reſponderunt, ac Joannes Launoyus quoque in arenam deſcendit, & Sirmondo adſtipulatus eum omni conatu defendit, Milletus iterum Sirmondo repoſuit, quod ægre ferens Launoyus rurſus prodiit in Milletum alio Opere inſcripto: *Reſponſionis ad Diſſertationem de duobus Dionyſiis diſcuſſio*, Pariſiis edita anno 1643. adverſus quam furrexit Hugo Menardus in ſuo Tractatu de unico Dionyſio ibid., & eodem anno edito.

Alii inſuper plures eamdem aciem ingreſſi, hinc inde editis libris decertarunt, & quidem pro parte negativa præter jam ſupra nota tertia, atque hoc loco relatos, ſcripſerunt Iſaacus Habertus in ſuo Archierat. Sammarthani fratres in ſua Gallia Chriſtiana Tom. 1. pag. 400. Paſchaſius Queſnellus Epiſt. ad Dan. Papebrochium, cujus ſynopſim iſte refert ad Ephemerides Græco-Moſchas ante Tom. 1. Maji pag. 45. cuique etiam poſtea idem Papebrochius Tom. 3. ad diem 14. ſubſcripſit, & in reſponſione ad exhibitionem errorum per P. Sebaſtianum a S. Paulo art. 5. idipſum confirmat, ut dictum eſt, quibus addendi Ant. Pagius in Critica Baronii ad an. 107. num. 8. & noviſſime Conſtantinus Roncaglia loco in dicta nota tertia, citato. Pro parte vero affirmativa item bene multi, & numero, ac doctrina dictis adverſariis non inferiores calamum ſtrinxere, quorum catalogum refert laudatus Card. Cozza in ſuis vindiciis Areop., & præter mox a nobis relatos addendi ſunt Ant. Dadinus Alteſerra in notis ad Gregorium Turon., Petrus de Marca, Author de geſtis Epiſcoporum Cenomanenſium, Ambroſius Gardebofe Hiſt. Eccl. ſec. I., ac noviſſime Pater Honoratus a S. Maria Carmel. Excalc. Animadv. in Reg. Critices Tom. 1. Diſſert. 6. art. 5. per totum, ubi utriuſque partis rationes expendens, etſi non definiat, in affirmativam tamen videtur vergere; cui etiam ſententiæ ſuo calculo accedit nuperrimus Scriptor Abbas Monaſterii S. Mariæ de Sagittario Ord. Ciſtercienſis, D. Placidus Troylus in ſua Theologia Poſitivo-Polemico-Scholaſtico-Hiſtorica Tom 1. tract. 1. art. 6. §. 8. nu. 173. Quapropter in hac æquali Authorum ſibi adverſantium acie, ubi momenta omnia, quæ producuntur, ſimul e contra infirmantur, dicam & ego cum Emin. Scriptore: *Per me igitur cuique licebit, cui maluerit parti adhærere*: Utrobique enim par ratio opinandi libertatem donat.

Pro parte affirmativa ſtat recenſiti.

Cæterum firma remanente ſua alterutri Parti ſententia, certum, exploratumque eſt, quod Dionyſii Opera, quamvis Areopagitæ Pauli Apoſtoli diſcipulo adſcribenda non videantur, negari tamen nullatenus poteſt eadem antiquiſſimi Scriptoris fœtum eſſe, qui ut diximus, circa finem quarti ſeculi vixerit; unde etiam ſi quæ ſcribit idem Author, quicumque ille ſit, non ſatis conſtet Areopagitæ ætate, & Apoſtolorum ævo viguiſſe, conſtat nihilominus illa omnia debuiſſe ante ipſius Scriptoris vitam in Eccleſia voce, & ſcriptis tradi, atque uſu plurimo recipi, quod ab omnibus cujuſque partis fautoribus admiſſum, ut ſupra notatum eſt, ſatis ſuperque erit inſtituto noſtro ad confirmandam Sacræ Liturgiæ, ejuſque venerandorum Rituum antiquitatem. Hinc itaque docemur, quæ fuerit illius Authoris, & deceſſorum ejus tempore, quarto ſcilicet Eccleſiæ ſeculo, atque etiam tertio antecedente doctrina fidei, morumque diſciplina; diſcimus inſuper, quid iis omnibus temporibus Eccleſia docuerit inter cætera de Liturgiæ, ſeu Miſſæ celebratione, Euchariſtiæ adminiſtratione, de Sacris Eccleſiæ Miniſtris, aliaque id genus multa, & ipſa eadem, quæ nunc habemus tamquam per manus tradita fideliter ſervari. Hæ autem Eccleſiaſticæ functiones, ſacræ cæremoniæ, ſanctiique ritus, non ut recentes, ac novi, ſed ut veteres, atque ab Apoſtolis derivati in noſtri Authoris ſcriptis referuntur. Quapropter qui eadem ſcripta Dionyſio Areopagitæ vindicant, ii omnes eoſdem ritus ab Apoſtolis immediate profluxiſſe contendunt; qui vero ea recentioris ævi, & Scriptoris fœtum eſſe opinantur, ii negare non poterunt plures ſaltem, & præcipuos ex iiidem ritibus a traditione Apoſtolica manaſſe, cæteros autem tum pedetentim inſtituros, cum Eccleſiis pax, & tranquillitas ab Imperatoribus Chriſtianis data eſt, atque ab ipſis Templa, Baſilicæ, Oratoria, in quibus Sacra publice celebrarentur, ædificata fuere. Irde etiam pro certo colligimus tales Miſſarum celebrationis, & Sacramentorum adminiſtrationis ritus, ab hoc Authore deſcribi, quales Conſtantini Magni tempore, & quarto ſeculo ineunte obſervari, & in uſu recepti erant, qui omnes plane conſonant cum illis, quos exprimit Author Conſtitutionum Apoſtolicarum ſecundi, aut ſaltem tertii ſeculi Scriptor, ut diximus lib. 2. cap. 61. ubi idem ordo Liturgiæ deſcribitur, quem etiam refert Juſtinus Martyr ſupra commendatus circa finem Apologiæ ſecundæ. Atque hæc omnia abunde ſatis Sacræ ejuſdem Liturgiæ noſtræ Apoſtolicam traditionem, & antiquitatem commendant, atque evidenter oſtendunt. Æqualem ſuæ paraſynaxis vetuſtatem nunc proferant Miſoliturgi Novatores, ſi valent.

Qui eadem Pauli Apoſtoli diſcipulo abjudicant, antiquiſſimi tamen Scriptoris factum eſſe fatentur.

Ac proinde Patres, ac primarios ex Sacris Ritibus ob Apoſtolicæ traditionem manare, & ejusdem circa ſecuſum quartum inſtitutos, negare non poſſunt.

Pro

De Liturgia S. Ignatio Epiſcopo Antiocheno, & Martyri attributa apud Orientales, aliiſque ibidem diverſis nominibus inſcriptis.

Pro hujus capitis coronide ſupradictis Apoſtolicorum Patrum dubiis Liturgiis, illa etiam accenſenda eſt, quam S. Ignatio Apoſtolorum diſcipulo Epiſcopo Antiocheno, & Martyri tribuunt Orientalium plerique, maxime Syri; de qua Liturgia Joan. Albertus Fabricius Bibl. Græcæ Tom. 5. pag. 41. loquens de Ignatio juniore Patriarcha Antiocheno (Neheme ſcilicet Syrorum Patriarcha, de quo ſupra laudatus Joſeph Aſſemanus Tom. 1. Biblioth. Orient. pag. 536. & Tom. 2. pag. 229. quique Romæ Gregorio XIII. Pontifice Reformationi Kalendarii interfuit, ibique diem obiit) hæc habet: *In Catalogo Liturgiarum Chaldaicarum, quem habuit idem Patriarcha, memoratur Liturgia S. Ignatii græce compoſita Antiochiæ anno vigeſimo ſeptimo poſt aſcenſionem Domini, quam Chaldæam fecit S. Jacobus Epiſcopus Robenſis, ſive Edeſſenus*: Hæc Fabricius. Extat hæc Liturgia apud dictum Aſſemanum, Tom. 1. Biblioth. Orient. pag. 562. & 574. Ipſius initium: *Deus Pater Sancte &c.* Prodiit latine a Renaudotio edita Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 215. cujus judicium de eadem placet hic deſcribere. „ Longa oratione (inquit ibid. pag. 226.) non opus eſt ad ipſius Liturgiæ novitatem probandam, quia „ ſatis ipſa ſe prodit, ſtylus enim ſynonimis „ & epithetis inflatus ultra modum natæ infelicibus ſeculis eloquentiæ magis convenit, „ quam primævæ Apoſtolicorum temporum „ ſimplicitati, quam genuina Ignatii Martyris ſcripta repræſentant: Et paucis interjectis „. At nulla præter Jacobiticam Antiochenam Eccleſiam (addit & Maroniticam) „ habuit hucuſque Liturgiam Ignatio attributam, neque de iſta quidquam aliud cogitare „ poſſumus, niſi quod ab aliquo ſcripta, cum „ ſingularem titulum non præferret, eſſetque „ Antiochenæ Eccleſiæ propria, Ignatii nomen, tamquam illius inſignis Epiſcopi acceperit. Potuit etiam ab aliquo Ignatio „ ſcripta fuiſſe, qui illam ſedem tenuerit, „ aliquot enim ita appellati ſunt inter Jacobitarum Patriarchas, & librariorum culpa „ ad Martyrem referri, quæ novi hominis „ foret „. Hæc Renaudotius.

Renaudotii veſtigia premit Aſſemanus Tom. 3. Biblioth. Orient pag. 17. ubi Liturgiam hanc & ipſe Ignatio Martyri tributam ſuſpicatur, quod ejuſdem nominis, & Eccleſiæ Epiſcopus fuerit ejus Author; quemadmodum enim ad Dionyſium Areopagitam relata fuit in Miſſali Chaldaico impreſſo an. 1592. Liturgia Dionyſii Barſalibei, & ad Joannem Chryſoſtomum Liturgia Joannis Epiſcopi Haran, Niſibis, & Chaboræ: ita & hæc Ignatii ab aliquo hujus nominis Epiſcopo Antiocheno compoſita, potuit ad Martyrem referri; nimirum ſolemne Jacobitis fuit, non Liturgica modo, ſed etiam Theologica Opera Sanctis Patribus tribuere, ut liquet ex iis, quas citant, homiliis, Epiſtoliſque Xiſti, Julii, ac Cæleſtini Summorum Pontificum, quibus & Anaphoras Syriacas ſuppoſuere, quæ latine prodierunt per Renaudotium Tomo citato pag. 134., & 227. Vide quæ de hac re notat laudatus Aſſemanus Tom. 2. ejuſdem Biblioth. Orient. pag. 289. Idem fere dicendum de Liturgiis Clementis Romani, & Dionyſii Areopagitæ, de quibus ſupra, hoc ſolo diſcrimine, quod hæ videntur ex libris Clementi, Dionyſioque tributis deſumptæ: illæ vero, Xiſti ſcilicet, Julii, Cæleſtini, Ignatii, aliorumque hujuſmodi ex recentioris cujuſpiam Syri Scriptoris cerebro compoſitæ, quidquid in contrarium aſſerant nonnulli eorum ſequioris ævi, qui eaſdem tribuunt Authoribus, quibus inſcriptæ ſunt; atque hæc dicta ſufficiant de Liturgiis Apoſtolicorum Patrum nomine inſcriptis.

Licet autem non eorum, ſed recentioris eſſe inſtituti, ferantur: eas tamen pene in omnibus, vel in pleriſque ab Apoſtolica traditione derivatas ſatis ſuperque ipſarum mira conſenſio in præcipuis tremendi Sacrificii partibus oſtendit, quod vel ipſi Novatores non diffitentur. Inter eos Chriſt. Matthæus Pfaffius Tubingenſis ſupra memoratus in ſua diſquiſitione de Liturgiis, aliiſque libris Eccleſiaſticis ad calcem ſuarum Inſtitutionum Eccleſiaſticarum annexa pag. 7. hæc habet: Quamvis autem omnes hæ Liturgiæ ab iis conſcriptæ non ſint, „ quorum nomina præferunt, maximæ tamen authoritatis eſſe nemo, qui ſapit, dubitaverit, cum jam antiquiſſimis temporibus in Eccleſiis Orientalibus præcipuis „ fuerint uſitatæ. Ita Liturgiam Jacobi eſſe „ Hieroſolymitanam, Marci Alexandrinam, „ Petri Romanam, atque his in Eccleſiis pridem eaſdem ſingulas obtinuiſſe, jam jam „ indicare cœpimus. Quod vero, ſi ita eſt, „ apparet haud ſpernenda omnino eſſe, quæ „ ex hiſce Liturgiis pro fide veteris Eccleſiæ depromantur, argumenta „. Hæc ille: utinam vero & ipſe, ac reliqui gregales ſui eadem revera non ſpernerent, ſed nobiſcum amplecterentur, ac ſacroſancta Catholicæ Fidei myſteria in iiſdem Liturgiis expreſſa a majoribus tradita, mirabilique omnium linguarum conſenſione firmata venerarentur, ſicque ibidem Eccleſiæ univerſalis vocem audientes, illa pariter ſincero corde crederent ad juſtitiam, & ore ad ſalutem confiterentur. Verum proh dolor! dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus ſemper Spiritui Sancto refractarii reſiſtunt, & in ipſum peccantes agnitam veritatem detinent in injuſtitia, apertiſque oculis, ſed cæco corde eam hæretica pertinacia negare non deſiſtunt. At de dictis hujuſmodi anaphoris iterum ſequenti capite, ubi & ad Sectariorum duritiem emolliendam, faxit Deus! plura proferemus.

CAP.

CAP. IX.

De variis Ritibus Eccleſiæ Orientalis. Cur nova Liturgia a Baſilio Magno compoſita. De Liturgia Chryſoſtomi. Quæ gentes lingua Illyrica Miſſas agant. De Colchis, Iberis, Albanis, Melchitis, Neſtorianis, Jacobitis, Coptis, Æthiopibus, Maronitis, eorumque Liturgiis. Hymnus S. Ephræm. Plurimas eſſe apud Orientales Liturgias.

§. I.

De variis Ritibus Eccleſiæ Orientalis. Cur nova Liturgia a Baſilio Magno compoſita.

PLurimæ nationes, quæ Chriſti fidem profitentur, per Orientem diſperſæ ſunt, non tam locorum intervallo a nobis diſſitæ, quam lingua, moribus, & rituum diverſitate. De ſingulis ſtrictim agendum: licet enim multæ ab Eccleſiæ communione præciſæ ſint, omnes tamen nobiſcum unanimiter conveniunt in ſubſtantia Sacrificii, & in his omnibus quæ Fides Orthodoxa de tanto myſterio credenda proponit; in modo tantum & ritu offerendi diſcrepantes. A Græcis ordior, qui quondam per Orientem longe lateque dominati ſunt. Habent Illi Jacobi Apoſtoli Liturgiam, qua diu uſi ſunt, donec Baſilius Magnus divino edoctus magiſterio ſuam compoſuit. De illa actum eſt ſupra. Hanc vero commendat Proclus in ſæpe laudato opuſculo *De traditione divinæ Miſſæ*, Trullana Synodus Can. 32. Leontius *lib.* 3. *adv. Neſtorium*, & alii Patres Græci quam plurimi. (1) Cauſam vero, qua motus fuit Baſilius ad novum offerendi Sacrificii ordinem componendum, hanc tradit Proclus, quia Miſſam a Jacobo editam, fidei fervore deficiente, homines terrenis negotiis immerſi nimiæ prolixitatis accuſabant, quare ſalubri uſus conſilio eam in compendium redegit. *Magnus*, inquit, *Baſilius hominum ſocordiam, & in deterius prolapſionem conſpicatus, ac proinde longinquitate productæ Miſſæ pertæſos; non quod ipſe ſupervacaneum quidquam vel nimis longius productum in ea fore arbitraretur, ſed ut pariter tum ſimul orantium, tum audientium ignaviam ex longo illo temporis intervallo præcideret, breviorem recitandam tradidit.* Ipſa autem Baſilii Vita inter opera Amphilochii aliam profert cauſam his verbis. *Poſtulavit a Deo*, poſtquam Epiſcopus ordinatus fuit, *quo ſibi gratiam & ſapientiam, & intellectum concederet, ut ſuis ipſe verbis incruentum Deo Sacrificium offerret, utque in ipſum Spiritus Sancti adventus fieret. Poſt ſex autem dies adſtans Dominus in viſione cum Apoſtolis, pane, & vino in Sacro Altari propoſitis, Baſilium excitavit dicens: ſecundum petitionem tuam repleatur os tuum laude, ut tuis ipſe verbis incruentum Sacrificium offeras. At ille non ferens oculis viſionem ſurrexit tremebundus, accedenſque ad ſacrum Altare cœpit dicere, ita in charta ſcribens:* Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam Domine Deus noſter, qui nos creaſti, & duxiſti ad hanc vitam, (2) *ac reliquas ſacræ Liturgiæ preces. Poſt precum vero finem elevavit panem, intenſe orans & dicens*, Attende Domine Jeſu Chriſte Deus noſter de ſancto habitaculo tuo, & veni ad ſanctificandum nos: & *quæ ſequuntur.*

(1)

(2)

(1) *Et*

S. Baſilius Liturgiam aliquam certo confecit.

(1) *Et alii Patres Græci quamplurimi*) S. Baſilium Magnum Cæſareæ Cappadocum. Epiſcopum Liturgiam Sacram condidiſſe, ita certum eſt, ut nulla juſta in contrarium dubitandi ratio ſubſit; teſte enim Gregorio Nazianzeno Oratione 20. ordinationes ſacrarum precum ad altare diſpoſuit, ipſeque Baſilius Epiſt. 63. ad Clerum Neocæſarienſem deſcribit *Precum formulam*, quæ in Monaſteriis ſuis obſervari ſolebat, *omnibus Dei Eccleſiis*, ut ait, *conſonam*. Verum quamvis omnibus laudata ſit Baſilii Liturgia, teſtibus item S. Proclo, Trullana Synodo, & Leontio, ut ſupra, ac plurimis per Orientem Eccleſiis uſitata; nullum tamen hactenus ejus exemplar repertum eſt, quod non mutilum, aut interpolatum ſit, uti affirmat Jacobus Goar, qui in Euchologio Græcorum varia ejus profert exempla; hinc quam certum a Baſilio Liturgiam aliquam conſcriptam eſſe, tam incertum eſt, quid nunc præciſe ipſius ſit in iis, quæ extant ſub ejus nomine Liturgiis. Nec mirum tanto temporis ſpatio quædam immutata eſſe, quædam addita, quædam etiam ſublata, quemadmodum ferme contingit ejuſmodi Operibus, uti obſervant Franc. Combefiſius in notis ad cap. 2. Vitæ Sancti Baſilii S. Amphilochio adſcriptæ pag. 267. nota 68. & ſeqq. Dupinius in eodem Baſilio, & Franc. Baertius, qui ad diem 14. Junii Act. Sanctorum Tom. 21. ſeu 2. Junii hæc ſcribit: *Quippe is fuit perpetuus hominum in Religione ſenſus* (uti ſupra cap. 6. §. 2. ex Andrea Maſio ad hanc Baſilii Liturgiam dictum eſt) *ut intra præſcriptas a Patribus cæremonias, quantumvis ſanctiſſimas, ſe ſe continere pauci potuerint.*

Indicare autem quæ ejus præciſæ ſint partes, incertum.

Hæc a Sectariis, unperque ab Apoſtata Caſnitro Oudino diris impetita, & Catholicis uti falſo uſurpata, objecta.

Atque hic juſto percitus Catholicæ veritatis tuendæ zelo non poſſum non inſurgere, errorem quidem objurgandi potius, quam hominem, etſi conviciatorem obtrectandi animo, non poſſum, inquam, non invehi contra Caſimirum Oudinum, qui Tomo 1. Commentarii ſui de Scriptoribus, & Scriptis Eccleſ. in Baſilio Magno cap. 5. ubi de ejus Liturgia, paſſimque univerſo opere tot probra, ſcommata, convicia, injurias, irriſiones, & dicteria in Catholicos Noſtrates oggerit, ut ejuſmodi atræ bilis ſputamenta ad ſanguinem uſque evomuiſſe videatur. Statueram equidem hæc omnia inſani hominis deliramenta tranquillus contemnere, quemadmodum ipſe affectata lenitate in Guillelmum Cave Antagoniſtam ſuum ſcribit in dicti operis argumento ad calcem, quem tamen exſibilare identidem non omittit, *certus*, ut idem ait, *injurias a Scriptoribus numquam dari, niſi dum ratione, & veritate deſtituuntur*, eoque magis cum ab Hæreticis in Catholicos inferuntur, quod utique de ipſo cuique illum legenti manifeſtum eſt. Verum cum falſæ iſtæ criminationes, & contumeliæ propriæ, ſeu mei non ſint, quas utique Chriſtiana, ac religioſa humilitate contemnerem, nec unius, aut alterius perſonæ, ſed totius Sacri Catholicorum Scriptorum cœtus, ac proinde in odium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus utpote filii, & illius Apoſtolicæ fidei, quam profitentur, vindices ſunt, perhibeantur impactæ: eapropter ne Sanctiſſimæ Matris honorem zelare minus videar (etenim *qui non zelat, non amat*, ut vulgo dici aſſolet apud Auguſtinum lib. contra Adimantum cap. 13. Oper. Tom. 6. pag. 79.) hæc paucula ad dictum Oudini locum pro qualicumque apologetica reſponſione ſubjicere abſque imprudentiæ nota conceſſum eſto.

Quis, qualiſque fuerit Oudinus deſcribitur.

Et primo quis, qualiſve fuerit homo iſte, cujus doctrinæ, religionis, ac fidei, dicet vel ipſe memoratus Guillelmus Cave hæreticus Apoſtatam carpens Præf. ad Hiſt. Liter. Scrip. Eccl. pag. 33., & 34. ubi poſtquam illum pluribus æquo calamo perſtrinxerit, his tandem concludit: *Sed homini parco, quem deſertis Pontificiorum caſtris ad Reformatos tranſiiſſe audio*. Hic igitur impius Catholicæ Fidei, quam alias in ſupplemento Bellarminiano de Scriptoribus Eccleſiaſt. propugnaverat, deſertor, regularis profeſſionis, cui ſe voto ſolemniter obſtrinxerat, ſacrilegus ejurator, & apoſtata perditionis filius, ſacrarumque omnium rerum, cæremoniarum præcipue, & rituum Eccleſiaſticorum irriſor, blaſphemus, poſtquam plura ibi de Baſiliana Liturgia luſorie dictitaverit, & Maſium, ut ſupra retulerit, illius verborum occaſione attepta, demum temeraria mordacitate ita in hæc ſenſa malignus erumpit: *Hinc patet*, inquit, *quam parum ſinceræ fidei ſint Pontificii, qui quamvis ſciant Liturgias has eſſe ſpurias, atque ſuppoſititias, illarum tamen corruptarum, & interpolatarum autoritate abutuntur ad ſeducendas plebes. Ita Bellarminus &c.* quem citat pluribus in locis, item Gregorium de Valentia lib. de præſentia Chriſti in Euchariſtia cap. 5. & 6. *ob realem*, ait ille, *Chriſti in Euchariſtia præſentiam, & venerationem ſtabiliendam*: denique Pereſcium de Traditione parte 3. tit. de Sac. Communione, *propter tranſubſtantiationem aſſerendam*. Hæc maledicus Scriptor, qui Judæos hac in parte imitatus, eodem, quo illi Chriſtum Dominum ſeductoris nomine appellare non verebantur, hoc pariter ignominioſo vocabulo Catholicos Orthodoxæ Chriſtianæ fidei profeſſores inſectatur. Ignoſcat Deus illi, ſi adhuc in vivis eſt, neſcit enim quid dicit, eapropter ſana ſapere, & ad frugem redire concedat. At, quod plurimum dolet, nos id amplius ſperare non ſinunt Bollandiani Continuatores ad acta SS. Julii Tom. 6. pag. 44. ubi eumdem jam judicarum, ipſiuſque infelicem exitum ſcribunt. Hinc ad ejus Commenta peculiari diſſertatione cum aliis Tomo IV. ponenda reſpondebimus, ut ſaltem ſuperſtites inimici noſtri ſint judices, an nos, vel ipſi potius vere ſint plebium ſeductores. Nunc revertamur ad Baſilii Liturgiam.

Baſilium Liturgiam aliquam ſeu celebrandæ Miſſæ formulam condidiſſe, apud Catholicos omnes indubitatum.

Igitur Liturgiam aliquam, ſeu celebrandæ Miſſæ formulam a Baſilio conditam fuiſſe, ut diximus, in confeſſo eſt apud omnes, præſertim Catholicos: Etſi non conſtet ex tribus, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, Anaphoris num ulla ipſarum ſit genuina illa, quam Baſilius confecit. Dicant quidquid velint in contrarium Oudinus, & cum ipſo fortaſſe Novatorum alii: Baſilium Liturgiæ alicujus authorem eſſe teſtes ſunt ita omni exceptione majores, ut vel ipſe Calvinianus Scriptor Guillelmus Cave de Script. Eccleſ. in Baſilio id tamquam certum affirmet, ne-

Quod & Sectarii nonnulli fatentur.

que ullam juſtam dubitandi rationem eſſe aſſeratur; in hanc enim ſententiam, & traditionem univerſa conſpirat Orientalis Eccleſia, nec ab ea recedit Occidentalis. Ea propter reliquos Calvinianos homines nil moror, qui non alia ratione adducti ſunt, ut eam Liturgiam reſpuant, ſicut & cæteras, quam quod iis ſe premi, & urgeri ſentiant contra falſas ipſorum opiniones circa Euchariſtiæ Sacramentum; Criticos igitur & ſapientes appello, quibus nihil eſt veritate antiquius, ut ex eorum animadverſionibus quid in hac materia indubitatum ſit, quid falſum, quidve ambiguum pro comperto, & explorato habeatur. Cum itaque ipſorum omnium judicio firmatum ſit Baſilium Sacram Liturgiam ordinaſſe, neque ulla alia hactenus inventa ſit, quæ præ iis, quas habemus, vere ipſius genuina dici poſſit, aut e contra deperditam eſſe conſtet, hinc affirmare procul dubio poſſumus integram ipſam in iiſdem tribus Liturgiis, licet interpolatis, contineri; nec propterea quod additum aliquid a recentioribus ibi præſumatur, omnia in dictis Liturgiis Baſilii nomine deſcripta contenta tamquam ſpuria, & ſuppoſititia rejicienda erunt, quemadmodum de Liturgia Jacobi ſupra dictum eſt: quod utique ſatis abunde eſt contra Oudinum, alioſque hujus furfuris Pyrrhonios, aut Scepticos Scriptores pro vindicanda Baſilio Liturgia. Sed ad alia eidem ſpectantia procedamus.

Hæc in tribus, quæ ſub ejus nomine circumferuntur Anaphorâ continentur.

(2) *Qui nos creaſti, & duxiſti ad hanc vitam*) Hæc Oratio integra, ut hoc loco recitatur, non reperitur in Liturgia Baſilii, quam Græci hodierni etiamnum adhibent: forſaſſe omiſſa, quia verba tantum præambulæ invocationis continet, quæ ad Sacri Officii ſubſtantiam ſpectare non videntur; habetur nihilominus hæc eadem Oratio in alia ejuſdem Baſilii Liturgia Tom. VI. Bibl. PP. edit. Pariſienſis: ſed dicenda poſt communionem, & a toto choro, ex quo patet nonnihil fuiſſe mutatum, & qua omiſſum, vel additum, qua alio ordine poſitum. Hinc hallucinatur Clar. Franciſcus Baertius Soc. Jeſu Act. SS. Junii Tom. 2. ad diem XIV. ubi in notis ad Vitam S. Baſilii Amphilochio adſcriptam cap. 2. dictam Orationem in nullis Baſilianæ Liturgiæ exemplaribus reperiri aſſerit: cum reperiatur, ut diximus, loco citato. Alia Oratio ſubſequens, *Attende Domine*, in utraque Liturgia Baſilii, & Chryſoſtomi reperitur; quamdam autem orationem ex Baſiliana Liturgia deſumptam recitat Petrus Diaconus Opuſc. de Incarnatione, & gratia, quod cum aliis, quæ a Græcis ex Oriente Romam miſſa fuerant, ſcripſit ad Fulgentium Ruſpenſem, & alios Africæ Epiſcopos in Sardinia exules cap. 8. quæ oratio in omnibus, quæ Baſilii nomen præferunt, Liturgiis deſideratur. Ea autem ſic ibi commemoratur Tom. IX. Biblioth. PP. Lugdun. *Hinc etiam*, ait, *B. Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus in Oratione Sacrè Altaris, quam pene univerſus frequentat Oriens, inter cætera dona*, inquit, *Domine virtutum, ac tutamentum, malos quæſumus bonos facito, bonos in bonitate conſerva, omnia enim potes, & non eſt, qui contradicat tibi, cum enim voluerit, ſalvas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ*: Hæc Petrus Diaconus ſexti ſeculi Scriptor Fulgentio prædicto coævus loco cit. & in append. Oper. S. Auguſtini Tom. 10. pag. 147. quo item confirmatur ſupra adnotatum, in Baſiliana nempe Liturgia, quæ circumfertur, pleraque deeſſe, nonnulla aſſura, & immutata fuiſſe.

Cæterum quoad Baſilii vitam appoſite Emin. Author hæc tantum de eadem dicit: *Inter Opera Ampilochii*, & infra, *Author Vitæ Baſilii*, innuens eam quidem illi adſcribi, non adjudicari; dudum enim Eruditis notum eſt Amphilochium illius Scriptorem non eſſe, & quamvis olim jam ante annos 900. aliter exſtimaverit Urſus S. R. E. Subdiaconus, qui eam vitam græce ſcriptam latinitate donavit, & Sigebertus in Catalogo de Script. Eccl. cap. 7. Amphilochium Baſilii Vitæ Authorem affirmet, item Xiſtus Senenſis Biblioth. Sanctæ lib. 4. in Baſilio illam eidem tribuat, atque eo Authore ipſam recitent Vincentius Bellovac. in Spec. Hiſt. lib. 14. cap. 78. 79., & 80. S. Antoninus, aliique apud Roſvveidum in Vitis PP. pag. 151. nihilominus Card. Baronius in notis ad Martyrologium Rom. ad diem 1. Januarii ita de eadem ait: *Extat Amphilochii nomine ſcripta vita Baſilii, quæ tamen prudentiorum omnium ſententia alterius cujuſpiam potius, quam Amphilochii æqualis Baſilio eſſe putatur, cum aliqua illic habeantur, quæ illi minus convenire videntur*: Idem pene habet Annal. Tom 4. ad an. 363. num. 74., & ad ann. 369. num. 41. denique ad ann. 378. num. 10. ita concludit: *Quæ Amphilochii falſo nomine fertur vita Baſilii haud digna ſatis habetur, quæ eruditorum manibus ingeratur, niſi adeo ſint perſpicaces, qui in eis, quæ ſint vera, a falſis diſquirere, ac diſcernere valeant*. Baronio ſubſcribunt Card. Bellarminus de Script. Eccl. Poſſevinus in Appar. Sac., Labbeus, Voſſius de Hiſtoricis Græcis, aliique illuſtrium Criticorum plurimi. His vel unicus refragatur Franciſcus Combefiſius vir alioquin non infimæ eruditionis, qui contra prædictorum omnium ſententiam opus illud Amphilochio totis viribus defendere conatur, licet quædam in eo adjecta, & corrupta fuiſſe non diffiteatur; Combefiſio adhæſit Pagius in Critica Baronii ad an. 362. num. 5., & 6. Sed Doctiſſimus vir non omnia in contrarium allata diluit argumenta. Eapropter recentiorum nemo eidem Pagio ſubſcripſit. Porro de hac Baſilii Vita Amphilochio adſcripta videndus Godefridus Hermant in ejuſdem Sancti Doctoris Vitâ, ubi de eadem controverſia eruditiſſime diſſerit.

Baſilii Magni vita, quæ S. Amphilochio aſſcribitur, omnium fere Eruditorum calculo ipſius non eſt.

Cl. Franc. Baertius notatus.

§. II.

Iterum de Baſilii Liturgia, ejuſque Editionibus.

JAcobus Goar vir doctus, ſacrorumque Rituum peritiſſimus in Græcorum Euchologio pag. 185. ex gemino fine, quem ſibi Baſilium in edenda Liturgia præfixiſſe aſſerunt Proclus & Auctor vitæ, geminam quoque ab ipſo diverſis temporibus ſcriptam fuiſſe ſuſpicatur. Unam prolixiorem, quo diutius Deo vacaret, alteram breviorem, ne Populo & ipſis ſacris miniſtris tædium pareret: & hanc putat Goar poſteritati traditam, omniumque conſenſu approbatam. At quicquid ſit de hac conjectura, illud certiſſimum eſt duplicem extare Baſilii Liturgiam, unam e Græco translatam, quæ incipit, *Dominus Deus noſter, qui cœleſtem panem univerſi mundi nutrimentum, Dominum noſtrum & Deum Jeſum Chriſtum Salvatorem & Redemptorem & Beneſactorem nos benedicentem & ſanctificantem miſiſti, ipſe benedic hanc propoſitionem, & eam ſuſcipe in ſupercœleſti tuo Altari:* Alteram ex Syriaco ſermone ab Andrea Maſio (1) Latine redditam, quæ *Anaphora* inſcribitur, & ſic incipit: *Æterne Deus, qui in principio homines creaſti ad immortalitatem:* & hæc a græca in multis diverſa eſt, & multo brevior. His accedit tertia a prædictis etiam differens, quam Victorius Scialach Maronita ex vetuſto Codice lingua Aegyptiaca cum Arabica interpretatione ſcripto in latinum tranſtulit, quæ Bibliothecæ Patrum inſerta eſt, & ab hac oratione exorditur: *Domine qui noſti corda omnium.* (2) Ipſa quoque græca exemplaria diſſimilia eſſe agnoſcit Goar, adeo ut difficile ſit judicare quinam ſit purus & germanus Baſilii textus. Obſervavit hanc diverſitatem prædictus Scialach, ejuſque reddidit hanc rationem; quod ſicut Latini & Græci Antiſtites in ſuis Liturgiis, quas ab Apoſtolis acceperunt, multa vel addiderunt vel immutarunt; idem etiam ab Alexandrinis & Aegyptiis par eſt credere pro temporum opportunitate factitatum. Nemo ſe continuit intra terminos a Majoribus conſtitutos, ſed quiſque addidit quæ ſibi aptiora viſa ſunt ad excitandam in ſe & in aliis pietatem. Porro Miſſa Baſilii certis dumtaxat diebus utuntur Græci, in Dominicis ſcilicet ſanctæ & magnæ Quadrageſimæ, dempta Dominica Palmarum, in ſancta & magna Feria quinta, in magno Sabbato, in Vigilia Nativitatis Chriſti & Epiphaniæ, & in die feſto ipſius Baſilii.

(1)

(2)

Bibl. PP. Pariſ. Tom. VI. p. 78.

Vide ſupra notas ad finem cap. 6.

S. Baſilii Liturgia, ſeu anaphora, ut vocant Syri, ex Græca non interpolata Syriace reddita fortaſſe a Sancto Ephræm Syro cæterarum omnium purior ac ſimplicior videtur.

(1) *Ab Andrea Maſio Latine redditam*) Hanc Liturgiam, ſive Anaphoram, ut vocant Syri, ab Andrea Maſio Bruxellenſi ex pervetuſto Codice Syriaco Latine redditam Critici Sacri Amſtelodamenſes Tom. 1. parte 2. inter tractatus ſuffixos ad calcem inſeruerunt. Sunt, qui putant, Liturgiam hanc, etſi breviorem, ab eodem uno Authore profectam eſſe, qui Græcam prolixiorem, in qua non pauca leguntur, quæ in dicta Syriaca non extant, contraxerit, adeoque hanc eſſe ipſam Græcam contractam, addito etiam, quod hac Syriaca Anaphora, ut a Baſilio tradita, univerſa pene Syria jam olim ſacrificans utatur, teſte eodem Maſio ex Moyſe Mardeno præceptore ſuo. Verum cum certum ſit, Baſilium græce potius, quam Syriace Liturgiam ſuam ſcripſiſſe, probabilius eſt ab alio Authore fortaſſe coævo, puta S. Ephræm Syro Baſilii amiciſſimo, & ab eodem extra ordinem ex particulari inſtinctu divino, ut contendit Pagius in Critica Baronii ad an. 378. nu. 3. in Sacerdotem conſecrato Syriace redditam fuiſſe; quamvis autem S. Ephræm græce elocutionis ignarus Socrati, & Sozomeno dicatur, nihilominus ex familiari Baſilii conſuetudine, aut per interpretem id potuiſſe perficere nihil dubito, ac proinde Syriacam hanc Liturgiam ſic ab eodem, vel ab alio ex græca non interpolata traductam, utpote puriorem, ac ſimpliciorem in primæva inſtitutione apud Syros conſervatam, præ cæteris genuino Baſilii fœtui propius accedere veroſimillimum eſt; S. Ephræmum vero Linguam græcam optime calluiſſe eximie probat clariſs. Joſeph Simonius Aſſemanus dudum, ut diximus, Collega noſter, nunc Vaticanæ Biblioth. Cuſtos in ſua Biblioth. Orient. Tom. 1. in dicto S. Ephræm pag. 55.

Plures ejuſdem Baſilianæ Liturgiæ verſiones apud Orientales.

(2) *Domine, qui noſti corda omnium*) Baſilii Liturgia Coptice, & Arabice extat in dicta Bibl. Orient. Tom. 1. pag. 617. 624., &

Tom. 2. pag. 517., & 585. denique Syriace, cujus initium idem *Æterne Deus &c.* pag. 604. Edita primum fuit a Maſio, deinde a Renaudotio Liturg. Orient. Tom. 2. pag. 548., qui item pag. 562. advertit eamdem Liturgiam S. Gregorio Theologo conjunctim tribui in antiquiſſimo Codice Colbertino, & Tom. 1. pag. 2. alteram ejuſdem Baſilii Liturgiam ex Coptico, & Arabico recudit, quam anno 1604. una cum Liturgiis Gregorii, & Cyrilli ex Arabico Codice Scaligeriano, qui e Coptico translatus erat, Latine converterat Victorius Scialach, & pag. 57. novam ipſe Euſebius Renaudotius Liturgiæ ejuſdem editionem ex Codice Græco-Arabico fecit, quam pridem Græce ex Codice Biblioth. Regiæ Pariſienſis deſcripſerat Bernardus Montfaucon in ſua Palæographia græca lib. 4. cap. 7. pag. 314. Item extat Liturgia altera ex Græco in Syriacum converſa, qua Syri Melchitæ olim utebantur Tom. 1. pag. 615. quæ eadem eſt, ac prior Syriaca, poſteriorque Coptica, & Arabica, ſed uberior; & in ordine precum dumtaxat diverſa. Liturgia demum Syriaca Præſanctificatorum nomen Baſilii præfert ibidem, quæ a Græcis ad Sanctum Gregorium Papam communiter referri ſolet. Baſilianæ porro Anaphoræ meminit Stephanus Edenenſis Patriarcha Antiochenus de Catholicis Anaphorarum Scriptoribus cap. 2. nu. 15., & Cornelius Schultingius Biblioth. Eccleſiaſt. Tom. 3. in Catalogo Liturgiarum pariter num. 15. ex fide Ignatii Jacobitarum Patriarchæ illius Catalogi Authoris, qui tamen falſus eſt, quum ait, eam a S. Baſilio anno Chriſti 390. compoſitam, nam vita S. Doctoris nequaquam ad eum annum producta eſt. Liturgiam vero, quæ Gregorii nomine inſcribitur, non Gregorio Papæ, ut a Græcis refertur, ſed Gregorio Theologo, vel alteri Alexandrino Epiſcopo recte tribui exiſtimat præfatus Scialach, cumque ipſo Renaudotius Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 562. ſupraeit. Cæterum tres iſtas Liturgias ab eodem editas non eſſe eorum, quorum nomen præferunt, ex eo liquet, quod ipſorum, aliorumque, qui poſt ipſos vixere, mentionem faciunt, quod illis ſaltem poſtea ſuperadditum fuiſſe fatendum eſt. Porro de hac ipſa Baſilii Liturgia vide laudatum Aſſemanum loco citato Bibl. Orient. Tom. 3. pag. 21. De iſta etiam notandum, quod quæ Græca eſt, a Syriaca, quam Andreas Maſius edidit, & maxime Coptica toto Cœlo differat, uti habet Renaudotius præfatus in ſua Collectione Liturgiarum Orient. Tom. 1. pag. 171. Id quod & de Jacobi, Marci, & Chryſoſtomi Copticis, Syriaciſque obſervandum.

§. III.

De Liturgia Chryſoſtomi.

REliquo anni tempore Liturgia Chryſoſtomi utuntur, qui novæ formulæ componendæ manum admovit eadem qua Baſilius ratione impulſus, ut B. Proclus ejus diſcipulus, & in throno Conſtantinopolitano ſucceſſor affirmat, ſic in eodem opuſculo ſcribens. *Haud vero multo poſt* Baſilium *Pater ille noſter aurea præditus lingua Joannes de ovium ſalute, ut paſtorem decet, ſtrenua cura ſolicitus, naturæ humanæ ſocordiam ignaviamque reſpiciens, fibras omnes ac radices ſathanici prætextus hujus prorſus voluit evellere. Et idcirco multa præcidit, & conciſiori preſſiorique oratione Sacrum conficiendum ſtatuit, ne ſenſim homines, qui libertatem quandam & inertiam, quam maxime complectuntur, fallacibus adverſarii rationibus decepti ab ejuſmodi Apoſtolica hac & divina abſterriti traditione eam omitterent, quemadmodum hoc ipſum multis, variis ſæpe in locis, accidiſſe ad hunc uſque diem deprehendimus*: (1) Hanc Chryſoſtomi Liturgiam (1) edidit in ſuo Euchologio Jac. Goar, & cum pluribus tam impreſſis quam MSS. exemplaribus contulit, diſcuſſit, & notis illuſtravit adeo copioſe & erudite, ut nihil ejus diligentiæ addi poſſit. Excerpſit quædam Chryſoſtomus ex Baſiliana, & in ſuam tranſtulit: plura deinde ab aliis addita, & pro cujuſque nutu inſerta ſunt, unde maxima exemplarium varietas emanavit. (2) (2)

Quemadmodum Baſilius Jacobi Liturgiam in Chryſoſtomi Baſilii Miſſam contraxit.

(1) *Ad hunc uſque diem accidiſſe deprehendimus*) Idem ex poſt ſenſere Græcorum recentiores, Marcus Epheſius lib. de Expoſit. Miſſæ: *Nos ſequentes*, ait, *& ii, qui poſtea Miſſam ipſam conciſiorem ediderunt, tum magnus ille Baſilius, tum poſt Joannes Chryſoſtomus*: Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in cap. 13. Cenſuræ Orientalis Eccleſiæ, ſeu Reſponſ. ad Germanos Cacodoxos ſub an. 1576. *Hoc unum certe ſcimus*, inquit, *quod a majoribus noſtris duo Lomi nobis relicti leguntur, ex quibus ſacram celebramus Liturgiam, ipſius, inquam, magni Baſilii, atque S. P. N. Joannis Chryſoſtomi, uno Spiritu Sancto uterque conſcriptus, unuſque, & ejuſdem traditionis, præter id, quod S. Baſilii ſuperat, & plenior eſt verbis, Divus autem Chryſoſtomus compendioſius, & conciſius loquitur*: nam cum in dies magis ſocordia

cordia excrescerent, (ut notat Vincentius Ricardus in S. Procli Analecta pag. 589.) S. Chrysostomus iterum recisit Liturgiam, & illam ipsam S. Basilii breviorem effecit. Bessarion Card. lib. de Eucharist. *Hinc est, quod Basilius Jacobi, Chrysostomus vero Basilii Missas breviores fecerunt.*

Chrysostomi Liturgiæ plura ab aliis addita, unde maxima exemplarium varietas.

(2) *Unde maxima exemplarium varietas emanavit.*) Pro complemento ad dicta ab Emin. Authore de Chrysostomi Liturgia animadvertendum superest, quod eadem ferme est hujus Liturgiæ ratio, quæ & Basilii; hinc quemadmodum certum est, ut probavimus, Basilium Liturgiam condidisse, ita & Chrysostomum, etsi utriusque has Liturgias interpolatas ultro fateamur. Chrysostomum autem post Basilium novum Missæ ordinem disposuisse, nedum ejus discipuli Proclus, Nilus Abbas, & Palladius ejus vitæ Scriptor testantur, sed ex ipsis ejusdem scriptis perspicue colligitur, uti id negotii probandum assumpsit, & lucuienter evincit Joannes Grancolas Doctor Sorboniens de antiquis Liturgiis Tom. 1. pag. 134. & seqq. Legenda præsertim ipsius celeberrimi Orientalis Ecclesiæ Præsulis Homil. 18. in Epist. 2. ad Corinth. ubi universæ Sacræ Liturgiæ œconomiam confectatur. Non est itaque dubitandum, quod Chrysostomus Liturgiam quamdam confecerit, quidquid oblatrent Critici heterodoxi, sed an aliqua earum, quæ ejus nomine inscribuntur, vere ipsius sit, disputant Eruditi.

Hæc de re præ omnibus placet Jacobi Goarii sententia, de qua jam supra nonnihil diximus, cap. 6. §. 2. nota 5. atque hic nonnulla ex eodem subdere abs re non erit. „ Spectandarum, inquit, præ reliquis, & præcipuarum hujus Liturgiæ partium Orientalium traditio communis, Occidentalium fides devota, & utriusque Ecclesiæ Scriptorum testimonia quam plura Joannem Chrysostomum Constantinopolitanum Episcopum hujus Liturgiæ cognoscunt Authorem. At cum in Liturgico contextu preces, & cæremonias maxime possimus attendere, harum, & illarum simul omnium, prout jacent, & ex integro Sanctum illum a dignitate Hierarcham, & ab hoc opere sacro vere Hierurgum nullatenus profiteri volumus; ut enim ritus, & preces quasdam a nobis suo loco notandas ab alterius Hierurgi, sacræ nimirum Liturgiæ conditoris ter magni Basilii opere in suum transferre, non est veritus, ita Græcorum posteri nova quædam dicenda, faciendave a Diacono, vel Sacerdote hic, & illic pro suo nutu respergere, & præcipere frequentius, quam par esset, pro ambita minus ab ipsis antiquitatis ubique gloria, sunt ausi. Inde tanta non editorum solum, sed & MSS. antiquorum varietas. Hæc Goarius. Quare nullus dubito, quin hujus Liturgiæ maximam partem, præcipue quoad preces Chrysostomus ediderit, reliqua vero, precum scilicet nonnulla, & cæremoniarum bene multa a posterioribus adjecta, & addita fuisse, inter quæ Nicolai Papæ, & Alexii Imperatoris mentio, aliaque a recentioribus Græcis suffixa sunt.

Quæ tamen non desunt quin eadem Liturgia Sancto Doctori juxta tribui debeatur.

Plura adversus hanc Liturgiam opponunt Sectarii, ut eamdem Authori suo Chrysostomo detrahant, sed irrito conatu; quæ enim objiciunt, facile dilui possunt a quoquam, qui id otii haberet; ne autem omnia præterire videar, eorum validius argumentum ex pessimo ipsorum hyperaspite Oudino jam supra nobis condigne vexato, hoc uno contentus proferam, illudque stramineum cum cæteris ostendam. Ait ille in sua Scriptorum Ecclesiast. Historia, ubi de Chrysostomo, ipsius sacri Doctoris non esse hanc Liturgiam, in ea enim, inquit, Virgo Maria prædicatur *penitus incontaminata, honorior Cherubim, & gloriosior incomparabiliter Seraphim*: quod a Chrysostomi doctrina alienissimum esse soliis suis cavillationibus, & sophismatis probare nititur, quasi Chrysostomus indignum aliquid de Beatissima semper Virgine senserit in scriptis suis, uti falso jactat malignus iste Apostata, & SS. PP. calumniator, quod quam longe distet a vero nullo negotio evincunt: & quidem jam ab omni hujusmodi injuria maximum Orientis Doctorem vindicarunt Notratres Theologi S. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 4. ad 3. ejusque expositores Cajetanus Card, aliique, inter quos Seraphinus Capponus a Porrecta, qui præ cæteris S. Joannem Chrysostomum juxta ejus genuinum sensum est interpretatus. Legendus etiam Sixtus Senensis Bibl. Sanctæ lib. 6. annot. 58., ubi in ejusmodi antilogiis in Chrysostomo conciliandis difficultates omnes luculenter explanat. Hoc ipsum, videlicet quam sancte, pie, ac devotissime, senserit de Beatis. Virgine Chrysostomus satis superque, & ad evidentiam ostendit Hippolytus Marraccius tum in sua Polyanthæa Mariana, ubi innumera ejusdem Chrysostomi Elogia de B. Virgine profert, tum in vindiciis Chrysostomianis, seu de S. Jo. Chrysostomo in Controversia Conceptionis ejusdem B. V. Mariæ ab Adversariorum imputationibus vindicato edit. Romæ 1664. Item in Mariali proprio S. Jo. Chrysostomi cum notis, quod opus prælo paratum asserit in dicta Polyanthæa Mariana Append. pag. 52.

Hæc propterea contra Oudinum aliosque Sectarios vindicatur.

Porro, quod Maria Virgo fuerit penitus incontaminata apertissime asserit Chrysostomus Orat. in Beatam Virginem, ut videre est, apud dictum Marraccium Polyanth. lib. 18. pag. 315. his verbis: *Virgo innocens sine macula, omni culpa vacans, intemerata, impolluta, sancta Anima, & Corpore, sicut lilium inter spinas germinans &c.* Quod autem fuerit honoratior Cherubim, & gloriosior incomparabiliter Seraphim, idem Orat. in Hypapante Dom. *Virgo*, inquit, *cœlestibus potentiis præstantior, illæ enim cum timore, & tremore assistunt velantes faciem suam, humanum hæc genus illi effert, quem genuit*: Item Orat. in Nativ. B. V. *Virgo multioculis, & sex aligeris spiritibus splendidior, quæ vitæ ascriptionem nobis attulit &c.* Iterum homil. in Hypap. Dom. (nihil expressius dici potest) *Magnum revera Mundi miraculum hæc Virgo est, & quid enim in rerum universitate queat majus, vel sublimius inveniri? Sola hæc Cœlum, & terram amplitudine superavit, quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non aliud denique quidpiam inter creatas res visibiles, aut invi-*

Quam Sanctæque ac devote de Beatissima Virgine senserit Chrysostomus.

invisibiles una hac majus, aut excellentius inveniri potest. Hæc clarissima sunt, neque verborum circumlocutione fucata; quare si hæc alibi dixit Chrysostomus, eccur eadem dicere non poterat in Liturgia?

Aliud Rivoti Calviniſtæ argumentum exſecutitur.

Sed & ridiculum plane est, neque etiam cassa nuce dignum Andreæ Riveti Calviniſtæ argumentum, quo dictam Chrysostomi Liturgiam ab ipso evelliere contendit, quia, inquit, Liturgia S. Basilii in Ecclesia Constantinopolitana usurpabatur, ut constat ex Caroli Calvi Imp. Epistola quadam ad Clerum Ravennatem, ex quibus concludit Constantinopolitanam Ecclesiam nulla Chrysostomi Liturgia usam esse, cum aliam ibi jam solemnem fuisse constet; quasi vero & Basilii, & Chrysostomi Liturgiæ in usu esse non potuerint, ut etiamnum sunt, statutis cuique diebus in Græcorum Ecclesiis, quemadmodum supra Emin. Author ostendit ex eorumdem Græcorum Euchologio. Vide & Guillelmum Cave Dissert. 2. de Libris, & Officiis Eccl. Græcorum verbo *Liturgicon*, ubi hæc eadem vel ipse refert, cui & addo alium consimilis sectæ magistrum pariter apud suos celebrem Joannem Albertum Fabricium, in nota ad Leonem Allatium Dissert. de lib. Eccl. Græcorum pag. 13. & Bibl. Græc. vol. 9. pag. 19. ac cum eodem Christoph. Matthæum Pfaffium Tubingensem in sua Dissert. de Liturgiis pag. 8. qui unanimi consensu concludunt his verbis; „ nec adeo negandum videtur Liturgias hasce „ a SS. Basilio, & Chrysostomo compositas „ esse, etsi variis modis interpolatæ ad nos „ pervenerint „. Hinc etiam patet, quam fictilia sint Missolitorum deducta in contrarium momenta.

Sed urgent dicentes, quod nonnulli etiam Catholici has Liturgias, de quibus hucusque disseruimus, velut supposititias, spurias, & apocryphas rejecerint, cum non possit ostendi ab iis illas exaratas fuisse, quorum nomina præferunt; at quod in hac materia Catholici Scriptores aliqui decepti fuerint, nihil eorum hallucinatione Catholicæ veritati detractum est, sicut enim veritas a cujusvis privati hominis approbatione non pendet, ita nec quorumdam negantium cæpistationem infirmatur. Deinde ubi semel constat ritum antiquissimum in Sacris Ecclesiæ Liturgiis exhiberi, quod ab omnibus Catholicis admittitur nemine discrepante, a quibus illæ scriptæ fuerint, nec ne, haud valde curandum existimamus; quare etsi Liturgiarum Authores aliquibus incerti videantur, aut sint, non nutat tamen illarum authoritas, quam iis non nomen Scriptoris, aut alicujus privata sententia, sed publica, & constans Ecclesiæ conciliavit consensio.

Nonnæ his obſtantibus non nulli ex Catholicis eaſdem Liturgias pſeudepigraphas cenſeant.

Item ſcitu Baſilius, ita Chryſoſtomus plerisque in locis Sacræ Liturgiæ ordinem ſuo tempore uſurpatum deſcribit.

Et sane ad Liturgiam S. Joannis Chrysostomi nomine vulgatam, quod attinet, cur de ipsa, an vere ejus sit, lites moveam, scite, inquit Ricardus Simon in notis ad Apologiam Gabrielis Severi pag. 210. cum eamdem jam ante illius ætatem in Ecclesia Græca inoleviſſe ex ipsius in Apostolum Commentariis certior factus fuerim? In his enim celeberrimus ille Orientalis Ecclesiæ Antistes singulas ejus Missæ partes sæpius attingit. Ita Homil. 18. in Epist. 2. ad Corinth. universam Sacræ Liturgiæ œconomiam, uti diximus, consectatur describens inter cætera, quomodo pro energumenis, & pœnitentibus communes orationes fiant, item pro iis, qui sacræ mensæ participes esse nequeunt, & a sacris septis arcentur communis pariter precatio fiat: *In his*, inquit, *omnes humi jacemus, & similiter omnes consurgimus. Præterea, quando pax accipienda, & danda est, omnes æque osculamur nos invicem. Iterum in tremendis mysteriis Sacerdos pro populo precatur, & populus pro Sacerdote; hæc enim verba, cum Spiritu tuo, nihil aliud significant. Rursus gratiarum actionis verba communia sunt, non enim ille solus gratias agit, sed & universus populus; cum enim prius eo vocem sumsit, & ille consensit, id dignum, & justum esse, tunc gratiarum actionem inchoat. Quid admiraris: si cum Sacerdote interdum loquatur populus, cum etiam cum ipsismet Cherubim, & supernis virtutibus sacros illos hymnos in Cælum mittat?* Hæc Chrysostomus, qui & similia habet Hom. 17. in Epist. ad Hæbreos, & alibi plerisque in locis. Quæ omnia in ejus Liturgia reperiuntur, sive ab ipsomet, sive ab aliis ex eodem inserta sint, quod & de Basilii Liturgia dicendum, utriusque enim communis est causa. Atque his satis vindicatæ SS. Basilii, & Chrysostomi Liturgiæ.

Porro quemadmodum Basilii, ita & extat Syriaca S. Joannis Chrysostomi Liturgia, cujus initium *Domine Deus omnipotens*, de qua laudatus Joseph Assemanus Tom. 1. Biblioth. Orient. pag. 562. Stephanus Edenensis, ut supra cap. 2. num. 18. & Corn. Schultingius in Catalogo Liturgiarum num. 14. Prodiit Latine per Renaudotium Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 242. Altera item Syriaca Liturgia nomen Chrysostomi præfert tam in Missali impresso an. 1594. pag. 69. quam in Codice MS. Ecchellensi 5. pag. 39. apud dictum Assemanum loco cit. pag. 574., cujus initium *Deus magne, & æterne*: prodiitque latine per eumdem Renaudotium Tomo item indicato pag. 256. Verum eam Chrysostomi non esse, sed Joannis Episcopi Harân, Nisibis, & Chaboræ diserte ostendit idem Assemanus Tom. 2. dictæ suæ Bibl. Orient. pag. 230. quod & ante ipsum Renaudotius advertit loco supracitato pag. 254., & 260. Tertia denique Chrysostomi Liturgia Syriaca e græco exemplari ad verbum expressa, qua Syri Melchitæ utuntur, extat apud eumdem Assemanum Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 615., ubi etiam pag. 596., & Tom. 2. pag. 517. habetur eadem græca, ex qua dicta Syriaca translata est.

Plures item Chryſoſtomi Liturgiæ Veſſiones apud Orientales.

Præterea de his Orientalium Liturgiis plura differit Ricardus Simon in notis ad Gabrielis Severi Philadelph. Opusc. pag. 203. & seqq. Prodierunt denique Liturgiæ SS. PP. Jacobi Apostoli, Basilii Magni, & Joannis Chrysostomi in Frontonis Ducæi Auctario Biblioth. PP. Græcolat. Tom. 2. col. 1624, & seqq. Basilii Liturgia, præterquam quod in omnibus ejus operum editionibus reperitur, habetur separatim Græce Venetiis 1601. Chrysostomi per Demetrium Ducam Græcolat. Venetiis 1528., & 1644. Has item Liturgias Græcas qui explanarunt, Græci Authores, sunt vel maxime S. Cyrillus Hierosolymitanus,

Recenſentur qui de Orientalium Liturgiis ſcripſerunt.

nus, Proclus Conſtantinopolitanus, Saba Monachus, Maximus, Samonas, Germanus Junior, Nicolaus Cabaſilas, Symeon Theſſalonicenſis, Marcus Eugenius, Gabriel Philadelphienſis, & alii. Ex Latinis Leo Allatius, Petrus Arcudius, Habertus, Jac. Goar, Cardinalis noſter, Arnaldus, Ricardus Simon præf. Euſebius Renaudotius, & Joſeph Aſſemanus. At enim & Liturgiam Græcam ex Chronico Paſchali, ſeu Alexandrino, quod emendatum, & illuſtratum Carolus Cangius nuper edidit, obſervandam exhibet Joannes Mabillonius in Lib. de Studiis Monaſticis Tom. 2. cap. 20. pag. 451., in qua vera, realiſque præſentia, & adoratio ſacroſanctæ Euchariſtiæ ab Angelis, & hominibus præſtita, expreſſe notantur. Conditam hanc Græcam Liturgiam ſub an. decimum quartum, aut quintum Heraclii Imperatoris, ſeculo ſcilicet ineunte ſeptimo affirmat ibi Mabillonius. Non id itaque Papiſtarum adinventum, uti nequiter Calviniſtæ vomunt, ſed antiquiſſima Eccleſiæ univerſalis traditio eſt.

§. IV.

Quæ gentes lingua Illyrica Miſſas agant.

ALiæ nationes ſunt, quæ quamvis alterius linguæ ſint, Græcorum tamen ritibus adhærent; Roxolani in primis, ſeu Moſcovitæ, qui cum Epiſcopi Græci & Schiſmatici prædicatione a cultu Idolorum ad Chriſti fidem converſi fuerint, (1) ab eodem Græcorum ritus acceperunt & adhuc retinent, ſermone Illyrico. (2) Hos panem hordeaceum in Miſſa offerre & conſecrare ſcribit, neſcio qua fide, Joannes Faber Viennenſis Epiſcopus *Tract. de eorum Religione*. Iidem ritus eadem lingua in uſu ſunt apud Chriſtianos Tartaros circa Tauricam Cherſoneſum, apud Circaſſos, & quaſdam Ponticas nationes: itemque in Servia, Myſia, Boſnia, Bulgaria, Ruſſia minori Regi Poloniæ ſubjecta, in Volhinia, Podolia, & parte quadam Lituaniæ, & in aliis finitimis regionibus. In Iſtria vero, in Liburnia, & in Dalmatia littorali, Miſſa & alia officia lingua quoque Sclavonica celebrantur, ſed ritus Romanus eſt. Cœpit autem hæc lingua in Sacris Eccleſiæ functionibus audiri ſeculo nono, quo Moſcovitas Chriſtianæ religioni nomen dediſſe ſub imperio Baſilii Macedonis oſtendit Baronius in Appendice Tom. VII. *de Ruthenis a Sede Apoſtolica receptis*; licet alii id ſerius contigiſſe putent prope finem ſeculi decimi, imperantibus Baſilio juniore, & Conſtantino. (3) Eodem ſeculo nono S. Methodius Moraviæ Apoſtolus vixit, qui literis Sclavonicis a Conſtantino quodam Philoſopho repertis eam gentem inſtruxit, Deique laudes decantare docuit: tum Joannes VIII. Romanus Pontifex *Epiſt.* 247. *ad Sfentopulchrum Moraviæ Comitem ſcripta anno* 880. Miſſas in ea provincia lingua Sclavonica cantari permiſit, dummodo Evangelium prius Latine, deinde Sclavonice legeretur. (4) Narrat Thomas Archidiaconus Spalatenſis in hiſtoria Epiſcoporum Salonitanorum edita a Joanne Lucio cap. 16. tempore Alexandri II. a Legato Apoſtolicæ Sedis coactam Synodum omnium Prælatorum Dalmatiæ & Croatiæ, in qua ſtatutum eſt, ne quis de cætero in lingua Sclavonica præſumeret divina Myſteria celebrare, niſi tantum in Latina & Græca. (5) Idem ſtatuit Gregorius VII. Alexandri Succeſſor *lib.* 7. *Epiſt.* 11. ad Uratislaum Bohemiæ Ducem ſic ſcribens: *Quia Nobilitas Tua poſtulavit, quod ſecundum Sclavonicam linguam apud vos Divinum celebrari annueremus officium, ſcias nos huic petitioni tuæ nequaquam poſſe favere.* Et paulo poſt. *Unde ne id fiat, auctoritate B. Petri inhibemus, Teque ad honorem omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis reſiſtere præcipimus.* In provinciis tamen ſupra nominatis dudum recepta conſuetudo prævaluit. (6)

(1) *Epiſ-*

Moſcovitas non ab Hæreticis primum ſed a Græcis Catholicis fidem ſuſcepiſſe, licet ab ea poſtmodum defecerint, probabilius.

(1) *Epiſcopi Græci, & Schiſmatici prædicatione &c.*) Id hauſit fortaſſe Emin. Author ex Antonio Poſſevino, qui in ſuo de rebus Moſcoviticis ad Religionem ſpectantibus Commentario cum pluribus aliis exiſtimavit Ruſſos a Græcis Schiſmaticis ; & quidem hæreticis, Chriſtianam fidem accepiſſe ; at Daniel Papebrochius ejuſdem Soc. Jeſu in Præf. ad Ephemerides Græco-Moſchas, quas præfixit Tom. 1. Sanctorum menſis Maii num. 11. oſtendit Ruthenos, ſeu Moſcos a Græcis tunc vere Catholicis fidem Chriſti ſuſcepiſſe, etſi poſtea ab eadem defecerint, & Græcis Schiſmaticis adhæſerint. Papebrochio ſubſcribit Pagius in Critica Baronii ad ann. 987. num. 9., ubi etiam in id plura refert.

Moſcovitas totum ſacrum gentili, ac vernacula eorum lingua peragere ſcribit Sigiſmundus.

(2) *Adhuc retinent ſermone Illyrico*) Moſcovitas totum Sacrum, ſeu Miſſam gentili, & vernacula eorum lingua peragere ſcribit Sigiſmundus Liber in ſuo Commentario Rerum Moſcovitarum apud Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. pag. 276. Horum Ritus particulares recenſet Baro Sigiſmundus ab Herbenſtein Ferdinandi Archiducis Auſtriæ apud Moſcoviæ Cæſarem Legatus in ſua itineraria Relatione pag. 29. ubi inter cætera refert Moſcovitas ſub utraque ſpecie communicare panem, & vinum, ſive Corpus Chriſti cum Sanguine miſcentes ; pueris poſt ſeptem annos Euchariſtiam præbere, aliaque id genus. Oderbonus etiam Lutheranus Epiſtola ad Chytræum fuſius eorumdem cæremonias, ac ritus deſcribit. Cæterum Moſcovitæ Religionem quidem Chriſtianam profitentur ; ſed adhuc Schiſmatici Græco Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditi, & a Catholica Romana Eccleſia extorres ſunt ; immo Ruſſiam, quam incolunt Moſcovitæ, poſtremis hiſce temporibus Lutherani, Zuvingliani, aliique hujus peſſimæ profeſſionis homines ſuis erroribus infecerunt. Porro de Moſcovitis, ſive Ruthenis docte, & fuſe diſſerit Petrus le Brun Explicat. Miſſæ Tom. 2. pag. 419. &c.

(3) *Imperantibus Baſilio juniore, & Conſtantino*) Ita etiam Pagius ſupralaudatus in Crit. Bar. ad an. 987. num. 3. & ſeqq. qui ex Collatione Elmacini Hiſt. Saracenicæ cum Cedreno, & prædicto Sigiſmundo ab Herbenſtein hoc tempore Ruſſos, ſeu Moſcovitas a Græcis fidem accepiſſe probat.

(4) *Deinde Sclavonice legeretur*) Vide ſupra in notis ad cap. 5. circa finem, & Melchiorem Inchofferum Annal. Eccl. Regni Hungar. pag. 101., & 323.

(5) *Niſi tantum in Latina, & Græca*) Atque ut exactius id obſervaretur, aliud decretum ibi ſubdit, videlicet, *nec aliquis ejuſdem linguæ* (ſcilicet Sclavonicæ) *promoveretur ad Sacros Ordines*: quod Synodale ſtatutum Apoſtolica authoritate confirmatum fuiſſe ſcribit, atque eumdem Alexandrum Papam II. idem Decretum proprio oraculo approbaſſe, neque alias permiſſurum, ut in iis Provinciis propria lingua Sclavonica Divina peragerentur Myſteria.

(6) *Recepta conſuetudo prævaluit*) Quare doctiſſimus Card. Stanislaus Hoſius lib. de Sacro vernacule legendo (cui aſſentitur Melchior Inchoffer Annal. Eccl. Hungar. Tom. 1. pag. 102.) teſtari videtur latinæ linguæ uſum in ſacris apud alias Nationes retentum ad ſuam uſque ætatem. Vixit is Cleriſs. Purpuratus tempore Concilii Tridentini, cui ipſe interfuit. Poſtea Urbanus VIII. Miſſale Illyricum emendatum juxta Miſſalis Romani ſuo juſſu paulo ante recogniti emendationes, & reformationes charactere S. Hieronymi vulgo nuncupato, ac lingua Sclavonica typis edi mandavit, cujus veſtigiis inhærens Innocentius X. ſucceſſor Breviarium etiam Sclavonicum eodem charactere, & ad formam Breviarii Latini in prædictam linguam impreſſum approbavit anno 1648., ac typis Sac. Cong. de Propaganda fide an. 1688. denuo editum eſt. Eodem vero anno habita fuit Synodus Dixceſana Spalatenſis ab Ill. R. D. P. D. Stephano Coſmo Archiepiſcopo, alias Salonitano, Primate Dalmatiæ, ac totius Croatiæ, cujus Conſtitutiones Synodales impreſſæ poſtmodum fuere Patavii an. 1690. Peculiare ibi extat Caput XXIV. *de Clero Illyrico*, atque hæc de eodem inter cætera leguntur : *Cum inter triginta ſex Parochias foraneas hujuſce Diœceſis ollo tantum ſint Latinorum, cæteræ Illyricorum, aliqua ex diſtis repetemus, plura adjungemus. Sortia Ponzonius bo. me. Prædeceſſor noſter an. 1620. Conſtitutionibus eidem Clero præſcripſit libello contentas, quas confirmamus, renovamus, &c.*

De ritu Illyrico, ſeu Sclavonico hoſierno nonnulla excerpta.

Deinde poſt multa ſalubriter ſtatuta circa eorum habitum, ac mores ſequentia adjiciuntur num. 12. videlicet : *Quoniam peculiari, & ſpecioſiſſimo Sanctæ Matris Eccleſiæ privilegio in idiomate Illyrico Sacra habetur Liturgia, maxima habenda eſt ratio ejuſdem idiomatis probe addiſcendi, & docendi. Clerici noverint arbuquidarium* (ſic vocant Dictionarium, ſeu Vocabularium Illyricum) *atque a peritis Sacerdotibus erudiantur, qui in eam præcipue curam incumbent, ut Illyricum litterale, quo Miſſale, & Breviarium conſcripta ſunt, perfecte calleant, aliquin ſciant, ſe ad Ordines non promovendos, cum apud Illyricos eadem ſit ratio Illyrici idiomatis litteralis, quæ apud noſtros Latini. Nihil addiant, aut detrahant in Miſſa, & quando Epiſtolam, & Evangelium interpretabuntur, id non ex propria ſenſu, & arbitratu, ſed ex Miſſali, quod vocant, Schiavetto, efficiant. Sex Sacerdotes peritiores in Provincia Politii deputentur, qui alios Sacerdotes in perfecta Miſſalis, & Breviarii, & in ſacrarum functionum adminiſtratione obſervent, examinent, & corrigant.* Hæc & alia in dicta Synodo Spalatenſi pro Clero Illyrico conſtituta leguntur, ex quibus dignoſcitur Clerum illum in divinis celebrandis officiis, ac Miſſa, non in alio diſcrepare a Romano Ritu, quam in Lingua Illyrica, ſeu Sclavonica litterali, non omnibus tamen nota, & a vulgari diſtincta, ac diverſa, qua ſacra omnia peragunt.

§. V.

§. V.

De Colchis, Iberis, Albanis, Melchitis, Neſtorianis, Jacobitis, Coptis, & Æthiopibus.

UTuntur item Græcis ritibus Colchi, & Iberi, inter mare Caſpium & Pontum Euxinum ſiti, nunc Mengrellenſes & Georgiani dicti ſuo quiſque idiomate. Horum mores & hæreſes fuſe deſcribit Clemens Galanus, qui eas regiones perluſtravit, *Parte* 1. *Conciliationis Eccleſiæ Armeniæ cum Romana cap.* 12. (1) In eodem Iſthmo inter Iberiam & mare Caſpium ſita eſt Albania, quæ Armeniorum ſequitur ritus. Alia eſt Albania in Europa, quæ ad mare Jonicum vergit, & Illyrico ſive Dalmatiæ jungitur, atque etiam Epirum complectitur, habetque proprium idioma ab Illyrico & Græco diverſum, quo gentes illæ ſacra peragunt ritu græco. Inter Orientales multitudo numeroſa Chriſtianorum eſt, qui a quibuſdam *Græci-Arabes*, ab aliis communiter *Melchitæ* vocantur. (2) Horum vulgaris ſermo Arabicus eſt, ſed in ſacris græco utuntur, græce enim opinionis & ritus ſunt; atque ideo *Melchitæ* ſive Regii & Imperiales nuncupati fuerunt, quia edictis Imperatorum obedientes Chalcedonenſe Concilium receperunt, & in hoc differunt a Neſtorianis & Jacobitis. Ipſi vero Neſtoriani & Jacobitæ (3) per Syriam, Aſſyriam, Perſidem, & Indiam, (4) aliaſque finitimas Aſiæ regiones ingenti numero diſſeminati, proprias habent Liturgias ſermone Chaldaico, (5) non multum a Græcis diſcrepantes, in quibus Neſtoriani Neſtorium & Theodorum Mopſveſtenum; Jacobitæ autem Dioſcorum & Eutychen tanquam Sanctos invocant & venerantur. Noti ſunt eorum errores, nec opus eſt in his recenſendis immorari. Alii ſunt Jacobitæ Aegyptii, (6) quos Cophtos, ſeu Coptos incerta derivatione vocamus, forſitan a Copto non incelebri ſuperioris Aegypti civitate, cujus Strabo, Plinius, & Ptolemæus mentionem faciunt. Iſtis peculiaris eſt Liturgia lingua Cophtica, quam Athanaſius Kircherius in Prodromo Copto veterem Aegyptiacam eſſe docet, contradicente Joanne Gravio, qui in deſcriptione Pyramidum Aegyptiarum Græcam corruptam eſſe contendit.

(1) *Parte I. Conciliat. Eccl. Arm. cum Rom. cap.* 12.) Item Angelus Maria Verricellus ejuſdem inſtituti Cler. Reg., qui & illas regiones peragravit Tract. de Apoſtolicis Miſſionibus Tit. 6. Quæſt. 3., & ſeqq., ac Bartholomæus Ferrus in Hiſtoria earumdem Miſſionum, atque ante ipſos Thomas a Jeſu Maria Carm. Excalc. de Converſione omnium Gentium procuranda lib. 7. cap. 21.

(2) *Ab aliis communiter Melchitæ vocantur*) Melchitarum nomine (ut ait Gabriel Sionita de nonnullis Orientalium Gentium Urbibus cap. 14.) dicti ſunt Græci, qui per totum Orientem ſparſi Spiritum Sanctum a ſolo Patre procedere, Purgatorium nullum exiſtere peſſime credunt. Verum hoc *Melchitæ* agnomen Orthodoxis poſt Chalcedonenſe Concilium per contemptum ab adverſariis adſperſum ab Hebræa, ſeu Syriaca voce *Melech*, quæ regem notat, ratione ab Emin. Authore allata derivatum, quemadmodum nos, qui Eccleſiæ univerſalis viſibile Caput Romanum Pontificem ſequimur, a recentioribus Sectariis, Papiſtæ, ſeu Pontificii vocamur, conſtat ex Nicephoro Calixto Hiſt. Eccl. lib. 18. cap. 32. ubi ait: *Qui Imperatoris ſententiam ſecuti, vocati ſunt Melchitæ, ſive Imperiales*: ita hoc nomine dicti, ut a Jacobitis diſtinguerentur, qui memorato Concilio, & Imperatorum Edictis non obtemperabant, ipſumque Imperatorem Marcianum Chalcedonenſem appellabant, quia dicto Concilio adhærebat. De hac voce, ejuſque ſignificatione legendus Pagius in Critica Baronii ad an. 622. num. 9. ubi item ex Elmacino Authore Jacobita Orthodoxos in Oriente Melchitas appellatos probat.

Melchitæ qui, & quare ſic nuncupati.

At vero Jacobitæ a Jacobo quodam Monacho Syro Severi diſcipulo, Dioſcori, ſeu Eutychetis errorum acerrimo propugnatore dicti ſunt, qui Jacobus cognominatus Zanzalus, & Baradæus (de qua appellatione videndi Fauſtus Naironus Evopl. parte prima pag. 41. & Geographiæ Nubienſis Author parte VI. Clim. 5.) pleroſque Syros dementavit. De utrorumque Melchitarum, & Jacobitarum origine diſputant Critices eruditi. Alii ſiquidem Jacobitas referunt ad initium ſexti ſeculi, alii ad exordium ſeptimi, quæ de re videndi Euſebius Renaudotius in Hiſtoria

Jacobitæ qui & unde dicti.

ſtoria Patriarcharum Alexandrinorum, & Bollandiani Continuatores in Append. ad eoſdem Patriarchas Alexandr. de Coptis, & Jacobitis. Nunc autem Melchitas eſſe Syros, Arabes, Ægyptios, ſeu Cophtitas, & quoſcumque alios, qui cum non ſint genere Græci, Græcorum tamen ritus, & placita ſequuntur, affirmat Abraham Ecchellenſis Epiſt. ad Joannem Morinum ad calcem Gabrielis Severi Philadelph. Opuſculorum cum notis Ricardi Simonis pag. 280. num. 3. *Diſſentiunt iſti*, ait ille ibi, *a Jacobitis in myſterio Incarnationis Verbi Divini, cum Melchitæ teneant juxta Concilium Chalcedonenſe, & ſextam Synodum duas in Chriſto naturas, duas voluntates, duaſque operationes; Jacobitæ vero unam dumtaxat naturam, unam voluntatem, unamque operationem, unde Monophyſitæ diti; diſcrepant præterea Jacobitæ a Melchitis, quod Jacobitæ Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere catholice credant, uti ex eorum Catechiſmo, ubi Melchitarum nonnulli contrarium cum Græcis Schiſmaticis ſentiunt*: Hæc ille.

Jacobitæ curtiam Monophyſitæ diti.

Melchitas porro Syros eoſdem eſſe fuiſſe, ac Maronitas uſque ad Juſtiniani Junioris tempora, eademque utriſque dogmata extitiſſe, reſtatur David Maronitarum in Monte Libano Archiepiſcopus Tract. de Orientalium Sectis, & opinionibus cap. 1. de Fide, & ſuſus in Epiſtola ad Arſenium Epiſcopum Haincurenſem de Melchitis, Maronitis, aliiſque illarum Gentium Sectis apud dictum Ecchellenſem loco citato. De iis omnibus, eorum Ritibus, atque erroribus videndi idem Ecchellenſis in notis ad Concilium Nicænum Tom. 2. Concil. Labbei col. 402. & noviſſime clar. Joſeph Simonius Aſſemanus Biblioth. Orient. Tom. 3. pag. 305, qui de iiſdem eruditiſſime diſſerit. Videndus etiam Anonymus de Jacobitarum hæreſi apud Combefiſium Hiſtor. hær. Monothelit. pag. 260., ubi de dictis Melchitis loquitur. Hi autem Jacobitæ, & Melchitæ uſque ad quadraginta habent Liturgias admodum inter ſe diverſas, de quibus ſupra laudatus Fauſtus Naironus in dicta ſua Evoplia fidei Parte I. Jobius Ludolphus Commentar. Æthiopic. lib. 3. cap. 4. Verum has eorum Miſſas non extare aſſerit & ſupractatus Ricardus Simon in notis ad Gabrielis Severi Apolog. pag. 224. denique de Melchitis docte etiam & ſuſe diſſerit Petrus le Brun. Expoſit. Miſſ. Tom. 2. Diſſertat. 6. Art. 6. pag. 448. & ſeqq.

Jacobitis, & Melchitis quadraginta Liturgiæ inter ſe diverſæ.

(3) *Ipſi vero Neſtoriani, & Jacobitæ*) Et quidem Neſtoriani, ut notat Naironus loco citato, tribus utuntur Liturgiis, Liturgia nempe Theodori Mopſveſteni ab Adventu ad Paſcha, Liturgia XII. Apoſtolorum a Paſchate uſque ad Adventum, & quinquies per annum Liturgia Neſtorii, nempe feria quarta Rogationum, die ultima jejunii Ninive, quod in hebdomade prima ex tribus Quadrageſimam præcedentibus per triduum celebratur, feria quinta hebdomadis magnæ, & in feſtis Epiphaniæ, Joannis Baptiſtæ, & Neſtorii, quem ſanctum falſo vocant. De Neſtorianorum Miſſali nonnulla differit Ricardus Simon in notis ad dicti Gabrielis Philadel. Apolog. pag. 222. & pag. 288. Has autem tres eorum Liturgiæ paucis inter ſe diſcrepant, & coincidunt prior, & tertia cum Liturgia XII. Apoſtolorum, quæ habetur in Bibliotheca PP., & de qua infra, exceptis erroribus, & blaſphemiis a quibus illa expurgata fuit, & iſtæ adhuc fœde ſcatent.

Neſtoriani tres habent Liturgias, quæ paucis inter ſe diſcrepant.

Ineipit vero apud memoratum Simonium loco cit. pag. 288. dicta Liturgia Apoſtolorum nomine inſcripta hoc Exordio: *O Domine, ſive etiam, Domine noſter, ac Deus noſter*; repetit: *ne reſpicias multitudinem peccatorum noſtrorum, neque moleſte ferat Majeſtas tua onus nequitiarum noſtrarum, ſed pro gratiis tuam ineffabilem ſuſcipe Sacrificium iſtud e manibus noſtris, largiriſque in eo virtutem, & poteſtatem, ut poſſit peccata noſtra, quæ multa ſunt, delere, & cum tu appareris in extremo tempore cum humanitate, quam ex nobis ſumpſiſti, inveniamus coram te gratiam, & miſereris diam, dignique efficiamur, qui laudemus te cum Cœtu Angelorum*. Miſſa Neſtorii nomine inſcripta, ibidem ſic deſcribitur: Oratio ante Altare. Facit ad terram uſque demiſſiones Sacerdos. *Gloria tibi inventor perditorum*: Oratio, *o Domine noſter, ac Deus noſter ne deſpicias ad multitudinem peccatorum noſtrorum*: Inclinatio. *Gratias agimus Domine noſter, ac Deus noſter propter abundantiam gratiæ tuæ, quam in nos effudiſti*: quæ habentur in Miſſa Apoſtolorum: Canon. *Tibi Deus Pater veritatis, & Filio tuo unigenito Domino noſtro Jeſu Chriſto, & Spiritui tuo vivo, & Sancto, utique Authori gloriam, honorem, gratiarum actionem, & adorationem referimus nunc, & omni tempore, & in ſeculum ſeculorum*: Reſpondent *Amen*. Reliqua abſolvit, ut habentur in Miſſa Apoſtolorum, & dicit Sacerdos: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei Patris, & communicatio Spiritus Sancti ſit nobiſcum omnibus nunc, & omni tempore, & in ſeculum ſeculorum*: reſpondent *Amen*: Conſignat myſteria, & pergit: *Surſum in ſublimibus locis, in loco terribili laudis, ubi Cherubei aſſidue preſtant alis ſuis, & Seraphicorum Sanctitas hymnos, moduloſque jucundos canit, ſint corda veſtra*: reſpondent *Ad te Deus*: ita Neſtorii Miſſa.

De Liturgia XII. Apoſtolorum, & Neſtorii nomine inſcripta.

Neſtorii Liturgiam ſanam eſſe, & Orthodoxam putat Ricardus Simon.

Hanc integram evolventi ſibi, ait laudatus Ricardus Simon in notis præcitatis pag. 222. nihil occurriſſe fidei orthodoxæ contrarium, nihil blaſphemiæ, fed omnia ſana, antiqua, & quæ cum germana, & Apoſtolica perſuaſione aptiſſime conveniant. Immo reſpondens ad ea, quæ dudum de Neſtorio, ejuſque Liturgia ſcripſerat Leontius Byzantinus lib. 3. conſutationis Neſtorii, & Eutychetis apud Henr. Caniſium initio Tom. IV. antiq. lect. & in Biblioth. PP. nov. edit. Lugdun. Tom. 9. pag. 660. ubi hæc habet: *Audet aliud malum non ſecundum ad ſuperiora, aliam enim Miſſam effutivit præter illam, quæ a Patribus tradita eſt, Eccleſiis, neque reveritus illam Apoſtolorum, nec illam Magni Baſilii in eodem ſpiritu conſcriptam, in qua Miſſa blaſphemiis, non preeationibus, myſterium Euchariſtiæ opplevit*: Tantum abeſt, inquit Simon, ut eam, quæ Apoſtolorum nomen præfert, Liturgiam reſpuant Neſtoriani, ut illa eorum Miſſalis frontem occupet; cæteræ ab iſta tamquam principe quaſ-

quaſdam precationes deſumunt, & ad eam, velut ad normam, ritus ſuos dirigunt; Gens nulla eſt, quæ divinitatem Chriſti Domini in æternum adorandam in majus extollat, quam Neſtoriana in precationum ſuarum formulis. Hæc ille.

Qui tamen perſpicue fatetur.

Cæterum, utut ſit de Neſtoriana Liturgia, quam ipſe vidit, ſcimus Neſtorium hæreticum ob propriam malitiam, impios errores, putidiſque blaſphemias a Concilio generali Epheſino I. juſtiſſime condemnatum, deinde iterum in Concilio Romano ſub Cæleſtino, vel ipſo fatente hæretico Guillelmo Cave, qui illum in ſua Hiſt. Litter. Script. Eccl. ubi de Concilio Epheſ. & verbo *Neſtorius*, hæreſiarcham nulli ſecundum appellat, quidquid aliter effutiat Sectarius alter Samuel Baſnagius ad ann. 430. num. 21. qui illum totis viribus ab impacta, ut ait, hæreſi vindicare conatur, æthiops fruſtra æthiopem dealbans; cui adjungendus nuperus alter ex Proteſtantibus Chroniſta Crozius (M. C. La Croze) qui in ſua hiſtoria Chriſtianiſmi Indorum Gallice ſcripta, atque Hagæ Comitum edita an. 1724. in 4. dictum hæreſiarcham in ſuis ſectatoribus Indis Malabaris propugnans, indeque ex receptis Neſtorianorum illorum doctrinis plura adverſus Romanam Catholicam Eccleſiam, ſe collegiſſe arbitratus, hac putida merce ab infecto delatore invecta derivatam ad nos ex ipſis Apoſtolis fidem convellere ſe poſſe putat, irrito tamen conatu, ipſum namque inviſte confodit, ejuſque inſulſas argumentationes ita diſſlat, ut nihil illi reponendum ſuperſit, toties laudatus Joſeph Simon Aſſemanus Tom. 3. parte 2. Bibl. Orient. pag. 391. §. 23. per totum, ad quem propterea Lectorem mittimus, ex quo etiam una cum Crozio dictus Neſtorii fautor Baſnagius egregie confutatur, illiuſque ejuſmodi petulantia retunditur.

Neſtorii enim Liturgiam hæreticam eſſe ipſi Chaldæi teſtantur.

Hinc quoad Neſtorii Liturgiam, an Ricardo Simonio hac in re præſtanda ſit fides, judicent alii: etenim, ut mox dicetur, contrarium fuiſſe apparet; teſtatur namque Joſephus II. Chaldæorum Catholicæ communionis Patriarcha in ſuo libro, quem inſcripſit: *Speculum verſum* adverſus Neſtorianos apud prædictum Simonium Aſſemanum Tom. 3. par. 1. Biblioth. Orient. pag. 607. & ſeqq. impiam fuiſſe Neſtorianorum Liturgiam; ibi enim cap. 4. ſect. 4. tit. 4. exhibet Capita XI. reprehenſionum adverſus eoſdem, ubi inter cætera circa eorum ſacrilegos ritus, & cæremonias num. 4. & ſeqq. hæc leguntur, nempe quod verba Chriſti conſecratoria, *hoc eſt Corpus meum*, & *hic eſt Calix Sanguinis mei* &c. in Liturgia præmittunt, vel ſi eorum aliqui eadem proferunt, ipſa recitative, & hiſtorice tantum, abſque intentione per illa conſecrandi, ſcilicet per modum precationis tantum, non autem conſectionis, pronunciant, ut ex dicto Joſepho Catholico Chaldæorum Patriarcha colligit laudatus Aſſemanus Tom. 3. part. 2. Diſſert. de Syris Neſtorianis pag. CCCIV.

Quoad hunc Neſtorianorum errorem, quem & recitat in ſuo Lexico Polemico noſter Abbas D. Joannes Sianda Tom. 2. pag. 50. ſic de eodem, ejuſque relatore ſcribit nuperus eruditus Hiſpanus Author P. Michael a S. Joſeph Ord. SS. Trinit. Excalceat. in Bibliographia Critica Tom. 1. verbo *Bibliotheca Orient. Clem. Vatic.* pag. 525. *Angularis*, inquit, *eſt error Neſtorianorum, qui toto tempore æſtivo ſine verbis conſecrationis verum Miſſæ Sacrificium conficere ſe credunt. Ita quidem recens & gravis Scriptor P. Auguſtinus Sianda* (ita eum falſo vocat, cum Joannes nuncupetur) *in Lexico Polem. &c. ſed rei longe incredibilis nullum teſtem producit: ex eoque errorem præſatum colligere videtur, quod in moderna Liturgia in parte æſtiva verba conſecrationis prætermittuntur.* Hæc ille, qui ſi ad antecedentia animadvertiſſet illum eumdem pro teſte citatum legiſſet, quem profert Aſſemanus, videlicet Joſephum II. Patriarcham Chaldæorum. Præterea an omnium, quæ multa ſcribens dicit, ſingulorum teſtes producere debebit? & maxime de Hæreticis loquens, quibus illud Jacobi Apoſtoli Epiſt. Cath. cap. 2. 10. dictum eſt: *quicumque offendit in uno, factus eſt omnium reus*: quare non erit res longe incredibilis etiam ſine teſte, quod Neſtoriani tot aliis erroribus hunc etiam adjungant, quo Miſſæ Sacrificium ſine verbis conſecrationis conficere ſe credant. Denique numquid ipſe P. Michael eorum omnium, quæ in dicta ſua Bibliographia refert, teſtes adhibet? At id obiter dictum, & ad deſcribendos Neſtorianorum errores redeo ex Aſſemano. Itaque loco citato num. 5. uvæ paſſæ liquorem pro vino in eorum Euchariſtia uſurpant, num. 6. fermentum, quo panis ad eamdem apud ipſos conficitur, *Malcha* dictum, ex Apoſtolis ad ſe continua ſucceſſione derivatum finguntur. nu. 7. Neſtorianus Patriarcha operto Capite Liturgiam celebrat. n. 8. Placentam nomini Beatæ Virginis in Miſſa offerunt, eamque porrigentes, dicunt corpus eſſe B. Virginis.

Quæ omnia, ſi aliquid Catholicum, & Orthodoxum ſapiant, videat ipſe Ricardus Simon; attamen, ut verum fateat, potuit ille id fortaſſe aſſerere de Miſſali Neſtorianorum, a ſe viſo, & lecto, quem nonnullis mutationibus, detractionibus, & additionibus alteratum fuiſſe ſuſpicatus erat; Neſtorianis enim, ut ipſe ingenue confitetur loco ſuprarit. pag. 223. ex Petro Stroza in Prolegomenis Diſput. de Chaldæorum Dogmat. inſolens non eſt, ut metu Eccleſiæ Romanæ, quæ a Neſtorii nomine penitus abhorret, libros ſuos corrumpant, paginas auferant, lineas eradant ex iiſdem, quos nonnulli eorum ad recognoſcendam doctrinam fidei, quam ipſi profitentur, & Eccleſiaſticos ritus, quos obſervant, eidem Romanæ Eccleſiæ examinandos obtulerunt, quemadmodum ita ab iis factitatum eſſe teſtatur idem Petrus Stroza. Porro de hæreſi Neſtorii, ejuſque libris legendus Joannes Garnerius Diſſert. 1. cum Mario Mercatore, de Neſtorianis vero, eorumque Scriptis, ritibus, ac conſuetudinibus vide toties laudatum Joſeph Aſſemanum Biblioth. Orient. Tom. 3. part. 2., ubi de iiſdem fuſe, & eruditiſſime diſſerit.

De Neſtorianis apud Indos.

(4) *Per Syriam, Aſſyriam, Perſidem, & Indiam*) Chriſtiani antiqui Epiſcopatus Angamallenſis in Montanis Malabarici Regni apud

Liturgia ac reliquis ad rem ſpectantibus.

Indos Orientales, qui olim Neſtoriani erant, Liturgiam habebant, qua tunc in Sacris utebantur, erroribus, ac blaſphemiis Neſtorianorum refertam, quæ poſtea iiſdem expurgata ab Alexio Meneſio Ord. S. Auguſtini Archiepiſcopo Goano Indiarum Primate in Synodo Diœceſana Angamallæ ann. 1599. ex Syriaco in Latinum converſa, & exſcripta ex Itinerario Luſitanico ejuſdem Meneſii Conimbricæ edito, relata eſt primo in Biblioth. PP. Pariſien. Tom. 6. pag. 131. deinde in alia noviſſima Lugdun. Tom. 27. circa finem pag. 626. Atque, ut omnia, quæ ad Neſtorianorum Liturgiam pertinent, nobis nota, ut fas eſt, perſequamur; Abrahamus Ecchellenſis not. in Catalogum Script. Ebedieſu pag. 135. *Liturgiam Diodori* (quem Tarſenſem Neſtorii Magiſtrum tum ipſe, tum Joſeph Sim. Aſſemanus de Script. Syris Neſtorianis Tom. 3. part. 1. ſuæ Bibliothecæ Orient. pag. 29. exiſtimant) Syriace ſe legiſſe teſtatur. De hac ita laudatus Aſſemanus: in Synodo Diamperenſi an. 1599. celebrata ab Alexio Meneſio præfato ſuper reformatione Eccleſiæ S. Thomæ, quæ a Neſtorianis uſque tunc inficiebatur, ubi Gregorius Neſtorianorum Archidiaconus, qui Patriarchæ Babylonis adhærebat, pluresque Presbyteri, & Clerici, ingenſque populus fidem Catholicam profeſſi ſunt, ut teſtatur Spondanus ad eumdem annum, indicta, inquam, Synodo, ne quis illa amplius uteretur Liturgia, diſerte vetitum fuit, ut neque aliis duabus, quæ Theodori, & Neſtorii nomen præferunt, quidquid in contrarium ſcribat Euſebius Renaudotius Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 621., qui cum eam in Syrorum Neſtorianorum Codicibus, quos præ manibus habuit, non viderit, confidenter pronunciat, numquam extitiſſe; ſed Cenſores Diamperenſes nominum ſimilitudine deceptos Diodorum cum Theodoro, cujus Liturgia apud Neſtorianos celeberrima eſt, confudiſſe. Id ut aſſereret Miſſalium Chaldaicorum authoritate motus eſt, in quibus tres dumtaxat Liturgiæ Neſtorianorum exhibentur, Apoſtolorum ſcilicet, Theodori, atque Neſtorii.

Euſebius Renaudotius quoad Neſtorianam Indorum Liturgiam notatur.

Verum præter haſce tres Liturgias, alias quoque apud Neſtorianos extare, quarum tamen uſus in eorum Eccleſiis, vel rarus, vel nullus eſt, ex ejuſdem Ebedieſu Neſtoriani Catalogo ſupracitato palam fit, in quo Narſes, & Barſumas ejuſdem Sectæ, de quibus infra, Liturgias compoſuiſſe dicuntur. Porro de Neſtorianis, eorumque ritibus, & erroribus ſcripſit Ven. P. Thomas a Jeſu Maria Carmelita Excalc. de Converſione omnium gentium procuranda lib. 7. cap. 2. & ſeqq. fuſiuſque præ omnibus ſupralaudatus Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos Joſeph Sim. Aſſemanus Biblioth. Orient. Tom. 3. parte 2. ubi per totum de Syris Neſtorianis diſertiſſime agit, quo duce in his, aliiſque Orientalium Ritibus deſcribendis plurimum uſi ſumus, etſi alios quam plures toto hoc capite deſignatos illuſtres rerum Orientalium Scriptores in hiſce digerendis commentationibus tamquam Magiſtros etiam adhibuerimus.

(5) *Proprias habent Liturgias Sermone Chaldaico.*) Harum gentium variæ, multipliceſque ſunt Liturgiæ, quæ infra in fine capitis ab Emin. Authore recenſentur. Vide etiam toties memoratum Joſeph Sim. Aſſemanum in ſua celebri Bibliotheca Orientali, ubi de iis ſuſe, & eruditiſſime diſſerit. Jacobitæ porro Meſopotamiam, & Syriæ partem circa Euphratem incolentes in ſacris obeundis Syriaca utuntur Lingua. Iidem, ſicut & alii Jacobitæ, de quibus ſupra dictum eſt, in conficienda Euchariſtia pani triticeo, & fermentato oleum, & ſalem admiſcent, ex neceſſitate materiæ hoc faciendum falſo credentes, quod tamen cæteris Monophyſitarum ſectis improbatur, uti videre eſt apud Abrah. Ecchellenſem in ſuo Eutychio vindicato par. 2. pag. 282. De horum autem, aliarumque Orientis Gentium erroribus circa Euchariſtiam, nonnulla infra.

Variæ, & multæ apud finitimas Aſiæ regiones Liturgiæ.

(6) *Alii ſunt Jacobitæ Ægyptii, quos &c.*) Ægyptii Cophitæ, ut ſcribit Joannes Michael Vanslebius Ord. Præd. in ſua Eccleſiæ Alexandrinæ Hiſtoria gallice ſcripta parte 2. cap. 28. ex duodecim, quas & reliqui Jacobitæ habent, Liturgiis, tres tantum, ſicut, & Abyſſini, de quibus infra, in ſuum uſum receperunt, videlicet S. Baſilii, quam in dies recitant, S. Gregorii, quam Domini, aliiſque ſolemnioribus feſtis uſurpant, & S. Cyrilli, quam per Quadrageſimam, Jejunium Natalis Domini, & in commemoratione Defunctorum adhibent. Primus, qui hujuſmodi Miſſale Copticum in lucem produxit, eſt Joſeph Scaliger (uti teſtatur Renaudotius in Præfat. ad Collect. Liturg. Orient. Tom. 1.) qui dictas tres Liturgias Baſilii, Gregorii, & Cyrilli Alexandrini e Coptica in Arabicam Linguam verſas ad Marcum Velſerum Auguſtam, hic ad Victorium Scialach Accurenſem Maronitam Romam miſit, qui primus eas Liturgias Latinas fecit. Quia vero Copticus Sermo paulum horridior eſt, & paucis agnitus, huic e regione Arabicam interpretationem adjunxit idem Victorius Scialach. Suſpicatur eruditus ille Interpres has tres Liturgias a Græcis Patribus patrio Sermone primum ſcriptas fuiſſe, deinde e Græco ab aliquo ejuſdem nationis in Ægyptiacum idioma converſas, ex eo quod Ægyptiaca editio plures habeat voces, & ſententias lingua, & charactere græcis conſcriptas; quæ ſententia eo verisimilior fit, quod res omnis Liturgica Orientalis a Græcis originem duxiſſe videatur. Notat inſuper idem Scialach eas non parum a primæva ſimplicitate degeneres mirum in modum accreviſſe, uti & ſupra obſervatum eſt ad cap. 6. §. 2. nota 5. nonnulla item conjicit de his Liturgiis, & primum a Beato Petro Apoſtolorum Principe, vel ejus diſcipulo Marco Evangeliſta quamdam breviorem Lirurgiam ad uſum Eccleſiæ Alexandrinæ inſtitutam fuiſſe, quæ deinde a SS. Baſilio, Gregorio, & Cyrillo amplificata in eadem Eccleſia invaluerit; alia denique addit in hanc rem, ſed ea omnia mera conjectanea ſunt, de quibus, utpote ignotis, quidpiam affirmari non poteſt.

De Ægyptiorum, ſeu Cophitarum Liturgiis.

Cæterum Cophitarum Liturgias venerandam ſuam præ ſe ferre antiquitatem communi Eruditorum calculo comprobatur; conſtat enim Æthio-

Quæ venerandam ſuam habeant antiquitatem.

Æthiopes magnam officii ſui partem ab iis deſumpſiſſe, ita ut ipſi, ſi quid mendi in Codices ſuos irrepſiſſe ſuſpicantur, ſtatim ad Copticos recurrunt, cujus rei fidem faciunt annotationes, quæ habentur ad calcem Miſſæ Æthiopicæ Romæ editæ, ipſeque Victorius Scialach fatetur exemplaria, quæ a recentioris ævi Cophtitis cuſa ſunt, multum ab antiquis diſcrepare, quippe cum antiqui nihil, quod a fide Orthodoxa alienum ſit, inſertum habeant, e contra vero multa in recentioribus S. R. Eccleſiæ juſſu caſtigata fuerint. Hæc de Copticis Liturgiis ex Victorio Scialach. De his etiam fragmenta aliquot dedit in ſuo Prodromo Copto Athanaſius Kircherius, quemadmodum, & Ricardus Simon in Apolog. Gabr. Severi pag. 155., qui & pag. 190. Codicem Liturgicum Coptico-Arabicum, quo & ipſe uſus eſt, in Bibliotheca clar. viri Claudii Hardy Pariſiis extantem laudat. Porro ordinem Miſſæ Cophtitarum noviſſime, & diligenter deſcribit Petrus le Brun Explicationis Miſſæ Tomo 2. pag. 479. & ſeqq.

§. VI.

De Æthiopibus, ſive Abyſſinis.

COpticæ ſimilem Miſſam habent Æthiopes ſive Abaſſini, (1) utraque enim Eccleſia Ægyptia, & Æthiopica a Patriarcha Alexandrino ritus Coptici olim adminiſtrata, & iiſdem fere cæremoniis imbuta fuit. (1) Officia divina lingua Æthiopica celebrant, quæ tamen a populari Arabica diverſa eſt. (2) In Lexico Æthiopico Jobi Ludolfi edito Londini poſt Epiſtolam præliminarem Joan. Michaelis Wanslebii extat Indiculus librorum MSS. Æthiopicorum, quorum primus eſt *Liber Liturgiarum*, in quo ſunt decem Liturgiæ ſic inſcriptæ 1. Sancti Joannis Evangeliſtæ. 2. Trecentorum decem & octo Patrum Orthodoxorum. 3. Sancti Epiphanii Ortodoxi. 4. Sancti Jacobi Syracenſis. 5. Sancti Joannis Chryſoſtomi. 6. Cujuſdam innominati (3). 7. Sanctorum Apoſtolorum. (3) 8. Sancti Cyriaci. 9. Sancti Gregorii. 10. Sancti Dioſcori Patriarchæ Alexandrini, impii ſcilicet illius, qui in Concilio Chalcedonenſi damnatus fuit, quem Æthiopes illius erroribus imbuti ut ſanctum colunt. Edita eſt ejuſdem Dioſcori Liturgia in fine hujus Codicis lingua Æthiopica cum Latina interpretatione prædicti Wanslebii. Sed non eſt integra, nam multæ orationes primis dumtaxat verbis initialibus indicantur, integræ vero reperiuntur in Liturgia Æthiopica edita Romæ ſimul cum novo Teſtamento. Multa etiam deeſſe arbitror, nam breviſſima eſt, & non niſi fragmentum prolixioris Liturgiæ, quales eſſe ſolent apud Orientales. Sic incipit: (4) *A ſeculo & uſque in ſeculum eſt Dominus in regno ſuo, Dominus in* (4) *Trinitate, Dominus in Divinitate ſua. Antequam aurora & diluculum, antequam dies & noctes eſſent, antequam crearentur Angeli, fuit Dominus in regno ſuo: Antequam expanderentur Cœli, & antequam appareret facies Aridæ, & antequam germinarent herbæ, fuit Dominus in Regno ſuo. Ante Solem, & Lunam, & Stellas, & ante circuitus luminarium, fuit Dominus in Regno ſuo. Antequam animalia quæ repunt, antequam aves quæ volant, & antequam belluæ maris eſſent, fuit Dominus in Regno ſuo. Antequam crearetur homo ad imaginem, & ſimilitudinem ejus, & antequam tranſgrederetur præceptum, fuit Dominus in Regno ſuo. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in ſecula ſeculorum.* Dicit Diaconus *Pro beato* &c. eſt oratio pro ſtatibus Eccleſiaſtico, Politico, Oeconomico, quæ hic deeſt, & habetur in ea, quæ Romæ edita eſt. Sacerdos. *Audiat Cœlum & auſcultet Terra, & contremiſcant fundamenta Fortium. Beneplacito Patris ſui deſcendit ad* (monet hinc interpres hiatum eſſe in MS.) *Peregrinus fuit. In virginitate immaculata Deus natus eſt. In ea vernam pecudum illatus eſt. Munera Regii ſui honoris accepit.* Et ſic breviter commemorat vitam Chriſti, & ſuo ordine ultimam Cœnam, & prolatis verbis conſecrationis proſequitur Paſſionem, Mortem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, & Miſſionem Spiritus Sancti. Poſtea ait. *Illum*

Spi-

Spiritum tuum mitte ſuper hunc Panem, & ſuper hunc Calicem. Veniat Agnus & videamus illum in caſtris, ut mactemus illum, & lætemur in illo. Sic enim orat, ac ſi nondum peracta eſſet conſecratio. (5) Similis autem oratio reperitur in Liturgia Græca, quam explicabimus Lib. II. Cap. XIII. *Ne autem videatur cuiquam ex nobis, quaſi Corpus hoc quod comedit, ſit Corpus abſque ſanguine & ſpiritu: & dum bibit Calicem hunc, quod ſit Sanguis tantum abſque Corpore & Spiritu: ſed Corpus, Sanguis, & Spiritus eſt. Prout eſt Deitas ejus, quæ cum humanitate unum eſt.* Ita Blaſphemus ille, qui unam duntaxat in Chriſto naturam impie aſſerebat. Demum indicantur aliquot orationes communes, & alia brevi ſuperaddita terminatur hoc fragmentum. (5)

Æthiopum, ſive Abyſſinorum Miſſa Copticæ ſimilis, ſicque iiſdem erroribus infecta.

(1) *Æthiopes, ſive Abyſſini*) Æthiopes, Abyſſini, vel Abaſſini, ita utroque vocabulo nuncupati, Patriarchæ Alexandrino ſubditi etiamnum, uti recte obſervavit Joſeph Scaliger lib. 7. de Emend. Temporum, ex quo fortaſſe Emin. Author, Copticæ quidem ſimilem Miſſam habent quibuſdam tamen demptis, quæ ab Eccleſiæ ſuæ primordiis conſtanter retinuere, uti eorum ritualia teſtantur: circa vero Euchariſtiæ materiam a reliquis Chriſtianis Orientalibus differunt, ſiquidem vini defectu ſuccum ex uvis paſſis inſuſa aqua igne expreſſum ſubſtituunt, quod & de Armenis in India degentibus animadvertit Odoardus Barboſa apud Joan. Bapt. Ramuſium Naloco citato pag. 288. Cum enim ii vinum non habeant, uvas ſiccatas ex Meccha, Ormuſio, aut aliis regionibus avectas aqua per integram noctem emollitas ſequenti die, quo celebraturi ſunt, eas exprimunt, ſuccoque ſic expreſſo vini loco utuntur in Calice. Porro Æthiopum iſtorum Miſſa admodum brevis eſt, uti teſtatur Franciſcus Alvarez Peregrinat. Æthiopiæ cap. XI. apud dictum Ramuſium. vigat. Tom. 1. pag. 189. ubi cum gentis illius Sacrificio aliquando ſe interfuiſſe ſcribat, ſe item obſervaſſe ait, eorum Miſſam, ſi ab apparatu proceſſionis, quæ diebus Dominicis, feſtis, ac Sabbatis peragitur, eam ſejunxeris, breviſſimam eſſe. Cæterum in Liturgia ſua orant Æthiopes præfati non tantum pro felici ſtatu Eccleſiæ ſuæ, Regis, Principum, ac Judicum, ſed & ſpeciatim pro Alexandrino Patriarcha, ut ajunt Archiepiſcoporum ſuorum Principe, & Epiſcoporum magnæ Provinciæ Alexandrinæ capite, poſtea ſubdunt, *pro patriæ noſtræ capite venerando Archiepiſcopo noſtro N. N., & omnibus Epiſcopis, Sacerdotibus, & Diaconis rectæ fidei.* Una cum Ægyptiis æram Martyrum Diocletianæam, quam vocant gratiæ, ſequuntur, nec alio utuntur computo. Coptitarum denique, ſive Æthiopum, & Abyſſinorum errores tum in fide, tum in ritibus, & cæremoniis recenſentur apud Aſſemanum Bibl. Orient. Tom. 3. pag. 305., & 306. ac ante ipſum a Ven. P. Thoma a Jeſu Maria ſupralaudato de Converſione omnium Gentium procuranda lib. 7. cap. 5. & ſeqq. Nuperrime autem poſt alios de eorumdem Populorum moribus, ac Liturgiis fuſiſſime differit Petrus le Brun Explicat. Miſſæ Tom. 2. Diſſert. 8. art. 2. pag. 530. & ſeqq.

(2) *Quæ tamen a populari Arabica diverſa eſt*) Abyſſini in ſacris Lingua peculiari, quam Geez, ideſt ſacram vocant, utuntur, quam Chaldaicam eſſe ipſi aſſerunt. Scaliger in præcedenti nota citatus elegantiſſimam eſſe affirmat. Vide Brianum Waltonum in Polyglotta Prolegom. XV. num. 9.

(3) *Cujuſdam innominati*) Hæc ſexta cujuſdam innominati Liturgia, profecto illa ipſa eſt quæ appellatur Liturgia Domini Noſtri Jeſu Chriſti; neque enim alia eſſe poſſe videtur, de qua Guillelmus Cave de Script. Eccleſiaſt. in Jeſu Chriſto Domino Noſtro pag. 3. „ Denique habetur, ait ille, *Liturgia* „ *D. N. Jeſu Chriſto adſcripta*, quam Joannes Michael Vanslebius Ord. Domin. ex „ Oriente redux ſecum detulit, & una cum „ aliis operibus Æthiopicis Pariſiis ſe editurum promiſit. An præſtiterit, mihi nondum eſt compertum. Quidquid vero præ „ ſe ferat Vanslebius, vix fieri potuit, ut crederet eam pro Liturgia a Domino Noſtro compoſita venditari, ipſa enim lectio „ talem opinionem mox revinceret. Teſtatur „ quidem Erud. Ludolphus Hiſt. Æthiop. „ lib. 3. cap. 4. inter Liturgias Æthiopicas „ certis diebus feſtis legi ſolitas haberi, *Liturgiam Domini Noſtri*, ſubdit vero iſtiuſmodi inſcriptiones fefelliſſe viros doctos „ quoſdam, qui eas ceu apocryphas, vel „ plane pſeudepigraphas infamaverunt, non „ enim ab Authoribus ſic dictas fuiſſe fatis „ oſtendit ipſe textus, quandoque & Authoris „ nomen titulo adjectum, ut allato ſpecimine manifeſtum facit. Et in Commentario „ Æthiopico, ubi hac de re fuſius agit ad „ dictum lib. 3. cap. 4. num. 31. pag. 341. „ ipſam Liturgiam ſub titulo *Orationis Euchariſticæ Domini, & Salvatoris Noſtri Jeſu* „ *Chriſti* Æthiopice, & Latine exhibet, antea quidem una cum novo Teſtamento „ Æthiopico, ſed mendoſe editam pag. 168. „ ex cujus contextu, vel primo ſtatim intuitu patet, nil aliud eſſe, quam Orationem ad Dominum Noſtrum factam: & „ num. ſequenti pag. 345. hanc præter alias „ notat cauſam, cur hæ Liturgiæ ita inſcriberentur, non quod Authorum nomina „ deſignarent, ſed ut in eorum feſtis recitarentur, ac propterea non ſtatim mendacii, „ vel fraudis arguendæ. Unde Vanslebium „ graviter arguit, qui in hac inſana, uti vocat, opinione fuiſſe videtur ſextam illam „ Liturgiam Domino Noſtro Jeſu Chriſto „ tamquam Authori inſcribi. Plura habet eo „ loci vir in rebus Æthiopicis exercitatiſſimus.

Anonymi Liturgia apud Æthiopes in Feſtis D. N. Jeſu Chriſti recitari ſolita.

mus. Hæc Cavius, cui hac in parte ipſe ultro ſubſcribam; non enim alia de cauſa hæc Liturgia Domini Noſtri Jeſu Chriſti nomine inſcribitur, niſi quia in ejuſdem Redemptoris feſtivitatibus recitatur, quemadmodum de Liturgia XII. Apoſtolorum ait Abrahamus Eccheilenſis in Eutychio vindic. ad calcem in indice Authorum. *Liturgia XII. Apoſtolorum ſive potius de XII. Apoſtolis, nempe quæ celebratur in ſolemnitatibus Apoſtolorum*: ſicut & apud nos Miſſa S. Martini, S. Silveſtri &c. dicitur, non quod illius ſancti Authoris ſit, ſed in ejus feſto dicenda. Cæterum de præfata Liturgia D. N. Jeſu Chriſti præter ſupradictos Vanslebium, & Ludolphum, nulla mentio apud reliquos Rerum Æthiopicarum Scriptores, qui hanc ſextam Æthiopum Liturgiam ſub Anonymi tantum vocabulo indicant.

(4) *Sic incipit a ſeculo &c.*) Dioſcori Alexandrini Liturgiam edidit Renaudotius Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 286. ſed cum illa nullatenus convenit, eſtque penitus diverſa. Aliam etiam alterius Dioſcori Gordiæorum Epiſcopi idem edidit ibid. pag. 492. quæ pariter eſt diverſa: & obſervandum, quod idem Renaudotius in notis ad utramque horum Liturgiam illius ab Emin. relatæ nec ullum verbum, aut mentionem facit.

(5) *Ac ſi nondum peralta eſſet conſecratio*) Uti communiter Græci fere omnes, præſertim Schiſmatici ſentiunt, cui infanæ opinioni, & Latinorum nonnulli intemperantiores, qui ſe Catholicos profitentur, ſubſcribere auſi ſunt, exiſtimantes Euchariſtiæ formam non tantum verbis Chriſti perfici, verum etiam precibus, quæ poſt verba conſecrationis recitantur, ab Eccleſia inſtitutis, ita ut ex duplici illa forma partiali, & inadæquata, quemadmodum alibi in Scholis dicitur, verbis ſcilicet Chriſti, & Eccleſiæ precibus moraliter conjunctis coaleſcat forma totalis & eſſentialis Euchariſtiæ. Sed de hac Controverſia plura dicemus infra ſuo loco. Hic interim obſervare eſt Ricardum Simonium, qui in notis ad Apolog. Gabrielis Severi Philadelph. plures invocationum formulas ab Orientalibus etiam Neſtorianis adhibitas recenſet pag. 148. & ſeqq. hanc Dioſcori Monophyſitarum parentis ab Emin. Authore relatam reticere, uti & ſupra memoratum Euſebium Renaudotium, qui certe Emin. noſtro poſteriores eamdem indicare poterant. Cæterum hæc iſtius invocationis formula cum aliis Orientalium ab ipſis allatis coincidit.

Græcorum error exiſtimantium Euchariſtiam conſecrari non tantum Verbis Chriſti, ſed & precibus ſubſequentibus, Orientalibus Schiſmaticis communis.

§. VII.

De Armenis, eorumque Ritibus.

ARmenia inter cæteras Aſiæ regiones multitudine populorum nulli ſecunda, S. Bartholomæi Apoſtoli, ac deinde S. Gregorii illuminatoris prædicatione ad Chriſti fidem converſa, eam diu illibatam conſervavit, donec tandem Græciæ erroribus inquinata (1) ab unitate Eccleſiæ miſerabli & adhuc permanente diſſidio ſejuncta eſt. Multa de Armeniorum religione, & hæreſibus Clemens Galanus ſcripſit tomis tribus Romæ editis de illius Eccleſiæ cum Romana conciliatione. Habent & ipſi ſpecialem Liturgiam proprio idiomate, quæ ab erroribus ipſorum expurgata Romæ excuſa eſt Armenice & Latine typis S. Congregationis de propaganda Fide: (2) ſed illis gentibus diſplicuit, quod in ea quædam mutata. Præter omnium Orientalium morem, Euchariſtiam in Azymis conficiunt, & contra divinam atque Apoſtolicam traditionem aquam vino non miſcent. (3) Inter ipſos & Græcos implacabiles ſemper diſſenſiones fuerunt, ſuoſque ritus invicem deteſtantur. (4) Horum tamen Liturgia Græcanicum ritum in pleriſque imitatur: adeo ut verba quædam græca in ea permanſerint: extat ejus ſynopſis apud Caſſandrum in Liturgicis cap. 12. Aliam etiam vidi MS. a quodam Sacerdote Armenio in latinum translatam, quæ paucis exceptis ab impreſſa Romæ non differt, & illi prorſus convenit, quæ a Caſſandro deſcripta eſt. In Armenia majori Naſcivanenſis provincia ſita eſt, quæ ad veram & Catholicam fidem tempore Joannis XXII. a B. Bartholomæo Bononienſi (5) Ordinis Prædicatorum converſa ab eodem Latinos ritus accepit, quibus omnes in ea degentes lingua Armenia utuntur.

(1)

Armenia Jacobitis depravati pluribus erroribus, præcipue Theopaſchitarum, & Acephalorum hæreſibus infecta.

(1) *Donec tandem Græciæ erroribus inquinata*) Id accidit circa an. 535. uti omnes Eccleſiaſtici Annaliſtæ conveniunt, Baronius, Spondanus, idemque firmat Pagius ad dictum annum num. 13. ut etiam conſtat tum ex Anonymo Hiſtoriæ Armenorum Scriptore apud Galanum ab Emin. Authore indicatum, tum ex Photii Epiſtola ad Zachariam Armenorum Patriarcham ibidem relata. Armeni itaque a Jacobo Syro Severi diſcipulo, de quo ſupra dictum

dictum eſt, uti autumat Pagius loco citato, ſed verius ab Apoſtolo quodam Syro Jacobita, ejuſque ſociis, quemadmodum ex dicto Authore Hiſtoriæ Armenæ, & Gregorio Siſenſi Patriarcha, Epiſtola ad Haytonem Armeniæ Regem apud dictum Galanum p. 1. pag. 85., & 86. decepti, & depravati in plures errores prolapſi ſunt, quos narrat Nicephorus Hiſt. Eccl. lib. 18. cap. 52. 53., & ex ipſo Baronius, & Spondanus præfati. Inter cætera Theopaſchitarum hæreſi adeo pertinaciter adhæſerunt, ut cum eam reliqui Orientales ejuraſſent, iſti nihilominus in eadem tuenda obſtinatiſſimi perſtiterint, & adhuc perſeverent. De his, eorumque erroribus legendi Baronius ad dictum annum 535. num. 81. Spondanus ibidem, Petavius lib. 1. Theol. dogm. de Incarn. cap. 17. & ſeqq. ac noviſſime Abbas D. Joannes Sianda noſter in ſuo Lexico Polemico verbo *Armeni*. Hi porro pluries, ut diximus, a recta fide aberrantes, quandoque ad ipſam redeuntes, ab eadem deinde inſtabiles defecerunt, & in hæreſim relapſi etiamnum miſere ab Eccleſia Catholica ſejuncti jacent, uti & denuo infra notabimus.

(2) *Typis S. Congr. de Propaganda Fide*) Primum anno 1642. deinde an. 1677. ſicque inſcribitur: *Codex myſterii Miſſæ Armenorum, ſeu Liturgia Armena*; ubi pag. 29. & 33. habentur correctiones Officii Divini, & eorum Hymnarii.

Aquam vino non miſcent in Miſſa, quidquid aliter ſcribant Baronius, & Spondanus.

(3) *Aqua vino non miſcent*) Quidquid ex Othone Friſingenſi contrarium ſcribant Card. Baronius, & Spondanus ad an. 1145. n. 23. nempe quod *inter ipſos* (Armenos) *& Græcos quædam habitudo eſt in quibuſdam, in aliis vero diſcrepantia, ponunt enim fermentatum panem, ſicut & illi, aquam vero miſcent, ſicut nos, & illi*. Deceptum enim Othonem a Legato Armeniæ, qui id illi falſo retulit, pluribus oſtendit Franc. Combefiſius in notis ad Iſaaci Catholici invectivas duas contra Armenos Auctar. Biblioth. PP. Tom. 2. pag. 317. quare conſtantiſſimum eſt, inquit, ante Sanctum Niconem Armenia oriundum azyma apud Armenos viguiſſe, nec poſtmodum abjecta fuiſſe inducto fermento. At de hac re, vide infra Cap. XXIII. ex vet. edit. Rom. initio, cui ex poſteriori Pariſienſi nonnulla adaucta, num. 8. Porro quoad aquæ mixtionem ab Armenis etiam hodiernis omiſſam, obſervat Joannes Grancolas Tom. 1. Antiq. Liturg. pag. 249. hos quidem illam omittere, quando privatim ipſi in eorum Eccleſiis celebrant, at vero in Latinorum Eccleſiis, aut his præſentibus celebrantes eamdem vino mixtam admittere, neque propterea Latinos reprehendere, qui ita ipſam adhibent. Eumdem hunc Armenorum errorem circa aquæ omiſſionem in Calice egregie confutat Card. Cozza in ſuis Comment. ad S. Auguſt. lib. de Hær. Tom. 2. pag. 61. & ſeqq.

Armeni Græcorum ritibus adverſantes ſæpius ad Eccleſiam Catholicam, iterumque ad vomitum reverſi.

(4) *Suoſque ritus invicem deteſtantur*) Cœpit feralis hæc inter ipſos diſcordia circa an. 536. poſtquam, ut diximus, Armeni in Acephalorum, & Theopaſchitarum hæreſim lapſi ſunt; ita enim ab Orthodoxa fide deficientes cum Choſroes Perſarum Rex totam Armeniam invaſiſſet, ut Armenorum animos facilius a Græcorum imperio abalienaret, ipſos in Synodo Thevinenſi ejus juſſu congregata Chalcedonenſi Concilio, ejuſque decretis anathema dicere, erroribus prædictis ſubſcribere, & a Græcis ſeparari, hæcque impio ſtatuto firmari impulit, quod & ü haud inviti peregerunt. Magna inde turbarum, & diſſidiorum ſemina, ut & mox Georgiani, ac Siunienſes ab Armenorum Communione receſſerint. In hac eorum receſſione ab Eccleſia Catholica ſteterunt Armeni, donec annuente Imperatore Heraclio poſt victoriam ab ipſo de Perſis mirabiliter Dei ope reportatam Synodus Charnenſis apud Theodoſiopolim majoris Armeniæ urbem indicta eſt, in qua Thevinenſi pſeudoſynodo abrogata, Concilium Chalcedonenſe receptum, paxque & concordia Græcos inter, & Armenos reſtituta eſt anno circiter 622. Non multo poſt ad vomitum rediens gens illa eodem medio ſeculo ſeptimo a quodam Conſtantino ſeducta in Manichæorum hæreſim incidit, atque iterum ab unitate Eccleſiæ ſeparata eſt, uti notant Baronius, & Spondanus ad an. 653., & 685. elapſis deinde duobus ſeculis a Sancto Nicone conterraneo ſuo denuo ad fidem Orthodoxam reducta, ab ea iterum extorris mox ad priſtinos errores rediit; cujus deplorandæ viciſſitudinis, & inſtabilis fidei conditionem plurimum dolentes, & toties repetitum illuſtris Provinciæ caſum miſerantes Romani Pontifices Gregorius VII. & Alexander III. eamdem regionem ad Eccleſiæ Catholicæ gremium revocare ſuis Apoſtolicis miſſionibus ſtuduere, vario licet diſcrimine.

Eos nonnulli Pontifices Romani ad Eccleſiæ gremium revocare curarunt.

Cum vero Armeni eo quod in azymis conſecrarent, & in pleriſque rebus a Græcis diſſentirent, atque hos propterea infenſos, ac moleſtiſſimos experirentur: hinc pluries legationem miſerunt ad Romanum Pontificem, eumque ſuper iis, in quibus a Græcis diſſidebant, judicem poſtularunt. Inter alias Otho Friſingenſis præfatus, qui Romæ aderat ſub Eugenio III. Legationem eidem Pontifici tunc Viterbii commoranti, Armenorum nomine factam narrat; in qua pauca quædam dumtaxat ad Sacrificii Ritum, & cæremonias commemorar, quæ cum Armenii ſola, non autem omnia ad id ſpectantia expoſuerint, majoribus aliis, & ad reliquos fidei artículos pertinentibus ſuppreſſis, ſic Eccleſiæ Romanæ communionem ſuffurati ſunt; eadem etiam ſimulatione ſub Innocentio III. Clemente VI. & Eugenio IV. ſubdole uſi ſunt, cujus propterea Gentis malitioſam aſtutiam inſectatur ſupralaudatus Iſaac Catholicus apud Combefiſium loco citato, quamque etiam olim Gregorius Nazianzenus Orat. XX. in laudem S. Baſilii Magni Cæſarienſis Epiſcopi dicta in ipſis detexit; ibi enim ex verſione Jacobi Billi Tom. I. pag. 328. ſic de Armeniis ait: *Haud ſimplicem, & apertam nationem Armenios eſſe invenio, quin potius admodum tectam, & ſimulatam*: hoc eſt non rectos, & apertos, ſed valde malignos, & occultos, uti exponit idem Iſaac Catholicus invectivæ I. in dictos Armenios cap. 1., quod & probare proſequitur Gregorius narrans eorum ſubdolam contentionem cum Baſilio Athenis commorante,

cui

cui & ipſe aderat, de qua diſputatione ita Iuſtus Cyrus Theodorus Prodomus dictus, & Poeta Græcus ſeculi XII. cujus meminit Leo Allatius de Conſenſ. Eccl. Orient. & Occid. lib. 2. cap. 10.

Armene fruſtra diſputas, fruſtra ſonos
Fundis diſertos, quæ tua eſt prudentia,
Ut diſputando Gregorium tanto viro
Junctum, tibi unquam poſſe ſperes cedere?

Hæc autem de Armenis hæreticis dicta ſint, quorum impia dogmata recenſemus.

Recenſentur Armenorum errores circa Sacrificium Miſſæ.

Et quidem Armeni iſti plures habent errores præſertim circa Sacrificium Miſſæ, pro ut ex Canonibus ſextæ Synodi 32. 33. 46. 100. aliiſque infra allegandis conſtat. Ad Sacerdotium nullum admittebant Judæorum, niſi qui Sacerdotali apud illos genere orti eſſent. Conficiebant quidem in azymo, ſed ut ſe conformarent Judæis, non juxta morem Eccleſiæ Latinæ. Sacrum celebrantes non ſolum capiti tegmen haud detrahebant, ſed & eidem cucullam dejiciebant. Miſſam tantummodo intra Templum celebrabant, ingrediente ſolo Pontifice, reliquo populo etiam Sacerdotibus foris ſtantibus: cætera Officia extra templum perſolvebant, neque enim fas erat coinquinatis, ut ajebant, in illud ingredi; omnia inſuper fere legalia olim abolita judaizantes obſervabant, agnum etiam magno Dominico ſacrificantes, & pro mortuis ovium, & bovum ſacrificia Gentilium more peragebant, alia denique impia, & ſacrilega his miſcentes exercebant, de quibus legendi S. Nicon Armenius præſatus, eorum quidem Syncellites, ſed non Symmiſta Tract. de peſſima Armenorum Religione, qui in Bibl. PP. habetur, & apud Cotelerium in notis ad PP. Apoſtolicos Tom. 1. pag. 152. & 236. Theorianus in Dialogo Orthodoxi cum Catholico, ideſt Armenorum Patriarcha, hoc enim vocabulo illum nominant, ac in Geſtis Legationis ſuæ ad Armenos Bibl. PP. Græcolat. Tom. 1. pag. 439., & Combefiſius loco citato, quos etiam errores referunt Baronius, & Spondanus ad annum 863. num. 5.

De Armenis vero hodiernis, eorumque dogmatis, & uſibus legendus item Clar. Joſeph Sim. Aſſemanus Tom. 2. Bibl. Orient. ubi de Monophyſitis, inter quorum tamen Sectas Armeni a cæteris differunt, quod, ut dictum eſt, aquam vino non miſcent in Calice, ne ex ea mixtione confiteri videantur duas in Chriſto naturas, & operationes, uti ait Nicephorus Calliſtus Hiſt. Eccl. Lib. 18. cap. 53., quod & refert Clemens Galanus parte I. Conciliat. Eccleſiæ Armenæ cum Romana cap. 17. ex nonnullis eorum Synodis, & ex ipſo ſupramemoratus Card. Cozza loco in nota præcedenti citato. Eorum panis quum olim craſſior fuerit, & vulgaris ſpeciem referret, Gabrieli Prateolo, aliiſque de Hæreticis ſcribentibus anſam præbuit, ut quod Armenios fermentatum panem in Sacrificio adhibere, ſibi falſo perſuaderent, ſed contrarium ſatis oſtendunt Combefiſius, & Aſſemanus mox laudati.

Tandem Eccleſiæ Catholicæ Romanæ reconciliati ſeculo XIV. Latinos ritus ex corde ſuſceptos diu retinuerunt, & plerique adhuc retinent.

(5) *A. B. Bartholomæo Bononienſi*) Hunc Bartholomæum Ughellus Ital. Sac. Tom. V. Fontana, Altamura ad an. 1333. auditorem fuiſſe volunt S. Thomæ Aquinatis, an. 1326. a Joanne XXII. Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtrum aſcitum, tum anno 1328. Epiſcopum Torcellanum, denique anno 1333. ab eodem Pontifice in Armeniam miſſum, ubi & martyrio vitam conſummaſſe dicunt, at perperam, hæc enim omnia nec cum fidis relationibus conveniunt, quas exhibent eruditi Patres Jacobus Quetif, & Ecchard ejuſdem Ord. Præd. Pariſienſis Conventus Alumni in eorum nuperrima Recenſione Scriptorum dicti Ordinis Tom. 1. pag. 381., 382. nec etiam inter ſe cohærent, uti iidem Patres luculenter oſtendunt. Hic itaque Bartholomæus Bononienſis Parvus dictus, an a familia, vel a ſtatura, incertum. Joannes XXII. eum ad ſe Avenione accerſitum Chriſtianorum Orientalium reconciliationi cum Romana Eccleſia aptiſſimum judicans Maragacenſem Epiſcopum, Provinciæ Nexſcivanenſis in Armenia majori inauguravit. Illuc profectus Bartholomæus pluribus Armenorum magiſtris congregatis Synodum coegit, in qua omnes vivis ſuis rationibus ita commovit, ut ſchiſma ejuraverint, & S. Romanæ Eccleſiæ obedientiam ex animo promiſerint; quo factum eſt, ut novellæ huic plantationi fovendæ, & ad perfectum adducendæ reliquum vitæ inſumendum ſtatuerit; tribus annis in id operam indefeſſam contulit, deinde meritis, & laboribus gravis in Charnenſi Monaſterio diem obiit extremum. Vide item Leandrum Alberti, qui pag. 124. illum a Torcellano recte diſtinguens, ejus laudes ſuſe proſequitur.

§. VIII.

De Maronitis, eorumque Liturgiis. Hymnus S. Ephræm.

HActenus recenſitis nationibus pauciores numero, ſed fide ac religione præſtantiores ſunt Maronitæ, Libani montis juga, & vicinas planities incolentes. Unde nomen acceperint, an a Maronia Syriæ civitate, an a S. Marone Abbate, vel potius a quodam Marone hæretico Monothelita, incertum eſt. Et ipſi quidem a Marone Abbate ſui nominis originem derivant: ſed probabilius videtur poſterior derivatio, de qua teſtimonium perhibet teſtis oculatus Guillel. Tyrius, qui *lib. 22. cap. 8.*

ſuæ Hiſtoriæ refert, eos ſuo tempore Maronis errores abjuraſſe, & deinceps Romanæ Eccleſiæ adhæſiſſe, in cujus fide uſque in hodiernum diem conſtantiſſime perſeverant. De his plura Morinus *in præf. ad ipſorum ordinationes*, (1) & ego etiam quædam breviter tetigi *lib. de div. Pſalmodia cap.* 18. §. 16. Arabice loquuntur, ſed ſacras functiones peragunt lingua Chaldaica, ſive Syriaca. (2) Cum Græcis conveniunt in quibuſdam conſuetudinibus, ab ipſis vero & a reliquis Orientalibus, exceptis Armeniis, diſcrepant, quod Euchariſtiam in azymis conficiunt. Liturgiam peculiarem habent, eamque prolixam, quam vidi MS. & in latinum converſam in Romano ipſorum Collegio. Gabriel Sionita in Epiſtola ad Nihuſium de nonnullis ritibus Maronitarum, inter Symmicta Leonis Allatii, in eorum Liturgiis eadem fere contineri ait, quæ in Miſſa Latina, diverſo tamen ordine, diverſiſque cæremoniis. (3) Apparet autem hic conſenſus & uniformitas, ac veluti ex diverſis vocibus conſonantia, ſive diſcors concordia in omnibus Liturgiis: & inde palam fit ordinem ſacrificii ab Apoſtolis traditum eſſe, (4) & in omnem terram diffuſum. Quamvis enim differant diverſarum gentium Liturgiæ in ſingularum partium collocatione, & in verbis, quibus Orationes concipiuntur, iiſdem nihilominus membris coaleſcunt, quæ ſunt, peccatorum ante omnia confeſſio, tum introitus ſive quoddam quaſi prooemium, deinde Pſalmi, ac lectiones ſacræ Scripturæ, & potiſſimum Evangelii, Symboli recitatio, lotio manuum, commemoratio & invocatio Sanctorum, preces pro omnibus vivis & defunctis, gratiarum actio & benedictio, præter ea, quæ eſſentialia ſunt, oblationem ſcilicet, conſecrationem, & communionem. Porro hæc conſtans & perpetua omnium gentium conſpiratio nonniſi a Spiritu Sancto eſſe poteſt, (5) cujus influxu totum corpus Eccleſiæ in pace & unitate fovetur, & conſervatur. Id vero Maronitis peculiare eſt, quod dum Sacerdos celebrat, Chorus ſubinde concinit hymnos quoſdam S. Ephræm Syri, quos valde elegantes eſſe ejus linguæ periti teſtantur. (6) Unum hic tranſcribo, qui lectori non diſplicebit. Sunt autem omnes verſus in textu Syriaco ſeptem ſyllabarum.

(1) (2) (3) (4) (5) (6)

HYMNUS

DUM SACERDOS INCENSAT.

GLoria Trinitati
Perpetuæ atque æternæ
Super incenſum hoc ſuavitatum,
Quod offerimus in honorem tuum:
Remittas in eo Domine debita noſtra,
Et dimittas in eo ſtultitias noſtras,
Et ſit in eo requies mortuis,
Ac ſpes & cuſtodia vivis.
Erigantur in eo Eccleſiæ,
Et cuſtodiantur in eo Monaſteria.
Multiplicetur in eo tranquillitas in terra,
Et in Regibus pax dominetur.
Mitte in eo Domine ſanitatem,
Et curationem omnibus languentibus,
Et ſurgent e lectulis

Corpora

Corpora jacentia in anguſtiis.
Et ille qui fecit de labore ſuo
Indigentibus ac pauperibus
Opus gratiæ tuæ,
Habitare faciat in habitaculo ejus benedictiones.
Et illorum qui attulerunt oblationes
Et primitias ad Templum ſanctum,
Oblationes acceptentur,
Ac peccata dimittantur.
Benedic fruges anni,
Ac ſemina & fructus cuſtodiantur,
Et a noxiis prohibeantur.
Et edant eſurientes,
Et gratias agant tibi.
Recordamur in oratione
Super incenſum hoc ſuavitatum
Annuntiationis tuæ Domine & conceptionis,
Nativitatis & nutritionis tuæ,
Et crucifixionis tuæ pro nobis,
Mortis & ſepulturæ tuæ,
Excitationis ac reſurrectionis tuæ,
Aſcenſionis tuæ in Cœlum,
Ac ſeſſionis tuæ ad dexteram,
Et totius diſpenſationis tuæ,
Quam operata eſt apud nos voluntas tua.
Et parentum ac magiſtrorum noſtrorum,
Qui fatigati ſunt, & laboraverunt, & docuerunt nos,
Et oſtenderunt nobis viam vitæ,
Ut ambularemus in ea in domum Regni.
Et mortuorum ac defunctorum,
Qui induerunt te ex baptiſmo.
Et participes feciſti eos per pietatem tuam Corpore tuo,
Et Sanguine tuo ſancto.
Et omnes qui dixerunt, Recordamini noſtri
In oratione propter Dominum noſtrum,
Viſita eos Domine pietate tua.
Et per miſerationem miſericordiæ tuæ
Sit a theſauro tuo,
Per orationem benedictæ Mariæ
Matris quæ genuit te,
Et per orationem Martyrum benedictorum,
Qui interfecti ſunt propter te,
Et Sanctorum ac Juſtorum
Qui placaverunt te odore incenſorum tuorum,
Pater, & Fili, & Spiritus Sancte,
Unus Deus verus,
Tibi gloria, ac ſuper nos miſericordia tua,
In omni momento in ſecula. Amen.

De Maronitis, eorumque nomine, & origine pluvei, ac variæ Eruditorum ſententiæ.

(1) *De his plura Morinus &c.*) De Maronitis, eorumque nomine, & origine bene multa diſputant Eruditi. Hos a quodam Marone hæretico Monothelita nomen ſortitos fuiſſe, ex Willelmo Tyrio ſentiunt Card. Baronius ad an. 1182. n. 4., & Spondanus ibid., Joannes Morinus, aliique, quos ſecuti ſunt Eminentiſſimus Author hoc loco, & in Epiſtola ad Mabillonium ſuper Azymorum quæſtione, ac Ricardus Simon in notis ad Apolog. Gabrielis Severi pag. 217., item Graveſonus Hiſt. Eccl. ſæc. XV. Coll. 4. edit. Ven. pag. 127. E contra ipſi Maronitæ pro ſe, & patria pugnantes tamquam pro ejus aris, & focis toti ſunt, omnibuſque nervis, ac viribus avitam hanc ſuam denominationem non ex hæretico, ſed ex Catholico S. Marone Abbate, cujus vitam, & laudes profecutus eſt Theodoritus in Hiſtoria ſua Religioſa cap. 16. 21. aliiſque, ad quem extat Epiſtola Sancti Joannis Chryſoſtomi, cujuſque etiam in Actis Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna frequens mentio eſt, derivari, ſuæque gentis originem, & hujuſmodi nomenclaturam ex dicti Maronis Monaſterio proficiſci, eique indubitanter referri debere contendunt. Horum præcipui, & anteſignani ſunt Abrahamus Ecchellenſis, ejuſque Nepos Fauſtus Naironus in Vaticana Bibl. Linguarum Syriacæ, & Arabicæ Scriptor. Item Stephanus Edenenſis, de quo pluries mentio erit infra, Vindic. Maronit. lib. 1. ubi cap. 7. ex verſione Latina Petri Benedicti Soc. Jeſu ſic de ſuis ait: *Maronitas a nemine ex optimæ notæ Scriptoribus proditæ fidei, & defertæ religionis redargui:* quod & reliqui illius nationis confirmant aſſerentes gentem ſuam ſemper Romanæ Eccleſiæ adhæſiſſe: & quidem eorum plures peculiaribus diſſertationibus hanc cauſam viriliter propugnandam ſuſceperunt; quin & exteri pariter nonnulli clariſſimi, primique inter eos ſubſellii viri huic ſententiæ ultro ſubſcribere non dubitarunt, ex quibus Ven. P. Thomas a Jeſu Maria Carm. Excalc. de converſione omnium Gentium lib. 7. cap. 22. Fratres Macri in Hierolexico verbo *Maronitæ*, ac præ cæteris doctiſſimus Pagius in Critica Baronii ad an. 635. n. 3., & ad an. 1182. n. 10. ac ſeqq., ubi fuſius pro Maronitis diſſerit, eorumque cauſam ſuo calculo favorabili dirimit, ſed & aliquot eorum momenta in hanc ſententiam præſtat referre.

Probabilior tamen eorum opinio, qui Maronitas a Sancto Marone Abbate originem ſuam duci putant.

Et quidem Abrahami Ecchellenſis præfati de hac Maronitarum ſuorum hujuſmodi denominatione extant Epiſtolæ tres ad Joannem Morinum. Harum priorem primo edidit Ricardus Simon inter Gabr. Severi Opuſcula pag. 277. an. 1671. eodem, quo hæc Eminentiſſimi noſtri Liturgica prodiere, deinde eadem cum aliis duabus de ſimili re edita fuit inter ipſius Morini Antiquit. Eccl. Orient. Londini 1682. poſt Eminentiſſimi deceſſum, pag. 326. 449. 474. Inter alia ex Syrorum monumentis duo teſtimonia profert Ecchellenſis, quibus a dicti Sancti Maronis Monaſterio Maronitas ſic nuncupatos eximie probat, nempe ex Epiſtola Archimandritarum Syriæ Secundæ ad Hormiſdam Papam, cui annexus titulus Diſſertationum, ut ait, ejuſdem Joannis Maronis ita eſt. *Profeſſio Fidei Eccleſiæ Apoſtolicæ, quam ſcripſit S. Joannes Patriarcha Antiochiæ in Monaſterio Maronis ſito ad flumen Haſi* (Latinis Orontes dicitur) *Provinciæ Apameæ, & Hemeſ, eamque miſit ad Montem Libanum, ex quo nominantur Incolæ memorati Montis Maronitæ ex nomine Monaſterii Maronis, & Joannes quoque ipſe Maro nominatur ex nomine Monaſterii*: cui Epiſtolæ ita ſe primo loco ſubſcribit: *Alexander Presbyter, & Archimandrita Monaſterii S. Maronis.* Inter cætera, quæ in hac Epiſtola leguntur, quibus Maronitas Catholicos, & Orthodoxos fuiſſe comprobatur, hæc ſunt: *Numquam*, inquiunt, *per Chriſti gratiam a traditis nobis rectis dogmatibus deviavimus, ſicut rerum teſtatur probatio, & tempore neceſſitatis fidei conſtantia demonſtrat*: Hæc item Epiſtola, ſeu fidei Profeſſio Maronitarum legitur ante Epiſt. 75. Hormiſdæ Papæ.

Alterum teſtimonium profert ex Thoma Hharanita Caphartabenſi Epiſcopo Monothelita, quo id ipſum comprobatur. Id etiam argumenti poſt Ecchellenſem proſecutus eſt Fauſtus Naironus peculiari diſſertatione de Origine, Nomine, ac Religione Maronitarum Romæ edita anno 1679., ubi luculenter oſtendit eoſdem Maronitas ſemper Catholicos fuiſſe, fideique Orthodoxæ acerrimos aſſertores, & vindices, quorum proinde adverſus Eutychium Alexandrinum, Guillelmum Tyrium, & Morinum vindicias agit. Cum vero hanc ejus apologeticam Diſſertationem non leviter oppugnaret Ricardus Simon lib. de fide, & moribus Orientalium cap. 14. eamdem cauſam defendendam in ſe denuo recepit Naironus Evopliæ parte I. a pag. 62. uſque ad 81. quin & fuſiorem reſponſionem ad Simonium ſe editurum promiſit pag. 79., quæ an evulgata fuerit, ignoro; Nairono hac in palæſtra ſuppetias, votumque ſuum detulit Pagius locis ſupracitatis, ubi & ipſe Eutychium deceptum, ejuſque annales anilibus fabulis oppletos, Tyriumque ex ipſo plura commentitia decerpſiſſe, ac male de tota Maronitarum natione ſenſiſſe perſpicue oſtendit. Quare pro dictis Maronitis concludendum pronunciat vir doctiſſimus, eorum originem, ac denominationem a nullo Marone hæreſiarcha, ſed a Sancto Marone Abbate, ejuſque Monachis fuiſſe deſumptam, a Joanne Marone retentam, nulliuſque roboris proinde eſſe rationes a Morino in contrarium allatas. Et ſane irrefragabile argumentum nobis ex Nairono profert Pagius ad an. 635. n. 13. videlicet quod ex ipſa denominatione Maronitarum colligitur eos non die fuiſſe appellatos ab ullo Marone hæreſiarcha; uſus enim viget tam in Oriente, quam in Occidente hæreticos Fidei Catholicæ reconciliatos, ſi Occidentales ſint, uti Lutherani, & Calviniſtæ non amplius his nominibus vocari, ſed Catholicos, ſin vero Orientales, ſi Jacobitæ fuerint, Syros, ſi vero Neſtoriani, Chaldæos, ſeu Aſſyrios nuncupari. Et quamvis omnes eſſe Catholici ſubintelligantur, hanc tamen Syrorum, & Chaldæorum, ſeu Aſſyriorum denominationem ſortiuntur tum propter eorum rituum diverſitatem, tum quia ſub diverſis ſint conſtituti Patriarchis, ut demonſtrat Naironus

loco

loco cit. Maronitæ itaque cum modo hoc nomen gerant, & a Summis Pontificibus a tempore Innocentii III. eorum Patriarcha in Bullis Apoſtolicis appelletur Patriarcha Antiochenus Maronitarum, (ut mox videbitur) neceſſario ſequitur hoc nomen *Maronita* ſemper virum Catholicum indicaſſe. Hactenus Pagius, cui pro conterraneis ſuis ſuffragatur toties laudatus eruditiſſimus Scriptor, & Collega Vatic. Joſephus Sim. Aſſemanus Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 498., & ſeqq. 507. 508., ubi prædicta omnia de Gentis ſuæ Orthodoxia, & origine in Joanne Marone evidenter confirmat. His accedit Apoſtolicum Benedicti Papæ XIV. oraculum in ſua noviſſima Allocutione habita in Conſiſtorio ſemipublico ſub die 13. Julii 1744. inter Acta publica Nationis Maronitarum edita eodem anno typis Sac. Cong. de Propaganda fide: *Non dubitamus*, inquit, *eruditioni veſtræ compertum eſſe Maronitas Chriſtianos Syros ad Patriarchatum Antiochenum pertinere, quippe qui Syriam, & Phœniciam maritimam, ac mediterraneam, tum etiam Paleſtinam, Cyprum, Ægyptum, aliaſque Orientis partes incolunt, quorum tamen maxima pars in Monte Libano commoratur.*

Eruditioni pariter veſtræ eorum eſſe cenſemus, quod ſæculi ſeptimi prope finem, cum hæreſis Monothelitarum in Patriarchatum Anticchenum graſſaretur, Maronitæ quo ſe ab ea contagione integros ſervarent, ſtatuerunt ſibi Patriarcham eligere, qui a Romano Pontifice confirmaretur, ab eoque Pallii dignitatem acciperet. Cum autem pluribus deinde ſæculis elapſis, Saraceni Antiochiam, depulſis inde Latinis, occupaſſent; eumque Latini ipſi Catholici in montem Libanum, ubi a Patriarcha Maronitarum perbenigne recepti ſunt, ſeceſſiſſent: Alexander IV. Romanus Pontifex Patriarcham ipſum Maronitarum Antiochent Patriarchæ titulo decoravit: quem quidem titulum ad hanc uſque diem Patriarchæ Maronitæ retinent, etiamſi in monte Libano ſedem perpetuam habuerint.

Profeſſo Maronitæ fuerunt ſemper quales & hodie ſunt integre Catholici, cum hac Sancta Sede conjuncti, & erga ſuum Patriarcham, tum etiam erga Romanum Pontificem obſequii, ac reverentiæ pleni. Proinde (ſubdit idem Summus Pontifex in alia Allocutione de eadem re, in dicto Conſiſtorio habita) *nos ampliſſima illa elogia, quibus Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri eam Nationem, & Gentem cohoneſtarunt, libenter ſubſcribimus: cum Pius IV. in quibuſdam ſuis Litteris Apoſtolicis affirmaverit tot millia hominum, quibus componitur, numquam adoraſſe Baal; qui tametſi hæreticis, & ſchiſmaticis circumſeſſi, ſemper tamen in Chriſtiana Fide, & Catholica Religione conſtantes perſtiterunt: Cum Clemens VIII. hoc ipſum confirmaverit, addendo Maronitas Romanæ Eccleſiæ Parenti omnium fidelium, & Magiſtræ, ſemper obedientiam præſtitiſſe: Cum Paulus V. in ſuis litteris Maronitas roſarum ſimiles eſſe dixerit, quod ſingulari Dei gratia inter ſpinas infidelitatis in Oriente florerent: Cum Urbanus VIII. in ſuis pariter Apoſtolicis litteris aſſeruerit, non concidiſſe Carmeli decus, neque extinctam eſſe Libani gloriam; quandoquidem Patriarcha, Præſules, & Sacerdotes Maronitæ in Apoſtolica Sede, & Romano Pontifice Divi Petri authoritatem venerantur: Cum denique Clemens XI. in ſuis Apoſtolicis Brevibus in lucem editis ſimilia, & alia plurima in Maronitarum commendationem congeſſerit.* Hæc in Maronitarum laudem ſapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV., cujus, & Apoſtolicæ Sedis judicio confirmantur, quæ de eorum origine, atque Orthodoxia dicta ſunt.

(2) *Lingua Chaldaica, ſive Syriaca*) De his legenda Bulla Gregorii XIII. in Bullario Romano n. 91., in qua ipſis conceditur Miſſas, & cætera Officia Eccleſiaſtica Chaldaico, vel Arabico idiomate celebrare.

(3) *Diverſo tamen ordine, diverſiſque cæremoniis*) Sic ille ibi ſcribit. *In hiſce Liturgiis eadem fere continentur, quæ in Miſſa Latina, nimirum Introitus, Gloria in Excelſis, Proſa, Epiſtola, Evangelium, Symbolum Apoſtolorum, Lotio manuum, Offertorium, Præfatio, Conſeeratio, Commemoratio Sanctorum, Collectæ pro Paſtoribus, Principibus, & Fidelibus vivis, atque defunctis, Actio, Benedictio populi, diverſo tamen ordine, diverſiſque cæremoniis:* Hæc Sionita, qui & in eadem Epiſtola de eorum Miſſalis antiquitate loquens, etſi nihil audeat aſſeverare, ait tamen, quod cum Libri Sacri iidem ſint Maronitis, & Jacobitis; conformitas autem hæc orta ſit ex illo priſtino circa fidem conſenſu, qui quarto demum ſæculo in amara diſſidia verſus eſt, forſitan haud inepte concludi poſſe, inquit, Miſſale, cæteroſque Syrorum libros eſſe quarto ſæculo priores. Et ſane hujuſmodi Liturgicos Codices jam ante S. Ephræm, qui quarto ſæculo floruit, & anno circ. 372. obiit, extitiſſe conſtat, tum ex ejus Teſtamento, in quo plerique Miſſæ Syriacæ Ritus, puta incenſationis Altaris, & alia id genus deſcribuntur, tum ex ejuſdem libro de Sacerdotio, ubi eadem pene invocationis formula legitur, quæ in hodierno Miſſali Syriaco extat apud Maronitas, & quam cum aliis exhibet Ricardus Simon in notis ad Apolog. Gabrielis Severi Philadelph. pag. 152., & poſt ipſum referunt Euſebius Renaudotius in ſuo Liturgico Orient., & Aſſemanus in Biblioth. Orient. Similia porro, ac fere eadem contineri in Maronitarum Liturgiis, quæ in Miſſa Latina, teſtatur idem Summus Pontifex loco ſupra indicato his verbis: *utuntur Maronitæ Ritu huic Sanctæ Sedi probato, quique ad Ritum Romanum quamproxime accedit: cum etſi in azymo, non in fermentato, conficiant: Sacras veſtes ad Eccleſiæ Romanæ formam adhibeant: Miſſas privatas, plureſque in diem ſuper eodem altari celebrent: neque in Miſſa aquam calidam, ut Græci, apponant.*

Maronitarum Miſſa Chaldaica, ſive Syriaca Latinæ fere per omnia ſimilis, diverſo tamen ordine, ac cæremoniis.

(4) *Ordinem Sacrificii ab Apoſtolis traditum eſſe*) Ita plane, licet enim Chriſtus Dominus in ultima Cœna, cum Miſſæ Sacrificium inſtituit, recumbentibus diſcipulis præceperit, ut quod a ſe factum fuerat, & ipſi deinceps peragerent, certum tamen eſſe debet, illum Apoſtolis ſuis, atque in eorum perſona toti Eccleſiæ poteſtatem, authoritatemque dediſſe ea omnia in Auguſtiſſimi hujuſce, ac tremendi Myſterii conficiendi, ritibus, & cæremoniis addendi, demendi, immutandi, diſponendi quæcumque ad illius dignitatem, & deco-

Liturgiarum omnium ubique terrarum concordia palam facit certum Sacrificii ab Apoſtolis traditum eſſe.

decorem, populorum item pietati, varïúſque temporum circumſtantiis magis congruentia, & opportuna judicarent. Id perſpicue teſtatur pro omnibus Paulus, qui ad Corinthios ſcribens Epiſt. 1. cap. 11. 32. poſt narratam inſtitutionis Euchariſticæ hiſtoriam ea ſibi tradita poteſtate ſe libere uti poſſe in Eccleſiis aſſerit his verbis: *Cætera, cum venero, diſponam.* Relictam hujuſmodi poteſtatem a Chriſto Domino Eccleſiæ ſponſæ ſuæ fatentur vetuſtiſſimi Patrum, quorum nonnullos alias attulimus, & hic denuo inſerimus, ut hujuſmodi inconcuſſa veritas ampliori robore confirmetur. Dionyſius Areopagita Eccl. Hier. cap. 1. *Principis noſtri* (ideſt Apoſtoli) *viſibilibus*, inquit, *ſignis cæleſtia Sacramenta texerunt, & ſub humanis imaginibus res divinas tradiderunt, & in materiali figura majeſtatem ſpiritualem repræſentarunt, ut pro modo, ac ratione capeus noſtri figuris viſibilibus, quaſi adminiculis quibuſdam, ad Myſteriorum auguſtiorem intelligentiam ſubvehamur.* S. Irenæus adv. hær. lib. 4. cap. 32. *Novi Teſtamenti docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo Mundo offert Deo*: S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. expreſſe ait: *quod in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt Apoſtoli*: quod & ante ipſum Origenes firmat homil. 5. in lib. Numer., & alii Græcorum plures, quibus & addo Latinos Innocentium I. in celebri Epiſtola ad Decentium Eugubinum, de quo ſupra Eminentiſſimus Author, cap. 6. §. 3. Cœleſtinum paulo infra nota ſequenti adducendum. His adſtipulantur Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, & præcipue Auguſtinus Epiſt. olim 118. nunc 54. ad Januarium §. 8., ubi loquens de Sacrificio Miſſæ hæc habet: *nam quæ Salvator ..... ideo nec præcepit, quo deinceps ordine fumeretur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum.* Deinde lib. 5. de Baptiſmo cap. 23. *Sunt multa*, inquit, *quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur &c.* Quod & retrò ibidem lib. 2. cap. 7., ac mox dicta Epiſtola ad Januarium iiſdem pene verbis edixerat.

Aſt in re per ſe omnibus, quibus mica ſalis adſit, notiſſima, eccur Patres in teſtimonium vocamus? Cum & ipſi ex Proteſtantibus Doctores præcipui Erneſtus Grabbe, ut diximus ad cap. 3. §. 4. n. 2. cap. 6. §. 1. nota 1., & cap. 8. §. 1. in fine, & ante ipſum Joſeph Medus Londinenſis ingenue fateantur Miſſæ ſacrificium, *non privatam alicujus particularis, ſed publicam univerſalis Eccleſiæ doctrinam, atque praxim fuiſſe, quam illa ab Apoſtolis, Apoſtoli ab ipſo Chriſto edocti acceperunt, ac proinde Lutherum, & Calvinum Apoſtolicæ Eccleſiæ ſanctiſſimas formulas, quibus dictum Sacrificium Deo offertur, male e ſuis cœtibus proſcripſiſſe*: His addendi Thomas Brett, & Samuel Jebb Londinenſes Scriptores ſupra loco citato relati, aliique infra adducendi, qui idem, etſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ infenſi, vel inviti ſenſerunt. Non itaque Pontificum Romanorum inventum Miſſæ ſacrificium eſt, ejuſque ordo celebrandi, uti prædicti hæreſiarchæ phrænetici inſanientes delirant, & ex eorum affectis Matthias Flaccus Illyricus, David Chrytæus, aliique hujus damnati furſuris homines, qui nequiter poſt ſæculum ſextum tantum, & non ante, Miſſas cœpiſſe, & in iis ſuffragia pro defunctis, invocationem Sanctorum, eorumque cultum, & alia id genus ſacroſancta Eccleſiæ Catholicæ dogmata per Romanos Pontifices inducta tunc fuiſſe iniquo ore pronunciant; hac falſa propterea perſuaſione imbuti, Gregorium Magnum, quem univerſalis Eccleſia Latina, & Græca juremerito Sanctum proclamat, & vocat, ipſi, quod prædictas, ut ajunt, novitates invexerit, Novantium perditi calumniatores appellant; at ipſos arguit malitia ſua, & eoſdem increpat propria veritatis averſio, dum ex gregalibus ſuis, ut diximus, prudentiores, illos uti mendaces, & fatuos ſuo veritatis teſtimonio juſte percellunt.

Ac proinde non Pontificum Romanorum inventum ſeculo ſexto, uti plerique ex Sectariis effutiunt.

Quidquid autem ii contra venerandam Sacrificii Miſſæ antiquitatem, ſacroſque Liturgicos ritus impio conatu, blaſphemoque auſu effutire præſumant, adverſus ipſos veluti lapides de pariete clamabunt Concilia omnia, Patres univerſi, & quotquot Chriſtiana fide diſtinguuntur nationes, tribus, & populi uno ore, etſi diverſis linguis, una tamen conſenſione confitentes hanc eſſe traditionem Apoſtolicam, *publicamque univerſalis Eccleſiæ doctrinam, & praxim, quam illa ab Apoſtolis, Apoſtoli ab ipſo Chriſto acceperunt*, ut ſupradicti ex Proteſtantibus Theologi lubentes concedunt, nec umquam adverſus eam portæ inferi prævalebunt, fundata enim ſupra firmam petram, Cathedram ſcilicet Petri, illius nimirum, cui dixit Dominus, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, ut teſtatur Paulus ad Titum ſcribens cap. 3. 15. *Ab auditione mala* (Hæreticorum) *non timebit*. Liceat autem mihi hic ab Eraſmo argumentum, ac eadem argumenti verba mutuari. Ille ſcribens ad Ludovicum Berum, & Euchariſtiæ adorationem evincens: *numquam*, inquit, *mihi perſuaderi poterit, neque poterit, Chriſtum, qui veritas eſt, & charitas, tamdiu paſſurum fuiſſe dilectam Sponſam ſuam hærere in errore tam abominando, ut cruſtulum farinaceum pro ipſo adoraret*; ſimilia & ego repetam contra Eccleſiæ hoſtes, ſacrorumque rituum oſores: numquam mihi perſuaderi poterit, neque poterit, Chriſtum, qui veritas eſt, & charitas, tamdiu paſſurum fuiſſe dilectam Sponſam ſuam hærere in errore tam abominando, ut ſuperſtitioſos ritus, & ab hominibus inventos, quemadmodum Heterodoxi blaterant, induceret, alioque ordine, forma, ac ritu Deo Patri ſuo ſacrificaret, quem ipſe unigenitus illius Filius per Apoſtolos ſuos non tradiderit obſervandum. Stabit itaque, & firmiter tenendum ſtabit, quod Concilium Tridentinum omnium maximum, & complementum ſtatuit ſeſſ. 22. cap. 5. his verbis: *Cum natura hominum ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum ſuſtolli, propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam ..... cæremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex*

Apoſto-

Apostolica disciplina, & traditione, quo & majestas tanti Sacrificii commendaretur &c. Hujusmodi autem Apostolicam traditionem recte item ex Patribus, puta ex Epiphanio, & Augustino Epist. 59. ad Paulinum deducit clar. P. Honoratus a S. Maria lib. 5. de usu Criticis dissert. 3. art. 2. §. 2. neque enim, subdit, ulla est Liturgia, quæ non afferat precationes ante consecrationem, alias pro consecratione, alias ad benedicendum populum, & postremo loco gratiarum actiones, uti Paulus Apostolus memorat Epist. 1. ad Timoth. cap. 2. (de quibus ex eodem nos supra ad cap. 8. §. 1. nota prima circa finem) Licet autem Divus Paulus primus; atque unus Apostolorum sit, qui scripto tradiderit primam Sacræ Liturgiæ speciem, quæ revera præcipuas quatuor Missæ partes complectitur, religiose in unaquaque Liturgia deinceps in Ecclesiis adhibita servatas, nihilominus constans fœculorum omnium traditio nos docet Sanctos Petrum, & Jacobum ore saltem tenus, atque exemplo normam dedisse Liturgiarum omnium, quæ ab Ecclesia Græca, & Latina usurpatæ fuerunt. Quo stante Sanctus Petrus habendus est tamquam primus institutor Missæ Romanæ, & S. Jacobus Hierosolymitanæ, quæ deinde propagatæ sunt, prior in omnibus Occidentis, altera in Orientis Ecclesiis. Hæc in supradictorum confirmationem Carmelita doctissimus. Sed & de iisdem iterum in nota sequenti 5.

Mira hujusmodi omnium Gentium in ordine Sacrificii consensio nonnisi a Spiritu Sancto esse potest.

(5) *Nonnisi a Spiritu Sancto esse potest*) Et sane ex hac perpetua omnium Gentium consensione in Missæ Sacrificio peragendo, tum quoad essentialia, videlicet oblationem, consecrationem, & communionem, tum quoad prædicta, quæ antecedunt, aut subsequuntur, pedum Liturgiarum omnium, quæ in Ecclesia observantur, antiquitas, & authoritas comprobatur, sed & eisdem nonnisi a Spiritu Sancto esse posse, ut optime asserit Eminentissimus Author, evidentissime contra Sectarios, qui illas temere contemnunt, sic evidentissime demonstratur; illorum siquidem rituum non potest non esse summa authoritas, quos Christiani omnes ubique degentes unanimi consensu, summaque religione olim observarunt, & etiamnum retinent: quod enim apud multos invenitur, non est erratum, sed traditum, eoque magis cum Ecclesia universa errare non possit etiam in operando, præsertim in ritu, & cultu divino juxta Augustinum, qui Epist. olim 118., nunc 54. ad Januarium docet; insolentissimæ esse, insaniæ existimare non recte fieri, quod ab universa Ecclesia sit, & lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. ait? *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

Cum autem ritus Liturgicos summi olim consensione quotquot Christiana professione censentur, fideles Populi observaverint, & servent omnes usque nunc præter Lutheranos, & Calvinistas, qui non alia sane de causa illos contemnunt, eorumque authoritati contradicunt, quam quia sacra dogmata in iis expressa Novatores isti averfantur, & negant, quibus tamquam ex limpidissimis antiquæ Orthodoxæ Fidei fontibus ad Christi Domini realem præsentiam in Eucharistia, transubstantiationem, Eucharistiæ adorationem, veritatem Sacrificii, invocationem Sanctorum, Purgatorii existentiam, defunctorum suffragia, & alia id genus plurima demonstranda argumenta inconcussa hauriunt, ac derivant Catholici; fatendum proinde, & pro certo firmissime tenendum sacrorum hujusmodi Rituum summam semper profecto fuisse, & esse debere authoritatem, quæ tanta temporis vetustate pleno omnium ubique terrarum orbis nationum, & populorum voto, usuque, ac pacifica possessionis continuata, & numquam interrupta præscriptione firmatur. Quod vero ab universa Ecclesia semper retentum nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur, ut mox Augustinus; quis nisi infanus a Spiritu Sancto esse negabit? *Profesto publicam totius* (Christiani) *Orbis, & universam Mundi linguam solus vult insipiens evertere*, ut aureo calamo suo firmat Chrysostomus in Psal. 13. Hinc ex Apostolo Paulo ad Rom. 13. *Cum omnis potestas non sit nisi a Deo*, Ecclesiæ utique authoritas a Deo erit; *Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt, itaque qui resistit potestati* (Ecclesiæ) *Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Videant Sectarii, & semetipsos judicent.

Adhuc autem nonnulla in contrarium opponunt nostri temporis Novatores, at numquam dicteriis suis antiquissimæ hujus præscriptionis argumentum eludent; etenim antequam ipsi Lutherus, & Calvinus, aliique hujus damnati furoris homines vivere cœperint, fuisse Orientes, & Occidens Liturgias a Majoribus traditas jam per plura fœcula sanctæ, custoditas possidebant, & religiose observabant: quare turbari nullatenus potest, aut convelli hujusmodi possessio publica, quin prius ejusdem vel novitas, vel aliqua ex parte injustitia demonstretur, quod illi numquam ostendere valebunt. Audiant hic iterum vel inter ipsosmet celebrem Erasmum, qui in Epistola ad fratres inferioris Germaniæ, de Eucharistiæ adoratione ex Liturgicis ritibus præscripta loquens, sic de iis inquit: *Cum doceant summam impietatem, & idololatriam esse adorare Eucharistiam, quod saltum est ante ætatem Augustini, ac Cypriani, & ut credendum ab ipsis traditum Apostolis, nonne damnant totam Ecclesiam? Confugiant ipsi ad illam nulli cognitam Ecclesiam, sub cujus titulo cuique licet, quod libet.* Erasmo subscribit Hugo Grotius celebris item inter Protestantes Scriptor, qui (ut jam supra adnotavimus cap. 6. §. 1. nota 1. in fine) expresse ait, consensum hujusmodi Liturgiarum per omnia loca, & tempora in Divini Sacrificii precibus absque dubio venire a prima Apostolorum institutione. Quibus primariis, ex Batavis, vel alii Romanæ Ecclesiæ adversantes plerique addi possent; at isti pro omnibus in hujusce Catholicæ veritatis testimonium adducti plene, & abunde sufficiant. Hinc si vere Christiani esse volunt nostri temporis Sectarii, pias hujusmodi traditiones a Patribus acceptas, quas Ecclesia Catholica

Quod ex ipsa antiquitatis præscriptione comprobatur.

Liturgiarum omnium consensum in ordine Sacrificii Apostolica institutione venire, fatentur etiam Protestantium nonnulli.

lica obſervari præcipit, ſic totius Orbis communi ſuffragio, conſuetudine, ac ſtabili exinde præſcriptione fundatas, a nonnullis etiam ipſorum Doctoribus, ut diximus, laudatas, & ipſi religioſe obſervent, ne juſte Novatorum nomine, quod ipſi abhorrent, undequaque notentur.

Enimvero, quænam, quæſo, tam unanimis hujus publicæ conſenſionis cauſa eſſe, ponuit, niſi quia in ſacris Liturgiis agnoverunt Chriſtiani omnes univerſalis Eccleſiæ vocem, & certiſſimum Divinæ, Apoſtolicæque traditionis monumentum, quod utique nonniſi a Spiritu Sancto eſſe poſſe ex dictis perſpicuum eſt, ut etiam ex Epiſtola 8. Cœleſtini Papæ I. ad Epiſcopos Galliæ ulterius comprobatur: *Obſecrationum*, inquit, *Sacerdotalium Sacramenta inſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita in toto mundo, atque in tota Catholica Eccleſia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi*. Quare ſi lex ſupplicandi legem credendi ſtatuit, cum iſta nonniſi ex divina revelatione ſit, nihil enim eſt de fide, niſi quod Deus multifariam, multiſque modis olim loquens Patribus in Prophetis, noviſſime locutus in filio, & per ejus Apoſtolos revelavit, aut quod in revelatis evidenter continetur, plane conſequitur, quod hujuſmodi lex ſupplicandi ſic ab Eccleſia univerſa communiter, & ab initio acceptata, per quam lex credendi ſtatuitur, & ipſa ex eadem divina per Apoſtolos traditione, adeoque ex Spiritu Sancto derivari credatur. Recole item quæ ſupra diximus ad Cap. VIII. §. 1. nota 2. in fine.

Ex antiqua conſuetudine habent Syri, et hymnos in Sacrificio canant.

(6) *Ejus linguæ periti teſtantur*) Id quidem Maronitis peculiare, a reliquis quippe Nationibus nihil in Miſſa canitur, niſi quod in Miſſali præſcribitur. Cæterum id ex antiqua conſuetudine habent Syri, ut hymnos in Sacrificio canant. Teſtis eſt Sozomenus Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 16. ubi totus in S. Ephræm laudibus deſcribendis, hæc inter cætera habet: *Ephræm videns Syros, & verborum elegantia, & numeroſis modis concentus mire delinitos, atque eo pacto ad ſimiliter cum Harmonio* (erat is Bardeſanis filius Valentini hæreſi, uti Pater, infectus) *ſentiendum aſſueſactos, quamvis Græcæ litteraturæ eſſet expers, tamen in numeris verſuum Harmonii comprehendendis ſe attente deſixit, & ad modos carminum ejus alia carmina doctrinæ Eccleſiaſticæ conſentanea compoſuit, cujus generis ſunt ea quidem, quæ hymnos divinos, & laudes virorum, qui vitam a perturbationibus animi vacuam degebant, complectuntur. Ex quo quidem tempore Syri modos ab Ephræm ſuos juxta concentum Harmonii obſervantes canunt*. Nedum autem Sozomenus, ſed & alii teſtantur Hiſtorici S. Ephræm Poetam fuiſſe lingua ſua valde elegantem; id confirmat Theodoritus lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 29. Hiſtoria Tripartita lib. 8. cap. 6. Nicephorus lib. 9. cap. 16. Quinimmo addit Sozomenus loco citato, (quod improbabile exiſtimat Morinus nota 10. in Syrorum ordinat.) tantopere verſificationi ſtudui ſſe, ut tricies centenas myriades carminum compoſuerit, eaque in multorum manibus haberi. Ut ut ſit, conſtat maximam partem precum, præſertim hymnorum, qui in libris Eccleſiaſticis Maronitarum deprehenduntur, Sanctis Ephræm, & Jacobo Niſibeno, ſeu verius Sarugenſi, de quo infra, ac primo potiſſimum a Syris tribui. Et quidem S. Jacobi Sarugenſis hymnum recitat Maronitæ, dum Hoſtiam ſignant, dicentes: *credidimus*, & *obtulimus*, poſt quæ mox ſubjungunt hymnum præfatum, cujus initium: *Pater veritatis, en Filius tuus Hoſtia tibi placita*, uti ex eorum Miſſali.

Qui ſere omnes Sancto Ephræm Syro, nonnulli Jacobo Sarugenſi tribuunt.

Porro S. Ephræm hymnos nonnullos recenſet ſupralaudatus Joſeph Sim. Aſſemanus Biblioth. Orient. Tom. 1. pag. 139., qui eodem Tomo pag. 60. monet hymnos heptaſyllabos, qui in divinis Syrorum officiis occurrunt, propter metri imitationem Ephræmiticos dici, etſi non omnes ad Ephræmum referantur, cujuſmodi ſunt precationes binæ, quæ in Severi libello de Ritibus Baptiſmi, & Sacræ Synaxis per Fabricium Boderianum edito Syriace, & Latine, repræſentabantur, de quibus Joannes Albertus Fabricius Bibl. Græc. Tom. 5. pag. 322. Abrahamus Ecchellenſis in Eutychio vindicato Parte 2., ubi de Origine nominis Papæ, pag. 253. ſub Ephræmi nomine hymnum quemdam citat de obitu Beatæ Virg. qui apud Syros in Officio Aſſumptionis Deiparæ canitur, extatque Syriace in Parte 2. æſtiva: verum is recentioris cujuſdam fœtus eſt, ut ex ſtylo arguit dictus Aſſemanus, qui etiam loco citato cum Tillemontio Tom. 8. pag. 758. hunc hymnum ab Eminentiſſimo Authore ſub S. Ephræm titulo exhibitum, ad illius quidem hymnorum normam conſcriptum eſſe, ſed Sancto Doctori Syro abjudicandum affirmat, fortaſſe ex eodem Tillemontio motus, qui non ſatis ſe ibi percipere fatetur, quomodo S. Ephræm vir aſceticis totus addictus, & ab hujus mundi rebus abſtractus, iſtius hymni author dici poſſit, in quo plura, ut ait, bona temporalia, pauca tantum ſpiritualia ibidem a Deo poſtulantur; at eruditiſſimum virum hoc loci hallucinatum facile conijciet prudens lector, ſi optime ad petitiones in eodem hymno expreſſas attendens, etſi de temporalibus nonnullæ ſint, has tamen nonniſi ſpiritualibus adjunctas eſſe obſervabit, omneſque publicis Eccleſiæ precibus, quæ in Litaniis, & alibi habentur, omnino conformes reperiet.

Hymnus S. Ephræm ſupra ob Eminentiſſimo vocatus nonnullis ſuſpectus eidem Sancto vindicatur.

Et quidem ſi conferantur petitiones ſpirituales cum temporalibus, quæ in hoc hymno continentur, illæ profecto per ſe ipſas, & ſuo numero iſtas longe ſuperabunt, ac excedent, eoque amplius, ſi quamplures Dei laudes, divinorumque Chriſti Domini myſteriorum commemorationes ibi pariter expreſſæ, & inſertæ initio, medio, ac fine, quæ item ſpirituales orationes ſunt, adnumerentur. Uno verbo novem circiter petitiones totidem ferme verſiculis exaratæ, quoad bona temporalia extant, reliquæ, ſive Dei glorificationes, pix aſpirationes, petitiones, ſive defunctorum memoriæ, Beatæ Mariæ Virginis, ac Sanctorum Martyrum, Juſtorumque, ut pro nobis intercedant, invocationes cum clauſula, item glorificationis Sanctiſſimæ Trinitatis, ad bona ſpiritualia pertinere nemo negabit, quæ omnia plura admodum numero dictis temporalium rerum petitionibus facile quiſque videt. Quare ſi hymnus iſte, quaſi indignus

S. Ephræ-

S. Ephræmo, utpote aſcetico viro, abjudicandus erit, an forte ex pari ratione Eccleſiæ Catholicæ non erunt orationes illæ, & petitiones de rebus temporalibus, quæ in Litaniis, ac publicis ſupplicationibus fiunt ab univerſo Clero, & populo coram Deo, ut ſcilicet *Regibus, & Principibus Chriſtianis pacem, & veram concordiam donare, Turcarum, & Hæreticorum conatus reprimere, inimicos Sanctæ Eccleſiæ humiliare, ut a fulgure, & tempeſtate, a peſte, fame, & bello nos liberare, ut fructus terræ dare, & conſervare dignetur?* Item inter Collectas feriæ ſextæ in Paraſceve illa, qua Deus pariter exoratur, *ut morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula diſſolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus ſanitatem, navigantibus portum ſalutis indulgeat?* Alia prætereo id genus multa, quæ in Libris Miſſalibus, ſacrarumque precum Codicibus leguntur, ac pene eadem plura in dicto hymno inveniuntur. Vides ut alto quandoque ſomno bonus etiam dormitet Homerus. Nihil eſt ergo, quod vetet S. Ephræmum vere hujus hymni Authorem eſſe, qui etſi totus aſceticis deditus, eumdem tamen accommodatum juxta Eccleſiæ univerſalis ſpiritum, quæ pro omni gradu, ſtatu, conditione, & ordine fidelium ſubditorum, ac uniuſcujuſque indigentiam publicas orationes ſuas ad Deum dirigit, ipſe in uſum ſuæ particularis Syrorum Eccleſiæ confecit, ac petitiones rerum temporalium nonnullas quam plurimis ſpiritualibus immiſcuit, ut conterranei ſui, noſque ſimul *Deo vellore, & Duce ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna*: quod finis, intentio, ac deſiderium Sanctæ Matris Eccleſiæ eſt in Collecta Dominicæ tertiæ poſt Pentecoſten. Atque his ſatis ſuo Authori reſtitutus Sancti Ephræmi hymnus; ſatis a Tillemontii cenſura vindicatus Emin. Scriptor. Quidquid nihilominus ſit de hoc Ephræmitico carmine, certum eſt Sanctum Ephræm Odas, Verſus, & Cantica præſertim de Defunctis, quæ in Officio Syriaco, tum apud Catholicos, tum apud Hæreticos etiamnunc uſurpantur, compoſuiſſe, quorum tamen carminum bene multa interiere, uti fere omnes ejus vitæ Scriptores teſtantur.

§. IX.

Plurimas eſſe apud Orientales Liturgias.

ERunt fortaſſis & aliæ gentes peculiaribus & diverſis utentes conſuetudinibus, ſed ut verba uſurpem Nicephori Calliſti lib. 12. cap. 34. *Valde mihi laborioſum, & difficile eſſet variantes per urbes, & regiones omnes Eccleſiarum conſuetudines enumerare, & perſcribere: id enim omnino fieri nequit.* Abraham Ecchellenſis in notis ad Catalogum Hebedieſu pag. 134. numerari ait apud Orientis Chriſtianas gentes ſupra quinquaginta Liturgias partim communes, partim proprias ſingularum gentium; ex his autem extare penes ſe triginta & unam, quæ ſic ab eo recenſentur. (1) (1) Una S. Jacobi, duæ duodecim Apoſtolorum nomine, major ſcilicet, ac minor; duæ S. Petri, una S. Joannis Evangeliſtæ, una S. Marci, præterea S. Dionyſii Areopagitæ, S. Sixti Papæ, Julii Romani Pontificis, S. Joannis Chryſoſtomi, S. Baſilii, S. Cyrilli Alexandrini, S. Jacobi Niſibenſis, S. Gregorii Theologi, D. Joannis Maronis Patriarchæ Antiocheni, alterius Joannis Patriarchæ Antiocheni, Euſtathii item Patriarchæ Antiocheni, Moſis Barcephæ, Jacobi Edeſſeni, Philoxeni, Eleazari Epiſcopi Babylonis, Maruthæ Epiſcopi Tagritenſis, Thomæ Giarmachitæ, Matthæi Paſtoris, Joannis Barſuſan, Neſtorii, Theodoreti, Diodori, Narſetis, Barſumæ. Gabriel quoque Sionita in Epiſtola præcitata ſe habere Codicem MS. teſtatus eſt, ſexdecim Anaphoras, ſeu Liturgias complectentem, quarum prima adſcribitur Xyſto Pontifici Romano, ſecunda Joanni Evangeliſtæ. 3. Petro Principi Apoſtolorum. 4. duodecim Apoſtolis. 5. Jacobo fratri Domini. 6. Sancto Maruthæ. 7. Dionyſio, quem Barſalibæum nuncupant. 8. Joanni Chryſoſtomo. 9. Matthæo Paſtori. 10. Joanni Patriarchæ cognomento Barſuſan. 11. Euſtathio. 12. Marco Evangeliſtæ. 13. Proclo Epiſcopo Byzantino diſcipulo S. Joannis Chryſoſtomi. 14. Moſi Barcephæ. 15. Phillixino. 16. Julio Pontifici Romano. Duæ in Bibliotheca Patrum poſtremæ editionis (2) reperiuntur, Gregorii Nazianzeni (2) & Cyrilli Alexandrini nomine prænotatæ, quas Victorius Scialach ex textu Arabico Latinas fecit. (3) Prolixe diſſerit de antiquis Orientalium Liturgiis (3) Ricardus Simon in notis ad Apologiam Gabrielis Severi Metropolitæ Philadelphiæ num. 10. a pag. 203. uſque ad 228. (4) (4)

Qui de Liturgiis Orientalium scripserunt Authores, & eadem ab ipsis indicatæ, recenſentur.

(1) *Quæ ſic ab eo recenſentur &c.*) Pluri-mas ſane, ac pene innumeras fere apud Chriſtianos Orientis Gentes Liturgias, variorumque nomine inſcriptas, teſtantur nonnulli, qui de iis diſſeruerunt, Stephanus Edenenſis Maronita Patriarcha Antiochenus in ſuo libro de Catholicis Anaphorarum Syriacarum Authoribus, Thomas Heracleenſis Epiſcopus Germaniciæ in Catalogo earumdem apud Cornelium Scultingium, qui & ipſe Liturgias omnes Orientales, quas potuit, colligere ſtuduit in ſua Eccleſiaſtica Bibliotheca, & noviſſime Euſebius Renaudotius in ſuo magno Liturgico Orientali duobus Tomis comprehenſo, qui neque omnes ſingulatim refert, ut paſſim ex clar. Joſepho Sim. Aſſemano in ſua Biblioth. Orient. colligitur. Harum Liturgiarum præcipuæ ſunt quas memorat hoc loci Emin. Author ex Abrahamo Ecchellenſi, & Gabriele Sionita. Quia vero ipſi earum nudum nomen proferunt, nos ad id ulterius nonnulla ſubjiciemus.

S Jacobi Liturgia apud Syros omnium antiquiſſima.

Et primo S. Jacobi Liturgia apud Syros omnium Liturgiarum antiquiſſima eſt, ad quam reliquæ tamquam ad normam accommodatæ ſunt. Eam plures ex Syris antiqui ſuis Commentariis adornarunt, Joannes Maro, Jacobus Edeſſenus, aliique, de quibus videndi Aſſemanus dictæ Biblioth. Orient. Tom. 1. ubi de Marone, & Edeſſeno, ac Renaudotius in citato Opere Tom. 2. pag. 73. Item duæ S. Petri Liturgiæ; cum enim S. Petrus Apoſtolorum Princeps Antiochiæ primariæ apud Syros urbis ſederit, idcirco eidem propriam tribuunt Syri Liturgiam; quæ autem ex duabus illius vere ſit, neque ipſi indicant, fortaſſe ſecunda ab aliquo illorum Epiſcopo confecta eſt, atque earum prima major dicta, quia in præcipuis feſtivitatibus adhibita, ſecunda vero minor, quia aliis diebus. Ex his unam edidit Renaudotius Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 145. quæ incipit, *Altiſſime, qui es in ſecula*. Ita etiam ſentiendum de duabus, quas habent *XII. Apoſtolorum*, quarum unam plerique ad S. Lucam Evangeliſtam referunt. *Liturgia S. Joannis Evangeliſtæ*. Hæc habetur in Codicibus Syriacis Vaticanis num. 6. & 8. apud Aſſemanum Bibl. Orient. Tom. 3. in fin. pag. 637. Item apud Renaudotium Tom. 2. pag. 163. *S. Marci*. De hac jam dictum ſupra cap. 8. §. 2. nota 2. & eſt impreſſa Pariſiis primum an. 1583. deinde 1555. *S. Dionyſii Areopagitæ*. De hac etiam nonnulla dicta ſunt ſupra loco citato §. 5. nota 9. in fine, quibus adjungendum quod Anaphora Syriaca eidem Dionyſio inſcripta prodiit latine, edita a Renaudotio Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 202. cujus initium *Domine Deus, qui es ſimplex*: cujus meminit Edenenſis cap. 2. de Catholicis Anaphorarum Authoribus num. 9. Ejuſdem nomine edita fuit in Miſſali Chaldaico Liturgia, quæ incipit: *Charitatem, & concordiam*: ſed quæ (ut advertit Renaudotius Tom. cit. pag. 213.) præter titulum cum iſta commune nihil habet, cum in Miſſali tribuatur Dionyſio Barſalibi Amideno Jacobitarum celeberrimo, quod & ante Renaudotium obſervaverat Edenenſis loco citato. Atque hæc de Liturgiis Apoſtolicorum Patrum nomine inſcriptis, & apud Syros uſurpatis dicta ſint.

Duæ XII. Apoſtolorum.

S Joannis Evangeliſtæ.

S. Marci.

S. Dionyſii Areopagitæ.

Quæ in Miſſali tribuitur Dionyſio Barſalibi, Amideno Jacobitarum Patriarchæ, de quo infra.

Ex reliquis prima occurrit *S. Sixti Papæ* titulo nuncupata Anaphora, de qua & aliis nunc agemus. Cum apud Orientales, Syros præſertim, ut eruditiſſime obſervat Aſſemanus Bibl. Orient. Tom. 1. cap. 3. pag. 420. Ex Evagrio lib. 3. cap. 23. Hiſt. Eccl. conſuetum fit, vel bona, vel mala fide, pleraque Catholicorum, Hæreticorumque Opera ſub ſpecioſis Græcorum, & Latinorum Patrum nominibus venditare, ſexto ſeculo Xiitum, qui Syrus fuiſſe videtur, ut ſtylus ejuſdem declarat, ex incertæ ſedis Epiſcopo iidem Romanum Pontificem fecere, non alia, ut fertur ratione, quam propter nominis ſimilitudinem. Hinc apud Joannem Apameenſem, quem ſexto ſeculo floruiſſe conjicit laudatus Aſſemanus loco cit. cap. 32. & in nonnullis Codicibus Syriacis *Epiſcopus Romæ* appellatur, quem etiam titulum reliqui Anaphorarum deſcriptores Liturgiæ ſub ejus nomine editæ præfigere ſolent. Et quidem Sixtum Epiſcopali dignitate præditum fuiſſe colligitur, tum ex Epiſcopi titulo, quo paſſim decoratur, tum ex eo, quod Liturgiam, ſeu Anaphoram condiderit, quæ ſolis Epiſcopis nedum, apud Syros, ut recte obſervat Renaudotius Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 398. ſed & apud reliquos Orientales, præſertim Orthodoxos, tribuitur, etſi apud Neſtorianos, & Jacobitas Narſetis preſbyteri, & alterius fortaſſe Matthæi Paſtoris, Anaphoræ legantur. Romanum autem Pontificem hunc Xiſtum nequaquam fuiſſe, ſuadet Græcorum, Latinorumque altum de hac, quæ ſub ejus nomine circumfertur, Liturgia ſilentium. Forte extitit hujus nominis aliquis Epiſcopus Conſtantinopolis, quæ cum nova Roma a pleriſque dicta fuerit, potuit & ille hujuſmodi *Romæ Epiſcopus* appellari. Ut ut ſit, hæc Anaphora, ſeu Liturgia ſub Xiſti nomine apud Chriſtianos Orientales celeberrima eſt, ejuſque initium: *tranquillitatem, & pacem*: prodiit Syriace in Miſſali Maronitarum anno 1594. & latine per Renaudotium Tom. 2. pag 134. extat autem MS. in omnibus fere Codicibus Liturgicis. Ejuſdem meminit etiam laudatus Stephanus Edenenſis cap. 2. de Cathol. Anaphorarum Scriptoribus num. 10., ubi ex communi Syrorum opinione Xiſto Papæ eam adjudicat. Joannes Maro, vel quiſquis eſt Author Expoſitionis Miſſæ Syrorum, opinionem Renaudotii Tom. 2. pag. 142., ubi loquens de hac Xiſti Liturgia exiſtimat Jacobitas *ſententias quaſdam ex pſeudepigraphis tranſtuliſſe in Collectanea ſua, ex quibus commodas aliquot ſuis erroribus animadvertere ſibi viſi ſunt*: confirmat cap. 3. in hæc verba: *Liturgias Xiſti, & Julii Patriarcharum Romæ quidam ajunt latine ab iis primum conſcriptas, & Syriace poſtea translatas fuiſſe. Alii vellius affirmant illos quidem Patres regulas tamum, & præcepta nonnulla de ordine oblationis Sacrificii tradidiſſe, quæſdam vero ex Patribus traditæ ab iis doctrinæ inhærentes Liturgias illas ordinaſſe, & ſub glorioſis eorumdem nominibus publicaſſe*. Hæc Author Expoſit. Miſſæ Syrorum de Anaphoris Xiſti, & Julii Romanorum Pontificum, quas porro Li-

Anaphora S. Xiſti Papæ nomine falſo inſcripta.

ro Liturgias refert memoratus Renaudotius Tom. 2. pag. 134., & 227.

SS. Baſilii, Joannis Chryſoſtomi, & Cyrilli Alexandrini.

Quoad Liturgias *SS. Baſilii*, *& Joannis Chryſoſtomi* abunde dictum eſt ſupra cap. præcedenti §. 1. 2. & 3. *S. Cyrilli Alexandrini* Liturgia una eſt ex tribus, quas frequentius uſurpant Neſtoriani Æthiopes, ſeu Abyſſini, ut item ſupra notavimus ex Vanslebio, eaque ex Arabico in Latinum fermonem converſa primum prodiit edita a Victorio Scialach Maronita Auguſtæ Vindel. an. 1604. deinde ab aliis, ac noviſſime a Renaudotio Tom. 2. pag. 275.

S. Jacobi Niſibenſis.

S. Jacobi Niſibenſis. Abraham Ecchellenſis in notis ad Catalogum Hebedieſu loco ab Emin. citato Liturgiam Jacobo Niſibeno adſcribit, ſed pro Niſibeno Sarugenſem dicere voluit, ut optime advertit clar. Joſeph Aſſemanus Tom. I. Bibl. Orient. cap. 5. pag. 24. Hunc enim Liturgiam condidiſſe certum eſt, cum extet in Codice Nitrienſi III. apud ipſum Aſſemanum ibid. pag. 562., & prodiit latine edita a Renaudotio Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 356. at de Jacobo Niſibeno nemo Syrorum id fomniavit; porro Jacobi Sarugenſis Liturgiæ meminit Cornelius Scultingius Tom. 3. Bibl. Eccl. pag. 106. num. 24. ubi pro *Sarugenſi* perperam habet *Sevugenſem*. Inter Anaphoras Æthiopicas eamdem recenſet Jobius Ludolphus in ſuo Lexico Æthiopico, de quo ſupra Emin. Auctor, num. 4. atque in ordine quarta eſt, & pro *Syracenſis* legendum *Sarugenſis*. Incipit hæc Liturgia: *Deus Pater, qui es tranquillitas.* Neque una tantum, ſed duplicem Jacobo Sarugenſi Epiſcopo tribuit Liturgiam Stephanus Edenenſis ſupracitato Opere de Orthodoxis Anaphorarum. Authoribus cap. 2. num. 22. ubi ait: *Jacobus Sarugenſis, qui anno quingenteſimo decimonono ad Barnarum Sedem, quæ in Sarugo eſt, evectus fuit, duas habet Anaphoras, quarum prima incipit: Deus univerſorum conditor: altera, Deus Pater, qui es tranquillitas*, verum hæc poſtrema dumtaxat videtur eſſe Jacobi fœtus, uti advertit Aſſemanus loco citato pag. 301. Illa vero prior Severo Antiocheno reſtituenda, iiſdem quippe verbis incipit anaphora Severi apud Andream Maſium, cujus initium dictus Edenenſis adnotavit cap. 7. de Hæreticis anaphorarum Authoribus num. 3.

S. Gregorii Theologi.

S. Gregorii Theologi) De hujus Sancti Patris Liturgia, cujus initium: *Deus Pater beatiſſime*, videndi Edenenſis ſupra laudatus cap. 2. num. 16. & Cornelius Scultingius in Catalogo anaphorarum Syriacarum num. 10. Habetur hæc Copto-Arabice in Codicibus Copticis Vaticanis 12. 14. 21. & 24. Cæterum de Nazianzeni Liturgia altum apud veteres ſilentium, neque enim apud ipſos, aut inter ejus Opera, quæ ab Eruditis recenſentur, indicium, aut veſtigium ullum reperitur, quo illum anaphoram condidiſſe deprehendatur; quemadmodum SS. Baſilii, & Chryſoſtomi Liturgiæ ab ipſis indicatæ conſpiciuntur; quare alicujus Syri, qui & Gregorii, ac Theologi nomen ſibi adſciverit, aut fortaſſe S. Gregorii Armenorum Apoſtoli illuminatoris dicti, qui & apud illius Nationis nonnullos Theologi nuncupationem habere potuit, aut denique alterius cujuſpiam recentioris anaphoram hanc opus eſſe probabilius exiſtimarim, etſi nihil de eadem nec Renaudotius, nec Aſſemanus animadverterint. Et quidem in Lexico Ethiopico Jobi Ludolphi, de quo ſupra §. 6. Emin. Author inter decem Liturgias ibi recenſitas, nona in ordine eſt *S. Gregorii* abſque ullo addito, unde cujuſnam ſit, aut Theologi, ſive alterius, ut ſuſpicamur, incompertum videtur.

Joannis Maronis.

D. Joannis Maronis Patriarchæ Antiocheni. Hujus Liturgiam, ut ſpuriam, rejicit Renaudotius in Maronitas nonnihil inſenſus Tom. 2. Liturg. Orient in Diſſert. procem. num. 26. & cauſam rigidæ hujus cenſuræ producit eodem Tomo pag. 344. *quia nulla* (ut ait) *Bibliotheca*, quantumcumque Orientalium librorum dives, ipſam repræſentat; quaſi ipſe omnes Bibliothecas adiverit, aut omnes Bibliothecarum forulos excuſſerit, earumque libros evolverit, aut demum nullum in Oriente Scriptorum monumentum ſuperſit, quod in Bibliothecas Europæ illatum non ſit, ut ſcite illum redarguit clariſs. Aſſemanus Bibl. Orient. Tom. I. pag. 513. Maronis quippe anaphora, cujus initium: *Coram te Rex Regum, & Dominus Dominantium*: extat in Bibliotheca Vaticana Cod. Ecchellenſi num. 5. ejuſque meminit Edenenſis in Expoſitione Miſſæ Syrorum c. 2. de Catholicis anaphorarum Authoribus in hæc verba: *Joannes cognomento Maro, qui poſt Theophanis Patriarchæ Antiocheni obitum, ſedem illam obtinuit anno Domini 685. edidit anaphoram, cujus initium: coram te Rex Regum &c.*

Alterius Joannis.

Alterius Joannis Patriarchæ Antiocheni. Quis iſte fuerit incompertum eſt. Plures Joannis nomine extiterunt Patriarchæ Antiocheni, atque eorum tres Liturgias condidere, quas refert Renaudotius Tom. 2. Liturg. Orient. Joannes ſciiicet cognomento Magnus, cui tribuitur Liturgia Sanctorum Doctorum ibid. pag. 409. Joannes Scriba, & Acæmetus dictus, cujus Liturgia ibi pariter extat pag. 474. Joannes filius Maadni, cujus item ibi Liturgia pag. 512. Hunc, quiſquis extiterit, Jacobitam fuiſſe, aut Neſtorianum, ex dictis Liturgiis probabilius eſt. Ita ex Renaudotio. Verum de Joanne Scriba fallitur vir eruditus illum perperam Acœmetum legens, nam ex Gregorio Barhebræo Aſſemanus ita de ipſo habet Tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 216. Joannes, qui & Joſue Jacobitarum Patriarcha cognomento Scriba, Anachoreta, & ſtatura puſillus, non Acœmetus, ut ille autumat. Vixit iſte ſec. XIII. Ejus Liturgiæ initium: *Deus Pater, Dominus omnium, tranquillitas &c.*

Euſtathii.

Euſtathii item Patriarchæ Antioch.) Celebris eſt non modo inter Jacobitas, ſed & apud Orthodoxos Euſtathii Antiocheni, qui Concilio Nicæno interfuit, memoria. Ut igitur Petro Apoſtolo, qui illam Eccleſiam fundavit, Liturgias duas, unam Ignatio Martyri; ita facile fuit, ut Euſtathio unam quoque adſcriberent Syri, eo quod maxime inſignis Nicænæ fidei defenſor fuerit, cujus in odium calumnias, depoſitionem, & exillum ab Arianis paſſus ſit. Edita eſt hujus Liturgia in Miſſali Maronitico; ſed interpolata, ut ob-

ſervat Renaudotius, cujus ſinceram lectionem ſe reſtituiſſe putat pag. 235. extat eadem in Codice Syriaco Vaticano num. XIX., quem cum aliis Aſſemanus ex Oriente detulit.

Moſis Barcephæ. *Moſis Barcephæ*) Hujus nomine Liturgia extat in omnibus pene Codicibus Syris Jacobitarum, inter quos celeberrima eſt illius memoria. Fuit Syrorum Epiſcopus Urbis Beth-Raman, iſque idem eſt, ut notat Caveus de Script. Eccl. pag. 509., cujus ſunt Orationes quinque de opere ſex dierum, & libri tres de Paradiſo, qui ab Andrea Maſio ex Arabico Latine verſi prodierunt Antuerpiæ an. 1569. & Tom. XVII. Biblioth. PP. relati ſunt. Quo tempore vixerit, incertum. Eum decimo ſeculo vixiſſe ſcribit Fauſtus Naironus, cumque ipſo Caveus; at Renaudotius contrarium ſentiens Naironum immerito reprehendit, cum ipſe de hujus Barcephæ ætate parum ſibi conſtet; etenim vixiſſe illum diu ante Dionyſium Barſalibi, perſpicuum ait, cum is in Commentario ſuo ad Evangelia, & alibi illius teſtimonia referat. Dionyſium vero Barſalibæum poſt annum 1099. vixiſſe, ſcribit pag. 454. Probabilius itaque Barcepham vixiſſe initio ſeculi decimi cum Nairono, & Caveo tenendum eſt, ut diu ante Dionyſium vixiſſe dicamus. Ejus anaphoram edidit Renaudotius Tom. 2. pag. 391., ejuſque meminit Stephanus Edenenſis cap. 7. de Hæretic. anaphoris num 15. his verbis: *Severus qui & Moyſes Barcepha Epiſcopus Beth-raman duas edidit anaphoras, quarum prima incipit: Domine Deus lux æterna: altera nondum in manus noſtras incidit:* Eamdem laudat Author Catalogi Liturgiarum Syriacarum apud Scultingium Tom. 3. pag. 106. num. 31. *Moſis filii Petri* (hoc eſt Barcephæ) *Epiſcopi Barmienſis, ſeu Bethramanenſis chaldaice compoſita anno a Nativ. Dom.* 801. Sed verius 901., ut oſtendit Aſſemanus Tom. 2. pag. 177.

Jacobi Edeſſeni. *Jacobi Edeſſeni*) Hujus Anaphora, cujus initium, *Deus Pater omnium*, prodiit Latine per Renaudotium Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 371. extatque in pluribus Codicibus Syriacis, præcipue in Vaticana Nitrienſi 3., & 4. ejuſdem Liturgiæ meminerunt Stephanus Edenenſis cap. 2. de Catholicis Anaphorarum Script. & Cornelius Scultingius Tom. 3. pag. 106. num. 30. Idem Renaudotius, ut diximus, nimium Maronitis infenſus, eos quippe in ſuo Opere Liturgico paſſim exagitat, Jacobum hunc Edeſſenum, quem Maronitæ nedum Catholicum Scriptorem proclamant, ſed ut Sanctum venerantur, & colunt, ipſe ibidem. Tom. 2. pag. 380. hæreticum Monophyſitam fuiſſe ſevere pronunciat, uti & Jacobum Sarugenſem, de quo ſupra, ibid. pag. 367. ſed eorum utriuſque religionem orthodoxam, & ſanctitatem ita ſtrenue, invicteque ab ejus calumniis vindicat de rebus Syris, longe doctiſſimus Joſeph Sim. Aſſemanus Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 292., & pag. 470. ac ſeqq., ut nihil ei reponendum ſuperſit. Nonnulli etiam Orientalium rerum Scriptores hunc Jacobum Edeſſenum cum alio Jacobo Baradæo, Græcis item Zanzalo dicto, gente pariter Syro, ſed ſecta Euthychiano Severi diſcipulo confundunt, de quo Edenenſis: *Jacobus Baradæus ex Monaſterio Phaſilta Epiſcopus Edeſſe, a quo Gens Jacobitica nomen trahit, condidit Anaphoram, cujus initium: Deus Pater Sanctiſſime;* eam edidit Renaudotius Tom. 2. pag. 333. Verum iſte integro fere ſeculo alterum Edeſſenum præceſſit, ut optime notat Caveus.

Philoxeni.) Ita dicti poſt Petrum Cnaphæum, ſeu Fullonem appellatum, qui eo nomine illum nuncupari voluit, cum Hierapolis, ſeu Mabugi nedum baptizatum antiſtitem conſtituit; Xenajas idem antea vocatur. Vide Nicephorum Caliſtum Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 27. De hoc Monophyſitarum Antefignano plura Aſſemanus Tom. 2. Bibl. Orient. in Catalogo Scriptorum Jacobitarum, ſeu de Script. Syris Monophyſitis cap. 19. pag. 123. Hujus Liturgia habetur inter Codices Syros. Ecchellen. num. 5. apud eumdem, & inc. *Deus vita omnium*: quæ etiam in aliis Codicibus ad Symeonem Perſam referitur. Hujus meminere Scultingius, & Edenenſis, quam & Latine edidit Renaudotius Tom. 2. pag. 301., eſtque in ordine prima; aliam enim ejuſdem item edidit pag. 310., quæ inc *Domine Deus potens*; Hujus vero aliud initium exprimit Aſſemanus loco citato pag. 24. videlicet: *Domine Deus fortis, & incomprehenſibilis*. Porro Philoxeni Bagdadenſis nomine Liturgiam, quæ incipit: *Deus, qui es Mare tranquillitatis*: edidit idem Renaudotius pag. 399., qui ſcite obſervat pag. 408. duas ex ea precationes Philoxeni, qui & Lazari Barſaptæ nomine referri in Liturgia Joannis Magni Patriarchæ Jacobitarum, quæ *Sanctorum Doctorum* appellatur, unam ſcilicet Tomo citato pag. 414., & alteram pag. 415. De eodem Philoxeno vide iterum infra in Simone Beth-Arſamenſi. *Philoxeni.*

Eleazari Epiſcopi Babylonis. *Eleazari Epiſcopi Babylonis*) Hujus præter nudum nomen ab Ecchellenſi relatum nulla alia mentio apud Authores, quos viderim. Renaudotius cujuſdam Philoxeni, qui & Eleazarus dicitur, ut mox adnotavimus, meminit, an vero hic ille idem ſit, cujus Liturgia habetur ſub nomine Lazari Barſaptæ, ſeu Philoxeni Epiſcopi Babylonis, quæ extat apud Renaudotium ibidem, & apud Aſſemanum. Tom. 1. pag. 574., non ita compertum eſt, ut dubitari non poſſit.

Maruthæ Epiſcopi Tagritenſis. *Maruthæ Epiſcopi Tagritenſis*) Fuit iſte in Meſopotamia Epiſcopus doctrina, & miraculis clarus, cujus memoriam Latini in Martyrologio Rom. celebrant pridie nonas Decembris, ideſt die 4. Græci vero in Menæis 14. Februarii, quem etiam eximie laudat S. Joannes Chryſoſtomus Epiſt. 14. apud Baronium ad an. 408. num. IV. De ipſo item Socrates Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 15., & lib. 7. cap. 8. Sozomenus lib. 8. cap. 16., atque ex ipſis accurate Tillemontius Hiſtor. Eccl. Tom. XI. pag. 286., & 610. poſtque ipſum ſuſius Aſſemanus Tom. 1. Bibl. Orient. cap. 12. pag. 174. Ejus Anaphora, ſeu Liturgia extat in omnibus fere Miſſarum Codicibus. Prodiit Syriace in Miſſali Maronitarum an. 1594. pag. 172., & Latine per Renaudotium Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 261. Ejuſdem meminit Stephanus Edenenſis ſupra laudatus cap. 2. de Orthodoxis Anaphor. Authoribus num. 7. ubi ait: *Maruthæ Epiſcopi Tagritenſis.*

ait : *Maruthas Epiſcopus Tagritenſis Joannis Chryſoſtomi familiaris , quem Theodoſius minor Romanorum Impecator ad Perſarum Regem pro pace Eccleſiarum allegavit , ſcripſit Anaphoram, cujus initium : Deus , qui es natuea bonus .* Hæc etiam Liturgia laudatur a Scultingio Tom. 3. pag. 106. num. 23. Eamdem vero Liturgiam turpiter a quodam recentiore Jacobita interpolatam fuiſſe obſervat Renaudotius loco citato pag. 273. , quod & confirmat Aſſemanus, ut ſupra pag. 180. In ea ſiquidem obtruduntur ſub Maruthæ nomine hæc verba : *fermentatum panem accepit in manus ſuas* : quæ utique Maruthæ ſenſui repugnant , ipſe enim, qui ibidem in Symbolorum conſecratione attendendum eſſe docet Chriſti inſtitutionem , & exemplum , id ne ſomniavit quidem , cum præſertim , ſaltem uſque ad Annum Chriſti 775. Azymum in Euchariſtia adhibere conſueverint Syri in Meſopotamia teſte Dionyſio Jacobitarum Patriarcha in Chronico ad an. 510. apud Aſſemanum Tom. 1. pag. 409. ubi plura in hanc rem vir eruditiſſimus notat .

Præclarum Maruthæ teſtimonium de reali Chriſti præſentia in Euchariſtia .

Neque hoc loco omittendum præclarum Maruthæ teſtimonium de reali Chriſti præſentia in Euchariſtiæ Sacramento , quo recentiorum noſtri temporis Pyrrhonum temeraria impudentia retunditur , & ex novo quarti , ſeu ineuntis quinti ſeculi teſte antiqua fides hujuſmodi Catholica roboratur . Inter nonnulla , quæ ſcripſit Maruthas, extant Commentaria in Evangelium , de quibus Aſſemanus ibidem pag. 180. , ubi ex Codice III. Syriaco, hæc Maruthæ de dicta reali Chriſti præſentia in Euchariſtia ſcripſiſſe tradit : *Verum* , inquit , *nunc quotieſcumque ad Corpus , & Sanguinem accedimus , eaque ſuper manus noſtras accipimus , ſic credimus nos corpus ampleſti , & carnem ex carne ejus , oſque ex oſſibus ejus fieri, ſicut ſcriptum eſt . Nam etiam Chriſtus figuram, & ſpeciem haud ipſum appellavit , ſed dixit : Hoc verum eſt Corpus meum , & hic eſt Sanguis meus* : Non igitur recens dogma eſt , quod de vera , ac reali Chriſti Corporis præſentia in Altaris Sacramento prædicamus , atque etiam ſupra oſtendimus , uti blaterant hodierni figurarum venditores Calviniſtæ , ſed ipſi revera novam hæreſim procudunt , qui contra veterum omnium Patrum fidem , & Eccleſiæ Catholicæ perpetuam traditionem eamdem Chriſti Domini præſentiam temere , & effrontes negant . Atque ut eamdem Orientalis , ac Occidentalis Eccleſiæ doctrinam , & fidem de Euchariſtiæ Sacramento antiquitus, primiſque ſeculis fuiſſe , clare tandem Novatores conſpiciant , alium hujus Catholicæ veritatis teſtem , & Maruthæ ferme cozvum, quinti item ſeculi Scriptorem , Iſaacum ſcilicet , Magnum apud Syros dictum , de quo Gennadius de Script. Eccl. cap. 66. & plura Aſſemanus Biblioth. Orient. Tom. 1. cap. 16. adjicimus . Is Sermone 9. de fide hæc de Reali Chriſti præſentia in Euchariſtia habet, ex Syriaco Latine reddita ibid. pag. 220. *Porrexit mihi calamum Spiritus* , & ut me *ſubſcribecem, exegit . Accepi , ſcripſi , & confeſſus ſum : hoc eſſe Dei Corpus . Item Calicem ſumens , bibi in ejus convivio , & ex calice odor Corporis illius , quod comedecam , me perculit . Et quod de corpore dixeram , ipſum nimirum Dei Corpus eſſe , illud etiam de calice dixi , nempe hunc eſſe Redemptoeis noſtri Sanguinem* . Quid clarius de hoc ſacroſancto Myſterio dici poterat ? Sed & alios ex Jacobitis , & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ adverſis idem Catholicæ veritatis Teſtimonium perhibentes mox audiemus in appendice ad has Liturgias Syrorum .

Item aliud Iſaaci Syri, qui ſeculo V. floruit .

Thomæ Giarmachitæ) Thomæ cujuſdam Heracleenſis Liturgiam refert Renaudotius Tom. 2. pag. 389. Sed an eadem hujus Giarmachitæ ſit , ipſe ſibi obſcurum eſſe fatetur , cum neque quis fuerit iſte Thomas Heracleenſis, certo ſcire potuerit . Stephanus Edenenſis de Hæret. Anaph. Authoribus cap. 7. nu. 20. hæc habet : *Thomas Heracleenſis Germaniciæ, quem alii eumdem faciunt cum Thoma Epiſcopo Baniciæ , quæ eſt Mabug , alias Marbas , compoſuit Anaphoram , cujus preces ordine alphabetico compoſitæ ſunt , ejuſque initium : Ens æternum , & abſconditum* . Hinc Aſſemanus Tom. 2. pag. 92. ait Abrahamum Ecchellenſem in notis ad Catalogum Hebedieſu pro Germaniclenſi Giarmachitam Thomam perperam poſuiſſe , quod valde probabile crediderim , cum non abſimili lapſu , ut vidimus , in Jacobo Niſibeno , quem pro Sarugenſi poſuit , hallucinatus fuerit . Thomam itaque hunc Germaniciæ, ſeu Mabug , aut Marbas Epiſcopum Anaphoram , ſive Liturgiam condidiſſe , ex eo deducitur , quod cum Anaphoras Gregorii Nazianzeni , Baſilii Magni , Gregorii Nyſſeni , Dionyſii Areopagitæ , & Joannis Chryſoſtomi e Græco in Syriacum converterit Thomas iſte, ſi fides habeatur Ignatio Jacobitarum Patriarchæ apud Cornelium Scultingium Tom. 3. pag. 106. facile etiam potuit horum SS. Patrum , aliorumque Syrorum Præſulum exemplo propriam & ipſe conflare Liturgiam .

Thomæ Giarmachitæ.

Ut ut autem ſit, extat hujus nomine Anaphora MS. in Codice Ecchellenſi 5. Biblioth. Orient. Vatic. fol. 94. atque Latine edita a Renaudotio Tom. 2. pag. ſupracit. in qua duo veniunt obſervanda ; Primum , quod hæc Liturgia , ut monent dicti Edenenſis , & Renaudotius locis indicatis , ſingulari apud Jacobitas Syros artificio commendatur , eo quod diverſæ , quibus conſtat , orationes *Thrænorum, & pſalmorum Abecedariorum more incipiunt , & quod cultiori ſtylo ſcripta eſt* . Alterum quod tam in MS. quam in eo , quod Renaudotius publicavit , exemplari conſecratoria Chriſti verba deſiderantur , non quidem dolo malo ipſius Thomæ , quaſi conſecrationis vim a verbis Chriſti ad invocationem Spiritus Sancti juxta errorem recentiorum Græcorum traduxerit , ut exiſtimat Naironus in Evoplia pag. 164. ſed fraude Amanuenſium Jacobitarum , qui Theologaſtros Græcos hac in re ſecuti recentiſſimum circa invocationem Spiritus Sancti errorem antiquarum Liturgiarum authoritate ſtabilire conati ſunt , conſecratoria Chriſti verba expungentes , ut indicat Renaudotius loco citato pag. 390.

Matthæi Paſtoris) Quis iſte fuerit, qua ætate vixerit , aut quem gradum in Eccleſia ſua obtinuerit , neque divinando aſſequi poſſumus. Stephanus Edenenſis de Orthodoxis

Matthæi Paſtoris .

Litur-

Liturgiarum Scriptoribus cap. 2. num. 6. ex Syrorum monumentis Haſſaſſinitarum Patriarcham fuiſſe ſcribit Matthæum quemdam cognomento Paſtorem, an vero is idem ſit hujus Anaphoræ Author, aut ejuſdem cognominis alter, non affirmat; eumdem eſſe exiſtimat Aſſemanus Diſſert. de Monophyſitis præfixa Tomo II. Biblioth. Orient. ubi de Haſſaſſinitis, nedum ex ejuſdem nominis conjectura ductus, verum etiam ex ſtylo ipſius Anaphoræ, & ex more Syrorum illius ætatis Epiſcoporum, Liturgias ſcilicet condendi; at hæc meræ conjecturæ ſunt, quibus nihil certi affirmari poteſt. Quiſquis fuerit iſte Matthæus Paſtor, extat hujus nomine Liturgia in Miſſali Chaldaico, ſeu Maronitarum pag. 146. Habetur etiam in Codice Syriaco Vaticano num. 8., cujus ad calcem hæc adnotantur: *Explicit Liturgia S. Matthei Paſtoris, qui & Herma, unus ex Septuaginta.*

Joannis Barſuſan. *Joannis Barſuſan*) De hoc, ejuſque Liturgia paucis meminit Renaudotius Tom. 2. pag. 47., cur autem ipſius Liturgiam omiſerit, ignoro, fortaſſe, quia in aliquot exemplaribus atrum tranſverſo calamo ſignum ejuſdem Barſuſan nomini iſſitum vidit, quo Authoris dubii notam ſuſpicatus eſt, aut alia ratione mihi ignota. Cæterum hujus Anaphora extat cum aliis in Codice Ecchellenſi Vaticano num. 5. & alibi in pluribus Codicibus MSS.; item impreſſa in Miſſali Chaldaico pag. 154. incipit: *Fons charitatis, & fcaturigo bonitatis Domine*: Eamdem agnovit Author Catalogi Anaphorarum apud Scultingium num. 32. Vixit circa an. 1010. De eodem Stephanus Edenenſis cap. 7. de Hæreticis Anaphor. Script. num. 5. hæc ſcribit. *Joannes, qui & Joſue Barſuſan, duas edidit Anaphoras, quarum prior incipit: Deus, qui in charitate gaudes, altera: Fons charitatis &c. ut ſupra, & hæc ob inſcitiam inter approbatas Anaphoras Romæ impreſſa fuit*: Quod & Renaudotius obſervavit Tom. 2. Liturg. Orient. in Diſſert. Procem. pag. 6. 22., & 46. Verum, quod ſcribit Edenenſis de prima Barſuſan Anaphora, falſum eſt, eam enim non ad hunc referendam, ſed ad Dionyſium Barſalibæum, ex Codice Nitrienſi 3. fol. 179. notat Aſſemanus Bibl. Orient. Tom. 2. pag. 143. & idem Edenenſis citato cap. num. 16. Barſalibæo tribuit his verbis: *duas habet* (Barſalibæus) *Anaphoras, quarum prior incipit: Deus, qui in charitate gaudes*: Porro fuit Barſuſan Jacobitarum Patriarcha ordine 91., ut ex ſerie chronologica apud dictum Barſalibæum, ſcilicet a S. Marco Evangeliſta primo Alexandriæ Epiſcopo, a quo ille Jacobitas ſuos deducit, ex qua diu ante ipſum vixiſſe perhibetur, cum iſte ibi in dicta ſerie plerofque ſucceſſores illius recitet, indeque confirmatur, quod diximus, ipſum vixiſſe circa finem ſeculi decimi, & initium undecimi.

Neſtorii. *Neſtorii*) De hujus Liturgia jam plura diximus ſupra, quibus addendum, quod eadem Neſtorii Liturgia Latine prodiit edita a Renaudotio Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 626. Qui vero eam e Græco in Syriacum tranſtulere, Marabas Neſtorianorum Patriarcha fuit ab anno Chriſti 535. ad an. 542. & Thomas Edeſſenus ejuſdem Marabæ præceptor, de quibus Aſſemanus Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 411. & 412. Ex quo Neſtorianæ Liturgiæ antiquitas deducitur, quam uſque in præſens ejuſdem ſectæ homines uſurpant. Porro obſervandum cum dicto Aſſemano, quod Renaudotius Tomo ſupracit. Diſſert. de Neſtorianorum Liturgiis num. 28. pag. 582. vel calami, aut memoriæ lapſu, dum Græca Leontii Byzantini verba adverſus Neſtorium de ejus Liturgia recitat, de quibus & nos ſupra, ea de Theodoro Mopſveſteno, non de Neſtorio intelligit, quare hæc etiam in parte emendatione dignus eſt.

Theodoreti. *Theodoreti*) Quod Ecchellenſis in notis ad Catalogum Hebedjeſu affirmat Liturgiam a Theodorito conditam nominis affinitate deceptus Theodororum pro Theodoro Mopſveſteno poſuiſſe videtur; Theodoritо enim Epiſcopo Cyri nemo præter Ecchellenſem Liturgiam tribuit, Theodori autem Mopſveſteni Liturgia extat in Codice Syriaco Vatic. 18. Latine redita per Renaudotium Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 616., cujus initium: *Domine Deus fortis.*

Diodori. *Diodori*) De Diodoro Tarſenſi Epiſcopo jam dictum ſupra §. 5. num. 4., ac præterea hunc Neſtorii magiſtrum Liturgiam etiam condidiſſe, nedum ex Hebedjeſu Neſtoriani teſtimonio, ſed ex Diamperenſis Synodi decreto certo exploratum habemus, quos utique teſtes hac in re fide digniores, itemque præ Renaudotio audiendos eſſe, licet iſte contrarium afferat, nulli dubitandum relinquitur.

Narſetis. *Narſetis*) Hic ſolus, cum Presbyter tantum eſſet, Liturgiam, ſeu Anaphoram condidit, cæteri namque tam Orthodoxi, quam Jacobitæ, & Neſtoriani id fecere Epiſcopi. Leproſus cognominatus fuit, adeoque ad nullam majorem evectus dignitatem, etſi de Secta Neſtoriana non male meritus fuiſſet. Sancti Spiritus Cythara vocatur ab Hebedjeſu, aliiſque ſuis Neſtorianis, tum quia hexafyllabi Carminis inventor fuit, non ſecus ac heptafyllabi S. Ephræm, & dodecafyllabi Jacobus Sarugenſis, ut Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 353. obſervat Aſſemanus; tum quia elegantiſſima omnium ſcientiarum volumina reliquit, in quibus præter Neſtorianam hæreſim, qua imbutus erat, nihil reprehendas. De hujus Liturgia nulla mentio apud Renaudotium, qui fortaſſe eam omiſit, vel quia non erat Epiſcopi, vel quia illius copiam non habuit.

Barſumæ. *Barſumæ*) Hunc Nilibenum Epiſcopum Neſtorianum perditiſſimis moribus hominem Liturgiam compoſuiſſe aſſerit quidem Hebedjeſu in ſuo Catalogo cap. 54. Verum apud alios nulla mentio. Hottingerus in ſuo Bibliothecario quadripartito pag. 231. Scripta Barſumæ recenſens Librum quemdam, cujus nulla apud dictum Hebedjeſu mentio, commemorat, Liturgiam vero, & alia ab illo relata omittit. Vixit iſte nequiſſimus hominum ſeculo quinto exeunte, de quo Aſſemanus Tom. 1. Bibl. Orient. in Simeone Betharſamenſi pag. 351. & ſuſius Tom. 3. pag. 66. Atque hæc de Liturgiis ab Abrahamo Ecchellenſi memoratis. Nunc vero ad eas, quas Gabriel Sionita recitat, & cum ſupradictis non conveniunt, procedamus. Et quidem prima eſt.

Dionyſii Barſalibæi. *Dionyſii, quem Barſalibæum nuncupant*) De hoc celeberrimo inter Jacobitas Amidæ Metro-

tropolita nonnulla diximus ſupra, & plura Aſſemanus Tom. 2. Bibl. Orient. cap. 32. pag. 256. Vixit ipſe ſeculo vergente XII., conditque Anaphoras tres, quarum prima incipit: *Deus, qui in amore gaudes*: altera: *Amorem, & concordiam*: quæ per errorem ſub nomine Dionyſii Areopagitæ inter Catholicas Liturgias impreſſa fuit Romæ in Miſſali Chaldaico an. 1594. pag. 106., ut notat Aſſemanus, & Latine prodiit apud Renaudotium Tom. 2. pag. 444. Tertia denique, quæ incipit: *Domine Deus, qui vera es, & perfecta charitas*: de duabus prioribus Liturgiis tantum meminit Edenenſis loco ſæpe citato, prima omiſſa. Edidit idem Barſalibæus precationes Liturgicas tres, quarum prima recitatur a Jacobitis in Miſſa feriæ quintæ in Cœna Domini, altera Sabbato Sancto loco primæ Orationis Liturgiæ S. Jacobi Apoſtoli, quæ eſt pro pace. Tertia demum recitatur ab iiſdem ante orationem Dominicam, dum hoſtia frangitur, quæ propterea appellatur *Oratio fractionis*: eſt autem duplex, altera quidem brevis, quæ incipit: *Tu es Chriſtus Deus*; altera vero prolixior, cujus initium: *Ita vere*: Prodierunt Latine per Renaudotium Tom. 2. pag. 22. utraque pia eſt, & docta teſte Aſſemano loco ſupracit. pag. 175. ſed ſecunda hæreſum Monophyſitarum ſapit, uti ibidem videre eſt. Scripſit etiam Barſalibæus Expoſitionem Miſſæ, de qua Renaudotius dicto Tom. 2. pag. 454. & plura Aſſemanus pag. 156.

Procli Epiſcopi Byzantini.

Procli Epiſcopi Byzantini) Hunc Sancti Joannis Chryſoſtomi diſcipulum, & in Byzantina Cathedra Succeſſorem Liturgiam ſcripſiſſe præter Sionitam memoratum teſtantur Stephanus Edenenſis in expoſitione Miſſæ Syriacæ cap. 2. num. 22., & Author Catalogi Anaphorarum Syriacarum apud Scultingium Tom. 3. pag. 106. num. 20. At nemo aliorum, qui de Syrorum Liturgiis ſcripſere, id de Proclo aſſeruit, quod ſciam; fortaſſe ex eo, quod idem Conſtantinopolitanus Patriarcha librum de Traditione divinæ Miſſæ confecit, quem interpretatione, & notis illuſtratum edidit clar. vir Vincentius Ricardus Cler. Reg. prædicti arbitrati ſunt, & propriam Liturgiam condidiſſe.

Philixini.

Philixini) Fortaſſe ille idem eſt, ac Philoxenus, de quo ſupra & infra in Simeone Beth-arſamenſi.

Præter hucuſque recenſitas ex Abrahamo Ecchellenſi, & Gabriele Sionita, nonnullæ ſuperſunt Liturgiæ his adnumerandæ, quæ apud Orientalium nonnullos celebrantur, videlicet *S. Athanaſii Epiſcopi Alexandrini*, cujus Anaphoræ Syriace initium, *Deus fortis Domine*, de qua Scultingius in Catalogo Liturgiarum Tom. 3. num 15., & Edenenſis pariter in ſuo Elencho num. 11. mentionem faciunt. Hæc perperam ad Anthimum Alexandrinum refertur in Codice Nitrienſi 3. Vatic. apud Aſſeman. Tom. 1. pag. 562. nullus enim Anthimus fuit, qui Alexandrinam, vel Catholicorum, vel Jacobitarum ſedem occupaverit.

S. Gregorii Nyſſeni.

S. Gregorii Nyſſeni) Hujus Sancti Præſulis Liturgia laudatur a Scultingio ibidem n. 12. quam & apud Coptos extare, & quidem a Liturgiis Baſilii, Gregorii Theologi, atque Cyrilli diverſam teſtatur Abulbarcatus Ægyptius Scriptor libro de Divinis cap. 7. num. 4. Hæc tamen inter ejus opera deſideratur.

S. Ignatii Epiſcopi & Martyris.

S. Ignatii Epiſcopi & Mart.) De Liturgia huic inclyto Chriſti Martyri attributa nonnulla diximus ſupra ad cap. 8. §. 4. nota 9. quæ etiam ex ejus genuinis Epiſtolis excerpta eſt. Propria hæc Jacobitæ Antiochenæ Eccleſiæ eſt, nullaque præter ipſam alia illius gentis Eccleſia habuit hucuſque Liturgiam Ignatio adſcriptam. De hac Renaudotius Tom. 2. pag. 215., & Aſſemanus Tom. 3. Biblioth. Orient. pag. 17. Cæterum probabile admodum videtur ab aliquo Ignatio illius ſedis Epiſcopo ſcriptam fuiſſe; ut & ſupra monuimus; nonnulli enim ita appellati ſunt inter Jacobitarum Patriarchas, ac proinde Amanuenſium culpa ad Martyrem relatam, quæ novi hominis foret. Et quidem Ignatius, qui & Joſeph Bar-vahib Patriarcha Jacobitarum an. 1293. ſcripſit Anaphoram, cujus initium, *Deus abſcondite, & incomprehenſibilis*: quam edidit Renaudotius Tom. 2. pag. 518. ejuſque meminit Author Catalogi Anaphorarum apud Scultingium Tom. 3. pag. 106. num. 39. & Edenenſis de Hæret. Anaph. Authoribus n. 8. Verum quæ his verbis incipit Anaphora, non hujus Ignatii eſt, ſed Philoxeni Mabugenſis, ut ex Renaudotio ſupracit. pag. 310. colligitur. Ignatius alter Behenam nuncupatus Jacobitarum Patriarcha circa an. 1420. elegantem condidit Anaphoram, ut ait Author Appendicis parte 3. Chronici Syriaci apud Aſſemanum Tom. 2. pag. 467. ordine Alphabetico elaboratam inſtar ejus, quam Mar-Michael Magnus compoſuit, cujus mentio apud Scultingium loco citato num. ultimo, de quo mox dicemus.

Michaelis Magni Jacobitarum Patriarchæ.

Michaelis) Magni Jacobitarum Patriarchæ, qui circa an. 1190. vixit, Anaphora latine prodiit per Renaudotium Tom. 2. pag. 438. Inc. *Deus Omnipotens, & univerſorum Domine*: idque habet ſingulare (quod etiam obſervavit Renaudotius ibidem pag. 448.) quod orationes diſpoſitæ ſunt ſecundum alphabeti Syriaci litteras Pſalmorum Abecedariorum more. Ejus meminit Edenenſis cap. 7. de Hæret. Anaph. Script. num. 6. & Scultingius Tom. 3. p. 106. num. 34.

Cyriaci.

Cyriaci) Patriarchæ Jacobitarum Liturgiæ meminit Scultingius præf. ibidem num. 26. ex fide Ignatii Patriarchæ in hæc verba: *Cyriaci Patriarchæ Antiocheni Liturgia Chaldaice compoſita an. a Nativitate Domini* 58. Mendum irrepſit, & legendum 758. nam in eo Anaphorarum Catalogo plurima occurrunt hujuſmodi ſphalmata. Hujus Liturgiam memorat Dionyſius Barſalibi in expoſitione Liturgiæ Syrorum Cod. MSS. Ecchellenſi 36. cap. 12.

Joannis Darenſis.

Joannis Darenſis) Hujus Liturgiam laudat memoratus Author Catalogi Liturgiarum apud Scultingium loco ſupracit. num. 29. his verbis: *Joannis Epiſcopi Darenſis Anaphora chaldaice compoſita anno a Nativitate Domini* 725.

Joannis.

Joannis) Qui & Ananias Xenajas dictus eſt, Patriarchæ Jacobitarum Anaphoram memorat idem Scultingius loco cit. num. ult. cujus initium: *Deus Pater, & Dominus univerſorum*: vixit circa an. 1023.

Theo-

Theodori. *Theodori*) Seu Joannis Bar-vehebun Jacobitarum Patriarchæ an. 1180. Anaphora incipit: *Domine Deus fortis, & incomprehensibilis:* quæ eadem est, ac illa, quam sub nomine Joannis magni Patriarchæ Jacobit. edidit Renaudotius Tom. 2. pag. 409. ut collationem factam didicit Assemanus citato Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 216. quare eidem Renaudotio scrupulus tollitur, qui Tomo cit. pag. 420. ingenue fatetur se nescire quisnam fuerit inter tot Jacobitarum Patriarchas Joannis nomine nuncupatos ejus Anaphoræ Author, cum hæc novissime ab Andrea Scandar ad Bibliothecam Vaticanam transmissa fuerit, uti idem Assemanus testatur loco citato.

Joannis Marde Epiſc. *Joannis*) Mardæ Episcopi, qui vixit seculo XII. Anaphoram memorat Stephanus Edenensis de Cathol. Liturg. Author. cap. 2. num. 18, & Assemanus Tom. 2. pag. 216. quæ Liturgia falso Joanni Chrysostomo in antiquis exemplaribus adscripta est, cum huic sit tribuenda, uti advertunt idem Edenensis, & Renaudotius Tom. 2. pag. 254. & 260. qui tamen qualis fuerit hic Joannes, se ignorare affirmat.

Michaelis. *Michaelis*) Junioris Patriarchæ Jacobitarum an. 1207. Anaphoræ meminit Scultingius loco fæpe citato num. 36.

Joannis Barmaadani. *Joannis Bar-Maadani*) Ex Episcopo Mardæ, & Maphriano, sive Orientis Primate, Jacobitarum Patriarcha circa an. 1249. Anaphoram memorat Edenensis cap. 7. de Hæret. Anaph. Script. n. 7. his verbis: *Joannis Bar-Maadani habet Anaphoram*, quæ incipit: *Ens æternum necessario existens*: non absimili fere initio, ac Thomæ Giarmachitæ Anaphora, de qua supra. Eamdem laudat Scultingius loco fæpe cit. num. 37. prodiitque latine edita a Renaudotio Tom. 2. pag. 512., qui in notis ad ipsam pag. 524. hæc de isto Authore, & Jacobitica ejus Ecclesia habet: *Quis Joannes ille fuerit, plane nescimus, nisi quod Antiochenus Jacobitarum Patriarcha fuerit, quo tempore vixerit, ignoratur, cum obscurissima sit Ecclesiæ Jacobitice Antiochenæ Historia, quam qui scripserit, nullus reperitur, immo ne successio quidem Patriarcharum illorum satis exploratа est*: At postquam plurimi Codices linguarum Orientalium Clementis Papæ XI. providentia in Vaticanam Bibliothecam advecti fuere, plures, qui illarum Gentium Historiam scripsere, Authores innotuerunt, uti videre est apud claris. & fæpe laudatum Josephum Assemanum in sua instructissima Bibliotheca Orientali, quam ex dictis Codicibus, aliisque monumentis exornavit.

Gregorii. *Gregorii*) Bar-Hebræi Abulpharagii. Hic inter Jacobitas celeberrimus, Episcopus Tagritensis, Orientis primas, seu Maphrianus dictus anno 1264. Anaphoram condidit, quæ memoratur ab Edenensi in libro Candelabrorum cap. 7. de Hæret. Liturgiarum Authoribus num. 17. cujus initium: *Domine terribilis, & potens*: Edita est etiam a Renaudotio Tom. 2. pag. 456. Idem Liturgiam S. Jacobi Apostoli recensuit, & in compendium redegit, quam & dictus Renaudotius publicavit Tom. citat. pag. 126. De hoc Jacobitarum Primate plura Assemanus Tom. 2. pag. 244.

Simeonis. *Simeonis*) Episcopi Bethar samensis. Hunc Liturgiam scripsisse testatur pluries memoratus Stephanus Edenensis in expositione Missæ Syrorum cap. 7. de Hæreticorum Anaphoris num. 12. apud Assemanum Tom. I. Bibl. Orient. pag. 345. his verbis: *Simeon Persa edidit Anaphoram, cujus initium; Deus vita omnium, & lux*: extat sub nomine Philoxeni Mabugensis in Codice Ecchelensi 5. pag. 56. & in Codice Colbertino 3932. teste Renaudotio Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 301. qui eam Latine edidit. Ejusdem exordii alteram Liturg. Josepho Xenajæ Jacobitæ adscribit idem Edenensis ibi nu. 18. sed an cum ista Simeonis in reliquis conveniat, necne haud exprimit; quare suspicandum profecto videtur ex Amanuensium incuria, vel immoderato in Jacobiticæ fidei Doctores affectu unam, eamdemque Liturgiam sub plurium Authorum nomine venditari, id enim familiare Orientalibus esse recte observat Renaudotius ibidem pag. 400. Quare laudatam Anaphoram Simeoni potius tribuendam, quam Philoxeno censet Assemanus; Philoxenus enim aliam habet Liturgiam apud eumdem Renaudotium pag. 310. cujus initium: *Domine Deus potens*: sed & Edenensis, qui Liturgicos Codices Gentis suæ accurate versavit, unam tantum Philoxeni Anaphoram agnoscit, alteram Simeoni præfato constanter adjudicat. Vixit porro Simeon iste sæculo sexto, fuitque Episcopus ab anno 510. ad an. 525.

Joannis Lephedienſis. *Joannis*) Lephediensis Maronitarum Patriarchæ. Hunc etiam scripsisse Liturgiam testatur idem Edenensis loco citato cap. 2. de Catholicis Liturgiarum Scriptoribus num. 25. his verbis: *Joannis Lephedienſis, qui post annum Christi 1100. Antiochenæ* (Maronitarum) *Ecclesiæ præfuit, author est Anaphoræ, cujus initium: Deus Sanctissime*: extat in manuscriptis Missalibus Cœnobii Patriarchalis S. Mariæ in Canobin, ita Assemanus Tom. 1. Bibl. Orient. cap. 45. pag. 522.

Alias item Liturgias Syrorum, & Jacobitarum indicat idem Assemanus Tom. 3. ejusdem Bibl. pag. 637., quas in Codicibus Syriacis Vaticanis extare ait, videlicet Cod. 7. Anaphoram Ignatii Patriarchæ, quæ edita est an. 1304. Basilii Maphriani, seu Primatis Orientis compositа an. 1404., atque aliorum nonnullæ, quæ quia non tanti momenti, ut indicari mererentur, præternissæ sunt, & videri poterunt apud ipsum, & alios, qui de Ecclesiasticis Orientalium rebus scripserunt.

(2) *Duæ in Bibliotheca Patrum postremæ editionis*) Parisiensis scilicet an. 1654. (postrema enim Lugdunensis nondum edita erat) Tom. 6. pag. 88. & seqq.

(3) *A pag. 203. usque ad 228.*) Post Ricardum Simonium de antiquis Orientalium Liturgiis prolixe etiam disserunt præter sæpius memoratos Scultingium, Edenensem, Renaudotium, & Assemanum, Claudius Duvert, Jacobus Grancolas, Petrus le Brun, aliique nuperi Liturgicarum rerum Scriptores; et quoad Syros novissime Illustrissimus Stephanus Evodius Apameæ Episcopus, & Collega Vaticanus, qui hæc de re eruditissimam Dissertationem quamprimum prodet.

AP-

APPENDIX

OBSERVATIONUM ALIQUOT

In Liturgias Syrorum, præcipue Jacobitarum.

QUamquam nonnulla de Syrorum Ritibus proferat Emin. Author tum in Divina Pſalmodia cap. 18. §. 19., tum paſſim in hujus ſui Liturgici Operis decurſu; nihilominus quia non omnia ad pleniorem ejuſdem rei Liturgicæ notitiam attigit, vel ob monumentorum inopiam, vel potius ex brevitate, quam ſibi obſervandam propoſuit; ideo ut curioſo Lectori id etiam exploratum non deſit, ſubjicienda duximus, quæ ſequuntur.

Liturgia in quinque partes apud Syros diviſa.

Et quidem primo de antiqua Syrorum Liturgia extat Jacobi Edeſſeni, de quo ſupra mentionem egimus, Epiſtola ad Thomam Presbyterum, quam integram profert Aſſemanus Tom. I. Bibl. Orient. pag. 479. in qua Ritus, & ordo illius Miſſæ accurate deſcribitur. Porro Liturgiam ſuam in quinque partes dividunt Syri, ut ex Dionyſio Barſalibæo in expoſit. Miſſæ. Prima incipit ab Oratione, quæ pacis appellatur, cujus initium in Liturgia Jacobi: *Deus Univerſorum, & Domine*: ibid. cap. 8. Secunda pars inchoatur ab iis verbis, quæ tribus prioribus Liturgiæ Orationibus ſubjunguntur, *Charitas Dei Patris* &c. continetque Præfationem, Conſecrationem panis, & vini, ac Invocationem Spiritus Sancti. Ibid. cap. 10. Tertia continet Commemorationes pro vivis, atque defunctis, quæ fiunt poſt dictam Invocationem uſque ad Orationem Dominicam. Idem cap. 15. Quarta ab Oratione Dominica uſque ad Communionem cap. 17. Quinta denique a gratiarum actione uſque ad finem cap. 19. De quibus omnibus videndus Aſſemanus Tom. 2. Bibl. Orient. in Dionyſio Barſalibi pag. 184. & ſeqq. ubi prædicta, & alia fuſe, ac docte enuncleantur, & exponuntur.

Syri in Miſſa ſtant, nunquam genuflectunt.

Syrorum denique morem eſſe, ut in Miſſa ſtent, nec umquam genuflectantur, monet idem Barſalibæus dicto libro cap. 9. *Item ſciendum eſt*, inquit ibi, *non oportere in Liturgia quemquam genuflectere, idque non ea ratione, quia genuum flexionem improbemus, ſi enim fieri poſſet, ſingulis horis coram Domino genua flecteremus, ſed quia ſic in Liturgia flexio genuum interdicitur, ut in Dominico die; genuflexio enim caſum noſtrum ſignificat, Liturgia autem reſurrectionem. Item quia, ut coram Domino capita noſtra inclinemus, ſcriptum eſt, non ut coram Domino flectamus genu*: Hæc Jacobita, quem miror a doctiſſimo Aſſemano abſque debita cenſura prætermiſſum; quamvis enim Liturgia reſurrectionem ſignificet, eadem etiam Chriſti Domini pro nobis humilitatem, & exinanitionem repræſentat, uti pluribus oſtendunt Theophilus Raynaudus in ſuo Euchariſtico ſect. 3. cap. 5. & Aloyſius Novarinus Sacr. Elect. lib. 5. ubi de Agno Euchariſtico Excurſu 16. pag. 65. Præterea ſcriptum eſt quidem, ut coram Domino capita noſtra inclinemus, ſed falſum, quod & ſcriptum non ſit, ut coram Domino flectamus genu, cum ex Apoſtolo ad Philipp. 2. præceptum habeamus, ut *in nomine Jeſu omne genuflectatur*. Item ad Epheſ. cap. 3. 14. idem inquit, *flecto genua ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis paternitas* &c. ipſeque Dominus, & Magiſter noſter procidens in terram oraſſe ad Patrem legatur Lucæ 23. poſitis item genibus Stephanus, & Paulus in Actibus Apoſtolorum oraſſe dicantur, ac proinde hanc vere eſſe traditionem Apoſtolicam demonſtrant Jo. Stephanus Durantus de Ritibus Eccl. Cath. lib. 3. cap. 23. num. 20., & ſeqq. Jo. Bapt. Scortia de Sacr. Miſſæ Sacrific. lib. 3. cap. 18., aliique.

Quorum hæc confutatio reperitur.

Ad hæc obſervandum cum Renaudotio Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 104. quod inter tam multas, ut vidimus, Liturgias, quas habent Syri Jacobitæ, nulla ſit, quæ mortuorum commemorationem non contineat, quo etiam telo ex Orientalibus ſumpto Occidentalium noſtri temporis Novatorum audacia retunditur, qui temere invictam hanc veritatem Catholicam de ſuffragiis Defunctorum negant. Sed & alia Apoſtolicæ Romanæ fidei dogmata, præcipue quoad Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, & realem Chriſti Domini in eo ſub panis, & vini ſpeciebus latentis præſentiam contra novos, recenteſque Sectarios, qui hæc temere, impieque derident, nobis propugnant, ac ſtrenue vindicant veteres Jacobitarum Patriarchæ. Adeo nuſquam eſt (inquit non ſine laude memoratus Aſſemanus Præf. ad Tom 2. Bibl. Orient.) vel in Ægypto, vel in Syria, Meſopotamia, Perſide, nullus apud ampliſſimas per Africam, Aſiamque diffitas Eccleſias Alexandrinis, vel Antiochenis Patriarchis ſubjectas, qui Novatorum circa prædictos fidei articulos commenta, blaſphemias non impugnet, refellat, execretur, qui non contrariam iſtorum pſeudo-magiſtrorum dictatis doctrinam afferat, ac velut indubitabile, certumque Apoſtolicæ Traditionis depoſitum, communem Chriſtianorum fidem non prædicet, ac revereatur. Nam etſi ab Eccleſiæ communione ſejuncti quædam affirmarint, & nunc affirment, quæ dictorum Novatorum erroribus conſona ſunt, ut omiſſis cæteris, quoad Euchariſtica, cum Azymum impugnant, cum Euchariſtiam per invocationem Spiritus Sancti, non verbis Chriſti conſecrari dicunt, aliaque his ſimilia proferunt; iidem tamen ipſi, qui ex privata ſententia, vel ex concepto in Latinos odio errores illos tuentur, tam clarum alibi, tamque evidens adverſus eoſdem teſtimonium reddunt, ut hic quidem incorruptæ, & Apoſtolicæ traditionis lumen cernere ſit, illic verum ſpiritum vertiginis, & erroris, quo hæretici aguntur.

In omnibus Syrorum Liturgiis Defunctorum commemoratio expreſſa.

Syri, ſeu veteres Jacobitarum Patriarchæ quo ad Miſſæ Sacrificium, ac realem in eo Chriſti præſentiam Novatorum impugnatores.

Et ſane proſtant in Bibliothecis, quos in dicto ſuo Opere de Scriptoribus Syris Monophyſitis, & alibi paſſim indicat Aſſemanus,

Codices ante annos mille, ac ducentos a Neſtorianis, & Jacobitis deſcripti, in quibus prolixi Tractatus de reali Chriſti Domini præſentia in Euchariſtia, de ejus inſtitutione, ac ritu, de ipſius nonniſi a jejunis ſumptione, & alia hujuſmodi continentur, ubi nihil quod hac in re Catholicæ doctrinæ non faveat, nihil quod Novatorum hypotheſim non avertat, ut idem teſtatur Aſſemanus. Atque ut iſthæc aſſerta comprobentur, præſtat unum, aut alterum ex iiſdem Scriptoribus in teſtimonium hujus Orthodoxæ, & antiquiſſimæ veritatis producere. Et primo occurrit Xenajas Mabugenſis, qui & Philoxenus Epiſcopus Hierapolis, de quo ſupra, ubi de Philoxeni Liturgia, ſeu Anaphora. Vixit iſte ſceleſtiſſimus Jacobita, & Monophyſitarum Coryphæus ſæculo exeunte quinto. Is in Epiſtola quadam ad Monachos Senunenſes, quam refert memoratus Aſſemanus loco ſupra indicato p. 38. atque in prima ejus parte adverſus Neſtorianos, inſignem habet locum de reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia, ubi & pravum Neſtorianorum dogma circa idem Sacramentum confutans Catholicæ veritati ſubſcribit, & Chriſtum Dominum non modo ut hominem, ſed etiam ut Deum realiter præſentem agnoſcit in hæc verba ex Syriaco tranſlata; ſic itaque ait: *Et eſt unus Filius, & Dominus quoad hæc duo nimirum, & qua Deus eſt, & qua homo factus: manſitque unus etiam poſtquam factus eſt homo, ſicut etiam erat antequam incarnaretur, niſi quod olim quidem unus erat Carnis expers, noviſſime vero ille idem unus habens Corpus: ipſius enim eſt caro illa, quam ex nobis aſſumpſit, non alterius hominis ab ipſo ſeparati. Atque idcirco etiam vivum Dei vivi Corpus confitemur nos accipere, non autem nudum, & ſimplex hominis mortalis corpus, ſimiliter & vivum vivi Sanguinem in omnibus ſacris hauſtibus accipimus, non nudum hominis corruptibilis noſtri ſimilis ſanguinem, ut Hæretici* (Neſtoriani) *opinantur; non enim panem ſanctificatum corpus ſuum appellavit, neque vinum ſolummodo benedictione cumulatum ſacrum Sanguinem ſuum nuncupavit, ſed dixit unumquodque eorum vere ſuum Corpus, & Sanguinem eſſe, ſicut ſcriptum eſt*: Accepit Jeſus panem &c. ſimiliter accipiens Calicem &c. *Ubi panem Corpus, & vinum Sanguinem appellavit, non quidem hominis alterius, ſed ſuum.* Hæc Monophyſita adverſus Neſtorium, qui Chriſtum purum hominem, non autem & vere Deum, ſed tantum affective, ac templum dumtaxat Dei, aliumque ab Unigenito Dei Verbo impie aſſerebat.

Inter cæteros Xenajas Mabugenſis Monophyſita.

Huc Calviniſtas intendere velim, ac obſervare iſtum Jacobitam, alias licet Hæreticum; quoad hunc tamen fidei Catholicæ articulum de reali Chriſti Domini, ut Dei & hominis præſentia in Sacramento Euchariſtiæ eadem pene, & quaſi ad verbum ſcripſiſſe, quæ paulo ante ipſum eodem ſeculo, anno ſcilicet 430., quo habita fuit Synodus Alexandrina contra Neſtorium, S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, cumque ipſo Epiſcopi totius Ægypti in eadem congregati faſſi fuerant in Epiſtola Synodica ad ipſum Neſtorium miſſa, quæ extat parte I. Concilii Epheſini cap. 28. ſeu edit. Pelt. Tom. 2. cap. 16. apud Baron. an. 430. num. 55. his verbis, *nempe dum Unigeniti Filii Dei, hoc eſt, Jeſu Chriſti mortem, & ex mortuis reſurrectionem annunciamus, ejuſdemque in cælum aſſumptionem profitemur, incruentum in Eccleſia Dei cultum nos obire, myſticaſque benedictiones adire, eaque ratione ſanctificari, utpote Sacræ Carnis, & pretioſi Sanguinis Chriſti omnium noſtrum Salvatoris participes effecti. Neque enim illam, ut carnem communem ſuſcipimus* (abſit hoc) *neque rurſum tamquam viri cujuſpiam ſanctificati, aut dignitatis tantum æqualitate Verbo conſociati, aut divinam inhabitationem ſortiti, ſed tamquam vere vivificam, ipſiuſque Verbi propriam &c.* Plura in hunc ſenſum, Orthodoxæque hujus veritatis fidem ibi Cyrillus, ac reliqui Ægyptii Patres proſequuntur, quæ locis citatis videri poſſunt; ſed ad inſtitutum noſtrum prædicta ſufficiant. Atque iterum Novatores advertere facile, & dilucide poterunt iſtam Ægyptiorum Præſulum de Auguſtiſſimo Altaris Sacramento fidei profeſſionem eamdem ipſam eſſe, quam priſci, eiſque anteriores Eccleſiæ Magiſtri docuere, ac corde, & ore tenendam ſcriptis ſuis teſtati ſunt, ut ſupra vidimus, præcipue ad cap. 4. §. 4.

Alium porro Xenajæ Mabugenſi gregalem Jacobitam addimus huic Catholicæ confeſſioni quoad Euchariſtiæ dogma teſtimonium perhibentem, Dionyſium ſcilicet Barſalibæum, peculiaris item apud Syros Anaphoræ conditorem, ut dictum eſt. Scimus quidem hunc Monophyſitam XII. ſeculi eſſe ſcriptorem, ſeptingentis proinde annis Xenajæ memorato poſteriorem; nihilominus hoc inſuper teſte uti opere pretium duximus; licet enim ſequioris ſit ævi, veterem tamen de Euchariſtia traditionem Apoſtolicam conſervatam, ac continuatam perſpicue demonſtrat. Verba ejus, quæ ſub nomine Joannis Maronis Abraham Ecchellenſis Not. in Catalogum Ebedjeſu Metropolitæ Sobenſis citavit pag. 140. ex Commentario in Liturgiam S. Jacobi, quod opus non Maronis, ſed Barſalibæi fœtum eſſe pridem ſuſpicatus fuerat Renaudotius Liturg. Orient. Tom. 2. pag. 74. & fuſius huic vindicat Clar. Aſſemanus in eodem Dionyſio Barſalibi Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 176. & ſeqq. verba, inquam, ex dicto ejus Opere, & cap. 12. hæc ſunt: *Oportet inquirere, an panis, quem accepit Chriſtus ſuper manus ſuas, & benedixit illum, & ſanctificavit, & corpus ſuum appellavit, ipſum ſit corpus ejus, quod ex Virgine eſt, an aliud præter ipſum. Dicimus ipſum eſſe corpus ejus, & ſanguinem, quæ ex Virgine ſunt. At forte quis objiciet, quomodo id fieri poteſt; Ad quem dicimus, etiam factu poſſibile eſt; nam dextera illa, quæ ab initio pulverem de terra accipiens mutavit eum, fecitque Adæ Corpus, eadem mutavit panem hunc, & fecit illum Verbi corpus, quod eſt ex Virgine, & convertit vinum illud, & fecit illud Sanguinem, qui eſt ex Virgine. Ita quoque intellige hodie de pane, & vino, quæ offert Sacerdos: Spiritus Sanctus, qui in Virginis uterum deſcendens, carnem illam, quæ ex ipſa erat, Corpus, & Sanguinem Verbi Dei effecit, idem ſuper Altare deſcendens panem, & vinum ibi poſita facit Corpus, & San-*

Item Dionyſius Barſalibæus Jacobita ſeculi XII. Scriptor.

Sanguinem Verbi Dei, quæ ex Virgine Maria aſſumpſit, per Sacerdotem, qui Sacerdotali munere fungitur, & Liturgiam celebrat: Deinde cap. 13. hæc item de veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia ſubjungit: *Dicuntur Corpus, & Sanguis, quia non id ſunt, quod videntur; nam oculis quidem videntur panis, & vinum eſſe; verum intelliguntur, & ſunt Corpus, & Sanguis Dei. Et quemadmodum ipſe Jeſus non videbatur niſi homo, & Deus erat; ſic ita videntur panis, & vinum, ſunt autem Corpus, & Sanguis.*

Deniqne Comment. in Matth. ex Cod. Syr. Clementino-Vatic. apud dictum Aſſemanum pag. 190. *Virtus Spiritus Sancti, quæ in Virginem illapſa eamdem mundavit, & ex ea purum Corpus Verbo Deo formavit, ipſa hodie in panem Altari ſuperimpoſitum deſcendit, eumque ſanctificat, & facit Corpus Verbi Dei. Cum autem ipſe ſuum id corpus appellet, ecquis pro certo id non habeat, aut in dubium vocet? Duplici ſiquidem nos oculo præditos eſſe oportet, animæ ſcilicet, & corporis, ita ut, dum panem Altari ſuperimpoſitum per Sacerdotem oculo corporis intuemur, eum panem oculo animæ contemplemur, qui vere eſt caro anima, & mente prædita Verbi Dei, quam ex Virgine ſibi univit.* Et poſt pauca concludit: *Ita nos intelligere, & credere oportet.* Hæc de Euchariſtia Syri omnes cum Orthodoxi, tum Hæretici; neque eſt, ut diximus, ex iis, qui Chriſti Domini in eodem Sacramento realem præſentiam neget. Iidem fatentur diſertis verbis converſionem panis in Corpus Chriſti, & vini in ejus Sanguinem; & quidem de illo Corpore loquuntur & Sanguine, quæ Verbum ex Virgine aſſumpſit, ut oſtendunt Ecchellenſis citatus pag. 144. Naironus in Evoplia pag. 134. & pluries laudatus Aſſemanus in ſua Bibl. Orient. nedum quoad Syros Orthodoxos Tom. 1. verum etiam quoad reliquos Monophyſitas Tom. 2. pag. 39. 178. 190., & quoad Neſtorianos Tom. 3. pleriſque locis, præcipue pag. 514., ubi ex Eliæ Damaſceni teſtimonio, qui ſæculo nono vixit, compertum profert Chriſtianos omnes in eo convenire, quod Euchariſtia ſit vere Corpus, & Sanguis Domini. At numquid egemus teſtibus? fatentur id Euchariſticum dogma eorum, quibus utuntur, Anaphoræ, & præcipuæ Alexandrina, quam S. Marci Evangeliſtæ eſſe dicunt, ab Ecchellenſi memorata ibidem pag. 149. in cujus Canone poſt conſecrationem hæc verba leguntur, quæ ab univerſo populo alta voce ad hanc veritatem conteſtandam recitantur. *Credimus hoc eſſe idem illud Corpus, quod in Præſepe fuit olim repoſitum, credimus hoc illud idem Corpus, quod Cruci fuit affixum, credimus hoc eſſe illud Corpus, quod in Sepulcro conditum fuit, credimus hoc eſſe illud idem Corpus, quod in Cœlos aſcendit*: Notent Sacramentarii, *illud idem Corpus* aſſerunt eſſe, non imaginem, aut figuram illius, ſed ipſum verum, & reale, non aliud ipſi ſimile. *Dedit illud nobis ipſemet* (loquens de Chriſto Domino, inquit David Archiepiſcopus Maronita apud dictum Ecchellenſem loco cit., qui floruit anno 1053. in Lib. Syriacarum Conſtitutionum cap. 7. ubi plane prophetice Zuinglii, Calvini, aliorumque gregalium ſymbola, & figuras percellit) *nec dixit illud eſſe ſui typum, aut figuram, ſed dixit*: *Hoc eſt Corpus meum*: *& non dixit, hoc eſt typus, vel ſymbolum Corporis mei*: Videapt, & confundantur errantes populi, & ad veritatis Catholicæ redeant unitatem, dum nos iterum ad Syrorum Sacra revertimur.

Item deniqne & alii quos referunt Ecchellenſis, Naironus, & Aſſemanus.

Demum quoad dictam Syrorum Liturgiam duo ſchiſmata inter ipſos evenille, alterum Abrahamianorum, Haſſaſſinitarum alterum ſcribit Gregorius Bar-hebræus Abulpharagius in ſuo Chronico Syriaco Tripartito, & ex eo Aſſemanus in Diſſertatione de Monophyſitis num. 7. Utrumque cœpit circa annum Chriſti 790. ex mota quæſtione de iis verbis, quæ in Liturgia Syriaca in fractione panis leguntur: *Panem cæleſtem frangimus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quæ nonnulli tamquam uſu recepta, nullumque errorem continentia, retinenda eſſe affirmabant; alii contra tollenda contendebant perinde, ac ſi *Panem cæleſtem*, qui certe nil aliud eſt, quam Corpus Chriſti, ideſt Chriſtus ipſe, a Verbo, ac filio Dei alium eſſe ſignificent. Hinc turbæ, & contentiones plutimæ, quas ibidem deſcribit Aſſemanus. *Schiſmata duo apud Syros quoad ipſorum Liturgiam.*

Quoad materiam Sacrificii, ejusque ritum Jacobitæ Græcorum, Ægyptiorumque more in fermentato pane, cui ſal, & oleum nequiter miſcent, ut diximus, & nonniſi recentem ſuperſtitioſe eſſe volunt, Euchariſtiam conficiunt, uti ex memorato Dionyſio Barſalibæo loco citato. At Maronitæ, ut & Armeni in Azymo conſecrant, quam communem olim fuiſſe Syrorum omnium conſuetudinem ex ejuſdem Dionyſii Chronico obſervat Aſſemanus Tom. 1. pag. 409. Jacobitas autem ipſos ante S. Joannis Damaſceni tempora in Azymis quoque celebraſſe notat Joannes Alb. Fabricius in Bibliographia cap. 11. num. 26. pag. 402. ex eodem Damaſceno Tom. 1. pag. 647.

Inſuper Hoſtiarum numerum, præterquam ſi duæ ſint, imparem eſſe debere volunt Jacobitæ, & rationes utcumque reddit ſupradictus Dionyſius citato Opere Cap. 6. apud Aſſemanum Tom. 2. pag. 181. Porro quamvis Ritum hunc ſuum velut antiquiſſimum ipſi prædicent, novitatis tamen hac in obſervatione redarguuntur a Joanne ejuſdem Sectæ Epiſcopo Telenſi ſexti ſeculi Scriptore, cujus meminit dictus Aſſemanus ibid. pag. 53. & pag. 181. ubi & alios aliquot Syros Jacobitas idem cum hoc Joanne Telenſi ſentientes refert. Denique apud Orientales, Maronitis exceptis, eſt conſuetudo ſemel in die tantum ſuper uno Altari Liturgiam celebrandi, & veſpere apud Neſtorianos in Dominicis, & Sabbatis Quadrageſimæ. Plura alia fortaſſe erunt obſervanda, ſed levioris momenti, quæ videri poterunt apud jam recenſitos Authores, qui de rebus Syris ſcripſerunt. Atque hæc ſatura lance dicta ſint de Orientalium Liturgiis. Nunc ab Oriente in Occidentem revertamur. *Jacobitarum ſuperſtitioſa obſervatio quoad materiam Sacrificii, & hoſtiarum numerum.*

CAP. X.

De Miſſa Ambroſiana. A quo fuerit inſtituta. Ordo ejus deſcribitur. Aliquot Ritus peculiares Eccleſiæ Mediolanenſis.

§. I.

De Miſſa Ambroſiana. A quo fuerit inſtituta.

DE Ritibus Mediolanenſis Eccleſiæ multa ſcripſit Ambroſiani collegii Doctor Joſeph Vicecomes, *lib.* 2. *de Ritibus Miſſæ*, quæ nec approbare, nec refellere in animo eſt. (1) Ait illos a S. Barnaba Apoſtolo inſtitutos, a S. Miroclete auctos, a S. Ambroſio illuſtratos, ideoque Ambroſianos poſt ejus deceſſum dici cœpiſſe: cumque de illis abolendis ageretur, miraculis approbatos fuiſſe. (2) Ad hæc autem probanda, cum multa ſibi ſuppetere teſtimonia aſſerat, nullum tamen profert, præter Galvaneum & Beroldum, (3) quos inquit in inſtructiſſima Bibliotheca Ambroſiana, & in tabulario Eccleſiæ Metropolitanæ MSS. aſſervari. Sed iſti ignoti ſcriptores ſunt, quorum auctoritas quanti ponderis ſit, aliis diſcutiendum relinquo. Neſcio enim qua ætate vixerint, & quo nixi fundamento ea ſcripſerint, quæ Vicecomes ex illis refert. Quod vero attinet ad Miſſæ Ambroſianæ inſtitutionem, de qua nobis ſermo eſt, Walafridus Strabo ante annos octingentos Ambroſio adſcribit *lib. de reb. Eccleſ. cap.* 22. his verbis: *Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus tam Miſſæ, quam cæterorum diſpoſitionem officiorum ſuæ Eccleſiæ, & aliis Liguribus ordinavit. Quæ & uſque hodie in Mediolanenſi tenentur Eccleſia.* Straboni autem ſuffragatur illius Eccleſiæ & totius Italiæ traditio, a qua ſine evidenti ratione recedendum non eſt. Sed ſive Ambroſius, ſive alius antiquior eos ritus inſtituerit, id pro certo habendum, non fuiſſe a mutationibus immunes, quas aliis contigiſſe ſupra oſtendimus. Fuerunt enim ab Archiepiſcopis aucti ſæpius, & aliqua ex parte innovati, ut perſpicuum erit antiqua Miſſalia cum recentioribus conferenti (4). (1) (2) (3) (4)

(1) *Nec refellere in animo eſt*) Prudenter Cardinalis noſter plura a Joſepho Vicecomite de Ritibus Eccleſiæ Mediol. aliiſque agitata prætcrit; ita enim Author iſte prolixus eſt, tam multa dubia, ac falſa congerit, quemadmodum idemmet Bona in Ind. Auct. ad Div. Pſalm. obſervat ex Allatio de Narthece Vet. Eccl. qui etiam in hoc Opere Liturgico ipſum pleriſque locis hallucinatum oſtendit, ut propterea ſibi in iis examinandis non immorandum duxerit, graviora, ac utiliora moliens.

Ritus Ambroſiani miraculis approbati creduli.

(2) *Miraculis approbatos fuiſſe*) Leguntur hæc apud Mombritium in Vita S. Ambroſii, & in veteri Breviario Mediolanenſi, ex quo fortaſſe Durandus Mimatenſis hauſit quæ tradit lib. 4. Ration. Div. Offic. cap. 2. Eadem narrat Landulphus ſenior, de quo infra in Hiſtoria Epiſcoporum Mediolanenſium, item ſimilia ex Beroldo, & Galvaneo Flamma infra pariter memorandis referuntur apud Euſtachium a S. Ubaldo Diſſert. de Metropoli Mediolanenſi Præf. num. 9. Narrant igitur Scriptores iſti Caroli Magni temporibus ſub Adriano Papa I. numeroſam Synodum Epiſcoporum Romæ conveniſſe, *in qua cum multa tractarentur, improvide contra myſterium Dei, beatique Doctoris, & Confeſſoris Ambroſii ſeſe intulerunt*; nempe ut Ritus Ambroſianus abrogaretur, parvipenſo quod Gregorius Magnus Romani Ritus inſtaurator Ambroſianum inviolatum reliquiſſet. Abſoluta hac Synodo inſtigantibus Epiſcopis Carolus fatis egit, *ut quidquid in cantu, & miniſterio Divino inveniret a Romano diverſum totum deleret, & ad unitatem myſterii Romani redigeret*. Quamobrem Mediolanum profectus, *omnes libros Ambroſiano titulo ſigillatos*, nimirum qui ad divina officia pertinebant, *quos vel dono, vel pretio, vel vi habere potuit, alios combuſſit, alios trans montes, quaſi in exilium miſit*. Interim cum Romam veniſſet *glorioſæ memoriæ Eugenius tranſmontanus Epiſcopus amator, & quaſi pater Ambroſiani myſterii, & Caroli pater ſpiritualis*, factum indigne tulit, conqueſtus *myſterium perire myſteriorum*, de quo Gregorius Magnus, *finiſtrum quid proferre* timuiſſet: immo ex ipſo plura Romano Ritui inſeruiſſet. Sic Eugenius Epiſcopos, ipſumque Pontificem ad meliora conſilia revocavit, & ut intemeratus ſervaretur Ambroſianus Ordo tandem evicit, non ſine atteſtatione divina; cum enim in id conſenſiſſent omnes, ut poſitis ſuper altare Sancti

Petri

Petri duobus Codicibus, uno, qui Gregorianum, altero, qui Ambroſianum Ritum contineret, ſigillatis, ſiquis ex alterutro, nemine refignante, cælitus apertus fuiſſet, is altero abrogato retineretur, contigit, ut ambo ſponte aperti fuerint. Ex quo id confecutum eſt, ut *Sedes Ambroſiana* Ambroſianum *myſterium* (ita ſemper loquuntur Landulphus, & Beroldus) retineret, at cæteræ Latini orbis partes Gregoriano uterentur. Mox Eugenius voti ſui compos factus Mediolanum properat, Ambroſiani Ritus libros recolligit: ſed nihil *præter Miſſale* recuperare potuit, quod pius quidam Sacerdos furtim ſubduxerat. *Manuale autem poſtea*, curante Eugenio, nonnulli Sacerdotum, & Clericorum, *qui multa memoriter retinebant convenientes in unum Deo opitulante*, reſtituerunt. Hæc ſuſius apud prædictos Landulphum, & Beroldum. Eadem & ſcribit Guillelmus Durandus, ſive Durantes Mimatenſis Epiſcopus paulo ante indictus, qui poſt ipſius ſeculo vergente XIII. floruit, in dicto ſuo Ration. Div. Off. loco cit. lib. 4. cap. 1. quod opus cum variis diſtrictus negotiis conficerit, & abſoleverit an. 1286. ut ipſe teſtatur lib. 7. cap. 9. idcirco non mirum, ſi ei aliquid minus hiſtoricæ fidei conſonum exciderit, neque proinde eſt cur ejus authoritati plurimum deferamus.

Sed & ante Adrianum, ac Carolum, tempore ſcilicet Gregorii Magni aliud miraculum de Ambroſiano Ritu ſuperne approbato narrat ex Dacii Chronico Galvaneus Flamma Chron. maj. cap. 502. *Dicit*, inquit, *Chronica Dacii, quod fuerat iſte Conſtantius Eccleſiæ Romanæ Diaconus, & fallus Archiepiſcopus audiens, quod Beatus Gregorius omnia officia Eccleſiaſtica in unum conſaret, timens ne propter hoc officium Ambroſianum deſtrueretur, militum turmis vallatus, & omnibus ſuis ſuffraganeis ſociatus Romam perrexit, & ſecum portavit omnes libros Ambroſianos, & Vapæ in Conſiſtorio in præſentia Cardinalium præſentavit, & tanta lux ſuper illos apparuit, quod omnes Cardinales, & Clerici quaſi mortui ceciderint, B. Gregorius libros perlegit, ac per omnia officium Ambroſianum laudavit, & approbavit, & multa inde extrahens officio ſuo Romano adjunxit, & quidquid extraxit, Beato Ambroſio adnotavit dicens: Hymnus Ambroſianus, Oratio Ambroſiana, & ſic de aliis. Quo fallo libros reſtituit, & extunc Eccleſia Romana officio B. Gregorii, & Eccleſia Ambroſiana officio B. Ambroſii contentæ fuerunt.* Hucuſque Gavalneus Flamma; at hæc aſyſtata eſſe quis non videt? tum ex ſuppoſititio Dacii Chronico Criticis emunctæ naris abjecto, tum ex omnium Scriptorum illius temporis ſilentio, tum denique ex ipſa rerum narratione, quæ nec eidem ætati, moribus, aut perſonis congruere videntur. Et quia ſingulis hiſce immorari non vacat, ſatis ſit in medium proferre quid dicto Dacii Chronico ſentiat Mabillonius. Ut Chronici hujus fidem, & authoritatem eo certius exploraret vir clariſſimus (Analect. vet. Tom. 1. pag. 3. & ſeq.) mediante Claudio Caſtellano Pariſienſi Canonico quæſtam quæſita Mediolanum miſit. Reſponſum tulit ab Antonio Maria Poſterula Eccleſiæ Metropolitanæ Bibliothecario, Chronicon eſſe annorum ſexcentorum in pergameno quidem, non tamen eadem manu deſcriptum: præterre nomen Dacii Mediolanenſis Archiepiſcopi, ſed titulum recentiorem eſſe: narrare Mediolanenſis Eccleſiæ res ab octavo ſeculo uſque ad tempus Alexandri II. Papæ, & deinere in anno 1067. exinde luculenter ſatis conſtare hoc Chronicon Dacii non eſſe, veros autem authores Landulphum ſeniorem, qui primam, Arnulphum, qui ſecundam, Landulphum denique juniorem, qui tertiam partem ſcripſit, habuiſſe. Porro de eodem Chronico ſub Dacii nomine jam ante Mabillonium dubitarunt Hugo Menardus in notis ad Ritum antiquum unctionis Regum Francorum, Theoph. Raynaudus Erotematum X. parte 1. num. 189., ubi ajunt ſtylum, quo liber ille S. Dacio Mediolanenſi adſcriptus exaratus eſt, non redolere tempora Juſtiniani, quibus ille floruerat, & nonnulla in eo narrari de geſtis in SS. Ambroſii, & Auguſtini colloquio, quæ ipſis S. Auguſtino, & Poſidio plane adverſantur. Hinc quæ fides Daciano Chronico tribuenda, ſatis perſpicuum eſt; quæ vero Landulpho, & reliquis, mox dicemus in ſequenti adnotatione.

At hæc Eruditi valde ſuſpecta, & dubia ſunt præcipue ex veterum ſilentio.

(1) *Nullum tamen profert præter Galvaneum & Beroldum*) Joſephum Vicecomitem carpit Liturgicus noſter Author, etſi modeſte & ſubobſcure, quod de Ritu Ambroſiano ex profeſſo, ut ajunt, ſeu ex inſtituto agens, ex multis Authoribus, quos ſibi patrocinari, ſuamque cauſam tueri venditat, ne unum quidem proferat, præter duos Scriptores ignotos Galvaneum, & Beroldum. Hoc idem Tillemontius in Monum. ad Hiſt. Eccl. Tom. 1. in Vita S. Barnabæ nota 4. pag. 657. edit. Venimproperat Baronio, qui ad an. 51. num. 34. hæc de Barnabæ Apoſtolatu Mediolanenſi pronuntiat: *Verum ipſum* (Barnabam) *in Italiam veniſſe, & in Liguria prædicaſſe, notiſſimamque Eccleſiam Mediolanenſem erexiſſe, longe, lateque Chriſti Fidem propagaſſe firmæ traditiones, ejuſdemque Eccleſiæ monumenta complurium Scriptorum teſtimoniis confirmata, fidem certam, & indubitatam faciunt*; Annalium nempe Eccleſiaſticorum parentem vellicat Tillemontius, quod ex pluribus, quos afferre poſſe confidenter affirmat, Scriptoribus nullum in medium proferat, quamquam fatendum ſit præ Tillemontii in Baronium longe æquiorem eſſe in Joſephum Vicecomitem Card. Bonæ cenſuram; Baronii enim inſtitutum non eſt, ut Eruditi omnes norunt, ac ipſemet loco laudato expreſſe confitetur, & ſubdit, privatarum Eccleſiarum Hiſtoriam profequi: cum hoc ab aliis ſuſius pertractatum non ignoraret. Quod quidem ſi perpendiſſet Tillemontius, maturiori judicio, quo res & Authores dijudicare ſolet, a Baronii cenſura certe abſtinuiſſet. Cæterum de Galvaneo hæc Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib. 2. cap. 44. *Galvaneus Flamma Mediolanenſis Ord. Prædicatorum anno fuit* 1340. *ac Chronicon edidit Imperatorum, & Civitatis Mediolanenſis ad ſuam uſque ætatem; manuſcriptus Codex eſt apud Franciſcum Ellium Patritium Mediolanenſem, atque is optimæ notæ. In cujus fine, ut ex clariſſimo*

issimo Laurentio Pignorio accepi, hæc verba recperies, scripsit anno 1330. Ita Vossius de Galvaneo, cui consentiunt Joannes Petrus Puricellus in sua Dissertatione Nazariana cap. 109. num. 18. & cap. 114. num. 1. Bernardinus Corius, Joseph Ripamontius, aliique Mediolanensis Historiæ Scriptores, nec plura habent Vincentius Maria Fontana, & Ambrosius de Altamura in Scriptoribus Ord. Præd.

Galvaneus & Beroldus quo tempore vixerint.

De Beroldo filet Vossius; de ipso tamen laudatus Puricellus nonnulla habet ibid. cap. 97. ubi ostendit Beroldum circa annum 1123. seu 1130. ut verius putat Lud. Ant. Muratorius, qui hoc illius Opus edidit Tom. 4. Antiquit. Medii Ævi col. 861. ut infra dicetur, duobus scilicet sæculis ante Galvaneum Flammam scripsisse Ordinem Ecclesiæ Mediolanensis, cujus ipse erat Custos, & Cicendelarius; porro Ambrosianus Ordo a Beroldo scriptus asservatur in Tabulario dictæ Metropolitanæ Mediolanensis Ecclesiæ, cujus exemplar in pergameno nigris, rubrisque litteris exaratum & in 4. compactum extat etiam in celebri Bibliotheca Ambrosiana, ut optime notat Emin. Author, signatum litt. C. num. 23. quod sæculo XIII. confectum fuisse arbitrantur Clarisi. Doctores Saxius, & Sormanus dictæ Bibliothecæ Custodes, adeoque ante Galvaneum Flammam. In dicti Codicis fronte hæc recenti manu, & in charta papyracea conscripta leguntur: *Anno 1076. fragmenta Beroldi Petro Paulo Bosca Bibliothecæ Ambrosianæ Præfecto*: Ad calcem vero in eodem pergameno, eademque manu, seu charactere antiquo, quo totus Codex exaratus est, hæc extant descripta: *Cappellanus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Pedonis, & Canonicus Ecclesiæ S. Stephani de Secrate, hunc librum meis propriis manibus scripsi, & exemplavi totum illud, quod inveni in Beroldo ad utilitatem mei tantum, & non alicujus Ecclesiæ.*

Rem Landulphus Senior, cui aliisque tribuitur Dacii Chronicon.

Cæterum utriusque, Galvanei nempe, & Beroldi anterior fuit Landulphus Senior, ut mox observavimus in nota præcedenti cum Mabillonio loco ibi citato, ac Muratori Ital. Tom. 1. parte 2. pag. 100. cui consentit Lud. Ant. Muratorius Rer. Ital. Script. Tom. 4. pag. 47. a quibus, aliisque viris eruditis eidem Landulpho Dacii, ut supra, Mediolanensis Chronicon rectius tribuitur, quidquid in contrarium sentiat fere unicus, etsi non infimæ eruditionis vir Euitachius a S. Ubaldo Ord. S. Augustini Excalceat. in suo Commentariolo de Dei Benedictione disq. 1. §. 7. & seqq. ac Dissert. de Metrop. Mediolan. Præf. num. 9. & seq. ac num. 362. in Corp., qui hujusmodi supposititium Dacii Chronicon tamquam genuinum fœtum eidem tribuit refragantibus ipsis eruditioribus Mediolanensibus; hoc pridem observavit Gavantus in Rubricas Breviarii Rom. sect. 5. cap. 19. num. 1. quem novissime tuetur, & vindicat ejusdem Illustrator clarissi. vir. & amicissimus P. D. Cajetanus Maria Meratus in observat. ad dictum Gavanti locum Tom. 2. parte 1. pag. 365., & seqq. docta satis, & erudita Dissertatione, ad quam Lectorem mittimus, si plura volet tum de Dacii Chronico supposititio, tum de ejus Authore Landulpho, ipsiusque continuatoribus. His positis concludendum, Authores istos, quicumque ii fuerint, cum non ante XI. sæculum vixerint, ut supra vidimus, recentioris ævi esse, adeoque descripta ab iis miraculta super Ambrosiani Ritus approbatione, quæ accidisse narrant, tum sub Gregorio Magno, tum Adriani I. Papæ, & Caroli Imperatoris temporibus, irrefragabilem non mereri authoritatem, cum hæc a nullo Scriptore ipsorum teste, puta a Guillelmo Bibliothecario, qui vitam Hadriani, vel Ægingardo, qui Caroli Magni gesta literis consignarunt, proferantur, atque Gregorius sexto, Hadrianus, & Carolus octavo ineunte sæculo floruerint, quidquid præfati Chronistæ Mediolanenses tribus, & ultra sæculis posteriores de iis scripserint.

Qui omnes non ante sæculum XI. vixerunt.

Quamvis autem in utraque exposita narratione quædam subsistæ fidei subesse certo videantur, uti id non dissimulat, & ingenue fatetur laudatus clar. vir Lud. Ant. Muratorius in Præfat. ad ipsius Landulphi Historiam loco supra indicato, ubi quam pronus in fabulas, quam dubiæ veracitatis fuerit ejusmodi Scriptor affirmare non timet; nihilominus rem ipsam veram esse posse non dubitaverim, tum ex antiqua Ecclesiæ Mediolanensis, immo, & Italiæ totius traditione, de qua infra, tum ex Summorum Pontificum consensione, & oraculo, qui profecto Ambrosianum hujusmodi Ritum, reliquis a Romano discrepantibus, veluti Aquilejensi Patriarchino dicto, Eusebiano, aliisque abrogatis, singulari privilegio conservandum non judicassent, nisi ad id aliquo divino indicio, vel instinctu moti non fuissent. Et certe (subdit idem Muratorius Tom. IV. Antiquit. Ital. medii ævi Differt. 57. pag. 824.)

„ qui prodigium illud, quo scilicet divinitus
„ innotuit Ambrosianæ Ecclesiæ Ritum a Deo
„ probari, aut falsum prorsus suspicetur, aut
„ ei fidem accommodare nolit, is me con-
„ tradicentem minime habebit; attamen in-
„ ter ipsas fabulas elucere mihi videtur illud
„ idem quod antea propositum; neque enim
„ Historici vel inepti Poetarum ad instar,
„ narrationem cujusdam facti omnino confin-
„ gere solent, sed qualem accepere a vulgo,
„ aut ipsi accidisse opinantur, litteris confi-
„ gnant, hoc est, verum aliquid fabulis in-
„ termixtum enarrare consueverunt. Non fa-
„ cile Landulphus somniasset vim Ritibus
„ Ambrosianis illatam sub Hadriano I. Pon-
„ tifice, & Carolo Magno, nisi conatus hujus-
„ modi fama præcessisset, & aut populus,
„ aut antiquiores Historici id commemorassent. Hæc scite more suo Muratorius.

Hinc quamquam, ut diximus, non adeo certum sit Ambrosiani Ritus approbationem miraculis confirmatam fuisse, quod vel ipsi doctiores Critici Mediolanenses non inficiantur; nihilominus ad insignis Mediolanensis Ecclesiæ dignitatem pertinere vel maxime videtur, inquit Ughellius Ital. Sac. Tom. 4. Col. 7., quod in ipsa Italia, atque adeo in Apostolicæ Romanæ Sedis vicinia constituta Ritum in sacris proprium, ac peculiarem nihilo secius retinet, instar Ecclesiarum Orientalium, quæ ab ipsa Orbis Terrarum Principe Romana Ecclesia longissimo iterum intervallo disjunguntur.

guntur. Quem Ritum ab eadem Eccleſia Mediolanenſi uſque in præſens obſervatum plerique ſanctitate, & doctrina conſpicui tum illius, tum aliarum Eccleſiarum Præſules ſuo etiam calculo comprobarunt, ſignanter S. Antoninus Florentiæ Archiepiſc. Chron. Tit. 14. cap. 4. ubi ita ſcribit: *Carolus Magnus Imperator ordinato ſtatu Eccleſiæ ipſe fecit Gregorianum Officium per Eccleſiam univerſalem teneri, Ambroſiano ſolis Mediolanenſibus dimiſſo*: Et licet Nicolaus Papa II., qui anno 1060. in Synodo Jaccitana Ritum Gothicum in pluribus Hiſpaniæ Provinciis abrogari fecerat, Ritum etiam Ambroſianum S. Petri Damiani opera ſupprimi voluerit, ut narrat Sigonius de Regno Italiæ lib. 9. attamen cum ipſe Cardinalis Oſtienſis Epiſtola quadam apud eumdem Sigonium loco citato laudata exhibuiſſet: *Quod in Eccleſia Mediolanenſi non eſt novum, quæ ſemper diverſi dogmatis homines habuit, initio ab Auxentio inchoato, & Ambroſio*, idemque, dum in Inſubria conſiſteret, dicti Cleri Mediolanenſis ordinem, & majeſtatem admiratus cæremonias in ſacris Officiis celebrandis ſua præſentia ratas habuiſſet, Ritus iſte permiſſus eſt, & in ſuæ inſtitutionis obſervantia relictus. Præterea cum Carolus Borromæus alter Sanctus Cardinalis Mediolani ad ſuam Eccleſiam reſidens de abrogando eodem Ambroſiano Ritu Romæ cogitatum audiſſet, plures Epiſtolas, quæ in Bibliotheca Vaticana aſſervantur, præſertim ad Nicolaum Specianum Prothonotarium Apoſtolicum ibi negotiorum ſuorum actorem ſcripſit, ſollicite curans, ut ipſe retineretur, & confirmaretur: & revera ejus pro ritu ſuæ Eccleſiæ ſervando ſtudium irritum non fuit, obtinuit enim poſtulata quemadmodum legitur in ejus vita. Hinc Sanctus idem Cardinalis Eccleſiæ ſuæ Ambroſianæ Ritus religioſe poſtmodum conſervavit, ea præcipua, ut dicebat, ratione, quod non Mediolanenſes ſolum, ſed authoritate, & approbatione Pontificia Romani eſſent, & Apoſtolici. Ita geſtorum ejus Scriptor Carolus a Baſilica Petri cap. 27.

Ritus Ambroſianus reſervante S. Petro Damiani Mediolanenſibus in ſua obſervantia relictus.

Singulare porro eſt, quod in laudem Mediolanenſis Cleri, ejuſque Ordinum, dum Archiepiſcopo ſuo Pontificalibus induto ad Altare inſervirent, S. Petrum Damiani dixiſſe refert Triſtanus Calchus Hiſtor. Patr. lib. 6. pag. 132., & ex eo Car. Sigonius ſupralaudatus de Regno Italiæ lib. 9. *Quorum Oſtienſis*, inquit, *contemplatus majeſtatem Cleri Mediolanenſis, cujus Archiepiſcopo duodeviginti aſſident ſuffraganei Epiſcopi, & cunctis cæremoniis aſſiſtunt variæ dignitatis Sacerdotes, duo Archipresbyteri major, & minor, totidem Primicerii, unus totius Cleri, alter ſexdecim Lectorum, Præpoſitus, & Archidiaconus, tum duo, & viginti Cardinales Ordinarii coccineis veſtibus ſplendidi, Secundicerius, quatuor Clavicularii, decem Terminarii, quatuor Notarii, & totidem Magiſtri Litterarii, qui & Maticonli vocitantur, octo pueri, decemviri ſeniores, totidemque vetulæ panem, & vinum antiquo more Hebræorum offerentes (quos Divi Ambroſii ſcholam vocamus) qui in cæremoniis cunctos Ordines præcedunt; Eſt & Cymiliarcha cum Cuſtodibus ſexdecim: ſunt & duodecim Canonici Decumani, qui ex plebæis tantum legi ſolebant, ſeorſim ab Cardinalibus, inter quos nonniſi nobiles admittebantur, munia ſua celebrantes. Hæc, inquam, ſpeculatus Oſtienſis* (S. Petrus Damiani) *nuſquam equidem, ait, Deum teſtor, tam honeſtum, tam venerandum Sacerdotum Collegium cognovi*: Hæc de Sacris Mediolanenſis Eccleſiæ Miniſtris, & eorum Claſſibus Triſtanus Calchus, cui ſuccinit Puricellus ſupra laudatus in ſua Diſſert. Nazar. cap. 100. pag. 490. Et quidem hic Miniſtrorum numerus, & Ordo ibi adhuc perſeverat, etſi varius, uti infra videbimus. Viget itaque a ſui initio Ambroſianus Ritus, etſi non idem ſemper, ut item mox dicemus. Nunc nobis de ejus Inſtitutione diſſerendum.

Ejuſdem S. Petri Damiani elogium de Clero Mediolanenſi.

Hujus autem Ritus Ambroſiani an Ambroſius primus inſtitutor fuerit, proindeque ab eo tanquam proprio Authore nomenclaturam acceperit, diſputant Eruditi, ex quibus Emin. noſter hoc capite, & in Div. Pſalm. cap. 18. §. 11. inter ſe invicem collatis de eodem ſubdubitare videtur, etſi antiquæ traditioni ſtandum eſſe pronunciet. Sane aliquem Miſſæ ordinem, ſeu Ritum a primis Chriſtianæ Religionis apud Mediolanenſes Fundatoribus, qualis primis illis temporibus in uſu erat, traditum fuiſſe certo certius eſt; cum enim plures ante Ambroſium Mediolanenſis Eccleſia habuerit Epiſcopos ſanctitatis merito, divini cultus ſtudio, ac omni virtutum laude inſignes, ſtultum profecto foret, vel ſuſpicari incultam illam, deſertamque ſine ſacris Miniſtris tot ſeculorum decurſu jacuiſſe. Ita conſentiunt Carolus a Baſilica Petri Epiſcopus Novarienſis in Libro de Ritibus Eccleſiæ Mediolanenſis inedito Novariæ aſſervato, & Joſeph Saxius in Diſſertatione Hiſtorica ad vindicandam veritatem contra allegata in Cauſa Præcedentiæ &c. a Nicolao Sormano, quibus addo item celebrem Ludovicum Antonium Muratorium Tom. 4. Antiq. medii ævi Diſſert. XVII. col. 836., ubi ait: *Illud certum non deſuiſſe Mediolanenſi Eccleſiæ Liturgiam ſuam, vel antequam S. Ambroſius eidem præficeretur, ubi enim Chriſtianorum Eccleſia, ibi quoque Sacramenta, & eorum ritus &c.* Verum cum non multo apparatu ſacra tunc fierent, nec rata, fixaque eſſet eorum diſpoſitio, nec uniformis, paulatim ad certam quamdam Liturgiæ formam ſeſe compoſuerunt Eccleſiæ, quæ forma apud Occidentales non una fuit, alia quippe Romanis, alia Gallis, & Germanis, alia Hiſpanis, & Afris alia competebat, quamquam præcipua Liturgiæ capita ubique concordarent. Hinc ſua quoque fuit, ſupereſtque Eccleſiæ Mediolanenſi forma Sacrificii ab aliis diverſa, cui id privilegii conceſſum, ut cæteris ferme abrogatis, & ad Romanam redactis ſola ſit, ut diximus, quæ aliam a Romana inter Occidentales etiamnum retineat. Idque procul dubio tributum eximio Eccleſiæ Latinæ Doctori Ambroſio, quem hujuſce Ritus Authorem majores noſtri ſemper habuerunt, adeoque ab ipſo hunc Ambroſianum Ordinem appellarunt.

Ante Ambroſium proprium aliquem Ritum extitiſſe in Eccleſia Mediolanenſi certum eſt.

Qualis autem fuerit hujuſmodi in divinis Miſſarum officiis peragendis ab eo inſtituta diſciplina, non facile eſt explicare; at nonnulla dicemus. Primo pariter indubium eſt

ab

Quale autem fuerit, diſputatur.

ab exordio naſcentis Eccleſiæ certis diebus, & horis fideles convenisſe in Eccleſiam ad audiendas Lectiones, & Pſalmos recitandos, atque hanc recitationem apud Mediolanenſes ſine cantu factam fuiſſe ante Ambroſium, ipſumque poſtea illius ordinis diſciplinam certis legibus adſtrinxiſſe colligitur, tum ex iis, quæ Paulinus refert in ejus vita, tum ex Auguſtino lib. 9. Confeſſ. cap. 7. uti infra Emin. Author lib. 2. cap. 4. §. 1. Lectiones porro, quæ tunc fiebant, duplicis generis erant, aliæ caſu, & fortuito recitabantur, & ut ferebat vel Præſidentis arbitrium, vel Librorum ſacrorum continuata lectio, aliæ ſolemni ritu conſtitutæ. De hoc ſolemni Lectionum more pluribus in locis mentio fit apud Ambroſium,

Et primo quoad Lectiones utriuſque Teſtamenti.

& primo in Epiſt. 14. ad Marcellinam ſororem, *audiſtis*, inquit, *filii Librum Job hodie legi, qui ſolemni more eſt decurſus, & tempore*, & paulo poſt: *Lectus eſt de more Liber Jonæ*: deinde in Commentario ſuper Lucam lib. 8. num. 73. novæ edit. *Pulchre mihi*, ait, *hodie legitur legis initium, quando mei Natalis eſt Sacerdotii*: De Lectionibus vero fortuitis loquitur in concione de Baſilicis non tradendis contra Auxentium, ubi de Lectione tunc recitata ex lib. 3. Reg. cap. 22. de vinea Naboth, poſt quam de Evangelica conſequenti, hæc ſubdit: *Lectio nempe iſta nulla noſtra diſpoſitione recitata eſt, ſed caſu, quæ præſentibus bene aptatur temporibus*: Plura alia extant loca apud Ambroſium de hujuſmodi fortuitis Lectionibus, videlicet lib. 2. de Jacob, & vita beata cap. 5. lib. de Elia, & jejunio cap. 19. Epiſt. 28. ad Marcellinam, Epiſt. 45. ad Bellicium, & alibi. Porro Lectiones non incipiebant, neque ceſſabant, niſi ſigno ab Epiſcopo initii, & finis dato, uti de eodem S. Ambroſio narrat Sulpicius Severus in Vita S. Martini lib. 3. ſed de his ſuſius infra lib. 2. cap. 6.

Quoad Miſſæ ordinem plura apud Ambroſium memorantur.

Quoad ordinem Miſſæ plura extant hujus argumenti apud Ambroſium loca. Præ cæteris in dicta Epiſtola 14. ad Marcellinam: *Sequenti die*, (*erat autem Dominica in ramis Olivarum*) *poſt Lectiones, & tractatus dimiſſis Catechumenis Symbolum aliquibus competentibus in Baptiſterii Baſilica tradebam*: ubi tria obſervare juvat, primum, Lectionibus, nempe Propheticis, Apoſtolicis, & Evangelicis, ut modo etiam fit, ſucceſſiſſe tractatum, ſive concionem; alterum eſt, ſymboli traditionem competentibus Ambroſii ævo factam fuiſſe, quemadmodum in aliis Eccleſiis ipſa Dominica Palmarum, non Sabbato præcedente, ut in poſterioribus Ambroſianis Miſſalibus notatur. De qua ſymboli traditione, ejuſque peculiari officio, quod juxta Ambroſianam Liturgiam nunc quinto Quadrageſimæ Sabbato celebratur, nonnulla dicemus infra in Appendice, ubi & alia ad Ritum Ambroſianum ſpectantia adhuc in Mediolanenſi Eccleſia obſervata proferentur. Tertium Baptiſterii Baſilicam, etſi majori vicinam, ab ea tamen tantiſper ſeparatam fuiſſe, ut in multis Italiæ locis etiam nunc advertere licet. Ambroſium porro non modo Dominicis, ſed & ſingulis diebus Euchariſticum Sacrificium celebraſſe perſpicue colligitur ex ſæpe memorata Epiſtola 14. ad Marcell. *Vos quoque*, inquit, *ipſos mihi bonos filios geſtiebat eripere, pro quibus ego quotidie inſtauro Sacrificium*: Item ex iis, quæ infra dicentur, ubi de Miſſa quotidiana cap. 14., & 18. §. 4.

Miſſa quotidie celebrata Ambroſii ævo.

Evangelio recitando non nudum venerandi nominis Jeſu vocabulum proferebatur Ambroſii ævo, ſed *Dominus Jeſus* ſemper appellabatur, ut patet ex Epiſtola 18., & 45. ejuſdem S. Doctoris, qui Ritus hactenus ſervatur in Eccleſia Mediolanenſi, quod olim etiam fiebat in Eccleſia Gallicana; frequentes item fuiſſe, & pene quotidianos Sermones ad populum idem Ambroſius exprimit Epiſtola 26. ad Vercellenſes, ubi ait: *Eccleſia quotidie in Lectionibus Sacris, in Sacerdotum tractatibus laudem pudicitiæ, gloriam integritatis perſonat*: Item in concione adverſus Auxentium, qui & idem ad ſuos Arianos in dies exercebat, inquit, *ſed tractanti quotidie non crediderunt*: Omnibus item Dominicis diebus Ambroſium concionantem ſe audiviſſe ſcribit Sanctus Auguſtinus Confeſſ. lib. 6. cap. 3. Hi vero Tractatus habebantur tum in Miſſa poſt Evangelii Lectionem, tum in Veſperis, qui ritus hodie & in Eccleſia Mediolanenſi obſervatur, ubi ſermo, qui in Veſperis fit, *Lectio* appellatur. Ex quibus omnibus intelligitur Ritum Ambroſianum primarium in quibuſdam cum hodierno convenire, in aliis ab eo diſcrepare, uti infra videbimus.

Item pene quotidiani Sermones ad populum habiti.

Veteres aliæ ejuſdem Eccleſiæ Mediolanenſis conſuetudines.

Item in Eccleſia Mediolanenſi olim conſuetudinem fuiſſe, ut fideles auditis verbis conſecrationis (quæ elata voce pronunciabantur) reſponderent *Amen* probat Hugo Menardus in S. Gregorii Sacrament. pag. 385. ex ipſo Ambroſio de Myſteriis cap. 9. & lib. 4. de Sacram. cap. 5., de quo priſco ritu infra Emin. Author lib. 2. cap. 13., & 25. In eadem Eccleſia oblatione facta Laici extra Chorum ſtatim recedentes rurſus Altari cum de Sacrificio partieipandum erat, ſe ſe ſiſtebant ex Sacram. lib. 5. cap. 2., & accedentes ad Altare, ut ſacram Euchariſtiam ſumerent, interim recitabant Pſalmum *Judica me Deus &c.* Ita Ambroſius de Myſteriis cap. 8. *His abluta Plebs*, inquit, *ad Chriſti contendit altaria dicens. Introibo ad Altare Dei &c.* Epiſcopus item ſalutans populum dicebat: *Pax vobis*: uti expreſſe legitur lib. de Dignit. Sacerd. cap. 5. Atque hæc de Sacrificio Miſſæ ex ipſius Ambroſii ſcriptis obſervaſſe ſufficiat. An eadem & nunc hujuſmodi ritus diſciplina perſeveret, ac in quibus ab antiqua diſcrepet, inſpiciamus.

Hodiernus Mediolanenſis Eccleſiæ Ritus ab antiquo diverſus.

(4) *Antiqua Miſſalia cum recentioribus conferenti*) Primo quoad Lectionum ordinem non eumdem olim fuiſſe Ambroſii tempore, ac nunc obſervatur in Eccleſia Mediolanenſi, ſatis comprobatur ex duobus indubitatis locis. Liber Job, de quo ſupra, legebatur feria ſecunda ſacræ hebdomadis, & Prophetia Jonæ feria quarta ſequenti, uti perſpicue exprimitur in dicta ſuperius Epiſt. 14. ad Marcellinam: nunc vero neutra legitur ipſis diebus, neque ad Matutinum, neque ad Miſſam; nam utraque feria ad Matutinas horas recitantur Lectiones ex Prophetia Jeremiæ, ad Miſſam vero ex Iſaia. Porro Jonas modo legitur ad Miſſam feria ſecunda hebdomadæ quintæ in Quadrageſima, itemque feria quinta in

in Cœna Domini, quo die prolixa ex Jona lectio nunc recitatur. Item traditio ſymboli, ut diximus, ipſa Dominica Palmarum fiebat, non Sabbato præcedenti, uti in recentioribus Miſſalibus Ambroſianis habetur. Laici porro non amplius antiquo more ad verba conſecrationis, quæ nunc ſecreto dicuntur, reſpondent *Amen*, nec ad communionem accedentes recitant pſalmum, *Judica me &c.*

At quid in hujuſmodi variationibus ab antiquo Ambroſiano ritu perſcrutandis immoramur? Cum id appareat ex Miſſali Mediolani primitus impreſſo per Chriſtophorum Ratiſponenſem an. 1482. cum recentioribus collato, idemque ultro fateantur & ipſi dictæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi. In primis Sanctus Carolus Borromæus eumdem Ambroſianum Ritum mutationibus obnoxium fuiſſe perſpicue teſtatur in Rituali poſt ſextam. Provincialem Synodum Mediolanenſem anno 1582. edito. Idem affirmat Ven. ejus ſucceſſor, & conſanguineus Card. Federicus Borromæus in ſuo Miſſali Codice Ambroſiano, quem imprimi fecit anno 1609. Idem denique confitetur Card. Montius Mediolanenſis pariter Archiepiſcopus in Rituali, ſeu Sacramentali nuncupato Mediolani impreſſo anno 1645., ubi diſtincte ait: *Nonnulla immutari, quædam adimi, aliqua etiam addi juſſimus, prout res ipſa poſtulare nobis viſa eſt*: etſi omnes antiquum Ambroſianum Ritum conſervari, ac retineri voluerint. Denique in Miſſali noviſſimo an. 1669. impreſſo plura addita, nonnulla imminuta, aliaque ab anterioribus diverſa, & immutata conſpiciuntur, uti oſtendit Edmundus Martene Tom. 1. de antiq. Eccl. Rit. cap. 4. art. 12. pag. 471., & ſeqq. ubi idem hunc recentiorem Miſſalem Librum cum Miſſali S. Caroli Borromæi juſſu edito anno 1560. in omnibus, & per omnia confert, & in pluribus ab eodem diſcrepare animadvertit. Sed de hac varietate iterum infra.

Hujuſmodi variationes vel ipſi fatentur Archiepiſcopi Mediolanenſes.

Quamvis autem poſteriori ævo aliquot, ut diximus, leveſque rituum mutationes evenerint, nihilominus ab eo tempore, quo obſervari cœpit Ordo iſte Ambroſianus, (quem ante decimum ſeculum extitiſſe crediderim) ſemper eumdem manſiſſe, & uniformem utique ad ſeculum XV. ex iis, qui ſuperſunt, antiquis Miſſalibus deprehendiſſe, ſola ſubinde novorum feſtorum facta acceſſione, uti in recentibus videre eſt, Mabillonius autumat Muſæi Ital. Tom. 1. part. 2. ubi obſervationes aliquot interſerens de ritu Ambroſiano, enarratis quæ Landulphus Senior habet detentata per Carolum Magnum ejuſdem officii, & ritus abolitione ſic cenſet: *ab eo tempore ritum Ambroſianum ſemper manſiſſe uniformem, ut ex relictis antiquis libris deprehenditur, niſi quod ſubinde facta eſt novorum feſtorum, ut moris eſt, acceſſio.* At quam parum hanc conjecturam cum veritate confentire (inquit vir ſummus alter, ac Patriæ ſuæ Mediolanenſium rerum, uti & Italicarum peritiſſimus Lud. Ant. Muratorius Tom. 4. Antiq. medii ævi Diſſert. 57. col. 837.) vel unum conſilium Puricellii Vir cl., & de Mediolanenſibus antiquitatibus tam bene meriti ſatis evincere poſſet, qui librum meditabatur *de ritibus Ambroſianis, originem feſtivitatum* (verba ſunt Puricellii ipſius manu exarata, quæ olim idem Muratorius legerat) *additamenta, vel alias mutationes Miſſali, ac Breviario factas, varia Scriptorum teſtimonia de noſtris ritibus identidem pronunciata recenſerem &c.* Fuerat & dicto Muratorio idem propoſitum, eamque in rem ille multa etiam antiquitatis fruſta ſe jamdiu congeſſiſſe ibi fatetur, ſed alibi vocatus, aliiſque occupationibus diſtentus ædificium illud alteri conſtruendum reliquit; quod poſtea ſuſceptum perficere aggreſſus eſt clar. Doctor Bernardinus Caſina Metropolitanæ Mediolanenſis Eccleſiæ, ejuſque Archiepiſcopi Card. Puteobonelli Sac. cæremoniarum Magiſter, ut ipſemet, dum Romæ eſſet, id ſe jam magna ex parte diſpoſitum habere mihi ſignificavit. Et ſane ex antiquis Ambroſianis ritibus non paucos, minoris tamen momenti, ſubſequentibus ſeculis fuiſſe, aut immutatos, aut imminutos, ex infra in Appendice dicendis, nonnihil conſtabit.

Ordo tamen Ambroſianus idem & unus a ſec. X. ad XV. ſervatus.

§. II.

Ordo Miſſæ Ambroſianæ, ejuſque Ritus.

ORdo autem Miſſæ Ambroſianæ hic eſt. Sacerdos Miſſam celebraturus ſtans in infimo altaris gradu ſignat ſe ſigno crucis, tum Pſalmo *Judica me Deus* cum antiphona alternatim recitato, (1) dicit Verſum *Confitemini Domino quoniam bonus*, reſpondentque miniſtri, *Quoniam in ſeculum miſericordia ejus*. Et immediate ſequitur confeſſio more Romano. Ea peracta dicit Verſus *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, & *Sit nomen Domini benedictum*, poſt quos ſecreto recitat hanc orationem: *Rogo te altiſſime Deus Sabaoth, Pater Sancte, ut pro peccatis meis poſſim intercedere & aſtantibus veniam peccatorum promereri, ac pacificas ſingulorum hoſtias immolare*. Mox accedens ad Altare dicit aliam orationem, *Oramus te Domine*, ut in Romano. Deinde in cornu Epiſtolæ legit *Ingreſſam*, quæ eſt veluti Introitus Romanus, ſed ſine Pſalmo, ſine *Gloria*, & ſine repetitione. Ea finita dicit *Dominus vobiſcum* non ſe vertens ad populum, ſtatimque ſequitur *Gloria in Excelſis*, ſi dici debeat, poſtea ter *Kyrie eleiſon*, & iterum *Dominus vobiſcum*. Sequitur Ora-

(1)

tio ſuper populum una vel plures, ut ordo officii poſtulat, & rurſus dicit *Dominus vobiſcum*. Legit deinde Epiſtolam, & poſt eam *Alleluja* & Verſum, vel cantum ſine *Alleluja* pro ratione temporis. Diebus vero Dominicis, & aliis ſolemnioribus ante Epiſtolam legitur Lectio una ex veteri Teſtamento cum Pſalmello, ut vocant, inſtar Gradualis Romani. Poſt Epiſtolam præmiſſa oratione *Munda cor meum*, dicit *Dominus vobiſcum*, ſeque ſignans in fronte, ore, & pectore ait, *Lectio S. Evangelii* &c. & dum reſpondetur *Gloria tibi Domine*, inclinans verſus Crucem petit benedictionem, quæ eſt ſimilis Romanæ: tum legit Evangelium. Eo lecto in medio altaris dicit *Dominus vobiſcum*, ter *Kyrie eleiſon*, atque iterum *Dominus vobiſcum*. Legit deinde Antiphonam poſt Evangelium, & tertio repetit *Dominus vobiſcum*: tum ait *Pacem habete*, cui reſpondetur, *Ad te Domine*. Subjungit quarto *Dominus vobiſcum*, & orationem ſive Collectam unam vel plures, quas vocant ſuper ſindonem clara voce. Mox accipit patenam cum hoſtia & eam offert, infuſoque vino & aqua (2) in Calicem, ipſum quoque offert: & ſuper (2) oblata recitat aliquot orationes, poſt quas legit Offertorium, & poſt ipſum ait *Dominus vobiſcum*, & ſi *Credo* dicendum ſit, hoc loco dicitur. Poſtea præmiſſo *Dominus vobiſcum*, dicit clara voce unam vel plures orationes noſtris Secretis ſimiles. Sequitur Præfatio ſingulis feriis & feſtis propria: tum Canon idem cum Romano, paucis quibuſdam verbis exceptis, quæ infra ſuo loco notabuntur. (Lib. 2. cap. 12. §. 4.) Immediate ante conſecrationem priuſquam dicat *Qui pridie*, accedit ad cornu Epiſtolæ, & ſummitates digitorum lavat & extergit nihil dicens. (3) Canone autem perſoluto uſque ad orationem Dominicam excluſive (3) frangit hoſtiam, (4) & particula in Calicem miſſa legit Confracto- (4) rium, & eſt quædam Antiphona in ſingulis Miſſis diverſa, ſtatimque ſubdit, *Oremus: Præceptis ſalutaribus moniti*, cum oratione Dominica, & *Libera nos quæſumus Domine*, alta voce. His finitis ait, *Pax & communicatio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit ſemper vobiſcum*: cui reſpondetur, *Et cum ſpiritu tuo*. Dicit deinde, *Offerte vobis pacem*, & reſpondetur, *Deo gratias*. Tum recitat tres orationes ante communionem, dictoque *Domine non ſum dignus*, communicat ſe Corpore & Sanguine Domini: (5) & facta purificatione dicit in cornu Epiſtolæ Tranſitorium, (5) quod idem eſt ac Romanis Communio, *Dominus vobiſcum*, & unam vel plures orationes poſt communionem. Subdit iterum, *Dominus vobiſcum*, ter *Kyrie eleiſon*, & in medio Altaris ſignat ſe dicens, *Benedicat, & exaudiat nos Deus*, Reſpondetur, *Amen*. Sequitur *Procedamus in pace*. Reſpondetur, *In nomine Chriſti*. Mox ait, *Benedicamus Domino*, & reſponſo *Deo gratias*, dicit orationem *Placeat tibi*, benedicitque populum, & legit initium Evangelii ſecundum Joannem. Denique recedit dicens canticum *Benedicite* more Romano. In Miſſis ſolemnibus altare, & oblata incenſant, ſicut Romani ſolent. (6) (6)

Pſalmus Judica me ad Introitum. Miſſæ olim ante an. 1499. inceptus tantum, poſtea integer recitatus.

(1) *Pſalmo Judica &c. . . . . alternatim recitato*) Antiquitus ut ex Miſſali Venetiis anno 1499. impreſſo colligitur, quem legi in noſtra Taurinenſi Bibliotheca, non dicebatur integer Pſalmus *Judica me &c.* ſed ejus tantum initium poſtea an. 1576. in Synodo IV. Mediolanenſi ſtatutum fuit, ut in poſterum idem Pſalmus integer diceretur. Synodi verba hæc ſunt Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis parte 1. Concilii Provinc. IV. parte 2. tit. de iis, quæ pertinent ad Miſſæ Sacrificium &c. *Miſſæ initio Pſalmus Judica me Deus, & in fine Evangelium S. Joannis Evangeliſtæ*, In principio *&c. dici ne umquam omittatur, niſi cum aliter in miſſarum rubricis notatum eſt*. Et ita in ſubſequentibus Miſſalibus libris præſcriptum, uti advertit Petrus le Brun in Liturg. Ambroſ. Tom. 2. Liturgic. Differt. 3. art. 2. Et ſane in Miſſali Ambroſiano juſſu S. Caroli Borromæi edito an. 1560. apud Martene loco ſuperius citato pag. 471. non aliud legitur initio Miſſæ, quam ſimplex verſus *Introibo ad Altare Dei, &* reſp. *Ad*

Ad Deum, qui lætificat &c. Deinde verſus *Confitemini*, ut ſupra. Hic porro Pſalmus *Judica* non dicitur in Miſſis Defunctorum, & in Miſſis de Tempore a Dominica Palmarum inclusive uſque ad Sabbatum Sanctum exclusive, uti in ejus Miſſalis Rubrica. Ita pariter ex novo ritu, quem unde provenerit, neſcio, prætermittitur quotidie in Miſſis privatis.

Ludovicus Ant. Muratorius notatus, & ab ejus exceptionibus vindicatur Card. Bona.

Porro Cardinalem noſtrum in hunc locum non nihil vellicat Clar. Ludov. Antonius Muratorius Tom. 4. Antiq. Medii ævi Diſſert. 57. de Rit. Eccl. Ambroſianæ col. 837. (an recte, judicent alii) eumdemque falli, ait, ſcribentem „ quod Sacerdos Miſſam celebraturus, eam incipiat Pſalmo, *Judica me, Deus* cum Antiphona alternatim recitato, &c. A vero, inquit, abſceſſit doctiſſimus Cardinalis, neque enim noſtris temporibus Pſalmus, *Judica me Deus* locum habet in Miſſa Ambroſiana, neque habebat, dum ſcriberet Cardinalis Bona. Decepit autem illum antiquus aliquis Miſſalis liber, quem ipſe incaute negleclis recentioribus ſequutus eſt. Et revera fuere tempora, quibus Ambroſiani ab hoc Pſalmo ſacrum exordiri conſueverunt; quod ut probet Ambroſianus Doctor, ac Mutinæ Ducis Bibliothecarius, veteres aliquot Miſſales Codices profert, alterum manu exaratum an. 1257., alioſque diverſis temporibus impreſſos, præcipue quem Gaſpar Vicecomes Archiepiſcopus Mediolanenſis cudendum curavit an. 1594. poſtea his concludit: „ Sed ejus in Archiepiſcopatu Succeſſor Federicus Cardinalis „ Borromæus Ambroſianæ Bibliothecæ parens, & vir ex rebus geſtis immortalis nominis, cum Ambroſianum Ritum expurgandum, & antiquæ puritati reſtituendum ſibi ſumpſiſſet, animadvertens antiquiſſimos Miſſales, & quoſdam etiam impreſſos carere hujuſmodi Pſalmo, inde eum ſuſtulit; quem morem poſtea retinuit Mediolanenſis Eccleſia „: Hæc eruditiſſimus Inſubrum Scriptor, & Medii ævi Antiquarius; verum ipſi pro Cardinalis noſtri vindiciis quid reponendum mox exhibebo, & an a vero abſceſſerit idem Liturgicus Doctor, ex dicendis conſpicietur.

Quod noſtris temporibus Pſalmus *Judica me Deus* locum non habeat in Miſſa Ambroſiana non diffitemur; at id recentium Metropolitarum authoritate factum ſupponimus, etenim non multo ab hinc retro tempore, ſæculo ſcilicet XVI. dictum Pſalmum in Miſſa non omittendum Archiepiſcopali ſimul, & Synodica Provinciali, ut videmus, ordinatione ſtatutum fuiſſe, ac longo tempore obtinuiſſe neminem inficiari crediderim. Cardinalis autem noſter, qui toto hoc opere in antiquos potius Ritus, quam noviſſimos, ex inſtituto ſibi argumento reſpexit, licet optime noſſe potuerit ſuo tempore eumdem Pſalmum ad Miſſam non amplius recitari, ſcilicet ex Miſſali an. 1669. impreſſo unico ex recentioribus, quos videre potuit, de quo Martenius loco indicato (ipſe enim Card. ſua Liturgica edidit an. 1671 duobus ex poſt annis) cum tamen viderit a Synodo Provinciali IV., ut recitaretur, præſcribi, itemque in Miſſali Libro juſſu Gaſparis Vicecomitis Archiepiſcopi, qui Sancto Carolo immediate ſucceſſit, quod non diffitetur Muratorius ipſe, deinde in alio juſſu Card. Federici Borromæi ejuſdem Vicecomitis Succeſſoris Venetiis apud Joan. Jacobum Comum 1609., quem Card. Noſter in ſuum uſum habebat, & ex quo pene ad verbum ordinem Miſſæ Ambroſianæ hoc loco deſcripturn, ipſum deſumpſiſſe credendum mihi eſt, utpote quem cum illo collatum per omnia concordare deprehendi, idem propterea Purpuratus Author non dubitavit ab Antiphona, & Pſalmo *Judica* alternatim recitato exordiri; tres namque habens hujus rei teſtes omni exceptione majores, neque rancida vetuſtate antiquos, prudenter, & ſcite, quidquid unus, aut alter poſteriorum Mediolanenſium Archipræſulum e contra obſervandum in Miſſalibus Libris ſtatuiſſet, diſſimulavit, quod quidem non ſine ratione erat illi prætermittendum, accedente præſertim S. Caroli in dicta Synodo, & Ven. Federici Borromæi non minus dignitate, conſanguinitate, quam pietate eidem proximi, & Gaſparis Vicecomitis præfati unanimi conſenſione, quorum maxime conſideranda authoritate motus Purpuratus noſter ita ex eorum Miſſalibus libris Miſſæ Ambroſianæ ordinem deſcribendum rectiſſime ſenſit; deceptus igitur non fuit ab aliquo antiquo Miſſali libro, quem incaute negleclis recentioribus ſequutus fuerit, cum enim Sacri Ambroſiani ritus reſtitutores primarios, & reformatores tamquam Magiſtros & Authores habuerit, incaute proceſſiſſe, & a vero abſceſſiſſe, profecto dicendum non erit.

A vero utique abſceſſit (& id mihi fari liceat abſque injuriæ nota) doctiſſimus Mutinenſis Bibliothecarius, ſcribens magnum Card. Federicum Borromæum, cum Ambroſianum ritum expurgandum, & antiquæ puritati reſtituendum ſibi ſumpſiſſet, & animadverteret antiquiſſimos Miſſales, & quoſdam etiam impreſſos carere hujuſmodi Pſalmo, inde eum ſuſtuliſſe; contrarium enim conſtat ex memorato ipſius Cardin. Miſſali Venetiis edito annis quatuordecim poſtquam ad Mediolanenſem Infulam aſſumptus eſt, quem fortaſſe non vidit Muratorius, & in hac noſtra S. Bernardi ad Thermas de Urbe Bibliotheca ſignatus lit. Ω. Tab. 6. n. 13. Itemque in alia Monaſterii noſtri Taurini ſign. litt. B. num. 17. Pluteo 1. cum alio antiquo ſupra memorato Miſſali Ambroſiano aſſervatur. In hoc itaque Codice ſic primo ad Rubricas generales, ubi agitur de principio Miſſæ, legitur: *Deinde Sacerdos eodem modo ſtans incipit, & proſequitur cum miniſtro alternatim Pſalmum* Judica me Deus *uſque ad finem cum* Gloria Patri. *Quo finito repetit Antiphonam* Introibo *cum miniſtro ut ſupra, qui Pſalmus nunquam prætermittitur, niſi in Miſſis defunctorum*. Deinde in Ordinario Miſſæ pag. 58. a tergo hæc habet Rubrica: *Poſtea alternatim cum miniſtris dicit ſequentem Pſalmum* Judica &c. Et poſt pauca: *in Miſſis Defunctorum, & a Dominica Palmarum incluſive uſque ad Sabbatum ſanctum excluſive omittitur Pſalmus* Judica *cum* Gloria Patri. An autem ab anno 1609. quo editus

fuit iſte Miſſalis Codex uſque ad an. 1631., quo laudatus Cardinalis deceſſit, alii ejus juſſu Miſſales libri excuſi fuerint, in quibus hujuſmodi Pſalmus ſublatus extet, apud neminem indicatum legi, adeoque id Muratorio oſtendendum relinquo, quod mihi pene incredibile; etenim Cardinalem hunc Sancti Caroli conſanguineum, ejuſque imitatorem ſtudioſiſſimum, nec non Ambroſianorum Rituum obſervantiſſimum, poſt vulgatum a ſe prædictum Miſſale Ambroſianum, *de quo recognoſcendo* (inquit præfationis initio) *paulo antequam deceſſeret piæ mem. Carolus Cardin. S. Præxedis Archiepiſcopus Mediolanenſis ſerio cogitaverat, poſtea Gaſpar Archiepiſ. qui illi proximus in ejuſdem Eccleſiæ adminiſtratione ſucceſſit, piorum doctorumque conſilio, & judicio uſus, diligenter, quoad fieri potuit, emendatum, imprimendum, promulgandumque curavit*: Quique etiam de ſe paulo infra ſubdit: *Nos hanc quoque curam ad rationem noſtri muneris exiſtimantes maxime pertinere, id ut accuratiſſime fieret, quantum quidem in nobis fuit, elaboravimus*: His non obſtantibus, Provincialem Synodicam Conſtitutionem contra præfatam duorum. inſignium Prædeceſſorum mentem, ac propriam ſui ipſius publicatam ſententiam, aliter ſtatuendo voluiſſe derogare, quis ſibi perſuadeat? Id de tanto viro non modo improbabile, ſed pene, inquam, incredibile affirmare auſim, quidquid alii ſecus cum Muratorio fortaſſe ſentiant. Atque hæc ſatis pro Cardinalis noſtri vindiciis.

Nonnulli peculiares ritus in Miſſa Ambroſiana deſcribuntur.

(2) *Infuſoque vino, & aqua in Calicem*) Ponens vinum dicit: *de latere Chriſti exivit Sanguis*, deinde ſuper aquam profert: *Et aqua*. *pariter in nomine Patris* &c. de quibus, aliiſque ſimilibus formulis vide infra Lib. 2. cap. 9. §. 3. offerens porro Hoſtiam hæc dicit: *Suſcipe clementiſſime Pater hunc Panem Sanctum; ut ſiat unigeniti tui Corpus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Offerens autem Calicem, hæc item recitat *Suſcipe ..... hunc Calicem vinum aqua mixtum, ut ſiat unigeniti tui Sanguis in nomine* &c. Deinde nonnullas orationes ſubdit ſuper oblata, quas refert infra Emin. Author loco citato §. 2. in fine. Quibus recitatis benedicit oblata dicens: *Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti copioſa de cælis deſcendat ſuper hanc noſtram oblationem, & accepta ſit hæc oblatio; Domine Sancte, Pater omnipotens æterne Deus miſericordiſſime rerum conditor. Amen*. In Miſſa Solemni poſt incenſationem, dum reddit thuribulum Diacono dicit: *Ecce odor Sanctorum. Dei, tamquam odor agri pleni, quem Deus benedixit*: In Canone Ambroſiani plura Sanctorum nomina recitant, quæ non ſunt in Romano, de quibus Lib. 2. cap. 12. §. 4.

(3) *Et extergit nihil dicens*) Verba conſecrationis ex antiquo Ritu ſic proferebat Sacerdos, ſuper panem: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro multis confringetur*: ſuper Calicem: *Hic eſt enim Sanguis meus*: nec plura, ut ex S. Ambroſio lib. 4. de Sacram. cap. 4. Nunc vero eadem profert, quæ in Miſſali Romano præſcribuntur. Deinde poſt conſecrationem ſtatim hæc ſubdit: *Mandans quoque & dicens ad eos: hæc quotieſcumque feceritis, in meam commemorationem facietis: mortem meam prædicabitis, reſurrectionem meam annunciabitis, adventum meum ſperabitis, donec iterum de cælis veniam ad vos*: Reliqua uſque ad *Nobis quoque minimis, & peccatoribus* &c. eadem ſunt ac in ordine Romano, in qua tamen oratione Ambroſiani nonnulla ſuperaddunt Sanctarum Martyrum nomina, de quibus ſuo loco lib. 2. c. XIV. §. 5.

(4) *Frangit Hoſtiam &c.*) Ante fractionem Hoſtiæ Orationem, quæ incipit *Nobis quoque* &c. ſic concludit, clauſula aliquantulum a Romana diſcrepante: *benedicis, & nobis famulis tuis largiter præſtas ad augmentum fidei, & remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum, & eſt tibi Deo Patri omnipotenti ex ipſo, per ipſum, & in ipſo omnis honor, virtus, laus, & gloria, imperium, perpetuitas, & poteſtas in unitate Spiritus Sancti per infinita ſecula ſeculorum. Amen*. Quæ omnia novem benedictionibus complet, fortaſſe ad numerum novem Angelorum Ordinum. Dividit deinde Hoſtiam per medium ſuper Calicem dicens: *Corpus tuum frangitur, Chriſte, Calix benedicitur*. De quibus verbis apud nonnullos in criticen vocatis extat eruditiſſimi Doctoris Joſeph Saxii Collegio, & Ambroſianæ Bibliothecæ Præfecti Epiſtola ad Amicum, qua formulam hujuſmodi in Ambroſiano Canone præſcriptam a quacumque novi dogmatis ſuſpicione ſtrenue vindicat vir clariſſimus, quam & nos ſuo loco referemus, videlicet ad libri II. cap. 15. §. 3. ubi de eadem apud Ambroſianos Euchariſticæ fractionis formula differit Cardinalis noſter, cui & nos item Deo dante nonnulla adjiciemus. Poſtmodum ex Hoſtiæ parte, quam ſiniſtra manu tenet, detrahens particulam dicit: *Sanguis tuus ſit nobis ad vitam, & ad ſalvandas animas, Deus noſter*. In Oratione *Libera nos quæſumus*, quam elata voce recitant Ambroſiani, cum Apoſtolis Petro, Paulo, & Andrea, addunt: *Et Beato Ambroſio Confeſſore tuo, atque Pontifice*: quam claudunt finali parum a Romana diverſa. Dein Sacerdos dicit eas orationes, quas hic innuit Emin. Author. Demum in Miſſis Defunctorum omittit: *offerte nobis pacem* &c. Cujus loco ter dicit: *Agnus Dei* &c. ut in Miſſa Romana, ſed in tertio addit *Requiem ſempiternam, & locum indulgentiæ cum Sanctis tuis in gloria*. Poſt ſumptionem Calicis hæc dicit: *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, & dona Eccleſiæ tuæ perpetuam tranquillitatem, & pacem*. Reliqua, ut in Miſſali Romano.

(5) *Et Sanguine Domini*) Deinde, ſi adſtantium aliqui communicandi ſunt, Communio ex Ritu veteri iis præbetur his verbis: *Corpus Chriſti*, & reſpondetur *Amen*. Ita Pamelius Liturgic. Tom. 1., & ex eo Grancolas Antiquit. Liturgic. item Tom. 1. pag. 591.

(6) *Sicut Romani ſolent*) Miſſæ Ambroſianæ Ordinem anno 1571. exhibuit Pamelius, haud dubie ex antiquo Ritu, a quo tamen diſcrepat in nonnullis Miſſale Ambroſianum. S. Caroli juſſu editum, ut diximus, anno 1560. at longe in pluribus novum anni 1669. uti videre eſt apud Martene loco ſupracitato. Primo deeſt lectio Prophetica in novo, præter quam in Miſſis Quadrageſimæ, de Sanctiſſimo Sacramento, & in Miſſis poſt Pentecoſten.

In

In alio nulla ante Epiſtolam lectio ex veteri Teſtamento in Dominicis poſt Pentecoſten, ſic vero in Nativitate Domini, aliiſque ſolemnioribus feſtis, uti & in Dominicis Quadrageſimæ. In feſtis Reſurrectionis, Aſcenſionis Domini, & Pentecoſtes præmittitur lectio ex Actibus Apoſtolorum in utroque Miſſali, item in utroque verba conſecrationis eadem, quæ in Romano, ut diximus, cujus multi Ritus poſt ſeculum XV. in Ordinem Ambroſianum inducti ſunt. Ubique tam apud Pamelium, quam in duplici Miſſali præfatis nulla fit mentio de ſilentio ante lectiones olim indicto, cujus tamen meminiſſe videtur Ambroſius in Præfatione ſuper Pſalmum I. ubi ait: *quantum laboratur in Eccleſia, ut fiat ſilentium, dum lectiones leguntur*. In Libello de Litaniis, quem ex Ritu Ambroſiano S. Carolus Borromæus Typis vulgari curavit, ter ſilentium indicitur ante Evangelii lectionem in tribus diebus Rogationum hoc modo: Diaconus dicit: *Parcite fabulis*: Cuſtos item, *ſilentium, habete*: & alter reſpondet: *habete ſilentium*: Evangelium, ſcilicet ſtationale dictum, deinde pronunciatur ante Miſſam. De hujuſmodi Litaniis in tribus diebus Rogationum poſt Aſcenſionem, quæ minores dicuntur, item majoribus nonnulla Beroldus apud Muratorium Tom. 4. Antiq. Medii ævi Col. 900. & 903.

In ſingulis autem Miſſis Ambroſiani Ritus hæc ſunt propria (ut notat Edmundus Martene de antiq. Eccleſiæ Ritibus Tom. 1. cap. 4. Art. 12. pag. 480.) Ingreſſa, ſive introitus una conſtans Antiphona ſine verſu, & *Gloria Patri*, Oratio ſuper populum, Epiſtola, Alleluja cum verſu, Evangelium, Antiphona poſt Evangelium, Oratio ſuper Sindonem, Offerenda, ſeu Antiphona ad offerendam, oratio ſuper Oblata, Præfatio, Confractorium, ſeu antiphona poſt hoſtiæ confractionem ante orationem Dominicam dicenda, Tranſitorium, ſeu antiphona poſt Communionem, & translatum in alteram Altaris partem librum dicenda, Oratio poſt Communionem, & Benedictio. Alia etiam ſunt illius Ritus propria, de quibus in nota ſequenti.

Ex hodierna Liturgia Ambroſiana certo elici non poteſt quid Ambroſio tribuendum.

Ex hodierna porro Liturgia Ambroſiana, aliiſque ejuſdem Ritus a Pamelio collectis, editiſque, ut diximus, anno 1571. deinde anno 1609. certo elici non poteſt quid vere Divo Ambroſio tribuendum ſit juxta ſuperius obſervata in §. præcedenti nota 3. cum ſolum certo appareat plura in eis eſſe, quæ Ambroſii non ſunt, quod & nuper animadvertit vir ſua eruditione notiſſimus Franciſcus Saxius Canonicus Mediolanenſis apud Jacobum Laderchium Act. S. Cæciliæ Tom. 1. pag. 157. nam in eis Miſſæ habentur S. Satyri, S. Marcellinæ, & veroſimile omnino non eſt Sanctum Epiſcopum ſtatim ab ejus obitu fratris Miſſam ordinaſſe, & certiſſimum eſt alteram ſororis non compoſuiſſe, cum hæc ipſi ſuperſtes fuerit. Extat in ipſis alia Miſſa SS. Siſinnii, Martyrii, & Alexandri Martyrum, quos conſtat longe poſt Ambroſium Mediolanum translatos. Ante Præfationem SS. Gervaſii, & Protaſii legitur, *per Sanctum Ambroſium*, non ergo ab ipſo Ambroſio ſcripta cenſeri poteſt. Miſſa altera in Dedicatione Eccleſiæ Majoris & ipſa Ritum multo poſteriorem ſapit, ut infra de eadem dicemus in Appendice. De paucis multa concludam. Pamelius Miſſalium Ambroſianorum tranſumptum dedit, at Autographum minime edidit; nihilominus in dubium vocari non poteſt quoad fundamentalem ideam Ritum Divi Ambroſii eſſe, quemadmodum etiam plures Præfationum, ac cantuum partes, ipſius exiſtere, utpote ab ejuſdem Operibus excerptas. Verum non id omne, quod Pamelius refert, Divo Ambroſio aſſeri poteſt, cum potius ex dictis contrarium emergat. Hæc ex Saxii judicio; cui ſubſcribentes inde etiam aſſerimus, quod etſi dubitetur, an Ambroſius Liturgiam, quæ ab eo nomen habet, ſcripſerit, non idcirco Ambroſianæ Miſſæ authoritas imminuta dicetur, cum certo notum ſit Antiquiſſimam Mediolanenſem Eccleſiam eam uſu comprobaſſe; quin immo major prorſus eſſe cenſenda eſt illius ad aliquod fidei dogma demonſtrandum efficacia, quam Teſtimoniorum ex certis operibus Ambroſii, quia in illis ſuo nomine loquitur Sanctus Doctor, Eccleſiæ vero nomine in Liturgia, præſertim accedente Sanctæ Apoſtolicæ Sedis approbatione; quod & de cæteris antiquis Liturgiis SS. PP. nomine inſcriptis Eccleſiæ uſu perpetuo receptis, judicandum, de iis ſcilicet, ut dictum eſt, quæ ab Eccleſia Romana omnium Matre, & magiſtra vel indictæ, vel permiſſæ ſunt; Eccleſia enim, adverſus quam portæ Inferi non prævalebunt, nec errori, aut mendacio obnoxia eſſe poteſt. Quod & contra Liturgiarum authoritatem oblatrantes Sectarios apponendum.

§. III.

Aliquot Ritus peculiares Eccleſiæ Mediolanenſis.

CÆterum Ambroſiani numquam dicunt *Agnus Dei* niſi in Miſſa pro Defunctis. Textus Scripturarum quas legunt in Miſſa non ſemper congruit cum editione vulgata: in his enim, & præſertim in Pſalmis utuntur peculiari verſione, quæ antiqua & Italica nuncupatur, de qua agam Libro II. Cap. III. In Dominicis Quadrageſimæ dicto *Dominus vobiſcum* poſt Ingreſſam, preces recitant pro Eccleſia, pro Pontifice & omni Clero, pro Imperatore & Rege, pro omni ſtatu hominum, & pro diverſis neceſſitatibus, Choro vel Miniſtro ad ſingulas reſpondente *Domine miſerere*, vel *Kyrie eleiſon*. In die ſancto Reſurrectionis &

per

per octavam in Eccleſiis Collegiatis duas Miſſas cantant, unam pro baptizatis, alteram de Feſto. Per totam Quadrageſimam nullam habent Miſſam pro feria ſexta, nec celebrant ea die: idque omnino prohibuit S. Carolus in tertia Synodo (1) Diœceſana Decreto 20. etiam funeris, vel (1) exequiarum, ſive alterius cujuſve rei occaſione. Et in Synodo XI. hujus antiquæ conſuetudinis hanc reddit rationem: quod illa dies plena mœroris ſit ob acerbiſſimam Chriſti paſſionem; Sacrificium vero ſpiritualem populi lætitiam præ ſe ferat. Tum ſtatuit ut illis diebus Crux in Altari adoranda ſolemni ritu exponatur, & concio de paſſione Domini habeatur. In Eccleſia Metropolitana hoc inter cætera ſpecialiter obſervatur, quod celebrans cantata oratione ſuper ſindonem medius inter Diaconum, & Subdiaconum, præcedentibus duobus Acolythis cum duobus vaſis argenteis, deſcendit ad ingreſſum Presbyterii, ubi recipit oblationes panis & vini more antiquo, quas duo ſenes de ſchola, quam vocant S. Ambroſii, induti linteo albo, nigroque caputio cæteris ſenibus comitantibus offerunt, (2) (2) ſinguli videlicet tres hoſtias, & vaſculum argenteum vino albo plenum. Poſt hæc deſcendens ad ingreſſum chori inferioris recipit mulierum oblationes, quas duæ item ſeniores iiſdem cæremoniis offerunt. Sunt & alia multa, quæ ab illa inſigni & celeberrima Eccleſia ſpeciali ritu obſervantur, ſed pro meo inſtituto hæc pauca ſufficiunt. (3) (3)

(1) *S. Carolus in tertia Synodo &c.*) Vide Act. Eccl. Mediolanenſis Tom. 1. Parte 2. pag. 280., & pag. 337. Idque ex antiquo Ritu, quem adhuc retinent Græci, de quo infra Cap. 18. §. 2.

Alii item ritus peculiares deſcripti.

(2) *Duo ſenes de ſchola, quam vocant, S. Ambroſii*) Nimirum alit Eccleſia Mediolanenſis (inquit laudatus Muratorius memorata Diſſertatione de Rit. Ambroſianis) decem ſenes laicos (*Vecchioni* appellantur) totidemque anus, quorum munus eſt, quibuſdam ſolemnibus Sacris intereſſe. Honeſto, ac antiquo veſtium genere utuntur, & cum tempus Offertorii poſcit, ex iis duo Mares ſanonibus, hoc eſt Mappis candidis apte involuti accedunt ad gradus Presbyterii (Beroldus tamen eſt eos intraſſe chorum) & dextera oblatas, ſiniſtra Amulas cum vino tenent, quæ Sacerdos illuc ab Altari una cum miniſtris deſcendens, & duo argentea vaſa deaurata deferens, ſuſcipit. Idem ſubinde peragunt & fœminæ duæ anili ætate venerandæ. Notiſſimum eſt eruditionis Eccleſiaſticæ cultoribus olim conſueviſſe Populum offerre in Synaxi panem, & vinum deinde ſacranda; totius autem populi nomine eadem nunc offeruntur per ſcholam S. Ambroſii. Quod & teſtatur Landulphus Senior Hiſtoricus Mediolanenſis Tom. IV. Rer. Ital. pag. 93. de hiſce ſcribens: *Panem, & vinum pro populo univerſo quotidie offerunt*: In publicis quoque ſupplicationibus una cum Clero eadem Schola S. Ambroſii procedit. His adde commemorari in Ordine Romano antiquam Clericorum oblationem ad Altare. Hanc Ambroſiani adhuc in Templo Metropolitano ſervant, & ad quædam ſacra ſolemnia Clerus ejuſdem Eccleſiæ conſuevit illam per ordinem deferre, & conferre in capſulam ſuper Altare collocatam. *Veglonum, & Vegloniſſarum*, hoc eſt ſenum, & anuum, aliorumque ordinum Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ mentio eſt in duabus chartis, quas nondum editas, poſt dictam Diſſertationem exhibet laudatus Muratorius. De his etiam Veglonibus, & Vegloniſſis hæc in quodam MS. Codice Bibliothecæ Ambroſianæ inſcripto: *Status Eccleſiæ Metropolitanæ &c.* adnotata ait dictus Muratorius ibi: *Vegloni apparent in Proceſſionibus cum Cottis, & Sacerdotalibus birretis, & veſtibus. Mulieres etiam viduali habitu, & velatæ in ſolemnibus Miſſarum offerunt Sacerdoti celebranti panem, & vinum ad inſtar Melchiſedech. Sed mulieres numquam intrant Chorum ..... Et quotieſcumque fiunt aliquæ Proceſſiones, eis interveniunt cum particulari vexillo ſuæ Crucis. Prior vero horum defert Pluviale temporibus debitis, & flagellum Sancti Ambroſii. Temporibus Litaniarum, & Proceſſionum cantant* Kyrie eleiſon *alternatim cum aliis Sacerdotibus Chori*. Ita ibi.

Præcipue quando Archiepiſcopus ſolemniter celebrat.

(3) *Hæc pauca ſufficiunt*) Paucis, quæ ingenue ſe pro ſuo inſtituto attuliſſe dicit Emin. Author, etſi nihilominus multa contineant, nonnulla & nos addenda cenſemus ex peculiari Ritu dictæ Metropolitanæ Mediolanenſis Eccleſiæ in Miſſarum ſolemnium celebratione. Et quidem in acceſſu ad Miſſam inchoandam thuribulum, & luminaria non feruntur ab Acolythis, ſed a Subdiacono, qui præcedens Diaconum dextra manu fert candelabrum unum, quod cantarium vocant cum candela accenſa, ſiniſtra vero thuribulum fumigans: & cum pervenerit in Chorum tradito thuribulo Acolytho thuriferario candelabrum ponit in angulo anteriori dextri cornu altaris Evangelii, tum deſcendit ad confeſſionem faciendam. Finita oratione *ſuper populum* eodem modo cum Diacono redit ad Sacriſtiam. Cum proceditur ad Evangelium cantandum non Acholythi, uti Ritu Romano, ſed Subdiaconus fert candelabrum accenſum, & thuribulum, ut dictum eſt de acceſſu ad altare. Cantata dein oratione *ſuper Syndonem* recipit celebrans oblationes modo ab Emin. deſcripto, & proſequitur Miſſam. Hæc

in

in Miſſa ſolemni Canonicali, ſeu Conventuali. Cum vero in feſtis primæ claſſis Pontificaliter celebrat Archiepiſcopus, præſertim in Dominica Reſurrectionis, & ſimilibus, ea pene omnia fiunt, quæ in antiquo dictæ inſignis Metropolitanæ Cæremoniali præſcribuntur, quæque etiam recentiori Ambroſiano dicto Ven. Card. Federici Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis juſſu edito an. 1619. inpluribus, etſi non in omnibus reſpondent, ut ſequitur: Archiepiſcopus indutus ſacris veſtibus, ſic ad Miſſam celebrandam procedit cum Diaconibus, & Subdiaconibus, cum thuribulis, & candelabris accenſis, & Preſbyteris Cardinalibus cum pluvialibus, & cum Primicerio Lectorum induto pluviali, cum tabulis eburneis, & columna, & cum quatuor Magiſtris Scholarum, & Cuſtodibus, portantibus Crucem auream, & Textum Evangeliorum; omnes induti pluvialibus, & cum Primicerio Presbyterorum induto planeta, & cum Magiſtro Scholæ S. Ambroſii induto pluviali, & flagello, & ferula; omnes iſti præcedunt Arcam Teſtamenti, in qua ſunt libri veteris Teſtamenti & novi, quam coopertam pallio portant duodecim Sacerdotes centeni Ordinis induti tantum camiſio, & ſtola, ante quos etiam, & juxta Primicerius Presbyterorum fert thuribulum accenſum cum incenſo, & in capitibus ejuſdem Arcæ duo Lectores portant duas Cruces, & hoc ordine procedunt ad Eccleſiam æſtivam, & ibi indutus Archiepiſcopus cum Clero cum magna reverentia inclinato capite tranſit ſub arcam in Eccleſia hyemali. Deinde incipit Miſſam, & offerenda incæpta Cicendelarius hebdomadarius porrigit panem azymum Subdiacono hebdomadario receptum de manibus Archiepiſcopi, vel Camera ejus, & ille dat quatuor Archidiacono, Presbyteris, & Diaconibus binos per unumquemque, & Primicerio Decumanorum, & Notariorum, & Lectorum, & Subdiaconorum, & Magiſtris Scholarum binos; & quando dat, dicit omnibus per unumquemque: *Quia Chriſtus Dominus reſurrexit*: & reſpondent: *Deo gratias*, & oſculantur illum, & panem. Similiter dat quatuor Claviculario, & duobus Lectoribus, qui portant cruces in capitibus arcæ, omnibus Subdiaconibus, & tribus Cicendelariis ſingulis ſingulos; ſimiliter hebdomadario Subdiacono, & Cicendelario binos per unumquemque. Poſt hæc dicit Offertorium, & proſequitur Miſſam „: Ita ex antiquo Ambroſiano Ordine, ſeu cæremoniali libro per Beroldum exarato, cujus Rituum plures in recentiori Ambroſiano cæremoniali ſupradicto inſerti fuere, nonnulli etiam immutati, alii abrogati, plerique innovati, & aucti, uti antiquum Ambroſianum Ordinem cum novo conferenti perſpicuum erit. Porro Beroldi Mediolanenſis Ordinem, & cæremoniale Eccleſiæ Ambroſianæ circiter an. 1130. (ut putat clar. Muratorius) exaratum, ipſe nuperrime edidit inter antiquitates Medii Ævi Tom. IV. Differt. ſuprac. 57. col. 861. & ſeqq.

Sacrorum Miniſtrorum Claſſes variæ in Clero Mediolanenſi.

Cæterum ad Miniſtrorum claſſes, quod attinet, cum iſti nunc ab antiquis, & numero, & ordine nonnihil diverſi ſint, uti patet ex eorum diſtincta ſerie, quam exhibet Joannes Jacobus Beſutius in ſua Narratione Italica Metropolitanæ Mediolanenſis Baſilicæ pag. 137. & ſeqq. præſtat de iis primariis ſaltem, qui vel immutati, vel adaucti ſunt, ad pleniorem tum antiqui, tum novi Ambroſiani Ordinis notitiam nonnulla adjicere. Et primo quoad Eccleſias hyemalem, & æſtivam, quæ olim extabant, quemadmodum teſtatur in Epiſt. 33. S. Ambroſius, ſingulæque ſuo Canonicorum Collegio decoratæ erant, nunc in unam ampliſſimam B. M. Virg. ſacram Baſilicam, pulcherrimum illud, nedum Italiæ, ſed & toto Orbi ſpectabile Templum repræſentat, conflatæ ſunt. Hinc Canonici Eccleſiæ hyemalis S. Thecłæ nuncupatæ, qui quondam Decumani dicebantur, in Canonicos ſecundi Ordinis, Primicerium ſcilicet Lectorum, Secundicerium, Notarios, & Lectores translati, ac redacti ſunt juſſu Pii Papæ IV. S. Carolo Borromeo Archiepiſcopo inſtante, qui & in novum ordinem ſtatuit Canonicos majores alias a Beroldo Presbyteros Cardinales, a Sigonio, ut ſupra, aliiſque Cardinales ordinarios nuncupatos, purpureis amicti veſtibus in Choro, publicis ſupplicationibus, ſacris quibuſcumque officiis ad inſtar S. R. E. Cardinalium, purpureo tamen dempto capitis tegumento jam ante annos circiter quingentos authore ejus rei Heriberto Antimiano Archiepiſcopo Mediolanenſi, qui ſeculo XI. ineunte illi Eccleſiæ præerat, ornati incedebant. Porro hujuſmodi eorum inſtitutum (ut refert Ferdinandus Ughellius Ital. Sac. Tom. 4. pag. 29.) Damaſus fecundus, Leo nonus, Victor ſecundus, & Stephanus nonus Summi Pontifices Mediolano forte tranſeuntes comprobarunt; hinc poſtea Innocentium IV. ampliſſimi S. R. E. Cardinalium Ordinis inſignia deſumpſiſſe facile crediderim.

Canonici majores, ſive Cardinales Ordinarii dicti, antiquitus ad inſtar Cardinalium inducti.

Hos autem Canonicos S. Carolus Cardin. Borromeus præfatus Mediolanenſis Archipræſul, ut ab ipſis S. R. E. Cardinalibus diſtinguerentur, & reliquis Cathedralium Eccleſiarum Capitularibus Collegiis fierent uniformes, coccineas veſtes, quibus ab antiquo, ut diximus, in ſacris dumtaxat utebantur, Apoſtolico diplomate ſuper hac re obtento dimittere, rubea tantum Cappa illis relicta, eoſque Prælatitio quidem titulo, ac honore auctos, Canonicos ordinarios in poſterum dici voluit, uti plenius apud eumdem Beſutium loco citato quibus etiam ſingulis nuper Mitræ uſus, & Pontificalium conceſſus in Urbe, & Diœceſi a Clemente Papa XI. ſpeciali Apoſtolico Diplomate expedito an. 1716., ſed de his item infra. Atque ut paucis complectar, quæ de ſacris Ambroſianæ Mediolanenſis Eccleſiæ Miniſtris dicenda ſorent: nulla profecto poſt Romanam in Italia, & fortaſſe extra ipſam Cathedralis Eccleſia eſt, cujus Archiepiſcopus tot habeat Sacerdotes, & Clericos inſervientes ſibi, quot Mediolanenſis Metropolita, eoſque jam a tempore S. Petri Damiani ad præſens uſque, five claſſium, veſtiumque varietate, officiorum, ac dignitatum prærogativa, numero item, & ordine priſcis præſtantes admodum, ac plurimum

Nunc rubra tantum Cappa, ac Prælatitio titulo, & Mitræ uſu inſignitis.

rimum auctos, quos utique nunc tanta Ecclesiasticæ majestatis amplitudine condecorato, si iterum Sanctus idem Ostiensis Episcopus Cardinalis in suo quemque ordine ministrantem inspiceret, majori prorsus admiratione compulsus pronunciaret, quod olim effatus est: *Nusquam equidem tam venerandum Sacerdotum Collegium cognovi*: numerum porro ministrantium omnium, & magnæ illius Ecclesiæ Officialium non describo, ne nimius videar: illum distincte exprimunt Ughelius, & Befutius locis citatis, qui eos exacte recensent, & ad ferme 300. ipsos summatim redigunt. De his etiam videndi Carolus a Basilica Petri Episcopus Novariensis supra laudatus de dicti Metropolitani Capituli dignitate, ac majestate, Joseph Antonius Saxius Bibl. Ambrosianæ Præfectus in sua responsione ad Sormani allegata in Causa Præcedentiæ &c. ubi pag. 142. de Canonicis ordinariis, eorumque excellentia, decore, authoritate, & amplitudine plura exhibet iis singularia, adeo ut vix alium alibi infra Romanam Ecclesiam, sic insigne Sacerdotum Senatum, ac simile Clericorum, aliorumque Ecclesiæ ministrorum Collegium invenies. De his item Eustachius a S. Ubaldo Augustinianus Excalc. in sua Metropoli Mediolanensi, aliique plures.

Singulare porro, ac ferme unicum infra Romanum Pontificem Insubri Archipræsulis privilegium est, quod ex prædictorum ad altare ministrantium numero ipsum quandoque habuerit Imperatorem, cum hic Italiam ingressus ferream Italici Regni coronam idem effet a Mediolanensi Metropolita recepturus, ut referunt Car. Sigonius de Regno Italiæ lib. 7. ad an. 973. Petrus Joseph Cantelius Hist. Metropol. Urb. parte 2. Dissert. 2. cap. 5. num. 4. Hallier de Sac. Ordin. sect. 8. cap. 10. art. 5. §. 4. num. 19. Thomassinus de vet. & nov. Eccl. Discipl. part. 1. lib. 3. cap. 64. num. 9. aliique, & quidem ille eodem modo, quo Summo Pontifici pro ipso Cæsare Imperiali Diademate coronando Missam celebranti in Subdiaconi officio ministrat calicem cum Patena, & hostiis portando, ac aquam in eodem calice infundendo, ut præfati testantur: sed & remotis temporibus unicus post Romanum Pontificem in tota Italia Mediolanensis Metropolita, vel saltem dignior habebatur (ut laudatus Saxius loco citato loquitur) qui non coronandi tantum Italiæ Reges, sed eos etiam eligendi jus exercebat, uti ex pluribus ostendit dictus Eustachius a Sancto Ubaldo mox indicatus num. 253. 254. 410. 413. & alibi, atque post ipsum Clarifs. Præsul Justus Fontaninus in sua Dissertatione de Corona ferrea Langobardorum cap. 3. Et sane Carolus Sigonius toto Orbi notissimus lib. 1. de Regno Italiæ ad an. 601. hæc ait: *Sic enim Mediolanenses produnt annales Mediolanensem Archiepiscopum eo jure a Gregorio Pontifice decoratum, ut vacante Italiæ Regno, ipse post XIV. dies suffraganeorum suorum Concilium advocaret, atque ex eorum sententia Regem constitueret, eumque Corona ferrea redimiret.* Demum numeroso in præsens Suffraganeorum consessu stipatus idem Mediolanensis Archiepiscopus multo etiam plures tum in iis Provinciis, tum extra Italiam Episcopales sedes suis e nutibus pendentes complectebatur, uti memorati Scriptores testantur. Atque hæc quoad Missam solemnem Ambrosianam, ejusque Ministros pro nunc dicta sufficiant.

Archiepiscopi Mediolanen. singulare Privilegium in fraction. Pontificem.

Superest ut ad coronidem nonnulla etiam de Missa privata ex eodem Ambrosiano Ritu adjiciamus, quæ Emin. Author, ut intra folitæ brevitatis terminos se contineret, omisit. Et primo in omni deosculatione Altaris Sacerdos manu dextera prius Crucis signum facit super Altare, deinde ubi signavit, osculatur manibus hinc inde extensis. Post lectum lectionis titulum, secreto dicit benedictionem, scilicet: *Prophetica, vel Apostolica lectio sit nobis salutis eruditio*: Lectione recitata dicit, *Apostolica doctrina repleat nos gratia divina*: deinde dicta antiphona post lectionem, five Epistolam pergit ad medium Altaris, ibique consistens dicit: *Munda cor meum &c.* accedit in cornu Evangelii ad Missale, & dicto *Dominus vobiscum*: *Lectio S. Evangelii secundum &c.* submissa voce dicit: *Dominus sit in corde meo &c.* post orationem super Sindonem, dum osculatur hostiam dicit, ut jam observavimus §. antecedenti nota 2. *Suscipe clementissime Pater hanc panem sanctum, ut fiat Unigeniti tui Corpus in nomine Patris &c.* & infundens vinum in calicem dicit: *de latere Christi exivit. sanguis*, deinde aquam benedicens: *& aqua pariter in nomine Patris &c.* accipiens autem calicem, offert dicens: *Suscipe . . . . hunc calicem vinum aqua mixtum, ut fiat Unigeniti tui Sanguis in nomine Patris &c.* Poltea recitat orationem super oblata, quæ duplex est, una in Dominicis, & solemnitatibus Domini, ac festis Sanctorum, & fere eadem est, ac quæ legiur in Missali Romano, alia in reliquis diebus serialibus peculiaris, quæ tamen idem initium habet. Post consecrationem Calicis stans ante Altare extensis brachiis in modum Crucis dicit secreto: *Unde & memores &c.* Reliqua peragit, uti deferibuntur ab Emin. Authore §. præcedenti, de quibus item suis locis disseremus, cum singulæ Missæ partes, & Ritus singillatim explicabuntur libro secundo.

Item alii peculiares Ritus observatu in Missa privata Ambrosiana.

Pleraque item foreni quoad Missalis Ambrosiani distributionem obfervanda, quæ cum jam animadverterit Joannes Grancolas Doctor Sorbonicus in suo Commentario Historico ad Breviarium Romanum cap. 10. pag. 27. & 27. edit. Venetæ, illuc Lectorem mittimus, ne eum nimia prolixitate gravemus. De cantu itidem Ambrosiano in Missis solemni apud dictam Mediolanensem Ecclesiam adhibito plura erudite Eustachius a S. Ubaldo præfatus peculiari disquisitione 2. ad calcem sui Commentarioli de Dei Benedictione pag. 272. & seqq. ac pridem ante ipsum Radulphus de Rivo Tungrensis, de Canonum observ. proposit. 12. Videndi denique de Ambrosiano Ritu nuperi Scriptores Grancolas prædictus Antiq. Liturg. Tom. 1. pag. 388. Claudius Du-Vert, ac Petrus le Brun Tom. 2. Dissert. 3. pag. 175., ac noviffime Ludov. Antonius Muratorius in supra laudata sua Dissert. de Ritibus Ambrosianæ Ecclesiæ Tom. 4. Antiqu. Medii Ævi Dissert. num. 57. qui omnes fuse

de

de eodem differunt. De myſtico vero ſenſu Rituum Miſſæ Ambroſianæ librum edidit Italico idiomate D. Carolus Septala Epiſc. Derthonenſis; Rationale autem cæremoniarum ejuſdem Miſſæ Petrus Caſola Canonicus Mediolanenſis.

APPENDIX

AD CAPUT X.

De Miſſa Ambroſiana ejuſque Ritibus.

ETſi quam plura de hoc antiquiſſimo Mediolanenſis Eccleſiæ Ritu hucuſque ſint dicta, quæ ad ejus qualemcumque notitiam ſufficere videantur; pro pleniori tamen ejuſdem comprehenſione, & complemento nonnulla ad ipſum uberius diſpiciendum ſpectantia hic adjicienda cenſuimus, ne quid illius illuſtrationi deſiderandum ſuperſit, ipſiuſque ſtudioſis ſcitu jucundum, aut forte neceſſarium deeſſet. Et quidem primo quoad pluries meditatam, ut ſupra innuimus, Ambroſiani Ritus abrogationem, nec umquam effectu ſecutam, notabile eſt, quod Bernardinus Corius Hiſt. Mediolan. par. 5. Mediolani contigiſſe refert an. 1440. & ex ipſo Spondanus in Annal. ad dictum annum num. 41. atque Auguſt. Oldoinus Addit. ad Ciacon. Tom. 2. col. 802. nimirum, cum Branda Caſtillionæus Card. Mediol. & Epiſcopus Placentinus ab Eugenio IV. Sedis Apoſtolicæ Legatus miſſus ut inter ipſum, & Philippum Mariam Vicecomitem Inſubrum Ducem pacem firmaret, qui etiam Abbas erat Monaſterii S. Ambroſii Mediolanenſis, in animo haberet officium Ambroſianum abrogare, & Romanum introducere, primum ejeciſſe illinc Monachos Ciſtercienſes, qui ab initio fundationis ipſorum Ordinis ibi collocati fuerant, atque eorum loco Carthuſianos introduxiſſe; ſed cum ea re Mediolanenſes offenſi ad Ducem recurriſſent, iſque abire extemplo Carthuſienſes ſub ignis pœna juſſiſſet, Cardinalem alia via tentata, a Præpoſito Eccleſiæ S. Theclæ accepiſſe Codicem Ritus Ambroſiani ejus cuſtodiæ concreditum, quem ipſemet S. Ambroſius compoſuiſſe, & ſcripſiſſe fertur, atque in feſto Natalis Domini rem divinam in Altari majore Romano Ritu celebrari curaſſe; Cives hoc ipſo ad Cardinalis ædes cum facibus advolaſſe, minas incendii ingeminantes, ni Codex redderetur. Eo territum Cardinalem, illum e feneſtra projeciſſe, ac poſtridie Mediolano exeuntem, numquam amplius eo reverſum eſſe. Quibus videas quanto zelo Mediolanenſes antiquos ſuos Ritus, eorumque Authorem Ambroſium venerentur. Hæc Spondanus. Adeo verum eſt ægre divelli homines a conſuetudinibus, quas a majoribus receperunt, ut inquit Cardinalis noſter cap. ſeqq. §. 3. ubi fere ſimilia Hiſpanis pro conſervando ſuo Mozarabico Ritu jam pridem quatuor circiter retro ſeculis contigiſſe dicetur.

Ambroſianus Ritus abrogari fruſtra tentatus a Cardinali Branda Caſtillionæo.

Quod de patrio Ambroſiano Ritu abrogando fruſtra tentaverat Branda Caſtillionæus, unicus, quem legerim ex Mediolanenſibus eidem averſum, e contra pro ipſo nedum confirmando, verum & expurgando, atque illuſtrando plures ex eodem ordine, & loco Purgati, ac quidem melioris conſilii Patres adlaborarunt, inter quos præcipui Mediolanenſes Archiepiſcopi, ac Cives Cardinales Borromæi Carolus, ac Federicus, Avunculus, & Nepos ſanctitate, atque Sanctorum ſcientia clariſſimi; item Gaſpar Vicecomes, Cæſar Montius, ac novillime Joſeph Archintus, Cardinales S. R. E. pariter, ac dictæ Metropolitanæ ſedis Antiſtites, qui pluries hujuſce Ritus Miſſales, Sacramentorum Codices, & cæremoniarum Ordines typis imprimi curarunt, eoſque ut diximus, priſtinæ antiquitatis puritati, quantum ipſis licuit, ita ut Romano Ritui, ab Ambroſiano non diſcedentes, propius accederent, ſive novis additionibus, ſive antiquis reſtitutis Ritibus in meliorem formam redigere, & exornare ſtuduerunt; præſtat nunc ex Clariſs. Muratorii Tom. 4. Antiq. Ital. med. ævi memorata Diſſert. 57. pag. 838. adnotare, quam diverſos alios Ritus in Ambroſianam Miſſam invexeriut ſecula quædam, qui nunc aut ſublati, aut immutati ſunt, ut ad primævam ſuam inſtitutionem Miſſa redigeretur. In dicto Miſſali MSS. Carthuſiano, inquit, poſt verſiculum *Confitemini Domino &c.* hæc leguntur poſita: *Sit nomen Domini benedictum &c. tunc Sacerdos ſublimet oculos, & manus, & inclinet circumſtantibus dicens: Rogo Altiſſimam Virginem Mariam, omnes Sanctos, & vos fratres orare pro me ad Dominum.* Reſpondet Chorus: *exaudiat te Dominus in oratione tua, & benedicat te,* Sacerdos plane dicat: *Dominus vobiſcum*, reſpondetur *& cum ſpiritu tuo.* Si autem per ſe ſolus: *Domine exaudi orationem noſtram, & clamor noſter ad te veniat.* Sequitur oratio privata ante Altare. *Rogo te Deus &c.* Poſt lectionem recitatam hæc ſubjiciuntur: *Notandum etiam, quod paſſiones, depoſitiones, ſeu vitæ Sanctorum leguntur loco lectionum in ſolemnitatibus eorumdem, ſed in propriis feſtivitatibus Eccleſiarum.*

Plura a cl. Muratorio obſervata circa veterem, & novum Ritum Ambroſianum.

Hujuſmodi ritus veſtigia in nullis aliis Mediolanenſium libris deprehenduntur. Hæc etiam in eodem Miſſali animadvertenda. *Cantata Antiphona poſt Evangelium iterum dicitur Dominus vobiſcum. Poſtea a Diacono proferatur. Pacem habete, Choro reſpondente: Et te: Domine: deinde Dominus vobiſcum. Sequitur oratio ſuper Sindonem.* Poſt hæc in eodem Miſſali legitur: *Sacerdos in manibus tenendo patenam cum pane, ſub ſilentio dicat: Immola Deo Sacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. O Domine, Ego ſervus tuus &c. Domine Sanctiſſime Pater, ſanctifica hunc panem, ut fiat Unigeniti tui Corpus. Amen: vel deprecor te, Sancte Pater, ut hic panis tranſeat in Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti Amen. Tenendo Calicem in manibus cum vino, & aqua, dicat ſecrete, Pater ſanctifica hunc vinum aqua mixtum, ut fiat &c.* Poſt Offertorium, & Ora-

Quem tamen confirmandum, & illuſtrandum curarunt Mediolanenſes Archiepiſcopi.

tiones ſubſequentes cætera deſideramur in eo Codice, neque prætermittendum, ibi in teſtem adferri Joannem Belethum, qui propterea non floruerit circiter ann. 1328. quemadmodum Caſimirus Oudinus opinatus eſt, ſed quidem longe antea, uti cum Trithemio reliqui Eruditi cenſent.

Et quidem ab hodierno Ritu diverſæ.

Sed plura ab hodierno ritu Miſſæ Ambroſianæ diverſa animadvertere poterit, quicumque hujuſmodi eruditione delectatur, inſpiciendo librum Mediolani impreſſum anno 1499. cura Ambroſii de Caponago cum hoc titulo: *Rationale ceremoniarum Miſſæ Ambroſianæ*: Inde pauca hæc idem Muratorius excerpſit: *Poſtquam Sacerdos dixerit: Confitemini Domino &c.* ſequitur: *Ego infelix Sacerdos confiteor Deo Patri Omnipotenti, & Filio, & Spiritui Sancto, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, Beato Ambroſio Confeſſori, & omnibus Sanctis, & vobis circumſtantibus me graviter peccaſſe per ſuperbiam in lege Dei mei, cogitatione, delectatione, omiſſione, ſenſu, tactu, viſu, verbo, & opere. Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor Beatiſſimam Virginem Mariam, Beatum Ambroſium Confeſſorem, omnes Sanctos, & Sanctas Dei, & vos circumſtantes orare pro me ad Dominum noſtrum. Reſpondetur: Deo gratias: Si habet Diaconum, aut alium Sacerdotem adjuvantem, dicat reſpondendo, Miſereatur &c. Et celebrans reſpondet Amen. Deinde adjuvans dicet Confeſſionem hoc modo: Confiteor &c.* ut ſupra, niſi quod dicit, *Tibi Pater*: nunc brevius Ambroſiani confeſſionem expediunt.

In eodem Rationali hæc itidem leguntur: *Deinde celebrans ante Altare aliquantulum ſe inclinat, dicendo ſecrete hanc orationem; Rogo te, Altiſſime Deus Sabaoth, Pater ſancte, ut me digneris tunica caſtitatis accingere lumbos meos; balteo tui timoris ambire, renes meos charitatis tuæ igne urere, ut pro peccatis meis poſſim intercedere, & pro adſtantibus veniam peccatorum promereri, & ſingulorum Hoſtias pacificas immolare; Me quoque audaſter ad tuum Altare accedentem non ſinas perire, ſed dignare lavare, ornare, & clementer ſuſcipere per Chriſtum &c.* Iſta ſublata fuere a Miſſa Ambroſiana. *Accedit ad Altare, & facit Crucem in medio Altaris cum pollice, & illam oſculatur, & deinde vadit in dextram partem Altaris, & aperto libro Miſſale oſculatur pedes Crucifixi, & ſe ſignando incipit Miſſam abſolute dicendo ingreſſam, ſive Introitum &c.* Mos quoque fuit poſt Hymnum *Sanctus, Sanctus &c.* deoſculari pedes Crucifixi, aut ſaltem pedem crucis, in omnibus quippe Miſſalibus in principio Canonis, uti & nunc, collocari conſuevit Imago Chriſti e Cruce pendentis. *In oblatione dicit hanc orationem: Suſcipe, Domine, Sancte &c. hunc panem, & ſanctifica eum, ut tranſeat in Unigeniti tui Corpus &c.* Paria habet offerendo Calicem, mutatis mutandis. De benedictione populo danda, hæc ibi occurrunt: *Sacerdos ſe volvens ad populum, dat benedictionem, prout competit diei. Una habetur communis, videlicet: Benedicat vos Divina Majeſtas ✠ Pater, ✠ & Filius, & ✠ Spiritus Sanctus. Amen. Sunt nonnullæ aliæ benedictiones, quæ more Ambroſiano in uſu ſunt, ſecundum occurrentiam dici, & Miſſæ, videlicet in Adventu Domini dicitur: Per Adventum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, benedicat vos Omnipotens Pater, & perducat ad gaudia Regni Paradiſi. Amen. In die Nativitatis Domini, ac per totam octavam dicitur: Pro Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, benedicat vos &c.* Reliquas idem omittit: nunc una tantum habetur. Mihi autem animus non eſt, ſingula colligere, in quibus Ambroſiana Miſſa temporum noſtrorum differt, non ab antiquiſſima, quæ olim erat in uſu, ſed ab ea, quam ſecula poſteriora multis additis onerarant potius, quam ornarant. Hæc enim fortaſſe tædii multum, eruditionis parum afferrent. Ergo juvat alia conſectari, legenti, ut ſpero, gratiora.

Aſſervat Ambroſiana Bibliotheca antiquum Codicem ſaltem ante Annos ſexcentos, uti Muratorio videbatur, manu exaratum cum hoc titulo: *Manuale de ſingulis Dominicis, ſeu Feſtivitatibus in circuitu Anni.* Antiquitatem illius huic præcipue commendabat dierum feſtorum ordo, qui tunc obtinebat. Inter cætera ad diem Sancti Barnabæ tres tantum orationes adſignantur, & nihil aliud peculiare de eo ibi refertur, quod indicio eſſe poſſet, eo tempore nondum invaluiſſe opinionem de fundatione Eccleſiæ Mediolanenſis per ipſum, ut a multis ſeculis traditur, facta. Illic etiam ad dies Domini ſolemnes fere ſemper adnotatur *Antiphona, quæ canitur de Eccleſia in Baptiſterium*, nempe cum Canonici ad proximam ædem ſacram procedebant, ubi Urbanum Baptiſterium erat. Hæc ex laudato Muratorio delibaſſe ſatis.

Cum autem ſupra ad §. 1. nota 3. meminerimus de Officio Traditionis Symboli, quod in Ambroſiana Eccleſia quinto Quadrageſimæ Sabbato peragitur, quodque Romano ritu Sabbatum Paſſionis dicitur, apud Ambroſianos vero Sabbatum in Traditione ſymboli: de illo eſſet hoc loci differendum; at quia ad rem Pſalmodicam potius, quam ad Miſſaticam idem Officium pertinere conſpeximus, deque ipſo Muratorius præfatus dicta Diſſertatione 57. nonnulla ex antiquis Mediolanenſium Scriptorum monumentis profert, plura de penu ſuo ad hujuſmodi eruditionem tradens, ideo illuc Lectorem mittimus, hoc tantum addentes, quod Miſſa propria huic officio accommodata ab univerſo Clero Ambroſiano celebratur, in qua de Traditione Symboli Catechumenis mox baptizandis mentio habetur, uti ex ſupracitata S. Ambroſii Epiſtola 14. ad Marcellinam Sororem, in qua ait ſequenti die poſt lectiones, atque tractatum, ideſt concionem ad populum, ſe dimiſſis Catechumenis Symbolum aliquibus competentibus in Baptiſterii Baſilica tradidiſſe. Peculiare porro Mediolanenſis Eccleſiæ illud eſt, ut non ſolum pro baptizandis eo Sabbato Traditionis Symboli, verum etiam pro recenter baptizatis Sabbato Sancto, & per totam octavam Paſchatis, necnon in die Pentecoſtes Miſſæ celebrandæ impreſſæ leguntur in novo etiam Miſſali Ambroſiano; in Miſſa tamen, quæ huic diei Pentecoſtes aſſignatur, videtur aliqua fieri mentio de baptizatis, veluti quamprimum Confirmationis Sacramento confignandis, cum pro iiſdem confirmandis auxilium a Domino poſtuletur.

Ob-

Obſervandum poſtremo eſt quod in ſingulis Liturgiæ Ambroſianæ Miſſis, prout in ejus Miſſali viſitur, ante Epiſtolam recitanda occurrit Lectio veteris Teſtamenti, exceptis Miſſis ſerialibus, in quibus hæc una tantum lectio extat; in miſſis vero privatis dicta omittitur lectio, & ſola Epiſtola cum Evangelio legitur more Romano; in cantatis autem lectio ſemper canitur in ambone, ſeu pulpito per unum ex Lectoribus majoribus, ſeu de Pheudo, ut ajunt, majori. In Miſſis denique defunctorum ſolemnibus Lectio canitur in plano Chori ab uno ex Lectoribus minoribus, ſive in Pheudo minori. Archiepiſcopo ſolemniter celebrante canitur lectio per Subdiaconum Canonicum Ordinarium, Epiſtola vero per Diaconum, & Evangelium per Archidiaconum pariter Canonicos Ordinarios, ſive de ordine majori ſemper ex ambone. Quotieſcumque celebratur feſtum de aliquibus Mediolanenſis Eccleſiæ Martyribus, præſertim extra Metropolitanam in Eccleſiis propriis, loco Lectionis veteris Teſtamenti a Primicerio Lectorum canitur Paſſio, ſive depoſitio, vel ordinatio Sanctorum Martyrum, Beatorum Pontificum, Confeſſorum, aut Virginum occurrentium. In omnibus autem Lectionibus, exceptis Defunctorum Miſſis, cantato Lectionis titulo, celebrans, etiamſi Archiepiſcopus, Lectorem benedicit ad eumdem converſus. Plura alia forraſſe forent quoad Ambroſianæ Miſſæ ritus adnotatione digna, ſed ne totus in Inſubria maneam, hactenus deſcripta ſufficiant, & in Hiſpaniam ad Mozarabes pergam.

CAP. XI.

De Miſſa Mozarabum. *Cur Hiſpani dicti Mozarabes. Hujus Ritus inſtitutio. Hæreticorum fraude depravatur. Deſiit tandem Romanis ritibus ſubrogatis. Quo tempore hæc mutatio contigerit, & de turbis ob eam exortis. A Franciſco Ximenio reſtituitur. Deſcribitur Miſſa* Mozarabica, *ejuſque Ritus.*

MONITUM AD LECTOREM.

TOtum hoc caput, & integre refert Emin. Cardinalis de Aguirre Concil. Hiſpaniæ Tom. 3. pag. 279., & ſeqq., ubi ex eodem, aliiſque documentis Officium Mozarabum, ejuſque Ritus Hiſtoriam uberrimis notis, & eruditis Obſervationibus illuſtrat. Adhuc viget hic Ritus, & ſervatur Toleti in quinque Paroeciis, & in Cathedrali Eccleſia, in ſacello Card. Franc. Ximenez Archiepiſcopi Toletani, itemque Salamanticæ ſtatutis diebus in ſacello Doctoris Talabricenſis, quod eſt in Clauſtro Majoris Eccleſiæ. Diſcrepat fere in omnibus ab aliis Eccleſiarum Ritibus, ut infra videbitur.

§. I.

De Miſſa Mozarabum. Cur Hiſpani dicti Mozarabes. Hujus ritus inſtitutio.

OFficium Divinum, quo olim Hiſpania, & vicinæ gentes utebantur, Gothicum & Mozarabicum dictum eſt. Gothicum, quia originem habuit eo tempore, quo Reges Gothi ibidem dominabantur: Mozarabicum vero, quia cum Arabes Hiſpaniam pene omnem occupaſſent, Chriſtiani *Mixtarabes*, & corrupto vocabulo Mozarabes ideſt mixti cum Arabibus dicti ſunt. Quidam a Muza Arabe, qui Toletum expugnavit, Chriſtianos, qui in ea civitate remanſerant Muzarabes, dictos autumant, ſed prior etymologia præferenda, cui rerum Hiſpanicarum ſcriptores conſentiunt. (1) A quibus & quo tempore hoc officium inſtitutum fuerit, incertum eſt. Baronius ann. 633. ejus auctorem fuiſſe putat Iſidorum Hiſpalenſem. Cum enim Patres in Concilio quarto Toletano, cui præſuit Iſidorus, congregati decreviſſent Can. 2. per omnem Hiſpaniam & Galliciam unum & eumdem modum ſervari in Miſſarum ſolemnitatibus, & in matutinis, ac veſpertinis officiis, ipſi Iſidoro, qui cæteris doctrina & ſanctitate antecellebat, hoc munus ex Baronii conjectura demandatum fuit, ut Eccleſiaſtica officia componeret, quibus omnes Hiſpaniarum Eccleſiæ (1)

deinceps uterentur. Confirmat Baronii aſſertionem inſcriptio librorum, quibus hæc officia continentur. Sic enim inſcribi ſolent: *Officium Gothicum, ſive mixtum ſecundum regulam S. Iſidori dictum Mozarabes.* Mihi autem, ne huic ſententiæ ſtatim adhæream, quædam ſunt, quæ gravem ingerunt difficultatem. (2) Nam primo in Miſſa S. Martini in oratione (2)
poſt nomina hæc verba leguntur; *Hunc virum, quem ætatis noſtræ tempora protulerunt, jubeas auxilium noſtris ferre temporibus:* Martinus autem obiit anno Domini 402. & primus ex Confeſſoribus paulo poſt obitum publico cultu cœpit honorari, (3) ergo multo ante Iſidorum hæc Miſſa (3)
ſcripta fuit. Deinde ſi Iſidorus hujus officii auctor fuit, cur nec Braulio Cæſarauguſtanus, nec Ildelfonſus Toletanus viri Sancti & Iſidoro familiares, ille in Elogio ipſius Iſidori, hic in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis nullam operis adeo excellentis mentionem faciunt? His accedit quod Concilium quartum Toletanum aliquot hujus officii Ritus *Can.* 11. *& ſequentibus* tanquam jam antea uſitatos commemorat: & tertium item Toletanum, annis 44. ante quartum, Can. 2. ſtatuit in ſingulis Eccleſiis Symbolum recitari priuſquam dicatur oratio Dominicalis, qui eſt mos peculiaris Miſſæ Mozarabicæ. (4) Ipſe quoque Iſidorus *lib. de Script. Eccleſ.* (4)
Leandri fratris ſui & in Sede Hiſpalenſi Anteceſſoris ſcripta recenſens, teſtatur ipſum in Eccleſiaſticis officiis non parvo ſtudio laboraſſe, & in ſacrificii Laudibus atque Pſalmis multa dulciſone compoſuiſſe. (5) Joan- (5)
nes Mariana *lib.* 6. *de rebus Hiſpaniæ cap.* 5. uſum inquit obtinuiſſe, ut Iſidoro ritus Mozarabicus tribuatur, nonnulla tamen Leandrum inveniſſe. Quod ſi Leander dumtaxat invenit, crediderim hoc officium Concilio tertio Toletano, cui Leander interfuit, antiquius eſſe, & ſeculo quinto jam in uſu fuiſſe, ut ex Miſſa Sancti Martini modo oſtendimus; ſed de primo ejus Auctore non conſtare; ab ipſo tamen Leandro illuſtratum, ab Iſidoro auctum, ab aliis progreſſu temporis amplificatum, nominatim ab Ildefonſo, cujus opera Julianus Toletanus *in Appendice ad librum ejus de Scriptoribus Eccleſiaſticis* in quatuor partes diviſit, & tertiam fuiſſe ait Miſſarum, Hymnorum, atque Sermonum. Ipſe item Julianus, qui diem clauſit extremum Aera Hiſpanica 728. anno ſcilicet Chriſti 690. ſcripſiſſe dicitur, ut in eadem Appendice Felix Epiſcopus refert, *Librum Miſſarum de toto circulo anni in quatuor partes diviſum, in quibus aliqua vetuſtatis incuria vitiatas ac ſemiplenas emendavit, atque complevit, aliquas vero ex toto compoſuit. Item librum orationum de feſtivitatibus, quas Toletana Eccleſia per totum circulum anni eſt ſolita celebrare, partim ſtylo ſui ingenii depromptum, partim etiam inolita antiquitate vitiatum, ſtudioſe correctum in unum congeſſit, atque Eccleſiæ Dei uſibus ob amorem reliquit ſanctæ Religionis.* Petrus quoque Ilerdenſis Epiſcopus orationes & Miſſas edidit eleganti ſermone diverſis ſolemnitatibus congruentes. Et Salvus Abbas Albaildenſis Monaſterii Miſſas etiam, & orationes, atque hymnos compoſuiſſe dicitur, plurimam cordis compunctionem legentibus & audientibus tribuentes. (6) (6)

(1) *Rerum Hiſpanicarum Scriptores conſentiunt*) Rodericus Archiepiſcopus Toletanus Rerum Hiſpanicarum lib. 3. cap. 22. poſtquam diram Hiſpaniæ a Saracenis invaſionem deſcripſerit, quæ ſæculo VIII. accidit, ideſt anno 714. ut plures Hiſpani Authores conveniunt, vel 712. (ut mavult Joſeph Perez Benedictinus in ſuis Diſſertationibus Eccleſiaſticis) graphice etiam rerum divinarum ſtatum exponens, ſic ait: *Arabes enim, quæ vi non poterant ſubjugare, falſo fœdere deceperunt, Oppa filio Egicæ Hiſpalenſi Epiſcopo ſuadente, ut ſubjecti Arabibus viverent ſub tributo, etſi forte Dominus patriam viſitaret, fierent ſubvenientibus in ſuccurſum. Et ſic fraudibus circumventi reddiderunt Oppida, & præſidia Civitatum. Et iſti dicti ſunt Mixti-Arabes; eo quod mixti Arabibus convivebant, quorum hodie apud nos nomen perſeverat, & genus.* Hanc Rodcrici ſententiam amplexus Pagius in Crit. Bar. ad an. 714. num.

Qui Mozarabes, & cur ita dicti.

num. 7. citatis ultimis Roderici verbis hæc ſubdit: Eduardus Pocokius Anglus linguarum Orientalium, præſertim Arabicæ peritiſſimus Abulpharagii veſtigiis inhærendo nos docet in ſpecimine Hiſtoriæ Arabum Arabes, qui ab Iſmaele genus ducunt, dictos fuiſſe *Moſt-Arabes*, ſeu inſitiios, eo quod non eſſent ex primis Arabiæ incolis oriundi, nec genuini Arabes. Hoc modo omnes externæ ſtirpis, gentis, & religionis inter Arabes viventes vocati ſunt ab ipſis Moſtarabes; verum Hiſpani littera T de hac voce tollentes Hiſpano-Arabes appellarunt Moſarabes, quemadmodum & plures alias Arabum voces, quas ſuæ linguæ intruſere, corruperunt.

Nonnulli etiam Eruditi, uti & obſervat Emin. Author, opinati ſunt Rodericum & Hiſpanos eodem Præſule vetuſtiores cum linguam Arabicam ignorarent, Syllaba *Mos* a voce latina *Mixtos* corruptam exiſtimaſſe; verum hanc conjecturam Linguæ Arabicæ periti fugillant, licet eam admiſerit Joannes Mariana lib. 6. de reb. Hiſpan. cap. ult. Petrus de Marca lib. 3. Marcæ Hiſpan. cap. 1. ait, originationi a Roderico propoſitæ ipſam Scripturæ conſtantis rationem refragari, quæ *Muzarabes* illos Chriſtianos perpetuo vocat, non autem *Mixtarabes*: *Muzæ Arabis beneficio*, inquit Marca, *hanc libertatem conſecuti ejus ſe nominis patrocinio contra ſequentium Principum impotentiam tuebantur, ac deditionis ſuæ conditiones ea nomenclatura expliccabant*: Verum hæc etymologia ob eamdem, qua præcedens, rationem reijcienda. Facit ad rem illam, quod refert Leo Afer, ſive Joannis Leo Granatenſis, Afer dictus, qui a patria ab Regibus Hiſpaniarum recuperata, in Mauritaniam profugit, qui poſtea ex Mahumetano Chriſtianus factus Africæ deſcriptionem, quam Arabice compoſuerat, Italice vertit, apud Ramuſium Navigationum Tom. 1. ubi Lib. 1. cap. 19. ſcribit Arabes ſcilicet in triplici eſſe differentia, *genuinos, & nativos*, qui omnium primi regionem illam, quæ nunc Arabia vocatur, occuparunt, & hos proprie Arabes indigitari; Iſmaelitas vero, qui multo poſt eo advenientes connubia, & fœdera cum primis incolis contraxerunt, qui tantum inſtititi, & advenæ ſint, appellari *Muſtaraba*, quaſi *Arabizatos*, hoc eſt adſcititios, vel adoptivos: denique qui migrarint in Africam, & per connubia, moreſque Barbaris ibi ſe admiſcuerint, vocari *Muſtiegme*, quaſi *Barbarizatos*. Ex quibus omnibus Toletani Præſulis explicatio de *Mozarabum* vocabulo, cui præ cæteris adhæſit Emin. Author, doctiſſimo etiam Pagio ſuffragante extra omne dubium ponitur, cui in hac ſententia amplectenda facem præbuere præter memoratum Pocokium alii non infimæ linguarum peritiæ viri Jacobus Golius, Abraham Echellenſis, Jo. Henr. Hottingerus, & Samuel Bochartus in Phaleg lib. 2. cap. 30. quibus item ſubſcribit Exc. Comes Mondezarenſis de Præditat. S. Jacobi in Hiſp. cap. 24. Hoc etiam officium, ſive Gothicum, ſive Mozarabicum appellarum, Toletanum dictum eſt, quod Mauris, ut ſupra notatum, Hiſpaniarum potitis, cum pars indigenarum maxima profugiſſet, eorum aliqui, qui domi remanſerunt inter Mauros ſacrorum eoſdem Ritus Toleti cuſtodierint. Atque hæc ſatis de nomine, nunc ad hujuſmodi inſtitutionem deveniamus.

Diſcutitur Difficultas quoad Officium Gothicum, quod ab Iſidoro compoſitum dicitur.

(2) *Quædam ſunt, quæ gravem ingerunt difficultatem*) Huic opinioni, cui primus adhæſit, & quam mox pluribus argumentis eximie probat Purpuratus Scriptor, cum ejuſdem laude lubens ſubſcribit Petrus le Brun Explic. Miſſæ Tom. 2. pag. 284., qui tamen putat hanc Miſſam S. Martini Miſſali Gothico tunc fuiſſe appoſitam quando Suevorum in Hiſpania Rex adhuc Arianus (Thodemirus hic erat) ut filii ſui ſaluterm impetraret, in honorem B. Martini Turonenſis Epiſcopi, ut ſcribit Gregorius Turon. Lib. 1. Mirac. S. Martini cap. 12. ædificavit Eccleſiam, ibique Sancti ejuſdem Præſulis reliquias ex Gallia in Galliciam aſportatas collocari juſſit, quæ eodem tempore illuc pervenerunt, quo S. Martinus Dumienſis primum Abbas, deinde Epiſcopus Bracarenſis Galliciam appulit, & dictum Regem ab Ariana Hæreſi ad Catholicam fidem convertit circa an. 560. Verum hæc opinio ſuſtineri non poſſe, atque ex iis ipſis, quæ idem Brunus paulo ante docet, corruere videtur; etenim ſi, ut ipſe ait, illa verba: *quem ætatis noſtræ tempora protulerunt*: ultra annorum centuriam ab obitu S. Martini intelligi nequeunt, cum juxta ipſum S. Martinus obierit anno 400., utique non poterunt ad centum ſexaginta annos protendi, ac dicto tempore intelligi; quod ut elucidetur exemplo, quiſnam de Sanctis Carolo Borromæo, Ignatio Loyola, Philippo Nerio, Franciſco Xaverio, aliiſque pluribus Beatis viris, qui ſæculo decimo ſexto ſanctitate, & miraculis claruerunt, jamque a centum ſexaginta annis plus minus in Cœlum migrarunt, dicere auſit Sanctos hos *noſtræ ætatis tempora protulerunt*? Ad ſummum, & vere, ac proprie ad aliquod temporis intervallum, puta quinquaginta annorum ea verba referri poſſunt, alioquin non erunt *noſtræ*, ſed ſuperioris ætatis tempora. Ita etiam reponendum Mabillonio, qui de Liturgia Gallicana Lib. 1. cap. 4. idem ante Brunum ſenſerat, de quo vide item Joannem Piniun in ſua infra laudanda Diſſertatione de Liturgia Mozarabum Cap. 3. §. 6. num. 153., ubi noſtri Cardinalis ſententiæ hæ in parte adhærens alia ejuſdem Mabillonii argumenta invicte diluit, cujus eruditas reſponſiones hic referre longum eſt, ea propter illuc lectorem mitto; ſed & vide infra Cap. XII. §. 6. nota 3. ubi eadem contrariis demonſtrationibus exſuffiantur. Quibus & indefirmior viget *Emin.* Authoris opinio, quod nempe dictum officium Gothicum ex ipſa S. Martini Miſſa jam in uſu fuerit ſeculo quinto, ut item infra oſtendetur.

Jam a ſeculo V. Officium Gothicum in Hiſpaniis uſitatum.

Atque ut eadem ampliori firmitate ſtabilitur; jam a ſeculo quinto officium Gothicum in Hiſpania uſitatum fuiſſe ex eo comprobatur, quod dicto tempore Gothi ſumma rerum potiti Hiſpanias occuparunt, uti ex Idatii Chronico a Sirmondo edito compertum eſt: Alani, & Wandali, & Svevi Hiſpanias ingreſſi æra 448., ideſt anno 410., uti id contigiſſe confirmat Pagius ad hunc annum. Hi autem ex

Philo-

Philoſtorgio apud Valeſium Lib. 2. num. 5. pag. 470. Sozomeno Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 37., ac Theodoreto lib. 4. cap. ult. Liturgiam Orientalem in Sacrificio adhibuiſſe videntur, eamque Conſtantinopolitanam, ut ex Joannis Chryſoſtomi Epiſtola ad Olympiadem edit. Lat. Pariſien. num. 14, & Græcæ Henr. Savilii ord. 13., quam cum armis victricibus in Hiſpanias introduxiſſe credendum, cum non aliam habuerint, niſi quam Ulphila eorum Epiſcopus natione Græcus juxta Urbem Parnaſſum ortus cum aliis Clericis Græcis pluribus, quos ipſi ſecum captivos abduxerant, & ab iiſdem in fide eruditi fuerant, uti ſcribit Philoſtorgius præfatus, ipſis ita ex gentilitate converſis tradidit, licet paulo poſt ab eadem Catholica fide ad Arianam hæreſim defecerint. *Et quamquam barbaricus furor* (ait Binius in notis ad Epiſtolam Tarraconenſium Epiſcoporum Hilaro Papæ datam anno circ. 465., eodemque anno in Concilio Romano lectam apud Card. de Aguirre Concil. Hiſp. Tom. 2. pag. 226.) *Gothorum Hiſpaniarum Eccleſias prope omnes devaſtantium, vigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ relaxaſſet, Tarraconenſem tamen Provinciam cuſtodem Legum, & Canonum permanſiſſe &c. hæc Epiſtola ſatis indicat.* Legendus hac de re cl. Joſeph Blanchinus Congreg. Oratorii Rom. Presbyt. in eruditiſſima ſua Annot. XXXI. ad Libellum Orationum antiq. Ritus Goth. Hiſpan. pag. CCI. Oper. Thomaſii Tom. 1. ubi originem hujuſmodi mixti Ritus luculenter exponit, atque repertos Catholicos fuiſſe Arianis admixtos, dum irruptio in Hiſpaniam facta eſt, quos ſuus illuc ſecutus fuerit Divinorum officiorum Ritus probe deducit.

Alibi etiam in Hiſpaniis arduis illis temporibus Divinum cultum floruiſſe colligitur ex Epiſtola Simplicii Papæ ad Zenonem Spalenſem, (ſeu Hiſpalenſem) Epiſcopum, ibid. pag. 232., qua Pontifex illi committit vices Apoſtolicæ Sedis in omnibus Hiſpaniarum Eccleſiis, uti præfert ejuſdem Epiſtolæ argumentum. Vixit Simplicius in Pontificatu ab anno 467., ad 483., quo temporis intervallo data fuit eadem Epiſtola, in qua laudatur Zeno *digna honoris remuneratione cumulandus . . . . . per quem in his regionibus Divinus creſcere inorsit cultus*: ſeculo igitur quinto, ſi divinus creſcere innotuit cultus, jam erat in Hiſpania aliquis Sacræ Liturgiæ Ritus. Quis autem hic fuerit, unde, & a quo illatus, difficillimum profecto diſtincte noſſe eſt; illud quidem compertum Chriſtianos plures Tertulliani temporibus in Hiſpaniis extitiſſe, ait enim ipſe Libro ad Scapulam Carthaginis in Africa Præfectum cap. 4. dicens *quod a Præſide Legionis* (Regnum in Hiſpania eſt) *vexatur hoc nomen*, nimirum Chriſtianum; inſuper S. Irenæi ætate Evangelium ibi nuntiatum ipſe teſtatur lib. 1. adv. hær. c. 1. verbis illis: *fundatæ Eccleſiæ, quæ in Iberis ſunt*. Ex his ad Clerum nempe, ac Plebem Legionenſem, & Aſturicanam extat Epiſtola Synodica, quæ inter Cypriani num. 67. edit. Pamelii, & Rigaltii habetur ſcripta an. 254. in cauſa Baſilidis, & Martialis dictarum Urbium Epiſcoporum, quam etiam vide Tom. 1. Concil. Labbei pag. 747. Si itaque jam a ſeculo ſecundo fundatæ Eccleſiæ in Hiſpania, ſi Epiſcopi, Clerus, ac populus Chriſtiani erant, profecto Ritum aliquem facrificandi ipſis obſervatum extitiſſe fatendum eſt. Hunc vero vel in aliquibus a Romano diverſum, vel diverſimode plerique ibidem locis adhibitum fuiſſe crediderim; in Synodo enim Bracarenſi II. quæ circa an. 561. celebrata eſt, can. 4. ſtatutum eſt, *ut eodem ordine Miſſæ celebrarentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ Sedis authoritate accepit ſcriptum*: Ut quid autem decreta hæc omnimoda in Miſſis celebrandis uniformitas, niſi quia varietas aliqua in iiſdem præceſſerat, & tollenda obrepſerat diſcrepantia?

Quod ex nullis comprobatur argumentis.

Liturgia Mozarabum magna ex parte ab Orientali Græcorum deſumpta, ut jam dictum eſt.

Cæterum quod Liturgiæ hujuſmodi Romanæ, ut fertur, primis Chriſtianæ legis temporibus in Hiſpaniam introductæ plurima ex Liturgia Orientali poſtmodum immixta fuerint nonnullis probat diſſertiſſimus Bollandianus Continuator Joannes Pinius Soc. Jeſu in ſua peculiari, & erudita Diſſertatione de Liturgia Mozarabica præliminari ad Tom. VI. Julii §. 3. ex dicto Theodemiro Svevorum Rege, Martino Dumienſi, dein Bracarenſi Epiſcopo, Joanne Biclarenſi, ac Leandro Hiſpalenſi, qui omnes inſtitutam jam quomodocumque Liturgiam ordinarunt, ac reſtituerunt, uti pater ex variis Decretis Concilii Toletani IV. anno 633. celebrati relatis ab eodem Pinio ſequenti cap. 3. quibus evidenter confirmatur Emin. Authoris aſſertum, nempe quod Mozarabici officii Ritus aliquot jam ante Iſidorum Hiſpalenſem in Hiſpania uſitati fuerint, etſi aliqui ſuperadditi, aliqui etiam abrogati, *ut unus omnibus per omnem Hiſpaniam & Galliam in Miſſarum ſolemnitatibus conſervetur modus, & ordo*, quemadmodum idem ſtatuit Concilium Can. 2.

Et quidem in confirmationem ſententiæ prædictæ Emin. Noſtri, optime ex facto ipſo Concilii Tertii Toletani mox laudati arguit cl. Pinius, quod aliqua ante id tempus (labente ſeculo ſexto, quo dictum Concilium habitum fuit) Liturgia apud Hiſpanos extiterit; etenim ex præfato ſcripto memoratæ Synodi can. 2. ſub finem ſeculi ſexti Symbolum fidei clara voce recitandum Liturgiæ Gothico-Hiſpaniæ apponi juſſum eſt; hinc ſi in Miſſa decantandum præcipitur, Liturgia utique extabat, in qua recitari deberet, quandoquidem pars tantilla reliquo ordini Liturgico ſuperaddita, ſupponit procul dubio aliquod totum præexiſtiſſe potius, quam illud faciat. Vetus itaque Hiſpanica Liturgia non nata eſt, aut condita ſub Iſidoro, aut Leandro ejus fratre, neque proinde ex hoc fundamento erui poſſe videtur major antiquitas veteris Gallicanæ Liturgiæ, quam Hiſpanæ, ut nonnulli Liturgici Scriptores Galli arbitrantur. Sed de hac diſputatione nonnihil infra ſuo loco ad ſequens caput de Miſſa Gallicana dicemus; ulterius etiam ejuſdem Emin. conjectura, & obſervatio, de qua lib. 2. cap. 13. §. 5. comprobatur, nempe quod Ritus Mozarabicus plurimum cum Græco conveniat, maxime quoad invocationem Spiritus Sancti poſt conſecrationem, ex quo itidem demonſtratur eumdem.

Ri-

Ritum a Græco primum, ut diximus, fluxisse.

Vel ipsi nobiles Scriptores Hispani fatentur jam ante Isidorum extitisse in Hispania Gothicum aliquod Officium.

His omnibus, & maxime supra allegatis ab Emin. rationibus victus Eques Nicolaus Antonius in sua Bibliotheca Hispana vet. lib. 5. cap. 4. pag. 269. num. 198. non tantum eadem argumenta *cum judicio*, ut inquit, *excogitata* candide, & aperte profiteur clariss. vir, verum etiam nil opponit, quo eorum vim elidat; quinimmo novam ab Isidoro non esse conditam Liturgiam tacite admittit, ita his verbis differens: *quæ omnia sane cum judicio excogitata* (ab Emin. fcilicet Authore, cujus paulo superius cum laude meminit) *quantumcumque solidam incœpit, & absolutî Officii laudem Isidoro nostro denegent, Isidorianum vulgo datum iis libris, & ab ultima antiquitate derivatum nomen id saltem conficere apud omnes vella ratione utentes debet, ut inter alios hujc negotio deditos non ultima Isidori laus habeatur*: paulo post eadem confirmans, sicque prædicti Concilii Toletani hæc de re decreta exponens ait: *Quod autem post præscriptum semel ordinem Sacramentorum, orandi, atque psallendi, necnon & Missarum, & quotidianarum precum per horas recitandarum ex Concilio sanctionem adhuc sancti, doctique Antistites formandis orationibus, atque Missis vacarent &c. ita interpretari possumus, ut idipsum quod nunc solet, eo tempore occideric; Romana enim hodierna Ecclesia nihil turbato in substantialibus rebus ordine tandem a S. Pio V. Pontifice stabilito plures Missas officiaque integra, aut eorum partes pro diversis Ecclesiis, aut pro universo Fidelium cœtu frequenter, postquam approbata sunt, vel permittit recitare, vel præcipit*. In eamdem sententiam pariter ivit Emin. Card. de Aguirre Concil. Hisp. Tom. 1. pag. 143., ubi agens de decretis dicti Concilii Toletani IV. hæc scribit: *Ex illis orta fuisse creditur ordinatio illius antiquissimi Missalis, & Breviarii juxta Ritum Gothicum, quod Isidorianum appellari solet denominatione sumpta a S. Isidoro, qui eidem Synodo præfuit, & illud ordinandum curavit meliori forma, licet jam antea illud ipsum fere in aliis, & aliis Hispaniæ Ecclesiis cum varietate aliqua receptam, & vulgatum fuisset a tempore discipulorum S. Jacobi, aut circiter, ut late probat D. Marchio Mondexarensis cap. 24.* Hæc duo clarissimi Hispaniæ Eruditi. Sed de his iterum infra plerisque locis.

(3) *Publico cultu cœpit honorari*) Vide infra cap. 15. §. 2. nota 4., ubi de tempore, quo Confessorum festivitates in Ecclesia receptæ sunt, & confirmantur, quæ hoc loco de S. Martino dicuntur.

(4) *Qui est mos peculiaris Missæ Mozarabicæ*) Id ubertim comprobatur infra lib. 2. cap. 8. §. 2. videlicet, quod post consecrationem, & elevationem Sacramenti singuli recitent symbolum, quod ab aliis Ecclesiis post Evangelium recitatur.

(5) *Multa dulcisone composuisse*) Ad hæc subdit Eques Nicolaus Antonius in sua Bibliotheca Hisp. vet. Tom. I. pag. 225. „ Appellavere id Veteres tum *Cursum, & Synaxim, & Collectam*, nec non Missam, tum „ quoque *Psalmodiam*, uti docet in Opere „ suo Divinæ Psalmodiæ vir dignitate, dum „ viveret, ingenio, eruditioneque præstantissimus Joannes Bona S. R. E. Cardinalis „ amplissimus, mihique, dum viveret, multis „ nominibus Venerabilis; ideo adjunxit Isidorus mancipatæ diurno Officio Leandri „ Operæ aliam illam *Sacrificio*; hoc est *Missæ*. „ impensam, unde conjectari recte possumus „ Sancti hujus Antistitis plura esse ex his, „ quæ in utroque libro Missalis, & Breviarii Gothici, sive Mixt-Arabici ab Isidoro „ fratre formati, vel nunc leguntur: Hæc Nicolaus Antonius, & ante ipsum Ambrosius Morales Chron. Hisp. lib. 12. cap. 5. At uterque horum illustrium virorum fallitur, si Missale, & Breviarium Gothicum ab Isidoro formatum dicens, & illud ab ipso institutum, ac ordinatum intelligat, hujus enim Officii Isidorus Author non est, ut ostenditur, quinimmo, ut notavit Georgius Cassander Epist. 114. ad Pamelium, cum ipse Isidorus lib. de Missa cap. 5. hunc Ritum Mozarabem explicet, quomodo illius Author esse potuit? sed & neque Leander ipsius frater eumdem instituisse dici potest, uti perperam nonnulli arbitrantur, præcipue Guillelmus Cave de Script. Eccl. in Leandro; quamvis enim in Ecclesiasticis officiis non parvo studio elaboraverit, & in Sacrificii laudibus, atque psalmis ipse multa dulcisone compoſuerit, non tamen Ecclesiastica officia, aut Sacrificii laudes compositæ dicitur, sed eadem jam instituta multis a se compositis ordinasse, reformasse, auxisse, & illustrasse, ita quippe hujusmodi verborum Isidori sensus obvius est, nec alio detorqueri posse videtur.

Ulterius ostenditur nequidem Leandrum ejus fratrem Officium Gothicum instituisse.

Præterea ex dicti Toletani Concilii III. cui ipse Leander præfuit, decretis apud Card. de Aguirre Concil. Hisp. Tom. 2. pag. 344. perspicue dignoscitur jam aliquem antea peculiarem sacrificandi Ritum, (qui non alius profecto, quam Gothicus fuit, de quo supra nota 2.) in Hispaniis extitisse; etenim in primo illius titulo indicitur *observantia priorum Canonum, & pace Ecclesiæ Christi misericordia reparata, ut maneant in suo vigore priscorum Canonum authoritas, Conciliorum omnium constituta* decernitur, inter quæ procul dubio fuisse, quæ ad Altaris Sacrificium, & rem Liturgicam spectabant, mox demonstrabitur. Can. 2. *Symbolum*, ut supra, *ante Orationem Dominicam a populo decantari jubetur*. Can. 11. *Quod pœnitentes secundum morem antiquorum Canonum pœnitentiam agere debeant*, statuitur. Qui autem fuerint hi priores, & antiqui Canones, ac Conciliorum constituta, præcipue circa officia divina perfolvenda, quorum observantia ab Hispanis Patribus in suo vigore restituenda mandatur, ex nonnullis Conciliis, quæ Toletanum hoc tertium præcessere, & post Gothorum invasionem in diversis Hispaniarum Provinciis celebrata sunt, ediscemus.

Itaque ex nonnullis Hispaniæ Conciliis præsertim Toletano III. an. 531.

Et primo ex Concilio Gerundensi an. 517. apud Card. de Aguirre Tom. 2. Conc. Hisp. pag. 241., ubi Can. I. *de Institutione Missarum* statuitur, *ut in unaquaque Provincia tam ipsius Missæ ordo, quam psallendi, vel ministrandi consuetudo servetur*: Can. ult. *ut omnibus diebus, horis vespertinis, & matutinis oratio Dominica a Sacerdote proferatur*: quod utique

Et ante ipsum ex Gerundens. an. 517.

Ritus

Ritus Mozarabici proprium eſt, ut oſtendit Emin. Author Div. Pſalm. cap. 18. §. 12. num. 2. ubi ait, quod horis abſolutis dicitur *Pater noſter* alta voce, ſingulisque petitionibus reſpondetur *Amen*. Item in Concilio Barci-
Barcinonenſi. nonenſi an. 540. Can. 1. *ut Pſal. 50. ante Canticum dicatur*, & Can. 2. *ut benedictio ſit matutinis, ſicut in Veſpera, fidelibus tribuatur*: quæ item Ritus Mozarabici ſunt, uti idem Emin. obſervat loco citato, ubi de Matutini Officii termino apud Mozarabes, inquit: his peractis dicit Diaconus *humiliate vos benedictioni*, & ſtatim Sacerdos benedictionem pronunciat, deinde ad Veſperas, ait, poſt Capitulum, & *Pater noſter* ſequitur benedictio. Denique in Concilio Valentino an. 540. ce-
Et Valentino. lebrato, apud dictum Card. Aguirrium ibidem pag. 288. Can. 1. decernitur, ut *in Miſſa Evangelium poſt Apoſtolum legatur*: ideſt abſque ullo verſu, tractu, aut graduali intermedio, quod præ cæteris ſingulare eſt Liturgiæ Mozarabum; apud ipſos enim lecta Epiſtola ilatim, & immediate ſequitur Evangelium, poſt quod laudes, ſeu graduale cum *Alleluja*, uti Emin. Author lib. 2. cap. 6. §. 4. His omnibus plane perſpicuum eſt Gothicum Officium, ſeu Ritum Mozarabicum jam ante Concilium Toletanum III. extitiſſe, adeoque nec ab Iſidoro, aut Leandro ejus fratre inſtitutum, etſi ab ipſis illuſtratum, & auctum non diffiteamur, uti optime docet idem eruditiſſimus noſter Purpuratus, cui etiam, ut mox videbimus, plerique noſtri temporis eximii viri ſubſcripſere, inter quos Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. ſæc. VII. cap. 4. art. 8. Pagius in Critica Baronii ad an. 633. n. 29. Joannes Pinius ſupra laudatus in peculiari Diſſertatione de Liturgia Mozarabum cap. 3. §. 3. Joſeph Blanchinius item ſupra nota 2. commendatus, aliique.

Salvius Abbas Albaindenſis quo ſeculo floruerit, quidve circa Officium Gothicum compoſuerit.

(6) *Compunctionem legentibus & audientibus tribuentes*) De Salvo Abbate, Alvendenſis, alias Albaindenſis Monaſterii extat breve elogium incerto Authore apud Miræum de Script. Eccl. pag. 102., & Garciam Loaiſam in Collect. Concil. pag. 774. ex quibus laudatus eques Nicolaus Antonius loco cit. Tom. 1. pag. 380. num. 348. Card. Aguirrius, & Fabricius deſcripſerunt. Elogii ſumma his verbis continetur: *Cujus oratio nempe in hymnis, orationibus, verſibus, ac Miſſis, quas illuſtri ipſe ſermone compoſuit plurimam cordis compunctionem, & magnam ſuaviloquentiam legentibus, audientibuſque tribuit*: Horum autem Opuſculorum licet nihil ad nos perveniſſe aſſerat idem Nicolaus Antonius pag. 381. nuperrimus tamen Clar. Scriptor Cajetanus Cenni Vaticanæ Baſilicæ Presbyter Benefic. in ſuo judicio de Libello Orationum Gothico-Hiſpano Codicis Veronenſis, quem noviſſime edidit Clariſs. alter veterum Liturgicorum ruderum Explorator Joſeph Blanchinius Congreg. Oratorii Rom. Presb. inter Opera Ven. Card. Thomaſii Tom. I. Præfat. pag. 124. huic Salvo Abbati Alvendenſi, qui ſeculo decimo floruit, tribuendum pronunciat eumdem Codicem, quo uſi ſunt Editores Breviarii Mozarabici, hymniſque nedum Apoſtolorum ac Martyrum, ſed & Confeſſorum maxime abundare, nec-non aliquot ejus exemplaria in archivio Primatialis Eccleſiæ Toletanæ aſſervari idem ſcribit. Et quidem huic opinioni videtur aſſentiri dictus Ven. Card. Thomaſius; Pſalterium enim, atque orationes pſalmis congruentes ex Breviario Mozarabico decerptas editurus, *latent*, ait, fortaſſis *aliquæ orationes Salvi Abbatis inter haſce Mozarabicas*.

Præterea in vetuſto Codice Monaſterii S. Æmiliani, nunc Scorialenſis Bibliothecæ, (de cujus antiquitate, & præſtantia idem Cennius ibi) ita legitur de Mozarabum Liturgia: *donec de Orthodoxis, & Catholicis viris fuit illuſtrata, ideſt fulgentio, Petro, Leandro, Iſidoro, Ildefonſo, Fruktuoſo, Juliano*: Igitur, ſi ab his illuſtrati fuere Mozarabum Ritus, iidem non a Leandro, aut Iſidoro inventi, ſed ipſis Præſulibus anteriores ſuiſſe dicendi erunt. Atque hoc ipſum reponendum Mabillonio, qui in ſua Liturg. Gallic. lib. 1. cap. 4. num. 8. & ſeqq. Baronio, aliiſque nonnullis ſubſcribens putat Leandrum, & Iſidorum Mozarabici Ritus Authores, cum tantum illuſtratores fuerint. Denique his etiam accedit diverſum eſſe ordinem Mixtarabici Miſſalis, qui perperam cum Iſidoriano vulgo confunditur, ab eo, quem Iſidorus ipſe lib. 1. de Eccl. Offic. cap. 15. ſuo tempore ſervari apud univerſum orbem prodidit, quod tum Jacobus Pamelius indicat aſſignatis iis, quibus differrent partibus in ſuo Liturgico Occid. Tom. 1. pag. 642. & ſeqq. tum Joannes Grialius in notis ad dictum Iſidori teſtimonium animadvertit. Porro Emin. noſtri ſententiam amplectitur Natalis Alexander Hiſtor. Eccleſ. ſæc. VII. cap. 4. art. 8., eamque piiſſimus alter, ac doctiſſimus Card. Joſeph Maria Thomaſius confirmat in Præfat. ad Codices ſuos Sacramentorum S. R. E., ubi Hiſpaniarum Eccleſias Ritu Mozarabo uti ſolitas etiam ante Iſidorum aſſerit ex eodem illius lib. 1. de Offic. Eccl. ubi ex Apoſtolorum diſpoſitione Miſſæ ordinem, quem deſcribit, manaſſe teſtatur. Et ſane Iſidoro antiquiorem eſſe hujuſmodi Hiſpanorum Ritum, Miſſæque ordinem ex ipſius Iſidori de Offic. lib. 1. cap. 3. non obſcure deducitur, ibi enim de *Alleluja*, ait: *Verum apud nos ſecundum antiquam Hiſpaniarum traditionem præter dies jejuniorum, & Quadrageſimæ omni tempore canitur Alleluja*: Qui mos videtur peculiaris Mozarabicus. Vide le Brun Tom. 2. Explic. Miſſæ pag. 507. & ſeq. ubi etiam Emin. noſtri ſententiam confirmat.

Ordo Miſſalis Mixtarabici ab eo, quem deſcribit Iſidorus, valde diverſus.

Cæterum hujuſce Gothici Miſſalis Officium Iſidoro tribuum fuiſſe teſtatur Guitmundus ex Monacho Ord. S. Benedicti Archiep. Averſanus, poſtea S. R. E. Cardinalis, uti affirmat Ciacconii Scholiaſtes Tom. 1. col. 844. lib. 3. de Veritate Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia adverſus Berengarium in Biblioth. PP. Lugdun. Tom. 18. pag. 440. cujus hæc ſunt verba: *In quodam Miſſali Hiſpano, quod dicunt Sanctum dictaſſe Iſidorum &c.* Elipandus quoque eo longe ætate ſuperior in Epiſtola quadam ad Albinum, ſeu Alcuinum orationem quamdam in Vigilia Paſchatis cani ſolitam eidem Sancto Epiſcopo tribuit. Verum Guitmundus nimium remotus fuit ab Iſidori temporibus, utpote illo quinque ſeculis

Cathicum tamen hunc Miſſæ ordinem Iſidoro tribuentem veteres nonnulli teſtantur.

culis poſterior, ac propterea non tanti momenti ejus authoritas eſt, ùt per ſuum *dictum* fidem certam nobis inducere poſſit. Elipandus autem ita loqui voluit, ut illis verbis aliquam errori ſuo conciliaret approbationem; ſciebat enim Iſidori nomen Alcuino, cui ſcribebat, venerabile eſſe debere præ cæteris Hiſpaniæ Patribus cum ipſo Toleti congregatis, eapropter illius teſtimonio quomodocumque imponere ſubdolus affectavit. Quare nihil eſt ex Guitmundo, Elipando, aliiſve, quod Emin. noſtri hac in re ſententiam obnubilare queat. Sed de Elipando Toletano, quem cum Felice Urgelitano egregie confutavit Alcuinus, iterum infra §. ſequenti nota 2.

§. II.

Mozarabum Ritus Hæreticorum fraude depravatur. Deſiit tandem Romanis Ritibus ſubrogatis.

QUamvis autem hoc officium a viris ſanctis, & Orthodoxis compoſitum fuerit, Hiſpania tamen ab infidelibus devaſtata, (1) ita erroribus refertum eſt, ut Elipandus Toletanus Epiſcopus ex ipſis officiis depravatis plura acceperit teſtimonia ad ſuam hæreſim aſtruendam, ut conſtat ex Albino Flacco libro adverſus eumdem Elipandum. (2) Diu viguit hic ritus in Hiſpania, in Gallia item Narbonenſi, & in aliis regionibus Gothorum regno ſubjectis, (3) donec Gregorii VII. auctoritate in Romanum mutatus eſt. Extat de hac re ipſius Gregorii Epiſtola exhortatoria ad Alfonſum Caſtellæ, & Sancium Aragoniæ Reges, & ad Epiſcopos in eorum ditione conſtitutos, in qua primo aſſerit Hiſpaniam in ordine divini officii cum Romana Urbe initio ſuſceptæ fidei habuiſſe concordiam; *Sed poſtquam*, inquit, *veſania Priſcillianiſtarum diu pollutum, & perfidia Arianorum depravatum, & a Romano Ritu ſeparatum, irruentibus prius Gothis, ac demum invadentibus Saracenis, regnum Hiſpaniæ fuit; non ſolum religio eſt diminuta, verum etiam mundanæ ſunt opes labefactatæ.* Tum illos hortatur, ut Romanæ Eccleſiæ ordinem & officium recipiant: *quod etiam*, ait, *Epiſcopi veſtri ad nos nuper venientes juxta conſtitutionem Concilii per ſcripta ſua facere promiſerunt, & in manu noſtra firmaverunt.* Hæc Gregorius Epiſt. 64. lib. 1. qui etiam per Legatum ſuum in Hiſpaniam miſſum (4) ad hoc negotium perficiendum ipſos Reges ſollicitabat. Narrat Petrus de Marca in Hiſtoria Bearnii lib. 2. cap. 9. Romanum Officium Gothico exploſo receptum primo fuiſſe in Regno Aragoniæ anno milleſimo ſexageſimo octavo tempore Alexandri II. qui hac de cauſa Hugonem Candidum Cardinalem Legatum ſuum miſit in Hiſpaniam. (5) Idem ait in Catalonia obſervari curaſſe Comitem Raimundum Berengarium. Exploſumitem a Regno Navarræ curante Sancio Rege Aragonum, poſtquam opera & ope Gregorii VII. Navarræ Rex electus fuit. Et Sancium quidem primum omnium Pontifici obtemperaſſe teſtantur hiſtorici, quem propterea idem Gregorius lib. 1. Ep. 63. valde commendat. Alfonſus vero adhuc nutabat, & obnitebatur ſuaſu cujuſdam Roberti Cluniacenſis, qui nefandiſſimus ſeductor, & ab introitu Eccleſiæ ſeparatus dicitur a Gregorio lib. 8. Epiſt. 3. Rem denique promovente Conſtantia Regina Alfonſi uxore, quæ in Gallia nata Romano officio a tempore Caroli Magni illic recepto, utpote illi aſſueta, favebat; conſenſit Rex ut Gothico officio abrogato Romanum reciperetur. Hac de cauſa ſic ipſum Regem laudat Gregorius lib. 6. Epiſt. 2. *Noverit Excellentia tua, Dilectiſſime, illud unum admodum nobis, imo clementiæ divinæ placere, quod in Eccleſiis Regni tui matris omnium S. Romanæ Eccleſiæ ordinem recipi, & ex antiquo more celebrari feceris. Denique in illo, quem hactenus tenuiſſe videmini, ſicut ſuggerentibus Religioſis viris didicimus, quædam contra Catholicam fidem inſerta eſſe patulo convincuntur. Quæ cum relinquere, & ad priſcam conſuetudinem, ſcilicet hujus Eccleſiæ, reverti deliberaſti, non dubie te B. Petrum patronum optare, & ſubditorum tuorum ſalutem cœleſti gratia inſpirante, ſicut Regem decet, curare monſtraſti.*

Quo tempore hæc Hiſpaniæ devaſtatio acciderit, diſſident Authores, ea tamen deſcribitur.

(·) *Hiſpania ab Infidelibus devaſtata*) Inaſſignando anno immanis hujus Hiſpaniarum cladis a Saracenis partæ non ſatis conveniunt, ut innuimus, earum rerum Scriptores. Roderici Toletani Epiſcopi, aliorumque recentiorum conſtans aſſertio eſt, hanc Infidelium irruptionem contigiſſe anno 713. cui opinioni ſubſcribunt Baronius, Spondanus, Pagius, aliique plures nonnulli, & inter ipſos Joſeph Perez ſupra memoratus anno præcedenti 712. affigunt, alii cum Luca Tudenſi (qui ex antiquis ferme unicus ita ſentit) ad annum ſubſequentem 714. trahunt. Utut ſit, omnes intra terminos annorum quatuor, ab anno ſcilicet 712. quo dictæ invaſionis molitiones exordium habuere, ad an. 715., quo eædem expletæ ſunt, generalem hujuſmodi Regnorum Hiſpaniæ devaſtationem concludunt. Hujus impiæ Patriæ proditionis author fuit Julianus Tingitanæ Provinciæ Comes; cum enim eſſet Ruderico Regi offenſus, quod hic filiam ejus Clavam nomine invitam violaſſet, ut injuriam acceptam ulciſceretur, Mauris in Hiſpaniam evocatis eamdem iis occupandam tradidit; huic autem inſano conſilio anſam vel ipſi præbuere nonnulli illuſtriorum Eccleſiarum Præſules ſegnitie, & vecordia ſua, qua publica Regum, Procerum, aliorumque in Reipublicæ perniciem patrata crimina comprimere, ac redarguere pertimeſcebant, veluti canes muti nolentes latrare. Inter hos Oppa Hiſpalenſis Archiepiſcopus præcipue recenſetur, qui fratris Witizæ impii Regis, nedum ſcelera, quibus Regnum crudelitate immani, Eccleſiaſticarum legum contemptu, inſignique impietate adverſus divinas ipſas res, & ſacra, omnibus denique turpedinum maculis fædatum, ac deformatum reddiderat, objurgare diſſimulavit, ſed & ab ipſo Toletanam Eccleſiam regendam accepit, vivente adhuc illius Pontifice Sinderedo: atque hoc pariter Sinderedi ignaviæ tribuendum, cum nefarii Principis gratiam captans, temporique ſerviens, piiſſimos Sacerdotes, qui Witizæ facinora libere increpabant, dire vexaverit.

Potiſſimum ex Prælatorum ſegnitie ac vecordia producta.

Neque vero Gundericus Oppæ deceſſor hoc vitio caruiſſe cenſendus eſt, quamvis ejus ſanctitatem commendet Rodericus Toletanus Rer. Hiſp. lib. 3. hæc enim non ita omni ex parte abſoluta fuit, ut propterea ab eadem ſocordiæ nota eximi poſſit; quippe qui ſatis animi non habuerit ad impios Vvitizæ Regis conatus reprimendos, atque ejus palam redarguenda ſcelera, immo eodem mandante Principe Pſeudo-ſynodum Toleti contra Eccleſiæ jura, & ſtatuta cogi permittens, ipſius peſſimis decretis ſilentio ſuo connivere viſus ſit. Non mirum itaque ſi ex Prælatorum hujuſmodi oſcitantia, & aſſentatione, ſceleribus omnibus veluti authoritate legitima firmatis ad aras uſque malorum hominum pervenerit audacia, ut ſacris profana miſcentes, ſuſdeque omnia invertentes penitiores etiam, ac ſacratiores Altaris Ritus, & cæremonias pro libito ſuo corrumpere, delere, atque immutare valuerint, ſicque fædatos cujuſque item arbitrio uſurpandos proferre; non mirum denique ſi iiſdem Ritibus falſis, Sanctorum veterum Epiſcoporum authoritate abutentes inſeruerint, erroreſque ſuos ſic tueri non erubuerint, uti mox de Elipando dicemus. Narrant hæc omnia Lucas Tudenſis Chron. lib. 3. Rodericus Sanctius Hiſtor. Hiſp. parte 2. cap. 42. & 44. Franciſcus Tarapha de Regibus Hiſpaniæ in Vvitiza, & Ruderico, præ cæteris fuſius Rodericus Toletanus toties citatus lib. 3. de Rebus Hiſp. a cap. 15. uſque ad 20., & Scriptorum Hiſpanicæ Hiſtoriæ elegantiſſimus Joannes Mariana lib. 6. a cap. 19. uſque ad 24.

Mozarabici Ritus depravati.

(2) *Lib. adverſus eumdem Elipandum*) Libro ſcilicet 2. pag. 953. edit. Andreæ Quercetani, ubi de Miſſalis, & Officii Mozarabici depravatione hæc Alcuini Elipandum præfatum de hæreſi adoptivorum, quam ipſe propagavit, redarguentis ſcripta leguntur: *Dum tuæ infidelitati ex aliis Eccleſiarum Chriſti doctoribus teſtes defecerunt, ſubito Toletanos, ut ais, venerabiles Patres protuliſti, & illorum in Miſſarum ſolemnibus orationes in auxilium tuæ feltæ aſſumpſiſti. Dicis in Cœna Domini hujuſmodi haberi Orationem in eorum Sacramentis: qui per adoptivi hominis paſſionem, dum ſuo non indulget corpori, noſtro demum, ideſt iterum, non pepercit: Cujus petitionis verba ſibi omnino non cohærent, & videtur a quibuſdam corruptoribus pro adſumpti hominis, adoptivi poſitam eſſe, quodque ſequitur: Noſtro demum, ideſt iterum non pepercit, ſenſu videlicet caret, nec ſatis lucet, quid his verbis ſignificari voluit, qui hæc verba ad deprecandum Deum compoſuit.* Deinde poſt aliqua ex aliis orationibus deſumpta, quibus adoptionis nomen ad multitudinem fidelium, quam filio ſuo per adoptionem gratiæ Deus fecit cohæredem, non ad Chriſti filii Dei perſonam pertinere oſtendens ſubdit: *In Præfatione vero, ubi dicit: Et Jeſu Chriſto filio tuo Domino Noſtro, qui pietati tuæ per adoptivi hominis paſſionem: & forte ibi in antiquioribus exemplariis: adſumpti hominis poſitum fuit, ſed corruptum poſtea*: Hæc Alcuinus adverſus Elipandum.

Ex quibus fic corruptis Elipandus Toletanus ſuam hæreſim Adoptivorum perperam ſumpſit.

Illos porro Toletanos Præſules ab Elipando in ſui erroris teſtimonium vocaros, quos reticet Alcuinus, indicant Patres Concilii Francofordienſis in eorum Epiſtola Synodica ad Epiſcopos Hiſpaniæ hac de re ſcripta, quam refert Card. de Aguirre Concil. Hiſp. Tom. 3. pag. 102. In ea enim hæc reperiuntur nu. 7. *Sequitur in eodem libello veſtro: Item Prædeceſſores noſtri Eugenius, Idelphonſus, Julianus Toletanæ Sedis Antiſtites in ſuis dogmatibus ita dixerunt in Miſſa de Cœna Domini: Qui per adoptivi hominis paſſionem, dum ſuo non indulſit corpori. Item in Miſſa de Aſcenſione Domini: Hodie Salvator noſter poſt adoptionem carnis ſedem repetivit Deitatis.* At quam falſo Elipandus hos Sanctiſſimos Præſules Anteceſſores ſuos de hujuſmodi hæreſis crimine diffamaverit, & quam longiſſime illi, omneſque Hiſpaniæ Epiſcopi, qui cum iis plura concilia Toletana celebrarunt decurſu totius ſeculi ſeptimi, ab hoc errore diſtantes fuerint: immo vero & publice eoſdem Chriſtum, non adoptivum, ut alii Sancti, ac juſti, ſed naturalem filium Dei Unigenitum fuiſſe in unica perſona duabus naturis divina, & humana conſtantem, verbo, & ſcripto tradidiſſe pluribus evidenter oſten-

oſtendit laudatus Card. de Aguirre dicto Tom. 3. Concil. Hiſp. in ſua Præliim. Epiſtola pag. VII. num. XII. & ſeqq. & ante ipſum lu-

Qui ſtatim ab Alcuino confutatus fuit.

culenter Alcuinus lib. cit. adv. Elipandum: *Inſuper*, inquit, *& veſtros Patres, & Progenitores in Chriſto, quos ad veſtra uſque tempora Eccleſia Dei recepit, hæreticos efficere ſtuderis: quod quam impium ſit, & inhoneſtum, nemo pene doctus, vel indoctus ignorat, quorum plurima... ad nos perveniunt ſcripta Catholica fide veneranda, & ſummis Sanctæ Eccleſiæ Dei Doctoribus conveniencia. Quieſcite, viri fratres, quieſcite, & nolite veſtri blaſphemiam erroris Patribus veſtris imputare .... Beati itaque Iſidori clariſſ. Doctoris, non ſolum Hiſpaniæ, verum etiam cunctarum Latinæ eloquentiæ Eccleſiarum per plurima legebamus Opuſcula, & in magna habemus veneratione, in quibus muſquam de Redemptoris Noſtri humanitate adoptionis nomen exaratum invenimus. Sed & Juvenci Presbyteri, atque optimi Scholaſtici Carmina Evangelicæ Hiſtoriæ proſpeximus .... Juliani quoque Pomerii Prognoſtica .... conſideravimus, nec ibi aliquid hujus veſtræ invenimus ſectæ depictum; Venerabilium quoque Patrum in Toleto Synodales ad nos pervenerunt ſanctiones, in quorum litteris nihil novi, vel antiquis contrarium Patribus, ſed omnia Catholico ſtylo præſcripta agnovimus.*

Et veteres Hiſpani Patres ab errore immunes vindicati.

Hæc & alia in hunc ſenſum Alcuinus, ut veterum Hiſpaniæ Patrum ſanam doctrinam, & Catholicam eorum fidem oſtenderet, atque ex Miſſali Hiſpanico obductas atra hæreſis caligine nubes, omnes nempe expreſſiones, quæ favere poterant perverſo dogmati, quo Elipandus Chriſtum Dominum Dei filium adoptivum blaſphemabat, diſſiparet. Videndus item Emin. Card. Baronius ad ann. 794. ubi poſtquam egit de Elipandi conatu, quo ſuum peſſimum errorem propagare ſtuduit, ac de ſubdolis ejus artibus, quibus deceſſores ſuos, præſertim S. Idelphonſum injuſte proſcindens, eoſdem ſuæ perverſitatis conſortes calumnioſe traducit, laudatum ſanctum Doctorem ab omni hæreſis hujuſmodi labe ſtrenue vindicat Purpuratus Annalium parens quamplurimis ejus teſtimoniis adverſus hæreſiarchan prolatis, uti ad dictum annum videri poteſt. Videndus item clar. Cajetanus Cenni in ſua Antiquitate Eccl. Hiſp. Tom. 2. pag. 346. Diſſert. 7. num. XI., & ſeqq.

Quibus omnibus, aliiſque ex dicto Miſſali Mozarabo ab Alcuino, ut ſupra, ac Synodi Francoforditenſis Patribus, productis manifeſtum eſt Sacros Liturgiarum Codices in Hiſpania eorumdem ævo, octavo ſcilicet ſeculo, peſſime fœdatos fuiſſe, ac loco *aſſumpti hominis*, poſitum adoptivi, & pro *aſſumptionem carnis*, adoptionem ſcriptum. Quis autem hos ſacros Eccleſiæ libros in Hiſpaniis corruperit, non admodum difficile eſt, & juſto judicio conjectari. Sancto Iſidoro Hiſpalenſi in ea-

Indicatur quis ſacros in Hiſpania Miſſales libros corruperit.

dem ſede ſucceſſit an. 636. pſeudo Epiſcopus Theodiſcus quidam natione Græcus, homo impoſtor, & hæreticus, qui primus in Hiſpania adoptivorum hæreſim invexit integro, & amplius ſeculo ante Elipandum. Ite, ut ex Luca Tudenſi refert Baronius ad dictum annum num 8. Iſidori libros quoſdam, qui necdum ad publicum venerant, corrupit, refecans vera, & inſerens falſa, atque per quemdam Arabem nomine Avicennam de Latino in Arabem tranſtulit; quare cum in iis, aliiſque pluribus infidelis inventus, præcipue in hac adoptivorum hæreſi, qua Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum verum Dei Filium, unumque cum Patre, & Spiritu Sancto Deum eſſe negabat, ſed adoptivum pertinaciter aſſerebat, ſicque erroneus comprobatus fuiſſet, per Synodum Archiepiſcopali dignitate depoſitus, & honore Sacerdotii privatus, poſtea ad Mahumetanos infelix tranſiit, ac plura deteſtanda docuit ſub Imperatore Heraclio. Hunc, & ipſum Miſſale Iſidorianum, alioſque rituales Hiſpaniæ Eccleſiæ Codices corrupiſſe ex dictis non dubitandum erit.

Cæterum in Officio Mozarabico depravationes hujuſmodi nequaquam longo ævo obtinuerunt, quippe non multo poſt emendati fuerunt Codices, ac fere ſtatim ab his errores omnes expuncti, ſcilicet poſt profligatam adoptivorum hæreſim, paulo ante exeuntis ſeculi decimi finem; etenim, ut ex Joanne Mariana refert Auguſtinus Oldoinus addit. ad Ciaccionium ex Joanne Papa X. col. 699. Tom. I. cum Siſenandus Compoſtellanus Epiſcopus in perveſtigandis Sacris Romanæ Eccleſiæ Ritibus, quibus ſe, ſuamque Eccleſiam conformari ſummopere exoptabat, totus intentus, eos reperiſſet in multis plane diverſos ab iis, qui in ſuo Mozarabum Codice inveniretur, ex illis hos corrigendi in iis, quæ gravioris momenti eſſe viderentur, ab eodem Pontifice facultatem accepit; hujus etiam explendi muneris gratia eidem a dicto Joanne X. Apoſtolicæ Sedis Legatus decernitur Joannes quidam Joannellus dictus, ille idem ab ipſo Epiſcopo Siſenando Joanni Papæ miſſus; Hic multos ab Urbe receptos, ſecum deferens libros, rediit in Hiſpaniam, & ſimul conferens, quamvis multa ritu diverſo, in nullo tamen ea diſcrepare invenit a Catholica veritate; quamobrem, ad eumdem Pontificem Romam viſa, ac cognita retulit in Synodo tunc coram ipſo Papa congregata, cui viſum eſt omiſſis reliquis, veluti levioris momenti, ut Romano ritu Sacratiora illa potiſſimum conſecrationis verba, quibus ipſum divinitus inſtitutum Sacrificium incruentum perficitur, proferrentur, nonnulliſque additis, vel mutatis in dicto Miſſali Mozarabico, inferrentur. Sicque ea controverſia tunc definita, quæ tamen, ut infra, iterum agitata eſt. De hac narratione, quam fuſius refert Emin. Card. Baronius ad an. 918. videndus item Joannes Pinius in ſuo Tractatu Hiſtorico Chronol. de Liturgia antiqua Hiſpanica cap. 5. §. 2. ubi hujuſce veteris documentum jam a Card. Aguirrio editum Tom. 2. Concil. Hiſp. pag. 174. iterum refert, ac ſuis obſervationibus auget.

Expurgati poſtea & emendati Mozarabici Officii Codices.

(1) *Et in aliis Regionibus Gothorum Regno ſubjectis*) Varias hujus Mozarabici Ritus viciſſitudines ſeculo XI. ſecutas, videlicet quomodo ejuſdem abrogatio tentata fuerit in Aragonia, idem Officium Romæ ab Alexandro II. examinatum, & in Concilio Mantuano approbatum, quomodo etiam abrogatum in Concilio Barcinonenſi Præſide Hugone Candido

Variæ dicti Mozarabici Ritus viciſſitudines.

dicti Pontificis Legato, de quo infra, & alia id genus fuſe, ac docte refert ſupra laudatus Joannes Pinius citata Diſſertatione Liturgica cap. 6. §. 2. & ſeqq. Legendi inſuper hac de re Pagii ambo, Senior in Critica Baronii ad an. 1060. nu. 2. 1064. num. 6. 1068. num. 7. & 1073. num. 8. Junior Breviar. Geſt. Pont. in Alexandro II. num. 35., & 36. de quibus infra nota 5. in fine. Præ cæteris videndus Emin. Card. de Aguirre Concil. Hiſp. Tom. 3. pag. 274. 232. 238. 257. & ſeqq.

(4) *Qui etiam per Legatum ſuum.*) Is fuit Richardus Monachus S. Victoris Maſſilienſis (ut optime obſervat Gabriel Coſſartius in notis ad Concilium Burgenſe an. 1080., & ex ipſo Card. de Aguirre Tom. 3. Conc. Hiſp. pag. 258.) qui Presbyter Card. ab Alexandro II. creatus, a Gregorio VII. Legatus in Hiſpaniam mittitur an. 1078., ut ſcribit Gregorius ipſe lib. 5. Epiſt. 21., qui etiam lib. 7. Epiſt. 6. altera in Hiſpaniam legatione functum eumdem ſcribit, in qua etiam idem Pontifex Alphonſum Aragoniæ Regem hortatur, ut illam, de qua hic agitur, ſacrorum mutationem inſtituat. Vide mox laudatos Authores, & Pagium in Critica Baroniana Tom. 4. ad ann. 1080. num. XI., quibus adjungendus Mabillonius in Annal. Ord. S. Benedicti Tom. 5. lib. 65. & 81. pag. 155., ubi in confirmationem ab Emin. dictorum hæc habet: *Gregorius VII. miſerat in Hiſpaniam Richardum Cardin., & Abbatem Maſſilienſem, ut ritum Mozarabicum abrogaret; reſtitit ipſi Robertus Cluniacenſis, de quo idem Gregorius in Epiſtola ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem valde conqueritur.*

Mozarabum Ritus abrogari tentatus ſec. XI.

(5) *Hugonem Candidum .... miſit in Hiſpaniam*) Circa nomen, & cognomen Hugonis iſtius, conveniunt fere omnes, qui de rebus Hiſpanis tunc temporis, ac de eodem ſcribunt, ipſumque Candidum appellant; at in Concilio Auſcenſi an 1068. celebrato etiam *Albus* vocatur, uti videre eſt apud Harduinum in nova Collectione Conciliorum Tom. 6. par. I. col. 1157. Ut ut autem ſit de cognomine, ſive *Candidus*, ſive *Albus* dicatur, in idem recidit; Hunc ex Abbate Cluniacenſi Presbyterum Cardinalem ab Alexandro II. in Hiſpaniam directum fuiſſe diſcimus, tum ex illius Regni Scriptoribus, tum ex litteris ipſius Alexandri ad Aquilinum S. Joannis Pinnatenſis in Aragonia Abbatem, quas referunt Joannes Brizius Martinez in Monaſterii illius Hiſtoria, & Card. de Aguirre Concil. Hiſp. Tom. 3. pag. 245. at quo anno illuc idem Apoſtolicus Legatus appulerit, non conveniunt illius expeditionis Hiſtorici. Alii enim anno 1064., nonnulli 1065., inter quos nominatim Hieronymus Surita, huic anno, divinorum Officiorum mutationem aſſignant; alii denique, uti Carbonellus in Chronico, & Martinezius præfatus anno 1071. id accidiſſe ſcribunt. Quæ tamen ita concilianda videntur, ut in Hiſpaniam Hugo Candidus venerit anno 1065., in Aragonia, ac finitimis regionibus de mutandis ſacrorum cæremoniis, rituque Gothico abrogando nonnulla habuerit Concilia; ſed quamvis res eo tempore decreta, perfecta non fuerit, niſi anno 1071. propter populi antiquis ſuis Ritibus addicti pertinaciam, quem ea in re invitum cogere ſacri Magiſtratus noluerunt, ſed ſenſim perſuadere, inde factum eſt, ut irritum tamdiu fuerit eadem de re decretum Jaccenſis Concilii anni 1060. vel 1063: uti mavult Card. Aguirrius, quod & referunt Conciliorum Editores Tom. IX. pag. 1111.

Eadem pertinacia cauſa fuit, ut Caſtellani ad veteres ſuos Ritus abigendos, niſi vi quadam adduci potuerint. Inter hæc autem, circa quæ definienda diſſident memorati Authores Hiſpani, doctiſſimus Pagius in Baronianis Adnotationibus ad ann. 1060. num. 2. & ex ipſo Franciſcus ejuſdem Nepos in Brev. Geſt. Pontif. ſec. XI. in Alexandro II. num. 35. & 36. ut ſupra innuimus nota 3. ſic putant. Anno, inquiunt, milleſimo ſexageſimo, quo Remirus, ſeu Ranimirus in Aragonia regnabat, congregatum eſt Jaccæ in eodem Regno Concilium, in quo agente Remiro abrogatum eſt Officium Gothicum, & Romanum admiſſum. Ad an. vero ſequentem 1061. num. 6. Pagius ſenior ait Alexandrum Papam II. Hugonem Candidum Cardinalem præfatum in Hiſpaniam Legatum miſiſſe, tum ad tollendum Schiſma, tum ut Divinorum officiorum Ritus Romana ex formula conſtitueret, quod non ſolum probat ex Diago lib. 1. Comitum Barcinon. Hiſt. cap. 57. ſed etiam ex Surita lib. 1. cap. 21. ex quibus conſtat Officium Romanum, uti jam decretum fuerat in dicto Jaccetano Concilio receptum fuiſſe an. 1063. a Sancio Ranimiro Aragoniæ Rege Remiri filio & ſucceſſore. Refert autem idem Diagus laudatus Eccleſiaſticorum officiorum reformatione ſic a Sancio Aragoniæ Rege, ejuſque Proceribus admiſſa Hugonem Card. Legatum cum Aquilino S. Joannis Pennatenſis Abbate ab eodem Rege ad Pontificem miſſo Romam perrexiſſe, & dum Barcinonenſem Urbem tranſiret, ibi per aliquot dies ſubſtitiſſe. Præerat tunc Comitatui Barcinonenſi Raimundus Berengarius hujus nominis primus, de quo Card. §. antecedenti, & Baluzius in Marca Hiſp. pag. 543. Videns autem Legatus Apoſtolicus hunc Principem ad ea, quæ Alexander II. optabat, valde propenſum, de dicto Officio Gothico in eo Principatu abrogando cogitavit, ipſiuſque conatum promovit Adalmodis Raymundi uxor in Francia nata, ubi Officium Gallicanum, ſeu Romanum in uſu erat. Legatus itaque Synodum Barcinone indixit, cui plures dicti Principatus Epiſcopi, & Abbates interfuere, in quo Conventu, ut idem Diagus præfatus ſcribit, communi conſenſu Gothicum Officium dimiſſum, & Romanum acceptatum fuit, idque circa ann. 1068. S. Gregorius VII. eodem anno, quo ordinatus eſt Pontifex, nimirum ann. 1073. de penitus abrogando in tota Hiſpania dicto Gothico Officio, & Romano inducendo cogitans, eumdem Hugonem Card. iterum in Hiſpaniam deſtinavit, qui ſtatim in Aragoniam cum quibuſdam Monachis Cluniacenſibus ſibi a S. Hugone Abbate comitibus datis perrexit, & Epiſcopis denuo ejus juſſu ad S. Joannem Pinnatenſem congregatis, Ordinem, Officiumque Romanum jam antea in quædam loca dicti Sancii Aragoniæ Regis

Opera

Opera introductum idem communi voto recepere, uti conſtat ex Epiſt. 63. lib. 1. Regiſtri Gregoriani, in qua Pontifex eundem Regem de Romani Officii acceptatione gratulatur, ut jam notatum ab Emin. Scriptore. Licet autem ab Aragonenſibus facile admiſſus fuerit Romanus precandi Ordo; majori tamen cum difficultate ab aliis Hiſpaniarum Regibus receptus fuit, quamvis id petiiſſet Gregorius ab Alphonſo VI. Legionis & Caſtellæ, atque a Sancio Navarræ Regibus, quod liquet ex Epiſt. 64. ejuſdem libri 1. Ex quibus poſtea Alphonſus, ut ſcribit Rodericus infra laudandus lib. 6. cap. 25. *ad inſtantiam uxoris ſuæ Reginæ Conſtantiæ, quæ erat de partibus Gallicarum, miſit Romam ad Gregorium Papam VII. ut in Hiſpaniis omiſſo Toletano Romanum, ſeu Gallicum Officium ſervaretur.* Exinde Rex ſtatuit ut Officium illud reciperetur Gothico abrogato, ac dimiſſo, ut ex Gregorii Epiſt. 2. lib. 6. ad eumdem Regem data, quam refert Card. noſter. Sed Hiſpani a veteri precandi formula ægerrime diſcedentes pervicaciter Regiis ſtatutis contradixerunt, ut mox dicetur.

§. III.

Quo tempore hæc Officii Mozarabici mutatio contigerit, & de turbis ob eam exortis. A Franciſco Ximenio reſtituitur.

ACta ſunt iſta circa annum milleſimum octuageſimum, ſubditis pervicaciter contradicentibus, qui a veteri precandi ordine, & ab avitis cæremoniis ægerrime diſcedebant. Placuit autem primoribus populi rem non ratione ſed ferro decerni, ac ſi omne jus in armis foret. Duo viri electi ſunt, quorum unus pro Romano, alter pro Gothico officio ſingulari certamine pugnarent. Ajunt viciſſe illum, qui pro Gothico præliabatur. Sed urgente Regis præcepto, & adhuc populo tumultuante, litem igni dirimendam tradiderunt. Uterque Codex officiorum Romani & Gothici ſuccenſo rogo injectus eſt. Gothicus illæſus in igne permanſit, Romanus flammis conſumptus eſt. Utrumque eventum pugnæ & ignis Rodericus Archiepiſcopus Toletanus refert *lib. 6. de rebus Hiſpaniæ cap.* 26. (apud Andr. Schottum Tom. II. Hiſp. illuſtr. pag. 107.) teſtis unicus & ſingularis, qui illis non interfuit, nec potuit intereſſe. (1) Nam Gregorius VII. quo præcipiente (1) officium mutatum eſt, obiit anno 1085. Rodericus autem 1245. Alii recentiores ipſum Rodericum ſequuti ſunt, penes quem hujus fabulæ vel hiſtoriæ fides ſit. Tunc igitur in Hiſpania Romanus Ritus Mozarabico abrogato receptus fuit; qui tamen in aliquibus Monaſteriis aliquanto tempore cuſtoditus eſt, ut aſſerit Rodericus, qui etiam teſtatur translationem Pſalterii Ritus Gothici propriam adhuc ipſo vivente in plurimis Eccleſiis Cathedralibus, & in Monaſteriis recitatam fuiſſe. Adeo verum eſt ægre divelli homines a conſuetudinibus, quas a majoribus receperunt. (2) Ne autem tantæ antiquitatis (2) Ritus omnino interiret, viri celeberrimi Franciſci Ximenii Archiepiſcopi Toletani cura providit. E Gothicis enim tumulis ſuſcitatum novis characteribus recudi juſſit, inſtituto Sacerdotum collegio, a quibus quotidie divina officia, & Miſſarum ſolemnia uſque in hodiernum diem hoc Ritu celebrantur in ſacello, quod in majori Eccleſia Toletana ædificavit. Sunt etiam Toleti aliquot Parœciæ, in quibus Ordo iſte Mozarabicus adhuc ſervatur, idemque fit Salamanticæ in ſacello Doctoris Talabricenſis. De illius origine, duratione & inſtauratione diffuſe & eleganter tractat Alvarus Gometius *lib. 2. de rebus geſtis Cardinalis Ximenii.* (3) (3)

Probatio officii Gothici per duellum, cujus ignis, ab Hiſpanis nonnullis traditur, res admodum dubia.

(1) *Non interfuit, nec potuit intereſſe.*) Emin. Author, & illi, noviſſime adhærens Petrus le Brun Explic. Miſſæ Tom. 2. ubi de Miſſa Mozarabum, alium plane hujus rei teſtem non viderunt, cum Rodericum tamquam unicum, & ſingularem afferant. Verum alium, qui centum circiter annis ante Rodericum. floruit, exhibet Labbeus Tom. 2. Bibl. MSS. Codicum pag. 190., quem tamen Brunus videre poterat, ſi voluiſſet. Is eſt Author Chronici S. Maxentii vulgo Malleacenſis dicti, qui ſeculo XII. circa annum 1140. vixiſſe creditur. Hic poſtquam de Monaſteriis an. 1060. extrui cœptis egit, hæc ſubdit: *His diebus Hildephonſus Rex Hiſpaniarum duxerat filiam Guidonis Comitis Ducis Aquitanorum, quam habuit*

buit de Matheole uxore ſupradicta (de qua egerat ad annum 1058.) *pro qua re exititit cauſa, & contentio de lege Romana, quam legem Romanam voluit introducere in Hiſpaniam, & Toletanam mutare; & ideo fuit factum bellum inter duos milites, & falſitate fuit victus miles ex parte Francorum*: Ita Anonymus iſte de Probatione Officii Gothici per monomachiam ſumpta, tacens aliam per ignem factam, quam refert Rodericus; cum autem idem Malleacenſis Compilator Chronicon ſuum perduxerit ad an. 1134. quo ipſe vixit, dictæ vero probationes per duellum, & ignem contigerint anno 1090., ad quem eas reducit Pagius in Critica Baronii, ac proinde 44. anni intercedant ab anno ſcilicet 1090. ad an. 1134. quo ille ſcribere deſiit, cumque nec ſe eadem vidiſſe, vel ſuo tempore geſta fuiſſe affirmet, vix majorem Roderico fidem mereri putaverim, dum audita dumtaxat, ut ille, refert, neque contemporaneus dici poſſit. Omitto, quem indicant dolum in ea pugna patratum, illa verba: *Et falſitate fuit victus miles ex parte Francorum*: quibus cum injuſtitia pugnæ factum notat. Expropter etſi pro hujus Hiſtoriæ veritate ex Roderici tantum, aliorumque poſteriorum teſtimonio totus contra Emin. noſtrum ſteterit ejus amiciſſimus, & clar. vir Nicolaus Antonius, ut liquet ex hujus Epiſtola ad ipſum ſcripta ſub die 12. Februarii 1666., atque a Pinio edita in ſuo Tract. de Liturg. Hiſp. cap. 6. §. 5. quam & nos cum cæteris Deo dante proferemus; attamen non omnem ſane huic facto fidem adhibendam video, uti jam recte noſter emunctæ naris Emin. Author advertit.

Afferuntur argumenta pro hujus facti dubitatæ.

Accedit, quod Pelagius Ovetenſis Epiſcopus, quem Prudentius Sandovvallius Epiſcopus Pampelonenſis inter Hiſtoricos Hiſpaniæ a ſe collectos edidit, quemque ipſe Nicolaus Antonius in ſua Bibliotheca Hiſpana veteri Tom. 2. lib. 7. cap. 3. fuſe, & cum laude commemorat in Chronico, ſeu Hiſtoriarum Compendio per dictum Sandovvallium cum reliquis evulgato an. 1615. de dictis duello, & probatione per ignem factis, quæ ut ſupra Rodericus narrat, nec ullum quidem verbum fecerit, neque de illis indicium aliquod exhibuerit; porro cum Pelagius, qui hiſtoriam ſuam texuit uſque ad annum 1109. quo vivebat, & anno 1115. Concilio Ovetenſi interfuit, ac circa annum 1124. obiiſſe creditur, Author plane contemporaneus extiterit, adeoque dicto duello, ſi tamen contigit, vel interfuerit, aut intereſſe potuerit, profecto memorabile hoc factum, utcumque fuit, ſcripto aliquo, vel brevi ſaltem indicio poſteris conſignare debuerat.

Ex ſilentio Pelagii Ovetenſis contemporanei Authoris,

Hujuſmodi dubitationem auget, quod idem Pelagius Hiſtoriam ſuam concludit cum morte Alphonſi VI. Caſtellæ Regis, ſub quo dictam monomachiam, ſeu probationem duello, & igne factam contigiſſe ſcribit Rodericus; indicat enim ſe ſepulturæ dicti Regis interfuiſſe, uti & miraculo octo dies ante Alphonſi mortem in urbe Legionenſi in Eccleſia Sancti Iſidori, manantibus aqua lapidibus, patrato *videntibus cunctis civibus nobilibus, quam ignobilibus, una cum Epiſcopis*, inter quos erat ipſe Pelagius: etenim poſt pauca ſubdit: *peracto ſermone ab Epiſcopo Ovetenſi, & peracta Miſſa acceſſerunt Epiſcopi ad locum, ubi erat aqua, & ipſi Epiſcopi biberunt ex eo, & multi alii homines*. Sic ille apud Sandovvallium totus eſt in iſto deſcribendo miraculo, ejuſque adjunctis; & de alio adeo ſingulari, de quo hic agimus, probationis ſcilicet Officii Gothici per monomachiam, & ignem præcipue uti narrat Rodericus, nec ullum quidem verbum habet. Quomodo conſpicuum, ſingulare, ac tam admirabile factum ſilentio præterire voluerit, aut potuerit Pelagius, qui, ut diximus tum vivebat, quando iſta controverſia de abrogando Mozarabico officio ferbuit, & forte Toleti ipſe adfuit, aut certe adeſſe potuit, id fateor, imperceptibile videtur. Sed & ipſe Lucas Tudenſis Roderico Synchronus Rerum Hiſpanicarum clariſſimus Scriptor apud Andream Schottum in ſua Hiſpania illuſtrata Tom. IV. nec ullo, quod ſciam, verbo illius dictæ probationis per duellum, & ignem meminit. Argumentum hoc, tametſi negativum, nonnihil officit hujus hiſtoriæ veritati, cujus nutare fidem nemo non videt.

Item alterius celebris Hiſpani Scriptoris Lucæ Tudenſis Roderico Synchroni.

Præterea neque ipſe Joannes Mariana Rerum pariter Hiſpanicarum, ut diximus, omnium Eruditorum calculo diligentiſſimus Scriptor lib. 9. cap. 17. & 18. huic Rodericianæ narrationi ſuum præbere dignatur aſſenſum, quinimmo dicto cap. 18. de ignis eventu hæc habet: *quorum utroque librorum incolumi remanente perſuaſum populo Hiſpano fuiſſe, utramque precandi rationem Superis placere, atque eo temperamento rem compoſitam, ut in antiquis Toletanæ Urbis, ubi Curia tunc Regia fuit, Eccleſiis veteri precandi forma retenta, in... aliis ex Romano Ritu res divina procuraretur*: Ita Mariana, cui ſubſcribunt & alii non ignobiles Hiſtorici præter laudatum Prudentium Sandovvallium in vita Alphonſi VI. Gundiſalvus Argota de Molina lib. 2. nobilitatis Bæticæ cap. 36. de Alcozer Hiſtoriæ Toletanæ Urbis lib. 1. cap. 68. & alii. Quare hujus commenti Rodericiani fides ſit penes unicum ejus Authorem. Cui licet de Hiſtoria Hiſpanica admodum benemerito, quamquam ſuis item nævis ipſe non careat, apertam tamen hujuſmodi falſitatis notam hic inurere durum certe videatur, quaſi ex proprio ingenio; aut nimia erga Mozarabes ſuos, eorumque Eccleſiaſticos Ritus propenſione novum iſtud effinxerit commentum, & nullo prævio facti teſte fabuloſum evulgaverit prodigium: nihilominus five Hiſtoriam hanc vere ex alio hauſerit, five ex ſola apud ſuos conterraneos fama, aut traditione audierit, cum clariora, ac ſolidiora non ſuppetant ejuſdem documenta, non eſt, quod illi indubiam, & plenariam deferamus confirmationem.

Aliorumque nobilium Hiſpaniæ Scriptorum etiæ recentioris ævi, qui de hoc facto aliter ac Roderico ſcribunt.

His pro rei veritate diſquirenda, vindicandaque Cardinalis noſtri Sententia expoſitis, quæ non aliquo literario fuco illita, ſed æqua, ac rationabili argumentatione munita conſpiciuntur, valde mirandum obvenit adhuc reperiri, qui ex tripode huic fabulæ Mileſiæ ſupremum actum addat, eamque uti veram venditet, ac propugnet. Is eſt Hiſtoricæ eruditionis, doctrinæ, ac regularis obſervantiæ fama apud Hiſpanos celebris Pater Michael

a S. Joſeph Ord. Sanctiſs. Trinit. Excalceat. recens, & Cl. quidem Scriptor, at nonnihil intemperantiæ hoc loci Criticus, qui in Bibliographia ſacra, & profana, quam nuper edidit Matriti an. 1742. Tom. 3. pag. 220. mordicus Hiſpanorum ſuorum opinionem, & hujuſmodi Rodericianam hiſtoriam defendens, quam Emin. Author merito tamquam fabuloſam explodit, ita in eumdem his verbis nimium incautus inſurgit: *Neque toleranda*, ait, *hac in parte facilis negatio doctiſſimi Cardinalis Bonæ, qui tantorum teſtimonia contemnit, non alia ratione, niſi quia ita libet*: Teſtimonia autem, quæ ſic tanti facit Religioſus iſte, hæc ſunt, Hiſtoria Toletana, & Compoſtellana, ex quibus id, inquit, probant Rodericus, Deza, Mariana, Sandoval, Marleta, Piſa, Henao, Ferrandus, Delrius, aliique apud Marchionem Mondexarienſem, nonnulla item ſubdit in hujus ſuæ opinionis confirmationem, quæ non magni facienda prætermitto. Sic itaque illi reſpondemus; & primo relictis, quæ vel Cardinalem noſtrum non afficiunt, vel falſo ei imputantur, aut ex ſe ipſis corruunt, unice in teſtimoniis ab eodem non ſine fundamento contemptis ſiſtam, de quibus ita bonus Regularis Hiſpanus vehementer dolet, ut injuſte Liturgicum Scriptorem quaſi irrationabilem feriens, religioſæ continentiæ limites exceſſiſſe videatur; idcirco quid de Roderico Toletano Antiſtite præcipuo hujus hiſtoriæ relatore, quem recenſiti poſteriores omnes ſecuti ſunt, novi ſenſerint, recenteſque ævi noſtri Scriptores, ac clariſſimi ex nobili ſubſellio viri, quibus certe honoratiorem locum præ Patre Michaele deberi crediderim, & ex iis quid dicendum ſit, inſpiciamus.

Reſpondetur nupeſtrimo Authori Hiſpano, qui eamdem Roderici narratiunculam refricat, & ab ipſius invectivis vindicatur Card. Bona.

Hos inter, & ejuſdem conterraneus Eruditis omnibus ſua doctrina notus Nicolaus Antonius Biblioth. Hiſp. vet. Tom. 2. pag. 37. col. 1. num. 38. in Roderico, *frequentes*, ait, *ad hæc ſunt errores in digerendis Romanorum rebus, quales frequenter Rodericus in Geographica re, & in antiquis quibuſcumque committere ſolet*. Notentur ultima hæc verba, *in antiquis quibuſcumque*. Et paulo poſt pag. ſeq. num. 47. *Plane*, inquit, *ex his hiſtoriarum monumentis, quamtumvis plura minus recte, in antiquis præſertim rebus, ſenſerit Rodericus*. Notentur item hæc *quamtumvis plura minus recte &c.* Licet autem poſt pauca graviſſimum, & integrum Hiſpanicarum rerum, ad ætatem ſuam uſque nominet Scriptorem, dignum tamen ingenue affirmat, *in quo major aliqua, & accuratior docti alicujus, ac diligentis viri, cui chara eſſet antiquitas, collocaretur opera*. Porro Nicolaum Antonium omnium Eruditorum Hiſpaniæ deſiderio videndi tandem Hiſpanam Hiſtoriam expurgatam a fabulis, quibus ex aliquorum auſu peſſime fœdabatur, ſatisfeciſſe fatetur clar. D. Jo. Bapt. de Miro Abbas Caſſinenſis, & Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos indictæ Nicolai Antonii Bibl. Hiſp. approbatione. Quid autem de eodem Roderico alter Hiſpanus, & antiquior ſentiat, audiamus. Joannes Margarinus Epiſc. Gerundenſis junior Paralip. ad Hiſp. Hiſt. Tom. 1. Hiſp. Illuſtr. & apud Voſſium de Hiſt. Lat. in Roderico: *in Rebus Hiſpanicis laudabiles aſſerit Trogum Pompejum, Oroſium, & Iſidorum, tolerabilem vero Rodericum Toletanum, cæteros ſomnia contexere*: nota item *tolerabilem* Rodericum dicit, quia non ita verax, ut Trogus, Oroſius, & Iſidorus, non ita falſus, ut cæteri, qui ſomnia contexunt, at in pleriſque illo adjecto cæſpitantem confitetur.

Quæ fides Roderico Toletano habenda ex ipſis conſtat candidioribus Hiſpanis.

De reliquis, qui poſt Rodericum ſcripſere, iis ſcilicet a P. Michaele memoratis, & aliis, quos ipſe prætériit, ſubdit dictus Nicolaus Antonius in Epiſt. ad Card. noſtrum data: *quod cum ita ſcriptum ab Archiepiſcopo, eoque unico rei geſtæ Authore ſic idoneo, & gravi ſequentes legerint, quid in mentem iis venerit nondum video, ut factum aliter, totoque cælo, ut dici ſolet, diverſum referrent*. Hæc de Roderico, ejuſque hiſtoria, ac de aliis, qui unice ab ipſo hanc narrationem hauſerunt, vel ipſi Hiſpani candidiores. Inde cum Pinio ſupra memorato pag. 50. jure dicam. „ Hæc (& „ quæ paulo ante indicantur) fateor formidi„ nem injiciunt, ne vel non contigerit illud fa„ ctum, vel non ita ſaltem, prout contigiſſe „ idem refert Rodericus. Eruntque haud du„ bie, qui pro ſecuriore rei adeo paradoxæ „ aſſenſu majora credibilitatis momenta re„ quirant, quam ſolius Roderici authoritatem „ ſatis etiam remoti a tempore, quo even„ tus ille accidere debuerit „. Ita nobiſcum Pinius, qui poſt relatam dictam Nicolai Epiſtolam ad Cardinalem noſtrum hac de re ſcripram, ſic de eadem concludit, nempe, „ quod ad probationem Officii Gothici, ac Ro„ mani ſtabiliendam, quæ affert, rem hic con„ troverſam fortius evincerent, ſi non in„ ſola Roderici atteſtatione fundarentur: „ Sed & ante Pinium Pagius uterque, præſertim junior Franciſcus Brev. Geſt. Pontif. in Urbano II. num. 8. ubi hæc de Rodericiana narratione loquens, ſic ait: *Ita Rodericus teſtis unicus, qui obiit an. 1245. alii enim recentiores hanc hiſtoriam, vel potius fabulam, ex ipſo deſumpſerunt, penes quem fides ſit*.

Qui tamen inter ſe circa hujuſmodi narrationem diſſentiunt.

Audivimus quid veteres, & novi Hiſpani, quid exteri nobiles Scriptores de Roderico Toletano, ejuſque hiſtoriæ veritate ſenſerint; quare ſupradictis omnibus undequaque perpenſis, quis ipſum Toletanum Scriptorem lubricæ fidei eſſe non affirmabit? At, inquit P. Michael Rodericum ex Hiſtoriis Toletana & Compoſtellana eorum, quæ narrat facta deſcripſiſſe; bene quidem; at quæ, qualeſve, aut a quo ſcriptæ illæ fuerint, ipſe dicat, nam laudatus Nicolaus Antonius, alias diligentiſſimus Hiſpanicarum Rerum, & Scriptorum explorator in memorata Bibl. Hiſp. veteri nihil ferme de hiſce hiſtoriis poſitivum concludit, ex quo, quando, & a quibus extractæ ſint internoſcere liqueat. Quin etiam eſto, quod in illis iſthæc Rodericiana Commentatio deſcribatur, an ideirco ſtatim paſſis ulnis amplectenda, pacato animo, plenaque fide credenda? Cui prudenti viro ignotum eſt, quot aniles fabulas barbara ſeculorum medii ævi, quo vixit Rodericus, ſimplicitas nobis venditarit; in iis propterea diſcernendis ſummo opus eſt judicio, nec omni ſpiritui credendum ex Joan. Ep. 1. cap. 4.

qui

qui enim credit cito, levis corde eſt, ait ſapiens Eccl. 19. Et ſane quis hac in hiſtoria unico tantum, & ſingulari fidat Roderico, cum non in unius, ſed in ore duorum, vel trium teſtium ſtare omne verbum dicat Chriſtus Dominus, unde illud legale adagium C. de Teſt. L. Jurjur. *Vox unius, vox nullius*. Præterea falſitatem hujus Hiſtoriæ ipſa Roderico ſubſequentium Hiſpanorum Scriptorum, ut vidimus, in ea deſcribenda inter ſe diſcrepantia, & varietas luculenter oſtendunt.

Et quidem ex ipſo facto hæc Roderici narrationcula falſa eſſe deprehenditur.

Denique ex ipſo facto, quæ Rodericus narrat de Gothici Officii probatione per duellum, & ignem, falſa eſſe, ac nullo modo ſubſiſtere poſſe evidenter oſtendimus. Aut enim juſta erat, aut injuſta hujuſmodi Romanorum Pontificum Alexandri II. Gregorii VII. & Urbani II. exhortatio, & ſanctio, item Alphonſi Caſtellæ, ac Sancii Aragoniæ Regum iiſdem aſſenſio, & juſſio, quibus eorum ſubditis, ut dictis Summis Pontificibus obtemperarent, & Romanæ, ac univerſali Eccleſiæ conformarentur, Gothicum ſcilicet officium relinquere, & Romanum amplecti præcipiebant. Quod hæc Romanæ Sedis inſinuatio, & intentio injuſta fuerit, nemo profecto Catholicorum aſſereret audebit, multo minus P. Michael, uti Religioſus, & Hiſpanus Apoſtolicæ Cathedræ obſequentiſſimus; eam enim æquiſſimam, convenientem, & juxta Pauli Apoſtoli votum I. ad Corinth. cap. 1. 10. obſecrantis *per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum fideles dicant omnes in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*, ipſa rei exigentia, ratio omnis, ac bonæ divini cultus ordinationi uniformitas evincunt, venerabilis item tantorum Pontificum probitas, præcipue Greg. VII. ſanctitas, ſingulorumque ſuprema authoritas ſuadent, nec in contrarium dubitare nos ſinunt. Si itaque juſta, uti revera fuit, omnique æquitati conſona iſthæc Sanctæ Sedis exactio ab Hiſpano Clero, & populo in obſervanda quoad Liturgici Ritus ordinem cum univerſali Eccleſia conſenſione, quomodo verum eſſe poteſt, quod ex unico Roderico contendit dictus Pater Michael, pro Ritu ſcilicet Mozarabico retinendo, litem igne diremptam non ſine miraculo fuiſſe, Gothici nempe Officii Codicem illæſum inter flammas permanſiſſe, Romanum autem igne conſumptum?

Quis umquam credibile exiſtimet Deum contra hanc tam conſonam æquitati, & juſtitiæ cauſam in reprobationem rectæ intentionis ternarii ſui in terris Vicarii id miraculum, ut prætenditur, operari voluiſſe, cum non niſi propter ſui nominis gloriam, aut commendationem veritatis Eccleſiæ, vel hominum utilitatem, uti ex S. Thoma obſervant Theologi, & inter eos Pater Liberius a Jeſu Carmel. Excalc. in ſuis Controver. Dogm. Tom. 1. Controv. 7. num. 66. pag. 171. Deus miracula edat. Hinc quoad primum, majorem profecto Dei gloriam non video, quod una, & eadem lingua Latina, diverſo tamen Ritu, & ordine, uti eſſet Gothicus, & Romanus, glorificetur Deus, cum potius quoad fieri poteſt, ipſum uno ore glorificantes, eidem, ut ait Propheta, & humero uno ſervire debeamus. In commendationem autem veritatis Eccleſiæ, ipſius veritatis legitimi in terris interpretes, ut vidimus, & Chriſti Vicarii contrarium huic, quod aſſeritur, miraculo præceperunt. An falſo nitebantur ſuppoſito, & fundamento dictorum Pontificum Romanorum ſanctiones de Gothico Officio dimittendo, Romanoque amplectendo? abſit, *Quodcumque enim ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*, dixit Dominus Simoni Petro. Hinc eſt, quod *quia Apoſtolicæ Sedi* (inquit Eugenius Papa III. infra relatus nota ſequenti Epiſt. ad Clerum, & populum Toletanum) *tota eſt a Domino collata poteſtas, ut quod pro ſanis dogmatibus, fidelium moribus, Dominico tempore præſcripſit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus ineffica habeatur, quanto magis, quæ ob reverentiam Catholicæ fidei in Sacramentis Miſſarum, & aliis divinis officiis inſtituiſſe dignoſcitur, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorſus reverenter aſſumi?*

Deus quippe nonniſi ad ſui nominis gloriam, veritatis Eccleſiæ commendationem, aut hominum utilitatem miracula edit.

Notum item eſt ex Origene lib. 2. contra Celſum Divinam Omnipotentiam ad falſitatem confirmandam non extendi; ipſius enim infinitæ bonitatis eſt, non permittere, ut ejus teſtimonio per miracula oſtenſo homines inducantur in errorem decepti ex ſignis tamquam ab ipſo patratis, quod utique foret, ſi verum fuiſſet narratum a Roderico miraculum, eo ſiquidem Hiſpani credidiſſent verum unice, & tenendum eſſe Miſſæ ordinem Gothicum, & falſum e contra, ac reſpuendum Romanum; quantum id horreant aures, vel ipſe dicat P. Michael cum iis, qui huic fabulæ adhærent. Hominum denique utilitatem excludit ipſa Gothici Ritus a Romano difformitas, quomodo enim facile Mozarabicus Sacerdos in Gallia, Germania, aut Italia celebrare poſſet, niſi ſecum ſui Gothici Ritus Miſſalem librum adferret? quod utique non ſine magno incommodo factitari perſpicuum eſt. Poſſem & alia ad id ulterius evincendum argumenta producere; at contra nimiam, & indiſcretam Clariſſimi hujus Patris Michaelis credulitatem hæc ſuffectura exiſtimarim.

Neque enim ad falſitatem confirmandam ejus omnipotentia extenditur.

Quare hujuſmodi fabuloſa Roderici narratio juſte a nobis cum Card. Bona diſpellitur.

Vides interim prudens lector, quam temere, quam falſo, quam injuſte Cardinalem Liturgicæ eruditionis ævo noſtro facile Principem dehoneſtarit credulus nimium, bonuſque Bibliographus iſte, aſſerens eumdem id miraculum negaſſe, & rantorum, ut ait, teſtimonia contemnere, non alia ratione, *niſi quia ita libet*, quaſi in hujuſmodi ſic juſta negatione ipſi ſteterit tantum pro ratione voluntas, quando illam tot hucuſque allata momenta demonſtrant: Judicet proinde quiſpiam an vere toleranda non ſit hac in parte facilis negatio doctiſſimi Cardinalis Bonæ, ut vult dictus Pater, vel potius exprobranda Religioſi iſtius imprudens in ipſum cenſura, nimiumque exceſſiva libertas, qua Cardinalem doctrina, & pietate toto Orbi notiſſimum ſic audacter impetiit. Atque hæc pro Purpurati noſtri vindiciis dicta ſint. Cæterum præſtantiſſimi Cœnobitæ miram eruditionem ſuſpiciens, atque in tot rebus digerendis laborem improbum admirans non is profecto ego ſum, qui

Gothi-

Gothicum ordinem, seu Mozarabicum Ritum reprobare ausim; illum enim, ut scient, qui legent, hisce Commentationibus, utcumque exornare, immo & propugnare, ubi opus erit, quod infra videbitur, omnibus nervis contendo; at decantatum in ipsius probatione per duellum, & ignem miraculum accidisse cum Card. Bona, Pagio, Pinio, aliisque memoratis merito suspectum habeo; non enim quæcumque a Scriptoribus referuntur miracula, sed quæ ab Apostolica Sede proponuntur, acceptanda, & amplectenda sunt. Ast ad reliqua hujus Mozarabici Ritus disquirenda redeamus.

(2) *A consuetudinibus, quas a majoribus receperunt*) Neque tantum Alexander II., & Gregorius VII. Summi Pontifices pro abrogando in Hispaniis Mozarabico Ritu, & Romano introducendo adlaborarunt, sed & Eugenius III., qui ab anno 1145. usque ad 1153. sedit, plurimum pro hoc negotio egit. Extat ipsius Epistola apud Labbeum Concil. Tom. X. col. 1099. ad Clerum, & populum Toletanum, qua ut Mozarabes Toletano Archiepiscopo pareant, & in cæremoniis ab eo non dissentiant, ac Romanis Ritibus se conforment, vehementer hortatur. Eamdem refert Card. de Aguirre Concil. Hisp. Tom. 3. pag. 362. & notandum quod ex illius Epistolæ tenore perspicue dignoscitur Liturgiam Mozarabum, quæ dudum, ut diximus, sub Joanne Papa X. seculo scilicet X. ab erroribus, quibus scatebat, expurgata fuerat, & ad Ritum, fidemque Catholicam Romanam accommodata, seculo XII. iterum ab Orthodoxo sensu traductam, novisque errorum maculis fœdissime respersam fuisse. Pontificis verba, quibus id testatum habemus, hæc sunt: *Significatum bene est, quod quidam, qui Mozarabes nuncupantur Ven. Fratri nostro Archiepiscopo Toletano obedientiam denegantes . . . . . , in Sacramentis Missarum, & aliis divinis officiis . . . suam antiquam consuetudinem subsequentes ab Apostolica Sede diversa sentire præsumant. Quia agitur Apostolicæ Sedi tanta est a Domino collata potestas, ut quod pro sanis dogmatibus, fidelium moribus, Dominico tempore præscripsit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur, quanto magis, quæ ob reverentiam Catholicæ Fidei in Sacramentis Missarum, & aliis divinis officiis instituisse dignoscitur, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorsus reverenter assumi? Universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eos distinctius moneatis, ut in Sacramentis Missarum, & aliis divinis officiis a Catholica Ecclesia dissentire de cætero non præsumant:* Hæc Eugenius Papa III. Quod autem ita ex Romani Pontificis præscripto Missale Mozarabum tunc denuo emendatum, & ad pristinum decorem restitutum fuerit, admodum credibile est, nullum enim in contrarium posterioris ævi monumentum huc usque reperi. Quinimmo ab Apostolica dein Sede hoc officium permissum, & toleratum fuisse mox dicemus in proxima annotatione.

Mozarabicus Ritus utpote denuo depravatus, iterum abrogari tentatus sæc. XII.

Sed nedum proprium officium habuere Mozarabes, verum & proprios characteres, quibus omnes eorum Missatici, & Chorales libri scripto exarati erant, illos nempe, quos Gothis Hispaniam invadentibus Ulphila Gothorum Episcopus adinvenit, quos etiam postea in Romanos, seu Gallicanos mutarunt. Constat id ex Synodo Legionensi II. Præside Rainerio S. R. E. Cardinali, & per Hispanias Urbani II. Papæ jussu Apostolicæ Sedis Legato una cum Bernardo Toletano Archiepiscopo, & Primate anno Christi 1091. cujus mentio apud Lucam Tudensem, & Joannem Mariana, aliosque, ex quibus Labbeus, & Cossartius Concil. Tom. X. ac Cardinalis de Aguirre Concil. Hisp. Tom. 3. pag. 298. idem referunt. Scribit itaque Lucas Tudensis præfatus pag. 101. Chronici Mundi, seu parte IV. Hispaniæ illustratæ *statuerunt: etiam* (Legionenses Patres) *ut Scriptores de cætero Gallicam litteram scriberent, & prætermitterent Toletanam in officiis Ecclesiasticis, ut nulla effet divisio inter Ministros Ecclesiæ Dei.* Neque mutatio hæc in isto Legionensi Concilio statura fuit circa officium divinum, ut optime notat Card. de Aguirre loco citato, fed quoad litteras, five characteres, qui eousque erant Toletani, five proprii Mozarabum. Verum ab hoc tempore derelicti fuerunt in officiis Ecclesiasticis, & in Gallicanos, seu Romanos translati communes fere tunc in Ecclesia, quemadmodum indicat Tudensis postremis illis verbis: *ut nulla esset divisio inter Ministros Ecclesiæ Dei*: quæ causalis superflua esset, nisi eousque in cæteris regionibus Missales, aliique divinorum officiorum Codices propriis cujusque Ecclesiæ, aut Provinciæ characteribus, & litteris scripti essent. Idem confirmat Mabillonius de Re Diplomatica lib. 5. ad tab. 45. ubi sic ait: *Per id tempus* (nempe dicto anno 1091.) *Europæi fere omnes Gallicanæ Scripturæ genus propria abjecta, susceperant, Angli per Willelmum Conquestorem loco Saxonicæ, Itali, & Germani per Imperatores stirpis Carolinæ, pro Longobardica, & Teutonica, Hispani pro Gothica per Bernardum Toletanum Episcopum ex Monacho Gallo Cænobii Cluniacensis; nam habito apud Legionem Concilio per Rainerium S. R. E. Card. & Legatum inter alia statutum est &c.*

Idem proprios characteres Gothicos in suis libris habebat.

Qui postea in Gallicanos, seu Romanos translati sunt.

Hic itaque Gothicus, seu Mozarabicus Ritus, tamdiu vel inter hostes duravit, ut quemadmodum Gomezius, ac Roblesius infra citandi monent, etiam post mutatos alibi Ritus, dictis Mozarabum Ecclesiis a Rege Alphonso VI., & Bernardo Toletano Archiepiscopo electo, hæc concessa fuerit singularis prærogativa, quod cum aliarum præterim. Parochialium Ecclesiarum sui cuique limites per vicos, domosque definirentur, *solis illis sex* (quas infra nominabimus) *Ecclesiis nulli præscripti sunt, sed cuique sui Mozarabes, illorumque posteri, ubicumque illos intra, vel extra Urbem morari contingeret, assignati fuerunt*: fed paulatim, inquit Gomezius, familiis illis deficientibus Ritus etiam ille deficere, & Romanus ibidem in fex illas Ecclesias introduci cœpit, tandemque factum est, ut nonnisi statis, festisque diebus eo Ritu in illis sacrificaretur, pura ab anno 1285., quo obiit Sancius II. Toletanus Archiepiscopus, ut plenius infra, donec eximius ille, & toto Orbe

Hujusmodi Ritus Mozarabum dictus sensim deficiens in sex tantum Parœciis diu permansit usque ad sec. XII. in quibus etiam postea Romanus indultus.

notiſſimus Card. Franciſcus Ximenius Ord. Minorum decus, Mozarabici Ritus inſtaurandi curam ſuſcepit, ut in nota ſequenti dicemus; ſed prius quam ad ipſam procedamus, notandum eſt, quod cum antea variæ eſſent apud Hiſpanos in Sacrificio celebrando conſuetudines, uti ſupra indicatum eſt §. 1. nota 2., utque omnis hujuſmodi earum diſcrepantia omnino tolleretur in Concilio Toletano IV., cui præfuit S. Iſidorus Hiſpalenſis an. 633. cap. 2. ſtatutum fuerit, ut Divinum officium omne in tota Gothorum ditione uno, eodemque modo celebraretur; nihilominus pleriſque in Hiſpaniæ locis, præcipue apud Regulares, ſeu tunc Monachos, diverſum a reliquis obſervato Ritum adhuc obtinuiſſe manifeſte deducitur ex Concilio Toletano XI. an. 683., ſeu ut aliis videtur, an. 675., ubi cap. 3. indicitur, quod *Abbatibus .... Officia publica, ideſt Veſperum, Matutinum, ſive Miſſam aliter quam in principali Eccleſia celebrare non liceat*. Hæc autem Divini Officii uniformitas ſtetit uſque ad dicti Gothici, ſeu Mozarabici Ritus depravationem ſub Elipando Toletano, & Hiſpaniæ devaſtationem ab Infidelibus partam, de quibus actum ſupra §. 2. Qui tandem Ritus hujuſmodi poſt tot viciſſitudines, poſt varios caſus, poſtque tot rerum diſcrimina priſtino ſplendori, ac fidei integritati reſtitutus fuit, ut mox dicemus.

Donec ſeculo XV. excuate in dictis Eccleſiis per Card. Ximenium reſtitutus fuit.

(3) *Alv. Gomezius de rebus geſtis Card. Ximenii*) Item de eodem Mozarabum Ritu agunt Eugenius Robleſius Toletanus partim in vita Card. Ximenii cap. 23., & ante ipſos Joannes Vaſæus in Chron. Hiſpan. ad an. 717. Mariana ut ſupra citatus, Ambroſius Morales Chron. Contin. lib. 12. cap. 19., ex quibus Pamelius, aliique, quæ de hoc Mozarabico Officio ſcripſere, deſumpſerunt. Sæculo proinde XV. exeunte magnus ille litterarum ſtator, omniumque virtutum laude inſignis Franciſcus Ximenius Card., & Archiep. Toletanus Officium præfatum Mozarabum dictum longo temporis tractu nunc corruptum, modo expurgatum, adeoque inconſtanter cuſtoditum, demum ad primævæ ſuæ inſtitutionis ſtatum, ut fieri potuit, reſtituit, & inſtauravit, aſcitis ſecum ad id operis ex tota Hiſpania doctiſſimis viris veterum ſacrorum Rituum peritiſſimis; atque ut idem poſtmodum ſtabili firmitate intactum ſervaretur, inſtituto Toleti tredecim Sacerdotum, triumque Miniſtrorum Collegio, quos *Sodales Mozarabes* appellari voluit, quibuſque id muneris demandavit, ut hoc Ritu ſacra quotidie celebrarent, ad eos ſex Mozarabum dictas Eccleſias, in quibus olim Mozarabicus Ritus immotus permanſerat, ſex ſcilicet Paroecias, Sanctorum nempe Marci, Lucæ, Sebaſtiani, Torquati, Eulaliæ, & Juſtæ nominibus nuncupatas, earumque proventus pertinere ſtatuit; ac proinde, ut ab ipſis officia divina dicto Ritu, & ordine perſolverentur, Miſſale, ac Breviarium a ſe emendatum, & auctum Mozarabum dictum Toleti typis imprimi juſſit an. 1500., de quo nos infra. Non multo poſt Paulus III. Pont. Max. (ut ſcribit Alvarus Gomezius præfatus in Hiſtoria dicti Cardinalis pag. 51.) cum idem Miſſale, & Breviarium a Toletana Eccleſia ſibi Romam mitti mandaſſet, illis acceptis, viſiſque, ea juſſit in Varicana Bibliotheca aſſervari, qua in re viſus eſt dictus Pontifex, quod non abjecit, immo apud ſe haberi voluit, approbaſſe. Sic hujuſmodi vulgatis Mozarabum libris ad extremam Templi Metropolitani partem dictus Cardinalis Ximenius in Æde Corporis Chriſti nuncupata Occidentem verſus ſatis eleganti ſtructura ſacellum conſtruxit, in quo præfatos ſodales Mozarabes ſub patrocinio Capituli Toletani conſtituit, ipſiſque, ut eo Ritu ſingulis diebus ſacra perficerent, demandavit.

Quæ reſtitutio, ſeu innovatio quomodo facta ſit, deſcribitur.

Notandum vero eſt, quod in hoc quidem ſacello per Cardinalem Ximenium laudatum conſtructo quotidie ſacra Officia dicto Mozarabum Ritu perſolvuntur; in ſex autem Paroeciis memoratis non item, ut innuimus; ibi enim in Feſto tantum Sancti alicujus ex dictis Eccleſiis titularis aſſiſtentibus omnibus præfati Ritus Clericis, Paſtoribus, & beneficiatis hujuſmodi Officium Mozarabicum dicitur. Quod & Salamanticæ in Cappella S. Salvatoris nuncupata, quam Doctor Talabricenſis, uti ſic eum vocat Cardinalis noſter, ſeu nobilis vir Rodericus Maldonado de Talavera dictæ Civitatis Patricius fundavit, ubi ſingulis menſibus, & in aliquibus dumtaxat anni feſtivitatibus Miſſa Mozarabum more celebratur. Eodem ferme modo Valliſoleti in ſacello majori Paroeciæ S. Mariæ Magdalenæ, quod erexit Petrus Gaſca Epiſcopus Saguntinus anno 1507. duabus feriis ſextis cujuſque menſis, unam Miſſam Mozarabum dici idem Præſul inſtituit, uti teſtatur Pinius loco ſæpe indicato pag. 67. Quare non in *unica* tantum *Toletanæ Eccleſiæ Ædicula*, uti putabat Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 2. pag. 12., qui tamen pag. 392. meliora doctus ex noſtro Cardinali Salmanticæ etiam celebrari admiſit, ſed & alibi in Hiſpania hoc Officium obſervatur.

Hujus porro Officii Gothici exemplar noviſſime recudit Emin. Card. de Aguirre Tom. 3. Concil. Hiſp. poſt Concil. Burgenſe pag. 258., & ſeqq., utque majorem huic rei lucem affunderet plura notatu digna a diverſis edita, inter quæ hanc Emin. noſtri Diatribam adjecit; poſtque ipſum Daniel Papebrochius Act. SS. Junii Tom. 5. ad diem 29. pag. 215., & pag. 218., ubi dicti Officii Gothici, ſeu Mozarabici Miſſam de SS. Columba, & Pelagio collatam cum hodierna S. Jacobi Apoſtoli, ac Gothica Sanctæ Eulaliæ Virginis, & Martyris exhibet, nonnullis etiam additis obſervationibus. Item Joannes Mabillonius, Edmundus Martene, Petrus Brunus, ut reliquos taceam. Ex quibus aliiſque ſuam eruditiſſimam Diſſertationem Joannes Pinius ſupra laudatus attexuit, noſque noſtram ex ipſis, nonnulliſque alibi conquiſitis documentis, utcumque compoſuimus, ac nonnulla etiam adnectimus, quæ de hac Liturgia nuperrime edidit clar. Cajetanus Cennius Vaticanæ Baſilicæ Presbyter Beneficiatus in ſua Antiquitate Eccleſiæ Hiſpanæ Tom. II. Diſſert. VII., ubi quoad eamdem plura ſcitu digna doctiſſime profert.

§. IV.

Deſcribitur Miſſa Mozarabica, ejuſque Ritus.

POrro Miſſa Mozarabica hæc eſt. Poſtquam Sacerdos veſtes ſacras induit, dicit Reſponſorium, *Pater peccavi in Cœlum & coram te. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Ab occultis meis*, cum oratione, *Deus qui de indignis dignos facis*. Deinde procedit ad Altare, & præmiſſa Angelica ſalutatione ait: *In nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Spiritus Sancti adſit nobis gratia. Introibo ad Altare Dei. Judica me Deus*. Finito Pſalmo, & repetita Antiphona dicit hos verſus, *Dignare Domine die iſto, Confitemini Domino quoniam bonus. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix*, ſequiturque Confeſſio cum verſibus, & oratione, *Auſer a nobis*. Et ſtatim accedit ad Altare, facitque crucem ſuper Aram dicens, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et oſculato Altari recitat Antiphonam de cruce, *Salve Crux pretioſa*, cum quatuor Collectis. Tum demiſſo capite dicit. *Per gloriam nominis tui Chriſte Fili Dei vivi, & per interceſſionem S. Mariæ Virginis, & B. Jacobi, & omnium Sanctorum tuorum auxiliare, & miſerere indignis ſervis tuis, & eſto in medio noſtri Deus noſter, qui vivis, & regnas in ſecula ſeculorum*. Mox in dextro cornu Altaris legit Introitum (1) cum verſiculo Pſalmi, & glorificatione Sanctiſſimæ Trinitatis his verbis concepta: *Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in ſecula ſeculorum, Amen*. Ultima pars Introitus repetitur poſt Pſalmum, & iterum poſt *Gloria*. Qua repetitione peracta dicit *Per omnia ſecula ſeculorum*. Reſpondetur, *Amen*. Sequitur immediate *Gloria in excelſis*: (2) & iterum, *Per omnia ſecula ſeculorum*, & oratio, ante quam non dicitur *Oremus*, nec in fine *Per Dominum noſtrum*: ſed tantum reſpondetur, *Amen*. Recitata oratione progreditur ad medium Altaris dicens, *Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in ſecula ſeculorum*. (3) Reſpondetur *Amen*. Poſtea ſtans in medio ait, *Dominus ſit ſemper vobiſcum*. Reſpondetur, *Et cum ſpiritu tuo*. Legitque Prophetiam: *Lectio Iſaiæ Prophetæ*. Reſpondetur, *Deo gratias*, & in fine Lectionis, *Amen*. Iterum Sacerdos dicit, *Dominus ſit ſemper vobiſcum*. Tum canitur Reſponſorium non diſſimile Graduali Romano. Quo decantato Sacerdos dicit, *Silentium facite*: (4) & legit Epiſtolam, *Sequentia Epiſtolæ Pauli Apoſtoli ad Romanos*. Reſpondetur, *Deo gratias*, & in fine *Amen*. Ea lecta petit benedictionem, & præmiſſa ſalutatione *Dominus ſit ſemper vobiſcum*, legit Evangelium, (5) *Lectio S. Evangelii ſecundum Joannem*. Reſpondetur *Gloria tibi Domine*, & in fine *Amen*. Tum iterum dicit, *Dominus ſit ſemper vobiſcum*, & cantatur laus, ideſt verſus cum *Alleluja* in principio, & in fine. Offert deinde Hoſtiam, & Calicem cum orationibus propriis, & thus adolet, ſi Miſſa ſolemnis ſit. Sequitur oratio, *In ſpiritu humilitatis*, ut in officio Romano. Tum ait, *Adjuvate me fratres in orationibus veſtris, & orate pro me ad Deum*. Reſpondetur. *Adjuvet te Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. Cantatur deinde *Sacrificium*, & eſt Antiphona cum quibuſdam verſiculis correſpondens Offertorio Romano: (6) & lavat manus dicens, *Lavabo inter innocentes manus meas*. Et poſt lotionem benedicit oblata. Mox inclinatus ante Altare dicit ſub ſilentio hanc orationem. *Accedam ad te in humilitate ſpiritus mei, loquar ad te, quia multam ſpem in fortitudine dediſti mihi. Tu ergo Fili David, qui revelato myſterio ad nos in carnem veniſti, clavo crucis tuæ ſecreta cordis mei adaperi, mittens unum de Seraphim, qui candenti carbone illo, qui de Altari tuo fublatus eſt, ſordentia labia mea emundet, mentem enubilet, docendique materiam ſubminiſtret*,

ut lingua quæ proximorum utilitati per charitatem ſervit, nec erroris inſonet caſum, ſed veritatis reſultet ſine fine præconium. Per te Deus meus, qui vivis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

(1) *Legit introitum cum verſiculo*) Introitus Miſſæ apud Mozarabes vocatur *ad Miſſam Officium*, ut notat Petrus le Brun in ſuis Liturgicis, ubi de hac Miſſa Mozarabum Tom. 2. pag. 309., atque etiam eodem modo appellari in Miſſalibus Chartuſianorum, Carmelitarum, & Fr. Prædicatorum.

(2) *Gloria in excelſis Deo*) Cujus loco die Dominica ante nativitatem S. Joannis dicitur Canticum *Benedictus*. Porro conſuetudinem recitandi in Miſſa hunc hymnum Angelicum perantiquam eſſe in Hiſpania, liquet ex Etherio, ac Beato, qui adverſus Elipandum ſcripſere in Biblioth. PP. Colon. Tom. 8., ubi pag. 353. ita dicunt: *Sic in Miſſa non ſolum Dominicis diebus, ſed etiam quibuſcumque feſtivitatibus Gloria in Excelſis Deo &c. conclamamus*. Et ſane hunc hymnum Angelicum in omni Sacro a Mozarabibus cantari notant Authores, ut ſcite inquit Daniel Papebrochius in Officium Mozarabicum de Sancto Pelagio Mart. Tom. 5. Act. SS. Junii pag. 218. n. 11. Hic autem hymnus non dicitur in Adventu Dominicis diebus, & feriis, ſed tantum in diebus feſtivis, uti notatur in Dominica prima Adventus his verbis: *In Adventu Domini non dicimus Gloria in Excelſis Deo, Dominicis diebus, & feriis: pariter in Quadrageſima, & in diebus feriis non dicitur, uti habetur in rubrica generali*. Ad hæc autem obſervat Petrus le Brun mox citatus, ubi de Liturgia Mozarabum pag. 311. has rubricas ad verbum quidem depromptas eſſe ex Miſſali Toletano, ſed Ritui Mozarabico appoſitas eſſe, ſecundum quem etiam tempore Adventus dicatur *Gloria in excelſis*, quod & probare nititur ex oratione in Dominica prima Adventus poſt iſtam rubricam relicta, ubi hæc habentur: *Deus, qui per Angelicos Choros Adventum Filii tui ..... annuntiare voluiſti, qui per Angelorum præconia* Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis *acclamantibus demonſtraſti concede &c.* Verum aliud eſt in oratione aliqua memoriam fieri de iſtius hymni initio, aliud eumdem hymnum recitare. Neque obſtat, ut ille ſubdit, quod in Rubrica Dominicæ primæ Quadrageſimæ præſcribitur, ut dicatur *Gloria in excelſis*, in qua etiam dicitur *Alleluja*; id enim oſtendit, quod juxta Mozarabum Ritum jejunium non inciperet, niſi ſequenti die, ſeu feria ſecunda, ſicut Mediolani Ambroſiano Ritu obſervatur. Porro hic hymnus Angelicus in Officio Mozarabico nonnullis vocibus auctior invenitur, quam in Romano, etenim inter *Glorificamus te, & gratias agimus* interponitur *hymnum dicimus tibi*, & poſt *Unigenite Jeſu Chriſte* additur *altiſſime*, denique loco *magnam gloriam tuam*, dicitur *gloriam tuam magnam*, uti quondam apud Ciſtercienſes, & Chartuſianos, penes quos hodie dum dicitur: quæ omnia cæteroquin non maximi momenti ſunt.

Hymnus Gloria in excelſis, quando apud Mozarabes dictus.

(3) *In ſecula ſeculorum*) Hæ benedictiones variæ ſunt pro diverſitate feſtorum, uti videre eſt loco mox citato, ubi alia eſt benedictio, quæ deſcribitur de S. Pelagio, ab illa, quæ de S. Jacobo Apoſtolo. Ea autem, quam hic refert Emin. Scriptor communis eſt, & ſemper dicitur, quando non adeſt propria.

(4) *Silentium facite, & legit Epiſtolam*) Ex decreto Concilii IV. Toletani Can. 14. diebus Dominicis, atque in Martyrum ſolemnitatibus ante Epiſtolam cani debebat Canticum trium Puerorum: *Hymnum quoque trium Puerorum, in quo univerſa Cæli, terræque creatura Dominum collaudat, & quem Eccleſia Catholica per totum Orbem diffuſa celebrat, quidam Sacerdotes in Miſſa Dominicorum Dierum, & in ſolemnitatibus Martyrum canere negligunt: proinde hoc ſanctum Concilium inſtituit, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, & Galliæ in omnium Miſſarum ſolemnitate idem in pulpito decantetur, communionem amiſſuri, qui antiquam hujus hymni conſuetudinem, noſtramque definitionem exceſſerint.* De faciendo autem ſilentio ad Epiſtolæ lectionem, ita Iſidorus Hiſpalenſis, qui in dicto Concilio præſedit lib. 1. de Eccl. offic. cap. 10. *Eſt lectio*, inquit, *non parva audientium ædificatio, unde oportet, ut quando pſallitur, ab omnibus pſallatur, cum oratur, oretur ab omnibus, quando lectio legitur, facto ſilentio, audiatur ab omnibus.*

(5) *Legit Evangelium*) Ex dicto Concilio Toletano IV. can. 12. Lectionem Apoſtoli ſtatim ſequi debet Lectio Sancti Evangelii, deinde Laudes, & ante ipſum Valentinum I. de quo ſupra ad §. 1. nota 5. in fine can. 1. præſcribit, *ut Sacroſancta Evangelia ante munerum illationem in Miſſa Cathecumenorum in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur*. Porro in Miſſa ſolemni, ut ex iis, quæ memorant Etherius, & Beatus adv. Elipandum lib. 1. loco ſupracit.: *Cum Evangelium a Levita ſuper altare levatur, a Levita primum dicitur* Laus tibi; *& ab omnibus reſpondetur* Laus tibi Domine Jeſu Chriſte Rex æternæ gloriæ *præcedente Evangelium cereorum lumine in ſigno gaudii, & lætitiæ &c.* Quid autem ſint *Laudes*, quæ juxta ſanctionem Concilii Toletani IV. ut memoravimus, lectionem Evangelii ſequi debent, ſuo loco infra dicemus ad Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 6. §. 4. Interim de his videndi Joannes Pinius pluries citatus de Liturgia antiqua Hiſpanica cap. 3. num. 101. & ſeqq. ac Mabillonius de Liturg. Gallicana lib. 1. cap. 4. num. 12. In Miſſa autem privata, dum legitur Evangelium, apponitur ab Acolytho, ſive Miniſtro lateri Epiſtolæ libellus continens partem Miſſalis, qui inſcribitur *omnium offerentium*, & complectitur omnes orationes, & reliqua, quæ communiter dicuntur in omnibus ſacris, iſque ejuſdem ferme rationis, ac in Ritu Romano *Ordinarium Miſſæ*, & veluti tribus tabellis noſtris, quæ vulgo dicuntur *Gloria, Evangelium Sancti Joannis, & Lavabo* correſpondet.

Item Evangelium quo loco, & quando dictum.

(6) *Correſpondens Offertorio Romano*) Poſt Evangelium offert hoſtiam, eamque oblatam

ſuper

ſuper patenam imponit, & ſic ſemper totius Miſſæ ſpatio, ſive ante, ſive poſt conſecrationem hoſtia collocatur. Hucuſque Miſſa prima Catechumenorum dicta. Porro de hac voce *Sacrificium* apud Mozarabes occurrit locus Iſidori, ut ſupra cap. 14. *Offertoria, quæ in Sacrificiorum honore canuntur, Eccleſiaſticus liber indicium eſt veteres cantare ſolitos, quando victimæ immolabantur* (ex Eccl. cap. 50.) *non aliter & nunc in ſono tubæ, ideſt vocis prædicatione cantus accendimur ſimulque corde, & opere laudes Domino declamantes jubilamus, in illo ſcilicet vero Sacrificio, cujus ſanguine ſalvatus eſt Mundus.*

§. V.

Iterum eadem Miſſa deſcribitur, ejuſque Ritus.

POſt hanc orationem ſic in Miſſali ſcriptum eſt. *Incipit Miſſa.* Forte quia huc uſque adeſſe poterant Catechumeni. (1) Dicit Sacerdos, *Dominus ſit ſemper vobiſcum*, & orationem diei convenientem, cui reſpondetur *Amen*. Subdit, *Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in ſecula ſeculorum*. Et reſponſo *Amen*, elevat manus dicens, *Agios, Agios, Agios, Domine Deus æterne, tibi laudes & gratias. Eccleſiam ſanctam Catholicam in orationibus in mente habeamus, ut eam Dominus fide, & ſpe, & charitate propitius ampliare dignetur. Omnes lapſos, captivos, infirmos, atque peregrinos in mente habeamus, ut eos Dominus propitius reſpicere, redimere, ſanare, & confortare dignetur.* Reſpondet chorus vel Miniſter. *Præſta æterne Omnipotens Deus.* Sequitur brevis ſermo ad Populum, qui inſcribitur *Miſſa*, in qua Sacerdos aſtantes hortatur, ut diei, ſive feſtivitatis myſteria contemplentur. (2) Formula hæc eſt ex die Aſcenſionis Domini. (1) (2)

Placeat, dilectiſſimi fratres, ſecularium cogitationum faſce depoſito in ſublime mentibus ſubvolare, & impoſitam ætheris faſtigio aſſumpti hominis communionem ſequacibus cordis oculis contueri. Ad incomparabilem nobis claritatem attonitus vocandus aſpectus eſt. Jeſus Dominus noſter humilitatem nobis terrarum, cœlorum dignitate commutat. Acutus neceſſe eſt viſus eſſe, reſpicere quo ſequamur. Hodie Salvator noſter poſt aſſumptionem carnis ſedem repetit Deitatis. (3) *Hodie hominem ſuum intulit Patri, quem obtulit paſſioni. Hunc exaltans in Cœlis, quem humiliaverat in infernis. Hic viſurus gloriam, qui viderat ſepulturam. Et qui adverſus mortem mortis ſuæ dedit beneficium, ad ſpem vitæ donavit reſurrectionis exemplum. Hodie rediit ad Patrem; cum tamen ſine Patris, qui ſibi æqualis eſt, poteſtate non venerit. Hodie aſcendit in Cœlum, qui obſequia cœleſtium, cum deſcenderet, non amiſit. Ita in Patris naturæ unitate conſiſtens, ut cum homo cœlum novus intraret, novum tamen Deus hominem non haberet. Petamus igitur ab omnipotentia Patris per nomen Filii Salvatoris gratiæ ſpiritualis ingreſſum, æternæ beatitudinis domum, beatæ manſionis aſcenſum, catholicæ credulitatis augmentum, hæreticæ infidelitatis excidium. Audiet profecto in confeſſione, quos in perditione quæſivit. Adſiſtet ſuis, qui non deſtitit alienis. Aderit agnitus, qui non defuit agnoſcendus. Non patietur corpoream eſſe devotos, qui filios facere dignatus eſt inimicos. Dabit effectum ſupplicationis, qui promiſit ſpiritum ſanctitatis. Amen.* (3)

Hac lecta concione, quæ in ſingulis Miſſis diverſa & propria eſt, ſubſequitur oratio definens in hæc verba, (4) *Per miſericordiam tuam Deus noſter, in cujus conſpectu SS. Apoſtolorum, & Martyrum, Confeſſorum atque Virginum nomina recitantur. Amen. Offerunt Deo Domino oblationem Sacerdotes noſtri, Papa Romenſis & reliqui pro ſe, & pro omni Clero, & plebibus Eccleſiæ ſibimet conſignatis, vel pro univerſa fraternitate. Item offerunt univerſi Presbyteri, Diaconi, Clerici, ac Populi circumadſtantes in honorem Sanctorum pro ſe & ſuis.* Reſpondetur, *Offerunt pro ſe, & pro univerſa* (4)

versa fraternitate. Subdit Sacerdos : *Facientes commemorationem beatissimorum Apostolorum & Martyrum, gloriosæ S. Mariæ Virginis, Zachariæ, Joannis, Infantium : Petri, Pauli, Joannis, Jacobi, Andreæ, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Jacobi, Simonis, & Judæ, Matthiæ, Marci, & Lucæ*. (5) Respondet chorus, *& omnium Martyrum*. Ait Sa- (5)
cerdos, *Item pro spiritibus pausantium Hilarii, Athanasii, Martini, Ambrosii, Augustini*, & recenset quadraginta sex nomina, quorum pleraque sunt Episcoporum Toletanorum. (6) Respondetur, *& omnium pausantium*. (6)
Quomodo autem cum cæteris defunctis quorumdam quoque Sanctorum commemoratio hic fiat, Lib. II. cap. XIV. explicabo. Sequitur oratio quæ dicitur *Post nomina*, (7) cui respondetur *Amen*, statimque dicit Sacerdos: (7)
Quia tu es vita vivorum, sanitas infirmorum, ac requies omnium fidelium defunctorum in æterna sæcula sæculorum. Tum legit aliam orationem, quæ vocatur *Ad pacem*, (8) & sic concluditur, *Quia tu es vera pax nostra, &* (8)
charitas indefrupta, vivis tecum, & regnas cum Spiritu Sancto unus Deus in sæcula sæculorum. Amen. Subjungit Sacerdos elevans manus, *Gratia Dei Patris Omnipotentis, pax ac dilectio Domini Nostri Jesu Christi, & communicatio Spiritus Sancti sit semper cum omnibus vobis*. Respondetur, *& cum hominibus bonæ voluntatis*. Deinde dicit, *Quomodo astatis pacem facite*. Respondet Chorus, *Pacem meam do vobis, pacem meam commendo vobis, non sicut mundus dat, pacem do vobis*. Quibus cum versiculo *Gloria & honor Patri* repetitis, ait Sacerdos, *Habete osculum dilectionis & pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei*. Et statim dat pacem diacono vel ministro, & ille populo. Post hæc junctis manibus inclinat se dicens: *Introibo ad Altare Dei mei*. Respondetur, *Ad Deum qui lætificat juventutem meam*. Mox ait Sacerdos, *Aures ad Dominum*, Respondet Minister, *Habemus ad Dominum*. Sacerdos, *Sursum corda:* Minister, *Levamus ad Dominum*. Sacerdos, *Deo ac Domino Nostro Jesu Christo Filio Dei, qui est in Cælis, dignas laudes, dignasque gratias referamus*. Minister, *Dignum & justum est*. Tum dicit Sacerdos quam vocant *Illationem* (9) propriam in (9)
singulis Missis, & ut plurimum valde prolixam ad instar Præfationis Romanæ : & post eam cantatur *Sanctus* more Romano, nisi quod in fine addunt Græce: *Agios, Agios, Agios, Kyrie Otheos*. Et protinus subjungit Sacerdos orationem, quæ dicitur *Post Sanctus*, & est veluti appendix Præfationis, *Vere Sanctus, vere benedictus Dominus Noster Jesus Christus Filius tuus &c.* Qua finita illico submissa voce incipit Canonem his verbis.

Adesto, adesto, Jesu bone Pontifex in medio nostri, sicut fusti in medio discipulorum tuorum, & sanctifica hanc oblationem, ut sanctificata sumamus per manus S. Angeli tui, sancte Domine, & Redemptor æterne. Quibus dictis ait. *Dominus Noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur &c.* Fitque consecratio, (10) & elevatio. (11) Sequitur deinde oratio, quæ dici- (10)
tur *Postpridie* (12) diversa pro diversitate Missarum, dum ait, *Te præ-* (11)
stante, sancte Domine, quia tu hæc omnia nobis indignis servis tuis valde bona (12)
creas, sanctificas, vivificas, benedicis & præstas nobis, ut sit benedicta a te Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. Accipit deinde Corpus Domini de patena, & ponit super Calicem discoopertum, & ait *Dominus sit semper vobiscum*, respondet Chorus, *Et cum spiritu tuo*. Ait Sacerdos, *Fidem quam corde credimus, ore autem dicamus:* statimque elevat Corpus Domini, ut videatur a populo, & dicunt omnes Symbolum, *Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem*. (13) Interim Sacerdos frangit Hostiam per (13)
medium in duas partes: & accepta una parte facit ex ea quinque particulas & ponit in patena in linea recta, habentque singulæ proprium nomen :

nam

nam prima vocatur *Corporatio*, hoc eſt incarnatio, 2. *Nativitas*, 3. *Circumciſio*, 4. *Apparitio*, ſive quod idem eſt Græce Epiphania. 5. *Paſſio*. Accepta ſimiliter altera parte, facit ex ea quatuor particulas, quarum hæc ſunt nomina, 6. *Mors*, 7. *Reſurrectio*, 8. *Gloria*, 9. *Regnum*, & eas collocat in patena ordine hic expreſſo.



Statimque digitos bene purgat, & cooperto Calice orat ſecreto pro Fidelibus viventibus, ſive, ut verbis Miſſalis utar, facit *Memento pro vivis*: Hæc autem omnia fere complentur, dum Chorus cantat Symbolum. Tum recitat orationem Dominicam. præmiſſa brevi præfatione, quæ in ſingulis Miſſis variatur. Ad ſingulas petitiones reſpondetur *Amen*; hac excepta *Panem noſtrum quotidianum*, cui reſpondetur, *Quia Deus es*. Sequitur immediate oratio ſemper eadem, *Liberati a malo, confirmati ſemper in bono tibi ſervire mereamur Deo ac Domino noſtro. Pone Domine finem peccatis noſtris, da gaudium tribulatis, præbe redemptionem captivis, ſanitatem infirmis, requiemque defunctis. Concede pacem & ſecuritatem in omnibus diebus noſtris, frange audaciam inimicorum noſtrorum, & exaudi Deus orationes ſervorum tuorum omnium fidelium Chriſtianorum in hac die & in omni tempore. Per Dominum noſtrum*. Poſt hanc orationem accipit particulam, cui nomen *Regnum*, & mittit in Calicem dicens ſubmiſſa voce, *Sancta Sanctis, & conjunctio Corporis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſit ſumentibus & potantibus nobis ad veniam, & defunctis præſtetur ad requiem*. (14) Tum (14) dicit alta voce, *Humiliate vos ad benedictionem*. (15) *Dominus ſit ſemper* (15) *vobiſcum*. Et benedictionem tribus diſtinctis petitionibus largitur, quibus ſingulis reſpondetur *Amen*. Qua impertita iterum ait, *Dominus ſit ſemper vobiſcum*. Et cantatur Reſponſorium, quod vocatur *Ad accedentes*, quo monentur fideles accedentes ad communionem, ut diligenter perpendant quem cibum ſint ſuſcepturi. (16) Poſtea accipiens aliam particulam, cui nomen (16)

Gloria,

Gloria, tenet illam ſuper Calicem, & facit *Memento pro defunctis*, eorumque commemoratione peracta, ac brevi præmiſſa oratione dicit ter *Domine non ſum. dignus*, & ſumit illam particulam, quam habet in manu, cæteraſque per ordinem. (17) Tum ſumit Calicem, factaque ablutione legit hanc Antiphonam, *Refecti Chriſti Corpore, & Sanguine, te laudamus Domine. Alleluja, Alleluja, Alleluja* (18). Sequitur oratio Romanæ *Poſtcommunioni* ſimilis, & poſt eam *Dominus ſit ſemper vobiſcum*, finemque annuntiat dicens, *Solemnia completa ſunt in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, votum noſtrum ſit acceptum cum pace*. Reſpondetur *Deo gratias*. (19) Recitat denique flexis genibus ante Altare *Salve Regina* cum oratione *Concede nos famulos tuos*. Et converſus ad populum dat ei benedictionem dicens, *In unitate Sancti Spiritus benedicat vos Pater, & Filius*. Amen. Statimque diſcedit ab Altari. Et notandum quod Sacerdos nunquam ſe vertit ad populum, niſi cum hanc poſtremam benedictionem largitur; & cum dicit, *Adjuvate me fratres in orationibus veſtris*. Confeſſionem more Romano, & alias orationes ante Introitum, ſicut & Antiphonam *Salve Regina* in fine addidit officio Gothico Franciſcus Ximenius. Addidit etiam officia quædam Sanctorum & alia feſta recentioris ævi, atque ideo propter hæc quæ adjecit, Miſſale mixtum nuncupavit. (20)

(17) (18) (19) (20)

(1) *Adeſſe non poterant Catechumeni*) Eugenius Robleſius Toletanus apud Card. de Aguirre Concil. Hiſp. Tom. 2. pag. 265., ac Mabillonius de Liturgia Gallicana pag. 11. putant Miſſam Catechumenorum apud Mozarabes, ſeu eorum dimiſſionem fieri loco mox ſupra a nobis indicato, videlicet poſt Offertorium, eo quod Catechumeni non prohiberentur adeſſe, donec fieret Oblatio, abeſſe vero juberentur, dum reliqua fierent. At vere hoc loco apud eoſdem Miſſam Fidelium incipere crediderim, cum hic incipiant orationes Fidelium, & myſteria, quibus nondum initiati adeſſe non poterant. Ita & Martene de antiquis Eccl. Rit. Tom. 1. pag. 459. Et ſane quæ deinceps fiunt, magis Sacrificio propria cenſentur, quod ab hoc loco cum quibuſdam orationibus inchoatur, quarum prima nomen *Miſſæ* ſortitur, quod non aliunde prorſus ex cauſa ipſi ab antiquis inditum fuiſſe, cenſendum eſt. Nobis in hac ſententia ſuffragatur Daniel Papebrochius in Actis SS. Junii Tom. 5. ad diem 26. pag. 219. §. 4. num. 16., ubi referuntur Miſſæ Ritu Mozarabico de SS. Columba, & Pelagio, ſicut in Libris Miſſalibus antiquis habentur, diſtinctæ a Canone; „ Cum, inquit, titulum *Miſſa* re„ periret Sandovallius (Prudentius Tudenſis primum poſt Pampelonenſis Epiſcopus ex Ordine S. Benedicti, in antiquitatibus Eccleſiæ Tudenſis, quas edidit an. 1610. in 4.) „ in fine paginæ, ſequens autem pagina in„ choaretur ab iis verbis *Præclarum, præcel„ ſumque diem*, non potuit ſibi perſuadere hoc „ eſſe principium, nihil hæſitaturus, ut puto, „ ſi vidiſſet vel Miſſale Gothicum, vel inte„ grum alicujus Mozarabicæ Liturgiæ tenorem, „ qualem ex Robleſii Tractatu comparavimus „ cum Tudenſi MSS., nihil habente eorum, „ quæ ſpectant ad Offertorium, quod totum „ petitur ex ordine communi, neque San„ ctum contingit, neque pars eſt Miſſæ ſtri„ ctæ dictæ, uti patet ex Ordine Romano, „ ubi poſt Oblationem panis, & vini, eo„ que ſpectantia, ſequitur *Præfatio Miſſæ* „ quaſi hic primum incipientis.... Inchoa„ tur ergo Miſſa ſtricte ſumpta non a Præ„ fatione, ſed ab oratione præambula propria „ Sancto, aut tempori, quæ alio titulo non „ inſcribitur, quam *Miſſa*, ſeu incipit Miſſa „ prævio: *Dominus ſit ſemper vobiſcum*, ac „ reſponſo: *Et cum Spiritu tuo*. Hæc Papebrochius, cujus etiam calculo noſtra roboratur ſententia.

Miſſa Fidelium apud Moz. abes quando incipiat.

(2) *Feſtivitatis myſteria contemplentur*) Quod utique facere non poterant Catechumeni, quo etiam noſtra mox dicta confirmatur opinio. De hac monitione ad Populum, quæ *Miſſa* inſcribitur, ita Iſidorus citato lib. 1. de Offic. Eccl. cap. 15. *Prima Oratio*, inquit, *ejuſdem Miſſæ admonitionis erga Populum eſt, ut omnes excitentur ad exorandum Deum*: Porro ſex orationes peculiares in Miſſa Mozarabum indicat Iſidorus; de his infra, quibus ſi addas orationem Dominicam, erunt ſeptem.

(3) *Sedem repetit Deitatis*) Hic eſt locus, quem, ut ſupra diximus, corruperat Elipandus Toletanus pro *aſſumptionis* vocabulo ſubſtituens *adoptionem*, ut ſuam Adoptivorum hæreſim, quam ex Bonoſo, & Neſtorio hauſerat, denuo refricaret; at cum iſtis merito ab Eccleſia damnatus fuit. Porro conſimiles hujuſmodi Sermones ad Populum duos refert ex Miſſali Mozarabo laudatus Papebrochius loco citato, unum de Sancta Eulalia Virg., & Mart. alterum de S. Pelagio Mart. diverſos quidem ſtylo, ſed eleganti, eorumque Author, Pelagii maxime, Leoninam phraſim, non abſimilem a Sermone, quem mox recitat Emin. de Aſcenſione Domini, imitari ſtuduiſſe videtur. Neque ante ſeculum X. hic ſermo exarari potuit; Pelagius enim anno 925. paſſus eſt, ut ex antiquis monumentis tradit Ambroſius Morales in D. Eulogii Mart. Cordubenſis Operibus anno 1572. editis.

Locus quem corruperat Elipandus, ut ſuam Adoptivorum hæreſim refricaret.

(3) Ora-

(4) *Oratio deſinens in hæc verba:*) Hæc eſt ſecunda Oratio, de qua etiam Iſidorus loco citato, & poſt ipſum Etherius, & Beatus lib. contra Elipandum in Bibl. PP. Lugdun. Tom. XIII. pag. 353. *Secunda*, inquit, *invocationis ad Deum eſt, ut clementer ſuſcipiat preces Fidelium, oblationemque eorum.*

(5) *Marci, & Lucæ*) Hoc loco notandum eſt, ait Card. de Aguirre loco ſuperius indicato, In Officio Romano Sanctorum nomina ſubmiſſa voce proferri, ſecus vero in Mozarabico, in quo cum Miſſa canitur, canuntur omnia. Præterea animadvertendum, hæc nomina duorum Diſcipulorum, & Evangeliſtarum *Marci*, ac *Lucæ*, quæ hoc loco ibidem a Mozarabibus cum cæteris Apoſtolis, & Martyribus recitantur, in Canone Romano, nec ante, nec poſt confecrationem recenſeri, forte quia dubium eſt, an fuerint Martyres, ut nonnullis viſum, lege Baronium in notis ad Martyrol. Rom. ſub die 25. Aprilis, & 18. Octobris, cum Romanus Canon nonniſi Martyres admittat, ut ſuo loco & nos dicemus.

(6) *Epiſcoporum Toletanorum*) Primorum etiam, qui Eccleſiæ Toletanæ præfuere, poſtquam e manibus Afrorum eadem Civitas ereпta eſt. Hi ſunt Bernardus, Regmundus, Joannes, Cerebrunus, Gundiſalvus, qui intra ſeculum XII. floruere; Quo vero anno dicti Præſules ſacris hujuſmodi diptychis inſerti fuerint, incompertum eſt, fortaſſe ſub Roderico Simonis, vulgo Ximenez dicto, item Toletano Archiepiſcopo, qui iis proxime ſucceſſit, Rerum Hiſpanicarum, Hiſtoriæ præſertim Gothicæ Scriptore celeberrimo toties ſupra laudato, de quo refert Mariana Hiſt. Hiſp. lib. 12. cap. 12., eumdem in Toleti Urbe templum maximum antiquo diſjecto excitaſſe fabricaſque Eccleſiæ ſuæ conſuetudines renovaſſe. Obiit Rodericus non anno 1245., ut ſcribit Emin. Author ſupra §. 3. ſed anno 1247., ut ex ipſius Epitaphio apud Nicolaum Antonium. Biblioth. Hiſp. vet. lib. 8. cap. 2. num. 24. pag. 35. Tom. 2. quod idem Emin. videre non potuit, utpote poſt ejus obitum edito. Deinde & ipſe Rodericus iiſdem Diptychis Toletanis adſcriptus fuit, ut ex Miſſa de S. Jacobo Apoſtolo ex MSS. Toletano ab Eugenio de Robles edita, quam refert Papebrochius memoratus loco jam indicato pag. 222., qui & ſequentia circa dictum Toletanum Diptychon conſideranda proponit: „ Primo, inquit, occurrit, quod Tabella prima „ cum Apoſtolis deſinat, idque ſignum mihi „ eſt S. Iſidorum ſolos iſtos cum Baptiſta, „ (hunc videlicet Chriſtus ipſe, ut Martyrem „ canonizavit apud Matthæum, & Lucam) „ ejus Patre Zacharia, & Sanctiſs. Regina „ Martyrum voluiſſe in Canone nominatos, „ quamvis non deeſſent alii multi in Hiſpania illuſtres Sancti: Quodque hanc abſtinentiam S. Iſidori reverita poſteritas non auſa „ ſit tabulam illam extendere additis aliis quibuſcumque. In altera vero Tabula *Pauſanium* noto ſolos ſex nominari illuſtriores „ Doctores, quibus pia poſteritas addiderit „ S. Leandrum, ipſumque Sanctum Iſidorum. „ Toletana autem Eccleſia Julianum Epiſcopum, & Patronum ſuum, ac neſcio quem „ Davidem, ſed veroſimiliter de ipſa ſingulariter benemeritum, ex primis fortaſſe Gothis ad Catholicam fidem reductis, potentem tempore Recaredi Regis, cujus liberalitate collapſa ſub Arianis Metropolitana „ Ædes reſtaurata ſit; Ita res manſerit uſque „ ad tempora Saracenorum, qui cum cenſuiſſent Mozarabibus inter ſe manentibus, „ ſed diu Epiſcoporum cura, & ſolatio deſtitutis, tandem unum aliquem indulgendum, qui omnibus in ſuo imperio manentibus conſuleret, Presbyteros ordinando, „ quos alias oportebat furtim inter Gallecos, „ Aſturicesque confecrari pro Eccleſiis libertate ſacrorum ex condicto utentibus, „ conſenſerintque illos ordinari, & Toleti reſidere, ubi ſex ejuſmodi Eccleſiæ erant, „ (uti nos jam ſupra diximus) & plures „ quam alibi uſpiam Chriſtiani. Cum vero „ hi Mozarabum Epiſcopi ſucceſſive excederent e vivis, horum quoque nomina fuerint „ huic Diptycho adſcripta a Juliano II. uſque „ ad Sancium II. incluſive, ſub cujus Succeſſore Ferdinando circa annum 1335. ordinato cum eviluiſſet Ritus Mozarabici dignitas, & in ipſiſmet, quas dixi ſex Parœciis vix amplius retineretur, omiſſa ſit cura „ alios adſcribendi, maxime ſi ipſius exemplum, unde hæc impreſſa ſunt, vetuſtum „ erat, neque plurium nominum capax, qui „ poſſent poni ante nomina octo præcipuorum Benefactorum ibidem jam deſcripto„ rum: neque enim ex illis quiſquam Epiſ„ copus Toleto fuit poſt Sancium II. „ Hæc de Diptycho Toletano ex Robleſio edito Papebrochius.

Toletanorum Epiſcoporum nomina e diptychis recitata in Miſſa apud Mozarabes.

At nos item in eodem nonnulla obſervanda conſpicimus. Primo non omnes Toletani Epiſcopi ibi poſt Gundiſalvum præfatum numerantur, deeſt enim inter Gutherium, & Sancium medius Paſchaſius, uti ex Catalogo eorumdem Præſulum ab Emin. Card. de Aguirre relato Tom. 3. Concil. Hiſp. pag. 67. Secundo deſinere videtur dictum Diptychum non in Sancio II. ut putat Papebrochius, ſed in primo, neque enim alter hujus nominis ibi legitur; & qui poſt Sancium præfatum leguntur in dicto Catalogo, inter Toletanos Primates non recenſentur, & fortaſſe erunt præcipui illius Eccleſiæ Benefactores, ii ſunt Dominicus, Julianus, Philippus, Stephanus, Joannes duo, & Felix. Qui autem iſti fuerint, non liquet. Tertio fallitur Papebrochius in Ferdinando dicens eumdem an. 1335. ordinatum, cum in eodem Elencho. Aguirriano dicatur iſte depoſitus a Nicolao Papa III. an. 1285. niſi dicamus Typographum in numeris conſignandis erraſſe, quod utique credendum, ſub finem quippe Diatribæ de Officio Mozarabico de S. Pelagio loco ſuperius indicato pag. 225. num. 38. idem Papebrochius dicto anno 1285. a morte Sancii II. dictum Ritum Mozarabum fere exoleviſſe fatetur: quare Diptychum iſtud, quod item ex Robleſio cum Miſſa integra S. Jacobi Apoſt. aliiſque ad eumdem Ritum Mozarabum ſpectantibus, denuo edidit laudatus Cardin. de Aguirre dicto Tomo Concil. Hiſp. pag. 275. vergente eodem ſeculo XIII. deſiiſſe dicen-

Quædam notanda circa ipſa Toletana Eccleſiæ diptycha.

dum eſt: Demum quatuor, aut quinque circiter additiones eidem Diptycho ſucceſſive factas fuiſſe conjicio, illa enim particula *item* toties replicata id non obſcure indicat, ſed de Diptychis iterum infra ſuo loco.

(7) *Oratio poſt nomina*) Et hæc eſt tertia oratio, de qua Iſidorus ſupra laudatus: *Tertia*, inquit, *effunditur pro offerentibus, ſive pro defunctis fidelibus, ut per idem Sacrificium veniam conſequantur.*

(8) *Quæ vocatur ad pacem*) Idem Sanctus Iſidorus loco citato: *Quarta*, ait, *poſt hæc infertur pro oſculo pacis, ut omnes charitate invicem reconciliati digni Sacramento Corporis, & Sanguinis Chriſti conſocientur*: Sicque hac oratione petitur a Deo pax, & charitas pro omnibus fidelibus Chriſtianis, ſpeciatim vero pro adſtantibus. Et quoniam fideles antiquitus cum ſacerdote communicabant, ideo ex divino præcepto, quo ante Sacrificium jubemur reconciliari fratribus noſtris, ob eam cauſam antequam fiat conſecratio, & elevatio, pax datur in Miſſa Mozarabum.

(9) *Quam vocant illationem*) Item. S. Iſidorus loco ſæpe citato: *quinta infertur Illatio in ſanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terreſtium creatura, virtutumque Cæleſtium univerſitas provocatur, & Oſanna in excelſis cantatur*: Hæc autem oratio præcedit præcipuam Miſſæ partem, eam nimirum, quæ ad conſecrationem pertinet, eſtque veluti Canon Miſſæ Mozarabicæ.

(10) *Fitque conſecratio*) Quæ quondam his verbis erat concepta: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*: veteri Ambroſianæ conſimilis ab annis ſeptingentis, ſcilicet a Joanne Papa X. ut diximus §. 2. nota 2. & ex ipſius Eccleſiæ Toletanæ veteri monumento MSS. apud Cardin. de Aguirre Concil. Hiſp. Tom. 3. pag. 174. perſpicue conſtat, anno circiter 920. ad Romanam redacta eſt, uti & forma ſequens pro vini conſecratione, quæ olim ita erat: *Hic eſt Calix novi Teſtamenti in meo Sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*: In ea tamen retinenda Conſecrationis formula ab Apoſtolica Sede ipſis tradita non admodum propoſiti tenaces extitere Mozarabes, quin & ſenſim aliquot ſeculorum decurſu ad primævam redierint, ſiquidem in Concilio Toletano ſub Joanne II. illius Eccleſiæ Archiepiſcopo Hiſpaniarum Primate anno 1323. celebrato cap. XIV. de *celebratione Miſſarum* num. 32. apud dictum Card. de Aguirre loco citato pag. 573. hæc ibi habentur: *Forma vero in Conſecratione Corporis ſervanda eſt iſta: Hoc eſt enim Corpus meum. Poſt quæ verba cum devotione, & humilitate erigatur; forma autem conſecrationis Sanguinis eſt: Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, &c.* Ut in Miſſali Romano.

Forma conſecrationis antiqua apud Mozarabes veteri Ambroſianæ conſimilis.

Poſtea cum Romana commutata, illiſque uniformis reddita.

Hanc autem formulam non alia de cauſa ſervandam præſcripſere hac in Synodo Toletani Patres, niſi quia prior antiqua iterum apud Mozarabes ſervabatur. Et licet verba Conſecrationis utriuſque veteris, & novæ in ſubſtantia, & ſignificatione coincidant, cum utrobique ex Evangelio deſumpta ſint; tamen ut apud omnes uniformitas cum Eccleſia Romana ſervaretur, id ſtatuendum dicti Patres judicarunt. Hinc apud Robleſium in Miſſa S. Jacobi pag. 335. hæc verba ad marginem antiquæ apud Mozarabes conſecrandi formæ appoſita leguntur: *Forma iſta conſecrationis ponitur, ne antiquitas ignoretur, ſed hodie ſervatur Eccleſiæ traditio*: Vide Cardin. Aguirrium loco ſuperius citato, ſcilicet Tom. 3. Concil. Hiſp. pag. 205., & ex ipſo Pinium in ſuo Tract. de Liturg. antiqu. Hiſp. pag. XC. num. 456. in fine, ubi de dicta Mozarabum formula conſecrationis agitur. Porro dum conſecrat Sacerdos populo hoſtiam, deinde calicem exhibet amiculo, ſeu velo coopertum, juxta veterem Toletanæ Eccleſiæ uſum dicens: *quotieſcumque manducaveritis*, dum exhibetur hoſtiam, dum vero calix, *biberitis, hoc facite in meam commemorationem*, hiſque reſpondetur *Amen* alta voce, ſi feſtum minus ſolemne fuerit, ſin magis, ſubmiſſa.

(11) *Et elevatio*) Joannes Lazarielus Monachus Cæleſtinus in Epitome univerſalis Hiſtoriæ mentionem facit hujus ſacrificandi Ritus, ſed paucis, ubi illud addit, quod quando levatur Euchariſtia, Diaconus alta voce cantat *Videte, in quem creditis*; at hoc in Hiſpaniis non obſervatur. Ita Pamelius Liturg. Tom. 1. pag. 649., & ex ipſo Card. de Aguirre Concil. Hiſp. Tom. 3. pag. 260. qui quamvis hanc adnotationem ex Pamelio deſumpſerit, illius tamen non meminit.

(12) *Oratio, quæ dicitur poſt Pridie*) Hæc Oratio eſt ſexta, ait enim Iſidorus loco ſæpius citato: *Porro exhinc ſexta ſuccedit, confirmatio Sacramenti, ut oblatio, quæ Domino offertur, ſanctificata per Spiritum Sanctum Corpori Chriſti, & Sanguini confirmetur*: Dicitur hæc Oratio in elevatione Sacramenti, atque in pleriſque convenit cum illa, quæ in noſtro Canone Romano habetur: *Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas &c.* Hæc autem Oratio, ut optime notat Pinius in Miſſali Mozarabico, proprium locum, nomen, & uſum habet, atque adeo ne ipſa ſupponat nomen, quod ibi non fuit, illud *pridie* aliquando eam præceſſerit, oportet; ac proinde cum illa expreſſio ibi jam non legatur, conſequens eſt, ut mutatio quædam, vel omiſſio facta fuerit. Porro hæc eadem ſexta Oratio vocatur in Miſſali Gothico pleriſque locis *Poſt ſecreta*, nos Canonem appellamus. Ex hujuſmodi autem Canonica prece, quæ hanc ſextam Orationem præibat, quæ etiam, ut inquit Cardinalis noſter, diverſa erat pro diverſitate Miſſarum, conſtat plane, quod præter Miſſas juxta motem, ſeu ut dicimus de communi, extendi ſolitas in Miſſali, erat in ſeparato, ut arbitror, Codice Ordo precum, ſeu Canon, qui nonniſi in ſolemnioribus diebus mutationem patiebatur, ut ex Vigilii verbis ad Profuturum dignoſcitur: *ut charitas tua*, inquit, *cognoſcat, quibus locis aliqua feſtivitatibus apta connectes, Paſchalis diei preces ſimiliter adjecimus*: quemadmodum in Romano noſtro Canone habemus *Communicantes, & Hanc igitur oblationem*, quæ in præcipuis feſtis variæ ſunt.

Quid Confirmatio Sacramenti apud Mozarabes.

Hæc vero mutatio, ſi quando pro ſolemnitate contingebat, ante *qui pridie* fiebat, uti patet ex Miſſali Gothico pleriſque locis. Pera-

ta autem hujuſmodi Canonica prece, qua Corpus, & Sanguis Chriſti conſecrabatur, ſequebatur *poſt pridie*, ſeu confirmatio Sacramenti, ut eam vocat Iſidorus. Sacerdos deinde dum Calici immittit Euchariſtiam, recitat antiphonam, quæ *ad confractionem* dicitur, hinc hoſtiam poſtremam elevat, non elevato tamen calice juxta veterem dictæ Eccleſiæ Toletanæ conſuetudinem. In memorata porro Oratione ſexta *poſt pridie* dicta deſinunt in Liturgia Mozarabum orationes peculiares nomine, numero, atque officio diſtinctæ, ut ſupra recenſuimus; quibus ſi cum eodem S. Iſidoro de Offic. Eccl. lib. 1. cap. 15. ut dictum eſt, nota 2. addas Orationem Dominicam, quæ ex præſcripto Concilii Toletani III. can. 2. poſt ſymbolum, de quo infra, dici debet, jam non ſex tantum, ſed ſeptem erunt hujuſmodi Orationes. *Harum ultima*, inquit ibi laudatus Hiſpalenſis Præſul, *eſt Oratio, quam Dominus noſter orare diſcipulos ſuos inſtituit, dicens: Pater noſter, qui es in Cœlis &c.* In cujus orationis petitiones poſtquam nonnulla diſſerverit Hiſpanus Doctor ſanctiſſimus, mox ita concludit: *Hæ ſunt itaque ſeptem ſacrificii orationes commendatæ Apoſtolica, Evangelicaque doctrina, cujus numeri ratio inſtituta videtur, vel propter ſeptenariam Sanctæ Eccleſiæ univerſitatem, vel propter ſeptiformem gratiæ Spiritum, cujus dono ea, quæ offeruntur, ſanctificantur.*

(13) *Credimus in unum Deum &c.*) Sane, ut ait Eugenius Robleſius in expoſitione hujus Miſſæ, iſte eſt locus admodum proprius ad fidem profitendam cum adoratione veri Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & notandum, quod quia multi ſimul ſymbolum recitant, ideo dicunt *Credimus*, non *credo*, ſicuti in ordine Romano. Hoc autem ſymbolum eſt Conſtantinopolitanum, ut infra lib. 2. cap. 8. §. 2. demonſtratur. Cæterum hoc loco cuipiam fortaſſe mirandum ſuberit, quod Sanctus Iſidorus loco ſæpius indicato ſic dicat: *Symbolum, quod tempore Sacrificii populo prædicatur, Sanctorum Patrum trecentorum decem, & octo collatione apud Synodum Nicænam eſt editum, cujus vero fidei regula &c. Et per hoc univerſis Eccleſiis pari confeſſione a populo proclamatur*: Et tamen multo ante Iſidorum præfatum Concilium Toletanum III. præſcripſerat: *ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, vel Galliciæ ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum Concilii Conſtantinopolitani, hoc eſt centum quinquaginta Epiſcoporum Symbolum fidei recitetur*: Verum cum utrumque Symbolum paſſim confundant Patres, & antiqui Scriptores, ut Emin. noſter infra loco mox citato obſervat, idem ferme Symbolum iiſdem placuit nunc Nicænum, nunc Conſtantinopolitanum appellare. Legeſis Franciſcum Pagium Breviar. Geſt. Pontif. in Damaſo nu. 17., & ſeq. ubi id clare ex Chriſtiano Lupo, aliiſque dilucidat. Hiſpaniarum Eccleſiæ, inquit, quæ a Gothis, Arianis, Wandalis, & Suevis pervaſæ, & poſſeſſæ, ſicuti trinam baptiſmatis merſionem in unicam, ita Apoſtolicum Symbolum in Nicænum mutaverunt, ideſt Conſtantinopolitanum, ut clare habetur in tertia Synodo Toletana, (de qua mox ſta mentio) an. 589. celebrata, in qua conſilio Recaredi Hiſpaniarum Regis ſtatuitur: *ut per omnes &c.* Porro Eugenius Robleſius præfatus non Conſtantinopolitanum, ſed Apoſtolorum Symbolum recitari ait in Miſſa Mozarabum, & fortaſſe ad libitum Sacerdotis alterutrum dicitur. Symbolo recitato, vel dum in Choro illud abſolvitur, celebrans frangit Hoſtiam, & Patenæ ſuperimponit, neque tantum in tres partes eam dividit, ut in Ordine Romano, ſed in novem diſpeſcit ſecundum præcipua novem fidei noſtræ myſteria in Symbolo contenta; dumque ſingulas partes frangit, ad earum quamlibet quædam verba myſterii plena profert, illaſque ordine ab Emin. deſcripto diſponit.

Symbolum in Miſſa Mozarabum ad elevationem Sacramenti ab omnibus clara voce recitatum.

Quoad hanc Hoſtiæ in novem partes diviſionem apud Mozarabes, cum præclariſſimi, & eximii Scriptores Liturgiam veterem Hiſpanicam, ſeu Gothicam, poſtquam illam reſtauravit Card. Ximenius, doctis ſuis commentariis illuſtrarint, duo ſcilicet alii, non minus inſignes Cardinales Bona, & Aguirrius, par Monaſtici Ordinis decus; Item Mabillonius, Martenius, Brunus, Pinius, aliique non infimi ſubſellii viri, Galli præcipue, qui etſi Gallicanam antiquam eorum Liturgiam in Hiſpanias inferre totis viribus enixi, non tamen quidquam circa ipſam fractionem reponunt, quin & Mabillonius de eadem diſſerit in ſua Liturgia Gallicana lib. 1. c. 2. nu. 12. c. 4. nu. 3., & ſeqq., item in Appendice pag. 440., ubi integram refert Miſſam ex Mozarabico Ritu, ac pag. 450. ejuſdem fractionis in novem partes rubricam tradit, de qua etiam loquitur Comment. præv. in Ord. Rom. pag. LXXXVII. noviſſime, item doctiſſimus Card. Proſper Lambertinus Archiepiſcopus Bononienſis, nunc Benedictus XIV. in ſuis Adnotationibus de Sacrificio Miſſæ partu IV. ſect. 2. nu. 322. ubi & dictam apud Mozarabes in novem partes diviſionem memorat; nec uſpiam illi notam aliquam ex adverſo figunt. Unicus, quem ſciam noviſſimus Scriptor, vir alioquin rerum etiam Liturgicarum non ignarus Cajetanus Cennius Vaticanæ Baſilicæ Presb. Benefic. nobis ſupra laudatus Tom. 2. ſuæ Antiq. Eccl. Hiſp. Diſſert. 7. num. 10. adverſus eam reclamat his verbis. „ Nullum omnino veſtigium occurrit uſ- „ quam Hoſtiæ in novem partes diviſæ cum „ iis nominibus *Corporatio, Nativitas &c.* quæ „ viſuntur in Miſſali Mozarabo, multo au- „ tem minus poſtremæ illarum novem Re- „ gnum in Calicem emiſſæ, cujus rei teſtes „ adhibeo integerrimos Libros S. Iſidori de „ Officiis Eccl. & Codicem veterem Canonum „ ab eodem Iſidoro collectorum (quem ipſe Cennius Tom. 1. dictæ ſuæ antiquit. edidit) Deinde loqui proſequens de hac Miſſa, eam plane diverſam ponit ab ea, quam deſcribunt Iſidorus loco cit. de Offic. cap. 15., & laudatus Codex Canonum lib. 4. tit. 10., & 15. mox de eadem Hoſtiæ partitione iterum diſſerens „: Diviſio illa, inquit, in tot particulas, „ utpote Romanæ contrariam nulloque hæ- „ rentem veſtigio priſci moris rejecimus. „ Quid enim? Rem tanti momenti ſibi ali- „ quis finxerit? Mihi certe non contigit fra- „ ctionis hujuſmodi exemplum ullibi reperire;

Hoſtiæ fractio in novem partes apud Mozarabes.

Hanc antiquit omnibus ignotam mendose quidam nos inerudita Scriptor affirmat.

„ Liturgias tum Græcas, tum Latinas vete-
„ res, recenteſque ſpectavi omnes, mecum-
„ que ſtatuere tandem debui, quod ſingularis
„ hic Ritus, quam neque ulla Liturgia do-
„ cuit, neque ulla imitata eſt, in Miſſali
„ tantum Mozarabico extat, cumque nihil
„ pugnet cum dogmate, a Pontificibus Ro-
„ manis toleratur &c. Neque huic tantum Hoſtiæ diviſioni apud Mozarabes, ſed & toti eorum Ritui parum æquus Cennius, ne dicam infenſus, quodve mirandum, vir dudum Hiſpano S. R. E. Principi familiaris, ejuſque Bibliothecarius, ac nationi Hiſpanicæ pluribus devinctus, his nihilominus verbis ibidem dictum Miſſæ ordinem aggreditur pag. 353. „ Quid vero hiſce immoror? Mozarabicus „ Ritus omnino ignotus Patribus, Conciliis, „ ſcriptoribuſque antiquis quibuſvis, tolera- „ tus tamen a Romano Pontifice, ipſe ſibi „ notus, ſuique interpres eſt „. Ita recens Hiſpanicæ Eccl. Antiquit. Hiſtoricus, primuſque Mozarabum Ariſtarchus, & Antagoniſta. Mea non intereſt hoc loci illi ad ſingula in contrarium objecta reſpondere; videant id Toletani hujus Ritus Sodales, quibus onus iſtud incumberet. Cæterum ne vindicias utcumque tranſiliam, hæc eidem reponenda cenſerem.

Et primo Mozarabicum Ritum non eſſe omnino ignotum Patribus, Conciliis, Scriptoribuſque antiquis ſatis ſuperque, & unus pro mille teſtatur Carolus Calvus Imperator, qui ſeculo nono regnavit, in Epiſtola ad Clerum Ravennatem de qua Card. noſter infra cap. ſeqq. §. 5. ubi narrat juſſiſſe coram ſe Miſſam more Toletano celebrari his verbis: *ex partibus Toletanæ Eccleſiæ ad nos venientes* (Presbyteri) *ſecundum morem ipſius Eccleſiæ coram nobis ſacra Miſſarum ſolemnia celebrarunt*: Quæ autem Miſſa more Toletano celebrata, niſi Miſſa Mozarabica? Et ſane, inquit Mabillonius de Liturgia Gallic. lib. 1. cap. 4. num. 9. Elipandus Toletanus Epiſc. in Epiſtola ad Albinum, ſeu Alcuinum Toletanos Sanctos Patres agnoſcit Miſſarum Mozarabicarum Authores, in his Iſidorum, ſignanter vero Eugenium, Ildefonſum, & Julianum exprimit Libellus, quem confutant Patres Concilii Francofurdienſis apud eumdem Alcuinum, uti & a nobis ſupra ſuo loco dictum eſt. Non ergo omnino ignotus Patribus Ritus iſte, uti perperam ait Cennius, cum de eodem jam a ſeculo ſeptimo hujuſmodi habeantur teſtimonia; Deinde quoad dictam Hoſtiæ in novem partes diviſionem, cum varia ex Liturgia Orientali in Hiſpanicam translata fuiſſe pluribus, ut ſupra dictum eſt, oſtendat Pinius laudata Diſſert. de Liturgia antiq. Hiſp. cap. 2. §. 3. num. 83. & ſeqq. præſertim ſeculo ineunte ſexto Martini Dumienſis opera, de quo circa reſtauratam ab ipſo in Hiſpania Liturgiam, notat Garcias Loaiſa apud Labbeum Concil. Tom. 5 col. 902. *Græcus homo* (non gente, ſed inſtitutis) *ad mores noſtrorum hominum græcas Ritus ſancte, & prudenter accommodavit*; Item a Leandro Hiſpalenſi nonnulla ex Liturgia Conſtantinopolitana, aliarumque Orientis Eccleſiarum in Hiſpaniam translata clare dignoſcitur, tum ex Gregorii Magni, ipſius dum ſimul eſſent Conſtantinopoli, amiciſſimi litteris ultro, citroque datis, tum ex Sanctiſſimi Pontificis Epiſt. 63. ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum, quam dictus Pinius loco citato refert, ubi *ſi quid boni vel ipſa, vel altera Eccleſia habet*, imitari hortatur; quod eidem Leandro pluximum cauſæ fuit, ut juxta Gregorii verba *conſuetudines novas, & utiles, in quibus*, inquit, *alios comprobamur imitari, conſtituerit*; præcipue cum de Hoſtiæ in tot non plures, aut pauciores partes diviſione, nullum extet Chriſti Domini præceptum, idque idem Salvator noſter Eccleſiæ ſponſæ ſuæ dilectæ pro ipſius libito diſponendum reliquerit, ut Auguſtinus celebri Epiſt. ad Januarium olim 118. nunc 54. ubi loquens de modo, & ordine ſumendæ Euchariſtiæ ait, *Ideo non præcepit* (Chriſtus Dominus) *quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum, nam ſi hoc ille monuiſſet ..... credo quod eum morem nemo variaſſet*.

Qui tamen refellitur, & ab hac nota Mozarabum Miſſa vindicatur.

Quin etiam hujuſmodi Hoſtiæ partitio apud fere omnes Theologos, ut infra ſuis locis dicetur, non cenſetur de ſubſtantia Sacrificii, quemadmodum id etiam contra Melchiorem Canum de locis Theol. lib. 12. cap. 13. firmat Joannes Baptiſta Scortia de Miſſæ Sacrificio lib. 1. cap. 5. & lib. 4. cap. 24. ſed omnino accidentalis, tum ex D. Thoma 3. parte quæſt. 83. art. 6. ad 6., tum quia non fit in omnibus Liturgiis, v. g. in Liturgia Baſilii (inquit dictus Scortia, qui tamen hallucinatur; in Baſilii enim Anaphora, ut notat Grancolas antiq. Liturg. pag. 182. Sacerdos poſtquam dixit *Pax vobis*, & populus reſpondit, *& cum ſpiritu tuo*, ſacratum Panem frangit, ejuſque partem in Calicem mittit) in omnibus item Liturgiis non fit eodem prorſus modo.

Hoſtiæ diviſio in partes communiter apud Theologos non de ſubſtantia Sacrificii, ſed illi accidentalis.

Hinc ſi non ſine myſterio, ut infra lib. 2. cap. 5. §. 2. videbitur, Indi, ſeu Malabares Chriſtiani S. Thomæ dicti, uti ex Synodo Diamperienſi, Alexii Meneſii Archiep. Goani apud ipſos celebrata an. 1599. in duas partes, Latini in tres, Græci hodierno Ritu in quatuor Hoſtiam dividunt, qui & in novem, portiones diſtributam conſecrant, ut dictus Grancolas loco citato pag. 667. ſcribit, eaſque ſic dividi in honorem Chriſti Domini, & Sanctorum, quod non obſcure indicat Dionyſius Areopag. Eccl. Hier. cap. 3. §. 13. iis verbis: *Pontifex obtecta munera in apertum producit, ipſorumque unitatem in plura dividit*: *Panem* ſcilicet, ut alii vertunt, *qui opertus erat, & indiviſus, ſecto .... ſymbolice unitatem multiplicat, & diſtribuit*: atque ita in plures particulas ſacrum panem in Miſſa fractum apud Conſtantinopolitas narrat Evagrius Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 35. qui & ſubdit, quod ſi plures Sanctarum incorrupti Corporis Chriſti particularum ſupereſſent, incorrupti pueri accerſerentur, qui eas conſumerent; atque hac de re legendus Gabriel Philadelphienſis Opuſc. de Particulis, & ad ipſum notas Ricardi Simonii pag. 247. & ſeqq. mirum profecto non eſt, quod propter Myſteria Corporationis, Nativitatis, Circumciſionis, Apparitionis, Paſ-

Eadem hujuſmodi Hoſtiæ partitio apud Mozarabes non ſine myſterio.

Passionis, Mortis, Resurrectionis, Gloriæ, Regni Domini Nostri Jesu Christi, quæ per dictam in novem partes fractionem exprimunt Mozarabes, vel propter novem præcipuos fidei articulos in Symbolo ab ipsis sub confirmationem Sacramenti recitato iidem in novem etiam portiones Hostiam dividant, quia etiam, ut subdit Brunus Explic. Missæ Tom. 1. par. 5. art. 3. in fine Sacerdos hoc Ritu significat se omnia Christi mysteria celebrare, dum Missam celebrat. Neque improbabile, quod ut aliarum, quas memoravimus Ecclesiarum Ritus, Indorum scilicet, qui in duas, Latinorum, qui in tres, & Græcorum, qui in quatuor portiones Hostiam partiuntur, quæ omnes simul in novem consurgunt, unica actione complecterentur, veteres Hispani Patres in novem sectiones eamdem dividi statuerent, fortasse in Concil. Toletano sec. VII. can. 6. ubi dicitur: *Particulatim unicuique Discipulorum fumendum se contradidit* (Christus Dominus) *quod & nos in posmodum facturos edocuit.*

Cæterum, quando fractionis hujusmodi disciplina ad Mozarabicum Ritum accesserit, ignotum quidem est, at ex eo ampliſſimam fore deducitur, quod ejus origo ignoretur, cum in Ecclesiasticis Ritibus investigandis passim comprobarum experiamur essatum Conc. VI. Tolet. Can. 6. nempe *longinquitate sæpe fieri temporis, ut non pateat ratio originis*: quod utique admittendum, nisi velimus, quod absit, cum nonnullis intemperantioribus hypercriticis particularium Ecclesiarum disciplinæ, ac Rituum diu observatas traditiones, & consuetudines abjicere, quæ licet ab Ecclesia Romana omnium matre, ac magistra mutabiles sint, dum tamen ex ipsius indulto observantur, recte observantur. In hanc rem, inquit Ricardus Simon loco cit. „ Gregorius Magnus „ in Epist. ad Januarium ita Ecclesiæ suæ con„ suetudinem memorat, ut aliarum Ecclesia„ rum consuetudo non rejiciatur, & in id „ quoque alii Patres conspirant „: Non itaque ex hoc reprobanda erit consuetudo, quæ in usum Mozarabum transiit, Hostiam in novem partes dividendi, quod solo traditionis nomine constabiliatur, alioquin plures hujusmodi Rituum consuetudines, quæ in variis Ecclesiis legitime introductæ sunt, aspernandæ erunt, quod, quam absurdum foret, ipse Cennius memoratus judicet. Lege supra c. 6. & quæ ad ipsum notata sunt §. 1., & 2.

Hinc ex eo antiquissima, dicitur quod non pateat ratio originis.

Et sane non obstantibus, quæ opponit Cennius, usitatam priscis seculis fuisse Mozarabum Missam cum hac partitione, expresse testatur Card. Aguirrius Tom. 3. Concil. Hisp. pag. 258. qui & pag. 261. ex Eugenio Robletio Toletano, Doctore Francisco a Pisa, Joanne a Marieta Ord. Præd. aliisque viris doctis, inquit num. 15. „ Cum nemo possit „ ullius Officii vetustatem inficiari, quippe „ cum jam nongenti anni numerentur, si a „ Divi Isidori, & IV. Concilii Toletani fu„ matur exordium, cumque nemo sit, qui „ de illius tum pietate, tum authoritate, am„ bigat, cum a Sanctis institutum, ab iisdem „ provectum, miraculisque fuerit confirma„ tum; nemini etiam dubium est, quin illud „ Summi Pontifices, Ecclesiæque Præsules „ suis approbationibus, & ratihabitionibus sta„ bilierint, atque firmarint „ Plures deinde enumerat Romanos Pontifices, qui idem officium laudarunt, inter quos duobus abhinc seculis Julius Papa II. anno 1508. & 1512. cujus duo diplomata in confirmationem restaurationis Mozarabici officii affert Pinius cap. 8. suæ memoratæ Dissertationis Liturgicæ Hisp. §. 3. & 4., in quorum 1. hæc inquit Pontifex: *Admonet nos Cura Pastoralis . . . . . ut ad illa nostræ considerationis aciem convertamus, per quæ &c. Et his quæ propterea provide processisse noscuntur, ut firma, perpetua, & illibata persistant, cum a nobis petitur, Apostolici muniminis præsidium perpensus impertimur*: deinde quoad officium Mozarabum, eorumque Ritum, loquens de Card. Ximenio Archiepiscopo Toletano, qui eumdem ordinem Gothicum renovari, confervari, & per Apostolicam Sedem confirmari postulabat, subdit: *provide considerans, quod officium divinum Mozarabe nuncupatum . . . . . antiquissimum, & magnæ devotionis erat, crescente hominum malitia pluvimum fuerat diminutum &c.* post nonnulla in illius laudem, ejusdem restitutioni per dictum Cardinalem factæ firmitatis Apostolicæ robur adjicit. Non ergo *a Pontificibus Romanis toleratur* tantum, ut in Hispanum officium minus æquus aurumat Cennius, sed ab ipsis plene conceditur, & indulgetur. Recenfentur item apud dictum Card. Aguirrium loco cit. pag. 270. quamplures eximii Præsules, Principes, ac Reges, aliique clarissimi viri doctrina, & religione insignes, qui Missam Mozarabicam vel scriptis illustrarunt, vel sua præsentia honorantes approbarunt, quorum certe testimonio Cennius non tolerandæ profecto audaciæ ab Hispanis omnibus argui potest.

Cum dictum Officium Mozarabicum non toleratum tantum, sed a Summis Pontificibus valde commendatum, & confirmatum fuerit.

Ideoque non obstant clar. Cennii oppositiones.

Præterea haud ignorum Patribus, & sane antiquissimum esse hunc Mozarabum Ritum non obscure indicat revelatio ostensa cuidam Eldephonso Episcopo in Hispania, quam refert Mabillonius ad calcem suæ Dissertationis de Azymo, & fermentato, de quo item infra. Hæc dicitur accidisse ann. 845. & licet eam pluribus argumentis Cardinalis nostet infra cap. 23. §. XI. inter fabulas collocet, Mabillonius tamen ipsam non adeo spernit, quin aliquam mereri fidem autumet „ non tamen, „ inquit, „ visum est penitus rejiciendum (dicum Opuscului) tum ob Authoris antiquitatem, tum ob quasdam res singulares, „ quæ in eo explicantur, tum denique ob inopiam veterum Authorum, qui de hoc argumento scripserint „. Hic itaque Eldephonsus qualiscumque fit hæc de memorata in novem Hostiæ partes divisione ibi in dicto suo Opuscule habet. Et primo fumens exemplum ex veteri Testamento: *Intuemini*, inquit, *justa fluvium Chobar Ezechielem Prophetam colloquentem, & colloquentem apud quinque vetas, & animalia*: Ex his simul sumptis conspicis novem exurgere: Deinde paulo post: *Offerendi sunt panes . . . . . ad significandum Angelicum Chorum . . . . quia novem sunt Ordines Angelorum*: & proprie quidem aptissimeque conveniens, cum enim in Eucharistia panem Angelorum

Præterea item non ignotum antiquis fuisse, hanc obscure indicat revelatio cuidam Eldephonso Hispaniensi Episcopo apud Mabillonium.

Ubi hæc Mozarabica Hostiæ partitio commentatur ad significandum novem Ordines Angelorum.

gelorum manducet homo, indeque ipſa ex Patribus ab Eccleſia panis Angelicus dicta ſit, ut eorum etiam memoriam, ac ordines exprimat Mozarabum Sacerdos, io oovem partes Hoſtiam pie, ac non incongrue dividit, & diſponit. Licet autem Mabillonius de Liturgia Gallicana loco ſupracit. in hoc libello non indicari morem tunc uſitatum, ſed viſum ipſius Eldephonſi de novo illo Ritu exiſtimet; illum tamen etſi clare idem oon exprimat, non vere negat, quin potius dictum morem Hoſtiam in novem partes Ritu Gothico divideodi uſurparum ſupponere, ex mox allatis colligitur, & viſionem, non Hoſtiæ in Miſſa fractionem hujuſmodi, quam uti de re nota filet, reſpicere, ſed modum eamdem diſponendi, numerum, & pondus plurium hoſtiarum, quæ per varias anni ſolemnitates offerendæ ſunt, deſignare.

Ac proinde eadem non nova in Hiſpania, ſed jam a ſeculo IX. nota.

Utut autem ſit de dicto opuſculo, hoc certe ex ipſo deprehenditur Novenarii numeri myſterium in Hoſtiæ partitione non novum eſſe in Hiſpania, ſed jam a ſeculo nono indicatum, ut dictum eſt, ad *ſignificandum Angelicum Chorum*. Et ſane ut præteream quæ de hujus Mozarabici Ritus approbatione per Alexandrum II. Pont. Max. facta ſeculo X. refert Card. Aguirrius Concil. Hiſp. Tom. 3. pag. 174. & ex eodem Pinius laudata ſua Diſſert. de Liturg. antiq. Hiſp. cap. 5. §. 2. Guitmundus Epiſcopus Averſanus, qui ſeculo XI. floruit, meminit, ut ſupra diximus §. 1. in fine, cujuſdam Miſſalis Hiſpani, *quod dicunt*, inquit, *ſanctum dictaſſe Iſidorum*; quod utique non aliud, niſi Gothicum, ſeu Mozarabicum eſt, idemque maxime quoad Hoſtiæ novenariam partitionem jam ab eo tempore obſervatum ſatis innuit Jacobus a Vitriaco celebris ſeculi XIII. Scriptor Roderico Toletano Archiepiſcopo, rerumque Hiſpanicarum Hiſtorico, de quo ſupra, coævus, ex Canonico Regul., & Epiſcopo Acconenſi S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, vir doctrina, & Sanctitate illuſtris in ſua Hiſtoria Orientali, qua Latinæ Eccleſiæ per Europam, variaſque ejus regiones ſtatum, ac diſciplinam in conficiendis, adminiſtrandiſque Sacramentis narrat, ac ſolide pertractat; in ea igitur cap. 81. ait Chriſtianos: qui in Africa, & in Hiſpania ſuo tempore, ideſt dicto ſeculo XIII. verſabantur, *Mozarabes* nuncupatos hujuſmodi Euchariſtiæ fractionem in Miſſa adhibuiſſe: *Conſtituunt autem*, inquit, *Sacramentum Altaris de Pane azymo, quemadmodum alii Latini; Sanctam autem Euchariſtiæ formam quidam eorum in ſeptem partes dividunt, alii vero in novem, cum tamen Romana Eccleſia, & alii eidem ſubjecti ipſam Euchariſtiam in tres tantum portiones partiuntur.*

Ex his omnibus videat cl. Cennius, an diviſio iſta Euchariſtiæ in tot particulas, utpote Romanæ contraria, nullo vere hæreat veſtigio priſci moris, ac proinde, ut ipſe ait, rejicienda, quia ſibi noo contigit fractionis hujuſmodi exemplum ullibi reperire, cum jam pridem a quinque, & ultra ſeculis, non tunc cœptam, ſed antea in Africana Eccleſia uſitatam teſtetur laudatus Card. Jacobus a Vitriaco. Non itaque hic Euchariſticæ diviſionis Ritus, recens inventum eſt nuper a Card. Ximenio invectum, ac Miſſali Mozarabico ipſius juſſu edito appoſitum, ſed ſacram hanc cæremoniam cum ordine Gothico, quem e venerandæ Antiquitatis tumulis ſuſcitatum eruit, & ne Liturgicum hoc tantæ conſiderationis monumentum omnino interiret, quemadmodum illud in veteribus membranis deſcriptum reperit, nonnullis demptis, atque additis ex Romano Ritu, ut infra dicetur, laudatus Toletanus Antiſtes priſtino uſui reſtituendum curavit. Quare non eſt cur adverſus ipſum reclamet Cennius, qui poterat ab hujuſmodi cenſura abſtinere; ſed reliqua ad id ſpectantia proſequamur.

(14) *Et Defunctis præſletur ad requiem*) In Paſchate, Pentecoſte, & feſto Sanctiſſimi Sacramenti Sacerdos hanc particulam tenens, cui nomen, *Regnum*, ter alta voce dicit: *Vicit Leo de Tribu Juda Radix David*, reſpondente ad ſingulas vices Choro: *qui ſedes ſuper Cherubim Radix David Alleluja*: Hac porro oratione apud Mozarabes, ſicut & in Miſſis, quas habent Defunctorum proprias, & alibi Catholicum Dogma de ſuffragiis Defunctorum contra Sectarios perſpicue commendatur.

(15) *Humiliate vos ad benedictionem*) De hac benedictione extat Cao. 18. Concil. IV. Toletani videlicet, ut *poſt orationem Dominicam, & conjunctionem panis, & Calicis benedictio in populum ſequatur, & tunc demum Corporis, & Sanguinis Domini Sacramentum ſumatur*. Quæ etiam beoedictio pariter diverſa juxta temporis, ac diei feſti opportunitatem populo impertiebatur, uti in Miſſali Gothico habetur. *Benedictio populi*, quam ne quis Sacerdos loco moveret, ex dicto Concilio cautum eſt.

(16) *Perpendant quem cibum ſint ſuſcepturi*) Dum fit communio, Populus interim cantat: *Guſtate, & videte quam ſuavis eſt Dominus, Alleluja, Alleluja*: In Miſſis Defunctorum, & Quadrageſimæ: *Qui venit ad me, non eſuriet &c.*

(17) *Cæteraſque per ordinem*) Dicendo, ut ex Eugenio Robleſio notant Card. de Aguirre, & Joannes Pinius, pias aliquot orationes, videlicet ad Chriſti Domini Corpus: *Ave in ævum Sanctiſſima Chriſti Caro, in perpetuum ſumma dulcedo*: & percutiens ter pectus dicit: *Domine non ſum dignus*: ad Calicem vero dicit: *Ave in ævum cæleſtis potus, qui mihi ante omnia, & ſuper omnia dulcis es.*

(18) *Alleluja, Alleluja*) In cujus locum tempore Quadrageſimæ, & in Miſſis Defunctorum ſubſtituitur iſta: *Repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione*: quæ quidem præ ſe ferunt quamdam gratiarum Actionem, ob ſuſceptum Chriſti Domini Corpus, & Sanguinem.

(19) *Reſpondetur Deo gratias*) In feſtis autem minus ſolemnibus ait: *Miſſa acta eſt in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti proficiamus cum pace.*

(20) *Miſſale mixtum nuncupavit*) Ideſt ex Gothico, Romano, & Gallico; ex his enim tribus Ritibus dictum Miſſale conflatum eſſe non ſine fundamento conjicit laudatus Cennius loco ſuprac. Diſſert. 7. nu. 6. & ſeqq. Præter

ter hucuſque deſcriptas qualeſcumque notas in Miſſam Mozarabum plura adhuc forent obſervanda, ſed cum laudatus Eugenius Robleſius apud Card. de Aguirre loco citato, & Joannes Pinius Soc. Jeſu ferme omnia, quæ dici poſſent eruditiſſimis Diſſertationibus hac de re editis, ut diximus, fuſe, & luculenter expenderint, Pinius præſertim, cap. 9. §. 9. & ſeqq. eapropter illis quidquam addere, ſupervacaneum fortaſſe exiſtimabitur; nihilominus, quæ ſequuntur, ſubdere, nonnulla ab iis intacta viſum eſto. Et quidem Edmundus Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. pag. 470. in fine Ordinis Mozarabici, quem refert, obſervat, quod in omnibus Mozarabum Miſſis hæc ſunt propria, videlicet Officium, ſeu Introitus, Oratio poſt *Gloria in excelſis*, Lectio veteris Teſtamenti, Lectio Evangelii, Laus, ſive Lauda, hoc eſt Alleluja cum uno verſiculo, Sacrificium, quod Offertorium dicitur, ut habet inſcriptio Dominicæ ſecundæ Adventus, Oratio *Miſſa* inſcripta cum ſubſequenti Oratione, Oratio poſt *nomina*, Oratio *ad pacem*, Inlatio, ſeu Præfatio, Oratio poſt *Sanctus*, Oratio poſt *Pridie*, Præfatio Orationis Dominicæ, Benedictio, Communio, & Oratio poſt Communionem. Reliqua omnibus Miſſis ſunt communia.

Ad majorem hujuſce Ritus Mozarabici illuſtrationem nonnulla jubeantur a Robleſio, Aguirre, & Pinio intacta, ac prætermiſſa.

Ad majorem porro hjuſce Mozarabici Ritus illuſtrationem doctiſſimus Joannes Mabillonius pro Appendice ad ſuam Diſſertationem de Azymo, & fermentato, quam Eminentiſſimo noſtro nuncupatam voluit, edidit Opuſculum cujuſdam Eldephonſi Hiſpanienſis Epiſcopi Anno 989. allatum, inde Romam in Bibliotheca Vaticana advectum, de quo ſupra nonnulla dicta ſunt, ex hac Emin. Cardinalis illud deſcribi curavit, & eidem Mabillonio amiciſſimo ſuo tranſmiſit, uti plenius ex mutuis ipſorum Epiſtolis hac de re ſibi invicem datis conſtat. Inter cætera hoc libello confirmatur Ritus celebrandi antiquitus Miſſas tres in Paſchate, in Pentecoſte, in Transfiguratione Domini (de quo Ritu vide infra cap. 18. §. 5. 6. & 7.) quibus diebus deſcribitur modus panes offerendi ad ſingulas Miſſas, ut in diverſis figuris ibi expreſſis viſitur, earumque hoſtiarum numerus exprimitur. Verum quia libellus ille non indicat morem tunc uſitatum, ſed viſum tantum ipſius Eldephonſi de novo hujuſmodi Ritu, quem nuſquam uſurpatum exiſtimat Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 2. num. 12. ideo hunc fuſius perſequendum omitto, atque ad dictum locum, ſive ad ipſius Mabillonii Præfationes, & Diſſertationes Tridenti editas an. 1724. pag. 597. lectorem amando. Denique obſervat Petrus le Brun Explicat. Miſſæ Tom. 2. Diſſert. 5. pag. 232. quod in prædicto novo Miſſali Mozarabico, & mixto nuncupato, plura inſuper adjecta fuere, quæ in antiquo non reperiebantur, neque id diffiteretur ipſe Cardinalis Ximenius, qui in Epiſtola nuncupatoria, ſeu Præfatione ibi præfixa, ſincere affirmat, ſe nonnulla veteri Mozarabico Ritui ex Romano addidiſſe, nonnulla etiam ab ipſo antiquo expunxiſſe. Duo tam hujuſmodi Miſſalis, quam Breviarii Mozarabici exemplaria, & quidem rariſſima, extant Romæ, unum in Bibliotheca Corſina, alterum in Alteriana. Atque hæc de Miſſa Mozarabum, ac de celebrioribus Liturgiis, quæ poſt Romanam, ſeu Gregorianam apud omnes Occidentis nationes uſitatam in aliquibus Eccleſiis Mediolanenſi ſcilicet, & Toletana adhuc ex peculiari ſanctæ Sedis Indulto frequentantur, dicta ſint. Reliquæ enim veluti Ciſtercienſium, Charuſienſium, Carmelitarum, & PP. Prædicatorum aliæ a Romana abſolute cenſendæ non ſunt, neque ob pauca, quibus ab illa differunt, ab ipſa diſtinctæ dicendæ erunt, uti oſtendit Marcellus de Cavaleriis in Statera Sacra Tit. Præliminar. 2. num. 30., ac ſeqq., & ante ipſum ſupra Emin. Author cap. 7. §. 5. in fine.

CAP.

CAP. XII.

De Miſſa Gallicana ante tempora Pipini, & Caroli Magni. Eorum cura Ritus Romanos in Galliam introductos. Quæ ſit Miſſa ante annos centum edita ab Illyrico. Eam veterem Gallicanam non eſſe. Ritus Gallicani veſtigia ex antiquis Scriptoribus. An idem fuerit Galliæ, & Hiſpaniæ mos in Divinis officiis: Conjecturæ & exempla veteris Miſſæ Gallicanæ.

§. I.

De Miſſa Gallicana ante tempora Pipini, & Caroli Magni. Eorum cura Ritus Romanos in Galliam introductos.

IMplicatum hærere me fateor in hac diſquiſitione, in qua ſuſcepti operis ratio exigit, ut de Miſſa ante Pipinum, & Carolum Magnum in Galliis uſitata, (1) ejuſque Ritibus agam: cum enim tot ſeculorum decurſu eorum memoria interierit, nemo non videt quam difficile futurum ſit e ruderibus antiquitatis veluti e tumulis ſepultos eruere, & ad lucem revocare. Conabor tamen, Dei gratia aſpirante, quæ & qualis ea Miſſa fuerit, ex quibuſdam veſtigiis, quæ in veterum ſcriptorum monumentis ſuperſunt, indagare; & cum quorumdam hac de re conjecturas examinavero, meas proponam, liberumque judicium de utriſque lectori relinquam. Ut autem certa ab incertis ante omnia ſecernam, hoc tanquam exploratiſſimum ſuppono, veteres Ritus in Gallicanis Eccleſiis abrogatos, & Romanos introductos fuiſſe juſſu piiſſimorum Regum Pipini & Caroli Magni ante annos fere nongentos. Cujus rei luculentum teſtimonium præbet idem Carolus in Tractatu de ſacris Imaginibus contra Synodum Græcorum, quem a diverſis auctoribus compoſitum, ut docet Baronius anno 794. Religioſiſſimus Princeps Adriano Papæ examinandum miſit; Nam lib. 1. cap. 6. poſtquam dixit Eccleſiam Gallicanam nunquam a Romana receſſiſſe, ait: *Quæ dum a primis fidei temporibus cum ea perſtaret in Religionis ſacræ unione, & ab ea paulo diſtaret, quod tamen contra fidem non eſt, in officiorum celebratione, venerandæ memoriæ genitoris noſtri Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi viri Pipini Regis cura & induſtria, ſive adventu in Gallias Reverendiſſimi, & Sanctiſſimi viri Stephani Romanæ Urbis Antiſtitis, eſt ei etiam in pſallendi ordine copulata, ut non eſſet diſpar ordo pſallendi, quibus erat compar ardor credendi, & quæ unitæ erant unius ſanctæ legis ſacra lectione, eſſent etiam unitæ unius modulationis veneranda traditione, nec ſejungeret officiorum varia celebratio, quas conjunxerat unicæ fidei pia devotio. Quod quidem & Nos collato nobis a Deo Italiæ Regno fecimus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ faſtigium ſublimare cupientes, & Reverendiſſimi Papæ Adriani ſalutaribus exhortationibus parere nitentes, ſcilicet ut plures illius partis Eccleſiæ, quæ quondam Apoſtolicæ ſedis traditionem in pſallendo ſuſcipere recuſabant, nunc eam cum omni diligentia amplectantur; & cui adhæſerant fidei munere, adhæreant quoque pſallendi ordine. Quod non ſolum omnium Galliarum Provinciæ, & Germania, ſive Italia; ſed etiam Saxones, & quædam Aquilonaris plagæ gentes per Nos, Deo annuente, ad veræ fidei rudimenta converſæ, facere noſcuntur.* Idem (1)

Carolus

Carolus in præfatione Homiliarum totius anni, quas ejus juſſu Alcuinus collegit, Pipinum ait genitorem ſuum totas Galliarum Eccleſias Romanæ traditionis cantibus decoraſſe. Extant de hac cura Pipini & Caroli in propagandis Romanis Ritibus aliquot Epiſtolæ Summorum Pontificum inter eas, quas ipſe Carolus collegiſſe dicitur, ediditque Gretzerus, nempe 25. Pauli Papæ ad Pipinum, in qua ſcribit ſe ei miſiſſe Antiphonale & Reſponſale: & ex 43. ejuſdem Pauli conſtat, quanta ſolicitudine optimus Rex ſatageret, ut Religioſi ſui regni bene inſtructi eſſent in cantu Romano. Ibidem Epiſt. 82. Adrianus Papa Carolo ſcribit ſe illi miſiſſe Sacramentarium S. Gregorii, quod petierat. Et *Lib. 5. Capitularium cap.* 219. ſancitum eſt, ut unuſquiſque Presbyter Miſſam celebret ordine Romano. (2) Poſſem & alia ex Hiſtoricis illorum temporum teſtimonia afferre, ſed illis in re aperta opus non eſt. His igitur prætermiſſis ad rem propoſitam accedendum eſt. (2)

(1) *De Miſſa ante Pipinum ... in Galliis uſitata*) Si implicatum ſe ingenue fatetur doctrina, & eruditione Emin. Scriptor, quid his expers explicabit Idiota? Verum cum facile ſit inventis addere, ſapientiſſimis ipſius obſervationibus noſtras etiam utcumque ſubjicere commentationes res ipſa etſi difficilis penitius diſquirenda nos movet. Et primo Gallicanum Miſſæ ordinem olim a Romano diverſum fuiſſe manifeſtum eſt ex ſecunda S. Auguſtini Cantuarienſis Epiſcopi, & Anglorum Apoſtoli interrogatione S. Gregorio Magno propoſita Epiſt. 31. lib. 12. de qua ſupra cap. 6. §. 2. *Cur una cum ſit fides*, inquit, *ſunt Eccleſiarum conſuetudines tam diverſæ, & altera conſuetudo Miſſarum eſt in Romana Eccleſia, atque altera in Galliarum Eccleſiis retinetur*? Atque hanc diverſitatem minime negans Gregorius eidem ſic reſpondet: *Mihi placet, ut ſive in Romana, ſive in Galliarum, ſive in qualibet Eccleſia aliquid inveniſti, quod plus Omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicite eligas ..... Non enim pro locis res, ſed pro rebus loca nobis amanda ſunt*. Seculo igitur labente ſexto Galliarum Eccleſia ſuum proprium Miſſæ ordinem retinebat. Perſeveravit adhuc hic Miſſæ Gallicanæ Ritus apud Gallos, ut notat Joannes Mabillonius Annal. Bened. Tom. 2. lib. 23. pag. 184. etiam tempore Zachariæ Papæ, ſeculo ſcilicet octavo, dictus enim Pontifex in Epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum data improbat benedictiones, quas Galli in Miſſa faciebant, atque tenendam regulam Catholicæ traditionis, quam a Sancta Romana Eccleſia ipſe Bonifacius acceperat, ſcribit; & pag. 185. addit tempore Pipini, & Caroli Magni Antiphonarium, cantumque Romanum in Gallias introductum fuiſſe, ſive petentibus a Pontifice Regibus, ſive Pontificum monitu, uti jam diſerte hic expreſſerat Emin. Author. Documenta in hanc rem aſſert Hugo Menardus in Præf. ad Sacram. Gregorii M. „ Gallia, inquit, ſuum olim „ habuit Miſſæ celebrandæ Ritum, donec illo „ Pipini Regis diligentia antiquato Miſſæ Ro„ manæ ſuſcepit Ordinem, ut clarum eſt ex „ Epiſtola Caroli Calvi ad Clerum Ravenna„ tem; *Nam uſque ad tempora avi noſtri Pipi„ ni Gallicanæ Eccleſiæ aliter quam Romana,* „ *& Mediolanenſis Eccleſia celebrabant*„ Quod etiam poſtea cautum eſt lib. 5. Capitular. ut & notat Emin. Scriptor, confirmatque idem Carolus Calvus Epiſtola citata illis verbis: *Sed nos ſequendam ducimus Romanam Eccleſiam in Miſſarum celebratione*.

Seculo labente ſexto Gallicanus Miſſæ Ordo diverſus a Romano.

Quin & ſeculo VIII.

Quis autem, qualiſve fuerit hic Gallicanus Miſſæ Ordo, hucuſque incompertum eſt. Plura hac de re diſſerunt Eruditi, ſed diverſis diverſa ſentientibus nihil certi concludi poteſt. Quod exploratum habemus, eſt nonnullos ex antiquis Galliæ Patribus de hujuſmodi Miſſæ ordine ſcripſiſſe. Hos inter S. Hilarius Pictavienſis teſte S. Hieronymo de Script. Eccl. *librum Hymnorum, & alium Myſteriorum* compoſuit, Miſſarum ſcilicet Codicem, Miſſam enim a priſcis Scriptoribus myſterium nuncupari nemo Liturgicæ antiquitatis ſtudioſus ignorat. Gennadius item de Script. Eccl. pag. 79. tradit Muſæum Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyterum hortatu Veneril, non Mediolanenſis, ut perperam arbitratur Jac. Grancolas Tom. I. Antiq. Liturg. pag. 324., ſed Maſſilienſis Epiſcopi, uti optime Aubertus Miræus in notis ad Gennadium, & ex ipſo Erneſtus Cyprianus, Caveus, aliique exiſtimant, *Lectionarium*, & *Reſponſoriale* diſpoſuiſſe, itemque Euſtathii, Venerii ſucceſſoris inſtinctu *Sacramentorum egregium, & non parvum volumen compoſuiſſe*. Salviano item Maſſilienſi alium quemdam Sacramentorum Codicem tribuit Gennadius, quemadmodum, & alterum Claudiano Mamerto Viennenſi Presbytero Sidonius lib. 4. Epiſt. 31., quem & Miſſalem librum confeciſſe ſcribit Gregorius Turonenſis, ut infra dicemus. At hi omnes indicati Miſſarum Codices temporum deinde curſu periere, neque ipſorum aliquod ſuperfuit veſtigium, ex quo Miſſæ veteris Gallicanæ Ordo plene dignoſci poſſet, quin & ſeculo nono, ut infra notabitur, eumdem ipſimet Galli ex tanta apud illos ſuperinducta Divinorum Officiorum varietate fere omnes penitus ignorarunt. Non mirum itaque ſi tam denſa rugoſæ hujus, & obſcuriſſimæ vetuſtatis caligine maximis obrutus difficultatibus Eminentiſſimus Author ingenue ſe implicatum hærere fatetur, cum & id alii hujus palæſtræ præſtantes viri Mabillonius, & Thomaſius experti ſint. Cæterum quæ Miſſa Gallicana dicta eſſe potuerit ante Pipinum, & Carolum Magnum, dicemus infra §. 6.

Quis, qualiſve hic ſuerit Gallicanus Miſſæ Ordo, incompertum, cum de eodem definiendo diſcrepent Eruditi.

Veteris Liturgiæ Gallicanæ in Romanam conversio universali Ecclesiarum Galliæ consensione facta.

(1) *Missam celebret Ordine Romano*) Hæc Liturgiæ Gallicanæ in Romanam mutatio, (ut notat Mabillonius Præfat. ad Liturg. Gallic. n. 3., & ante ipsum Eminentissimus Author infra §. 5.) tanta universæ Galliæ Ecclesiarum consensione facta est, ut regnante Carolo Calvo Magni nepote, seculo scilicet nono, Missæ Gallicanæ veteris notitia jam penitus obliterata esset; idem propterea Imperator, ut ejus a Romana discrimen oculis perciperet, quoniam veterem Gallorum Liturgiam cum Toletana, seu Mozarabum convenisse didicerat, Missam Toletano more a quibusdam Presbyteris, *qui ex partibus Toletanæ Ecclesiæ ad se venerant*, celebrari voluit; visis etiam, compertisque variis diversarum Ecclesiarum Missæ celebrandæ ritibus, Romanum tandem ritum sibi præ cæteris placuisse affirmans, hunc in posterum tenendum, & observandum statuit. Verum *quia*, (ut inquit Walafridus Strabo de Div. offic. cap. 22. qui tempore ejusdem Caroli Calvi floruit) *Gallicana Ecclesia viris non minus peritissimis instructa Sacrorum Officiorum instrumenta habebat non minima, ex eis aliqua Romanorum Officiis immixta dicuntur, quæ plerique & verbis, & tenore a cæteris discernere posse fateantur, sed privilegio Romanæ Sedis observato, & congruentia rationabili dispositionum apud eam factarum persuadente, factum est, ut consuetudo, & magisterium ejusdem Sedis prævaleret, quia non est alia traditio, æque sequenda, vel in fidei regula, vel in observationum doctrina*: Hinc nedum Clerici omnes Ecclesiarum Galliæ, sed & Monachi in suis Monasteriis Romanum ritum amplecti, & sequi jussi sunt, uti ex ejusdem Caroli Calvi Capitular. lib. 1. c. 80. perspicue constat, ibi enim præcipitur: *ut Monachi Cantum Romanum pleniter, & ordinabiliter per nocturnale, & graduale Officium peragant, secundum quod beatæ memoriæ genitor noster Pipinus Rex decrevit, ut fieret, quando Gallicanum Cantum abstulit ob unanimitatem Apostolicæ Sedis, & Sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam*: Ab eo itaque tempore, idest a seculo nono nemini de restituenda Liturgia Gallicana, Romanaque dimittenda quidquam tentare in animum venit, nec ante nostram ætatem apud Gallos de prisco illo ritu ulla mentio fuit, aut memoria: inde est, quod nullus Codex, qui antiquiorem Gallicanum Ordinem referret, ante hos paucos annos inveniri facile potuit, atque ad id tempus semper incerta fuit de hujusce Ordinis ritu sententia. Inter primos ejus notitiam denuo revocandi occasionem præbuit Matthias Flaccus Illyricus, de quo infra Eminentissimus Author.

§. II.

Quæ sit Missa ante annos centum edita ab Illyrico.

MAtthias Flaccus Illyricus Centuriatorum Magdeburgensium ac rigidorum Lutheranorum Princeps, (1) Missam Latinam in antiquo codice MS. repertam typis mandavit Argentinæ anno 1557. eique hunc titulum præfixit, *Missa Latina, quæ olim ante Romanam circa septingentesimum Domini annum in usu fuit, bona fide ex vetusto authenticoque Codice descripta*. Et in Epistola præliminari ad Principem Palatinum Rheni opinari se ait eam in usu fuisse in Occidente, præsertim in Gallia, & in Germania, *antequam Romana* Missandi *ratio ubique recepta est*. Desunt in ea Introitus, Collectæ, Epistola, Graduale, Evangelium, Offertorium, Præfatio, Postcommunio, & quædam alia, quæ generaliter tantum sine ulla speciali assignatione nominantur; quia dictum festorumque varietas diversos exigit Introitus, diversas Orationes, Epistolas, & reliqua, quæ singulis Missis peculiaria sunt. Ex quo destruitur falsa Illyrici opinatio existimantis unicam olim fuisse Missæ celebrandæ rationem absque ullo discrimine temporum & festivitatum. Hujus autem Missæ evulgatione eredidit vir improbus se plurimum detrimenti Catholicæ Ecclesiæ allaturum, ac si illa antiquos sacrificii ritus perperam innovasset; (2) sed excœcavit illum malitia sua, nam e contrario Orthodoxæ fidei dogmata, receptique Ecclesiæ ritus ex ea passim confirmantur, Sanctorum scilicet, & B. Virginis invocatio, realis præsentia Christi in Eucharistia, confessio auricularis, oratio pro vivis & defunctis, & alia ejusdem generis multa. Quod cum Lutheri assecla statim animadvertissent, omnia edita exemplaria quotquot reperire potuerunt, in unum congesta igne protinus concremarunt (3) & hinc factum est, ut codex ille rarissimus sit, quem nec Cassander, nec Pamelius viderunt, (4) licet eo tempore vixerint, & in perquirendis libris ad sacros ritus pertinentibus diligentissimi fuerint. Vidit tamen Menardus, qui eam Missam examinat, & cum

(1) (2) (3) (4)

cum altera ſimili a ſe edita confert in notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii *pag.* 380. *& ſequentibus.* Vidit Guillelmus Peyratius, ſeu de Peyraco, qui ejus ſynopſim refert in Tractatu de juribus & antiquitatibus capellæ Regis Galliarum *lib.* 2. *cap.* 13. *a pag.* 561. *& deinceps.* Hanc ego Romæ & alibi diu, ſed fruſtra, quæſitam reperi tandem Viennæ in inſtructiſſima Imperatoris Bibliotheca ſtudio ac diligentia cantoris celeberrimi Caroli Veterani, qui eam tranſcripſit ex edito Codice, quem ipſi libentiſſime communicavit V. Cl. ejuſdem Bibliothecæ præfectus Petrus Lambecius. Incidit poſtea in manus meas eruditum opus Annalium Eccleſiaſticorum Francorum auctore Carolo le Cointe, quibus inſerta eſt *Tomo* 2. *anno* 601. *num.* 20. cum variis notis, & obſervationibus. Ne quid autem hic deſit, quod ad Miſſæ Latinæ illuſtrationem pertineat, eam in calce hujus operis veluti appendicem recudi faciam, ſimul cum alterius ſimilis Miſſæ fragmento nondum edito.

Matthias Flacius Illyricus quis, qualiſque ex ipſis ſectariis deſcribitur.

(1) *Ac rigidorum Lutheranorum Princeps*) Illyricus dictus, quia ortus Albonæ in Illyrico, vulgo Francovvitz nuncupatus, ſtudiorum curriculum Venetiis confecit; decem, & ſeptem annos natus Baſileam conceſſit, ut Theologicis ſtudiis incumberet. Obiit anno 1575. ætatis ſuæ 55. Vehemens homo, & quocumque loco pedem figeret, acerrimus turbarum incentor a Thuano vocatur Hiſt. lib. 38., & revera pravitate opinionum, quibus inficiebatur, plures inter ſuos Proteſtantes tumultus excitavit, uti Teiſſerius Elog. tom. 1. pag. 435. edit. Ultraject. 1697. Immo Schluſelburgius Lutheranus ſcriptor ſuo Hæreticorum Indici inferuit Matthiam Flaccum Illyricum, utpote Manichæarum, & Arii blaſphemiarum in ſuis Operibus reum; quin & non ſolum hæreticum, ſed hæreſiarcham fuiſſe vel ipſi fatentur Sectarii, inter quos Joannes Andreas Quenſtedius in ſuo Dialogo de patriis illuſtrium Virorum doctrina, & ſcriptis edito Wirtembergæ 1705. ſic de eo habet. „ „ Qui non mediocres turbas in Republica „ Chriſtiana dedit abſurdiſſimo ſuo effatu: „ *peccatum originis eſſe ipſam ſubſtantiam ho-* „ *minis*, quod dogma cum præcipuis fidei „ noſtræ articulis de creatione, Filii Dei in„ carnatione, redemptione, ſanctificatione, „ & reſurrectione pugnat. „ Furioſum propterea Theologum, & novarum, monſtroſarumque opinionum adinventorem vocat Ricardus Montacutius Ceſtrienſis Anglicanæ communionis Epiſcopus Præf. ad Eccleſiaſt. Exercit. Hæreſi infamem ſcribit Pazelius Calviniſta in Mellific. Hiſt. de eodem inſuper Hieronymus Zanchius, Calvinianus item ſcriptor epiſt. lib. 2. in epiſt. ad Lavaterum inquit: „ Denegarunt ei cœnam Miniſtri propter do„ ctrinam de peccato originali, ita fine via„ tico, quia aberravit e via, abiit e vita, „ utinam pius, & bonus: „ Proinde, ait Guillelmus Budæus Centur. XVI. Flaccum nequidquam recti feciſſe, niſi cum moreretur. Hæc addi poſſent iis, quæ de ipſo Matthia Flacco Illyrico dixit eruditus noſter Abbas Joannes Sianda in ſuo Lexico Polemico, ubi iterum videbit Lector quis, qualiſve fuerit, vel & ſuis exoſus Novator iſte, qui ut optime ait Eminentiſſimus Author, hujus Miſſæ evulgatione credidit vir improbus ſe pluri„ mum detrimenti Catholicæ Eccleſiæ allatu„ rum, ac ſi illa antiquos Sacrificii ritus perperam „ innovaſſet; at ejuſdem Orthodoxæ fidei implacabilis hoſtis numquam illi, & Romanæ Eccleſiæ ipſius Cuſtodi tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio, ut infra videbimus.

(2) *Sacrificii ritus perperam innovaſſet*) Hinc quaſi Catholicis penitus adverſaretur, triumphos de ea egerunt Lutherani, quibus permotus Philippus II. Hiſpaniarum Rex, ut debacchantium hæreticorum ſubſannationes reprimeret, hortatu Ducis Albenſis ejus lectionem interdixit, eamdemque poſtea Sixtus V. in odium præcipue improbi, & malevoli Editoris, qui perverſo Eccleſiæ Catholicæ nocendi animo eam evulgaverat, ipſam in librorum prohibitorum claſſem redegit, donec detecta fraude, ut infra dicetur, omnium Catholicorum calculo approbata eſt.

(3) *Igne gratiosus concremarunt*) Et quotquot in poſterum haberi potuerunt, exemplaribus conquiſitis illam ſupprimere modis omnibus ſtuduerunt; ita Paulus Colomeſius Rupellenſis Calviniſta in ſua Bibliotheca ſelecta Gallice ſcripta pag. 12., & ante ipſum Peyratius loco ab Eminentiſſimo infra citato, ac pag. 617., & 622. E contra Catholici ex hac Hæreticorum palinodia profecto illam perquirere totis viribus annis ſunt, inter quos Menardus, Peyratius, Cointius, aliique ab Eminentiſſimo indicati, poſt quos ipſe Eminentiſſimus Author, Mabillonius, Arnaldus, Natalis Alexander, Martene, Card. Thomaſius, Grancolas, Duvert, le Brun, aliique clari noſtrorum temporum de rebus Liturgicis Scriptores, qui eamdem attentius, & accuratius legentes collaudarunt, comprobarunt, & ad aſſerenda Euchariſtiæ, Confeſſionis auricularis, ſuffragiorum pro Defunctis, invocationis, & interceſſionis Sanctorum, aliaque multa noſtræ fidei Catholicæ dogmata adhibuerunt, ut optime advertit idem Eminentiſſimus Author.

Miſſa ab ipſo vulgata Catholicæ Eccleſiæ nocitura primum credita, deinde eidem potius ſaviſſe detecta.

(4) *Quem nec Caſſander, nec Pamelius viderunt*) Paulus Colomeſius mox citatus pag. 12. (qui potius Peyratium, quam Cardinalem noſtrum, qui hæc ex ipſo deprompſit,

conſutare debuerat) eumdem Eminentiſſimum hallucinatum eſſe ait, eo quod putaverit Georgium Caſſandrum hanc Illyrici Miſſam non vidiſſe, præterquamquod, inquit, In quadam collectione antiquarum precum per eumdem Caſſandrum edita nonnullæ extant, quæ in Miſſa Illyrici reperiuntur. Proh Deus, quam futile argumentum! Num in ſola Miſſa Illyrici præfatæ hæ preces inveniuntur? Earum, ſi non omnes, bene multas facile eſt, nonnullas apud Sanctos Patres, alioſque pios Scriptores veteres, pleraſque in antiquis Sacramentariis, & Eccleſiaſticis Codicibus ſparſim relatas deprehendere, quemadmodum & eæ, quæ in dicta Illyrici Miſſa leguntur, alibi deſcriptæ ſunt. Notum eſt eruditis Sanctos Baſilium, Joannem Chryſoſtomum, Ambroſium, Auguſtinum, alioſque priſcos Eccleſiæ Patres quamplures hujuſmodi proteleticas preces, uti eas ex Dionyſio Areopagita ipſius Scholiaſtes Georgius Pachymeres vocat, compoſuiſſe, eaſque prolixas recitare antiquis Sacerdotibus in uſu fuiſſe, oſtendit Eminentiſſimus Author lib. 2. cap. 1. §. 2. quarum mulæ in antiquis Miſſalibus leguntur. Atque ut rem brevius perſtringamus, omnes illæ orationes præparatoriæ, ſeu Confeſſionum formulæ, & apologeticæ preces, quas in ſua Miſſa idem refert Illyricus, eaſdem proferunt, ex Sacramentario S. Gregorii Papæ plurimas Hugo Menardus nota 787., & ſeqq. nonnullas Eminentiſſimus ex Codice Chiſiano in fine hujus ſui Operis Liturgici, reliquas ex variis, & antiquiſſimis Eccleſiarum Ordinibus Miſſæ Edmundus Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. pag. 516. 543. 548. 555. 562. 615. 619., & 636. Ex aliis itaque locis extra Illyrici Miſſam poterat Georgius Caſſander Liturgicæ antiquitatis profecto non imperitus ſuas, quas collegit, veterum preces excerpere.

Redarguitur Paulus Colomeſius, & ab ejus nota vindicatur Card. Bona.

At ſubdit Colomeſius Franciſcum Balduinum hæc Caſſandro Francofurti ſcripſiſſe anno 1557. eodem ſcilicet, quo Miſſam ſuam Illyricus edidit: *Francofordiam reverſus*, inquit, *reperi Illyrici ad me litteras cum libello de Miſſa ad Palatinum noſtrum. Rogat ille meum judicium de ſuis Miſſæ antiquitatibus. Ego id ad te nunc refero, & libellum ipſum mitto &c.* Caſſander itaque, infert Colomeſius, Illyrici Miſſam videre potuit, immo & vidit. Sic ille, at tempora obſervanda ſunt, ut concordentur jura. Valerius Andreas in ſua Bibliotheca Belgica pag. 261. notat Caſſandri Liturgica anno ſequenti 1558. impreſſa fuiſſe, hæc igitur abſque dubio ſub prælo adhuc eſſe poterant anno præcedenti, quo Illyricus ſuam Miſſam cudit, fortaſſe hic ſub finem anni 1557., ille initio 1558. ſua opuſcula edidere; & ſic quamvis Caſſander a Balduino libellum cum Miſſa Illyrici receperit aliquo ſane tempore poſt ejus impreſſionem, non enim ſtatim ac cuſa ſunt, diſtrahuntur exemplaria, cum illius Miſſam inter alia Liturgica ſua non ediderit, uti manifeſtum eſt, quam utique edidiſſet, ſi ejuſdem copiam ſibi opportuno tempore præſtitam habuiſſet, certo certius eſt Caſſandrum antequam ſua prodierint Liturgica, Miſſam Illyrici non vidiſſe; hinc neutiquam hallucinatum Eminentiſſimum noſtrum, uti falſo contenditur.

Item Petrus Bayle, qui Colomeſio hac in parte ſuppetias tulit.

. Colomeſio ſuppetias ſuas fert alter ejuſdem non ſanæ fidei, & intemperantioris critices homo Petrus Bayle in ſuo Dictionario Hiſtorico Critico Gallice edito Tom. 2. verbo Illyricus pag. 1638. col. 2. ait ibi Peyratium loco citato pag. 622. ſatis indicare in nota ad marginem poſita, viſam a Caſſandro Illyrici Miſſam, memorat enim ibi librum, cui titulus: *de officio pii, ac publicæ tranquillitatis vere amantis viri &c.* quem Caſſandri opus eſſe affirmat Bayle impreſſum anno 1561., in cujus fine, ut ſubdit, fit mentio ejuſmodi Miſſæ ab Illyrico editæ, at contra hæc, primo non ibi dicitur librum ipſum legiſſe, ſed tantum titulus ejuſdem indicatur, deinde cum ſit editus liber iſte tribus annis poſtquam Caſſander edidit Liturgica ſua, ut dictum eſt, anno 1558. nihil officit dato, quod ipſe poſtea illam viderit, ſi eam cum cæteris non retulit inter dicta Liturgica ſua, quod eſt Eminentiſſimi noſtri aſſertum. Quinimmo cum denuo Caſſander ipſe ſuos libellos vetuſtos de officio Miſſæ Coloniæ ediderit eodem anno 1561. apud hæredes Antonii Birckmanni, & ibi in Præfatione Opuſculorum hujuſmodi Liturgicorum Judoci Chlichtovæi, & Joannis Cochlæi meminerit, de Illyrici Miſſa, nec verbum quidem. Præterea Peyratius non ait dictum librum a Caſſandro editum fuiſſe, ſed ab Anonymo, authorem quippe non indicat, aſſerit quidem Bayle Caſſandri fœtum eſſe, in indiculo tamen operum Caſſandri nomine editorum idem non legitur; at ultro concedamus hunc librum vere Caſſandri eſſe, etſi non ejus nomine inſcriptum, an propterea id ſcire debuerat Eminentiſſimus Author, cum & ipſum latuit Calvinum, contra quem ſcriptus fuerat, qui a Franciſco Balduino compoſitum fuiſſe exiſtimavit, eo quod ipſe primus illum in Galliam invexerit, uti narrat Spondanus ad an. 1564. n. 26. Vah quot, præſertim Novatores, vexat mordendi dira libido! Atque hic quoad Caſſandrum ſatis vindicatus Eminentiſſimus Author. De Jacobo Pamelio nihil objicit Calvinianus Criticus; conſtans ergo, & firmum ſit ab Eminentiſſimo prolatum, nec Caſſandrum, nec Pamelium Illyrici Miſſam vidiſſe, quibus addo doctiſſimos Cardinales Baronium, & Bellarminum, qui nec ipſi ullam iſtius Miſſæ mentionem habent.

§. III.

§. III.

Eam veterem Gallicanam non eſſe antequam Romana recepta fuerit in Gallia.

PORro Guillelmus præcitatus, & eum ſequutus Carolus, quamvis non ignorarent, quæ fides præſtari poſſet hæretico pervicaciſſimo; aliis tamen ſtudiis impediti ne rem accuratius perpenderent, ipſi aſſerenti ſine teſte, & ex mera ſuſpicione omni fundamento deſtituta, illam eſſe Miſſam in Gallicanis Eccleſiis uſitatam, antequam Romanam recepiſſent, facile crediderunt, idque nonnullis conjecturis ſtabilire conati ſunt. Sed quam longe abſit hæc Miſſa a veteri Gallicana, & quam falſum de ipſa ac præpoſterum judicium tulerit Illyricus hic primitus oſtendam, mox meas de vera Gallicana Miſſa conjecturas proponam, peritorumque ac eruditorum hominum, quibus Gallia abundat, cenſuræ ſubjiciam. Quæro autem primo loco, unde ſciat Illyricus Miſſam quam edidit regnum Pipini anteceſſiſſe, aut quo teſte, quove argumento id probet. An Pythagoricum illud obtrudet, *Ipſe dixit*? At ego didici nulli mortalium credere, niſi dicti ſui rationem reddat. Credo potius viro ſapientiſſimo Hugoni Menardo, qui loco citato haud contemnendis rationibus demonſtrat non tantæ eſſe antiquitatis, quantam illi ſectarius affinxit, ſed duobus aut tribus ſeculis poſteriorem. Quis etiam illum docuit Romana antiquiorem, & ab ea diverſam eſſe? Clauſis enim vel in totum Homericis oculis liquet, ut phraſim Tertulliani uſurpem, eam meram ac puram Miſſam Romanam eſſe diverſis orationibus interpolatam. Notavit hoc Georgius Wicellius Lutheri primum diſcipulus poſtea catholicus in defenſione Liturgiæ Eccleſiaſticæ, ſtatim ac in eam oculos fixit. *Edidit*, inquit, *Illyricus repertam Miſſam Latinam non triumphans tamen de theſauro tanto adverſus Catholicos, cum vel cæcutienti homini appareat totum illud quod edidit, contra Lutheri, Calvinique ſectas edidiſſe, ſed & nobis Catholicis rem longe gratiſſimam feciſſe. Quid enim ibi niſi Miſſam Latinam, quæ hodie in uſu generali eſt, inſciens imprudenſque defendit? Tantum abeſt, ut ſuo ſectæque more oppugnet. Locupletior eſt illa quidem, pluſque precum continet, ſed omnino tamen eadem eſt cum uſitata; cujus etiam dicta factaque omnia paſſim ſequitur, ut diverſam eſſe confirmare nemo audeat.* Hæc Wicellii verba refert & laudat Carolus le Cointe anno ſupra notato num. 21. Eidemque conſentit agnoſcens hanc eſſe puram putam Miſſam Romanam, quæ hodie in uſu eſt, licet plures inſertæ ſint ei orationes. Ait nihilominus hanc Miſſam his precationibus auctam Gallicanam fuiſſe: ac ſi Gallicanæ Eccleſiæ tunc relictis propriis ritibus ordinem Romanum juſſu Pipini ſuſcepiſſe cenſeantur, cum rejectis precationibus Miſſæ Illyrici adjunctis puram Miſſam Romanam frequentare cœperunt, quod ſane abſurdum foret. Sicut enim homo nudus, & idem diverſis indutus veſtibus, unus & idem homo eſt: ita Miſſa Romana ſemper Romana eſt, etiam ſi plures eidem orationes immiſceantur. Deinde Illyrici Miſſa nullam habet ſimilitudinem aut convenientiam cum his quæ de Miſſa veteri Gallicana mox citandi auctores tradiderunt. Ajunt enim in Gallicanis Miſſis Martyrum paſſiones deſcriptas fuiſſe, cujus rei in Miſſa Illyrici ne minimum quidem veſtigium extat. Ajunt antiquum ordinem Miſſarum diverſum prorſus fuiſſe ab uſu Romanæ Eccleſiæ, at Miſſa Illyrici a Romana non differt, imo eadem eſt, ſed interpolata. Denique obſervo nullam hujus Miſſæ Illyricianæ apud antiquos Patres, & Eccleſiaſticos Scriptores mentionem reperiri; nullam ejus in Conciliis ſive in Decretis Summorum Pontificum approbationem extare: ex quo conficitur privata alicujus Epiſcopi inſtitutione Miſſæ communi &

Ro-

Romanæ, tot orationes ſuperadditas, ut iis recitandis Sacerdos occuparetur, cum Miſſam ſolemniter decantabat, eo præſertim tempore, quo Introitum, Graduale, Symbolum, & cætera hujuſmodi Chorus modulatur. Idem prorſus dicendum de duabus ſimilibus Miſſis, quas ex antiquis codicibus Hugo Menardus edidit in Appendice ad librum Sacramentorum S. Gregorii, eas nimirum peculiari devotione ab aliquo Epiſcopo inſtitutas: Tantum abeſt ut olim toti Galliæ communes fuerint. Cumque in illis regionibus tot Concilia habita ſint, tot viri doctrina, & Eccleſiaſtica eruditione præſtantiſſimi floruerint, quorum etiam nunc ſcripta leguntur, nulla tamen harum Liturgicarum precationum vel tenuis umbra in illis apparet, quod certe magni momenti eſt ad Illyrici commentum explodendum de ipſius Miſſa communiter in Galliis uſurpata.

§. IV.

Nec ſpecialem alicujus Regni, aut Provinciæ, ſed unius, aut aliquot Eccleſiarum privata authoritate conſtitutam.

ACcedit aliud argumentum ad falſam Illyrici perſuaſionem evertendam, quod alia quædam Miſſa eodem modo interpolata reperitur ad uſum alicujus Eccleſiæ Romanæ Diœceſeos, quam opportune mihi videre contigit, dum Illyricianam evolverem. Ea extat in Codice MS. Bibliothecæ Eminentiſſimi Cardinalis Chiſii num. 1521. charactere Longobardico, cui deſunt quædam folia in principio, & multo plura in fine. Continet primo aſpirationes ad Deum ex pſalmis artificioſe contextas, & alias orationes ac Litanias: ſecundo ordinem Miſſæ uſque ad Evangelium dumtaxat, nam reliqua vel ab iniqua manu avulſa, vel hominum incuria deſunt, magno Eccleſiaſticæ eruditionis detrimento. Hoc fragmentum hactenus ineditum, ne prorſus intereat, publici juris faciam in fine hujus Tractatus poſt Miſſam Illyrici, cui fere in omnibus conſonat, quamvis orationes ſuperadditæ ſæpe diſſimiles ſint. Hæc autem nullo modo ſpectabat ad Galliam, nam utitur verſione Pſalmorum Italica quæ diu in uſu fuit non ſolum in urbe, ſed & in omnibus Eccleſiis ſuburbicariis, ac etiam in aliis regionibus, excepta Gallia quæ verſionem a S. Hieronymo emendatam ſtatim recepit, atque ideo Verſio Gallicana dicta eſt. Cum igitur Miſſa Romana multis ſuperadditis orationibus ad inſtar ejus quam Illyricus veterem Gallicanam fuiſſe dixit, in Italia quoque uſitata, atque aliis Eccleſiis communis fuerit, hinc ſatis perſpicue infertur non fuiſſe eum Ritum ſpecialem alicujus regni aut provinciæ; ſed uni tantum, vel aliquot Eccleſiis privata proprii Epiſcopi auctoritate abſque ulla Synodorum, vel Apoſtolicæ Sedis approbatione tributum. In Miſſali item MS. Bibliothecæ Vaticanæ num. 3807. proponitur oratio *Summe Sacerdos* pro celebrantis arbitrio recitanda, dum in Choro *Kyrie* vel *Gloria* cantatur. Eadem præſcribitur in Miſſali Hiſpalenſis Eccleſiæ & Ordinis Prædicatorum. Ex quibus omnibus & ex duabus Miſſis editis a Menardo id quoque deducitur, quod prædictæ interpolationes in ſolis Miſſis ſolemnibus locum habebant, ut tam Sacerdos quam Miniſtri, pſallente Choro, iis vel ex integro, vel ex parte recitandis occuparentur. Ex ſilentio autem veterum ſcriptorum, qui nullam harum Miſſarum mentionem faciunt, & ex raritate codicum in quibus repertæ ſunt, non improbabiliter conjicio, vel ab Eccleſiis, quibus traditæ erant, non fuiſſe receptas; vel ſtatim cum ſuis auctoribus interjiſſe. Abhorrent enim plerique a prolixitate, & qui religioſores ſunt ægre novitatibus conſentiunt, nec orationes in publicis Eccleſiæ

cleſiæ functionibus facile admittunt, niſi fuerint juxta decretum Milevitani Concilii, aliaſque Eccleſiaſticas ſanctiones Synodali, vel Apoſtolica auctoritate approbatæ. Miſſas hujuſmodi cœpiſſe arbitror prope finem ſeculi decimi, ſive initio undecimi, ut de ſuis aſſerit Menardus, qui Illyricianam his antiquiorem non putat. Ejuſdem ævi, decimi nimirum ſeculi eſt Codex Chiſius, nam characterem Longobardicum, quo ſcriptus eſt, in fine ejus ſeculi deſiiſſe viri periti a me conſulti aſſeverant. Idem colligitur ex Sanctis, qui prima parte libelli in Litaniis recenſentur, nam cum omnes ſancti Monachi ſingillatim invocentur, non tamen illi qui circa annum milleſimum & deinceps floruerunt. Notæ quoque muſicales, quibus in Ordine Miſſæ prænotantur *Gloria in excelſis*, & *Dominus vobiſcum*, illæ ſunt, quæ in uſu erant ante Guidonem Aretinum. Hæc omnia, ſi rite perpendantur, Illyrici commentum refellunt, qui ſine probabili teſtimonio auſus eſt Miſſam a ſe repertam veteris Gallicanæ nomine publicare. (1) (1)

Illyrici Miſſa vetus Gallicana non eſt, uti nonnulli exiſtimarunt.

(1) *Veteris Gallicanæ nomine publicare*) Quamvis Emin. Author, qui primus Illyrici Miſſam veterem Gallicanam non eſſe aſſeruit, id abunde ſatis probaverit, invictiſque firmarit argumentis, quia tamen nonnulla adhuc ſuppetunt pro uberiori illuſtratione adjicienda, eadem illis ſubdere abs re non erit, quorum quidem aliquot attigit ipſe Purpuratus noſter, ſed admodum breviter pro ſui inſtituti ratione. Quare cum & legenti mihi Illyricianam Miſſam, quemadmodum Emin., ac Menardo, nulli occurrerint Introitus, nullæ Epiſtolæ, non graduale, non Evangelium, neque Offertorium, ſecreta, Præfatio in ea deſcribantur; e contra vero tot orationes, ſeu Apologiæ in illa Miſſa integræ reperiantur, nullaque oratio Miſſalis, nulla Lectio deſcripta appareat, nedum Emin. opinionem re ipſa veram eſſe conſpexi, Miſſam ſcilicet ab Illyrico editam ex privata tantum authoritate, & ad uſum alicujus Eccleſiæ particularis abſque ulla Synodorum, vel Apoſtolicæ Sedis approbatione inſtitutam fuiſſe; ſed & ipſam penitius obſervatam, ac pro modulo undequaque perpenſam non aliam profecto eſſe dixerim, quam Ordinarium Miſſæ ſolemnis Pontificalis, eorum ſcilicet, quæ dum Chorus cantat, ad arbitrium celebrantis recitantur, nec pro quolibet ſimplici Sacerdote, ſed pro Epiſcopo tantum, vel Abbate, (cujus mentio habetur infra actionem, unde etiam dignoſcitur hanc Miſſam non ante ſeculum decimum exaratam fuiſſe; ab illo enim tempore Pontificalia Abbatibus conceſſa leguntur, uti infra Emin. Author cap. 24. §. 14.) aut alio Eccleſiæ Prælato Pontificalium uſum habente diſpoſitum.

Sed vere Ordinarium Miſſæ ſolemnis Pontificalis pro Prælato Pontificalium uſum habente diſpoſitum.

Pluribus moveor ad hanc opinionem aſſerendam, primo pleriſque in locis celebrans Epiſcopus indigitatur: *hos pſalmos, dum paratur Epiſcopus, circumſtantes Clerici canant*, deinde ſunt Orationes *ad Dalmaticam, ad induendas manus, ad annulum, ad Rationale*, quæ utique ornamenta Pontificalia ſimplici Sacerdoti non competunt; Item *poſtquam infulatus fuerit, dicat hanc orationem, &c.* Poſtea *his omnibus rite peractis, dicat Epiſcopus preces has*; & alia hujuſmodi plura leguntur. Habetur item: *Oratio Paſtoris dicenda pro ſe, & ſuis ſubditis*, in qua hæc leguntur: *& commiſſum mihi gregem, pro tua pietate ſanctifices*: ac poſt aliqua: *& me, mihique commiſſos tuis aſcribe in paginis, quo cum grege mihi credito &c.* deinde: *ita per vigorem Sancti Spiritus regentes ſubditos temperemus, ut ex diſciplina noſtri regiminis capiant lucrum &c.* quæ profecto a ſimplici Sacerdote curam animarum non habente non dicuntur. Demum in fine legitur: *expletis omnibus Epiſcopus de Altari ad Sacrarium rediens &c.* Et licet ad quaſdam orationes ibi legatur: *dicat Sacerdos*, aut *recitet*, ea omnes ſunt Epiſcopis, & Sacerdotibus communes in Sacrificio Miſſæ, & ab eorum quolibet promiſcue pro temporis opportunitate recitandæ.

Quod pluribus comprobatur.

Ad meam hanc utcumque opinionem confirmandam accedit, quod & nullum ibi reperitur, quo aliqua ſpeciatim dicenda in ſolemnitatibus Domini Noſtri Jeſu Chriſti, videlicet Nativitatis, Epiphaniæ, Paſchatis, & Pentecoſtes, aut aliarum hujuſmodi, ac in feſtivitatibus B. M. Virg., Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum indicentur, quæ feſta pro eorum diverſitate cum & diverſas poſtulent orationes, gradualia, reſponſoria, Epiſtolas, & Evangelia cuique feſto convenientia, ſi in hoc ordine Miſſæ collocata fuiſſent, multis confuſionum labyrinthis celebrans involveretur, qui propterea, ut vitarentur, hunc ordinem Miſſæ ſeorſim poſitum, cætera vero pro varietate feſtorum, & temporum ſuo ordine in libris Miſſalibus deſcripta fuiſſe proculdubio dicendum eſt, id namque aſſertum noſtrum confirmant hæc ipſius Miſſæ Illyricianæ verba, quæ idem plane indicant: *Finita Angelica laude Miſſalem dicat orationem Sacerdos, deinde Lectio recitetur*: Hanc autem Miſſalem orationem, aut Lectionem, utique ex alio Sacrarum precum Codice petenda indicari hoc loco nemo inficias ibit.

Refellitur Illyricus, & diverſas olim Miſſas fuiſſe pro feſtorum, & temporum diverſitate.

At objicit Illyricus dicens unicam olim fuiſſe celebrandæ Miſſæ rationem, quemadmodum apud Græcos, & ſuam ita eſſe compoſitam, ut ſit pro omni neceſſitate, neque item antiquitus fuiſſe Miſſas de Sanctis, aut feſtis; ita hyperendoxus Centuriator, ex iis unus, quos jam pridem comotavit Apoſtolus I. ad Tim. cap. 6. v. 3. 4. *Non acquieſcentes ſanis ſermonibus, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ*: At veritate ipſa obſtruetur os loquentis mendacia; etenim quoad Græcos,

eos, etſi eorum Liturgiæ, quas nunc habemus, ſint veluti quædam Miſſæ communes, nihilominus in eorum Euchologio, aliiſque ritualibus, & ſacratum precum libris diverſæ Miſſæ pro feſtorum, ſolemnitatum, & temporum diverſitate reperiuntur, uti pleriſque in locis notat Jac. Goarius ad dictum Euchologium. Poſſem ex ipſis antiquis Eccleſiæ Patribus id uberius comprobare; at veterem iſtam univerſalis Eccleſiæ traditionem a particularibus Eccleſiis quibuſcumque ab initio ſemper obſervatam oſtendit infra Emin. Author cap. 15. §. 2. & ſuſius Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſæc. V. Diſſert. 25. art. 1. prop. 2. Item Vitus Ebermannus in vindiciis Controv. Bellarm. Controv. de Miſſa lib. 6. cap. 8., ac nuper Clar. P. D. Cajetanus M. Merati in ſuis Polemicis Diſſert. 27. per totam, ubi utriuſque Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ Patrum teſtimonia bene multa in hanc rem afferuntur.

Id variis argumentis oſtenditur.

Er ſane id omnis exigit ratio, id congruentiæ omnes fatendum eſſe compellunt; ſiquidem fierine poteſt quod Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, ac veteres illi primitivæ Eccleſiæ ſatores, qui nobis vitæ ſanctimonia, & omnis ſapientiæ doctrina præluxerunt Natalitia Domini feſta, Epiphaniorum, Paſchatis, Aſcenſionis, & Pentecoſtes, aliaſque ejuſmodi ſolemnitates celebraverint abſque ulla tantorum beneficiorum commemoratione, quæ nobis Deus Opt. Max. illis diebus impertiit? cum maxime in eorum recordationem, & grati animi propterea in Deum ſignificationem inſtituta ſint, non ſecus ac olim ipſe Deus feſta Paſchatis, Pentecoſtes, Tabernaculorum, & ſimilia Judæis obſervanda præcepit, uti appoſite notat S. Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſt. 116. *Illud autem*, inquit, *ne ignores Deum beneficiorum ſuorum commemorationem feſtis & olim, & nunc adſtrinxiſſe, ut qui feſtos dies celebrant auribus ſuis memoriam inſonantem habentes, non ad temulentiam, ſed ad gratiarum actionem ſe convertant*. Hinc ſi Judæi peculiares habebant ex Dei præcepto cæremonias, & preces pro opportunitate occurrentium feſtorum, quibus divina commemorarentur beneficia, uti videre eſt in libris Levitici, & Deuteronomii, credendum profecto erit, ac firmiter tenendum, quod Chriſti Eccleſia primitiva, quæ nonnullas ad Dei cultum religioſas obſervationes, (ur alibi diximus ad cap. 8. §. 1. not. 1.) in ſacratiorem, perfectioremque uſum redactas e Synagoga mutuavit, quemadmodum ex SS. Gregorio Nazianzeno, & Baſilio oſtendit Baronius ad an. 58. num. 83. eodem Deo inſpirante ſpeciales etiam, & proprias orationes ad Miſſam in præcipuis ſolemnitatibus, & feſtis dicendas, queis beneficiorum a Deo iis diebus perceptorum commemoratio fieret, jam inde a ſui initio ſtatuerit, & ordinaverit. Ad hæc ſcite idem Card. Baronius ann. 58. num. 92a. „ Deus „ inquit, qui in Decalogo legem præſcriptam dedit, qua feſtos dies juberet coli, „ eoſque illos eſſe poſtea declaravit, quibus „ maxima quædam ipſe contuliſſet beneficia, „ quæ, ne memoria exciderent, mille aliis „ monumentis in mentibus voluit eſſe fixa; „ cum vero per Filium ſuum in hunc Mundum miſſus, univerſo humano generi elargitus eſt dona, & immenſa addidit beneficia, cur non videretur ab eo pariter eſſe „ ſtatutum, ut eorum memoria æque ſolemniter celebrate anniverſaria coleretur? „ Neminem enim hæc adeo perſpicua negaturum putamus, niſi qui omnis prorſus a „ Deo inditæ homini rationis eſt expers, „ cum præſertim (ut pluribus dictum eſt) „ illa priora horum, quæ poſtea contigerunt, typum gererent, ſicque ea ratione, „ illa fore legitima ſempiterna, prædicta eſſent, quod licet typice aliquando, & ad „ rempus, illa poſtea vero ſecundum veritatem forent ab omnibus obſervanda.

Et primo ex Dei præſcripto in veteri teſtamento.

Ex Sanctis Patribus tum Græcis, tum Latinis.

Hanc proinde antiquiſſimam fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam ſatis indicat Sanctus Auguſtinus Epiſt. 35. nov. edir. agens ibi de hiſce ſolemnioribus Feſtis, quæ ætate ſua jam per univerſum orbem obſervata erant, & ab Apoſtolis inſtituta credebantur, Paſſionis ſcilicet, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Deſcenſus Spiritus Sancti, quibus myſteriis iidem Apoſtoli adfuere; & licet de Natali Domini ibidem nihil habeat, forte cum Apoſtoli hoc, ut prædicta, non viderint, quod velut minus celebrem reputet præ illis, quæ primo loco enumeravit, (uti autumat Florentinius in vet. Martyr. Exetc. 2. pag. 199. quod non facile admitterem) hanc nihilominus Nativitatis Dominicæ ſolemnitatem ab omnibus pariter Eccleſiis eodem cum cæteris præfatis feſtivo cultu obſervatam affirmat plerique ſermonibus ipſa die ad populum habitis, & S. Joannes Chryſoſtomus hom. 33. ad populum Antioch. Oper. Tom. V. eamdem feſtivitatem a longo rempore ex antiqua traditione in occidente 25. Decembris celebratam affirmat. Denique veteres pene omnes SS. Patres, qui his diebus homilias ad populum habuere, de hiſce feſtis ſic ſolemniter celebratis, ut de re antiquiſſima, locuti ſunt. Has vero ſolemnitates ſuas proprias Miſſas & antiquitus habuiſſe certis lectionibus, precibus, ac Collectis diſtinctas facili negotio demonſtrabimus.

Item ex praxi antiquiſſima Eccleſiæ univerſalis.

Et quidem maxime in præcipuis ſolemnitatibus Domini, Nativitatis.

De die Natali Domini qualiter a Romanis celebratus fuerit ſub Honorio Imp. ſeculo ſcilicet quinto, ita Joannes Nicænus in Epiſtola de die Natali Domini, quam Combefiſius ex græco tranſtulit, doctiſque adnotationibus illuſtravit, in Biblioth. PP. Lugd. Tom. XII. pag. 817. *Romani*, inquit, *ſua die Natale Domini celebrarunt cum lectionibus perfectis, multiſque troparis, atque modulis*. Quæ Græcis troparia Latinis ſunt gradualia, tractus, & reſponſoria, quibus vides Natalitium Domini diem ſuas proprias, atque ab aliis diſtinctas Lectiones, ac preces habuiſſe. Pari ſolemnitate cum Natali Domini celebratum antiquitus Epiphaniæ feſtum ſatis indicar S. Leo Papa I., qui ſermonem primum de Epiphania ſic exorditur: *Celebrate proximo die, quo intemerata virginitas humani generis edidit Salvatorem, Epiphaniæ nobis dilectiſſimi veneranda feſtivitas dat perſeverantiam gaudiorum*: Quinimmo hanc feſtivitatem, quæ an-

Epiphaniæ.

antiquis dicebatur teſte Florentinio præfato in vet. Martyr. Exerc. 2. pag. 200. majori ſolemnitate celebratam fuiſſe, antiquus Ordo Romanus iis verbis exprimit: *Nec hoc prætereundum eſt, quod ſecunda Nativitas Chriſti tot illuſtrata myſteriis honoratior ſit, quam prima.*

Paſchatis & Pentecoſtes.

Neque inferiori ritu Paſchatis dies celebrati erant, cum Paſchale feſtum omnium feſtorum maximum idem S. Leo prædicet ſerm. 47. de Quadrageſ. 10. ſerm. 49. de Quadrageſ. 12., & ſerm. de Paſſione Domini 9. Item Pentecoſtes feſta, quam ſolemnitatem ſolam Paſchali comparatam aſſerit S. Leo præfatus Epiſt. 136. alias 80. At etiam ipſe Sanctus Pontifex proprias lectiones tunc fuiſſe in hiſce ſimilibus feſtis ad Miſſam tum Epiſtolæ, tum Evangelii connotat ſerm. 39. de Quadrag. 2. & ſerm. 41., ſeu de Quadrag. 4. initio. *Prædicaturus*, inquit ..... *quo aptius utar exordio, quam ut verbis Apoſtoli ..... incipiam, dicamque, quod lectum eſt:* Dominica vero Palmarum Paſſionem Domini publice lectam in Miſſa initium ſermonis 50. ſeu de Paſſione Domini I. clare explicat his verbis: *Sacratiſſimum Dominicæ Paſſionis diem ..... tam plane, ac lucide Evangelicus ſermo referavit, ut religioſis, & piis cordibus non aliud ſit audiſſe, quæ lecta ſunt, quam vidiſſe, quæ geſta ſunt:* Ipſam vero Dominicæ Paſſionis hiſtoriam iteratam fuiſſe feria quarta ſequenti, ſicut, & nunc, ſignificant ultima fere verba ſermonis 3. de eadem Paſſione, ac prima ſermonis 13., quæ hanc univerſæ Eccleſiæ conſuetudinem eſſe teſtantur, quemadmodum ſerm. 18. cap. 2., & 19. cap. 1. Sanctus Pontifex obſervat ex more decurſam eſſe Evangelicam de Paſſione lectionem. Reſurrectionis autem hiſtoriam ex Evangelio pariter in die Paſchatis lectam exprimit initio ſerm. 2. de Reſurrectione, & ſerm. 94., ſive homilia de Transfiguratione Domini.

Item Dominicæ Palmarum, & Hebdomadæ ſanctæ, ſeu Paſſionis Domini.

Hinc optime hoc loco obſervat Paſchaſius Queſnellus, licet alias damnatus Author in Opera S. Leonis Parte 1. pag. 185. „ quod „ qui Miſſale Romanum paulo attentius legerit, haud difficile deprehendet plurima „ ibi inſerta legi, quæ Leoninam phraſim, „ dictionemque omnino redolent, tum in Collectis, tum in Præfationibus, ut dubium „ non ſit, magnam eorum partem, quæ vel „ in Officiis Eccleſiaſticis antiquarum præſertim ſolemnitatum, quas memoravimus, „ vel in Sacrorum Ordinum Collatione a Sanctiſſimo Pontifice Leone I. compoſita eſſe, „ vel reſtituta „: Hactenus ille. Quod & confirmat Ven. Card. Thomaſius in Præfat. ad ſuos Codices Sacramentorum, & videre eſt in ipſis antiquis Eccleſiæ Latinæ Sacramentariis tum ab eodem Card. Thomaſio, tum a Mabillonio editis, ubi etiam Miſſæ propriæ cum ſuis peculiaribus Collectis, Præfationibus, aliiſque precibus leguntur in Feſtis, ſive Dominicis, ſive B. Virginis, aut Sanctorum ibidem deſcriptis, ubi eorum Miſſæ plane diverſæ ſunt a reliquis de communi in fine appoſitis. Nedum autem in Eccleſia Romana, ſed & in aliis Occidentalibus id factitatum fuiſſe, adeoque communem ſemper extitiſſe Univerſalis Eccleſiæ praxim S. Auguſtinus pleriſque in locis, præcipue Prologo in 1. Epiſt. S. Joan. ac Tract. 9. in eumdem, & alibi. Nec minus in Oriente obſervatum fatetur S. Gregorius Nazianzenus ſerm. 1. de Paſchate, ubi de eadem ſolemnitate loquens: *Hæc*, inquit, *nobis feſtivitatum feſtivitas, & celebritatum celebritas, tanto cæteris omnibus non ſolum humanis, & humi depreſſis, ſed iis etiam, quæ ipſius Chriſti ſunt, ac propter ipſum celebrantur antecellens, quanto ſol ſtellis antecellit.* Hæc quoad Feſta Domini dicta, ſive de tempore.

Ex quibus colligitur id ſemper Eccleſiaſticæ diſciplinæ ex veriſſimi traditione fuiſſe.

In Sanctorum vero ſolemnitatibus idem pariter obſervatum, & proprias lectiones ad Miſſam in eorum commemoratione recitas fuiſſe prædictus S. Leo teſtatur ſermo 82. in Natali SS. ſeptem Fratrum Machabæorum, ubi ait circa initium: *Cauſam ergo ſolemnitatis hodiernæ, dilectiſſimi, pleniſſime Sacræ Hiſtoriæ lectione didiciſtis:* Sed & ante Leonem S. Cyprianus Epiſt. 34. ubi ait: *Sacrificia pro eis* (ideſt martyribus pro eorum ſcilicet honore) *ſemper offerimus, quoties Martyrum paſſiones, & dies anniverſaria commemoratione celebramus:* Et Epiſt. 37. ad Clerum ſuum diligenter admotari mandat dies, quibus Martyres excedunt, ac ſibi ſignificari, *ut*, inquit, *celebrentur hic a nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum:* quo teſtimonio nullum præſtantius, ſubdit Emin. Noſter infra cap. 15. §. 2., & ſane quomodo Martyrum paſſiones, & eorum commemorationes inter oblationes, & ſacrificia celebrari poſſunt, niſi lectis eorum actis, aut recitatis certis precibus, & orationibus, quibus ipſorum meritis apud Deum publice populo prædicatis eorumdem interceſſionibus pii fideles adjuventur? hinc Origenes tertii ſeculi Author hom. 3. in Matth., ubi de ſanctis Innocentibus, ex antiqua majorum traditione ait: *Bene, & ſecundum voluntatem Dei eorum memoriam Sancti Patres celebrari mandarunt ſempiternam in Eccleſiis.* Poſſem in hanc rem bene multos ex ſanctis Patribus producere teſtes, at antiquiſſimam eſſe ab Eccleſiæ initio conſuetudinem, quod præcipuæ Martyrum actiones inter ipſas etiam Miſſæ preces inſererentur, quemadmodum principalia ſalutis noſtræ myſteria, ut diximus, in Dominicis ſolemnitatibus, id, quod Miſſas proprias, & peculiares conſtituit, & non pro omnibus communes, ſatis ſuperque ex veteribus Liturgiis Romana, Gallicana, Mozarabica, & Ambroſiana, de quibus Hugo Menardus in Sacramentarium Gregorianum, Mabillonius in Ordinem Romanum Tom. 1. Muſæi Italici, & Tom. 2. pag. 275. de Sacram. Gallicano, item de Liturgia Gallicana, pleniſſime evincitur, & demonſtratur, ibi enim Miſſæ conteſtationes, quas nunc vulgo Præfationes appellamus, nihil aliud ſunt, quam Martyrum, de quibus Miſſa celebratur, præclare geſtorum expoſitio, atque de hujuſmodi conteſtationibus inrelligendus eſt Hilduini Abbatis Sandionyſiani locus in Epiſtola Areopagiticis præfixa, de qua infra ſeqq. Emin. Author, ubi ait: *inter celebrandum tormenta Martyrum ſuccinctè commemorari* in Miſſalibus libris, qui *ante receptum tenorem Romanum* in Gallia uſui habebantur.

Quod etiam obſervatum in Sanctorum ſolemnitatibus; & prius in Martyrum.

Neque vero de Sanctis tantum Martyribus,

ac Festis Beatiſs. Virginis hæ preces, ſeu conteſtationes antiquitus ad Miſſam recitatæ erant,

Deinde & Confeſſorum, ac Virginum a ſeculo quinto.

verum & a ſeculo quinto ineunte conſimiles de Sanctis Confeſſoribus legebantur, uti videre eſt in Miſſis SS. Martini, & Germani, quas infra refert ex ordinibus Gallicano, & Mozarabico Emin. Author, atque in Miſſa S. Hilarii Epiſc. in Miſſali Francorum apud Thomaſium pag. 418. Porro de harum precum, ſeu Præfationum Authoribus, earumque antiquitate dicetur ad lib. 2. cap. 10. §. 1. ubi in ipſis Eccleſiæ primordiis jam uſum hujuſmodi precum, ſeu Præfationum extitiſſe, earumque inſtitutionem vel Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris tribuendam eſſe demonſtrabitur. Atque his ſatura lance præmiſſis concludendum profecto eſt, quidquid in contrarium obtarrent Illyricus, ejuſque gregales Lutherani, & Calviniſtæ, unam quidem, & communem pro omnibus diebus Miſſam extitiſſe initio adoleſcentis Eccleſiæ, quando tamen nulla occurrebat aut Domini, vel Beatæ Virginis, aut Sanctorum celebranda feſtivitas; in his autem ſolemnitatibus Miſſas de iiſdem propriæ, & peculiares a communi diſtinctas, ut diximus, recitatas fuiſſe, quod ex Vigilio Papa ineuntis ſexti ſeculi teſte, proinde ante Gregorium Magnum plenius comprobatur. Ait ille in Epiſtola ad Profuturum Bracarenſem Epiſc. cap. 5. *Ordinem precum in celebritate Miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtivitate ſignificamus habere divijum, ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrare; quoties vero Paſchalis, aut Aſcenſionis Domini, vel Penteceſtes, & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda feſtivitas, ſingula capitula diebus apta ſubjungimus, quibus commemorationem ſanctæ ſolemnitatis, aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus, cætera vero ordine conſueto proſequimur. Quapropter, & ipſius Canonicæ precis textum direximus ſubter adjectum, quem Deo propitio ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus; Et ut charitas tua cognoſcat, quibus locis aliqua feſtivitatibus apta connectes, Paſchalis diei preces ſimiliter adjecimus.* Hæc Vigilius, qui etiam Miſſales orationes capitula vocavit ex antiquo more, quem videre eſt in Breviario Mozarabum, in quo complures orationes capitula vocantur. Ex ipſo itaque perſpicue dignoſcitur ordinem quidem precum in celebratione Miſſarum nulla feſtivitate diviſum, ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrata fuiſſe, ideſt Miſſam quamlibet cujuſcumque diei ſuum Introitum, Collectam, Epiſtolam, Gradуale, Evangelium, Offertorium, & reliqua ſuo loco, & ordine de more diſpoſita ſemper habuiſſe; hæc autem omnia, preces ſcilicet a Vigilio vocatas, diverſa fuiſſe pro diverſitate feſtorum, & temporum. Atque inde fatis probatum contra Illyricum non unicam olim fuiſſe celebrandæ Miſſæ rationem omnibus diebus communem, atque antiquitus item fuiſſe, ſicut & nunc, Miſſas de Sanctis, ac feſtis ſuis propriis Collectis, Lectionibus, & Præfationibus, aliiſque precibus pro diei exigentia diſpoſitas.

Reliquiæ dictionis in quibus Miſſæ propriæ non ſine Miſſæ communes dictæ.

Carolinalis rationibus additis quædam argumenta contra Illyricum.

Supereſt, ut Emin. Noſtri rationibus, & momentis, quibus Illyrici Miſſam veterem Gallicanam nullatenus eſſe viriliter oſtendit, nonnulla adjiciamus, quibus id uberius confirmetur. Et ſane dictam Illyricianam Miſſam nuſquam veteris Gallicanæ nomine nuncupari poſſe, quinimmo aliquando poſt extinctam Liturgiam Gallicanam, eamdem ſcriptam fuiſſe duo perſuadent, primo, quod & advertit Edmundus Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. lib. 1. cap. 4. art. 12. pag. 482. Sequentiæ, ſeu Proſæ, cujus origo ſeculum nonum excedere non videtur, mentionem facit iis verbis: *Deinde lectio recitetur, & inter lectionem, & Evangelium, ideſt tempore Gradualis, & Alleluja, ac Sequentiæ Epiſcopus dicat has orationes &c.* Siquidem, uti obſervat Durandus lib. 4. cap. 21. Sequentias a Notkero Balbulo, non Abbate, ut ipſe perperam putat, ſed Monacho tantum Sangallenſi, qui anno 912. deceſſit, primum compoſitas fuiſſe, & Nicolaum Papam II. ſeculo XI. ad Miſſam cantari præceptiſſe. Secundo, quod in Symbolo legitur additamentum *Filioque*, quod a Caroli Magni tempore initium habet. Adde, quod in illa Miſſa præſcribitur initio verſus *introitu* cum Pſalmo *Judica*, qui apud antiquos in uſu non erant, uti Emin. Noſter infra optime oſtendit lib. 2. cap. 2. §. 3.

Item, ut notat Mabillonius in ſuo ad Ordinem Romanum Commentario circa finem, orationes, quæ in Miſſa Illyrici referuntur, primo Romanæ Eccleſiæ inſtituto non convenire, immo in illis aliqua penitus adverſari, quale eſt id; quod ante Canonem legitur: *deinde cum ſumma reverentia incipiat, Te igitur, & Miniſtri ſtantes in gradibus ſuis cantent ipſos Pſalmos uſque dum, Te igitur finiatur*: Contra vero in libellis antiquioribus Ordinis Romani præſcribitur, ut Pontifice Canonem recitante ſummum in Choro teneatur ſilentium, & miniſtri perſtent inclinati ſilentes per totum Canonem, quod etiam evincitur ex Amalario Ecloga 21. 24., & 26. atque item obſervat Emin. infra lib. 2. cap. XI. §. 1. Quare hanc Miſſam multis ſuperadditis orationibus, & Pſalmis interpolatam, non fuiſſe, ſpeciale alicujus Regni, vel Provinciæ, ſed unius tantum, vel aliquot Eccleſiarum privata authoritate, non publica Synodorum, aut Apoſtolicæ Sedis approbatione inſtitutam, ut rectè opinatur Emin. Author, & infra uberius conſtabit, indubium eſt, eo vel maxime cum omnia, quæ Sacerdos dicit, ſint juxta ordinem Miſſæ Romanæ, nihilque amplius hæc Miſſa Illyrici revera extra ordinem habeat, niſi longas, & prolixas orationes, ac pſalmos, five a Celebrante, five a Miniſtris vel a Choro pro Sacrificii præparatione, ejuſdem communione, aut gratiarum actione recitandas.

Ex quibus denuo concluditur Illyrici Miſſam ſpecialem eſſe non alicujus Regni vel Provinciæ, ſed Eccleſiæ particularis tantum.

Obſervandum inſuper ex Hugone Menardo in notis ad Sacramentarium Gregorii, quod Codex MS. unde ſuum Miſſam expreſſit Illyricus, non eſt adeo antiquus, ut ipſe autumat, in ea ſiquidem ter reperitur littera N., quæ vulgo ponitur loco nominis proprii, cum ejuſmodi figura cœperit paulo ante annum milleſimum poſt Chriſtum natum; in antiquioribus enim codicibus MSS. pro hac littera

littera N. ponitur hæc nota Ill. cum tranſverſa linea, uti videre eſt in antiquiſſimis Sacramentorum libris, quemadmodum & in formulis Marculphi, & Sirmondicis, ubi pro N. legitur *ille*, *illi*, apud Baluzium Capitul. Reg. Franc. Tom. 1. item in Litaniis Miſſæ ſubjectis, inter ſanctos Martyres, invocatur S. Adalbertus, quem ſeculo decimo exeunte Martyrio affectum fuiſſe conſtat apud Baronium in notis ad Martyr. Rom. ſub die 23. Aprilis. Verum his non obſtantibus Antonius Arnaldus in ſuo opere de Perpetuitate fidei Tom. 1. lib. 8. cap. 3. putat hanc Illyrici Miſſam, ſicut & illam, quam Hugo Menardus edidit ſub Ratoldi nomine antiquiſſimas eſſe, & ante receptum in Gallia Ordinem Romanum uſurpatas, cui noviſſime ſubſcripſit P. Honoratus a S. Maria Carmelita excalceatus, qui inter hujus ſeculi eruditos non infimum obtinens locum, & ipſe Illyricianam Miſſam prædictam veterem Gallicanam, ac proinde Romana, immo & omnibus Latinis quibuſvis Liturgiis antiquiorem eſſe contendit Tom. 3. de Regulis, & uſu Critices edit. Venetæ pag. 243., item in Præfatione ejuſdem operis, quod an admittendum prædictis obſtantibus in contrarium allatis rationibus judicent Eruditi. Quidquid ſit, id numquam Arnaldus, & Honoratus conficient, ut Miſſæ veteris Gallicanæ notæ, de quibus §. ſequenti, a priſcis Galliæ Scriptoribus indicatæ, quæ in Illyrici Miſſa deſunt, ibidem reperiantur, ut infra uberius conſtabit, ibi enim ſi quis eamdem Illyricianam Miſſam cum Gallicana, & Mozaraba conferat, eam profecto ab illis plane diverſam, facile deprehendet, ac proinde non ante receptum Ordinem Romanum in Gallias invectum, ſed ipſiſſimam eſſe Liturgiam Romanam variis, ut dictum eſt, orationibus a Celebrante dum Chorus canat, recitandis interpolatam, uti cum Emin. noſtro, aliiſque ab ipſo allegatis apprime oſtendum Mabillonius Comment. in Ord. Rom. pag. CLVI., & Martene, ut ſupra loco citato.

Neque ante annum milleſimum compoſitas hæc Miſſa quidquid aliter ſentiant Arnaldus, & Honoratus a S. Maria.

Hanc autem Illyrici Miſſam ſcriptam fuiſſe ad uſum Monaſterii S. Petri Hornbacenſis in Diœceſi Metenſi conjicit Mabillonius ab una ex variis ad oblationem orationibus, in qua Sacerdos celebrans offert *pro ſeniore noſtro, & cuncta Congregatione S. Petri*: & in alia: *pro noſtræ Congregationis ſalute, & pro omnibus in Chriſto fratribus, & ſororibus noſtris*: Revera præfatum Cœnobium *Congregatio S. Petri* ex Monaſterio Hornbach appellatur in titulo Epiſtolæ 112. inter Bonifacianas ad Riculphum Lulli Succeſſorem; verum probabilius ad uſum Salisburgenſis Eccleſiæ, quæ Sancto Petro dedicata eſt, & Benedictinis inſtitutis ab initio paruit, arbitratur Edmundus Martene loco indicato: cum vero a dicta Eccleſia non longe eſſet Virginum Monaſterium a S. Ruperto, qui eamdem Eccleſiam conſtruxerat, fundatum, recte omnino potuit, ait ille, dici *pro noſtræ Congregationis ſalute*: opinionem hanc ſuam confirmat ex veteri Pontificali Salisburgenſi ante annos 600. exarato, in quo eadem Miſſa compendio redacta continetur. Porro ſive S. Petri Hornbacenſis, ut autumat Mabillonius, ſive Salisburgenſis, ut contendit Martenius, certe alicujus Monaſticæ particularis Congregationis hunc Sacrificii ritum fuiſſe conjicitur ex Sanctis, qui in Litaniis in fine Miſſæ recenſentur, plures enim Sancti Monachi ſingillatim invocantur, illi præcipue qui ante annum milleſimum floruerunt. Quibus omnibus undequaque expenſis perſpicue conſtat Illyrici Miſſam veterem Gallicanam nullatenus eſſe poſſe, nec ante dictum annum milleſimum exaratam fuiſſe, ac propterea falſitatis, & impoſturæ convictum Magdeburgenſem Centuriatorem.

Et quidem ad uſum Eccleſiæ Salisburgenſis, vel Monaſterii Hornbacenſis.

§. V.

Ritus Gallicani veſtigia ex antiquis Scriptoribus.

REſtat nunc pars diſquiſitionis obſcurior, quæ revera, & qualis fuerit in Galliis ſacrificii offerendi ratio ante Pipinum uſitata. Et quia non licet in re tam gravi aliquid proprio ingenio fingere, aut divinare, evolvenda Antiquorum monumenta ſunt, & ſolerter inveſtigandum, an ſaltem ejus veſtigia alicubi reperiantur, ut ex iis, quantum fieri poterit, de toto corpore, quod interiit, judicium ferre poſſimus. Occurrit autem hæc indaganti primus omnium Hilduinus, qui in Epiſtola ad Ludovicum Pium, quam ſuis Areopagiticis præfixit, poſtquam de vita Sancti Dionyſii ſcripta cujuſdam Visbii commemoravit, alterum teſtem profert antiquum Ordinem Miſſæ Gallicanæ his verbis: *Cui adſtipulari videntur antiquiſſimi, & nimia pene vetuſtate conſumpti Miſſales libri continentes Miſſæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei uſu in hac Occidentali plaga eſt habitus, uſquequo tenorem, quo nunc utitur, Romanum ſuſceperit. In quibus voluminibus habentur duæ Miſſæ, quæ ſic inter celebrandum ad provocandam divinæ miſerationis clementiam, & corda populi ad devotionis ſtudium excitanda, tormenta Martyris, ſociorumque ejus ſuccincte commemorant, ſicut & reliquæ Miſſæ ibidem ſcriptæ aliorum Apoſtolorum, vel Martyrum, quorum paſſiones*

habentur, notiſſime decantant. Hæc Hilduinus, ex quo habemus primam notam Miſſæ Gallicanæ, quod ejus ſcilicet orationes Sanctorum Martyrum paſſiones ſtrictim complecterentur. Alteram ſuppeditat Carolus Calvus Imperator ſic ſcribens in Epiſtola ad Clerum Ravennatem: *Uſque ad tempora abavi noſtri Pipini Gallicanæ Eccleſiæ aliter quam Romana, vel Mediolanenſis Eccleſia divina celebrabant officia, ſicut vidimus & audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ Eccleſiæ ad nos venientes ſecundum morem ipſius Eccleſiæ coram nobis ſacra officia celebrarunt. Celebrata etiam ſunt coram nobis Miſſarum officia more Hieroſolymitano Auctore Jacobo Apoſtolo, & more Conſtantinopolitano auctore Baſilio: ſed nos ſequendam ducimus Romanam Eccleſiam in Miſſarum celebratione*. Hæc altera nota eſt, quod Miſſa Gallicana eadem eſſet ac Toletana, quandoquidem Carolus, ut ejus diſcrimen a Romana oculis & auribus perciperet, more Toletano juſſit coram ſe celebrari. Huc etiam ſpectat Berno Augienſis Abbas, qui cap. 2. ait, *in noſtri Monaſterii Archivo habetur Miſſalis longe aliter ordinatus, quam Romanæ Eccleſiæ ſe habeat uſus*. Loquitur autem ibi de diverſitate veteris Miſſæ Gallorum & Hiſpanorum a Romana. Cum igitur ex teſtimonio Hilduini Abbatis hoc Miſſæ Gallicanæ peculiare fuerit, quod ejus orationibus Martyrum Paſſiones inſertæ eſſent: cum Carolus Rex teſtetur ſe ab Eccleſia Toletana adſciviſſe Presbyteros, qui priſco & dudum in Galliis abolito ritu coram ſe ſacrificium offerrent: hinc manifeſte deducitur veterem Miſſam Gallicanam ei ſimilem fuiſſe, quæ Toleti & per univerſam Hiſpaniam atque etiam in Gallia Narbonenſi (1) Gothorum regno ſubdita agebatur, eo ritu qui Mozarabicus nuncupatur, de quo Capite ſuperiori actum eſt; eo ſiquidem ritu Sanctorum geſta & paſſiones in præfationibus, & aliis Liturgicis precibus commemorantur, eique ſoli convenit eſſe prorſus diverſum a Romano, ut de ſuo Miſſali aſſeruit Berno Abbas. Accedit huic ſententiæ, ſeu mavis conjecturæ, robur ex Gregorio Turonenſi, in cujus hiſtoria quædam Miſſæ Gothicæ veſtigia in Eccleſiis Gallicanis eo vivente celebratæ mihi deprehendere viſus ſum. Nam *lib.* 4. *cap.* 16. lectam primo ad Miſſam ait Prophetiam, tum Lectionem ex Apoſtolo, demum Evangelium: agit autem de S. Tetrico Epiſcopo Lingonenſi. Et lib. 8. cap. 7. *Adveniente*, inquit, *die Dominico Rex Eccleſiam ad ſpectanda Miſſarum ſolemnia petit, fratres vero conſacerdoteſque, qui aderant, locum Palladio Epiſcopo ad agenda feſta præbuerunt. Quo incipiente Prophetiam, Rex interrogat quis eſſet*. Libro item 7. cap. 8. meminit ſilentii indicti in Miſſa, quod proprium eſt Miſſæ Mozarabicæ, ſicut & legere in ſingulis Miſſis Prophetiam ante Epiſtolam (2). Cæſarius quoque Arelatenſis hom. 12. Lectiones Propheticas, Apoſtolicas, & Evangelicas recitatas in Miſſa commemorat. Poterunt & alia hujuſmodi veſtigia in rerum Gallicarum ſcriptoribus fortaſſis reperiri, ſi quis eos attentius evolvat; ſed mihi tantum otii non eſt.

(1) *Atque etiam in Gallia Narbonenſi*) Ad hunc locum paulo ante dictus Pater Honoratus a Sancta Maria loco ſupra citato pag. 192. ex Emin. Scriptoris verbis: *Hinc manifeſte deducitur Miſſam Gallicanam veterem ei ſimilem fuiſſe, quæ Toleti, & per univerſam Hiſpaniam, atque etiam in Gallia Narbonenſi*: Colligit ipſe ſapientem, ut ait, hunc Cardinalem certo aberraſſe: „ nam (ſicut ſubdit) „ Liturgia Gallicana, quæ ſimilis eſt Hiſpa- „ nicæ, non eſt antiqua Gallicana, ſed Go- „ thica Gallicana, quæ ita vocatur, quia „ uſitata erat in Provinciis Galliarum, quæ „ Dominio Gothorum ſuberant; Miſſa autem „ Gallicana antiqua erat communis reliquis „ Francorum populis; ſic Miſſa Gallicana, „ quæ ſimilis eſt, vel eadem, quæ Hiſpa- „ norum, non eſt antiqua Gallicana, aut Ge- „ laſiana, ſed Gothica Gallicana, quæ con- „ tinuo ita appellata fuit Gothica, quia Go- „ thi dominabantur in Hiſpania, nominata „ quoque Gallicana, quia Gentes iſtæ poſſi- „ debant & Galliam Narbonenſem. At quan- „ do Gothi ex Hiſpania a Mauris fuerunt ejecti

(1)

(2)

„ ejecti, Liturgia iſta non fuit amplius ap-
„ pellata Gothica, aut Gothica Gallicana,
„ ſed Mozarabica, vel Muzarabica. P. Tho-
„ maſius, & P. Mabillonius, ut hanc a Gal-
„ licana diſtinguerent, hanc nominant Galli-
„ canam veterem, illam vero Gothico-Gal-
„ licanam „ Hæc Honoratus, qui non modo Emin. Noſtrum carpit, ut vidimus, ſed & neque Ven. Card. Thomaſio, ac Mabillonio parcit. Hinc priuſquam ei ſuam vicem rependamus, præſtat in anteceſſum ipſum audire, quid de antiqua Miſſa Gallicana dicto Tom. 3. Differt. 3. Lib. 5. art. 3. §. 2. pertractans, circa eamdem ſentiat. Ibi itaque oſtendit ſe propendere in illam opinionem, quod Miſſa Gallicana vetus ſorte eadem ſit cum Gelaſiana; Rem hanc pluribus ibidem proſequitur dictus Auctor: & quidem circa tria Sacramentaria a Thomaſio, & Mabillonio edita, nimirum *Miſſale Gothicum*, *Francorum*, & *Gallicanum* vetus, de quibus infra, quæ ita appellantur, nulla facta mentione de Gelaſiano, circa tria, inquam, iſta Miſſalia obſervat duobus iſtis Scriptoribus, uti & Noſtro Cardinali Bona adeo parum conſtitiſſe de diſtinctione, quam inter illa Miſſalia ponunt, ut ea confundant inter ſe ab iis, ut ibidem dicitur, alio nomine utentibus.

P. Honorati a S. Maria Cenſura in Cardinales Bona, & Thomaſium atque Mabillonium exprimitur.

Qua de re poſtquam latius diſſeruit, concludit pag. 195. quod illud ſit totum fundamentum horum Authorum adeo diverſa nomina dandi uni, eidemque Miſſali, atque ex uno ſolo faciendi tria; neque vero induci ſe poſſe, addit, ut credat, quod iſti Scriptores dare queant vadem aliquem ſeculo ultimo anteriorem, qui Liturgiam jam inde a ſeculo quinto in Gallia uſitatam aliquo ex jam dictis nominibus nuncuparit. Contra vero quod libri Miſſales apud Gallos uſitati initio ſeculi noni dicerentur Gelaſiani ex teſtimonio, inquit, irrefragabili colligitur; nam in deſcriptione, ſeu recenſione bonorum Centulenſis Monaſterii anno Chriſti 811. facta, atque apud Dacherium edita Tom. IV. Spicilegii lib. 3. cap. 3. Chronici dicti Cœnobii, (de qua etiam meminit Emin. Author infra cap. 25. §. 10., & lib. 2. cap. 5. §. 4.) inter libros Sacros tres tantum Miſſales Gregoriani numerantur, & XLX. Gelaſiani; juxta hunc itaque textum Miſſa tunc celebrabatur in Gallia Ritibus diverſis tribus; Romano videlicet, qui eo erat introductus tempore Caroli Magni; at nedum adeo generaliter firmatus, & ſtabilis, ut antiquus Gelaſianus Ritus ibidem abolitus exiſteret. Itaque ſpectatis dicti Centulenſis monumenti terminis, ac verbis, ordo Gelaſianus tunc temporis ibidem adhuc obtinuiſſe, ſoluſque idem cognitus eſſe videtur, antequam Carolus Magnus in Gallia, & Germania Romanum introduxerit, cum in dicto Monaſterio Centulenſi novemdecim eſſent Miſſales Gelaſiani, uſitati tunc moris, non obſoleti, aut abrogati, deque iis ratio habeatur tamquam *De libris Sacrarii, qui miniſterio Altaris deſerviunt*: & vero non alium Ritum in Gallia extitiſſe tempore Caroli Magni, quam Gelaſianum, ſuadere intendit Honoratus a pag. 196. qui ſuſius inde idem argumentum proſequitur.

In memoriam quoque revocat ibi pag. 198. quod Thomaſius Miſſale *Gothicum* ab ipſo appellatum in Francia uſitatum fuiſſe crediderit, antequam Romani Ritus ibidem admiſſi fuerint, qui admodum, inquit, diverſi erant ab expreſſis in iſto Miſſali Gothico, hæc ita habet in Præf. ad Codices Sacram. *Sane Gallicanæ Eccleſiæ vetus hoc eſſe Miſſale, antequam Romanos Ritus ab eo longe diverſos admitteret, mihi pene* (non plene, ſicut legit Honoratus) *exploratum habetur*: Jam vero idem Religioſus Carmelita, magnuſque inter Gallos criticus certum eſſe affirmat, quod miſſale apud Francos uſitatum ante Caroli Magni tempora, non fuerit illud, quod Thomaſius appellat *Gothicum*, ſed illud, quod alibi vocat *Gallicanum vetus*, quia hoc ſit, quod *animadverto*, inquit, *ad Romanos Ritus propius præ illis accedere*. At Mabillonius Liturgiæ Gallic. lib. 3. in Præfat. item conſentit, quod in Gallicano veteri *Ordo ex Romano, & Gallicano mixtus exhibetur*: id, quod de Miſſali Gothico, quod ab Ordine Romano admodum diverſum ſit, intelligi haud poſſe, contendit Honoratus.

Satis hucuſque audivimus, etſi ſtrictim, ſummum in Gallia Criticorum Cenſorem nimium forte in ſenſu ſuo abundantem, qui nec tot præſtantiſſimis viris indulgere ſibi propoſuit. Videamus nunc an iſti vere hallucinati certo aberraverint, præcipue Cardinalis Noſter, ut hic cenſor, inquit, ſoluſque præ illis rem acu attingens hac in parte ſapiat Honoratus, quem alias utique eruditiſſimi Scriptoris nomine honorandum merito dicimus. Ipſum itaque non ſatis ad Bonæ, ac Thomaſii Cardinalium, ſicut & Mabillonii verba reſpexiſſe, eorumque ſenſum percepiſſe oſtendimus. Etenim Emin. noſter §. ſequenti de Miſſali Gothico loquens: *initio*, ait, *præfixus hic titulus eſt manu recentiori*: *Miſſale Gothicum*: ubi notanda ea verba: *manu recentiori*, quæ profecto indicant ita eum appellaſſe, quia ſic ſcriptum invenit, cum ipſe propterea, ut in fine ſubdit, eumdem Codicem Gallicanum deinceps appellare maluerit, exiſtimans, (quod revera eſt, ut inquit Mabillonius in Liturg. Gall. pag. 175.) hoc eſſe vetus Miſſale Gallicanum, ſeu Gothicum.

Idem præſtantes Viri ab inflicta nota vindicantur.

Et ſane in collatione utriuſque Miſſalis, Gallicani veteris, ac Mozarabici Miſſa S. Martini ex Miſſali, quem vocat Gallicanum, ſeu Gothicum, ut Thomaſius pag. 384. & ex eodem Miſſam S. Stephani ibid. pag. 269. deſumpſit; Miſſam autem S. Germani ex Miſſali, quem Thomaſius vocat Gallicanum vetus pag. 433., cujus & ipſe Card. noſter meminit cap. antecedenti §. 6., & 8. ubi vides Emin. Bona parum, aut nihil de hujuſmodi Miſſalis, ſive Gothici, ſive Gallicani veteris nuncupati nomine, aut appellatione curaſſe, idque unum intendiſſe, quod invicte probat, & Miſſale Gothicum, & Gallicanum vetus, ſic dicta hæc Miſſalia, cum Mozarabico convenire, eamdemque Miſſam eſſe Gallicanam veterem, ac Toletanam, ſeu Mozarabicam; utriuſque concordantiam, & ſimilitudinem oſtendit Cardinalis, earumdem diſparitatem aſſignet, ſi valet Honoratus; nam veteres Gallicani

ſicani Miſſarum Codices hucuſque editi, non alii proferuntur, niſi quos Thomaſius primum, & deinde Mabillonius in ſua Liturgia Gallicana evulgarunt, ſcilicet Miſſale Gothicum, Miſſale Francorum, & Gallicanum vetus, ac denique Sacramentarium Gallicanum, quod idem Mabillonius ad calcem Tom. I. ſui Muſæi Ital. adjecit, quodque cum Miſſali Gothico, ſeu Gallicano convenire teſtatur in Præfat. num. 2. Gothicum autem, & Gallicanum vetus cum Mozarabo concordare, eique fere per omnia allimilari, ex dictis utriuſque Miſſis, ut infra invicem collatis manifeſte conſtat; qui etiam Mabillonius lib. 3. de Liturg. Gallic. n. 2. ait in dicto Miſſali Gothico, ſeu Gallicano, purum Gallicanum Miſſæ ordinem contineri.

Miſſale autem Francorum, quod aut non vidit, aut communiſci noluit Emin. Author, cum dicto Gothico idem convenire fatetur, & pluribus probat Ven. Card. Thomaſius laudatus in ſua Præfatione ad Codices Sacramentorum, ubi poſtquam Emin. Bonæ in re Liturgica Magistri fui, ut ipſe dum viveret, mihi ingenue ſignificare dignatus eſt, ſententiam hujuſmodi de convenientia Mozarabici, ſeu Toletani Ritus cum Gothico, ſeu Gallicano veteri, quem ipſe utroque nomine vocat, paſſis brachiis amplexus fuerit, eamque pluribus item momentis confirmatam pronunciaverit, ut & infra §. ſequenti patebit, de eodem Miſſali Francorum hæc in comprobationem tum dictæ ſententiæ Card. Bonæ, tum ſuæ, quod ſcilicet Gothicum Miſſale ſit illud Gallicanum priſcum, & præſertim Galliæ Narbonenſis Gothorum Regno olim ſubjectæ, antequam Romani Ritus in Galliam, Pipino, & Carolo Magno agentibus, inducerentur: hæc, inquam, dicit: „ Id tanum non prætermittam, authoritatem ſcilicet omni exceptione majorem Miſſalis „ Francorum, quod in hac collectione edi„ mus. Cum enim illud ex una parte Fran„ corum eſſe negari non poſſit, ut ex Miſſas „ pro Rege Francorum patet, & eumdem „ ex altera Miſſæ ordinem, & precum ſe„ riem contineat, quam hoc Gothicum ex„ hibet; hinc liquet ipſummet Miſſæ teno„ rem fuiſſe per Gallias, ſive Narbonenſem, „ & Aquitanicam, quæ olim Viſigothis pa„ ruerunt, ſive Celticam, & Belgicam, ubi „ Franci ſui Regni exordia in Galliis ſumſerunt: „ Hæc Card. Thomaſius, qui & de eodem Miſſali Francorum hæc iis, quæ ex Morino retulit, ſubdens, inquit. „ Cui tanum tum ſubjungo hoc Francorum Miſſali pla„ ne demonſtrari veterem Galliæ Ritum in„ Miſſa diſſimilem in multis a Romano, „ conſimilem vero, ſi precum ſeriem attendamus, Gothico, Gallicanoque Miſſalibus „ hic editis „.

Et dictum P. Honoratum, vere hallucinatum, & aberrantem fuiſſe pluribus argumentis oſtenditur.

Itaque Ven. Card. Thomaſius, & anteipſum Bona Noſter, quibus & ſubſcribit Joannes Pinius in ſuo Tractatu de Liturgia Mozarabum cap. 3. §. 6., & cap. 10. §. 4. non ſine juſto rationum pondere in hanc eamdem convenere ſententiam, quod nempe idemipſe fere in omnibus fuerit Miſſæ ordo per Gallias, ſive Narbonenſem, & Aquitanicam, ſive Celticam, & Belgicam, adeoque per omne Francorum Regnum, ac qui per univerſam Hiſpaniam olim ſervabatur; non autem hallucinati ſunt tria hæc Miſſalia inter ſe diſtinguentes, iiſque diverſa nomina dantes juxta diverſitatem Regionum, & gentium, pro quibus inſerviſſe argui potuit; neque etiam ex uno ſolo tria hujuſmodi facere intenderunt præclariſſimi Authores, uti perperam, & falſo ſupponit Honoratus, tria enim reapſe Miſſalia eſſe, atque invicem diſcreta, tres iſti ſummi, & eximii viri Bona, Thomaſius, & Mabillonius, non utcumque aſſerunt, ſed & quibus argumentis id fieri licuit, luculenter evincunt, quæ profecto exſufflare debuerat, ſi potis erat, Criticus Carmelita, aut alia ſaltem ſolidiora proferre.

Et ſane præter rationes ab ipſis allatas, licet in dictis Miſſalibus Miſſæ Ordo, ut diximus, fere conſimilis ſit, precum tamen formulæ ſunt diverſæ, uti præ cæteris videre eſt in Miſſa de Symboli traditione, quæ in Miſſali Gothico reperitur pag. 328. & in Gallicano veteri pag. 433. nam initium Miſſæ utrobique idem eſt, ſed orationes hæc nonnullæ ſunt, quæ deſunt in primo, in quo etiam aliæ ab hoc diſtinctæ leguntur. Item in benedictione Cereæ (ut ibi dicitur) Beati Augustini Epiſc. quam adhuc Diaconus edidit, & cecinit, quæ utroque in Codice eadem eſt, clauſula finalis in Gothico diverſa eſt, ac verbis copioſior ea, quæ extat in Gallicano veteri; orationes pariter Paſchales, quæ ibidem hinc inde ſubſequuntur, & numero duodecim, aliæ ab aliis in uno, & altero Miſſali diverſæ, & aliquibus titulis, ac verborum formulis extant; Miſſæ inſuper in Octava Paſchæ per ſingulos dies prorſus diſſimiles, ac diſtinctæ inter ſe ſunt utroque in loco, quemadmodum & Miſſæ de communi, ſive Martyrum, ſive aliorum Sanctorum, tum in Gothico prædicto, tum in Miſſali Francorum, ubi etiam Miſſæ aliæ quatuor communes, quæ Miſſæ Dominicales in Gothico vocantur, & ſex ibi numerantur, diverſæ ſunt. Quæ omnia ſatis ſuperque indicant hæc non unum, ſed tria procul dubio diſtincta Miſſalia eſſe.

Futilis porro, & eruditiſſimo viro prorſus indigna illa excceptio eſt, qua induci ſe non poſſe ait Cl. P. Honoratus, ut credat, quod iſti Scriptores dare queant vadem aliquem ſeculo ultimo anteriorem, qui Liturgiam jam inde a ſeculo quinto uſitatam aliquo ex dictis nominibus nuncuparit; etenim Hilduinus Abbas S. Dionyſii paulo ante ab Emin. teſtem antiquitatis Miſſæ Gallicanæ vocatus, (ad quem eximius Author non reſpexit, cum plane debuiſſet, ut rectius judicium ſuum librareт) expreſe eamdem Gallicanam Liturgiam, ejuſque ordinem indicat; quid namque, amabo, aliud ſignificant ea ipſius Hilduini verba *antiquiſſimi, & nimia pene vetuſtate conſumpti Miſſales libri continentes Miſſæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei uſu in hac occidentali plaga eſt habitus, uſquequo tenorem, quo nunc utitur, Romanum ſuſceperit*: Quid, inquam, Miſſæ ordo more Gallico eſt, niſi Miſſa, ſeu Liturgia

turgia Gallicana? Floruit Hilduinus eodem sæculo, ac tempore, quo recensio bonorum Monasterii Centulensis ab Honorato tamquam irrefragabile testimonium suæ sententiæ laudata, facta fuit, anno siquidem 834. præfatus Sandionysianus Abbas Areopagitica sua jussu Ludovici Pii Imp. conscripsit. Horum item vetustissimorum Missalium meminit Hincmarus Rhemensis Archiepisc. in Epistola ad Carolum Calvum Imp. anno 875. data. Quod si clarius hoc ipso nomine Gallicanæ Liturgiæ veterem Francorum Missam nuncupatam proferri insuper velit Honoratus, testem fortasse Hilduino antiquiorem adducimus. Is est vetustissimus ille manuscriptus Codex, quem maxime commendat Jacobus Usserius Armachanus in suis Britannicarum Ecclesiarum Antiquitatibus Dublini editis an. 1639., & ante annos mille exaratus ab eodem asseritur, quem etiam Codicem laudat Joannes Grancolasius Antiq. Liturg. Tom. 1. pag. 348. In illo igitur sic inscripto *De Ecclesiasticorum officiorum origine* legitur Sanctos Germanum Antissiodorensem, & Lupum Trecensem Episcopos Missæ Ordinem Gallicanum in Britannia detulisse his verbis: *Originem cursus Gallici, Gallicanam Liturgiam.*

Suo item fundamento plane corruit Honorati assertio, qua ex unico fere Anonymi Centulensis testimonio ait, Gelasianum ordinem solum fuisse cognitum in Gallia, neque alium ibi extitisse usitatum Missæ Ritum, antequam Carolus Magnus in Gallia, & Germania Romanum introduxerit, nam primo ex singulari, ut omnes, norunt, non valet inferri ad universale, hinc ex unius, aut alterius Monasterii consuetudine perperam deducitur eamdem in reliquis omnibus Galliæ, & Germaniæ Provinciis obtinuisse, cum ut supra dictum est cap. 6. §. 3., & cap. 7. §. 6. in dictis præsertim regionibus non una olim & eadem Liturgia pro singulis locis usitata fuerit, cum diversas sibi singuli Ecclesiarum Prælati, & Monasteriorum Præfecti, sive ex proprio arbitratu, sive pro loci conditione, aut patriæ moribus adoptaverint; quare veterem Liturgiam Gallicanam singularem, quæ ubique uniformis servaretur, invenire difficillimum, & vix possibile fuit, quemadmodum supra innuimus indicato cap. 7. §. 6. de ordine Missæ Romanæ qualis fuerit ante Leonem, seu Gelasium, id quod divinare possumus, non definire; ait quippe Mabillonius de Liturgia Gallic. lib. 1. cap. 2. n. 4. qualis fuerit primigenius ille (Romanæ Missæ ordo) non omnino constat.

Sed ne alia, quæ eidem Religioso censori eruditissimo forent reponenda proferamus, neve diutius tricis hisce immoremur, cum ex hucusque productis momentis satis superque, quin & plenissime constet Cardinalem Nostrum non certo aberrasse, uti dictus autumat disertus Cœnobita, pro sententiæ Liturgici Scriptoris confirmatione vindicem alterum celebrem Ascetam, & Gallum item damus Joannem Mabillonium magni plane nominis, atque in re Liturgica præ Honorato (id absque disparitatis præjudicio liceat) sublimis subsellii virum. Is de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 3. num. 14. sic fatur: „ Porro Gallíæ Narbonensis Ecclesias eumdem Ritum „ in Sacris, atque Hispanicas adhibuisse patet ex Concilii IV. Toletani can. 12. quo „ statuitur, *ut pari modo Gallia, Hispaniaque celebret*. Nec admittenda est correctio, quæ „ ad oram librorum editorum apponitur, ubi „ pro *Gallia* hic, atque etiam in Canone „ sequenti Gallicia ponitur, hunc quippe „ locum ita legit Berno Abbas Augiensis cap. „ 2., ubi Gallos, & Hispanos *in Missarum „ suarum celebritate* a Romano usu similiter „ recessisse fatetur: Atqui non solum Gallia „ Narbonensis, sed etiam aliæ Galliarum Provinciæ in eodem Ritu conveniebant, ut ex „ jam dictis colligitur, constabitque amplius „ ex iis, quæ ex Gregorio Turonensi Epitcopo postea deferemus„ (cap. 5.lice 5.) ubi plura ex eodem, aliisque monumentis congerit Benedictinus Annalista, cui, ut vidimus, adhæret Ven. Card. Thomasius, quorum, & Cardinalis Nostri calculo invicem consentiens honorabilis iste triumviratus, non secus ac funiculus triplex difficile ab Honorato rumpetur, cum facilius profecto sit, ut unus erret, quam plures, & summi maxime criterii viri: Quare consultius doctissimo Carmelitæ fuisset ab hac præpropera in eodem Liturgicos Scriptores exceptione abstinere; at magnis etiam viris labi, & humanum quid pati, quandoque obvenit. Reliqua nunc de veteri Gallicano ritu disquirenda prosequamur.

(2) *In singulis Missis Prophetiam ante Epistolam*) Hanc Emin. Nostri Scriptoris opinionem, seu conjecturam nonnulli ex nuperis Galliæ eruditis rejiciunt, præcipue Theodoricus Ruinart in Præfat. ad S. Gregorii Turonensis Opera ab ipso edita n. 41. & Operum pag. 1234. Ex eo enim, quod dictus Gregorius lib. 2. Hist. Franc. cap. 22. meminerit libri cujusdam de Missis a S. Sidonio Apollinari compositis, cui ipse Gregorius præfationem adjunxerat, ut ibi testatur, qui liber deperditus est, quique si extaret totam ex eo Liturgiæ Gallicanæ seriem didicissemus, ut optime ipse ait, ex hoc, inquam, Gregorii loco refutari existimat vir eruditus eorum sententiam (subticens Emin. Authoris nomen, ex quo plures idem arbitrati sunt) qui Gallicanam Liturgiam, ex Mozarabum Ritu, inquit, mutuatam subscripserunt, deinde probare nititur diu ante S. Isidorum Hispalensem, quem ferunt Mozarabici Ritus Authorem, Gallicanam Liturgiam ordinatam fuisse, idque ex nonnullis Gregorii ipsius testimoniis; verum iis argumentis ostendet clarissimus Scriptor Liturgiam Gallicanam Isidoro quidem, quod ultro concedimus, sed non evincet hanc eamdem Ritu Mozarabico antiquiorem esse, cum a quibus, & quo tempore id Officium institutum fuerit, incertum sit, multoque ante Isidorum extitisse, ac medio sæculo quinto, jam in usu fuisse suprasatis demonstratum sit: Liturgiæ autem Gallicanæ antiquius non habeatur testimonium, nisi quod memorat Gregorius, Sidonii scilicet Apollinaris liber de Missis, quem utique, non priusquam fuerit Arvernorum Episcopus ipse

Vindicatur iterum Card. noster ab aliquot Galliæ Scriptorum in ipsum notis.

ipſe compoſuit, is vero fuit anno 471. ſeu 485. ut alii autumant.

Sed & quidquid ſit de alterius eorum Rituum, Gallicani nempe, ac Mozarabici antiquioritate, & num unum ab altero mutatum fuerit, alii diſputent, id parum refert, unum hoc negari non poteſt veterem Miſſam Gallicanam antiquæ Hiſpanicæ, ſeu Mozarabicæ ſimillem fuiſſe, uti luculenter oſtendit Purpuratus noſter, ſiquidem præcipue Ritus præfidi Mozarabici notæ in Gallicano habentur; idque ulterius ex laudato Gregorio Turonenſi demonſtratur. Et ſane præter ſupra allata ab Emin. ejuſdem loca, Martyrum Paſſiones, & Confeſſorum vitas de more inter Miſſarum ſolemnia publice lectas indicat lib. de Glor. Mart. cap. 86., ubi hæc habet: *Lecta Paſſione S. Polycarpi*, cujus feſtum celebrabatur, *cum reliquis Lectionibus, quas Canon Sacerdotalis invexit, tempus ad Sacrificium advenit*. Item ejuſmodi Sanctorum acta recitata fuiſſe teſtatur lib. 2. de mirac. S. Martini cap. 49. Palmare denique, & irrefragabile hujuſce ſimilitudinis inter Gallicanum, & Mozarabicum Ritus argumentum eſt utriuſque Miſſæ collatio, quam mox proponit Emin. Author; etenim in utraque iidem tituli precum, eædem Orationes licet diverſis verbis expreſſæ, idemque Miſſæ Ordo dignoſcuntur, videlicet Collecta primum, deinde Oratio poſt nomina, Oratio ad pacem, & Inlatio, ſive Præfatio, quibus omnibus manifeſtum apparet unam Miſſam ab altera, Mozarabicam ſcilicet a Gallicana nonniſi Orationum prolixitate differre, ac de cætero in reliquis convenire.

Atque ut hæc omnia clarius elucidentur, & evidentius conſtent, repetenda ſunt nonnulla, quæ diximus cap. antecedenti ad §. 4. ex S. Iſidoro Hiſpal. lib. 1. de Offic. Eccl. cap. 15., ejuſque textus, quem ibi interpolatum adducere ſatis fuit, huc integer denuo referendus, ubi loquens Sanctus Doctor de Hiſpana ſui temporis Liturgia Mozarabum dicta, eam ad ſeptem orationes reducit, ſic dicens: *Prima Oratio ejuſdem Miſſæ commemorationis erga populum eſt, ut omnes excitentur ad exorandum Deum. Secunda Invocationis ad Deum eſt, ut clementer excipiat preces fidelium, oblationemque eorum. Tertia autem effunditur pro offerentibus, ſive pro defunctis fidelibus, ut per ipſum Sacrificium veniam conſequantur. Quarta, poſt hæc infertur pro oſculo pacis, & charitatis, ut reconciliati omnes conſocientur digne per Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti. Quinta deinde infertur Inlatio in ſanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terreſtrium creaturarum, virtutumque cœleſtium Angelorum univerſitas provocatur, & hoſanna in excelſis cantatur. Porro ſexta proinde ſuccedit Confirmatio Sacramenti, ut Oblatio, quæ Deo offertur, ſanctificata per Spiritum Sanctum, Chriſti Corporis, & Sanguinis confirmetur. Ultima vero ſum cum Dominica Oratio eſt*: Hæc Iſidorus. Quæ quidem ſinguli & in Liturgia veteri Gallicana, ſeu Miſſali Gothico, vel Francorum dicto reperiri, & fere eadem eſſe demonſtrabimus.

Et quidem veterem Gallicanam Miſſarum Liturgiæ Mozarabum convenire demonſtrat hujus quippe ſeptem orationes illi conſimiles exhibentur.

Prima igitur Oratio in Liturgia Hiſpana eſt excitationis ad exorandum Deum; Hæc in Gallicana *Præfatio* appellatur, quæ eſt præparatio ad Sacrificium, in qua etiam Populus excitatur ad deprecandum Deum, uti ex Præfationibus, quas Emin. affert de Sanctis Stephano Protomart. & Germano Epiſcopo, perſpicue dignoſcitur. Secunda Oratio iiſdem Hiſpanis, ſeu Mozarabibus dicitur *Collecta*, Gallis vero *Collectio*, quæ orationes etſi verbis differant, re tamen, & ritu eadem prorſus ſunt, utrobique enim invocatur Deus, ut fidelium preces, eorumque oblationes clementer excipiat, uti pariter ibidem videre eſt, & ſupra de Miſſa Mozarabum §. 5. nota 2. Tertia Oratio, quæ in utraque Liturgia appellatur *poſt nomina*, ea eſt, quæ poſt Offertorium recitatur *pro Offerentibus, & pro defunctis*, ut ait Iſidorus; Ita & in Miſſa Gallicana de S. Stephano: *Tribue quæſumus per interventum ipſius, ut viventes ſalutem, defuncti requiem conſequantur æternam*: Et de Sancto Germano: *Oremus etiam & pro Spiritibus chorum noſtrorum &c.* Quarta dicitur *Collectio ad pacem*, qua Oratione, ut ſupra diximus loco citato nota 8. pax a Deo imploratur, & pacis oſculum invicem a Fidelibus tribuitur, pariter & in dicta Miſſa S. Stephani: *exoramus, ut dum Martyris paſſionem recolimus, pacis ſecuritatem cum peccatorum venia conſequi mereamur*: In Miſſa S. Germani: *Te per ejus interventum precamur, ut pacem, quam te jubente dilexit, in ſeculo perpetualiter Eccleſiæ poſſidendam tribuas in futuro*: Hoc loco animadvertendum Innocentii I. Decretum, quo pax dari poſt conſecrationem jubebatur, antiquitus ab Hiſpanis, & Gallis obſervatum non fuiſſe, qui eamante præfationem dabant, ut fideles *apti ſint Sacroſanctis Dei myſteriis intereſſe*, quemadmodum dicitur in Miſſali Mozarabum, uti etiam infra dicetur lib. 2. cap. 16. §. 6. Quinta, quæ ex Sancto Iſidoro apud Mozarabes appellatur *Inlatio*, Gallis vocabatur *Conteſtatio Miſſæ*, ideſt, ut nunc dicimus, Præfatio.

Hæc breviter exprimit utrobique, ac continet acta, & virtutes illius Sancti, cujus Miſſa celebratur. In Miſſali Mozarabum ad hunc locum iſta habetur rubrica: *Si eſt feſtum alicujus Sancti, prius legitur aliquid de vita Sancti, deinde fit oratio faciens mentionem etiam de miraculis, vel vita Sancti*: Idem reperitur apud Gregorium Turonenſem lib. 2. de mirac. S. Martini cap. 14., ubi de Miſſa Gallicana: *Cum nos*, inquit, *rite ſacroſanda ſolemnia celebrando conteſtationem de Sancti Domini Martini virtutibus narraremus*: Ubi vides id *rite* fuiſſe, hoc eſt *ſecundum Ritum*, quod & apparet apud Hilduinum in Areopagiticis, ut ſupra ab Emin. laudatum, ubi de antiquis Galliæ Miſſarum libris; & quidem olim cuique feſto ſua erat propria Conteſtatio, ſeu Præfatio, in qua Sancti, cujus erat feſtivitas, geſta præclare recenſebantur. Veſtigium hujus aliquod ſupereſt etiamnum in majorum ſolemnitatum Præfationibus, in quibus myſteria, quæ celebrantur, paucis verbis exponuntur. Sexta, quæ ut diximus ſuperiori cap. §. 5. nota 12. ab Iſidoro appellatur *Confirmatio Sacramenti*, ſeu conſecratio, in Miſſali Gothico vocatur *Collectio poſt Sanctus*, ſeu Canonis Oratio, quæ *poſt Sanctus* dicitur, deinde ſequitur Oratio *poſt ſecreta*, cui dicta Collectio reſpondet, & eſt

eſt, *ut oblatio*, inquit Iſidorus, *quæ Domino offertur ſanctificata per Spiritum Sanctum Corpori Chriſti, & Sanguini confirmetur*. Hujuſmodi invocatio Spiritus Sancti reperitur in Miſſa Sancti Germani ad dictam Orationem *poſt ſecreta*: *Deſcendat, precamur, Omnipotens Deus, ſuper hæc, quæ tibi offerimus, Verbum tuum Sanctum, deſcendat ineſtimabilis gloriæ tuæ Spiritus, & fiat Oblatio noſtra Hoſtia ſpiritalis in odorem ſuavitatis accepta*: quæ quomodo interpretanda, ſuo loco dicetur. Septima denique eſt Oratio Dominicalis, quæ utrobique recitatur poſt ſecreta. Hæc omnia ſi recte perpendiſſet Theodoricus Ruinartius, noviſſet utique veterem Gallicanam Liturgiam antiquo Ritui Hiſpano, ſeu Mozarabico fere per omnia ſimilem fuiſſe, nec immerito Emin. noſtrum, alioſque cum ipſo idem ſentientes redarguiſſet, quinimmo & a ſua contraria opinione recedens huic lubens fortaſſe ſubſcripſiſſet; ſed de eadem iterum §. ſequenti, & ex Miſſis utriuſque Ritus inter ſe invicem collatis id omnino conſtabit.

§. VI.

An idem fuerit Galliæ, & Hiſpaniæ mos in Divinis Officiis.

CÆterum non abſurdam neque incredibilem eſſe hanc ſententiam de utriuſque Miſſæ Gallicanæ, & Hiſpanicæ ſimilitudine, præter ea quæ dicta ſunt, alia etiam perſuadent. Dum enim vetuſtos Codices ad propoſitum mihi ſcopum pertinentes in celebrioribus Bibliothecis perquiro, factum eſt Dei nutu ut duos antiquiſſimos repererim, quorum ſeriem, ſtylum, characterem, ſingulaſque Miſſas in eis contentas ſedulo conſideranti venit protinus in mentem, utrumque eſſe vetus Miſſale Gallicanum, quia & illis adamuſſim convenit, quæ Hilduinus tribuit Gallicis Miſſalibus a ſe viſis; & priſcis Ritibus conſonant Eccleſiæ Toletanæ, ex qua Carolus Calvus Sacerdotes adſcivit, ut antiquum Galliæ morem ab ipſis celebrantibus diſceret. Utrumque autem cum ipſo Gothico, ſeu Mozarabico a Cardinali Ximenio edito conferens, inveni ordinem & methodum Miſſæ eumdem eſſe, orationes vero diverſas. Unus ex his codicibus extat in Bibliotheca Sereniſſimæ Suecorum Reginæ ante annos nongentos ſcriptus, ut periti cenſent, literis quadratis & majuſculis, ſignatus num. 626. quem olim fuiſſe ajunt ampliſſimi viri Petavii Senatoris Pariſienſis, emptum vero a Regina poſt ejus deceſſum. Deſunt ei aliquot folia in principio, & in fine. (1) Initio præfixus hic titulus eſt manu recentiori, *Miſſale Gothicum*; (2) & ex eo quædam Liturgicæ precationes excerptæ ſunt, & Tomo VI. Bibliothecæ veterum Patrum editionis noviſſimæ Pariſienſis inſertæ pag. 155. Alter eſt Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ Cod. 493. ejuſdem fere antiquitatis, cui imperitus Antiquarius manu quoque recentiori Miſſæ Romanæ titulum inſcripſit, cum ab ea plurimum diſtet. In Codice Reginæ, quo diu uti licuit benignitate V. Cl. Benedicti Mellini ejus Bibliothecæ præfecti, eſt Miſſa propria S. Martini Turonenſis Epiſcopi, tributo ei nomine Patris noſtri; ex quo ſuſpicor hoc Miſſale vel Turonenſis, vel alterius Gallicanæ Eccleſiæ fuiſſe huic Sancto ſpecialiter dedicatæ; nam in Miſſali Mozarabico extat quidem de eo Miſſa propria, ſed ſine additione *Patris noſtri*. Ut autem appareat utriuſque Miſſæ diſcrimen, aliquot ejus orationes hic tranſcribam primum quidem ex Codice Reginæ, quem Gallicanum vocabo, deinde ex Mozarabico.

(1) (2)

Collecta de S. Martino ex Miſſali Gallicano.

SUmmi Sacerdotis tui Patris noſtri Martini Epiſcopi hodie depoſitionem celebrantibus tribue nobis Domine, ut ſicut commemorationem ejus devotiſſime colimus, ita & opus fideliter imitemur.

Eadem ex Mozarabico.

JEſus Deus noſter & Domine, qui inluſtrem meritis Martinum Confeſſorem atque Pontificem ita feciſti ſapientiam cuſtodire, ut in gloria

mereretur & jucunditate conſiſtere: da nobis veræ ſapientiæ intellectum, & ſanctæ operationis ſtudium, ut pauperibus prærogantes ſubſtantiam, facinorum noſtrorum evadamus vindictam.

Oratio poſt nomina ex Gallicano.

AUditis nominibus offerentium, Fratres Cariſſimi, omnipotentis Dei inenarrabilem miſericordiam ſupplices poſtulamus, ut nomina noſtra, qui in hunc celeberrimum diem in honorem ſancti Antiſtitis ſui Martini offerimus, benedicere & ſanctificare ipſo ſuffragante dignetur: & quod illi hodie collatum eſt ad gloriam, nobis quoque proficiat ad ſalutem.

Eadem ex Mozarabico.

DEus qui mirabilis es in Sanctis tuis, cujus cultui deputatur quicquid amicis tuis honoris impenditur, intenta oratione te poſcimus, ut hunc diem quem ſancti, & incomparabilis viri Martini inluſtravit exceſſus, proſperum nobis & poſteris in rebus actionum propitiatus indulgeas. Tribuaſque ut cujus veneratores ſumus, imitatores effici mereamur. Hunc etiam virum, quem Cœlicolis admirandum, Martyribus adgregatum ætatis noſtræ tempora protulerunt, (3) jubeas auxilium noſtris ferre temporibus. Dubium (3)
enim non eſt, quod ſit Martyr in cœlo, qui fuit Confeſſor in ſeculo. Cum ſciatur non Martino martyrium, ſed martyrio defuiſſe Martinum. Oramus Domine, ut qui tantum potuit tuis æquari virtutibus, ut vitam mortuis redderet, dignetur etiam defunctorum ſpiritus conſolari, ac viventes in tribulatione defendere, qui potens fuit mortuos ſuſcitare.

Oratio ad pacem *ex Gallicano.*

INclina Domine aurem tuam ad preces familiæ tuæ, & da pacem, quam permanere jugiter præcepiſti. Illud etiam ſpecialiter præſtare digneris, ut parem charitatem teneamus, quam Pontifex tuus Martinus in hoc ſeculo, te opitulante, meruit obtinere.

Eadem ex Mozarabico.

MUltis coram te Deus Pater exultantes in laudibus Confeſſoris tui Martini hodierna die obitus memoriam facimus, doctrinam recolimus, operum memoramus. Qui licet totum vitæ ſuæ curſum glorioſa decoraverit pace, finem tamen ineffabili charitatis bono reddidit & probabilem & inluſtrem. Cum vicinum ſui cernens terminum finis, pacem inter ſe diſcordantibus reſtituit Clericis. Quo ad æternam continuo vocatus hæreditatem, exemplo Domini tenendam ſuis pacem diſcipulis commendaret. Hujus ergo viri ſuffragiis pelle a nobis Deus quiquid dividit unitatem, & dona, ut eidem conſortes ſimus in præmio, cujus hic dilectionis edocemur exemplo.

Inlatio, ſive Præfatio ex Gallicano.

DIgnum & juſtum eſt nos te Domine Deus noſter in laudibus S. Martini honorare, qui ſancti ſpiritus tui dono ſuccenſus, ita in ipſo tyrocinio fidei perfectus, ut Chriſtum texiſſet in paupere, & veſtem quam egenus acceperat, mundi Dominus induiſſet. O felix largitas, qua Divinitas operitur. O chlamydis glorioſa diviſio, quæ militem texit & regem. Inæſtimabile donum eſt, quod veſtire Dominum meruit Deitatis. Digne huic confeſſioni tuæ præmium commiſiſti: digne Arianorum non ſubjacuit feritati: digne tanto amore Martinus perſecutoris tormenta non timuit, ſecurus, quia tanta erat gloriatio paſſionis, ut per quantitatem veſtis exiguæ, &

veſtire

veſtire Dominum meruit, & videre. O animi imitanda benignitas. O virtutum veneranda potentia. Sic egit ſuſcepti Pontificatus officium, ut per formam probabilis vitæ obſervantiam exegerit diſciplinæ. Sic Apoſtolica virtute ſperantibus contulit medicinam, ut alios ſupplicationibus alios viſu ſalvaret. Hæc tua Domine veneranda potentia, cui cum lingua non ſupplet meritis exorare, operibus S. Martini te opitulante mereamur imitari. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Eadem ex Mozarabico.

DIgnum & juſtum eſt nos tibi gratias agere, Domine Sancte, Pater æterne, Omnipotens Deus, in depoſitione anniverſariæ commemorationis S. Martini Epiſcopi, & confeſſoris tui. Quem pro pietate tua, & ſervitute ſua tam beatum labore, quam munere inter Sanctorum omnium florentiſſimas legiones, ac feliciſſimos Martyrum choros, & inluſtres eminentium Seniorum cathedras dextri ordinis locum tenere confidimus. Quia bona arbor bonos fructus facit, & bonus homo de bono theſauro cordis ſui bona profert. Cumque in eodem Evangelio ipſe docuerit, ex fructibus eorum cognoſcetis eos: hunc ergo inter juſtos juſte numerandum teſtantur facta per ſeculum, ſigna poſt tranſitum, opera dum vixit, mirabilia poſt receſſum. Cum præſertim ad unum ſanctitatis culmen diverſus mittat aſcenſus, non una eſt virtutum via, quæ gloriæ tuæ ducit ad regnum. Quid enim minus eſt crucem ferre per tempora, quam mortem ſubire per vulnera? Quid infer us eſt mundum vincere, quam gladium non timere? Cum plus luctaminis habeat diuturnitas crucifixi, quam celeritas interempti. Quid ſupereminet, affectus martyrii conſummatus, quam diutius cuſtoditus? Non diſtat propter te mortificatus a mortuo, cum in utroque ſit glorioſum & abuti velle quod placeat. Pugnam ſuſtinere ſine defectu, an coronam rapere ſine metu? Propoſitum non mutare ſub ſpatio, an implere deſiderium ſub momento? Par eſt ut credimus inlecebris non cedere per dolorem, ubi æqualis in dilectione animus. Percuſſor deeſt fidei, non confeſſor. Voluit triumphare dum militat, qui militare non deſtitit dum conſummat. Inter carnales pugnas, & ſpiritales inſidias laboroſius eſt hoſtem occultum ſuperare, quam publicum. Quia non ſit levius ſperare ſemper quem caveas, quam non formidare quem videas. Jugiter in procinctu providere cautelam, quam fortiter in congreſſu ſervare conſtantiam. Non intereſt in anguſtia vivere ſervitutis, aut in pœna devincere feriendum. Quotidie declinare quod decipiat, aut cum compendio ambire quod finiat. Poſtremo in agone Martyrum & extruendam fidem, hoc ſemper proponitur quod horreat, hic etiam quod delectat. Ibi tormenta terrori, hic etiam blandimenta diſcrimini. Ibi homo nititur expugnare per amara, hic diabolus inlaqueare per dulcia. Ibi mors ſecuritatem præſtat, hic ſecuritas mortem facit: ibi alienæ impietas, hic propriæ naturæ mobilitas inimica eſt. Sed in his omnibus nihil ſibi ſine adjutorio tuo arroget humana fragilitas. Tuis muneribus debet unuſquiſque deputare quod vicit, qui tuis viribus portavit uterque quod pertulit. Horum tu verus arbitror Deus, quos propter nos ſupplices quæſumus, ut ſicut illi tibi accepti, ita nos illis mereamur eſſe ſuſcepti. De quibus hoc nobis ſufficit credere, quod una amoris tui cauſa per diverſa merita, diſcreto vel ſine vel tempore, feliciter afflicti, veraciter probati, potenter præditi, clementer aſſumpti, & æqualiter ſint beati. Cui merito omnes Angeli & Archangeli non ceſſant clamare quotidie, ita dicentes, *Sanctus*, *Sanctus*, &c.

Ex his in exemplum adductis palam fit utramque Miſſam eodem, ut dixi, tenore procedere, licet orationes diverſæ ſint. Sunt autem in his quæ-

dam obſcura, in quibus hæret ſenſus, vitio procul dubio ſcriptoris, ſed ego apographum fideliter expreſſi, venerandam reveritus antiquitatem. Ut vero magis appareat quis & qualis ſit tenor Miſſæ, quam Gallicanam puto, operæ pretium duxi ex eodem Miſſali M. S. Reginæ integram Miſſam S. Stephani Protomartyris hoc loco in publicum proferre, in qua deſunt Antiphonæ, Epiſtola, Evangelia, & alia hujuſmodi, quæ in diſtincto Codice contineri ſolent. Deſunt quoque ea omnia, quæ omnibus Miſſis communia ſunt. Si quis eam conferat cum Mozarabica edita a Ximenio, inveniet orationes diverſas eſſe, ſicut vidimus ſupra in Miſſa S. Martini, ſed forma eadem eſt.

(1) *Deſunt et aliquot folia &c.*) Sane aliqua deeſſe confirmat Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 3. num. 5. qui hæc ait ibi: „ Huic „ Codici aliqua initio deeſſe ex Cardinali Bo„ na, & Thomaſio diſcimus, ſed quid illud „ ſit, neuter explicat: Mihi vero non diffi„ cile videtur conjicere ex numerica nota IV. „ quæ ad officium Natalis Domini præfigitur; „ Hæc enim nota indicat tria eſſe officia, „ quæ deſunt, quorum unum eſt in vigilia „ Natalis Domini in Codice imperfectum. „ Duo itaque reſtant, quæ de Adventu fuiſſe „ colligimus ex tertio Miſſali, quod dicitur „ *Vetus Gallicanum*, in quo duæ tantum „ Miſſæ de Adventu Domini antè Officium „ pro vigilia Natalis Domini aſſignantur. „ Hæ duæ Miſſæ, ſi ſuppleantur in illo Go„ thico, vix quidquam deerit ad ejus abſo„ lutionem præter paucula, quæ in fine ex„ ciderunt. Certe multæ precationes utri„ que Miſſali communes ſunt, ut facta com„ paratione multis in locis notavimus„: Hæc Mabillonius, qui optime duas Miſſas, quæ initio hujus Miſſalis Gothici deſunt, ex alio Gallicano veteri ſupplendas advertit; deſunt item parti Miſſæ vigiliæ nativitatis Domini, quæ ibidem prima occurrit, Præfatio, ſeu adhortatio ad Miſſam rite celebrandam, & Collectio, quæ ſtatim ſequitur ante Epiſtolam, ut ex aliis Miſſis intelligitur, quæ item poſſent ſuppleri ex eodem Gallicano veteri, ſeu Miſſa ibi num. VI. *ad Veſperum Natalis Domini*, ubi adeſt tantum Præfatio, & Collectio, quæ hic deſunt. Pariter in fine hujus Codicis Gothico-Gallicani *Miſſa cotidiana Romenſis*, quæ ibi habetur, ſed mutila, ſuppleri poteſt ex ſacramentario Gallicano per Mabillonium præfatum edito Muſ. Ital. Tom. 1. pag. 279. ubi integra extat; etſi vero hæc Miſſa plurimum deſumpta ſit ex Ordine Romano, attamen Gallicano accommodata eſt, ut patet ex Collectionibus *poſt nomina*, *ad pacem*, *&c.*

(2) *Miſſale Gothicum*) Codicem hunc ex integro edidit Romæ an. 1680. piiſſimus, & doctiſſimus Cardinalis Thomaſius in ſuis antiquis Sacramentorum Codicibus pag. 263., deque eodem ſentit ac Emin. noſter, poſtquam enim in Præfatione integrum illius textum de hoc Codice retulit, ita proſequitur: *Hactenus ille, qui eodem loco pluribus de eo agit, exiſtimans hoc eſſe Miſſale Gallicanum priſcum, & præſertim Galliæ Narbonenſis Gothorum Regno olim ſubjectæ, antequam Romani Ritus in Galliam Pipino, & Carolo Magno agentibus inducerentur. Contendit etiam Gallia-rum Eccleſias eum Ritum habuiſſe qualem habebant & Hiſpanicæ, quæ Mozarabo utebantur etiam ante S. Iſidorum, ut ex ejus lib. 1. de Officiis patet, ubi ex Apoſtolorum diſpoſitione Miſſæ ordinem, quem deſcribit, manaſſe teſtatur, Lectorem ad dicti Cardinalis librum remittimus, hoc propterea adnotando hanc ejus aſſertionem Concilio IV. Toletano habito an. 423. comprobari, ſiquidem ibi can. 12. 13. & 14. ſicut textus loquitur, eumdem Ritum per Hiſpaniam æque ac Galliam viguiſſe monſtratur: Textum dixi, nec enim me latet ad marginalem eorum Conciliorum Editores Galliciam pro Gallia repoſuiſſe. Sane Gallicanæ Eccleſiæ vetus hoc eſſe Miſſale, antequam Romanos Ritus ab eo longe diverſos admitteret, mihi pene exploratum habetur, continet enim quamplura Sanctorum Galliæ feſta, uti Sancti Saturnini Epiſcopi Toloſani, & Martyris &c.* Hæc Cardinalis Thomaſius, qui in hanc rem & alia nonnulla adjicit, quibus etiam tanti viri teſtimonio Emin. noſtri ſententia magis magiſque roboratur. Idem pariter in Præfatione ad reſponſorialia, & antiphonaria Romanæ Eccleſiæ pag. 15. eumdem ferme Hiſpaniarum, æque ac Galliarum Ritum fuiſſe in divinis officiis diſerte affirmat, & ante ipſum Carolus Dufreſne in ſuo Gloſſario Med. & infim. Latin. verbo *Miſſa Gallicana*, poſtque ipſos Jacobus Grancolas antiq. Liturg. tom. 1. pag. 353. aliique, quos recenſere non vacat. Quare his tot rationum momentis, & Scriptorum authoritatibus non eſt, quod in contrarium opponant Ruinartius, & Honoratus a S. Maria loco citato, qui utique iiſdem clariſſimis viris locum cedent.

Eumdem ferme Galliarum ac Hiſpaniarum morem in divinis Officiis fuiſſe plerique docti, etiam Galli cum Cardin. noſtro affirmant.

Quo vero pacto hi duo Miſſales Codices, unus Bibliothecæ Reginæ Sveciæ, alter Palatinæ, quos vidit, & memorat Emin. Author, Romam advecti, & in Vaticanam Bibliothecam delati fuerint, narrat Joannes Mabillonius in Præf. ad Liturgiam Gallicanam num. XII. Et primus quidem per Sereniſſimam Chriſtinam Svecorum Reginam Romam aſportatus, ſecundus ex Bibliotheca Electoris Palatini in Vaticanam, ille ex Alexandro Petavio comparatus fuerat, iſte ex Jacobi Bongarſii hæreditate in Principis Palatini poteſtatem venerat. Unde autem hæc Libraria ſupellex five Petavio, five Bongarſio provenerit, indicare proſequitur Mabillonius, eamque ex Bibliotheca Floriacenſi diſtractam ſcribit; cum enim an. 1562. Hæretici Aurelianenſi urbe expugnata, & expilata, etiam finitima loca diriperent, prædæ avidi etiam Floriacum convolarunt, cujus Monaſte-

Quo pacto prædicti Miſſales Codices, Gallicanus, & Gothicus Romam advecti ſint.

naſterii Abbas facularis nunc erat Cardinalis Oderus, ſeu Oddo de Colligny Caſtillionæus ex Epiſcopo primum Bellovacenſi, deinde Archiepiſcopo Toloſano factus Calviniſta, & nedum Catholicæ Religionis defertor, ſed & acerrimus Hæreticorum fautor. Huic in primis acceptus erat Petrus Daniel Cauſidicus apud Aurelianos celebris, & Floriacenſis Biſſlius, qui Cardinalis Apoſtatæ gratia dextere uſus Floriacenſis Bibliothecæ Codices MSS. a prædatoribus, quibus nullius fere penſi erant, qua arte, qua pretio facile impetravit. Anno 1603. mortuo Daniele, Paulus Petavius Senator Pariſienſis, & Jacobus Bongarſius ambo Danielis affines, & amici pacto cum hæredibus pretio hos libros inter ſe partiti ſunt, Pauli portio Alexandro filio ceſſit, qui ſuam demum veterum Codicum partem Sereniſſimæ Sveciæ Reginæ vendidit, poſt cujus obitum Romæ anno 1689. Alexander Papa VIII. eoſdem coemptos Codices in Vaticanam Bibliothecam tranſtulit, uti ex inſcriptione inibi appoſita. Hæc quoad Miſſale Gothicum, ſeu Gallicanum.

Codex vero alter eamdem Miſſam veterem Gallicanam continens, Palatinus dictus, ita in Vaticanæ Bibliothecæ cenſum obvenit; Bongarſius namque, qui illum, ut diximus, cum reliquis ſibi ex partitione ſpectantibus comparaverat, cum publicis ab Henrico IV. Francorum Rege apud Germanos negotiis admotus, eamdem librorum portionem Argentoratum, ubi reſidere ſolitus erat, convehendam curaverit, eamque demum Hoſpitæ ſuæ, quæ Lugdunenſis, & gemmarii hominis uxor erat, filio nomine Graniceto, teſtamento legaverit, Princeps Palatinus Jani Gruteri Bibliothecarii ſui perſuaſu ejuſdem Bongarſii, qui Pariſius an. 1612. ex morbo decubuerat, librarium ſupellectilem Argentorati relictam numerata pecunia comparavit, & in Bibliothecam ſuam Heidelbergenſem aſportari curavit; bello denique inter Ferdinandum Imperatorem, & Friderieum Electorem Palatinum, qui de Bohemiæ Regno decertabant, exorto Maximilianus Bavariæ Dux facto in Palatinatum impetu magnam ejus partem occupavit, Heidelbergam an. 1673. in ſuam poteſtatem redegit, libros abſtulit e Bibliotheca, eorumque plurimos Summo Pontifici Gregorio XV. dono dedit, in Vaticanam tandem Bibliothecam allatos.

Item Miſſale Francorum.

Hæc de duobus Codicibus, quos memorat Emin. Author, quibus, & tertius *Miſſale Francorum* a Thomaſio nuncupatus, addendus eſt, de quo & nos ſupra, cujus antea meminerat Morinus, & poſt hos Mabillonius in ſua Liturg. Gallic. pag. 301., qui & optime notat hunc Codicem non ante annum 560. ut arbitratur Morinus, ſed poſt Gregorium Magnum circa finem ſeculi ſexti, vel ſeptimi initium, exaratum fuiſſe; in illo ſiquidem legitur in fine Gregorii additamentum in Canone Miſſæ; nempe *dieſque noſtros in pace diſponas &c.* Quin & aſſerendum exiſtimarem medio circiter ſeculo VIII. eumdem fuiſſe conſcriptum, nam, ut infra §. 9. dicetur; non ante id tempus Romanus Canon in Gallicanis Eccleſiis receptus fuit: Quidquid autem ſit de vero hujus Codicis ævo, certum eſt ipſum mille profecto annorum veruſtatem ſapere. Pertinebat olim, & Codex iſte ad Reginæ Sveciæ Bibliothecam cum ſupradicto Miſſali Gothico, & reliquis a Petavio comparatis, nunc in Vaticanam illatus ex Floriacenſi Bibliotheca, in qua dudum per plura ſecula præclariſſimi hi Eccleſiaſticæ antiquitatis theſauri latuerant, neque eorum alibi apud ipſos Gallos reperiebatur exemplar deſcriptum, uti non diffiteretur Mabillonius loco ſupra indicato; hinc Deo ſic diſponente meliori forte donati fuere, dum eoſdem Romæ prælaudata Sveciæ Regina indulgente Ven. Card. Thomaſius typis editos publici juris fecit, quod alias fortaſſe iis datum non eſſet. Utinam & iterum edantur cum notulis aliquot poſthumis dicti piiſſimi, & eruditiſſimi Cardinalis, quas ipſe vidi apud Clar. virum D. Cajetanum Mar. Meratum, cui id in votis, & animus eſſet, niſi ex infirmitate præpedius foret.

(3) *Ætatis noſtræ tempora protulerunt*) Vide quæ ſupra diximus Cap. XI. in §. 1. nota 2. Quod ſi iis non ſatis ad Mabillonii objecta quoad hæc verba reſponſum, ſequentia addimus, quibus eadem momenta exſufflantur & ibi allata Emin. Authoris exceptio, qua multo ante Iſidorum Miſſam Mozarabicam conditam fuiſſe oſtendit, uberius demonſtretur. Mabillonius itaque, ſed reponi poteſt; (inquit loco alias citato de Liturgia Gallic. lib. 1. cap. 4. num. 10.) hæc verba *noſtræ ætatis*, vel ex antiquiori Liturgia deſumpta fuiſſe, vel longius quam ad unum ſeculum protrahi poſſe; at ſcite ſubdit ſupra laudatus Finius ad hæc Mabillonii opuſcula „ediſſerat, amabo, nobis vir eruditiſſimus, quo „loco, quo tempore, qua ex Liturgia voces „iiſtæ in Hiſpaniam veterem immigrarint? Quo „teſte, quibus tabulis, qua authoritate, qua„fide illuc aliunde intruſas eſſe liqueat? Quod „ſi non oſtenditur, non eſt, quod illæ vo„ces tamquam adventitiæ, vel apocryphæ tra„ducantur; immo vero, quandiu nihil affertur „tale, quod illas e priſtina poſſeſſione deturbet, „non video equidem cur illa privari debeant: Hæc ille; & ſane Mabillonio incumbebat oſtendere, ex qua antiquiori Liturgia eadem verba deſumpta ſint, nam ſi dicet ex Liturgia Gallicana, reponent Hiſpani, hæc in dicta non reperiri, uti de facto non extant, quæ profecto extarent, ſi vere, ut Mabillonius contendit, Gallicana Liturgia antiquior eſſet Mozarabica; ſed neque in alia quavis Liturgia præter Hiſpanicam, hæc verba leguntur, etſi iis ſimilia in quadam Epiſtola ſub Sancti Auguſtini nomine a laudato Mabillonio in Appendice ad Liturgiam Gallicanam pag. 458. noviſſ. edit. Pariſ. 1729. evulgata, cujus etiam meminit Theod. Ruinartius ad Gregorii Turonenſis lib. de Gloria Confeſſ. cap. 58. reperiantur; in hac porro Epiſtola, quam licet ſuppoſititiam Mabillonius judicet, eam tamen ex Codice 900. circiter annorum deſcriptam, adeoque antiquiſſimam pronunciat, ſic eadem fere verba expreſſa ſunt, ubi de Sancto Martino agitur: *Martinus etenim Sanctus longe poſt Aſcenſionem Domini ..... diſceſſit; quippe qui ne-*

Joannes Mabillonius notatus circa antiquioritatem Liturgiarum Gallicanæ, & Mozarabicæ.

noſtris temporibus prope fuit, quamvis in brevi tempore fama ſanctitatis, & virtutis illius totum mundum repleverit.

S. Martini ſanctitas ſtatim ubique nota.

Certe Martini ſanctitatis famam ubique ferre ſtatim ab ejus obitu innotuiſſe, pluribus oſtendit Card. Baronius ad an. 397. num. 18. ex Severo Sulpitio, Venantio Fortunato, Paulino, aliiſque coævis ejus vitæ ſcriptoribus, ac proinde in Hiſpania etiam, per ejus Eccleſias Martini nomen jam ab initio celeberrimum fuiſſe nemo dubitaverit; conſtat enim, ut ex Queſnellio, inquit Emin. Card. de Aguirre Concil. Hiſp. Tom. 2. pag. 217. Sancti Leonis ætate, ideſt circa annum 454. magnum inter Gallicanas, Hiſpanaſque Eccleſias commercium fuiſſe, cujus rei duæ ejuſdem Pontificis Epiſtolæ teſtes ſunt, una, qua per Gallicanos Præſules certiores vult reddi Hiſpanos de rebus, quæ tunc temporis agebantur in Oriente, & maxime de Chalcedonenſis Synodi proſpero exitu, altera, quam ad utrarumque Provinciarum Epiſcopos conjunctim ſcripſit de Paſchate. Adde, quod cum Hiſpaniarum Epiſcopi in magna tunc ignorantia, ac perturbatione verſarentur, plurimis earum Epiſcopis, vel errore infectis (Origenis ſcilicet, aut Priſcilliani, vel etiam Vigilantii, uti Baronius ad ann. 414. num. 10. notat), vel de Eccleſiæ doctrina non ſatis inſtructis, admodum conveniens erat, ut earum Synodis ex Gallicanorum Antiſtitum fide, ac doctrina robur accederet, in quibus videlicet Leo noverat *cæleſtem*, ut ipſe loquitur Epiſt. 77. editionis Queſnellianæ pag. 290. *eruditione Spiritus Sancti vigere doctrinam*.

Sic itaque ex Galliæ Epiſcoporum commercio plenariam de Sancti Martini virtutibus ac miraculis notitiam Hiſpanos habuiſſe prorſus indubitandum eſt; etenim quæ, & quanta in favorem Hiſpanicæ Eccleſiæ dudum Martinus adverſus Priſcillianiſtas in Synodo Trevirenſi, & apud Maximum Tyrannum pio zelo egerit, ex actis publicis, vulgatiſque documentis innotuiſſe oſtendit Baronius ad an. 386. num. 25., & ſeqq. Hinc cum Priſcillianum hæreſiarcham, ejuſque ſocios contumaces capite plecti Maximus juſſiſſet, & inde reliqui illius Sectatores, qui Priſcillianum prætarum, ut Sanctum prius coluerant, poſtea ut Martyrem honorare cœpiſſent, ac peremptorum corporibus in Hiſpanias delatis, magnis copiis celebraverint eorum funera, quin & per Priſcillianum jurare ſummo religionis loco ducerent, quinto maxime Eccleſiæ ſeculo, quo dicta hæreſis ibidem ſævius graſſabatur.

Cumque etiam Vigilantius item Hæreſiarcha natione Hiſpanus, ut plerique volunt, ſeu verius Gallus, ut Nicolaus Antonius in ſua Bibl. vet. Hiſpanica contendit Tom. 1. pag. 175. & Petrus de Marca opuſculo poſthumo de patria Vigilantii recte demonſtrat, ſuæ Hæreſis virus in Gallia primum, deinde in Hiſpania, ubi cujuſdam Paroeciæ Barcinonenſis Diœceſis Presbyter erat, uti Gennadius tradit de Script. Eccl. cap. 35. evomuerit, lateque ſparſerit ab anno 406. quæ Sanctis omnibus, qui cum Chriſto in Cœlis regnant, quemcumque cultum, & honorem impius Novatorum noſtri temporis parens denegabat, eorumque reliquias ſacrilegus conremnebat, ne eadem hæreſis a Deſiderio, & Ripario Presbyteris Hiſpanis detecta primum, & impugnata, ac poſtea a S. Hieronymo eorum monitu validiſſime repreſſa, & extincta, iterum poſt Authoris deceſſum cum Priſcillianiſtis reviviſceret, ac denuo in maximum fidelium detrimentum ſerperet, ideo Catholicos Hiſpaniæ Præſules in Synodo primum quatuor Provinciarum in *Aſturicenſi urbe Gallæciæ* habita contra Priſcillianiſtas, alioſque hæreticos, uti ex Idatii Chronico colligit Steph. Baluzius Tom. 1. novæ ſuæ collectionis Conciliorum ad ann. 446. paulo poſt in plenario nationali Concilio, ſive Toleti, ſive Emeritæ congregato contra eoſdem juſſu S. Leonis Magni, uti ex ejus Epiſtola ad Turibium Aſturicenſem, qui eidem præſediſſe videtur; ut Priſcillianiſtis infamis hæreſiarchæ indignum cultum exprobrarent, & vere Sanctum Martiuum Turonenſem virum Apoſtolicum ipſis (*cælicolis admirandum* ubique terrarum virtutum, ac miraculorum fama celeberrimum religioſo cultu condigne honorandum fidelibus ad Hæreticorum confuſionem proponerent; ſicque contra Vigilantium, ejuſque impios aſſeclas Sanctis in Cœlo regnantibus debitam venerationem præſtandam eſſe publico monumento firmarent, eapropter dictos, inquam, Hiſpanos antiſtites hanc propriam Sancti Martini Miſſam condidiſſe, eaque verba: *quem ætatis noſtræ tempora protulerunt*, conſulto appoſuiſſe, ut recentem Priſcilliani damnatam memoriam ab ejus Sectatoribus hac ſanctiori illius *incomparabilis viri*, qui vivens eumdem pſeudo-martirem, ejuſque errores in dicto Trevirenſi Concilio cum cæteris ibi congregatis Patribus diro anathemate perculit, & uſque ad finem infectatus eſt, juſta commemoratione convellerent, mihi pro certo perſuaſum eſſe, non dubitarem.

S. Martini cultus in Hiſpania inſtitutus, ut Priſcillianiſtas infamis hæreſiarchæ memoria exprobraretur.

Neque alicui fortaſſe levis admodum hæc exiſtimetur ſuſpicio, quod nullis illius ævi documentis fulciatur; nam cum turbulentis illis, & Hiſpaniæ fatalibus temporibus, ſeculo ſcilicet quinto, ſub barbaris nationibus, & Arianis Regibus ſacra omnia, & profana ſus deque verterentur, eademque vaſtationibus, rapinis, cædibus, incendiis, ſacrilegiis, ac profanationibus expoſita eſſent, mirari profecto non debemus dictum illud ſeculum obſcurum adeo deliteſcere circa individuum, ac ſingularem Rerum Liturgicarum communicatam poſteris notitiam: quamquam aliunde nobis ſatis conſtet, quod miſerrima illa ibidem rerum facies non obſtiterit, quo minus plurima circa Eccleſiaſticam diſciplinam publica Synodorum authoritate ſancita fuerint, uti videre eſt apud Card. Aguirrium Tom. 2. Concil. Hiſp. a pag. 190., ubi de Concilio Bracarenſi an. circ: Chriſti 411. celebrato agitur, & pag. 202. ubi de memorati Concilii Hiſpanici generalis celebratione ann. 447. ſuaſu Sancti Leonis Magni habita in cauſa Priſcillianiſtarum diſſeritur, cujus Synodi, aliarumque illius temporis acta, præter fidei regulam, quæ extat, etſi deperdita ſint, ea tamen extitiſſe teſtatur Idatius ejuſdem ævi Scriptor, & Lemicenſis in Gallæcia Epiſcopus in ſuo

Idque nonnullis probatur conjecturis.

Chro-

Chronico apud dictum Aguirrium loco citato pag. 175. initio, ubi ait: *In Aſturicenſi urbe Galliciæ quidam ante aliquot annos latentes Manichæi* (qui iidem porro erant ac Priſcilliani-ſtæ, ut monet laudatus Card. Aguirrius) *geſtis Epiſcopalibus deteguntur, quæ ab Idatio, & Turibio Epiſcopis* (Idatio ſcilicet Galliciæ Metropolita, & Turibio Aſturicenſi) *qui eos audierant, ad Antoninum Emeritenſem Epiſcopum directa ſunt*: Geſtorum autem Epiſcopalium nomine intelligi geſta Synodalia ab Epiſcopis in Synodis confecta, conſtat ex S. Leone Papa variis locis. Hæc igitur Geſta Synodalia extabant, quæ poſtmodum periere.

Quamquam autem eadem acta Conciliorum tunc in Hiſpania habitorum deperdita fuerint, quorum jactura plurima etiam ad rem Liturgicam ſpectantia nos latent, nihilominus ex Epiſtola Epiſcoporum Tarraconenſium, de qua ſupra ad cap. XI. §. 1. nota 2. ad Hilarum Papam data paulo ante annum 465., & eodem Anno in Concilio Romano lecta, apud Card. de Aguirre Tom. 2. Concil. Hiſp. pag. 225., & ſeqq. plane conſtat, quod, ſicut Tarraconenſis Provincia una ex quatuor in Aſturicenſi I. Synodo contra Priſcillianiſtas congregatis in ſumma aliarum Eccleſiarum devaſtatione cuſtos legum, & Canonum fuit, ſic etiam præ reliquis haud dubie in conſervando ſacræ Liturgiæ auguſtiſſimo depoſito excelluerit, in id enixe incumbendo, ut nedum ulla ſui parte temeraretur, ejus minueretur majeſtas, aut interraretur Ordo, verum idem potius ubique cultior divini Officii Ritus augeretur, & invaleſceret, uti clare colligitur ex Epiſtola Simplicii Papæ ad Zenonem Spalenſem, quam item ſupra loco citato memoravimus, circa anu. 470. ſcripta, *ubi committit illi* (Pontifex) *vices Apoſtolicæ Sedis in omnibus Hiſpaniarum Eccleſiis*, teſte laudato Card. Aguirrio ibid. pag. 24., in qua Epiſtola Simplicius, ſicut & ejus ſucceſſor Felix III. in ſequenti ad eumdem Zenonem data, illum ſummopere commendant, quod *fervore Spiritus Sancti ita Eccleſiæ Gubernatorem exiſtere plurimorum relatu compertum fuerit, ut inter Mundi turbines naufragii detrimenta Deo author non ſentiat*: Et præcipue; *per quem in iis regionibus divinus creſcere innotuit cultus*: Ex his profecto ultimis verbis non obſcure deducitur eo circiter tempore S. Martini Miſſam in Hiſpania conditam, & in Liturgico adjunctam Sacrificio; quomodo enim *divinus creſcere innotuit cultus*, niſi eidem aliquid, quod antea obſervatum non erat, deinceps obſervandum additum, & præſcriptum fuiſſet?

Quin etiam validioribus, & argumentis.

Hæ porro conjecturæ qualeſcumque delicatioribus Criticis videantur, licet alias ex ſe ipſis vim ſuam habere apud Hiſtoriarum, illius ævi Eruditos dignoſcantur, ſuis etiam rationibus, & argumentis quidem non apparentibus fulciuntur, ac confirmantur. Notum eſt olim a primis Eccleſiæ ſeculis ubicumque aliqua Eccleſia Deo in honorem alicujus Sancti ædificata fuerit, eamdem ſolemni dedicatione, ac proprio Miſſæ Sacrificio celebrato publice conſecratam fuiſſe, & maxime poſt Conſtantini tempora, id enim antea ob perſecutionum metum non ubique palam, ſed occulte fiebat, quod omne pluribus oſtendit Emin. Author infra cap. 20. §. 3. Vide etiam notas noſtras ad cap. 15. n. 2. ac vel ipſe fatetur Mabillonius Præf. in ſec. V. Bened. num. 97. ubi & in SS. Confeſſorum memorias, eorumque titulo Eccleſias, ſeu ſacras ædes jam a ſeculo quarto a fidelibus conſtructas fuſe deſcribit. Et ne diu in hac re certa comprobanda immorari videar, conſtat id ex Sacramentario Gelaſiano apud Ven. Card. Thomaſium Sacram. Rom. Eccl. lib. 1. nu. 88. pag. 124. hæc enim ibi leguntur: *Templumque hoc in honorem Beatorum Martyrum tuorum Ill., vel illarum Sanctarum, & Confeſſorum ſacris Myſteriis inſtitutum &c.* & num. 91. pag. 125. *Omnipotentiam tuam, quæſumus Domine ſanctus tuus Ill. interventor exoret, ut ejus meritis hanc Eccleſiam deputatam clementer illuſtres &c.* Præterea in Miſſali antiquo Gothico, qui idem ac Mozarabicus eſt, eique fere per omnia ſimilis, ut jam demonſtravimus, extat pag. 382., & apud Mabillonium Liturg. Gallic. pag. 289. *Miſſa unius Confeſſoris*, & quidem Epiſcopi, quæ de communi dicebatur, cum propria non eſſet, cui paulo poſt ſequitur Miſſa S. Martini, quæ unica in eodem Codice legitur ſingularis de eodem Sancto Pontifice, quod non minimum argumentum eſt ad comprobandum intentum noſtrum, Miſſam ſcilicet præfatam in Hiſpania antiquiſſimam præ cæteris eſſe, cum reliqui Confeſſores propriam non haberent, ſed communem.

His præmiſſis quid quod jam medio circiter ſeculo quinto dicto Sancto Pontifici Martino Eccleſia in Hiſpaniis erecta fuerit? An negabimus verba illa Liturgiæ Mozarabicæ in Miſſa ejuſdem: *quem ætatis noſtræ tempora protulerunt*, tunc in illius Eccleſiæ dedicatione apponi potuiſſe, aut ab alia antiquiori mutuata dicemus, cum nondum eſſet? Eccleſiam autem in honorem S. Martini Turonenſis Epiſcopi eo tempore dedicatam perſpicue refert S. Gregorius ejus in eadem Sede ſucceſſor lib. 3. de Miraculis S. Martini cap. 8. quod opus ante annum 590. ipſe incæpit, uti Dupinio, Caveo, aliiſque Scriptorum veterum peritis videtur. Notat ibi Legatos de Hiſpaniis Florentium, & Exuperium ad Chilpericum Regem adveniſſe. (de qua legatione meminit Hiſt. Franc. lib. 6. cap. 18.) Ex his Florentius, *qui erat ætate Senior, narrans Martini nomen magnifice honorari in* Hiſpaniis: *Avus*, inquit, *meus ante multorum curriculum annorum Baſilicam conſtruxit in honorem beati Martini Antiſtitis, perfectaque, ac eleganti opere exornata Turonis clericos religioſos deſtinavit expetens Pontificis reliquias, ut ſcilicet locum, quem in ejus nomine ædificaverat, ejus reliquiis conſecraret. Quod cum feciſſet, per ſingulos dies veniebat, & proſtratus ſolo cum conjuge Sancti Pontificis auxilium implorabat. Poſt multum vero temporis infans his naſcitur*: quem deinde poſt tres menſes mortuum Sancti Martini interceſſione, & miraculo ſuſcitatum toto dicto capite Gregorius fuſe deſcribit. Sive autem is infans ipſe Florentius fuerit, uti Theodoricus Ruinartius arbitratur, vel ejus Pater, ut verius ex contextu deduci videtur, non enim ibi de ſe præcipue loquitur, ſed de infante

Seculo labente quinto ante Gregorii Turonenſis tempora conſtructa in honorem S. Martini apud Hiſpanos Eccleſia.

infante ex avo, & ejus conjuge nato, quem certe Patrem ipſius eſſe dicendum eſt; quidquid ſit, factum audivimus: annos computemus. Florentius a Leovigildo Hiſpaniarum Rege in Galliam miſſus eſt, ut Ingundem Sigeberti Francorum in Auſtraſia Regis Filiam Sancto Principi filio Hermenegildo deſponſandam peteret, quam in uxorem ex poſt duxit anno 580., uti Scriptores Hiſtorici bene multi conveniunt. Idem, qui *ætate Senior* dicitur, ſexaginta ad minimum ætatis annos eo tempore habuiſſe, credendus eſt, vigintiquinque, aut triginta anni ejus Patri cum ipſum genuit, tribuendi, decem ſaltem ab ædificata S. Martini Baſilica elapſi erunt, ut ea verba: *poſt multum temporis infans eis naſcitur*, ſuum habeant ſenſum. Hi porro omnes anni ſimul juncti numerum centum, & ultra fortaſſe conflant, qui ſi ab annis 580. ſeculi ſexti, quo tempore Florentius dicta Legatione ſunctus eſt, detrahantur, reliqui ſunt anni 480. ſeculi quinti, quo dictam S. Martini Eccleſiam in Hiſpania conſtructam fuiſſe clare, & evidenter demonſtramus.

Non ſolum ex Gregorio Turonenſi, ſed & Maximi Cæſaraugustani fragmento id comprobatur.

Quin & non improbabile putandum, ſi dixerimus ante id tempus eamdem ſurrexiſſe Baſilicam; etenim Godefridus Henſchenius in Actis SS. Aprilis ad diem 13., ubi de Sancto Hermenegildo Martyre, ejuſdem Principis nuptias cum dicta Ingunde ad an. 579. ex Joanne Mariana lib. 5. de rebus Hiſpaniæ, aliiſque conſignat. Huic Epochæ conſonat Fragmentum Maximi Cæſaraugustani Epiſcopi (cui in hoc videtur fides adhibenda) apud Nicolaum Antonium in ſua Bibl. Hiſpana veteri Tom. 2. pag. 283., ubi hæc adnotantur ad dictum annum. *Ingundis Sigeberti, & Brunichildis Franciæ Regum, filia virgo pulcherrima ſexdecim annos nata ex Francia in Hiſpaniam deducitur eam comitantibus Euphemio Metropolitano Epiſcopo, multiſque viris Palatinis Hiſpaniæ, & Franciæ .... quæ in præſentia iſtorum nubit Hermenegildo in ipſo anni principio.* Has autem nuptias poſt aliquot annos, duos ſcilicet, aut tres a dicta Legatione pro earum complemento concludendo demandata initas fuiſſe, cenſendum eſt; hujuſmodi enim negotia pluribus tractatibus indigere quiſquis conſpicit, adeoque Florentium ante annum 580., & quidem anno circiter 576. in Galliam migraſſe, eodemque fere tempore Gregorium Turonenſem conveniſſe, eique prædicta narraſſe, proculdubio competitur; quare ſi huic computo centum, ut ſupra, minuantur anni, qui ut diximus, detrahendi ſunt, exſurget annus 476., quo memoratam S. Martini Baſilicam a Florentii Avo conſtructam verosimilius aſſerimus.

Item ex aliis dictis Gregorii monumento.

Hanc noſtram opinionem roborat deſumptum aliud ex laudato Gregorio monumentum. Scribit hic S. Præſul lib. de Glor. Confeſſ. cap. 12. Monaſterium S. Martini Turonenſis nomine dedicatum extitiſſe in Hiſpania, cum Leovigildus, Rex Arianus Catholicos infectatus ſacra omnia per ſuos milites diripiebat circa annum 583. Situm hoc Cœnobium ſubdit inter Sagunthum, & Carthaginem Tarraconenſis Provinciæ. Et quidem jamdudum multis retro annis ædificatum indicant, quæ ibi narrantur, cujus Abbas ſenio valde incurvatus deſcribitur: fortaſſe hujus Monaſterii Baſilica ipſa eadem eſt, quam Florentii Avus excitavit, niſi alias eam fuiſſe dicamus, de qua Aymoinus lib. 3. Hiſt. Franc. cap. 39. ſcribit S. Martinum ex Abbate Dumienſi Bracarenſem Epiſcopum ordinatum *in Baſilica, quæ prima apud Hiſpanos in honore S. Martini dedicata eſt*: at vero, quæ fuerit hæc Baſilica, quave in Urbe, aut loco ſita, non indicat, quemadmodum Gregorius de ea, quam Florentii Avus extruxit; hinc non de Dumienſi, quam ipſe Martinus Abbas erexit, hæc intelligenda videtur, nam iſta, ut ſupra ad cap. XI. in §. 1. nota 2. advertimus, nonniſi poſt annum 560., quo idem Martinus Galliciam appulit, edificari potuit, & ante hunc annum a Florentii Avo jam ſuam ædificatam oſtendimus, neque de Bracarenſi, hanc enim Sanctæ Mariæ Virginis nomine dedicatam legimus in Concilio Bracarenſi I. apud Card. de Aguirre dicto Tom. 1. Concil. Hiſp. pag. 190. initio. Quare aut de alia ab his diverſa Eccleſia, de qua nihil compertum eſt, intelligendus Aymoinus Floriacenſis undecimi ſeculi Scriptor, aut falli dicendus, quinque etenim ſeculis Gregorio Turonenſi poſterior, non eamdem ac ille procul dubio meretur fidem, quippe qui non cum Hiſpanis quandoque converſatus, neque de eorum antiquis rebus inſtructus, uti Gregorius, de iiſdem quidquam certi ſcribere poterat.

Quæ autem fuerit hæc Eccleſia, & ubi ſita, non clare dignoſci poteſt.

Quidquid autem ſit de Aymoino, ejuſque quoad Hiſpanos Hiſtoria Francorum, ſatis ex dictis eodem Gregorio teſte exploratum habemus jam ab anno circiter 476. Sancti Martini Turonenſis memoriæ in Hiſpaniis Eccleſiam ædificatam fuiſſe. Quæ autem, qualis, & quo loco ſita hæc fuerit Sancti Pontificis nomine erecta ibidem Baſilica nonnullis argumentis divinare, atque eamdem ipſam fuiſſe a laudato Turonenſi Hiſtorico Scriptore memoratam inter Sagunthum, & Carthaginem poſitam probare poſſemus, at cum pro noſtro inſtituto ſufficiat aliquam, quævis fuerit, in iis regionibus extitiſſe Baſilicam dicti Sancti Antiſtitis, & Confeſſoris titulo conſtructam, reliqua perſcrutari ad ulteriorem, & ſuperfluam notitiam non refert. Hanc denique apologeticam qualemcumque diſſertationculam claudo ipſis clariſs. Mabillonii ſenſibus, quibus prædicta omnia magis, magiſque confirmentur. Ait ille Præfat. in ſec. V. Benedictum. 97. ubi de antiquo Sanctorum Confeſſorum cultu, & honore. „ Ut Martyribus, „ ſic etiam Confeſſoribus honos publico cultu delatus ab Eccleſia eſt. Id fieri cœptum „ ſeculo quarto, quo tempore &c. „ Et poſtquam plura de eodem publico cultu Confeſſoribus in Orientis partibus præſtito, deque ædiculis ſacris, Oratoriis, Templis erectis, ac feſtivitatibus magna cum ſolemnitate in eorum memoriam, ac veneration em anniverſaria præſertim die ipſorum deceſſus maxima hominum frequentia celebratis diſſeruerit, ita proſequitur,,. Hæc quidem ſeculo quarto, „ at inſequenti (ideſt quinto) magnopere „ auctus eſt Confeſſorum cultus, authore „ Theodorito &c. Et poſt pauca: Ita res „ in

Conſtat tamen in Hiſpaniis S. Martini Turonenſis memoriæ ædificatam fuiſſe, & probabilius inter Sagunthum, & Carthaginem.

Eximie magnopere auctus in Eccleſia tum Orientali, tum Occidentali Sanctorum Confeſſorum cultus.

„ in Oriente ſe habebant, dum Occidentales „ Martinum, & Hilarium Epiſcopos, alioſ„ que præcipue ſanctitatis Confeſſores vene„ rabantur„. Martinum primo loco optime ponit Mabillonius, nam ipſi primum hic honor delatus fuit, ut noſter inquit Emin. infra cap. 15. §. 2. in fine.

Et quidem jam a ſeculo quinto publicum Beato Martino honorem ab univerſa Occidentali præſertim Eccleſia exhibitum fuiſſe, ſatis ſuperque oſtendit S. Pater Benedictus, qui eidem Turonenſi Pontifici anno 528. (ut ait idem Mabillonius annal. Bened. Tom. 1. lib. 3. num. 5. pag. 55.) Oratorium in Monte Caſino erexit, & in Italia plurimum a Gallis diſſita, neque enim id perficere potuiſſet vir ſanctiſſimus, niſi idem ex communi omnium Eccleſiarum conſenſione jampridem licitum, ac factitatum noviſſet. Nec etiam primus fuit Sanctus Patriarcha noſter, qui Galliarum Thaumaturgo eximio, ejuſque nomine ſacellum excitaverit in Italia, nam ante ipſum ejuſdem Sancti Martini memoriæ dicatam Eccleſiam Romæ extitiſſe circa annum 500. ſub Symmacho Papa tradunt Binius Concil. Tom. 3. pag. 68., & ex ipſo Tillemontius in vita S. Martini art. 2c. Hiſt. Eccl. Tom. 10. edit. Ven. pag. 219. Poſſem & alia in idem comprobandum argumenta proferre, ſed hucuſque adducta cuivis lectura crediderim.

§. VII.

Prædicta de Liturgia Gallicana confirmantur ex ſequentibus.

Ordo Miſſæ in Natali Sancti Stephani Protomartyris (1). (1)

Præfatio (2). (2)

Hac Præfatione carent Miſſæ Mozarabicæ.

VEnerabilem, atque ſublimem beatiſſimi Protomartyris Stephani paſſionem hodie celebrantes, Dominum Martyrum fratres cariſſimi deprecemur, ut ſicut illi contemplatione meritorum ſuorum coronam dare dignatus eſt, nobis quoque pleniſſimam miſericordiam ipſius precibus flexus in omnibus largiatur. Per Dominum noſtrum.

Collectio ſequitur.

DEus, qui S. Stephano Martyri tuo & principatum in miniſterio, & principem in martyrio contuliſti, dum nobis ſancti diei hujus feſtivitatem pro ejus vel commemoratione (3) vel paſſione donaſti; exaudi quæ- (3)
ſumus ſupplices familiæ tuæ preces, nobis ejus peculiare præſidium tribue, cujus pro inimicis ac peccatoribus preces piiſſimus acceptaſti. Tribue etiam, ut pro nobis interceſſor exiſtat, qui pro ſuis perſecutoribus ſupplicavit. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum beatus vivit.

Collectio poſt nomina.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Sanctorum virtute multiplici Eccleſiæ tuæ ſacrum corpus exornans, primitias Martyrum glorioſi Levitæ tui Stephani ſanguine dedicaſti: da nobis diem natalis ejus honore præcipuo celebrare, quia non diffidimus eum fidelibus tuis poſſe ſuffragari, qui Dominicæ charitatis imitator, etiam pro ſuis perſecutoribus ſupplicavit. Tribue quæſumus per interventum ipſius, ut viventes ſalutem, defuncti requiem conſequantur æternam.

Collectio ad Pacem.

DEus charitatis indultor, Deus indulgentiæ munerator, qui S. Martyri tuo Stephano in paſſione largitus es, ut imbrem lapidum clementer exciperet, & pro lapidantibus ſupplicaret; pietatem tuam Domine ſubnixis precibus exoramus, ut dum Martyris tui paſſionem recolimus, per interceſſionem ipſius, pacis ſecuritatem, & peccatorum noſtrorum veniam conſequi mereamur.

Conteſtatio Miſſæ.

DIgnum & juſtum eſt, æquum & juſtum eſt te laudare, teque benedicere, tibi gratias agere omnipotens ſempiterne Deus. Qui gloriaris in conventu Sanctorum tuorum, quos ante Mundi conſtitutionem præelectos ſpiritali in cœleſtibus benedictione ſignaſti: quoſque Unigenito tuo per aſſumptionem (4) carnis & crucis redemptionem ſociaſti: in quibus ſpiritum tuum ſanctum (4) regnare feciſti, per quem ad felicis martyrii gloriam pietatis tuæ favore venerunt. Digne igitur tibi Domine virtutum feſta ſolemnitas agitur, tibi hæc dies ſacrata celebratur, quam B. Stephani primi Martyris tui ſanguis in tuæ veritatis teſtimonium profuſus magnificum nominis tui honore ſignavit. Hic eſt enim illius nominis primus confeſſor, quod eſt ſupra omne nomen, in quo unicum ſalutis noſtræ præſidium, Pater æterne, poſuiſti. Hic in Eccleſia tua quam ſplendidum ad cunctorum animos confirmandos unicæ laudis præceſſit exemplum. Hic poſt paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti victoriæ palmam primus invaſit. Hic ut Levitico miniſterio per ſpiritum ſanctum ab Apoſtolis conſecratus eſt, niveo candore confeſtim emicuit, martyrii cruore purpureus. O benedictum Abrahæ ſemen, Apoſtolicæ doctrinæ & dominicæ crucis prior omnium factus imitator & teſtis! Merito cœlos apertos vidit, & Jeſum ſtantem ad dexteram Dei. Digne igitur ac juſte talem ſub tui nominis confeſſione laudamus, Omnipotens Deus, quem ad tantam gloriam vocare dignatus es: ſuffragia ejus nobis pro tua pietate concede. Talis pro hac plebe precetur, qualem illum poſt trophæa venientem exultans Chriſtus excepit. Illi pro nobis oculi ſublimentur, qui adhuc in hoc mortis corpore conſtituti ſtantem ad dexteram Patris Filium Dei in ipſa paſſionis hora viderunt. Ille pro nobis obtineat, qui pro perſecutoribus ſuis, dum lapidaretur, orabat ad te, ſancte Deus, Pater omnipotens. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui pro peccatis noſtris naſci carne per Virginem, & pati dignatus eſt mortem, ut Martyres ſuos ſuo pati doceret exemplo. Cui merito omnes Angeli atque Archangeli ſine ceſſatione proclamant dicentes. *Sanctus, Sanctus*, &c.

Collectio poſt Sanctus.

VEre ſanctus, vere benedictus Dominus noſter Jeſus Chriſtus unigenitus tuus, qui Martyrem ſuum Stephanum cœleſtis aulæ Collegio numeravit, qui corporis noſtri infirmitatem ſuſcepit, priuſquam pium ſanguinem pro humana ſalute funderet, myſterium ſacræ ſolemnitatis inſtituit. Ipſe enim pridie quam pateretur, accepit panem &c.

Hic ſequitur conſecratio.

Poſt Myſterium.

HOc ergo facimus Domine, hæc præcepta ſervamus, & ſacri corporis paſſionem ſacris ſolemnibus prædicamus. Quæſumus Omnipotens Deus, ut ſicut veritatem nunc ſacramenti cœleſtis exequimur, ipſi veritati Dominici Corporis & ſanguinis hæreamus (5). Per Dominum. (5)

Ante Orationem Dominicam.

GLorioſi Levitæ exemplis, & beatiſſimi Martyris Stephani magiſteriis inſtituti æterno Regi & Patri Deo precem, Fratres cariſſimi, cum omni humilitate fundamus, ut dato nobis fidei calore vel munere ad martyrii nos deſiderium amoris ſui igne ſuccendat, ejuſque imitatores efficiat, qui

qui non ſolum pro ſui gloria, verum etiam pro exemplis eruditionis noſtræ paſſionem ſuſtinuit. Et cui conferre dignatus eſt in paſſione virtutem, intercedendi pro nobis tribuat facultatem. Et orationem, quam præcipere dignatus eſt, dicere ſine cunctatione permittat. *Pater noſter.*

Poſt orationem Dominicam.

LIbera nos a malo Omnipotens Deus, & tribue nobis ſupplicibus tuis tam promptum pro Chriſto tuo ad patiendum animum, ut probemur, non nos martyrio, ſed nobis defuiſſe martyrium. Per eumdem Dominum noſtrum.

Benedictio populi.

DEus qui tuos martyres ita vinxiſti charitate, ut pro te etiam mori cuperent, ne perirent. Amen.

Et Beatum Stephanum in confeſſione ita ſuccendiſti fide, ut imbrem lapidum non timeret. Amen.

Exaudi precem familiæ tuæ, amatoris inter feſta plaudentem. Amen.

Accedat ad te vox illa intercedens pro populo, quæ pro inimicis orabat in ipſo martyrio. Amen.

Ut ſe obtinente, & te remunerante perveniat illuc plebs ad quæſita per gratiam, ubi te cœlis apertis ipſe vidit in gloria. Amen.

Quod ipſe præſtare digneris, qui vivis & omnia regis in ſecula ſeculorum. Amen.

Collectio poſt Euchariſtiam.

DEus perennis ſalus, beatitudo inæſtimabilis, da quæſumus omnibus tuis, ut qui ſancta & beata ſumpſerunt, & ſancti jugiter ac beati eſſe mereantur. Quod ipſe præſtare digneris.

Conſummatio Miſſæ.

GRatias agimus tibi Domine multiplicatis circa nos miſerationibus tuis, qui & Filii tui nativitate nos ſalvas, & Martyris Stephani deprecatione ſuſtentas. Per. &c.

Explicit Miſſa S. Stephani.

(1) *In Natali S. Stephani Protom.*) In hac Miſſa (uti obſervat Mabillonius de Liturg. Gallic. lib. 2. pag. 110.) nulla lectio ex veteri Teſtamento Epiſtolæ præmittitur, atque in aliis nonnullis, fortaſſe ex communi deſumenda. In Mozarabica numquam præmittitur. Et in feſto quidem S. Stephani Lectio eſt ex libro Sapientiæ: *Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit &c.* Epiſtola vero ex Act. Apoſt. a cap. 6. ad cap. 8. Gallicana aliquamo prolixior: ab eadem etiam diſcrepat Evangelium, ibi enim deſumitur ex Matthæi cap. 17. ubi incipit: *Tempore illo acceſſerunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum &c.* In Mozarabica autem Lectio eſt ejuſdem Matthæi cap. 23. *ſuper Cathedram Moyſi &c.*

(2) *Præfatio*) Iſta hoc loco, ſicut in aliis, & videre eſt in ſequenti Miſſa S. Germani, alio modo ſumitur, quam in noſtris Miſſalibus vulgatis more Romano, ubi Præfatio Canonem præcedit, hic prima Sacerdotis Oratio eſt, qua circumſtantium animi præparantur ad Miſſam. Porro licet hujuſmodi Præfatione careant Miſſæ Mozarabicæ, ut notat Emin. Author, id quod diviſſe crediderim, quia hoc Præfationis vocabulum in iis non legit; prima tamen illarum Oratio, quæ alio nomine *Miſſa* nuncupatur, huic Gallicanæ Præfationi conſimilis eſſe videtur, etſi verbis copioſior; in ea enim Sacerdos adſtantes item hortatur, ut diei, ſeu feſtivitatis myſteria contemplentur. *Vide*, quæ dicta ſunt ſuperiori cap. XI. de Miſſa Mozarabum ad §. 5. nota 1. & 2. Et ſane quamvis hæc oratio vocetur ſimpliciter *Miſſa*, non vero *Præfatio*, ſeu *Admonitio*, monitionem tamen, ſeu exhortationem adſtantibus continere ſatis ipſa verba ibi expreſſa demonſtrant: *Feramus igitur ab omnipotentia Patris per nomen Filii Salvatoris gratiæ ſpirituales ingreſſum &c.* Item ex Iſidoro lib. 1. de Eccl. offic. cap. 15. atque Etherio, & Beato adv. Elipandum conficitur; Pri-

Præfatio in Miſſali Gallicano diverſimode a Romano.

ea ſumpta, & eſt Oratio qua circumſtantes præparantur ad Miſſam.

Missa olim etiam celebrata pro commemoratione, quæ passione Sanctorum.

Prima enim oratio, inquiunt, *ejusdem Missæ admonitionis erga populum est, ut omnes excitentur ad exorandum Deum*. Huic opinioni favet Mabillonius de Liturgia Gallic. lib. 1. cap. 3. num 17.

(3) *Pro ejus, vel commemoratione, vel passione*) Utroque sensu ex antiqua Ecclesiæ consuetudine. Ita Cyprianus Ep. 34. ad Clerum, & Plebem scribens: *Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus*. Et Ep. 37. edit. Pamel. *celebrantur a nobis hic oblationes, & Sacrificia ob commemorationes eorum*. Ante ipsum Tertullianus lib. de Corona Militis cap. 3. *Pro natalitiis annua die facimus*: idest sacrificamus, facere enim idem esse apud veteres quod sacrificare, jam supra demonstratum est cap. 3. §. 2. ad verbum *Agenda*. Per Natalitia vero intelligit festivitates fieri solitas in honorem Martyrum, quo scilicet die mundo mortui cœlo nati sunt. Sic Sanctus Cajus Papa (ut ex ejus actis refert Baronius ad an. 295. num. 9.) a die quo Susanna Virgo Neptis ejus martyrio coronata fuit, in loco, *ubi percussa est, jugiter obrulit sacrificium pro ejus commemoratione*. Et quia hæc Missa S. Stephani Protomart. ex Missali Gallicano veteri, seu Gothico Ecclesiis olim Galliæ, & Hispaniæ communi desumpta est, prædicta confirmet Isidorus Hispalensis lib. 1. de Eccl. Offic. c. 34. ubi ait: *Festivitates antiqui Patres in veneratione mysterio celebrari sanxerunt, vel ad excitandam imitationem, vel ut meritis eorum consociemur, atque orationibus adjuvemur*. Quod denique, & apposite Augustinus fenserat lib. 8. de Civit. Dei c. 2., & 10. c. 27., ubi ait, a nobis uni Deo, & Martyrum, & nostro Sacrificium immolari, ut *ea celebritate, & Deo de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoriæ renovatione adhortemur*. Vide, quæ suo loco dicentur lib. 2. ad cap. 14. §. 4.

(4) *Unigenito tuo per assumptionem Carnis*) Locus iste similis est illi, de quo præfati sumus capite antecedenti ad §. 2. nota 2., & §. 3. nota 3., quem forte etiam cum eodem corruperat Elipandus Toletanus pro assumptionis voce adoptionem substituens, ut nefariam Adoptivorum hæresim denuo revocaret, de cujus confutatione vide Natalem Alexandrum Hist. Eccl. sec. 8. Dissert. 5.

Veritatem Dominici Corporis, & Sanguinis in Eucharistia testantur omnes antiqui Gallicæ, & Hispanæ Missales Libri.

(5) *Ipse veritati Dominici Corporis, & Sanguinis hæreamus*) Plura Catholicæ hujus veritatis & fidei testimonia perhibent veteres Ecclesiarum Galliæ, & Hispaniæ Missales libri, & Sacramentorum Codices Gothici, seu Gallicani antiqui, ex quibus *de veritate Carnis, & Sanguinis non relictus est ambigendi locus*, uti diserte de Augustissimo hoc Eucharistiæ Sacramento loquitur Magnus Ecclesiæ Doctor Hilarius lib. 6. de Trinitate. Ex his aliquot seligo cum Mabillonio supacit. de Liturgia Gallic. lib. 1. cap. 1. num. 4. & quidem primum occurrit in Missa de Epiphania ejusdem Missalis Gothici num. XI. ubi statim ab initio, scilicet in Præfat. hæc solemnitas veneranda proponitur, fideles ad ferventem orationem exhortando, *pia*, nempe, *obsecratione postentes, ut qui tunc aquas in vina mutavit, nunc in Sanguinem suum oblationum nostrarum vina convertat*. Hic profecto necesse est agnoscere veram, & sinceram, non figuratam dumtaxat, uti effutiunt Calvinistæ, vini mutationem in Sanguinem Christi; ad eam enim efficiendam Cœlo devocatur, eadem ipsa Dei Omnipotentia, quæ aquas olim in vinum convertit. Sed insignior alter locus est sub finem ejusdem Missalis in Missa Dominicali num. 80. sic quippe habetur in oratione secreta: *Precamur mente devota, Te Majestas æterna, ut operante virtute panem mutatum in Carnem, poculum versum in Sanguinem illum sumamus in Calice, qui de te fluxit ex latere*. Quis hodie Catholicorum fuam Eucharistiæ fidem apertius, & efficacius posset exprimere, quam istius Liturgiæ Authores? Quos ante annos mille vixisse constat, cum Codex, unde hæc excerpta est, litteris majusculis, & quadratis scriptus, superet annos nongentos, uti in consequentibus idem Mabillonius exponit.

Ejusdem est roboris aliud ex eadem Missa testimonium post orationem Dominicam: *Libera nos a malo Christe Jesu. Corpus tuum pro nobis crucifixum edimus, & Sanguinem sanctum tuum pro nobis effusum bibimus*. Nulla interpretatione hic opus est: *Corpus Christi* in Eucharistia edimus, non qualecumque, sed illud ipsum, *quod pro nobis crucifixum est: Sanguinem ejus bibimus*, non umbraticum, non figuratum, sed verum, sed illum ipsum *pro nobis effusum*. Uno verbo panem sumimus, *divina operante virtute mutatum in Carnem, poculum versum in Sanguinem, qui in Cruce ex latere Christi fluxit*, uti superior locus diserte altruit.

Ex perpetua, & invariata Ecclesiæ traditione.

Hæc Fides nostra, hæc veterum Orthodoxorum Patrum, ac majorum nostrorum perpetua, & inviolata persuasio. Hæc Ecclesiarum omnium universalis, & in his Liturgiis Galliæ, & Hispaniæ Catholica traditio, quam ab Ecclesia Romana omnium Principe, & Matre illi ex Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum prædicatione, ac Testamento depositam, confignataque acceperunt, quemadmodum & aliæ per orbem Ecclesiæ, ut supra demonstratum est ad cap. 9. §. 8. nota 4. & 5. Hæc demum est Fides, de qua idem Gentium Doctor ad Romanos scribit cap. 1. 8. gaudens quod annunciaretur in universo mundo, quam legem credendi, ut item ad cap. 7. §. 5. nota 2. ostendimus, lex statuit supplicandi, idest sacrificandi ab eodem B. Petro Apostolorum Principe dictæ Romanæ Ecclesiæ tradita. Utinam eam ipsum averti fratres jam tandem sero agnoscerent, neque uti fictitiam novitatem seculo nono, ut falso autumant, invectam criminarentur; at quoniam audientes nolunt intelligere, ut credant, juxta propheticum dictum Jerem. 2. 19. arguet ipsos malitia sua, & averso sua increpabit eos. Sane si Ecclesiam audire velint, vox quidem ipsius est, quæ in hisce antiquis Missalibus libris loquitur, istique ætatem nunc mille annorum superant; si Patres, ut cæteros omnes fileam, unus sufficeret Alcuinus dicto seculo nono anterior, qui eosdem fua authoritate tam clare, & manifeste redarguit, ut ipsis nullus sit hanc orthodoxam veritatem effugiendi locus. Is itaque Epist. 13. ad Paulinum Aquilejensem Patriarcham hæc verba habet litteris aureis in-

inſcribenda: *Ne quæſo in tuis ſanctis orationibus obliviſcaris nomen amici tui Albini; ſed in aliquo memoriæ gazophylacio recondè illud, & profer eo tempore opportuno, quo panem, & vinum in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti conſecraveris.* Qui tam perſpicuis verbis detrahit fidem, is non veritatis, ſed contentionis, ſed erroris, ſed ſchiſmatis amator eſt.

Quibus Miſſalibus libris non tam Calviniſtæ quam Lutherani, ſeu Pauliſtæ confiſi, & confiſi.

Neque Calviniſtæ tantum telis hiſce confodiuntur, verum & Pauliſtæ Lutherani; ex iis enim nihil habent iſti, quo ſibi blandiantur cum Corpore, & Sanguine Domini panis, & vini ſubſtantiam in Sacramento remanere, harum quippe Liturgiarum conditores perſpicuis verbis expreſſe, & clare conſtentur, quod idem Chriſtus Dominus, qui olim *aquas in vinum mutavit, nunc in Sanguinem ſuum vinum convertat.* Profectò in vino ſic ex acquâ factò ad Nuptias Canæ Galileæ aquæ ſubſtantia non remanſit, alias non dixiſſet Architriclinus *bonum vinum ſervaſti uſque adhuc*, bonum etenim vinum, ut experti norunt, aquam non habet. Fatentur item præfati veteres Liturgici Patres divinâ *operante virtute panem mutatum in Carnem, & poculum verſum in Sanguinem, Chriſti Corpus, & Sanguinem eſſe, ipſumque Corpus pro nobis crucifixum edi, & Sanguinem pro nobis effuſum bibi, illumque eumdem eſſe, & ſumi in Calice, qui de ipſo fluxit in Cruce ex latere.* Vides hic mutationem, converſionem, & alibi ſcilicet in Miſſa XX. Cathedræ Sancti Petri, & in Miſſa 65. de S. Leodegario, item in Miſſali Francorum num. 8. ubi de ordinatione Presb. item in Miſſa Gallic. num. 17. Transformationem, itidem tranſmutationem, dicta Miſſa XII., quæ omnia important deſitionem totalem rei, & tranſitionem in aliam, quemadmodum Sancti Patres loquuntur, & ex ipſis Ambroſius lib. de Myſt., ſeu de Initiandis cap. 9. ubi ait, quod *benedictione etiam natura mutatur*, & paulo poſt: *ſi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba Domini Salvatoris operantur? Sermo enim, qui potuit ex nihilo facere quòd non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant?*

Inde ante Ambroſium catholica hac veritate firmatus Irenæus adv. hær. lib. 5. circa init. *Calicem*, ait, *mixtum, & panem percipere Verbum Dei*, deinde *fieri Corpus, & Sanguinem Domini*, non dixit, quomodo Lutheranus, panem eſſe Corpus, vel in pane contineri, *ſed fieri Corpus*, & quidem illud ipſum Corpus, & *Carnem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater pro ſua benignitate ſuſcitavit*, uti diſerte Ignatius Martyr in Epiſt. ad Smyrnæos. Recole, quæ ſupra jam dicta ſunt ad cap. 4. §. 4. nota 1. Et ſane ſi poſt Euchariſtiæ conſecrationem remanerent ſubſtantiæ panis, & vini, ut volunt Lutherani, non poſſet proprie dici, *fieri Corpus, & Sanguinem Domini*, vel in ipſum *converti, mutari, tranſformari*, uti cum his Patribus iſtarum laudati Liturgiarum Authores, ſed illi uniri, ſuperaddi, aut conjungi, quod planè nemo Patrum dixit, idque numquam Lutheranus oſtendet. Præterea error iſte convellitur per ipſamet Chriſti Verba, *Hoc eſt Corpus meum*, quod certe non foret verum, ſi ibi ſubſtantia panis remaneret, ſed potius dicendum eſſet, *Hic eſt Corpus meum*; nec dixiſſet Chriſtus Joannis 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*; ſed in pane, vel cum pane, quem ego dabo caro mea eſt. At de hac re ſuſius alibi in Diſſertatione Euchariſtica cum cæteris danda.

§. VIII.

Item ex ſequenti Miſſa S. Germani

UT autem propoſita a nobis de Miſſa Gallicana opinio, ſeu conjectura & clarior evadat, & firmius ſtabiliatur, non ingratum lectori, vel injuncundum fore exiſtimavi, ſi ex alio antiquiſſimo Codice MS. nempe ex Palatino Bibliothecæ Vaticanæ ſupra memorato aliam Miſſam adjicerem, quæ omnino conſonat cum ſuperiori S. Stephani, eademque methodo ac eodem tenore procedit. Scriptus autem ſuit Codex ab homine linguæ Latinæ prorſus imperito, adeo enim miſere depravatus eſt, ut vix ulla linea legatur ſine mendis. Verborum errores, ut *dilixi* pro *dilexi*, *anteſtes tuos* pro *antiſtes tuus*, *conſequerit* pro *conſequeretur*, & alios ejuſdem generis paſſim occurrentes facile emendavi: ubi autem ſenſus nutat, nec verba cohærent, nihil mutare volui, ne forte perperam divinando longius a ſcopo aberrarem. (1) Lectoris peritioris erit fœdis vulneribus a rudi Scriptore inflictis medicam manum adhibere. Porro Miſſa de S. Germano eſt, cujus feſtivitas, quamvis in Miſſali Mozarabico deſcripta ſit, caret tamen Miſſa propria, totumque officium in communi Confeſſorum Pontificum aſſignatur. (2) (1) (2)

Miſſa

Miſſa S. Germani.

Præfatio.

VEnerabilem diem atque ſublimem, Fratres Cariſſimi, prompta devotione celebremus, miſericordiam Domini noſtri ſuppliciter exorantes, ut Beatiſſimi Germani Antiſtitis, & Confeſſoris ſui, cujus exempla miramur, & ſi æquari factis ejus non poſſumus, ſaltem veſtigia ſequi, & fidem nobis contingat imitari.

Collectio.

GRatias tibi agimus Omnipotens Deus pro virtutibus Beatiſſimi Germani Antiſtitis tui, quas ei Pater Omnipotens non immerito tribuiſti, quia te Apoſtolica confeſſione rebus omnibus plus amavit; diſcuſſit a ſe divitias, ut paupertate ſpiritus cœlorum regna conſcenderet; manſuetudinem tenuit, ut terram ſui corporis ſpiritualiter poſſideret: lugere delectatus eſt in ſeculo, ut cœleſtem conſolationem ex muneris tui largitate percipere: juſtitiam eſurivit atque ſitivit, ut tuis ſaturaretur eloquiis: eleemoſynam jugiter fecit, ut indefinenter non tantum ſibi, ſed & cæteris pietatis tuæ miſericordiam obtineret: puritatem cordis habuit, ut te videret: fidem ſervavit, ut filiis tuis fraterna ſe participatione conjungeret. Per cujus interventum precamur.

Deſunt hic duæ lineæ abraſæ.

(*Ad ex has parte ſupplendas addi poſſunt, quæ ſubdunt Thomaſius, & Mabillonius, videlicet*: qui illum hono.....plis. Per Dominum.)

Poſt nomina.

AUditis nominibus offerentum indeficientem divinam clementiam deprecemur, ut has oblationes plebis, quas in honorem Beatiſſimi Germani Antiſtitis & Confeſſoris offerimus (*deeſt aliquid*) Signatum diem hodiernæ ſolemnitatis celebremus cum inconcuſſa fidei libertate, quam ille conſtanti mente defendit, ut robur patientiæ ejus --

Deſunt hic etiam duæ lineæ abraſæ.

Oremus etiam & pro ſpiritibus carorum noſtrorum, quorum idem Omnipotens Deus & numerum novit, & nomina, ut omnium memoriam faciat, omnium peccata dimittat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Collectio ad pacem.

DEus pro cujus ſacro nomine Beatus Germanus Antiſtes tuus deſideravit perſecutionem pati propter juſtitiam, ut & ſi martyrium non perferret, fide tamen pertenderet: nec timeret odiis hominum, & maledictionibus ſubjacere, dummodo mercedem copioſam conſequeretur in cœlo, & ad illas beatitudines Evangelicas perveniret; te per hujus interventum precamur, ut pacem quam te jubente dilexit in ſeculo, perpetualiter Eccleſiæ poſſidendam tribuas in futuro. Per Dominum noſtrum.

Conteſtatio Miſſæ.

DIgnum & juſtum eſt, vere æquum & juſtum eſt, nos tibi gratias agere, & pietati tuæ in honorem ſummi Sacerdotis tui Germani Epiſcopi & Confeſſoris laudes canere, vota perſolvere, ejuſque enarrare virtutes, quas ei Domine Pater Omnipotens non immerito tribuiſti, quia

te

te Apoſtolica confeſſione rebus omnibus plus amavit, &c. *Repetit ea, quæ habentur ſupra in prima Collecta, tum ſubdit.* Dilexit te Domine ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima ſua, & proximum ſuum tanquam ſeipſum; ut ſecundum quod in his duobus mandatis univerſa lex & Prophetæ pendebant, ad eas, quas diximus, evangelicas beatitudines perveniret. Et quia tu Domine Jeſu Chriſte Apoſtolis tuis dixeras, ut euntes per univerſum mundum univerſæ creaturæ Evangelium prædicarent, & virtutes efficerent, hæc tuus devotiſſimus Germanus Epiſcopus (3) . . . eorum veſtigia ſubſecutus per totas Gallias, Romæ, in Italia, in Britannia annis triginta corpore afflictus (4) . . . jugiter in tuo nomine prædicavit, hæreſes abſtulit, adduxit populum ad plenam & integram fidem, ejecit dæmones, mortuos ſuſcitavit, ægris reddidit priſtinam ſanitatem, implevitque omnia ſigna, virtutes utique adeptus. Sic cœpit, ut creſceret: Sic pugnavit, ut vinceret. Sic conſummavit, ut mortis tenebras præteriret. Martyriis ſe conjungeret ſtola, cum centeſimum fructum perceperit, & vita hac peracta regnum inhabitarit æternum. Quod credentes Deus Pater Omnipotens ſupplices exoramus, ut in ejus apud te patrociniis & interceſſionibus pietati tuæ commendati nos in omnibus tuam miſericordiam conſequamur, Angelica te exultatione laudantes & dicentes. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* (3) (4)

Collecta poſt Sanctus.

BEnedictus plane qui venit in nomine Domini, benedictus Deus, Rex Iſrael; pax in terra, gloria in excelſis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui pridie quam pateretur.

Poſt Secreta.

DEſcendat, precamur Omnipotens Deus, ſuper hæc, quæ tibi offerimus, Verbum tuum ſanctum: deſcendat inæſtimabilis gloriæ tuæ ſpiritus: deſcendat antiquæ indulgentiæ tuæ donum, ut fiat oblatio noſtra hoſtia ſpiritalis in odorem ſuavitatis accepta (5). Etiam nos famulos tuos per ſanguinem Chriſti tua manus dextera invicta cuſtodiat. (5)

Ante orationem Dominicam.

AGnoſce Domine verba quæ præcepiſti, ignoſce præſumptioni, quam imperaſti: ignorantia eſt non noſſe meritum, contumacia eſt non ſervare mandatum, quo dicere jubemur, *Pater noſter*, &c.

Poſt Orationem.

LIbera nos a malis omnibus, auctor bonorum Deus, ab omni tentatione, ab omni ſcandalo, ab omni opere tenebrarum; & conſtitue nos in omni bono, & da pacem in diebus noſtris, auctor pacis & charitatis. Per Dominum noſtrum.

Benedictio Populi deeſt.

Collectio poſt Euchariſtiam.

SUmpſimus ex ſacris altaribus Chriſti Domini ac Dei noſtri corpus & ſanguinem (6) credentes unitatem beatæ Trinitatis. Oremus ut ſemper nobis fide plenis eſurire detur ac ſitire juſtitiam, ſicque opus ejus confortati ſalutaris eſcæ gratia faciamus, ut non in judicium, ſed in remedium, ſacramentum quod accepimus, habeamus. Per Dominum noſtrum. (6)

Col-

Collectio in fine Miſſæ.

CHriſte Domine, qui & tuo veſci corpore, & tuum corpus effici vis Fideles, fac nobis in remiſſionem peccatorum eſſe quod ſumpſimus: atque ita ſe animæ noſtræ divina alimonia per benedictionem tuam facta permiſceat, ut caro ſpiritui ſubdita, & in conſenſum pacificum ſubjugata obtemperet, non repugnet, per Spiritum Sanctum, qui in unitate Patris & Filii cœternus vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

(1) *Longius a ſcopo aberrarem*) Et quidem prudentiſſime, cum enim hujus capitis initio hac in Liturgiæ Gallicanæ diſquiſitione ſe implicatum ultro fateri non dubitaverit Purpuratus Scriptor, profeſſus hanc rem magni momenti eſſe, eamque non ex proprii ingenii figmentis, aut temeraria conjectura, ſed ex vetuſtis monumentis inveſtigandam, neque illi his meliora ſuppeterent, eiſdem profecto nihil addere, aut imminuere viſum fuit, quemadmodum ejus exemplo id pariter egerunt Clariſſimi duo poſt ipſum Liturgici Expoſitores Thomaſius, & Mabillonius.

(2) *In communi Conſ. Pontif. aſſignatur*) Non ita in veteri Miſſali Gallicano tam apud Thomaſium, quam Mabillonium, ubi hæc Miſſa initio deſcripta propria eſt, & unica de Sanctis, non ſecus ac Miſſa S. Hilarii in Miſſali Francorum num. XIV. in quo ipſius nomen in orationibus, Præfatione, & infra actionem exprimitur; quod olim Joanni Morino obſervatum de Sac. Ordinat. parte 2. pag. 261. edit. Pariſ. 1655.

(3) *Germanus Epiſcopus*) Mabillonius in Liturgia Gallicana pag. 330. ad hunc hiatum immediate ſubdit hanc vocem *Tartarum*, nec quid ſignificare velit, indicat, fortaſſe *Auxerrarum*, vulgo *Auxerre*, Latine *Antiſſiodorum*, cujus urbis in Gallia Epiſcopus erat Germanus. Card. noſter vel id vocabulum in MS. Codice, quo uſus eſt, non legit, aut cum idem non perciperet, ipſum maluit omittere. Ex hoc autem loco, ſicut & ſequenti, *in Italia*, quem corruptum ita Mabillonius legit *ineſtalia*, & poſtea emendat in notis, clare dignoſcitur diverſos fuiſſe Codices, ex quibus ab utroque hæc Miſſa exſcripta eſt.

(4) *Corpore aſſiſtus*) Iſtud item vacuum hac voce *Janus* repletMabillonius, quid hoc? an de Genua intelligendum, quæ urbs *Janua* non raro appellatur, ibique Evangelium prædicavit Germanus?

(5) *In odorem ſuavitatis accepta*) Plures hujuſmodi precationes jam facta conſecratione *poſt ſecreta*, ſive *poſt myſterium*, uti in Miſſali Gothico legitur, quibus orat Sacerdos, ut deſcendat Verbum ſuper oblata, ibi reperiuntur, videlicet in Miſſa Aſſumptionis B. M. V. apud laudatum Mabillonium loco ſupracitato pag. 214. item pag. 227. in Cathedra S. Petri, & pag. 284. in Miſſa S. Leodegarii; quomodo autem hæc intelligi debeant, explicabitur infra cum Cardinali noſtro ad lib. 2. cap. 13. §. 5. ubi etiam aliæ ſimiles orationes invocatoriæ referentur ex Miſſali Mozarabum.

(6) *Chriſti Domini, ac Dei noſtri Corpus, & Sanguinem*) Novum ecce argumentum poſt ſuperius allata, quo Fides Catholica de Chriſti Domini præſentia reali in Euchariſtiæ Sacramento contra Sectarios figuriſtas, præcipue Calvinianos a mille circiter annis, quibus condita hæc Miſſa, ſeu Miſſale Gallicanum vetus Mabillonio creditur Liturgiæ Gallic. lib. 1. cap. 4. num. 7. & ſeqq. amplius confirmatur, & perpetua, vivaque univerſalis Eccleſiæ voce luculenter exprimitur, nedum hoc loco, verum & alibi in Miſſali Gothico, Miſſa Paſchali num. 40. pag. 256. ubi non in umbra, non in figura ſed in veritate Chriſtus *Agnus Dei Unigenitus Patris Filius, non in fermento veteri, neque in carnalium ſanguine villimarum, ſed in azymis ſinceritatis, & corporis veritatis* immolatus fumitur. Quæ verba pariter ad Miſſam Paſchalem num. 30. ſic exarata leguntur in Miſſali Gallicano vetere pag. 369. & alibi plerique locis. Vide quæ ſupra jam dicta funt ad cap. 4. §. & nota I. item paulo ante hujus capitis §. 7. nota 5.

§. IX.

A quibus hæ Miſſæ compoſitæ fuerint.

HÆ ſunt Miſſæ, quas veluti Gallicanas e MSS. Codicibus nunc primum produxi, breviores quidem quam editæ in Mozarabico, ſed eodem ſtylo, eodemque tenore contextæ. Sicut autem Baſilius, & Chryſoſtomus, aliique Eccleſiæ Orientalis Antiſtites, quamvis haberent a ſenioribus ſuis ſibi traditas Liturgias, propriis tamen verbis ſacrificium offerre maluerunt: ita credendum ſanctos Epiſcopos, qui ritu in hoc & ſuperiori capite deſcripto utebantur, eo retento in ordine ac veluti textura Miſſæ, mutaſſe nihilominus orationes, ut & ipſi propriis verbis Deum ad aram precarentur. A quibus primum compoſitæ fuerint, ignoramus, (1) non eſt tamen (1)

men dubitandum quin a viris & vitæ ſanctimonia & fidei integritate conſpicuis editæ ſint, alioquin non fuiſſent ab Eccleſia receptæ. Nec cuiquam ſcrupulum ingerere debet quod in Miſſa Sancti Germani in oratione quæ *Poſt ſecreta* inſcribitur, Sacerdos jam peracta conſecratione orat, ut deſcendat Verbum in oblata, nam hæc oratio nihil habet alienum a fide, ut *Lib. II. Cap. XIII.* explicabo. Joannes Morinus Eccleſiaſticæ antiquitatis ſagaciſſimus indagator in Comment. de ſacris Ordinationibus *parte* 2. *pag.* 261. antiquiſſimum Codicem ſe vidiſſe teſtatur ſcriptum in Gallia poſt annum 511. & ante annum 560. ad uſum, ut ipſe putat, Eccleſiæ Pictavienſis, continentem Ordinem Romanum, in quo ter Regni Francorum, & ſæpius ſancti Hilarii mentio fit: quæ, ſi vera ſunt, evidenter evincunt Romanos ritus initio ſeculi ſexti in Gallia receptos fuiſſe. Sed quam firmum ſit Morini argumentum aliis examinandum relinquo: ego enim non dubito, quin leviſſimæ conjecturæ teſtimonium præferri debeat omni exceptione majus tum Caroli Magni, & Caroli Calvi aſſerentium Ordinem Romanum curante Pipino in Gallicanis Eccleſiis introductum fuiſſe, cum antea proprio uterentur: tum Gregorii Magni, qui in Epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum Gallicanos ritus a Romanis diſtinguit: tum aliorum Scriptorum, qui unanimi conſenſu eidem veritati adſtipulantur. Illum vero Codicem tantæ eſſe antiquitatis non credo, quantam illi Morinus tribuit (2). Nam nec (2)
ſatis intelligo, cur Regnum Francorum illis annis coarctet, qui a quingentèſimo undecimo uſque ad 560. elapſi ſunt: nec Hilarii memoriam ſolius Pictavienſis Eccleſiæ, aut ſolius Galliæ finibus circumſcriptam fuiſſe arbitror, cum Romæ etiam, & ubicunque Chriſtus colitur, celeberrima fuerit. Verum hæc & reliqua omnia, quæ in hoc Capite pertractavi, peritorum cenſuræ lubens ſubjicio, paratus de ſententia decedere, cum quis certiora protulerit.

(1) *A quibus compoſitæ fuerint*) De his Miſſis, earum ævo, & Authoribus, qui fuerint, aut eſſe potuerint, legendus ſupralaudatus Card. Thomaſius in ſua eruditiſſima Præfatione ad Codices Sacramentorum Eccleſiæ Romanæ ab ipſo vulgatos. Conjicit Venerabilis, & Purpuratus Scriptor Muſæum Maſſilienſem Miſſalis Gothici Authorem eſſe poſſe ex Gennadii verbis, quibus in Catalogo Virorum illuſtrium cap. 79. *Sacramentorum egregium volumen* a Muſæo ſcriptum *ſupplicandi Deo, & conteſtandi beneficiorum ejus ſolliditate ſui conſentaneum* dicit, quæ probe convenire videntur Præfationibus, ſive Inlationibus hujus Miſſalis, quibus nimirum Dei beneficia conteſtantur, quæque proinde in hoc ipſo Codice *Conteſtationis* nomen ſortiuntur. Muſæus porro, ſive alius fuerit Author, certe multa ad verbum excerpta habet ex S. Auguſtino, ut ex Tract. 55. in Joannem Præfationem feriæ quintæ in Cœna Domini, & ex ſerm. 10. de Sanctis Præfationem Innocentium, & alia aliunde. Non omnium autem Miſſarum, quæ ibi deſcriptæ ſunt, Muſæum conditorem eſſe poſſe dicemus; cum enim Muſæus eodem Gennadio teſte mortuus ſit Leone, & Majoriano regnantibus, hoc eſt circa an. 460. Miſſas in triduo Rogationum ipſe profecto exarare non potuit, ſiquidem Rogationum inſtitutio, quæ primo in Gallia fuit ad an 469. refertur ſub S. Mamerto Viennenſi Epiſcopo, atque hæc a Galliarum Eccleſiis nonniſi circa finem ſeculi, adeoque poſt Muſæi obitum recepta, uti oſtendit Grancolas Comment. in Breviar. Roman. cap. 74.

Harum Miſſarum Author creditus Muſæus Maſſilienſis, nec ſine ratione.

Non tamen omnes, quæ ibi deſcriptæ ſunt, illi adjudicandæ.

Præterea poſt tertiam Miſſam Rogationum in dicto Codice apud Thomaſium pag. 357. habentur duæ orationes de Sancto Gregorio Magno Papa I. obiit autem Gregorius anno 604. quare Collectæ iſtæ ab aliquo circa octavum ſeculum ſuſtectæ ſunt; multo minus S. Leodegarii Miſſa, quæ ibi pag. 375. deſcripta eſt, vel ipſi Muſæo, vel alteri coævo tribui poterit; Leodegarius enim anno 678. non 687., uti ex calami, (vel Typographi errore Ven. Card. Thomaſius) Chriſti Martyr occubuit. Hinc idem Thomaſius etſi cum Mabillonio de Liturg. Gallic. pag. 176. n. 4. ex dicta S. Leodegarii Miſſa optime arbitretur hunc Codicem octavo circiter ineunte ſeculo, non antea, exaratum fuiſſe, atque ambo exſcriptum putent ex veteriſſimis exemplaribus, Muſæi ſcilicet, cui, ut diximus, tribuendum ſuſpicatur Thomaſius; de indicatis tamen poſterioribus miſſis, earumque Authore nihil ipſi habent; iſte nobis propterea perquirendus, ſeu verius divinandus erit.

Nam plures earum alium habere videntur Author.

Et quidem ſi Miſſas prædictas in triduo Rogationum S. Mamertum Viennenſem Epiſcopum earumdem ſupplicationum authorem, vel Claudianum Mamertum ejus fratrem, de quo ſupra, compoſuiſſe quis dixerit, eum non erraſſe crediderim; Mamertus enim, ut ex Sidonio Apollinari lib. 5. Epiſt. 14. ait Sir-

Inter quas Miſſæ in triduo Rogationum S. Mamerto Viennenſi, vel ejus fratri Claudiano attributæ.

Sirmondus, non solum has supplicationes instituit, sed earum formam sanctiorem, augustioremque præscripsit. Hæ porro Litaniæ non sine Missa fiebant, uti refert Venantius Fortunatus in vita S. Germani Episc. Parisien. *dum tempore Litaniarum ..... ad Missam cum populo progrediturr*: Duæ vero orationes de S. Gregorio, quæ subsequuntur, ad posteriorem ætatem referendæ sunt, & fortasse earum Collector idem est, ac Author vitæ S. Leodegarii Urfinus Monachus, eique coævus, de quo Mabillonius Sæc. Bened. Tom. 2. pag. 698. cui etiam adscribenda S. Leodegarii Missa; cum enim hic Sanctus Martyr ita tim post obitum plurimis miraculis claruerit, Missam etiam in ejus honorem statim condiam fuisse probabile est. Atque hæc de hujusmodi Missarum Authoribus. Cæterum ea omnia ita obscura sunt, ut de illis nihil certi stabiliri pollit, vel ipso fatente Mabillonio de Liturgia Gallicana initio Præfationis ad eamdem: Liturgia, inquit, Gallicana ab annis retro nongentis ita non modo in desuetudinem abiit, ut nec ejus vestigium penè ullum relictum sit, nec ritus apud viros nostræ ætatis etiam doctissimos certus, & exploratus: ac proinde cum Emin. Authore eadem, quæcumque diximus, peritioribus disquirenda relinquimus.

Hæc nihilominus de Liturgia Gallicana, ejusque variis editionibus dicta, obscura sunt, & incerta.

(2) *Quantam illi Morinus tribuit*) Ita & Ven. Card. Thomasius, qui de hoc Codice, quem tertio loco edidit citata pag. 398., & inscripsit: *Missale Francorum*, hæc ipse in Præfatione ait: *Hoc Francorum Missali plane demonstravi veterem Galliæ vitum in Missa dissimilem in multis a Romano, consimilem vero, si precum seriem attendamus, Gothico, Gallicanoque Missalibus hic editis*: Quo tanti viri testimonio corruit Morini sententia, qua putat hunc Codicem continere ordinem Romanum, cum ab isto vere in multis dissimilem affirmet Thomasius, cujus profecto judicium hac de re præferendum non dubitant Eruditi. Accedit quod, ut observat Mabillonius de Liturgia Gallic. lib. 1. olim in Gallia prius Romanum Canonem, quam integrum Missæ Ritum Romanum prisci illius Regni Ecclesiarum Prælati susceperint, usi ex hoc Codice apud Thomasium pag. 429. manifestum est, in quo Canon tantum cum Romano convenit, reliqua cum dictis Gothico, ac Gallicano Missalibus. An autem Codex iste illius sit antiquitatis, quam ei tribuit Morinus, idem Canon Romanus, qui in eo reperitur, plane indicat non ita esse; hunc siquidem nonnisi sub Stephano Papa II. anno circ. 754. introductum fuisse satis superque ex supra allatis ab Emin. Carolinis attestationibus comprobatur.

Certumeste tantum Gallos olim præpriam Liturgiam habuisse, & deinde Romanum prius Canonem, quam integrum Missæ Ritum Romanum accepisse.

APPENDIX

De reliquis particularium Occidentis Ecclesiarum Ritibus nonnullis, ac præcipue de Parisiensis Ecclesiæ Ritu, & de antiquo Aquilejensi Patriarchino nuncupato.

ALii forent discutiendi diversarum Ecclesiarum Occidentalium Ritus peculiares in Missæ celebratione, sed cum paucis admodum differant, vel ab antiqua Latina Liturgia, seu Romana, vel a Gallicana veteri, seu Gothica: ne his amplius immoremur, de quibus abunde disputatum est, illos tantum indicare sufficiat, & Authores, qui de iis fusius agunt.

Qualis fuerit olim apud Britones, & Hibernos sanctificandi Ordo, non facile compertum videtur;

Ac primo quis, qualisve fuerit apud Britones, & Hibernos sanctificandi Ordo, non facile compertum videtur; modum tamen illum a Romano diversum exstitisse colligitur ex nostro Sancto Mellituo Patre Bernardo in libro de Vita, & miraculis S. Malachiæ Conneretensis Archiepiscopi, & Hiberniæ Primatis cap. 3., & 4. ubi Malachias in iis regionibus barbaras consuetudines Romanis mutasse, & canonicum divinæ laudis officium per illas Ecclesias invexisse memoratur. Et quidem diu, antequam ibi Malachias appulisset, S. Patricius Hibernorum Apostolus in Ecclesia Gallicana educatus, ejusque moribus, & consuetudinibus affuctus, non alium, quam Gallicanum Ritum ibi tunc temporis celeberri-

Anglia per Monachos S. P. Benedicti ad fidem conversa sæculo sexto Romanos Ritus recepit sec. 8.

mum videtur in Hibernium invexisse, atque Ecclesiis a se constitutis observari mandasse, quem postea longo decurso tempore depravatum Malachias in Romanum convertit.

Anglicana Ecclesia Gregorii Magni tempore, & Augustini primi Anglorum Episcopi Cantuariensis, aliorumque Monachorum Ordinis S. Benedicti opera cantum, rituspue Romanos recepit, cantum quidem per Joannem Abbatem Romanæ S. Petri Ecclesiæ Archicantorem teste Beda in Hist. Eccl. Gentis Anglorum lib. 4. cap. 18., Ritus autem Romanos anno 747. in Concilio Cloveshoviensi Can. 13, quo statutum fuit imposterum in sanctorum mysteriorum functionibus sectandum omnino esse Ritum, atque ordinem Ecclesiæ Romanæ. Quod sane non leve argumentum est veterem ante id tempus Liturgiam Anglicanam diversam fuisse a Romana, nimirum vel Gallicanam antiquam, vel ex hac, & Romana conflatam. Ordinem vero Romanum sic ab Anglia ex eo tempore a sæculo scilicet octavo receptum eadem constanter retinuit, donec sub Henrico VIII. a vera Catholica Ecclesia defecit. Porro Scotorum Ritus, quomodo a Romanis differant, item quandiu inter ipsos de iis duraverit dissensio, atque hæc quando tandem sublata, erudite differit Mabillonius Præfat. in Sec. 2. Bened. num. 15. Sec. 3. nu. 7. & seqq., ac Sec. 5. num. 73. & seqq. Item de antiquis Anglis Ritibus novissime Liturgicarum Rerum Scriptores in Gallia notissimi Jacobus Grancolas Tom. 1. pag. 368. Claudius Duvert, & Petrus le Brun disputant, quorum primus præ cæteris arridet, cum eosdem distincte

ſtincte ex Beda, ex Theodoro Cantuarienſi, atque ex Angliæ Conciliis explicet.

In Galliis plures Eccleſiæ ſuos peculiares Ritus habere noſcuntur, inter quas præcipuæ ſunt Pariſienſis.

In Galliis plures Eccleſiæ ſunt, quæ ſuos peculiares Ritus habent. In primis Pariſienſis, in cujus Miſſali nonnulla quæ extant notatu digna indicat Jac. Grancolas Comment. Hiſt. in Breviar. Rom. cap. 13. circa finem, inter quæ, omiſſis iis levioris momenti, hæc præcipua ſunt. In tribus Nativitatis Domini Miſſis duæ ſunt Epiſtolæ, veteris una, novi Teſtamenti altera; Proſæ etiam ſunt omnium Feſtorum propriæ, ſingulorumque dierum hebdomadæ Paſchalis, & Pentecoſtes. In Dominicis poſt Paſcha dicitur Proſa *Victimæ Paſchali*, ſed initium fit dumtaxat ad *Agnus redemit oves*. Sacerdos veſtes ſumens ad celebrandam Miſſam alias a communibus hodiernis preces recitat. Poſtquam ad Altare pervenit, dicit *Introibo*, & Pſal. *Judica* cum *Gloria*, inde *Kyrie*, *Chriſte* .... *Pater noſter*, *& ne nos inducas*, *Confitemini Domino*, poſtea, *Confiteor Deo Omnipotenti*, *& Beatæ Mariæ Virgini*, *& omnibus Sanctis ejus*, *& vobis fratres*, *quia ego miſer peccator*, *peccavi nimis loquendo*, *operando*, *negligendo*, *omittendo*, *cum excommunicatis participando*, *& in cunctis vitiis meis malis*, *mea culpa*. *Ideo precor Te gloriоſiſſima Virgo Maria*, *& vos omnes Sancti*, *& Sanctæ Dei*, *& vos fratres*, *ut oretis pro me miſerrimo peccatore ad Dominum Deum noſtrum Omnipotentem*, *ut miſereatur mei*.

Conſimilis Confeſſio legitur & in Miſſali Lemovicenſi impreſſo ann. 1483. apud Martene de Antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. cap. 4. art. 1. pag. 354. *Poſt miſereatur* abſolutionem dat Sacerdos, ut Paſchatis tempore, *per gratiam Spiritus Sancti* .... Altare ſcandens, dicit, *Auſer a nobis*, poſtea, *conſcientias noſtras viſitando purifica*, Altare oſculatur, Miſſale aperit eo loco, quo Jeſu Chriſti Crucifixi imago eſt, atque illam intuitus ait: *Adoramus te* ..... *quia per Crucem tuam* .... Verſ. *Omnis terra adoret te*. Oratio *Perpetua nos pace*; & pedes Crucifixi exoſculatus ait: *Adjutorium noſtrum* .... *Sit nomen Domini &c.* atque incipit Introitum. Calicem, & Patenam ante Evangelium parare debet: Ad Offertorium ait: *Quid retribuam Domino*. *Calicem ſalutaris accipiam*: Atque Calicem cum Patena offerens ait: *Suſcipe Sancta Trinitas* ... Hoſtiam ad Calicis pedes ponit, & Calicem Corporali tegit, poſtea recitat: *Veni ſanctificator* .... Oblationes populi accipiens ait: *Centuplum accipietis*, *& vitam æternam poſſidebitis*. Poſt *Lavabo* .... *In ſpiritu humilitatis &c.* Altare oſculatur, ſeque ad populum dextera, & ſiniſtra convertens ait: *Orate pro me fratres*, *& ſorores*, *ut meum pariter*, *& veſtrum in conſpectu Domini ſit acceptum Sacrificium*. In Miſſis B. M. Virginis ſunt quædam additamenta ad *Gloria in excelſis*, vid. *Domine Fili Unigenite Jeſu Chriſte*; *Spiritus almæ Orphanorum Paracletus* .... *Domine Deus Filius Patris*, *Primogenitus Filius Mariæ Virginis Matris ſuſcipe deprecationem noſtram ad Mariæ gloriam*. *Tu ſolus Sanctus*, *Mariam ſanctificans*; *Tu ſolus Dominus*, *Mariam gubernans*; *Tu ſolus Altiſſimus*, *Mariam coronans*: Porro de his additamentis, quæ & alibi inſerta legunrur, iterum erit ſermo lib. 2. cap. 4. §. 6. nota I.

Canon ab initio uſque ad finem idem eſt, ac in Romano. Sunt tamen aliquot cæremoniæ peculiares. Antequam det pacem Sacerdos, & dicat, *Pax tibi*, Hoſtiam, non Altare oſculatur. Eſt & oratio alia a *Domine Jeſu Chriſte*, *qui dixiſti &c.* ad pacem dandam; inde ſequitur: *Domine Jeſu Chriſte*, *qui ex voluntate Patris &c.* Oratio. Perceptio non ineſt. Poſt *Ite Miſſa eſt*, benedictionem impertitur dicens: *Adjutorium &c. Sit nomen &c.* poſtea, *benedicat vos &c.* & *Placeat*, ſequitur benedictio. Demum veſtimenta exuens Evangelium S. Joannis *In principio* recitat. Hæc ſunt, quæ veluti propria habet Eccleſia Pariſienſis. Sunt & alii variarum Galliæ Eccleſiarum particulares Ritus, quos ſingulatim deſcribere nimis longum eſſet, nec nobis id otii ſuppetit, cum eos uberrime deſcripſerint nuperi Rerum illius Regni Liturgicarum Scriptores Edmundus Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. art. XII., in quo varii ad Miſſam celebrandam ordines ad dictas Eccleſias ſpectantes referuntur; item Claudius de Vert, Jacobus Grancolas, Petrus le Brun, aliique in eorum Miſſæ cæremoniarum eruditis explicationibus. Vide etiam Miſſalia diverſa antiqua in Galliis ad uſum particularium aliquot Eccleſiarum edita; veluti Auguſtodunenſe vetus impreſſum an. 1556. Bituricenſe triplex, unum an. 1493. alterum 1512., tertium an. 1526. editum. Cabilonenſe an 1543. Lemovicenſe an. 1512., Lugdunenſe vetus ann. 1524. typis mandatum. Item aliud vetus Athanacenſis Monaſterii in eadem Diœceſi an. 1531. impreſſum, Narbonenſe an. 1528. Noviomenſe Pariſ. editum an. 1541. Pictavienſe an. 1498. Rhemenſe Rhemis 1552., & Turonenſe ann. 1543. ab Edmundo Martene Tom. 1. de antiq. Eccl. Rit. indicata in Syllabo Ritualium præfixo, ex quibus ipſe ſuum Hiſtoricum de Diſciplina in Sacramentorum adminiſtratione opus concinnavit. Videndi etiam Antonius Bellotte in Ritus Eccleſiæ Laudunenſis, & du Moleon Iter Liturgicum, in quibus omnibus plerique uſus ſpeciales in Gallia obſervati ad Miſſæ celebrationem deſcripti leguntur. Sed jam ab Occidentis regionibus in Italiam redeamus; etenim de antiquo Ritu Aquilejenſi Patriarchino dicto nobis ſupereſt differendum.

Nonnulla de Ritu Aquilejenſi Patriarchino dicto.

Clariſſimus Abbas D. Ferdinandus Ughellius in ſua Italia Sacra Tom. 5. pag. 24., ubi de Aquilejenſi Patriarchatu, ac alibi in Gradenſi, & Veneto, atque Epiſcopis Comenſibus Aquilejenſem Eccleſiam antiquitus Ritum aliquem particularem in divinis officiis, & Miſſæ Sacrificio habuiſſe ſubindicat. Et quidem Walafridus Strabo de reb. Eccl. cap. 25. loquens de Sancto Paulino Aquilejenſi: *traditur*, inquit, *Paulinum Forojulienſem* (ſeu quod idem eſt, Aquilejenſem) *Patriarcham ſapius*, *& maxime in privatis Miſſis circa immolationem Sacramentorum Hymnos*, *vel ab aliis*, *vel a ſe compoſitos celebraſſe*. *Ego vero credidevim tantum*, *tantæque ſcientiæ virum*, *hoc nec ſine authoritate*, *nec ſine rationis ponderatione feciſſe*: Cum vero Patriarchæ Aquilejenſes

ſummo olim fuerint a Romanis Pontificibus honore condecorati, ut inter Italiæ Epiſcopos, & Metropolitas ſecundum ab ipſis locum obtinerent, ac prima Eccleſiarum in Italia poſt Romanam Aquilejenſis a Leone Papa VIII. Epiſtola ad Rodoaldum Aquilejenſem ſub an. 904. apud dictum Ughellium loco cit. col. 46., & a Joanne XIX. an. 1026. ad Popponem pariter Aquilejenſem ibidem col. 48. pronunciata fuerit; hinc in ejus ſingularis iſtiuſmodi præeminentiæ ſignum, ac prærogativam non improbabile eſt proprium etiam, ac peculiarem in divinis officiis celebrandis Ritum habuiſſe, quemadmodum nonnullæ non Patriarchales Eccleſiæ habuerunt, & retinent, uti Mediolanenſis, aliæque præſertim extra Italiam, de quibus ſupra meminimus. Id expreſſe ſignificatur in Synodo Provinciali Aquilejenſi an. 1596. celebrata ſub Clemente Papa VIII. a Franciſco Barbaro Patriarcha Aquilejenſi in Civitate Utini, apud Labbæum Concil. Tom. XV. col. 1481., ubi hæc habentur: *In noſtra Metropolitana Eccleſia Aquilejæ de proprio Breviario canebantur ſuperioribus annis Canonicæ Horæ, & erat proprium etiam Miſſale, atque alii proprii adhibebantur in Diœceſi noſtra quidam Ritus antiquiſſimo uſu receepti*: & poſt pauca: *Decernimus igitur, ut in tota noſtra Aquilejenſi Provincia in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, & aliis quibuſcumque tam publice, quam privatim in poſterum Horæ Canonicæ in Breviario Romano ſub Pio V. edito recitentur &c. Quod idem decernimus in Miſſali, Rituali Sacramentorum, & aliis obſervandum*: Hæc Synodus Aquilejenſis.

Quis autem, qualiſve fuerit Ritus iſte ſic indicatus, & Patriarchinus dictus, hucuſque ex nemine, qui de Liturgicis rebus ſcripſerunt, expiſcari libuit. In Statutis Synodalibus Eccleſiæ Comenſis, quæ Metropolis Aquilejenſis ſuffraganea eſt, quemadmodum ex dicta Synodo Provinciali apparet, cui cum aliis Comenſis Epiſcopus, uti ſuffraganeus, ſubſcripſit an. 1503., & 1579. impreſſis Comi an. 1588. pag. 100. hæc habentur: *Utantur Sacerdotes in Miſſa Ritibus hujus Eccleſiæ conſuetis, quibus ſi ejuſmodi Miſſalium copia non adſit, altos Ritus, cæremonias, & ordinem omnino non ſequantur, præterquam contentos in Miſſali, & Rituali Romano noviſſimo*. Idem ferme repetitur pag. 139., ſed ibi non indicantur, qui fuerint Ritus illius Eccleſiæ conſueti. Colligitur tamen ex alio quodam volumine Comi pariter impreſſo ann. 1618. ubi Acta Viſitationis Apoſtolicæ continentur, quam, uti Delegatus Pontificius, in tota Eccleſia, & Diœceſi Comenſi Gregorii XIII. juſſu anno 1579. peregit Joannes Franciſcus Bonhomius Epiſcopus Vercellenſis pag. 9. Ritum hunc Patriarchinum dictum non admodum a Romano differre; ibi enim Canonicos Comenſes exhortans, ut Ritum hujuſmodi deſerant, & Romanum amplectantur: poſt plura de hac re ſic inquit, *cum autem Miſſalia Patriarchino Ritu, quam pauciſſima inventa ſint, eaque manuſcripta, quæ præterea a Miſſali Romano nulla ferme alia re differunt, niſi diecum aliquorum Dominicorum Ordine, & Sanctiſſimæ Trinitatis Feſto die, qui in aliud tempus translatus eſt, ideo Ritu Romano Miſſas paſſim celebrari, & a pleriſque etiam Sacerdotibus pro libito fieri animadvertimus ex antiqui Miſſalis inſtituto, in quo quamplurima correctione digna fuiſſe noviſſima oſtendit editio*. Ita in actis dictæ viſitationis Apoſtolicæ, in quibus & alia veterem hunc Patriarchinum Ritum in dicta Eccleſia Comenſi obſervatum indicantia nonnulla leguntur.

Porro hujus Epiſcopi Vercellenſis Bonhomii prudentiam in hac ſua Apoſtolica viſitatione, ejuſque laudes proſequitur Giuſſanus in Vita S. Caroli Borromæi Italice ſcripta lib. 5. art. 12. Paulo ante id temporis anno circiter 1575. memoratus Epiſcopus ſuo Vercellenſi Clero Author fuit Euſebianum officium ſic ab iis nuncupatum relinquendi, & Romanum celebrandi, uti ex Ughellio ſupralaudato Ital. ſac. Tom. 4. col. 1126., & ex Auguſtino ab Eccleſia in notitia Eccleſiarum Pedemontii cap. 10. Quale autem fuerit hoc Euſebianum officium, & in quo a Romano differret, ii reticent; id etiam paululum a Romano diverſum, & in aliquibus cum Ambroſiano conveniſſe crediderim, utpote quod Eccleſia Vercellenſis ab antiquo Mediolanenſi Metropolitanæ conteſſerarit. Adhuc nonnulla proprii Ritus retinent, ut mihi nuntiatum eſt, illius Cathedralis Eccleſiæ Clero conſcripti, atque, ut putabam, levioris momenti, quemadmodum & aliqua peculiaris Ritus obſervari ſcribit idem Ughellius loco citato, in Cathedrali Auguſtæ Prætoriæ pariter in Pedemontio, quæ cum ſpecialem poſtea mereri recenſionem adverterim, illos ideo cum appendice Cardinalis noſtri commodius ſuo loco referam, uti a Canonicis dictarum inſignium Eccleſiarum humaniſſime tranſmiſſi fuere. Proprium etiam, ac peculiarem Ritum habuiſſe olim in Sabaudia Metropolitanam Tarantaſienſem Eccleſiam ſignificatum habui, quæ tamen ab anno 1609. ſub Paulo V. Summo Pontifice vetere ſuo diruiſſo ſacrificandi Ordine Romanum, & communem Miſſæ Ritum amplexa eſt, ſuaſu fortaſſe, & hortatu S. Franciſci Saleſii Gebennenſis Epiſcopi, ac Sabaudiæ Apoſtoli, qui ſicut Romanam Catholicam fidem in dicta ditione, ac finitimis Provinciis collapſam ſuavi prædicatione, vitæque ſanctimonia ſingulari præfulgens reſtituit, ac nutantem firmavit, ita & ibi Romanum Miſſale ipſius opera acceptarum fuiſſe admodum credibile eſt. Qualis autem antiquus ille Tarantaſienſis Ritus fuerit, hucuſque ignotum habeo; cum vero, uti ſperandum, communicatus obvenerit, idem quoque ſuo loco cum memoratis dabitur. Atque interim ad Ritum Patriarchinum, ſeu Aquilejenſem redeo.

Indicantur pariter duo peculiares Ritus Vercellenſis, & Auguſtæ Prætoriæ Eccleſiarum in Pedemontio, ſuo loco referendi.

Hunc autem uſque ad ſupradictum tempus, ad annum ſcilicet 1598. obſervatum fuiſſe teſtatur idem Ughellius tum loco ſuperius indicato, tum pag. 235. in Epiſcopis Comenſibus ſic dicens: *Quod Comenſis Eccleſia uſque ad an. 1598. proprio canendi Ritu, ut vocant, honoris gratia Patriarchinum, quem poſtea Clemens VIII. ſuſtulit Romano inducto, uſa eſt*. In Archivo dictæ Cathedralis Comenſis adhuc ſervari Breviarium hujuſmodi Patriarchinum nuncu-

Iterum de Ritu Aquilejenſi, ſeu Patriarchino, qui qualis ſit, deſcribitur.

nuncupatum ad usum Ecclesiæ Comensis correctum, & authoritate Apostolica approbatum die 21. Octobris 1583. teitatur Petrus le Brun Explicat. Missæ Tom. 2. in Append. seu post Dissert. 3. §. 2. qui ait ibi, se Missalem librum ejusdem Ritus invenire non potuisse, cujus tamen exemplar impressum summa cautela servatum apud se custodit R. P. Bernardus de Rubeis Ord. Prædicatorum, qui clar. vir, ut mihi significatum, „ antiquis, quos videre potuit, Codicibus excussis, in suis monumentis Aquilejensibus, quæ tamen non vidi, concludit, ut jam notatum est, Ritum hunc veteri Romano consimilem fuisse. Et sane, quemadmodum ab Erudito viro, cujus nomen præ modestia sic jussus sileo, qui dictum Aquilejensem Missalem librum vidit, percepi, ibi in singulis Missis tres Orationes, seu Collectæ leguntur, uti in Sacramentario Gregoriano. Introitus, Graduale, Offertorium, & Postcommunio coincidunt cum iis in Antiphonario ejusdem S. Gregorii expressis. Undecim item in dicto Missali Præfationes leguntur, ac in Romano. Quoad lectiones in Missa, scilicet Epistolas, & Evangelia eadem ferme series & ordo, qui in antiquo Lectionario Romano describitur. Id autem observatione dignum est, quod in utroque hujusmodi Liturgico Codice tum in Vigilia Nativitatis Domini, tum etiam in die ante Epistolam Divi Pauli Apostoli legenda præmittitur lectio Prophetica, quam non habet hodiernus Missalis Romanus, a quo, sicut & veteri, discordat Aquilejensis in Sequentiis, seu Prosis Rythmicis, quibus ille præ illis abundat. Particularis item est confessio Sacerdotis in Missa, quæ sic ibi exarata reperitur: *Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, ipsis & omnibus Sanctis Dei, & vobis fratribus meis, quia peccavi nimis cogitatione, locutione, opera, & omissione: mea culpa, mea maxima culpa; ideo precor gloriosam Virginem Mariam, ipsos & omnes Sanctos Dei, & vos fratres, ut oretis pro me peccatore ad Dominum Deum patrem omnipotentem, ut misereatur mei.* Resp. *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, confirmet vos in omni opere bono, & perducat animam vestram cum suis Sanctis in vitam æternam. Amen. Indulgentiam, remissionem, & absolutionem omnium peccatorum vestrorum per gratiam Spiritus Sancti Paracliti tribuat vobis omnipotens Deus pius, & misericors. Amen.* Atque hæc de Ritu Patriarchino, seu Aquilejensi.

Huc accensenda foret Missa Trevirensis, seu Sancti Simeonis Syracusani nuncupata, de qua Willelmus Lindanus Gandavensis Episc. ad calcem suarum adnotationum in Liturgiam D. Petri, post ipsum Gavantus parte 1. tit. 13. in Rubr. Gen. Miss. & in Indice Authorum, ejusque novissimus illustrator P. D. Cajetanus Maria Merati Tom. 1. pag. 62. num. XXX., qui & alios de eadem agentes memorat; cum vero hæc nihil præ cæteris peculiare habeat, ideo satis fit ejusdem meminisse.

Ritus item Ecclesiæ Curiensis apud Rhætios specialis memoria dignus describitur.

Specialis memoriæ nota dignus est, nec indicari omittendus, Curiensis Ecclesiæ Ritus, ac peculiaris Liturgia in non paucis a Romana dissentiens, quam describit, & refert doctissimus Lud. Ant. Muratorius in suis Antiquitatibus Italicis medii ævi Tom. IV. Dissert. 57. col. 855. & seqq. Ea autem hæc est, uti ab eodem exprimitur ibi. „ Curia, inquit, Rhætiorum præcipua urbs fuum„ adhuc Episcopum servat, & Ecclesiam fa„ cris Catholicis addictam, eratque olim Me„ diolanensi Metropolitæ subjecta, ut patet „ ex Epistola Eusebii Mediolanensis ad Leo„ nem magnum Pontificem Romanum (nunc „ autem Archiepiscopi Moguntini, & S. R. „ Imp. suffraganea est, ejusque Præsul Prin„ cipatus titulo gaudet, ut scribit Heffus „ Hist. Imp. lib. 6.) Quales ibi ritus in usu forent anno 1589. (subdit Muratorius) Missalis liber me docuit, eodem anno impressus Constantiæ hoc titulo. *Missale secundum Ritum Curiensis Ecclesiæ diligenter emendatum, & in meliorem ordinem digestum mandato Reverendiss. & Serenissi. Principis, ac Domini Domini Petri Episcopi Curiensis.* Liceat mihi adferre nonnulla, quandoquidem hæc nova multis obventura puto. Exordi„ tur ibi Sacerdos Missam, dicendo. *In nomine Patris &c. Adjutorium nostrum &c. Introibo ad altare Dei &c. Confitemini Domino quoniam bonus &c.* Tum confessionem his „ verbis peragit: *Ego reus, & confitus omnium peccatorum meorum. Confiteor Deo Pa„ tri Omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini, & „ omnibus Sanctis, & vobis, quod ego miser, „ & indignus peccator peccavi nimis in vita„ mea contra legem Dei mei cogitatione, locu„ tione, omissione, consensu, visu, verbo, & „ opere, ignorantia, negligentia, mea culpa, „ mea gravissima culpa, aliis que multis malis; „ ideo deprecor gloriosissimam Virginem Ma„ riam, beatos Apostolos Petrum, & Paulum, „ beatos Florinum, & Lucium, beatam Emeritam „ &c. ilios Sanctos & omnes Sanctos Dei, & vos „ orare pro me misero peccatore.* Tum subnecti„ tur. *Misereatur nostri Omnipotens &c. perducat nos Dominus noster Jesus Christus sine macula cum gaudio in vitam æternam. Amen. Indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum nostrorum, spatium veræ, & fructuosæ „ pœnitentiæ, finem bonum, charitatemque perfectam tribuat nobis Omnipotens, pius, & „ misericors Dominus. Non nobis Domine non „ nobis, sed nomini tuo da gloriam. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis „ parce servo tuo. Sacerdotes tui induant justitiam, & Sancti tui exultent. Domine exaudi „ orationem meam &c. Dominus vobiscum &c. „ Tum genuflectetur Sacerdos ante Altare, & „ dicat: Oremus: Exaudi quæsumus Domine„ supplicum preces &c.* Tunc surgat, & ascendat ad altare, & dicat: *Aufer a nobis &c.* finito ilio facit Crucem in medio Altaris dicendo: *Ibi Sancti, atque omnes Sancti tui Domine nos ubique lætificent &c.* Tunc eat versus dexteram aperiendo librum, osculando librum, & dicendo: *Tuam Crucem adoramus Domine, tuam gloriosam recolimus passionem. Miserere nobis, qui passus es pro nobis in Cruce.* Postea eat ad sinistram Altaris, osculando Altare, & dicendo: *Pace „ Christi, quam nobis per Evangelium tradidit,*

„ con-

„ *confirmet, & conſervet corda, & corpora no-*
„ *ſtra. Pax mecum.* Deinde redeat ad dexte-
„ ram partem Altaris dicendo abſolutionem
„ generalem. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus*
„ *vos abſolvat, & ego authoritate ipſius, qua-*
„ *fungor, abſolvo vos a vinculis abſolutionis mi-*
„ *noris* (legendum *excommunicationis*, men-
dum enim irrepſit, ad quod non advertit Mu-
ratorius). „ *Si incidiſtis, & reſtituo vos ſep-*
„ *tem Sacramentis, & communioni matris Ec-*
„ *cleſiæ, in nomine Patris &c.* Nonnulla etiam
„ adnotanda videntur peculiaria in eadem Li-
„ turgia. Ad locationem Calicis vino præpa-
„ rato, patena, & hoſtia ſuppoſita erigat
„ brachia, & dicat: *Acceptabile ſiat Sacra-*
mentum iſtud (*forte Sacrificium* ſicut & in duo-
bus ſequentibus legendum videtur) *Omnipotenti*
„ *Deo, in nomine Patris &c. ſit ſignatum, be-*
„ *ne* ✠ *dictum, & ordinatum Sacramentum iſtud*
„ *Omnipotenti Deo per Chriſtum Dominum no-*
ſtrum (hæc etiam leguntur in Liturgiis Euſe-
biana, Vercellenſi, & Auguſtana, de quibus
„ ſuo loco) Tunc accipiat patenam cum ho-
„ ſtia de Calice dicendo: *Suſcipe Sancte Pa-*
„ *ter &c. Veni ſanctificator &c.* ut in Miſſa
„ Romana; at pro *Veni ſanctificator &c.* ibi
„ dicitur: *Veni inviſibilis ſanctificator &c. &*
„ *benedic hoc Sacramentum tuo nomini a meis*
„ *indignis manibus præparatum, per Chriſtum*
„ *Dominum noſtrum*. Nihil ibi de manuum
„ lotione. Pax hiſce verbis exhibetur: *Pax*
„ *tibi, & Eccleſiæ Dei. Habete vinculum pa-*
„ *cis, & charitatis, ut apti ſitis Sacroſanctis*
„ *Myſteriis Chriſti. Amen.* Antequam aſſu-
„ mat hoſtiam dicit: *Quid retribuam Domino*
„ *pro omnibus, quæ retribuit mihi? Panem*
„ *Chriſti accipiam &c. Domine non ſum dignus*
„ *&c. Domine propitius eſto mihi peccatori.*
„ *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti proficiat*
„ *mihi, & omnibus circumſtantibus ad ſalutem*
„ *in vitam æternam. Amen. Quod ore ſum-*
„ *pſimus &c. Verbum caro factum eſt, & habi-*
„ *tavit in nobis &c. Plenum gratia, & veri-*
„ *tate. Corpus tuum Domine Jeſu Chriſte,*
„ *quod ego miſer peccator ſumpſi, & ſanguis,*
„ *quem indignus potavi &c., & præſta ut ibi*
„ *nulla remaneat peccati macula, ubi intrave-*
„ *runt ſacroſancta Sacramenta. Benedicta Filia*
„ *tua a Domino, quia per te &c. Lutum fecit*
„ *Dominus ex ſputo, & linivit oculos cæci: la-*
„ *vit, vidit, abiit, & eredidit Deo. Nunc di-*
„ *mittis ſervum tuum Domine &c.* Præter hym-
„ num Angelicum *Gloria in excelſis*, ibi legi-
„ tur Cantus Angelicus de Beata Virgine,
„ nempe de Gloria additis quibuſdam ad Dei-
„ param ſpectantibus (uti in Pariſienſi Ritu
ſupradicto, ac Lugdunenſi, & Auguſtano)
„ multæ quoque *Sequentiæ* particulares illic
„ habentur pro omnibus fere feſtis ſolemni-
„ bus, uti & Ritus quidam peculiares pro
„ diebus Cœnæ Domini, & Paraſceves, ſin-
„ gulares pariter Epiſtolæ, & Evangelia, In-
„ troitus, uti & complures orationes votivæ,
„ Sacræ Scripturæ textus non diſſimilis a Ro-
„ mano, attamen multa ibi verba anteponun-
„ tur, poſtponuntur, adduntur, mutantur.
Atque hæc de Curienſi Liturgia ex laudato
Muratorio. An autem in uſu nunc ſint iſti
Ritus in eadem Eccleſia, mihi profecto igno-
tum, erit cupientis ediſcere a Catholicis dic-
tæ urbis incolis. Satis hucuſque effatum de
Liturgiis univerſim Orientalium, & Occiden-
talium Eccleſiarum, prout inter ſe una ab
alia diſſimiles ſunt, tum ritu, lingua, & ce-
remoniarum ordine; nunc de variis earun-
dem particularium Miſſarum ſpeciebus diſſe-
rendum.

CAP. XIII.

De variis Miſſarum generibus. Quæ ſit Miſſa publica, & ſolemnis. Eandem generalem, & legitimam dictam eſſe. Miſſam ab initio ſic inſtitutam, ut ei populus adeſſet, offerret, & communicaret. Miſſæ publicæ cur vetitæ in Monaſteriis. Miſſæ privatæ, & ſolitariæ diſcrimen. Origo ſolitariæ a Monachis. A quibus, & quando prohibita. An & quatenus nunc licita ſit.

§. I.

De variis Miſſarum generibus. Quæ ſit Miſſa publica, & ſolemnis. Eamdem generalem, & legitimam dictam eſſe.

PLura Miſſarum genera, ſicut & varios ritus ſupra recenſitos, in uſu olim fuiſſe, atque etiam nunc eſſe manifeſtum eſt. Sunt enim Miſſæ ſolemnes, & quotidianæ, publicæ & privatæ, legitimæ & ſolitariæ, generales, & peculiares, de Tempore & de Sanctis, Feriales & Votivæ, pro Vivis & pro Defunctis. Eſt & Miſſa Præſanctificatorum, & alia quam Siccam vocant, de quibus deinceps agendum erit.

Miſ-

Miſſa ſolemnis, quam hodie conventualem, canonicam, capitularem, præcipuam, & majorem vocamus, illa proprie dicitur, quæ cum cantu, & ſolemni cæremoniarum apparatu, Miniſtris, & Clero aſſiſtentibus, ſuorumque Ordinum munia exercentibus celebrari conſuevit; cui pompæ addebant Antiqui frequentiam populi offerentis, & communicantis. Publicæ nomen inde ſortita eſt, quod publice fiat in Eccleſia, & privatæ opponatur; quo ſenſu ait Anaſtaſius in vita Agathonis Papæ Miſſam publicam latine factam Conſtantinopoli: (1) nonnulli tamen obſcuri nominis Scriptores (2) hoc ſta- (1) (2)
tuunt inter ſolemnem & publicam diſcrimen, quod illa cum cantu, & pompa, hæc vero ſine cantu & apparatu, ſed in Eccleſia coram Fidelium multitudine, peragatur. A Walafrido Strabone in fine cap. 22. legitima nuncupatur, quod hæc potiſſimum Eccleſiaſtica lege inſtituta, & comprobata ſit. (3) Ab Amalario (3)
cap. 8. generalis dicta eſt, qua denominatione interdum utuntur antiqua Monachorum Ritualia, quia totus cœtus ei ſolet intereſſe. (4) Una igitur & eadem (4)
cenſeri debet, quæ a quibuſdam ſolemnis, ab aliis publica, legitima, & generalis nominatur, quibus vocibus indiſcriminatim utemur pro ea, quæ ſolemniter, in publico cœtu, præſcriptis ab Eccleſia legitimis ritibus, celebratur.

Miſſa publica Latine facta Conſtantinopoli anno 681. in ſexta Synodi actione.

(1) *Miſſam publicam latine factam Conſtantinopoli*) Id fuit in Sextæ Synodi claufula habita an. 681. ſic ſcribente Anaſtaſio his verbis: *Sanctæ autem gratia divina Omnipotentis conceſſa eſt Miſſis Apoſtolicæ Sedis, ut ad Letitiam populi, vel Sancti Concilii, qui in urbe Regia erat, Joannes Epiſcopus Portuenſis Dominicorum die Octavarum Paſchæ in Eccleſia Beatæ Sophiæ Miſſis publicas latine celebraret coram Principe, & Patriarcha, ut omnes unanimiter in laudes, & victorias piiſſimorum Imperatorum eo die latinis vocibus acclamarent*: Idem habet Hilario Monachus Oratione dialectica de Pane Græcorum myſtico, & azymo Latinorum apud Joannem Meurſium inter varia ſua Divina, & Leonem Allatium Græciæ Orthod. Tom. I. pag. 055. ubi de iiſdem Legatis Apoſtolicis agens, ſic habet: *De ſexta Synodo apud Patres legi, poſtquam Monothelitarum hæreſis condemnata fuiſſet, in Octava Paſchæ Conſtantinopoli in Templo S. Sophiæ Deo gratias latine celebraſſe Græcis omnibus modum Sacrificii Latini collaudantibus.* Hujuſmodi autem Miſſas publicas, ſive ſolemnes, ideſt cum cantu, ac Diacono, & Subdiacono, aliiſque miniſtris, ut præfertur, ante horam diei tertiam celebrari vetuiſſe volunt nonnulli Teleſphorum Papam, quia legitur in præfato libro Pontificali: *Hic conſtituit, ut in Natali Domini noctu Miſſæ celebrarentur, cum omni tempore ante horæ tertiæ curſum nullus præſumeret Miſſam celebrare*: Verum hocce ſtatutum ſuppoſititium eſſe optime evincit Emin. noſter infra cap. 21. §. 5. quare mirari ſubdit Emman. Scheleſtratium virum alias eruditiſſimum ad ejus rationes, & momenta non advertiſſe, neque ad Decretales veterum Summorum Pontificum uſque ad Siricium, quæ uti ſpuriæ, ac ſubditæ, omnium fere Eruditorum calculo rejectæ ſunt, ait enim Tom. 2. Antiq. Illuſtr. pag. 411., & 413. *præclarum eſſe hoc Teleſphori Decretum, quod in primitiva Eccleſia locum habere potuit*, cum certe non potuiſſe ex iis, quæ ſupra cap. 7. nota 1. dicta ſunt, & infra loco citato dicentur, compertum eſt.

Hujuſmodi Miſſa ſolemnis ante horam tertiam non celebranda perperam a nonnullis Teleſphoro Papæ attributa.

(2) *Obſcuri nominis Scriptores*) Georgium, Calixtum, alioſque hujus damnati furfuris homines connotat, quibus accenſendus nuperrimus ejuſdem infectæ doctrinæ Scriptor Joſeph Binghamus Londinenſis, qui in ſuis Origin. Eccl. lib. 15. cap. 4. §. 4. idem effuit, contra quem nobis pluries decertandum, & primum capite ſequenti §. 6.

(3) *Eccleſiaſtica lege inſtituta, & comprobata ſit*) Idem etiam Strabo ibid. cap. 12. *Fatendum eſt*, inquit, *illam eſſe legitimam Miſſam, cui interſunt Sacerdoti reſpondentes, offerentes, atque communicantes, ſicut compoſitio precum evidenti ratione demonſtrat*: uti infra §. ſequenti ab Emin. deſcribitur. Hanc Miſſam ſic populo aditante, offerente, & communicante celebratam Humbertus Cardinalis pro Latinis adverſus Nicetam Pectoratum ſcribens vocat perfectam. *Et vos*, ait, *qui eſtis, qui dicitis duobus tantum diebus Miſſam perfectam fieri debere, reliquis vero imperfectam?* Alludens ad Græcorum morem, qui ſabbato tantum, & Dominico die in quadrageſima confecrant, reliquis vero diebus per hebdomadam utuntur præſanctificatis, uti ſuo loco dicetur. Notandum porro eſt, quod illi Scriptores ſic de Miſſa, in qua de aditantibus ſit aliquis communicans præter Sacerdotem, loquentes, quam *legitimam*, aut *perfectam* vocant, hanc non ita talem eſſe pronunciant, ut alias Miſſam ſine communicante legitimam quoque & perfectam negent, cum & ipſa Eccleſiaſtica lege inſtituta, ac comprobata ſit, habeatque prorſus omnia, quæ neceſſario requiruntur ad eſſentiam, & quidditatem veri Sacrificii, ut Theologorum verbis loquar, quorum omnium plenario conſenſu collaudatur, & confirmatur. Paret id ex Humberto Cardinali præfato, qui imperfectam tantum vocat Miſſam præſanctificatorum, quæ caret confecratione. Hinc in caſu, quo præter Sacerdotem nullus adſit, qui communicet, volunt quidem memorati Scriptores hanc Miſſam non eſſe perfectam perfectione ſumpta quoad finem ſecundarium, ſpiritualem nempe populi fidelis nutritionem, ſed non negant

Miſſa perfecta, & imperfecta quæ.

Item legitima.

eam

eam esse perfectam perfectione essentiali, cum per eam Deo supremus latriæ cultus exhibeatur; & ad ipsum preces fundantur pro populo; ad quem finem præcipue institutum est Sacrificium, ut infra in paragraphis sequentibus, & alibi pluries videbitur. Unde Walafridus Strabo non absolute asserit, quod Missa non sit, cum non adsunt, qui communicent, sed dicit perfectam non esse, ea nimirum perfectione, quæ utrumque finem, ad quem fuit instituta, complectatur. Vide quæ diximus supra ad cap. 6. §. 1. nota 2. & Gaspar. Ivenin de Sacram. Dissert. 5. quæst. 7. art. 3. in fine.

(4) *Quia totus cœtus solet interesse*) Quæ Missa a Concilio Vasionensi cap. 20. *publica* appellatur, non a loco publico, ubi celebraretur, quia olim in Cryptis cæmeteriis, aliisque abditis recessibus, ubi fiebat, eadem erat, & publica dicebatur a conventu populi circumstantis, offerentis, & communicantis: ejusmodi etiam vocabulo donatur hæc Missa a Conciliis Aurelianensi III. & XIV. & Bracarensi an. 572. Can. 9. Sed de hac item fusius infra §. 3.

Missa publica non a loco publico dicta, sed a conventu populi adstantis.

§. II.

Missam ab initio sic institutam, ut ei populus adesset, offerret, & communicaret.

ET quidem ab initio sic Sacrificium principaliter institutum fuisse, ut publice ac solemniter fieret, clero, & populo astante, offerente, ac communicante, ipse tenor Missæ, & veteris Ecclesiæ praxis evincunt. Omnes enim orationes, atque ipsa Canonis verba in plurali numero, tanquam plurium nomine proferuntur. Hinc Sacerdos populum invitat ad orationem dicens, *Oremus*: & cum eumdem salutat, ait, *Dominus vobiscum*. Tum moniti fideles ut corda erigant ad Deum, respondent, *Habemus ad Dominum*. Hinc etiam in Canone collectæ plebis nomine semper orat, ut cum dicit, *Supplices rogamus & petimus*: *Hanc oblationem cunctæ familiæ tuæ*: *offerimus præclaræ Majestati tuæ*; *Ut quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus*: *Nobis quoque peccatoribus*, & alia hujusmodi multa, ex quibus liquet nihil aliud esse Missam, quam Sacerdotis & totius cœtus actionem, cui plures circumstetisse indicant illa verba, *& omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio*, quæ alio detorqueri non possunt. Ad communionem vero astantium ea spectant, quibus Sacerdos Deum precatur, fieri Corpus & Sanguinem Domini omnibus sumentibus in vitam æternam, & post communionem ait, *Quod ore sumpsimus, pura mente capiamus*: *satiasti familiam tuam muneribus sacris*: suntque fere omnes ejusdem tenoris orationes, quæ peracta communione recitantur; quia nimirum illi dumtaxat intererant Missæ, qui possent offerre & de Sacramento participare. (1) Hinc Cyprianus *Serm. de Lapsis*, & Leo Papa *Serm.* 4. *de Quadrag.* populi communicantis mentionem faciunt: & can. 10. Apostol. ac 2. Concilii Antiocheni sub Julio I. decernitur ut omnes Fideles, qui ad Ecclesiam conveniunt, communicent, recusantes ab Ecclesia ejiciantur, & excommunicentur. *Sciendum est*, inquit Micrologus cap. 51. *quod soli communicantes divinis mysteriis interesse consueverunt, unde & ante oblationem juxta canones jubebantur exire Catechumeni & pœnitentes, videlicet qui nondum se paraverant ad communicandum. Hoc quoque ipsa Sacramentorum innuit confectio, in qua Sacerdos non pro sola sua oblatione & communicatione, sed & aliorum, rogat, & maxime in Oratione post communionem pro solis communicantibus orare videtur*: *nec proprie communio dici potest, nisi plures de eodem Sacrificio participent*. (2) Hæc fuit consuetudo primorum Fidelium, quam suo adhuc tempore Romæ viguisse S. Hieronymus *lib. adv. Jovinianum* testatur. (3) Sed pristino populi fervore postea refrigescente, retenta est communio Cleri, quæ deinde redacta est ad communionem dumtaxat Diaconi, & Subdiaconi, ut fusius ostendemus, cum de ipsa communione sermo erit. De hac autem publica sive solemni Liturgia pro temporum, seu

(1) (2) (3)

ſeu regionum varietate varii quoque mores fuerunt. Juſtinus *Apolog.* 2. ſolo die (Solis) ſive Dominico conventum tunc factum, & Sacramentum præſentibus diſtributum, abſentibus per Diaconos miſſum aſſerit. In Prato ſpirituali *c.* 108. legimus ſanctum quemdam Presbyterum ab Angelo eductum e carcere, ut die Dominico Sacrificium offerret. Palladius in Vita Abbatis Arſiſii ſcribit Sabbato ſolum, & Dominico die conveniſſe in Eccleſiam Monachos, qui erant in Monte Nitriæ, ex more videlicet illius Provinciæ. Socrates item *lib.* 5. *cap.* 21. die Dominico Sabbatum additum ait ab omnibus Eccleſiis, excepta Romana, & Alexandrina. Pachomio Abbati mandatum ab Angelo, ut primo, & ultimo die hebdomadæ Monachi ſub eo degentes ad divinorum myſteriorum communionem accederent, refert *lib.* 3. *cap.* 13. Sozomenus. (4) Quotidie demum Miſſa ſolemnis peragi cœpit, quod non ubique, ſed alicubi ſuo tempore receptum teſtatur Auguſtinus *Epiſt.* 118. Plura de hac re infra cap. XVIII.

Afferuntur plures Eccleſiæ orationes, quibus Miſſam ab initio ſic inſtitutam, ut ei populus adeſſet, offerret, & communicaret, oſtenditur.

(1) *Qui poſſent offerre, & de Sacramento participare*) Præter mox obſervata ab Emin. Scriptore id etiam patet ex pleriſque veterum Miſſarum orationibus, quæ nedum in antiquis omnibus Sacramentariis, verum etiam in Miſſali novo Romano reperiuntur. Et quidem inter cæteras quoad fidelium oblationes, iſtæ expreſſe indicantur in ſecreta Feriæ IV. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ, ubi hæc leguntur: *Suſcipe, quæſumus Domine, preces populi cum oblationibus Hoſtiarum, & tua myſteria celebrantes &c.* Quæ oratio pariter, etſi cum clauſula varia, initio tamen ſimilis dicitur in Dominica Paſchæ, feria 3. poſt eamdem, Dom. 5. poſt Paſcha, Vigilia Aſcenſionis, ac pleriſque aliis diebus. Item in ſecreta feriæ V. poſt Paſcha hæc habentur: *Suſcipe quæſumus Domine, munera populorum tuorum &c.* Præcipue vero in ſecreta Dom. V. poſt Pentecoſten: *Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & has oblationes famulorum, famularumque tuarum benignus aſſume, ut quod ſinguli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad ſalutem.* Denique fere ſimiles orationes leguntur in Dom. 6. & 7. Quod autem idem populus communicaret, indicant Poſtcommunio in Septuageſima, ubi hæc habentur: *Fideles tui, Deus, per tua dona firmentur, ut eadem & percipiendo requirant, & quærendo ſine fine percipiant*: Quæ etiam recitatur Sabbato poſt Cineres, & Poſtcommunio fer. 2. poſt Pentecoſten: *Adeſto quæſumus Domine populo tuo, & quem cœleſtibus myſteriis imbuiſti &c.* His adjungi poſſunt verba, quibus poſt oblationem populum alloquitur dicens: *Orate fratres, ut meum, ac veſtrum Sacrificium acceptabile fiat &c.* Quod Sacrificium ita dicitur, quia de ipſorum oblatis fieret.

Idem confirmatur aliis veterum teſtimoniis.

(2) *Niſi plures de eodem Sacrificio participent*) Idem fermc loquitur Anonymus Turonenſis in ſuo MSS. ſpeculo apud Edm. Martene de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 10., & poſt ipſum Joannes Belethus de Div. Offic. cap. 120. *In primitiva Eccleſia præceptum erat, ut ſinguli diebus Corpus Domini ſumerentur, poſtea vero creſcente numero fidelium, ut ſinguli diebus Dominicis, unde etiam in Græcia ſub anathemate panitur, qui a tribus diebus Dominicis non communicaverit; modo autem tenemur in tribus ſolemnitatibus, nimirum Paſchate, Pentecoſte, & Natali*: Hæc Belethus ſeculi XII. Scriptor, ut pertinoribus Criticis videtur, qui cum Decretum Innocentii III. in Lateranenſi generali Concilio editum de communione omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus ſemel ſaltem in anno Paſchali tempore ſumenda, & ſub pœna excommunicationis indicta, non memoret, luculenter evincitur contra Caſimirum Oudinum, & Claudium Joly, qui eum ad ann. 1328. revocant, dicto ſeculo non poſteriori ævo, ut ipſi falſo autumant, viviſſe. Dicto autem loco Belethus tria aſſerit, primo fideles omnes Miſſæ aſſiſtentes quotidie communicaſſe, ut ex allatis ab Emin. teſtimoniis conſtat. Secundo quotidianam communionem in Dominicalem commutatam, de qua plura præcitatus Martene. Tertio deinceps trinam ſaltem per annum communionem fuiſſe præſcriptam, ut & infra dicetur, de quibus omnibus plura ſuis locis adnotabuntur.

Ita pariter tradit Angelicus Doctor tertia parte quæſt. 80., art. 10. ad 5. dicens: *quod in primitiva Eccleſia, quando magna vigebat devotio fidei Chriſtianæ, ſtatutum fuit, ut quotidie fideles communicarent, unde Anacletus Papa dicit: peralta conſecrationæ omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus, ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & Sancta Romana tenet Eccleſia; poſtmodum vero diminuto fervore fidei Fabianus Papa indulſit, ut ſi non frequenter, ſaltem ter in anno omnes communicent, ſcilicet in Paſchate, Pentecoſte, & Natali Domini.* Sic D. Thomas, qui licet ex ſuppoſititia Anacleti Epiſtola id ipſum ſtatutum fuiſſe ab Apoſtolis, & Romana Eccleſia aſſerat, in hoc ſaltem hallucinatus non eſt; olim quippe fideles quotidie in Eccleſia communicaſſe, certum, exploratumque habemus, ut oſtendit Emin. Scriptor infra lib. 2. cap. 17. §. 2., ac præter inibi ab ipſo allata id ſtatutum fuit Can. 8., & 9. Apoſtolorum. Author quoque Conſtit. Apoſt. ſub Clementis nomine lib. 8. cap. 12. & 13. ſumendæ ab omnibus Euchariſtiæ intra Miſſarum ſolemnia ordinem refert, ac D. Cyprianus lib. de Orat. *Euchariſtiam*, inquit, *quotidie ad cibum ſalutis ſumimus*: Neque etiam aberravit quoad Fabiani

Decretum; etenim per Concilium Agathenſe an. 506. can. 18. ſtatuitur: *ſæculares vero, qui in Natali Domini, Paſchate, & Pentecoſte non communicaverunt, Catholici non credantur*: Quod & confirmavit Concilium Turonenſe anno 813. can. 50. Demum propter iniquitatis abundantiam, ut ſubdit prælaudatus D. Thomas refrigeſcente charitate multorum Innocentius III. in Concilio Lateranenſi can. 21., ſtatuit, ut ſemel ſaltem in anno, ſcilicet in Paſchate fideles omnes communicent.

Hæc quotidiana veterum fidelium communio in Occidente frequentata, in Oriente vero non ita.

(3) *Lib. adv. Jovinianum teſtatur*) Nedum Romæ, ſed & in aliis Occidentis Eccleſiis id in uſu fuiſſe Hieronymus ſcribit Epiſt. ad Lucinium, in alia ad Lucam Boeticum, & Apolog. ad Pammachium, item S. Ambroſius de Sacramentis (ſi vere illius author eſt, ut ſuo loco diximus) lib. 4.; & 5. cap. ult. & S. Auguſtinus Epiſt. ad Januarium in veteri ordine 118., nunc 54. In Orientali vero Eccleſia non eamdem viguiſſe conſuetudinem, ut fideles quotidie communicarent, mox laudati Patres affirmant, Ambroſius citato opere de Sacram. lib. 5. cap. 4., & Auguſtinus de Sermone Domini in Monte Lib. 2. cap. 7. quibus conſonat S. Joannes Chryſoſt. in Epiſt. ad Hebr. homil. 17. ſed de his pluries infra.

Ubi die tantum Dominico obſervata, & præcipue apud Monachos.

(4) *Refert &c. Sozomenus*) Idem ſcribit Palladius præfatus in Hiſt. Lauſiaca cap. 38., ac Caſſianus Inſtit. Monaſt. lib. 3. cap. 2., ait veteres Monachos Sabbatis, Dominicisque diebus *ſacræ communionis obtentu* hora tertia in Eccleſiam conveniſſe. Hanc autem Dominicalem communionem nedum Monachis, ſed & omnibus Chriſtifidelibus in uſu fuiſſe tradit Author Sermonis 25. inter adſcriptos S. Ambroſio in nova Editione Operum ejuſdem Sancti, ubi ſic ait: *Omnes Chriſtiani omni Dominica debent offerre, & communicare*: Quæ tamen pia, & laudabilis conſuetudo deinceps a paucis admodum frequentati cœpta eſt, uti oſtendit Edmundus Martene de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 10. ubi plura habet de ſacra communione. Eam vero apud Monachos diu perſeveraſſe idem ſcribit in Comment. ad Regul. S. P. Benedicti cap. 35. ubi pluribus item demonſtrat antiquos Benedictini Ordinis Monachos Dominicis diebus, feſtisque, ut vocant, de præcepto, ſacram percepiſſe Euchariſtiam. Sed de hac item re fuſius alibi ſuo loco dicemus.

Dicta Dominicalis communio Cleri, & populi nonniſi ad Miſſam ſolemnem facta, quæ inde variis nominibus, ut infra nuncupata.

Animadvertendum interim nobis eſt hanc communionem Cleri, & populi, quæ in diebus Dominicis fiebat, nonniſi ad Miſſam ſolemnem factam fuiſſe, neque enim antiquitus communio in Eccleſiis extra Miſſarum ſolemnia ſumebatur, uti oſtendit Hugo Menardus in Sacram. Gregorii nota 295. Deinde hæc Miſſa, quæ ſolemnis, ſeu magna communiter dicitur, & in rubrica part. 2. tit. 2. *principalis, & conventualis* nuncupatur, eo quod in Altari principe, & cum populi conventu celebretur, antiquitus variis nominibus donabatur, videlicet *Dominicalis* dicta erat, quæ Dominicis diebus ſolemniter canitur, de qua fit mentio a Joanne Abrincenſi primum, poſtea Rotomagenſi Epiſcopo lib. de Eccleſiaſt. Offic. edit. Rotomag. pag. 23., & quoad Dominicas Adventus in Miſſali Gothico Thomaſii a pag. 292. quibus & Dominicas poſt Penteceſten addit Mabillonius in notis ad Liturgiam Gallicanam. Hæc etiam dicitur *Canonica*, de qua S. Gregorius Magnus in libro Capitulari cap. 45. quia juxta ſacros antiquos Canones ab Eccleſiæ Rectore, Epiſcopo, ſeu Parocho publice omni Clero, & populo aſſiſtente, offerente, & communicante celebrata, quæ etiam Miſſa *ſuper populum* olim dicebatur, uti hoc nomine nuncupatam memorat Agnellus Ravennas in Hiſtoria Pontificali Ravennatum Archiepiſcoporum apud Clar. virum Abb. D. Benedictum Bacchinium in notis ad dicti Agnelli Hiſtoriam Parte I. in Vita S. Probi pag. 153. *in nullis Eccleſiis*, ait, *intra Civitatem Ravennæ, Claſſiſque Miſſa ſuper populum celebratur, niſi in iſta ſola*: Miſſam hanc, ſubdit laudatus Bacchinius, non aliter intelligit, quam ſolemuem, cui populus omnis aderat, & Epiſcopus, ſive Eccleſiæ Presbyter cum omni Clero ſacra agens diebus maxime ſolemnioribus in ea Populo bene precabatur; id enim oſtendit idem Author in Vita Theodori parte 2. cap. 3.

Miſſa principalis, & Conventualis.

Dominicalis.

Canonica.

Super populum.

Hæc denique Miſſa *Parochialis* nunc vulgo dicitur, de qua S. Leo Papa IV. in Homilia de Cura Paſtorali apud Labbeum Conc. Tom. VIII. pag. 33., & poſt ipſum Ratherius Veronenſis Epiſcopus in Synodica ad Presbyteros apud Lucam Dacherium Spicileg. Tom. 2. pag. 256. Herardus Turonenſis Epiſc. in ſuo Capitulari num. 29. ut ſupra, Concil. Tom. 8. pag. 627., & apud Baluzium Capitular. Reg. Franc. Tom. 2. col. 1285., ac demum Concil. Tridentinum ſeſſ. 22. Hæc item dicta eſt Miſſa *Dominica, Aurea*, de qua plura Guill. Burius in ſuo Onomaſtico Etymol. poſt notitiam Summ. Pontif. item *Cantata*, *Communis* &c. de quibus variis hujuſmodi ſolemnis Miſſæ nominibus videndi Carolus Dufreſne in ſuo Gloſſar. med., & infim. Latinit. verbo *Miſſa*, ac nuperrime R. P. D. Cajetanus Maria Merati in ſuis eruditis Commentariis ad Gavantum Tom. I. Parte I. pag. 65. num. 33., & ſeqq., qui tamen de Miſſa *ſuper populum* nuncupata, ut diximus, mentionem non habet.

Parochialis.

Dominica Aurea.

Cantata, Communis.

§. III.

Miſſæ publicæ cur vetitæ in Monaſteriis.

PORro hæc Miſſa publica dicta eſt, non a loco, quia olim in cryptis, abditiſque ac remotiſſimis locis agebatur, ſed a Conventu populi circumſtantis, offerentis, & communicantis. (1) Qua de cauſa Gregorius Magnus Caſtorio Ariminenſi Epiſcopo ſcribens *lib.* 4. *Epiſt.* 43. Miſſas publicas (1)

blicas fieri in Monaſterio vetat; *ne* ſcilicet *in ſervorum Dei ſeceſſibus occaſio præbeatur popularibus conventibus, & ſimpliciores ex hoc animas plerumque, quod abſit, in ſcandalum trahat; frequentior quoque introitus mulieribus arceatur. Et lib. 5. ep.* 46. Felicem Piſauri Epiſcopum reprehendit, quod in templo Monaſterii a ſe conſtructi ſuam Cathedram collocaſſet, ibique publicas Miſſas egiſſet, jubetque Cathedram illico auferre, nec deinceps ibidem Miſſas publicas celebrare. Idem *lib. 7. indict. 1. ep. 6.* Epiſcopo Lunenſi, & *Indict. 2. ep.* 72. Epiſcopo Firmano; itemque *lib. 8. ep. 3.* Epiſcopo Neapolitano præcipit Oratorium Monaſterii abſque Miſſis publicis ab eis conſecrari. (2) Vita enim Monachorum ex proprio inſtituto ab omni (2) ſtrepitu aliena eſſe debet, ſolitudini dedita, & contemplationi: atque ideo illorum Eccleſiæ ſine titulo, & ſtatione diu fuerunt, & quamvis ampliſſime eſſent ac magnificentiſſime extructæ, Oratoria potius, ſive Capellæ vocabantur, ut ex titulo Decretalium de Capellis Monachorum conſtat, in quibus vetitum erat ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ fidelibus adminiſtrare; publicoſque conventus, & publicas Miſſas celebrare: quam conſuetudinem uſque ad tempora S. Bernardi permanſiſſe teſtis eſt Philippus Abbas *lib. de Continentia Clericorum cap.* 83. Vetuit quoque Miſſas publicas in Monaſteriis Concilium Lateranenſe ſub Callixto II. *cap.* 17. his verbis. *Interdicimus Abbatibus, & Monachis publicas pœnitentias dare, & infirmos viſitare, & unctiones facere, & Miſſas publicas cantare.* Et Innocentius III. *lib. 2. Regeſti* 14. *ep.* 18. veterum veſtigiis inſiſtens prohibet ne Diœceſis Epiſcopus in Monaſterio Carroffenſi, cujus privilegia confirmat, publicas Miſſas agat. Non tamen ex his infertur, ut quidam perperam exiſtimant, vetitam olim fuiſſe in Monaſteriis Miſſam ſolemnem cum cantu & Miniſtrorum aſſiſtentia; ſed ea dumtaxat prohibita eſt, ad quam Fideles promiſcue admittebantur, & quæ ab Epiſcopis cum totius populi cœtu agebatur (3): ne ſe- (3) cularium concurſus Monachos diſtraheret, & ab interna mentis tranquillitate avocaret. Ipſis autem Monachis ſemper licuiſſe Miſſam ſolemniter decantare excluſis ſecularibus, ſicut nunc etiam ſolent arctiſſimæ ſolitudinis cultores Carthuſiani, antiquiſſima Ritualia nos docent, quæ ritus & cæremonias Miſſæ ſolemnis exactiſſime præſcribunt, ſervatis ad amuſſim omnibus, quæ ad Miſſæ apparatum & celebritatem ſpectant. Idem colligitur ex Regula S. Benedicti *cap.* 38. ubi de hebdomadario menſæ Lectore tractans præcipit eum die Dominico poſt Miſſas, & communionem petere ab omnibus pro ſe orari, & ter repetito verſu *Domine labia mea aperies*, accipere in Eccleſia benedictionem, qui mos apud Monachos adhuc viget (4). (4)

Iterum de Miſſa publica a populi conventu dicta.

(1) *Sed a conventu populi circumſtantis &c.)* Ita etiam ex communi Canoniſtarum ſententia intelligendum eſſe, ait Zegerus Bernardus Van-Eſpen in ſuo Jure Eccleſiaſtico univerſ. Tom. 1. parte 2. tit. 2. de celeb. Miſſ. cap. 3. num. 14. pag. 486. ubi hæc habet. „ Præ„ ter communicantes requirebant inſuper an„ tiqui populi frequentiam, & aſſiſtentiam, „ ut Miſſa diceretur ſolemnis, & publica; „ unde Miſſæ illæ erant ipſis publicæ, in qui„ bus una cum Epiſcopo, aut paſtore po„ pulus conveniebat, tametſi etiam ſine can„ tu fierent, quo ſenſu eas frequenter acci„ pit S. Gregorius, dum vetat in Monaſte„ riis publicas Miſſas eo fine, ne in ſervo„ rum Dei receſſibus præbeatur occaſio popu„ laribus conventibus, ut pluribus ipſe Van-Eſpen oſtendit capite præcedenti, & ante ipſum Thomaſſinus de Diſcipl. Eccl. vet. & nova. Hoc ſenſu Miſſæ, quæ in Monaſteriis etiam cum cantu, & exteriori pompa, ac circumſtante Monachorum cœtu fiebant, privatæ dicebantur, quia non interveniebant Sæculares, & Laici, quemadmodum id etiam nunc, & apud nos plerumque accidit in Monaſteriis a locis popularibus diſſitis, & in ſolitudine poſitis.

(2) *Abſque Miſſis publicis ab eis conſecrari.)* Demum ipſe Gregorius probe per experientiam cognoſcens quantas interdum moleſtias Monachi ab Epiſcopis pati ſolent, ut ajunt Binius in notis ad ejuſdem Gregorii Concilium Romanum III. Tom 1. Concil. Labbei col. 1609. & Pagius Junior Brev. Geſt. Pont. in Gregorio num. 60. aliique, paulo ante vitæ ſuæ exitum, quem ob jugem corporis adverſam valetudinem proxime imminere ſentiebat, Monachorum quieti, & indemnitati con-

Monachorum quieti, & indemnitati conſulens S. Gregorius.

Magnus veritatis amator ipſe M. Pontifex.

conſulere voluit, quare collectis Epiſcopis viginti, Presbyteris, atque Diaconis Cardinalibus nonis Aprilis anno 601. pro Monachis edidit hoc Synodale Decretum, quod conſtitutum appellari conſuevit, & eſt conſimile illi, quod Caſtorio Arimineníi ſcriptum, ut ſupra, refert Emin. Author. Quibus omnibus denuo, & abunde refellitur Neotericorum aliquot, ut diximus, inſcitia, qui Miſſam publicam a privata antiquitus diſtinguí aſſerunt, quod illa cum cantu, & pompa, hæc vero ſine cantu, & apparatu, ſed in Eccleſia coram populi multitudine, quaſi Miſſæ, quæ in Monachorum conventibus fiebant, abſque Laicorum, & Sæcularium præſentia, Miſſæ ſolemnes, ſi non publicæ dicto ſenſu, ſaltem privatæ non eſſent, ac dicerentur. Sed de hac re iterum infra cap. ſequenti.

Neque ideo prohibitum olim Epiſcopis Miſſas celebrare in Monaſteriis, ſed tantum cum magno comitatu, & Laicorum pluribus interventu.

(3) *Et quæ ab Epiſcopis cum totius populi cœtu agebatur.*) Neque ideo prohibitum Epiſcopis olim Miſſas privatas, aut minus ſolemnes celebrare in Monaſteriis, ſed tantum cum magno comitatu, & Laicorum interventu. Id indicant præallata S. Gregorii verba, & colligitur ex Regulis S. Cæſarii Arelatenſis ad Virgines cap. 32. & S. Donati Veſontionenſis apud Holſtenium in ſuo Codice Regularum Tom. 3. pag. 15. & 75. in quibus hæc lego: *Nullus virorum in ſecreta parte in Monaſterio, & in Oratoriis introeat exceptis Epiſcopis, Proviſore, & Presbytero, Diacono, Subdiacono, & uno vel duobus Lectoribus, quos ætas, & vita commendet, qui aliquoties Miſſas facere debeant:* Hinc ſi id in Monaſteriis Virginum fieri poterat, multo magis in Virorum Cœnobiis.

Ipſa autem Monachis ſemper licuiſſe Miſſas ſolemniter dicuntare ex claſſis ſæculi variis conſtitutum.

(4) *Apud Monachos adhuc viget*) Idem etiam ex Caſſiano Inſtit. lib. 3. cap. 11. & alibi, ubi de Miſſa die Dominico celebrata, quæ ſolemnis, & Conventualis dicebatur, quia in ea omnes Monachi communicabant, uti optime advertit Alardus Gazæus in notis ad eumdem Caſſianum, & in Regulam S. Pachomii art. 5. idem inſuper ſtatutum eſt in Synodo Cloveshovienſi 11. ann. 747. celebrata Can. 14. in Concil. Labbei Tom. 6. Col. 1577. videlicet *ut Dominicus dies legitima renovatione a cunctis celebretur, ſitque divino cultui dicatus, omneſque Abbates, & Preſbyteri ipſo ſacratiſſimo die in ſuis Monaſteriis, & Eccleſiis maneant, Miſſarumque ſolemnia agant:* Porro de hujuſmodi Monachorum more videndi Regulæ Benedictinæ Expoſitores Smaragdus, Hildemarus, Bernardus Caſſinenſis, Boherius, Mabillonius Præſ. in ſeculo 4. Benedict. num. 167. & Martene. Hinc patet ex dictis, quod licet Miſſa, quæ publica eſt, eadem ſit, ac ſolemnis, non tamen e contra Miſſa quælibet ſolemnis eſt publica; nam quæ etiamnum decantantur, ut olim a Monachis, qui in locis ab omni ſecularium hominum commercio diſſitis, veluti Chartuſiani, ac Camaldulenſes, aliique... Regulares Eremitæ ſolitariam vitam colunt, ſolemnes quidem ſunt, ſed non publicæ.

§. IV.

Miſſæ privatæ, & ſolitariæ diſcrimen. Origo ſolitariæ a Monachis.

Miſſis autem publicis ſive ſolemnibus, & generalibus opponuntur privatæ, & ſolitariæ, ſive peculiares, quæ privatim & peculiariter ſine cantu, uno dumtaxat Clerico miniſtrante, ſive in Eccleſia, ſive in privato Oratorio aguntur. Sunt qui velint hoc diſcrimen inter ſolitarias, & privatas intercedere, quod ſolitariæ illæ ſint, in quibus ſolus Sacerdos communicat, etiamſi plures interſint: privatæ vero, quæ vel in privatis domibus, vel extra populi frequentiam, iis tamen qui adſunt communicantibus, agi ſolent. Alii rectius, & conformius ad praxim aliquando in Eccleſia uſitatam, ſolitariam vocant, quæ a ſolo Sacerdote nemine præſente, & reſpondente fiebat olim in Monaſteriis: privatam vero, quæ ſine Diacono, & Subdiacono, & Cantoribus, uno tantum miniſtrante celebratur, ſive aliqui Fideles ei interſint, ſive nullus adſit: ſive ſolus Celebrans communicet, ſive ſint aliqui communicantes. (1) Huic etiam quotidianæ nomen tributum fuit, quia ſingulis diebus a Sacerdotibus frequentari conſuevit. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 56. *Caſſius*, inquit, *Narnienſis Epiſcopus quotidianum offerre conſueverat Deo Sacrificium, ſeque in lacrymis inter ipſa ſacrificiorum arcana mactabat.* Privatæ nomenclaturam accepit, ut a ſolemni, quæ publice fit, diſcerneretur: alioquin omnes Miſſæ publicæ ſunt, quatenus publicum diſtinguitur a ſecreto & occulto. Nam ipſum Sacrificium munus publicum eſt, & publico totius Eccleſiæ nomine offertur in commemorationem mortis Chriſti, quæ eſt publicum beneficium, geritque Sacerdos Miniſtri publici officium, & pro omnibus orat, neminemque qui velit & dignus ſit, repellit a com-

(1)

communione: neque ullæ ſunt Miſſæ occultæ & angulares, ut blaſphemat Lutherus. (2) Odo Cameracenſis in expoſitione Canonis ad illa verba, *& omnium circumſtantium*: *cum primitus*, inquit, *Miſſæ ſine Collecta non fierent, poſtea mos inolevit Eccleſiæ ſolitarias, & maxime in Cœnobiis, fieri Miſſas. Et cum non habeant, quam pluraliter Collectam ſalutent, nec plurales mutare poſſint ſalutationes, convertunt ſe ad Eccleſiam, dicentes ſe Eccleſiam in Eccleſia ſalutare*, & paucis interjectis. *Secundum quem ſenſum in hoc loco circumſtantes accipiuntur omnes ubique Fideles, qui in unitate totius corporis & ſibi adhærent invicem & ſummo capiti*. Conſonat Stephanus Eduenſis ita ſcribens lib. de Sacram. Altaris cap. 13. *Sciendum eſt, quod ſi unus tantum ſit præſens, vel nulli ſint præſentes, ut in Miſſis ſolitariis, non ideo mutantur quæ pluraliter ſolent fieri orationes. Primo enim Miſſæ non ſolebant celebrari ſine collecta Fidelium multitudine. Poſtea mos inolevit, ſolitarios ſicut Monachos celebrare ſolitarias, quod eis conceſſum eſt ex indulgentia. Inde etiam Seculares conſueverunt Miſſas cantare privatas. Tunc fiunt ſalutationes ad omnes Fideles, qui aſſiſtunt quaſi præſentes, fide, & charitate ſacramentis communicantes*. Ex quibus verbis palam fit actas aliquando in Monaſteriis Miſſas a ſolo Sacerdote nemine præſente & reſpondente, quæ idcirco ſolitariæ dictæ ſint: (3) & inde ad alios Sacerdotes Miſſæ privatæ, qualem ſupra deſcripſimus, celebrationem emanaſſe. Verum Miſſas privatas non a Monachis, ſed a primæ Eccleſiæ Patribus originem traxiſſe, Capite ſequenti oſtendam: Miſſas autem ſolitarias in Cœnobiis actas ex indulgentia, ut loquitur Eduenſis, ſive ex privilegio, Canonicæ Sanctiones demonſtrant, quæ ſublatis omnibus privilegiis, ne quis ſolus Miſſas ageret, diſtricte prohibuerunt (4). (2) (3) (4)

(1) *Sive ſolus Celebrans communicet, ſive &c.*) Ad hunc locum, alioſque infra indicandos ſupradictus Joſeph Binghamus graviter Emin. Authorem catholicum hæreticus carpit, tamquam ſi ad aſtruendam Miſſam privatam nugans falſa pro veris, pro nummis ramenta indiſcretus, & mendax trapezita venditet; aſt hujus deliramenta ſuo tempore noſcentur, & pia noſtri Orthodoxi Scriptoris doctrina contra ipſum, & ſibi ſimiles phanaticos vindicabitur in Diſſertatione peculiari hac de re agenda, quam cum aliis Deo auſpice in fine operis dabimus.

Miſſæ privatæ variis injuriis, ac blaſphemis nominibus, & dicteriis impetitæ a Luthero.

(2) *Ut blaſphemat Lutherus*) In Libro peſtifero de Miſſa angulari, ſic ab eo dicta Miſſa privata Oper. Tom. 7. edit. Wirtembergen. pag. 228. ubi ſacrilegus fateri ſe hanc ſuam impiam doctrinam a Diabolo accepiſſe non erubeſcit; Lege Jacobi Gualtherii Tab. Cronol. pag. 26. §. 2. & ſeqq. ac præcipue §. 15. Fr. Hieronymi Nicolii Floſculos Notabilium verbo *hæreſis* pag. 181. Lege item eruditas Fevardentii notas in S. Irenæi adv. Hær. lib. 1. cap. 9. ubi eamdem blaſphemiam Zuvinglio, Calvino, Æcolampadio, aliiſque hujuſmodi perditis Novatoribus Satanam ſuggeſſiſſe ex ipſorum impiis monumentis oſtendit; imo & ipſum Lutherum pluries contra ſuam fidem repugnante, ac reclamante conſcientia id monſtruoſe docuiſſe firmat Joannes Eckius in illius actis an. 1520. ubi hæc de eodem ſcribit: *Lutherus ait, ſæpe ſibi palpitaſſe cor tremulum, & reprehendens objeciſſe, tu ſolus ſapis? totne erraverunt univerſi? Tanta ſecula ignoraverunt? Quid ſi tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter?* Vide ejuſdem Hæreſiarchæ Operum Tom. 1. pag. 34. & 95. Item Tom. 3. pag. 15. At nil mirum, quod nefarius iſte populorum ſeductor nullas eſſe Miſſas occultas, & angulares proferat, quibus nominibus Miſſas privatas irridens vocitat, cum Miſſam quamcumque ſive ſolemnem, ſive privatam, quæ in Eccleſia Catholica celebratur, ipſe, & dicti hujus diabolicæ perfidiæ ſocii per contemptum appellent *horribile Sacrilegium*, *Idololatriam*, *Sacrificii Crucis Chriſti abnegationem*, *Commentum Papiſticum*, *abominationem*, *exitialem voraginem*; ei ſi quæ alia ſimilia nequiter excogitari poſſunt. Lutheri abominandus liber de abroganda Miſſa totus hiſce deteſtabilibus dicteriis oppletus eſt, ubi inter cætera poſtquam plurima contra ſacroſanctum, tremendumque Miſſæ Sacrificium maledico ore evomuerit, tandem ſtoliditſime rabidorum more concludit: *Prorſus inauditum igitur monſtrum eſt iſtud Papiſticum, ut fere ipſe Papa cum ſuo corpore toto non ſit æque monſtruoſus*: Item in Colloquiis Convivalibus Turcas potius, aut Tartaros toleraturum ſe dicit, quam ut Miſſa maneat.

Taliter execranda ex eadem Satanæ officina blaſphemat Calvinus lib. 4. Inſt. cap. 18. §. 1. *Peſtilentiſſimo errore* (inquit ſacrilegus) *Satan totum pene Orbem excæcavit, ut crederet Miſſam Sacrificium*: Nec curant nebulones iſti Eccleſiæ univerſalis traditionem, authoritatem Patrum, aliaque rationum momenta, quæ pro aſtruendo hoc Catholico dogmate ipſis objicimus; ita enim ſcribit Lutherus citato peſtilentiali libro. *Profiteor in primis adverſus eos, qui clamaturi ſunt, quod contra ſtatuta Patrum do-*

Item a Joanne Calvino Hæreſiarchis, qui refelluntur, & exprobrantur.

docuerim, nihil horum me auditurum: Sane nil aliud audiri poterat a tam nefario diaboli diſcipulo, cui conſonat alter citatus ejuſdem Satanici ſubſellii infamis pſeudomagiſter Calvinus loco mox adducto §. 12. *non eſt*, inquit, *cur ulla hominum authoritate, vel annorum præſcriptione patiamur nos moveri*. Quinimmo in maledictis ultro progrediens Lutherus, deliramentis blaſphemiis addens, & blaſphemiis contumeliis, bibenſque iniquitatem ſicut aquam, infernali atramento, ſic perditiſſimus ſcribit memorato libro de Miſſa privata, quam, ut diximus, ab Eccleſia eliminandam ſacrilege pronunciat, ſed ipſe, & portæ Inferi non prævalebunt: *Hic non moramur*, ait, *ſi clamitant Papiſtæ: Eccleſia, Eccleſia, Patres, Patres, quia, ut dixi, hominum dicta, aut facta nihil, nihil in tam magnis cauſis curamus, ſcimus ipſos etiam Prophetas lapſos eſſe, adeoque Apoſtolos &c.* Hæc omnium peſſimus, & iniquiſſimus ſeductor. Quis umquam audivit talia horribilia? Vah ſuperbiſſimum hominum Satanæ parem, gloriantem, cum male fecerit, & exultantem in rebus peſſimis, qui ſe Prophetis, & Apoſtolis majorem, atque præ illis infallibilem venditat. An falſo, aut fruſtra dixit de Prophetis ipſa veritas in Evangelio: Lucæ 16. 29. *Habent Moyſen, & Prophetas, audiant eos*? De Apoſtolis idem Chriſtus Dominus Dei Verbum, ibidem 10. 16. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me*? Mira res! Lutherus, & Calvinus Chriſtiani dici volunt, & Chriſtum Dominum, qui Prophetas, & Apoſtolos audiri præcipit, ipſi divino inobedientes mandato audire nolunt; nolunt, inquam, ulla hominum authoritate moveri, nequidem Prophetarum, & Apoſtolorum; & nihilominus ipſi ſua authoritate volunt alios movere, quaſi ipſi homines mendaces non eſſent, ſed Dii, & infallibiles.

Præfatos populorum ſeductores jam toties jugulatam, & repreſſam Anomœorum hæreſim revixiſſe demonſtratur.

Peſſimis hiſce cogitationibus recoxerunt recentiores iſti Sycophantæ jam toties jugulatam Anomœorum hæreſim, qui, ut teſtatur S. Epiphanius hær. 76. cum premerentur authoritate Apoſtolorum, & Prophetarum, reſpondebant Apoſtolos, & Prophetas, ut homines locutos fuiſſe, quod & dicebant quidam alii Hæretici, quos S. Hieronymus Præfat. ad Commcnt. in Epiſt. Pauli ad Philemonem perſtringit. Vides quam crambem recoctam oggerant nequiſſimi blaterones; at nihilominus provocant ad ſolam Scripturam, hæc autem a quibus exarata? nonne a Prophetis, ab Apoſtolis, & per ipſos a Spiritu Dei qui *loquutus eſt per os ſanctorum, qui a ſeculo ſunt, Prophetarum ejus*; *non enim* (ſubdit Apoſtolorum Princeps Epiſt. 2. cap. 1.) *humana voluntate allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines*. At eſto ad Scripturam tantum, quomodo vero ex ea probant nugivenduli, ac divini verbi proditores iſti Miſſam non eſſe Sacrificium? Patet hoc ex eorum argumentis, quæ vel ex Scriptura apicem non habent, vel ſi aliquem habent, nullius certe momenti ſunt, uti oſtendit Becanus in Manuali Controv. lib. 1. cap. 10. ubi invicte eorumdem Adverſariorum argumenta convellit, itemque Noſtrates alii plerique, ac nos etiam demonſtrabimus in peculiari Diſſertatione de Ven. Euchariſtiæ Sacramento, quam cæterarum primam ſuo loco dabimus.

Lutherus & Calvinus Athei potius, quam Chriſtiani, dum Apoſtolos Chriſti diſcipulos non audiunt.

Vides iterum, quos in Satanæ ſchola nequiſſimos pædagogos, & ad perditionem duces habeant, qui ſe Proteſtantes dicunt, & prætenſos Reformatos, Lutherum nempe, & Calvinum atheos potius quam Chriſtianos, ac Judæis ipſis deteſtabiliores; illi quippe Moyſen, & Prophetas numquam falſa, & ſtulta dixiſſe, aut lapſos fuiſſe aſſerunt, quinimmo eos venerantur, & colunt; hos iſti e contra nihil de ipſis curantes eoſdem blaſphemant, & ſpernunt, cum tamen, ut mox dictum eſt, qui eos ſpernit, Deum ipſum ſpernat. Neque nobis impingant moderni eorum gregales hæc temere nimis, & injurioſe de Luthero, & Calvino Doctoribus ſuis enunciari, nihil enim amplius dicimus, niſi, quod ii, ut vidimus, atque iterum ſuo loco videbitur, de ſe ipſis fateri non erubuerunt. Tandem itaque relinquamus iſtos peſſime deformatos Eccleſiæ deturpatores, non reformatores, audiant illos, qui perdi velint, nobis ex Dei Verbo, & præcepto eſt, *quod ſi quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam Ethnicus, & publicanus*: Eam ſcilicet Eccleſiam a Chriſto Domino ſuper petram, ideſt Petrum fundatam, quam Apoſtolus Paulus dicit ad Epheſ. 2. 19. ſuperædificatam *ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſa ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu*, unicam Chriſti Sponſam, quæ non alia profecto eſſe poteſt, niſi Eccleſia Catholica Apoſtolica Romana, quæ in Petri Cathedra conſtituta Prophetas, & Apoſtolos audiens, & audiri præcipiens, ideo ſola ex veterum omnium Patrum teſtimonio, ac Fidelium univerſali conſenſu intemeratæ fidei depoſitum cuſtodit; reliquæ vero ab ipſa extorres nullatenus ſuperædificatæ ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum dici poſſunt, cum eas nec audiant, nec audiri velint, ut dictum eſt.

Miſſis itaque omnibus, quæ ab Eccleſia Romana deficiunt, Satanæ conventiculis, non Eccleſiis, quæ una eſt, nec plures eſſe poſſunt; ac redeuntes ad Miſſam privatam, de qua ſic impie blaſphemant Lutherus, & Calvinus, ne illam ad eorum perfidiam retundendam, hoc etiam loco vindicandam prætermittere videamur; nonnulla hic breviter afferre pro ejus inclucta bili aſſertione operæ pretium ſit, ſuſiora poſtmodum pro eadem Orthodoxa veritate ſuo loco, & tempore daturi in ſuperius indicata Euchariſtica Diſſertatione. Et primo ſi ideo Miſſæ privatæ Luthero occultæ, & angulares dictæ ſunt, adeoque nullæ, quia ſine interventu populi offerentis, & communicantis celebratæ, id eatenus vere dici poſſet, & nonniſi Miſſas ſolemnes eſſe probandas, quatenus conſtaret a Chriſto eſſe præceptum, ut Sacerdos nonniſi in publico, & ſolemni conventu, populoque ipſo communicante Sacrificium offerret, coque propoſito hæc Lutheranis, Calviniſtis, aliiſque hujuſmodi Novatoribus certior videri debet, quod velint ſolam Scripturam controverſiarum judicem, & divinorum dogmatum regulam eſſe; cum autem,

Nullibi præceptum legitur quod Sacerdos nonniſi in publico, populoque ipſo communicante Sacrificium offerat.

tem nullibi legamus a Chriſto Domino præceptum, ut Sacerdos nonniſi in publico, & ſolemni fidelium cœtu, plebeque univerſa communicante, aut maxima ſaltem ipſius parte ſacram Euchariſtiam accipiente divinam Liturgiam facere debeat, non vero privatim abſque ullo ſecum participante: de hujuſmodi namque mandato ſilet Evangelium, ſilet Paulus, ſilent denique cæteri Apoſtoli, nihilque hac de re in novo Teſtamento, veterum traditione, aut primis Eccleſiæ Patribus deſcriptum invenitur; manifeſtum profecto, exploratumque eſt, quod Chriſtus Dominus voluerit Sacerdotibus ſuis liberum eſſe Sacrificium quotidie, ſi vellent, offerre, etiam abſque fidelium conventu, aut nullo eorum communicante. Et ſane ſi laici non quotidie, ſed raro, ut plerumque fit, & certis tantum dierum, ac temporum intervallis communicent; numquid ideo tenebuntur Sacerdotes a divino cultu abſtinere, & Sacrificium prætermittere? Si populus Dei Sabbata, & feſtivitates obſervare neglexerit, numquid ideo tota Eccleſia feriabitur, & prædictum a Prophetis, atque a Chriſto inſtitutum juge Sacrificium auferetur, aut ceſſare debebit, & a populi voluntate pendere? Quid hoc abſurdius, quid monſtruoſius? Abſit.

Miſſa privata veri ac legitimi Sacrificii naturam quodammodo habet, & eſſentiam habet.

Præterea id ad ſummum apud ipſos verum quodammodo eſſe poſſet, quando Miſſa privata naturam veri Sacrificii non haberet: at & iſtam æque ac ſolemnem verum eſſe Chriſtianæ legis Sacrificium, luce clarius demonſtratur; illud enim pro legitimo habendum eſt Sacrificium, quod veri Sacrificii naturam, & eſſentiam importat: Sacrificium quippe eſt oblatio externa ſoli Deo facta, qua in recognitionem ſupremi ejus dominii a legitimo miniſtro res aliqua ſenſibilis, & permanens Ritu myſtico conſecratur, & mutatur; hanc autem definitionem convenire tam Miſſæ privatæ, quam ſolemni per ſe patet; five enim in conventu publico fidelium, eorumque multis communicantibus, five privatim, & nemine præter Sacerdotem communicante, rite perficiatur Miſſa, nihilominus verum eſſe Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ab ipſo Chriſto inſtitutum, & ab Eccleſia Sacerdotum miniſterio ſub ſpeciebus panis, & vini Deo oblatum negari numquam poterit, cum multorum communio, ac præſentia non requiratur, ut conditiones illæ ſubſiſtant, quomodo in lege veteri plurima erant Sacrificia, quorum particeps nemo præter Sacerdotes fiebat, uti legitur Levitici 6. & 7. ubi Sacrificia offerebantur pro delictis, & peccatis populi, ipſique proderant, quamvis nemo præter Sacerdotem ex his deguſtaret.

Cum etiamſi nullus præter Sacerdotem communicet, omnia ad veri Sacrificii rationem exhibeantur, & inſint.

Neque id requiri ad Sacrificium novæ Legis, manifeſtum eſt: cum per ipſum, etiamſi nullus præter Sacerdotem communicet, exhibeatur ſupremum Dei in creaturam dominium, Chriſti Domini paſſio recolatur, & auxilia, quibus Eccleſia indiget, implorentur; hinc ſapientiſſime Concilium Tridentinum de hiſce Miſſis privatis loquens ſeſſ. 22. cap. 6. *illæ quoque Miſſæ*, inquit, *vere communes cenſeri debent, partim quod in eis populus ſpiritualiter communicet, partim vero quod a publico Eccleſiæ Miniſtro non pro ſe tantum, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad Chriſti Corpus pertinent, celebrentur.* Hanc denique Orthodoxam veritatem firmat perpetua, & ab initio Eccleſiæ recepta conſuetudo, qua pleniſſime conſtat Miſſæ privatæ uſum ſemper, ac perpetuum in Eccleſia fuiſſe; quod autem uſu continuo in Eccleſia univerſali frequentatum eſt, damnari utique fine manifeſto ejus contemptu non poteſt. Morem vero hujuſmodi Miſſarum privatarum ſancte, & pie ſemper in Eccleſia obſervatum fuiſſe tot exploratis, certiſſimiſque veterum Patrum exemplis evidentiſſime demonſtrabitur capite ſequenti, ac deinde aliis ſequentibus, paſſimque toto hoc opere, ut nonniſi rationis expers id negare valeat, nonniſi cæcus non videat. Fremant itaque dentibus, & tabeſcant rabidi hæreſiarchæ, eorumque gregales, velint, nolint, ſtetit ſemper, ſtabitque uſque in ſeculi finem Miſſa privata, ut item infra uberius oſtendemus.

Miſſæ ſolitariæ exempla duo.

(3) *Solitariæ dictæ ſint*) Miſſæ ſolitariæ exemplum habemus in vita S. Wnebaldi Abbatis Heidenheimenſis (Act. SS. Ord. S. Bened. ſec. 3. part. 2. pag. 186. num. 22.) in qua Presbyter quidam Eccleſiam valde diluculo intraſſe dicitur ad Miſſam faciendam pro eo, unde ſuaviſſimo odore recreatus exivit ad confortem hujus miraculi quærendum, quod certe non feciſſet, ſi ſocium Miſſæ miniſtrum habuiſſet. Idem colligitur ex vita S. Meginradi Eremitæ, qui a Sicariis ſolus Miſſam celebrans inventus, ac poſtea occiſus eſt. Ibid. ſec. 4. Bened. parte 2. pag. 67.

Eædem Miſſæ olim non nullis ex indulgentia conceſſæ.

(4) *Ne quis ſolus Miſſas ageret diſtriſte prohibuerunt*) Ad hunc locum objicit quidam arbitratus numquam conceſſa fuiſſe privilegia pro Miſſis ſolitariis celebrandis, immo cum id Concilia prohibuerint, apparet morem hunc pro abuſu habitum fuiſſe, veluti ſi hodie fœmina celebranti miniſtraret, verbum autem *indulgentia*, quod uſurpat Eduenſis, videtur potius tolerantiam ſignificare, quam privilegium, perpendantur verba Synodi Pariſienſis ſub Gregorio IV., quam mox recitat Emin. *reprehenſibilis uſus .... quæ conſuetudo Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ auctoritati refragatur*: At contra hanc objectionem notantur verba Odonis Cameracenſis, de quo infra §. 6. nota 3. in Expoſitione Canonis: *poſtea mos inolevit Eccleſiæ ſolitarias, & maxime in Cœnobiis Miſſas fieri*: ubi morem fuiſſe dicit Eccleſiæ, deinde videantur privilegia Camaldulenſibus conceſſa pro perpetuo inclusis. Vide item quæ dicentur §. ſequenti.

§. V.

§. V.

A quibus, & quando prohibita Miſſa ſolitaria.

Deinde prohibitæ a quibus, & quando, deſcribitur.

COncilium Moguntinum ſub Leone III. c. 43. ait, *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, ſolus Miſſam cantare valet recte. Quomodo enim dicet* Dominus vobiſcum, *vel* ſurſum corda *admonebit habere, & alia multa his ſimilia, eum alius nemo cum eo ſit?* Quæ verba tranſtulit in Capitulare Regum Franciæ Benedictus Levita *lib. 5. cap.* 93. & Synodus Pariſienſis ſexta, ſub Gregorio IV. lib. 1. cap. 48. *Irrepſit in pleriſque locis partim incuria partim avaritia reprehenſibilis uſus, & congrua emendatione dignus, eo quod nonnulli Presbyterorum ſine miniſtris Miſſarum ſolemnia frequentent. Unde conveniendus imo interrogandus nobis videtur hujuſmodi Corporis, & Sanguinis Domini ſolitarius confeerator, quibus dicit* Dominus vobiſcum, *& a quo illi reſpondetur*, & cum Spiritu tuo: *vel pro quibus ſupplicando Domino inter cætera*, Memento Domine, & omnium circumſtantium, *eum nullus circumſtet, dicit. Quæ conſuetudo quia Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ authoritati refragatur, & tanto myſterio quandam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune viſum eſt, ut deinceps hujuſcemodi uſus inhibeatur, provideatque unuſquiſque Epiſcoporum, ne in ſua Parœchia quiſquam Presbyterorum Miſſam ſolus celebrare præſumat.* Extat & Decretum Concilii Nannetenſis idem vetans apud Ivonem p. 3. c. 70. (1) *Deſinivit ſanctum Concilium, ut nullus Presbyter ſolus præſumat Miſſam celebrare. Cui etenim dicit* Dominus vobiſcum, Surſum corda, *aut* Gratias agamus Domino Deo noſtro, *cum nullus ſit qui reſpondeat? aut aut in Canone*, & omnium circumſtantium, *eum nemo adſit? aut quem invitat ad orationem, eum dicit* Oremus, *eum nullus ſit qui ſecum oret? Aut ergo iſta penitus retieenda ſunt, & non ſolum non erit perfectum Sacrificium, verum etiam incurret, quiſquis eſt ille, illam terribilem ſententiam:* ſi quis tulerit de hoc, tollat Deus partem ejus de libro vitæ: Apoc. 22. *aut ſi hæc muris, & parietibus inſurraverit, ridiculoſum erit. Quapropter illa periculoſa ſuperſtitio, maxime a Monaſteriis Monachorum, exterminanda eſt. Provideant autem Prælati, ut Presbyteri in Cœnobiis, & in aliis Eccleſiis cooperatores habeant in celebratione Miſſarum. Si quis hæc tranſgreſſus fuerit, ab officio ſuſpendatur.* Similiter Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus in ſuo Capitulari ad Clerum c. 7. ait: *Sacerdos Miſſam ſolus nequaquam celebret. Eſſe enim debent, qui ei circumſtent, quos ille ſalutet, a quibus ei reſpondeatur, & ad memoriam illi reducendum eſt illud Dominicum*, ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, & ego ſum in medio eorum. (2) Ratherius item Veronenſis Epiſcopus editus a Luca Dacherio *Tomo* 2. *Spicilegii* in Epiſtola Synodica ad Presbyteros, *Nullus ſolus Miſſam cantet.* (3) Porro cantare Miſſam Priſcorum phraſi illi etiam dicebantur, qui ſine cantu, & privatim celebrabant. Ita loquuntur Cluniacenſes in ſtatutis ante annos ſexcentos ſcriptis, quæ extant Tomo 4. Spicilegii, lib. 2. cap. 30. *Sacerdotes poſſunt ſine licentia Miſſas priuatas cantare.* Sic etiam loquitur liber uſuum Ord. Ciſtercien. ante annos quingentos conſcriptus cap. 59. *Per totum annum poſſunt fratres cantare Miſſas privatim tempore lectionis, & poſt offerendam Miſſæ in conventu*, ideſt poſt offertorium Miſſæ conventualis. Et infra. *Qui cantant privatas Miſſas, moderentur ita voces ſuas tam ipſi, quam adjutores eorum, ne alii impedimentum patiantur.* (4) Rejectæ itaque & reprobatæ fuerunt Miſſæ ſolitariæ, quæ a ſolo Sacerdote nemine adſtante, & reſpondente dicebantur, hac potiſſimum ratione, quia abſurdum viſum eſt, quod Sacerdos diceret, *Dominus vobiſcum, ſurſum corda, Gratias agamus,*

(1) (2) (3) (4)

gamus, cum nullus reſponderet: aut invitaret ad orandum dicens *Oremus*, nemine præſente qui ſecum oraret: & in Canone memoriam faceret omnium circumſtantium, cum nemo adeſſet.

(1) *Apud Ivonem &c.*) Item apud Reginonem lib. 1. cap. 191. Burchardum lib. 3. cap. 68. & Capitular. Reg. Franc. lib. 5. cap. 93.

(2) *Ego ſum in medio eorum*) Crodegangus Epiſc. Metenſis in Regula Canonicorum cap. 77. apud Dacherium infra etiam ab Emin. citatum Spicil. Tom. 1. pag. 257. *ſtatutum eſt*, inquit, *ut nullus Presbyterorum ſolus Miſſam celebrare præſumat &c.*

(3) *Nullus ſolus Miſſam cantet*) Inter Capitula pariter, quæ Herardus Turonenſis Archiepiſcopus an. 858. vulgavit apud Baluzium Capitul. Reg. Franc. Tom. 1. col. 1283., & iſtud extat num. 28. *Ne Presbyter ſolus Miſſam canat, non enim poteſt dicere, Dominus vobiſcum, Surſum corda &c.*

(4) *Ne alii impedimentum patiantur*) Et ſane id ſalubriter inſtitutum, Deus enim rerum ſcrutator, & cordium, auditor eſt clamoris cordis, non vocis; Sacerdos itaque non in clamoſa voce, ſicut Ethnici faciunt, ſed moderata Miſſam recitet, ut inde gravitatem præferat, & audientibus devotionem ingerat. Vide, quæ ſupra dicta ſunt in notis ad cap. 2. §. 6. Item Joannem Bapt. de Bertis de Sacrificio Miſſæ quæſt. 7. art. 2. dub. 6. Porro varias hujuſmodi ſanctiones Miſſam ſolitariam prohibentes refert Joſeph Vicecomes lib. 5. de Miſſæ Ritibus cap. 4.

§. VI.

An, & quatenus eadem Miſſa Solitaria nunc licita ſit.

FUerunt etiam aliqui plus juſto ſcrupuloſi, qui ne mendaces invenirentur, ſi ad unum ſolum præſentem plurales ſalutationes dirigerent, a Sacrificii oblatione abſtinebant, niſi præter Clericum miniſtrantem unus ſaltem præſens adeſſet, ut vere poſſet Celebrans duobus aſtantibus dicere, *Dominus vobiſcum*, & *Orate Fratres*. Extat Canon de hac re apud Gratianum de Conſecr. diſt. 1. cap. 61. *Hoc quoque*, inquit, *ſtatutum eſt, ut nullus Presbyterorum Miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibique reſpondentibus ipſe tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur* Dominus vobiſcum, *& illud in ſecretis* Orate pro me, *aptiſſime convenit, ut ipſius reſpondeatur ſalutationi* (1). Idem ſan- (1)
citum fuit in Concilio Colonienſi *p. 2. cap.* 18. Et liber Uſuum Ciſterc. *Qui Miſſam*, ait, *cantare voluerit, duos teſtes habeat*. Refert autem Gratianus præcitatum Canonem ex Soteris Papæ Conſtitutionibus: ab aliis tribuitur Anacleto, in cujus epiſt. 1. leguntur hæc verba: *Sacerdotes quando Domino ſacrificant, non ſoli hoc agere debent, ſed teſtes ſecum adhibeant, ut Domino perfecte in ſacratis Deo ſacrificare locis probentur*. Micrologus cap. 2. utrique adſcribit. At neutri convenire certiſſimum eſt; (2) nihil enim magis (2)
alienum a praxi, & ſpiritu illius ſeculi, quam ſolitariæ Miſſæ celebratio: nec puto voluiſſe ſanctos illos Pontifices edita lege abuſum tollere, qui nonniſi poſt aliquot ſecula inter Monachos irrepſit. Nota eſt Laurentii Diaconi ad Sixtum vox, cum duceretur ad martyrium: *Tu nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueveras;* ita enim ferebant illorum temporum recepti mores: & aliunde conſtat Anacleti Epiſtolam ſuppoſititiam eſſe, & ex male compactis recentiorum ſententiis conſarcinatam. An vero uſus ſacrum agendi ſine miniſtro nunc omnino ſublatus ſit, fateor me ignorare: Memini tamen me legiſſe, quibuſdam Monachis, ſive Eremitis perpetuo incluſis indultum aliquando a Romano Pontifice, ut ſoli poſſent ſine reſpondente Sacrificium offerre: idque de incluſis confirmat gloſſa ad citatum Canonem Gratiani. Nec alienum a ratione videri debet, quod quis ſolus dicat *Dominus vobiſcum*; nam his verbis ſalutatur Eccleſia, quæ eſt una in multis, & tota in ſingulis, ut docte probat Petrus Damiani in Opuſculo ad Leonem incluſum, qui hujus dubii ſolutionem ab eo petierat, an liceret Eremitis, cum ſingulares in cel-

Monachis quibuſdam, ſeu Eremitis perpetuo incluſis indultum aliquando ut ſoli poſſent ſine reſpondente Sacrificium offerre.

lula commorantur, dicere *Dominus vobiſcum*: cui lucubrationi titulum idcirco præfixit: *Dominus vobiſcum*. Multa congerit Petrus, ut hoc licitum eſſe oſtendat, quæ apud ipſum legi poſſunt (3). Quod ſi Sacerdos, cum ſolus recitat nocturnas, & diurnas preces, omnia pluraliter profert, quæ plurali numero in divinis officiis digeſta ſunt; dicit enim *Venite adoremus, venite exultemus, Oremus, Benedicamus*, cum nemo illic ſit, qui ſecum adoret, exultet, oret, benedicat: cur id non liceat ſacrificium offerenti, cum id agat in perſona totius Eccleſiæ, cujus corpus unum eſt unius fidei ſoliditate ſubſiſtens, & vivificantis ſpiritus una virtute perfuſum (4)? Nulla igitur abſurditas eſt in plurali ſalutatione, cum quis ſolus Miſſas agit, licet hodie fieri nequeat ſine ſpeciali Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione, contrario uſu, qui olim vigebat, dudum antiquato, & Eccleſiaſticis legibus abrogato. (3) (4)

(1) *Ut ipſius reſpondeatur ſalutationi*) Gratianus, & ex eo Conciliorum generalium Editores Coſſartius, & Labbeus Concil. Tom. I. col. 584. Item Ivo Carnotenſis parte 2. cap. 30. ac Burchardus lib. 3. cap. 70. Ad hunc porro Gratiani locum antiquus ejuſdem Commentator quærit, an neceſſarium ſit, ut ſint duo Clerici, unus ſcilicet miniſtrans, & alter præſens, & reſpondet: *Satis videtur quod ſint duo Clerici*: Cæterum etſi juxta hanc laudabilem diſciplinam, quoad fieri poteſt, omnino obſervandum eſſet, ut Miſſæ miniſter ſit Clericus, ſic enim Decretum in pluribus Synodis Provincialibus, Mediolanenſi IV. & VI. Aquenſi an. 1585. Toloſana 1590. Avenionen. 1599. Narbonen. 1609. aliiſque ut refert Gaſpar Ivenin de Sacram. Differt. 5. de Euchariſtiæ Sacrificio queſt. 7. cap. 1. art. 4. num. 4., & ad mentem Oecumenici Concilii Tridentini ſeſſ. 22. in decr. de obſervandis, & evitandis in celebr. Miſſæ, ubi juxta antiquos Canones conſtitutum legimus: *Sacerdotum Miſſæ Sacrificium omni religionis cultu eſſe celebrandum &c.* conſtat tamen ex hodierna praxi, ac conſuetudine ſenſim introducta non contradicentibus Prælatis Eccleſiam tolerare, ut Laici modo idonei ſint, Sacerdoti celebranti adminiſtrent; creſcente enim Miſſarum privatarum numero, cum non eſſet copia Clericorum, concedi Laicis oportuit, ut eorum vices implere poſſent, nempe videlicet Clericalis Ordinis Miniſtrorum defectu Sacerdotes a Sacrificio offerendo abſtinere compellerentur. Ipſi vero Laici ii ad hujuſmodi miniſterium idonei cenſendi ſunt, qui decenti habitu, morum gravitate, vultuque ad modeſtiam, & honeſtatem compoſito palam faciunt, ſe tam ſublimis officii dignitatem, & excellentiam intelligere; nam ſi ex Concilii Tridentini decreto mox laudato non debet Sacrificium a Sacerdotibus ſæcularibus, aut regularibus celebrari, niſi qui præſentes adſunt *decenter compoſito corporis habitu declaraverint ſe mente etiam, ac devoto cordis affectu, non ſolum corpore adeſſe*: quanto magis a Sacerdotum Miniſtris id exigendum, qui quo propius ad Altare accedunt, eo ſe ſanctiores præſtare debent, maxime cum totius populi vices ſuppleant, & adſtantium nomine publicum miniſterium impleant?

Clerici olim Miſſæ Miniſtri.

Nunc etiam Laici ex Eccleſiæ tolerantia.

Atque hinc (inquit Anonymus Ord. Præd. nuperus Author de re Sacramentaria contra Hæret. lib. 5. cap. 2. §. 2. quæſt. 2.) patet, „ quam ſit deplorandus, quantaque reforma„ tione egeat, qui in Eccleſiam (Eccleſia„ certe non probante) irrepſit abuſus; nam „ vulgo ad Altaris miniſterium admittuntur „ viliſſimi quique de infima plebe homuncio„ nes ſordido habitu, vultu deformi, illotis „ manibus Sacerdoti, ipſiſque adſtantibus pe„ ne nauſeam afferentes: aut pueri immode„ ſti, & immorigeri, qui nec ſpeciem pie„ tatis præferendo, neque quid acturi vene„ rint leviter intelligendo, pſittacorum mo„ re reſpondent, & velut ſimiæ adminiſtrant, „ magiſque impediunt Sacerdotem, quam ju„ vant, eoque tandem ſacrarum rerum con„ temptus progreſſus eſt, ut jam Clericos, „ viros nobiles, & bonos cives pene pudeat „ miniſterium Sacerdotibus exhibere; unde„ ſequitur, ut eos circa ſe miniſtros tolera„ re compellantur, quos ne ad communem „ quidem menſam honeſto loco nati cives, „ ſervos habere ſuſtinerent, iiſque totius Ec„ cleſiæ vota committantur, quibus nc mini„ ma quidem negotia vellet quiſquam com„ mittere; quodque dolendum magis, nimia „ hac, præpoſteraque facilitate cachinnis in„ fidelium divina myſteria exponuntur: Ec„ quis enim, quæſo, Gentilis, aut Hæretl„ cus ſibi perſuadeat Sacrificium immolari, „ quo nec ſanctius quidquam Eccleſia habet, „ neque auguſtius, & non potius exiſtimet „ rem indifferentem, aut ludicram repræſen„ tari, quando viderit actores hujuſmodi „ circum Altare adeſſe? Hæc Anonymus præfatus, quem eſſe Patrem Magiſtrum Druitz in Vercellenſi Seminario Sac. Facultatum Lectorem retulit amicus noſter.

Dummodo idonei, honeſti, ac decenti habitu uduti ſint.

Similes querelas, & abuſum hujuſmodi ab aliis etiam deploratum novi, quem tamen in parvis oppidis, vicis, & ruralibus locis potius, quam in urbibus, ubi Laici decentis habitus, ac morum gravitate præditi non deſunt, irrepere facilius eſt. His addo, nedum Clericos, ſed & nonnunquam Sacerdotes ipſos, qui vel ex incommodo vitando, vel levi negotio alibi agendo moti, quaſi dedignantes alteri poſt ſe celebranti inſervire, dictos deſpicabiles infimæ plebis homines ignaros, ac rudes in ſui locum ad Altare Miniſtros ſufficere, atque iiſdem non ſine aliorum ſcandalo id Clerici munus committere non erubeſcunt, quod & a piis quandoque viris re-

latum

latum dolens & ipſe audivi. Ut autem ab hoc malo caveant, ſciantque omnes, quam fructuoſum ſit diviuo Sacrificio miniſtrare, præſtat hoc loco ſubjicere, quæ Seraphicus Doctor S. Bonaventura ſcribit Tom. 2. Oper. Tract. de interiori homine parte I. cap. 11. *In hoc miniſterio*, inquit, *multiplex fructus; primum boni operis exercitium eſt, ſecundum opus charitatis eſt, & promovens proximum in bono, tertium opus devotionis eſt, quia Deo appropinquat in oratione; quartum opus Angelicum eſt, cum quibus Deo ibi præſenti miniſtras, ſicut & illi, & ex hoc non ſolum Sacerdos, cui miniſtras, tunc orat pro te ſpecialiter, ſed & omnes circumſtantes, quorum vices geris; immo tota Eccleſia ubique terrarum, quia tu vicem geris omnium fidelium, qui Deo ſuo de Cœlo venienti cum gratiſſima gratiarum actione debevent miniſtrare, ſi poſſent adeſſe, & vix poteſt eſſe quin Dominus ſpeciali gratia remuneret etiam in præſenti, qui libenter, & devote miniſtrat apud illud Sacramentum, quo nihil ſanctius, & devotius poteſt eſſe in Cœlo & in Terra, & quod eſt admodum præcipuum indicium divinæ dignationis, & dilectionis ſuæ ad hominem*: Hæc Sanctiſs. Cardinalis, & Epiſcopus Albanenſis, cujus aurea verba ſacris omnibus Altaris Miniſtris, atque omnibus adultis Chriſtifidelibus alte infigenda ſorent.

Quam fructuoſum ſit divino ſacrificio miniſtrare docet S. Bonaventura.

(2) *Neutri convenire certiſſimum eſt*) Item etiam ſentiunt Stephanus Baluzius in notis ad Ant. Auguſtini Dialogos de Emend. Gratiani pag. 560. ; ubi Emin. noſtri hac de re cenſuram eximie laudat, & approbat; item Petrus Couſtantius in Rom. Pont. Epiſt. col. 83. num. 4. vide, quæ de hujuſmodi Decretalibus uſque ad Siricium dicta ſunt ſupra cap. 3. §. 1. nota 2.

(3) *Quæ apud ipſum legi poſſunt*) Sancto Petro Damiani ſuffragatur alter ferme coævus Scriptor Odo Cameracenſis, de quo ſupra §. 4. qui in ſua brevi Expoſitione Canonis Miſſæ in Bibl. PP. edit. Lugd. Tom. XXI. pag. 221. ad ea verba: *Et omnium circumſtantium*, &c. ſic loquitur: *Cum primitus Miſſæ ſine colletta non fierent, poſtea mos invaluit Eccleſiæ, ſolitarias, & maxime in Cœnobiis fieri, ubi cum non habeant quam pluraliter ſaluteut colletam, nec plures mutare poſſint ſalutationes, convertunt ſe ad Eccleſiam dicentes ſe Eccleſiam* (abſentem) *in Eccleſia* (materiali) *ſalutare, & in corpore totum corpus alloqui, &c.*

(4) *Una virtute perfuſum*) Præterea ſi unuſquiſque Fidelium ex Chriſti Domini inſtitutione, & præcepto Orationem Dominicam privatim, & ſolus recitans, ea omnia verba item pluraliter profert, quæ ibi continentur, eamdemque conſtituunt, quia ita a Chriſto Domino hæc Oratio recitari mandata eſt, dicit enim: *Pater noſter, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo*: Et tamen cum ſolus rectet, nemo ſit, qui idem ſecum petat, non alia prorſus ratione, niſi quia, ut ait Apoſtolus ad Rom. 12. 5. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra*. Eccur ergo non licebit & Sacerdoti Sacrificium ſolus offerre, etſi multa in plurali reciter? nam & ſolus perſonam gerit Eccleſiæ, ut iterum infra Emin. Author lib. 2. cap. 5. num. 1. idemque Dominus, qui omnibus præcepit, dicens Matth. 6. 9. *Sic autem orabitis: Pater noſter, &c.* mandavit, & Sacerdotibus dicens: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*. At vero ſolis iiſdem, non aliis præcepit, ut quotieſcumque id fecerint, in ſui memoriam faceremt, non enim qui miniſtrat, & ſacrificanti inſervit, aut intereſt, cum eodem celebrat, aut Euchariſtiæ Sacramentum conficit, ſed tantum de illo a Sacerdote confecto participat. Nihil ergo hac in re abſurdum eſt, ut optime aſſerit Emin. Scriptor, niſi quia id Eccleſiaſticis legibus prudentiſſime interdictum.

Cæterum Miſſam ſine Miniſtro celebrare non in ſe abſurdum, niſi quia id Eccleſiaſticis legibus prudentiſſime interdictum.

CAP. XIV.

Miſſæ privatæ perpetuus uſus Veterum teſtimonio, & exemplis probatur ab initio Eccleſiæ, & deinceps. Idem variis argumentis oſtenditur. In una Eccleſia plura altaria, pluresque Miſſas olim fuiſſe. Miſſæ ſine communicantibus antiquiſſimæ. Diluitur objectio ex Epiſtola S. Franciſci.

§. I.

Miſſæ privatæ perpetuus uſus Veterum teſtimonio, & exemplis probatur ab initio Eccleſiæ, & deinceps.

SEmper viguit in Eccleſia privatæ Miſſæ, uno ſaltem præſente & miniſtrante, laudabilis conſuetudo, quam Hæretici Miſoliturgi aliquando prohibitam fuiſſe nunquam poterunt demonſtrare. Sive enim dicatur privata a loco, quia in privato aliquo Oratorio agitur: ſive a tempore, quia non feſtis, ſed privatis diebus fit: ſive ab aſſiſtentibus, quia vel unus dumtaxat, vel pauci ei interſunt: ſive ex eo quod ſolus Sacerdos in ea communicet: ſive alia quacumque ex cauſa: (1) ſemper eam licitam, ſemperque (1)
in uſu fuiſſe, probatiſſimis veterum Patrum teſtimoniis, & exemplis demonſtrabo. Nam primo Apoſtoli circa domos panem frangebant, Euchariſticum videlicet, ut illorum Acta teſtantur. Viros deinde Apoſtolicos, qui eos proxime ſequuti ſunt, ſæpe privatim celebraſſe in domibus, in carceribus, in cryptis, in cœmeteriis, in tuguriis, ex his quæ hic, & infra cap. XIX. dicemus, manifeſtum erit. Tertullianus lib. de fuga in perſecut. cap. 14. *Si colligere interdiu non potes, habes noctem. Non potes diſcurrere per ſingulos, ſit tibi & in tribus Eccleſia.* Ac ſi diceret, ſi die luceſcente, atque omnibus congregatis celebrare non potes, noctu celebra & privatim, etiamſi vel tres ſoli præſentes ſint. (2) Hoc autem ſenſu Miſſa privata *Collecta* ſive (2)
Synaxis dici non poteſt, & ideo Auguſtinus in Breviculo Collationum diei tertiæ *Collectam a Dominico* tanquam ſpeciem a genere diſtinguit. Scribit Euſebius in vita Conſtantini *lib.* 4. *cap.* 17. eum ſtatim poſt baptiſmum Oratorium in Palatio extruxiſſe, quin & ambulatoriam Eccleſiam ſive motorium templum habuiſſe, cum in caſtra proficiſcebatur, cujus exemplum nobiles Palatinos poſtea ſequutos eſſe narrat Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 8. ne Miſſæ Sacrificio, etiam in caſtris, carerent. Idem Euſebius *ibid. cap.* 45. refert Epiſcopos, qui ex omnibus provinciis ad dedicationem Eccleſiæ Hieroſolymorum copioſa multitudine convenerant, incruenta ſæpius ſacrificia obtuliſſe. Marcellum Papam ſæpe in domo Lucinæ celebraſſe Acta ejus commemorant. Gregorius Nazianzenus orat. 19. in laudem Patris, eum in cubiculo ſuo Sacrum egiſſe aſſeverat: & in encomio ſororis ſuæ Gorgoniæ domeſticum ei altare fuiſſe teſtatur. Meminit etiam Oratorii privati Avitus Viennenſis *Ep. 6. ad Victorium Epiſcopum*. Paulinus Nolanus ante lectulum ſuum parari ſibi altare juſſit, ibique Sacrificium obtulit, Uranio teſte in ejus vita, paucis horis antequam moreretur. De Ambroſio hoc refert Paulinus Presbyter, qui geſta ejus conſcripſit: *Per idem tempus cum tranſlyberim apud quandam clariſſimam invitaretur, ut Sacrificium in domo offerret, quædam balneatrix, quæ paralytica in lecto jacebat, ſellula ad eandem domum portari ſe fecit*, & oſculatis ibidem ſanctı viri veſtimentis ſanata

eſt.

eſt. Auguſtinus *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8. miſſum fuiſſe ait unum ex ſuis Presbyteris in domum cujuſdam Heſperii a malignis ſpiritibus vexatam, qui obtulit ibi Sacrificium Corporis Chriſti, & ceſſavit vexatio. (3) Cabades Rex Perſarum, ut Theophanes ſcribit anno Chriſti 508. audiens ingentium pecuniarum, & pretioſi lapidis congeriem in quodam caſtro repoſitam eſſe, ipſum occupare conabatur. Dæmones autem ipſum theſaurum cuſtodientes impedimento illi erant; quare admota Magorum & Judæorum arte, nec eo potitus, Epiſcopum Chriſtianum præcepit adduci, qui peracta Synaxi & particeps factus divinorum myſteriorum dæmones expulit, & nullo negotio caſtrum tradidit Regi, qui eo miraculo commotus poteſtatem fecit, ut quicumque vellet, ad baptiſmum accederet. Iterum Auguſtinus *lib.* 3. *contra Creſconium Donatiſtam cap.* 29. Acta publica refert, quibus Sylvanus convincebatur plures cujuſdam Eccleſiæ Calices tradidiſſe, (4) ex quo non leve indicium ſumitur plures Miſſas in ea privatim actas; neque enim tot Calices neceſſarii fuiſſent, ſi ſola ſolemnis acta foret. Chryſoſtomus *hom.* 3. *in Epiſt. ad Epheſios*, & 17. *ad Hebræos* quotidianam oblationem ſuo tempore fieri ſolitam affirmat: (5) idemque Hieronymus aſſerit *in cap.* 1. *Epiſt. ad Titum*. Concilium Agathenſe *cap.* 21. privata Oratoria in agris permiſit, in quibus Miſſa haberi poſſet, etiam in feſtivitatibus, exceptis diebus Paſchæ, Natalis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, ſancti Joannis Baptiſtæ, & aliis, ſi quæ fuerint, majoribus ſolemnitatibus. Gregorius Magnus *lib.* 5. *Epiſt.* 43. mandat Joanni Epiſcopo Syracuſano, ut Miſſas agi permittat in domo Venantii Patricii. Et *hom.* 37. *in Evang.* de Caſſio Narnienſi Epiſcopo ſermonem habens, morem illi fuiſſe ait, quotidianas Deo Hoſtias offerre, ita ut pene nullus dies vitæ ejus abſcederet, quo non omnipotenti Deo Hoſtiam placationis immolaret. Tum ait eumdem morti proximum in Epiſcopii Oratorio Miſſas feciſſe. (6) Joannes Eleemoſynarius, ut Leontius narrat in ejus vita cap. 41. cum populum vidiſſet ab Eccleſia egredi poſt lectum Evangelium, & ipſe exiit, ſeditque cum turba dicens, ego propter vos deſcendo in ſanctam Eccleſiam, nam Miſſas poteram mihimet facere in Epiſcopio: (7) Barlaam Presbyter, ut ex Joannis Damaſceni narratione didicimus, in cubiculo Joſaphat, ipſo ſolo præſente, ſacrum peregit. Ven. Beda *lib.* 4. *Hiſt. Anglorum cap.* 14. peſtiferam mortalitatem interceſſione Oſuvaldi Regis ſublatam deſcribens, Miſſas ait celebratas fuiſſe per cuncta Monaſterii Oratoria pro gratiarum actione. Plura autem Oratoria loco, & ſitu ſeparata in Monaſteriis extruere uſus antiquiſſimus fuit; nam S. Benedictus, teſte Gregorio Magno *lib.* 2. *Dialog. c.* 8. in montis Caſſini ſummitate duo ædificavit, unum S. Joannis Baptiſtæ, alterum S. Martini. Et Maurus ejus diſcipulus, teſte Fauſto in vita ipſius, quatuor in ſuo Monaſterio conſtruxit, in honorem ſanctorum Petri Apoſtoli, Martini, Severini, & Michaelis Archangeli. Concilium Toletanum XVI. cap. 8. quotidie Miſſas peculiares pro Rege, & filiis celebrari præcepit. Extat & Reſcriptum Zachariæ Papæ ad Pipinum Regem mandans nullum Oratorium pro Miſſis privatis, niſi prius dotatum ab Epiſcopo, conſecrari. Theodulfus Aurelianenſis in ſuo Capitulari *cap.* 45. decrevit, ut Miſſæ, quæ per dies Dominicos peculiares a Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus a publicis Miſſarum ſolemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abſtrahatur. In Chronico Centulenſi *Tomo* 4. *Spicilegii lib.* 2. *cap.* 11. extat conſtitutio Angelberti Abbatis, qua præcipit ſingulis diebus triginta ſaltem Miſſas in diverſis altaribus a Monachis agi, in quibus memoria haberetur Adriani Papæ, & Caroli Magni, qui tunc vivebant. (8) Grodegandus Metenſis Epiſcopus, qui tempore Pipini vixit, in

(3) (4) (5) (6) (7) (8)

Regula

Regula Canonicorum *Tom.* 1. *Spicilegii edita cap.* 42. meminit eleemoſynæ datæ Sacerdotibus pro Miſſis privatis. Apud Chriſtophorum Brovverum *lib.* 3. *Antiqu. Fuldenſium cap.* 12. ſupplex libellus a Monachis porrectus legitur, in quo petunt inter cætera, ut poſſint Presbyteri Miſſas ſæpius celebrare, utque competens ad hoc ſpatium eis detur, ſicut a majoribus ſuis dabatur. Jonas Aurelianenſis *lib.* 1. *Inſtitut. Laicalium cap.* 11. *tomo* 1. *Spicil.* ait Sacerdotes tunc ſolitos fuiſſe Sacrificium Deo offerre in ædiculis extra templum ædificatis. (9) (9)

Variæ item Miſſæ privatæ denominationes a multiplici ratione deductæ.

(1) *Sive alia quacumque ex cauſa*) Præter indicatas ab Emin. multiplices Miſſæ privatæ nuncupationes ſequentes item adnumerari poſſunt, quas cum illis recenſet Card. Bellarminus Controv. Tom. 3. lib. 6. de Miſſa cap. 9. atque ut ex clarius exprimantur, his denuo adjungendæ erunt. Igitur primo Miſſa privata dici poteſt ratione loci, quæ enim celebrantur in privato aliquo ſacello, privatæ dicuntur comparatæ ad eas, quæ in publico templo, ſeu Eccleſia celebrantur; ſecundo dicitur privata a tempore, ut publica vocetur, quæ diebus feſtis, privata, quæ ferialibus celebratur; harum quoniam & a primis ſeculis uſus frequentiſſimus eſſe cœpit, ut toto hoc capite oſtenditur, atque XVIII., & XIX. ideo quotidianæ appellatæ ſunt, ſicque juge Sacrificium dictum Danielis 12. quia jugiter, & quotidie celebrari deberet, de facto juxta ejuſdem Prophetæ vaticinium quotidie in Eccleſia Catholica celebratur. Tertio Miſſa nuncupatur privata a fine, quia nimirum pro aliquo particulari homine, vel negotio celebretur, ut pro hoc, vel illo defuncto, pro iſta, vel illa ſpirituali, aut temporali indigentia, vel neceſſitate.

Ab loca,

Tempore,

Fine,

Et quidem, inquit laudatus Card. Bellarminus, ſi Miſſa uni ſoli applicaretur, excludendo omnes alios homines, tum vere privata dici poſſet, ſed talis nulla eſt, aut fuit in Eccleſia; omnis enim Miſſa offertur a miniſtro publico, & publico nomine pro tota Eccleſia, tum quæ in terris, tum quæ in Cœlis, vel in Purgatorio eſt, nam horum omnium in qualibet Miſſa ſua mentio habetur. Si autem Miſſa peculiariter uni applicetur, itaut non excludantur cæteri, tum privata Miſſa dici poterit, & erit, ſi comparetur ad alias, quæ nulli particulari applicantur, quales fiunt, quæ celebrantur in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & quæ aliis diebus per annum pro animabus Purgatorii, quæ paſſim pro omnibus, & ſingulis generatim applicantur.

A paucis aſſiſtentibus.

Quarto & privata Miſſa dici poteſt, in qua pauci ſunt, qui interſint, ita ut publica dicatur, quæ fit coram populo, qualis eſt Miſſa Parochialis dicta, vel Conventualis, quæ non celebratur, niſi populus adſit; privata autem, ad quam non expectatur populus, ſed pro arbitrio Sacerdotis habetur, ſive plures adſint, ſive pauci, aut unus tantum præter miniſtrum. Atque de his Miſſis privatis loquitur S. Gregorius Magnus lib. 4. Ep. 43. ad Caſtorium, de qua ſupra cap. præcedenti §. 3. ubi prohibet in Monaſteriis fieri Miſſas publicas; ne, ut ipſe dicit, in ſecreſſibus ſervorum Dei fiant conventus populares; ex quo colligitur Miſſas publicas vocari, quibus intereſt populi multitudo, & de conſequenti ab oppoſito privatas dici, quæ ſine populi concurſu intra Monaſteria, vel alibi in Eccleſiis celebrantur.

Quinto Miſſæ privatæ dici poſſunt, quæ dicuntur in eodem Templo, eodem die præter unam, nam una tantum ſolet eſſe Miſſa publica, & ſolemnis, quæ in ſummo Altari, ſeu primario celebratur, cæteræ, quæ dicuntur in minoribus altaribus eodem die, & privatæ appellari poſſunt, etſi multi interdum adſint audientes. Hujuſmodi fuere Miſſæ illæ, de quibus, ut indicat paulo infra Emin. noſter, refert Euſebius in Vita Conſtantini lib. 4. cap. 45. Epiſcopos ad Hieroſolymitani Templi Dedicationem invitatos incruentis Sacrificiis Deo oblatis diem feſtum, & per octo ſequentes celebraſſe; non enim credibile eſt, quotquot convenerant, omnes ad ejuſdem Templi Altare majus Sacrificium obtuliſſe: nam quamvis apud Orientales unicum in Eccleſia Altare habeatur, plura nihilominus ipſi Eccleſiæ proxima adhærent ſacella, ſive Oratoria, quæ *Pareccleſiæ* vocantur, quaſi Eccleſiarum appendices, in quibus pro feſtis diebus, ut notat Goarius ad Euchologium Græcorum pag. 16. Liturgias privatim agunt, de qua re infra §. 3. item dicetur, quin & in dicto Hieroſolymitano Templo S. Sepulcri Salvatoris, ſeu a Cyrillo *Martyrion* nuncupato, tria extitiſſe altaria, duo ſcilicet hinc inde ad Altare majus teſtatur Arculphus quidam Epiſcopus Gallus, qui ſeculo ſeptimo loca ſancta viſitit apud Adamnanum Hienſem Abbatem de Locis ſanctis lib. 1. cap. 2., & 13.

Ab Altari in quo celebretur.

Sexto denique, & ultimo Miſſa illa privata dicitur, in qua ſolus Sacerdos communicat, nec ullus fidelium cum eodem Sacramentaliter participat, ſive plures, ſive pauci, aut nullus præter miniſtrum adſit, ſive etiam in Eccleſia publica, aut in privato Oratorio celebretur. Quæ item, prout diſtinguitur a ſolemni, illa eſt, quæ ſine cantu, aut miniſtris aſſiſtentibus privatim, & peculiariter agitur, ac prout a publica ſecernitur, quæ abſque populi conventu fit, ſoluſque celebrans ut diximus, Sacramentaliter communicat. Et hæc ea eſt, quam totis viribus, ſed fruſtra impetunt, & convellere pertentant Hæretici Miſſoliturgi, quorum brevem Elenchum texuimus ſupra ad cap. 7. §. 2. nota 4. quibus & addendi Brentius in Confeſſione Wirtembergenſi cap. de Euchariſtia. Kemnitius in ſecunda parte Exam. Concilii Trident. pag. 858., & ſuperioribus annis Innocentius Gentiletus ejuſdem pariter argumenti lib. 4. ubi totus

Denique a ſolo Sacerdote communicante.

totus contra dicti Concilii Canonem tertium sess. 22. de Sacrificio Missæ Calvinista protervus invehitur, incredibili temeritate affirmare ausus, *Missæ nomine cultum divinum olim significatum, sed Theologiam posteriorum seculorum natam, & enutritam in Logicorum Scholis hoc Missæ nomine retento rem aliam longe diversam ejus significatione complexam esse, voluisse enim Missam esse actionem, qua Sacerdos ipsum Corpus Domini Nostri Jesu Christi sacrificet, immolet que Deo Patri ad viventium, & mortuorum propitiationem.*

Novi hujus Impostoris audaciam invicte fregit Natalis Alexander Hist. Eccl. sec. XIII. & XIV. tota Dissert. 13., & sec. XV., ac XVI. Dissert. 12. art. 12. num. 5. Nostram privatam que item cum Liturgico nostro Scriptore supra toto cap. 4. præsertim §. 4. ubi quamplurimis SS. Patrum Ecclesiæ primitivæ testimoniis, antiquissimis diverfarum gentium Liturgiis a cap. 8. usque ad 12., aliisque toto in hoc opere veterum exemplis mendacissimum illum, ejusque hæreticæ hujusmodi pravitatis confortes eadem effutientes ad evidentiam ostendimus, ac Missam sive publice, sive privatim, communicante, vel non communicante aliquo præter Sacerdotem celebratam, non aliam ex Theologia posteriorum seculorum significationem habuisse, & habere, nisi quam juxta Christi institutionem ab Apostolis traditam, a primis Patribus, eorumque successoribus, prisciscque Fidei Christianæ cultoribus usurpatam, & huc usque in seculum ad Petri Cathedram: *Et Ecclesiam principalem*, quam sic vocat Cyprianus Romanam Epist. 3. quamque ante ipsum Tertullianus de Præscript. cap. 36. felicem nuncupat, *cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt*. Fideliter custoditam inde Catholica ubique recepit Ecclesia, tenuitque semper, & tenet, eam scilicet sacram Liturgicam actionem, non recenter inventam, ut nobis Gentilctus obtrudit, sed ab initio sancte obfervatam, qua Sacerdos ipsum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum sub speciebus panis, & vini, quæ in verum ejus Corpus & Sanguinem transubstantiantur, incruento Sacrificio immolat Deo Patri in ejus honorem, ad viventium, & mortuorum salutem, & propitiationem manifestissime comprobamus, atque toto hoc capite speciatim quoad Missam privatam, sive quotidianam vulgo dictam, quæ licet multiplici, ut vidimus, nomine juxta qualitatem loci, diei, temporis, aut finis nuncupetur, re tamen, & substantia tam quoad essentiam, & integritatem Sacrificii, aut Sacramenti eadem prorsus est, ac Missa quæcumque alia solemnis, aut publica, a qua non distinguitur, nisi quoad accidentalia exterioris cultus, apparatus, Ministrorum, aut populi assistentiam, & alia ejusmodi, quæ ad majorem, vel minorem tantum pertinent solemnitatem; utrobique enim sive publice, sive privatim Sacrificium celebretur, idem Christus Dominus sub iisdem panis, & vini speciebus, iisdemque consecratoriis actionibus, & verbis immolatur.

Hinc sacrosanctum Tridentinum Concilium sess. 22. cap. 6., & ex eodem Catechismus Romanus parte 2. cap. 4. de Sacrif. Missæ nu. 80. docent, quod nulla Missa ex communi usu Ecclesiæ celebrata dicenda est privata, omnes enim Missæ communes censendæ sunt, ut quæ ad communem omnium Fidelium utilitatem, & salutem pertinent; partim quod omnes a publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus Fidelibus, qui ad Christi corpus pertinent, celebrantur; partim quod in omnibus communicare possint Fideles, saltem spiritualiter; partim, quod omnes fiant in gratiarum actionem de morte Christi pro nobis, atque in ejus passionis commemorationem, quæ utique communes sunt beneficium; usus tamen communis invaluit, ut Missæ, quæ absque solemniori ritu, Ministrorum assistentia, aut publico conventu fiunt, privatæ, seu peculiares dicantur, ut liquet ex *Cap. & hoc attendendum de Consecr. Dist. 1.* illæ item, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, de quibus omnibus, & his speciatim loquitur Tridentina Synodus loco citato, & Can. 8., quæ non ut illicitas, & abrogandas damnat, aut reprobat, sed adeo commendat, & laudat, ut contrarium sentientibus hæreticis Anathema dicat; & jure quidem: Missæ enim celebratio potissimum fit ad sacrificium Deo offerendum, cumque hoc liturgico cultu, ac ritu laudandum, & honorandum, simulque populo propitiandum; non autem necessario ad eumdem populum Sacramento reficiendum; quare etiamsi præter Celebrantem nemo alius communicet, non propterea frustratur Sacrificium, quia semper finis principaliter intentus in eodem sacrificio, quod offertur, obtinetur, ut alibi fusius contra Binghamum, aliosque sectarios demonstravimus. Porro de Missa privata videndi Martene de Antiquit. Monach. Rit. cap. 6., & Andr. Bocquillot Tract. Hist. de Liturgia lib. 2. cap. 7. & 8., ubi de eadem erudite differit.

(2) *Etiamsi vel tres soli præsentes sint*) Tertulliano synchronus succinit S. Hippolytus Portuensis Episc. & martyr, ac de Missa quotidiana testimonium nobis exhibet in Oratione de Consummatione Mundi, seu de Antichristo in Bibliotheca PP. Lugdun. Tom. XXVII. ibi enim inducit Christum Dominum ita loquentem: *Venite Pontifices, & Sacerdotes, qui pretiosum corpus & sanguinem meum quotidie immolastis*: quin & ante ipsos S. Irenæus Episc. Lugdunensis, & Martyr quotidianas Eucharistici Sacrificii oblationes suo tempore factas memorat lib. 4. adv. hær. cap. 34. atque adjungit: *Sic & ideo nos quoque offerre Dominus vult munus ad Altare frequenter sine intermissione*: Hic ufus postea quotidianæ Missæ in dicta Ecclesia Africana longo post tempore invaluit nedum apud Catholicos, sed & apud Donatistas, uti testatur Optatus Milevitanus de Schism. Donat. lib. 2. num. 12. his verbis eos alloquens: *quotidie a vobis Sacrificia conficiuntur*: S. Augustinus de S. Monica matre sua testatur Epist. 54. ad Januarium, quod incruento Sacrificio quotidie assistebat, idem Confess. lib. 9. cap. 1. & 2. loquens de Sacramento Altaris illud appellat Sacrificium quotidianum Ecclesiæ: *Cujus, vei,*

Quam Miss. privatam sic dictam frustra impetunt Sectarii Missiturgi.

Nom nulla Missa ex communi usu Ecclesiæ celebrata dicenda est privata, cum omnes ad communem Fidelium utilitatem, & salutem pertinent.

Veterum Testimonia de Missa privata sive quotidie celebrata.

rei, inquit, *Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium*: quod etiam confirmat lib. 10. de Civit. Dei cap. 20. clarissime autem Epist. 23. ad Bonifacium, inquit, *Nonne semel immolatus est Christus in se ipso? & tamen in Sacramento non solum per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur.*

Tum in Ecclesia Occidentali.

Neque in Africa tantum, sed Romæ, ac in Hispaniæ Ecclesiis idem suo tempore usitatum fatetur S. Hieronymus Epist. 28. ad Lucinium Bœticum, & Apol. adv. Jovin. *de Eucharistia*, ait, *an accipienda quotidie, quod Romanæ Ecclesiæ, & Hispaniæ observare perhibentur*: Idem Sanctus Doctor Comment. ad cap. 1. Epist. ad Titum: *Si laicis*, inquit, *imperatur'.... quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?* S. Ambrosius se quotidie celebrasse fidem facit pluribus in locis, & primo lib. 2. Epist 14. ad Marcellinam sororem: *Vos quoque ipsos* (inquit loquens de Justina Imperatrice Ariana, quæ eum exagitabat) *mihi bonos filios gestiebat eripere, pro quibus ego quotidie instauro Sacrificium:* & in Comment. super Epist. ad Hæbreos ait: *Nonne per singulos dies offerimus?* Eadem pene verba habet Chrysostomus ad eamdem Epistolam; item Serm. 34. in Quadragesi. S. Ambrosius præfatus; *Moneo etiam*, inquit, *ut qui juxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam*; & paulo post: *In Quadragesima* vero moneo, ut die omni aut saltem, ut dixi, omni Dominica offeratis, & communicetis. Hanc autem ab initio fuisse Ecclesiæ, præcipue Romanæ, & ex ipsa in alias derivatam antiquissimam traditionem satis superque testantur acta SS. Martyrum Alexandri Papæ, Eventii, ac Theoduli Presbyterorum apud Surium ad diem 3. Maii; cum enim prædicti Martyres felici agone consummati fuissent, Severina matrona Romana ad Nomentanam viam eorum corpora sepelivit, & mox S. Sixtus Papa I. circa annum 131. piis ejusdem religiosæ mulieris precibus permotus peculiari Sacerdotem titulo instituit, qui sacra quotidie eo loco mysteria perageret. Hæc autem in iis Actis leguntur: *A quo*, idest a Sixto Papa, *Severina impetravit, ut in eodem loco rei suæ ordinaretur Episcopus, qui omni die, quæ sunt Sancta Martyribus celebraret; ideoque locus ipse habet proprium Sacerdotem usque in hodiernum diem.*

Tum etiam in Orientali.

Quod in Ecclesia Occidentali observatum, ut vidimus, idem etiam in Orientali demonstratur. De Sancto Joanne Chrysostomo jam dictum est, S. Basilius Epist. 289. Domnæ Cæsariæ inscripta, ubi de frequenti communione, statim declarat bonum, atque utile esse singulis diebus communicare, & asserit in Ecclesia sua Cæsarænsi quater per septimanam sacra mysteria celebrari, atque etiam aliis diebus, si cujusdam Martyris memoria celebretur. Item de ipso Basilio scribit S. Amphilochius in ejus vita cap. 6. (Sive alius ejusdem Scriptor, ut Criticis placet) quotidie Sacrum celebrasse. Legitur item in Vita S. Euthymii, qui anno 408. in solitudinem secessit, a Cyrillo Scythopolitano conscripta apud Cotelerium Monumen. Eccles. Græcæ Tom. 2. num. 45. in quadam ejusdem Sancti Laura sacra mysteria quotidie peracta fuisse. Hæc uberius addidisse visum est, ut Hæreticis, qui Missæ privatæ usum antiquitus fuisse pertinaciter negant, temeraria tandem convellatur audacia. Sed & de hac re iterum infra num. 5. & cap. 18. num. 4.

(3) *Et cessavit vexatio*) Celebre est, ac notissimum Theodoreti testimonium de eadem re in Religiosa Historia SS. PP. cap. 20. ubi se Sacrificium obtulisse in parva domuncula cujusdam Sancti Anachoretæ nomine Maris his verbis narrat: *Cum longo tempore desiderasset* (Sanctus ille) *videre offerri spiritale, & mysticum Sacrificium, rogavit, ut Divini doni illic fieret oblatio; ego vero libenter parui, & jussi sacra vasa afferri, pagus enim non longe aberat, & pro Altari usus Diaconorum manibus, mysticum, divinum, & salutare obtuli Sacrificium. Ille autem omni spirituali implebatur voluptate, & existimabat se ipsum Cælum videre.*

(4) *Plures ejusdem Ecclesiæ Calices tradidisse*) Erant hi Calices *duo aurei, & sex argentei*, item urceola *sex argentea*, aliaque plura hujusmodi sacra vasa, uti ex actis relatis a Steph. Baluzio Miscellan. Tom. 2. pag. 93. qui profecto Calices octo numero descripti, unique tantum Ecclesiæ assignati, ac cætera vasa ibi adnotata satis superque indicant, non solum in Missa solemni, sed & privatis in eadem Ecclesia celebrandis, jam ab ineunte seculo quarto, anno scilicet 320. sacro usui destinatos fuisse; quod & alibi longe antea observatum non minimum argumentum est.

(5) *Suo tempore fieri solitam affirmat*) Item Hom. II. ad pop. Antioch., ubi idem repetit. Vide mox dicta nota 1. hujus capitis, atque etiam seq.

Alia item exempla Missæ privatæ in Ecclesia Occidentali.

(6) *In Episcopii oratorio Missas feciſſe*) Idem, & fusius recitat lib. 4. Dialog. cap. 56. Floruit S. Cassius Narniensis Episcopus sub Totila Gothorum Rege sexto seculo ineunte, an idcirco quod quotidianas hostias offerebat Sanctus Præsul, ipsum quotidie solemniter celebrasse, & quidem morti proximum extra Cathedralem Ecclesiam in Episcopii Oratorio, dicendum erit? absit, non enim publice, sed private sacrificasse ex hoc ipso textu Gregorii manifestum est; quod & ulterius comprobatur ex paulo ante laudata Gregorii Epistola ad Joannem Episc. Syracusanum, in qua nedum mandat, ut Missas agi permittat in domo Venantii Patritii, verum etiam hortatur, ut ipse ibi ad celebrandum accedat in signum mutuæ reconciliationis: *Et in domo ipsius* (verba Gregorii sunt) *Missarum peragi mysteria permittatis, aut sicut scripsimus, si forte voluerit, per vos debeatis accedere, & celebrando apud eum Missas priorem gratiam reformare.* An ibi in domo privata extra propriam Ecclesiam Cathedralem, Missam cum cantu, Ministris, & populo solemniter celebrabat Joannes Episcopus?

Et quidem celebrare tunc tantum Ministro assistente, ac in Oratorio privato, illique soli.

(7) *Nam Missas poteram mihimet facere in Episcopio*) Quod clarius Missæ privatæ exemplum desiderari potest? Lege Rosuveydum in Vitis Patrum pag. 178., & Bollandum ad diem 23. Januarii. Neque populo præsente hujusmodi Missas privatas celebrabat, etenim idem

Idem Leontius ejus vitæ ſcriptor interprete Anaſtaſio Bibliothecario cap. 12. num. 73. apud Bollandum, & 38. apud Roſuvcydum, expreſſe ait: *Et facit Miſſas in Oratorio ſuo nullum habens, niſi Miniſtrum ſuum*: Eadem & ipſa Miſſa eſt, quam nos privatam dicimus, quæ ſcilicet uno ſaltem præſente, & miniſtrante celebratur. Quis autem credat Joannem Sanctiſſimum Patriarcham Alexandrinum virum toto orbe charitate, & pietate conſpicuum in primaria Orientis Eccleſia id contra Patrum ſtatuta, contra veterum Prædeceſſorum ſuorum conſuetudinem, & præxim ab iis unanimi conſenſu in univerſali Eccleſia receptam, uti Sectarii Miſoliturgi hujuſmodi Miſſam privatam eſſe nequiter contendunt, quod non fuiſſet in uſu ſemper, & antiquitus obſervatum, ſuoque populo notiſſimum, peregiſſe? Qui ſic abſurda, & veritati contraria ſentiret, aut Leontium de eo falſa ſcripſiſſe dicet, aut ipſum Joannem novitatis accuſabit, quod utrumque alteri injurioſum opinari, viri procul dubio inſipientis eſt. Quod autem is Miſſæ privatæ uſus ubique receptus fuerit, & in Eccleſia conſuetus, conſtat ex Sacramentario Gallicano apud Mabillonium Tom. 1. Muſæi Ital. pag. 364., ubi habetur Oratio dicenda in Miſſa, quæ celebratur *in domo cujuslibet*. A primis itaque ſeculis ſemper viguit in Eccleſia privatæ Miſſæ uſus, uno ſaltem præſente, & miniſtrante, quidquid oblatrent Hæretici, qui laudabilem hanc conſuetudinem aliquando prohibitam fuiſſe temere contendunt, ſed non evincent, uti clarius item demonſtrabitur.

(8) *Et Caroli Magni, qui tunc vivebant*) Ludovicus item Imperator anno 871. uti legitur in ejus privilegio Monaſterio Piſcarienſi conceſſo apud Dacherium Tom. 5. Spicil. pag. 385. jubet quotidie tres Miſſas pro ſe celebrari. Plura hac de re exempla ſunt, quorum bene multa videre eſt apud Mabillonium Præf. 1. in ſæc. 3. Bened. num. 100. Obſer. 26. & 27.

Eædem quotidie celebratæ a pii, ſanctiſque viris ſeculo ſeptimo.

(9) *Sacrificium Deo offerre in Ædiculis &c.*) Supradictis hæc ſequentia addi poſſunt, quibus uberius comprobatur ſeculo præſertim ſeptimo vios pios rem ſacram quotidie frequentaſſe. S. Goar Anachoreta, *habuit conſuetudinem omni die, excepta Paraſceve, Miſſarum ſolemnia celebrare*: uti ejus vitæ Scriptor apud Surium Tom. 4. ad diem 6. Julii. S. Hermenlandus Abbas Autrenſis apud Mabillonium ſec. 3. Benedic. parte 1. pag. 386. *devotus Deo oblationem ſtudioſe quotidie offerebat.* S. Geremarus Abbas Flaviacenſis *ſallus Sacerdos offerebat Sacrificium per ſingulos dies*: uti ex ejus vita ſæc. 11. Benedict. pag. 480. Ven. Beda lib. 2. Hiſt. Abbatum ſui Monaſterii idem affirmat de Ceolfrido Abbate, qui Romam pergens, *ex die, quo de Monaſterio ſuo profectus abiit, uſque ad diem, quo defunctus eſt, quotidie Miſſa cantata ſalutaris hoſtiæ Deo munus offerebat*; hoc tamen loco animadvertendum cum Mabillonio Præf. in ſæc. 2. Bened. num. 36. Obſerv. 1., quod *Miſſa cantata*, non eſt certa ac modulata voce prolata, uti modo uſurpatur, & in Miſſa ſolemni fit, ſed recitata, aut lecta, ut vulgo dicitur, in Miſſa privata, cujus ſignificationis plura idem Mabillonius ibi profert teſtimonia; & ſane Ceolfridus hujuſmodi longum iter agens non videtur quotidie, & ubique Miſſam ſolemniter cum cantu celebrare potuiſſe. Hinc & eodem ſenſu Licinius ſeculi ſeptimi initio Andegavenſis Epiſcopus, *quotidie Miſſam cum ingenti cordis compunctione cantaſſe*, fertur, uti in ejus vita apud Bollandum ad diem 13. Februarii cap. 12. circa finem. Vide quæ ſupra dicta ſunt cap. 2. §. 6. nota 3., & cap. 23. §. 5. nota 5.

Miſſa cantata eadem olim ac recitata, ſeu lecta.

Præterea S. Bertilla, quæ poſt medium ſeculum VII. Kalenſe Virginum Monaſterium regebat, *quotidie pro ſalvatione animarum Fidelium, & veſto ſtatu Eccleſiæ Dei Domino hoſtias ſacras ſuos jubebat offerre Sacerdotes*, ut diſcimus ex Anonymo ejus Vitæ Scriptore Act. Ord. S. Benedicti ſæc. 3. parte 1. pag. 24. S. Serenicus, qui medio item dicto ſeculo VII. florebat *humilitatis gratia Sacerdotalem gradum ſuſcipere renuebat . . . . . Singulos enim dies ſacris Altaribus, Sacerdotique miniſtrando adſtans oblationes Deo peſtore caſto, menteque devota offerre ſtudebat*. Sæc. VIII. in Kitzingo Monaſterio *Virginibus Chriſti quotidie Miſſas celebravit* earum Capellanus, & Fundator, ut ſcribit Anonymus in vita S. Hadelogæ num. 5. apud Bollandum ad diem 2. Februarii. Extat inſuper Statutum Synodi Ticinenſis anno 855. quo cap. 2. decernitur, *ut non tantum Dominicis diebus, & præcipuis feſtivitatibus Epiſcopi Miſſas celebrent, ſed cum poſſibile fuerit, quotidiana quoque ſacrificia frequentent*: De hac Synodo vide Labbeum Tom. 8. Concil. pag. 78., & explicatius pag. 146. Idem quoque eo tempore in Gallia obtinuiſſe colligitur ex Riculphi Sveſſionenſis Epiſc. cap. 3. ſuæ Conſtitut. Concil. Tom. 9. pag. 416. & inter Hincmari Opuſcula a Corderio edita pag. 685., ubi ita Presbyteros alloquitur: *Habete, quæſumus, ſtudium in Pſalmos cantando &c. Miſſarum quoque quotidiana celebratione*. Plura alia veterum hac de re exempla profert Martene de antiquis Monachorum Ritibus lib. 2. cap. 6. ſed hæc abunde ſufficiant.

§. II.

Idem variis argumentis oſtenditur.

NUllus erit finis, ſi paginas implere voluero Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimoniis aſſerentium Miſſas privatas ſeculo nono, decimo, & ſequentibus in uſu fuiſſe; ſed & ſuperfluum eſt, nam ipſimet Sectarii hoc fatentur, qui privata ſacrificia ſine frequentia, & communione veteri

Eccleſiæ ignota fuiſſe procaciter affirmant, cœpiſſe autem dicunt octavo, ſeu nono ſeculo Æræ Chriſtianæ. (1) Horum pervicacia ut fortius reprimatur, alia quædam argumenta & indicia præterire non poſſum, quibus privatæ Miſſæ antiquitas uberius confirmetur. Et primum quidem argumentum deſumitur ex Miſſis, quæ quotidie in honorem Sanctorum fieri conſueverunt: cujus moris Gregorius Papa teſtis irrefragabilis eſt *lib.* 7. *Epiſt.* 29. *Indict.* 1. ad Eulogium Alexandrinum, *Nos*, inquit, *pene omnium Martyrum, diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus, collecta in uno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolemnia agimus*. Ideo antiquis Calendariis pauca Sanctorum nomina inſcripta legimus, illorum ſcilicet, quorum dies Natalis feſtivo populi concurſu, & ſolemni Sacrificio colebatur, & hi olim exiguo numero continebantur. De cæteris Miſſæ privatæ diebus ſingulis agebantur, tametſi Calendario non eſſent adſcripti. Alterum indicium ſuppeditant Miſſæ pro defunctis, (2) quæ particulariter, & privatim quotidie agebantur. Nam Concilium Vaſionenſe II. actum anno 529: ut peritiores Chronologi oſtendunt, licet cum primo in vulgatis editionibus confundatur, Miſſas Defunctorum a Miſſis publicis diſtinguit, ſtatuens cap. 3. ut in Miſſis, quæ fiunt in defunctorum commemorationibus, ſemper *Sanctus* dicatur, eo ordine quo dicitur ad Miſſas publicas. Et Amalarius *lib.* 4. *cap.* 42. loca quædam fuiſſe teſtatur, in quibus quotidie Miſſa pro defunctis celebrabatur. Tertium ex multitudine Sacerdotum deduci poteſt, qui quotidie ſacris operari ſolebant. Erant autem multi in eadem Eccleſia, & Cornelius Papa apud Euſebium *lib.* 6. *Hiſt. cap.* 43. ſcribens ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, quadraginta quatuor (3) tunc Romæ fuiſſe aſſerit, quos ſpecialibus Eccleſiis addictos fuiſſe non conſtat; (4) neque enim ſcimus an tot fuerint ſub Cornelio in Urbe tituli, ſive Baſilicæ. Quidam etiam, ſaltem ante Concilium Chalcedonenſe, a quo id prohibitum eſt, ſacerdotio initiabantur, nec ulli certæ Eccleſiæ alligabantur, ſicut de ſe ipſo S. Paulinus Ep. 6. ad Severum ſcribit, *Ea conditione in Barcinonenſi Eccleſia conſecrari adductus ſum, ut ipſi Eccleſiæ non alligarer, in ſacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Eccleſiæ dedicatus*. Eadem libertate S. Hieronymus a Paulino Epiſcopo Antiocheno, ut ipſe inquit, *Epiſt.* 61. *cap.* 16. Presbyter ordinatus fuit. Eodem modo Flavianus Macedonium Anachoretam ordinavit, quem laudat in Hiſtoria Monaſtica *cap.* 13. Theodoretus. Et hos tamen ſæpius celebraſſe nemo dubitabit; ſed privatim, quia titulo & Eccleſia carebant. (5)

Argumenta, & indicia, quibus Miſſæ privatæ antiquitas comprobatur.

(1) (2) (3) (4) (5)

Reſpondetur. Hæreticorum argumentis contra Miſſam privatam.

(1) *Cæpiſſe autem dicunt octavo, ſeu nono ſeculo &c.*) Hos inter Philippus Melanchthon, qui, ut Satanici Magiſtri ſui Lutheri ſententiam de abroganda Miſſa tueretur, in Apolog. Confeſſ. Auguſt. nequiſſime tamquam ex tripode pronunciat ante Gregorii tempora nullam fieri Miſſarum privatarum mentionem; at quam apertiſſime mentiatur Impoſtor iſte, per ſe manifeſte patet; nam ſi apud Gregorium lib. 4. Ep. 43. ad Callorium, de qua ſupra Emin. Author cap. præcedenti §. 3. privatæ Miſſæ cenſentur, quæ celebrantur abſque populi conventu, profecto ante ipſum Gregorium privatæ Miſſæ erant, nec ſolemnes, aut publicæ, quæ a Gregorii Nazianzeni Patre in cubiculo ſuo, ab Auguſtini Presbytero in domo ruſtica, ab Ambroſio Romæ apud quamdam Matronam Romanam, a Theodoreto in cellula S. Maris Anachoretæ, aliiſque celebratæ ſunt in locis a vulgi concurſu remotis. Kemnitius item alter impius ſcurra in 2. parte Exam. pag. 862., ubi ait in veteri Eccleſia prohibitas fuiſſe Miſſas privatas, in quibus ſolus Sacerdos communicat. His accenſendus Andreas Rivetus heterodoxorum Criticorum maledicentiſſimus, qui Miſſas privatas velut a priorum ſeculorum uſu alienas, & corruptelas poſteriorum temporum impie vocat, quibus adjungendi Jacobus, & Samuel Baſnagii, Joſeph Binghamus, aliique iſtorum aſſeclæ, & apud Catholicos damnati numinis Scriptores idem effutientes. Quomodo autem, & qua fronte id audeant aſſerere, Miſſas nempe hujuſmodi privatas olim vetitas fuiſſe, a veteris Eccleſiæ uſu alienas, ac ſequioris ævi corruptelas eſſe, judicent ſi qui ſunt inter ipſus veritatis amatores; quod enim a tot piis, ſanctiſque viris, tot Præſulibus doctrina, ac religione conſpicuis, olim ſemper, & ubique tam in Occidentali,

Nam quod antiquitus ubique semper, & ab omnibus in usu fuit recens inventum affirmare nonnisi insolentissimæ impudentiæ est.

dentali, quam Orientali Ecclesia, ut vidimus, factitatum legitur, tot insignium Patrum proprio exemplo, atque etiam miraculorum accessione firmatum luculenter evincitur, licitum negare, prohibitum afferere, atque a priorum seculorum usu, & consuetudine alienum, recentiorum proinde temporum inventum proclamare, id nonnisi insolentissimæ temeritatis, & effrontis nequitiæ esse, ac hæreticorum proprium, vel infimus de plebe, simplexque idiota denuntiet; quod enim ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc vere, propriequæ Catholicum est, ait Vincentius Lirinensis in Commonit. cap. 3. quare cum Athanasio lib. de Decretis Nicænæ Synodi adv. Eusebium concludimus contra prædictos Sectarios Missam privatam impugnantes: *Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus; vos autem o novi Judæi, & Caiphæ filii, quos tandem nominum vestrorum* (vestræ scilicet sententiæ) *pateſſis ostendere progenitores?*

Neminem itaque sanæ mentis Christianum a Catholica fide, qua, nedum ratione, sed & veterum traditione tot Sanctorum exemplis supra allatis, & infra adducendis comprobata certo certius constat Missarum privatarum usum in Ecclesia semper fuisse, dictorum Nebulonum commenta movere poterunt; numquam enim vel minimum credibile cuiquam redditur, si novum esset hoc dogma, sicut obganniunt Hæretici, fuisse in universam Ecclesiam introductum nullis contradicentibus Episcopis sive Græcis, sive Latinis, nullis reclamantibus Ecclesiasticis Ministris, Doctoribus, Clericis, Monachis, & Theologis, sed omnibus alto somno oppressis, & in utramque aurem dormientibus invectum, & usurpatum; Incredibile pariter est, neque alicui, nisi stulto, persuasum hanc Catholicam doctrinam de Missæ privatæ usu, & consuetudine sic ubique gentium accepta potuisse umquam Græcis post Schisma Photii probari, si revera quid adiventum esset, atque a Latinis procusum, nec ab antiquis observatum; eam autem ipsis Schismaticis probatam fuisse satis clare evincitur, quod nihil hanc desuper Michael Cerularius, aliique Græci Latinis objecerint, uti inter eorum in Latinam Ecclesiam criminationes, quas omnes recitat Natalis Alexander Hist. Eccl. Sec. XI, & XII. cap. 4. art. 3. videre est.

Huic argumento ex universali Ecclesiarum omnium consensione petito, quod Hæreticorum jugulum intime ferit, aliud addere non pigeat, quod ipsorum hac in re maxime pervicaciam, & malitiam apertissime prodit. At quidem moderni Novatores Joannem Hussum pertinacissimum Hæresiarcham seculi XV. justo judicio a generali Constantiensi Concilio degradatum, & Curiæ seculari traditum, atque ab hac vivicomburio damnatum impense laudant, eumque impie, ceu Martyrem magnis prosequuntur encomiis: & tamen ipsum ad extremam usque vitæ periodum Missam etiam privatam celebrasse, eamque verum, ac proprie dictum, novæ Legis Sacrificium firmiter credidisse, ac in nullo dogmate, præterquam in articulo de communione sub utraque specie Laicis (ut idem in suo errore persistens afferebat) tribucenda, ab Ecclesia Romana dissensisse, quoad hoc non satis æquo judicio affirmat alias doctissimus Jacobus Benignus Bossuet Episcopus Meldensis in lib. XI. suæ Historiæ Variationum Ecclesiarum Protestantium, quod & fatetur, multisque argumentis probare nititur Larroquius Calvinianæ Sectæ Minister in Historia, quam de Eucharistia scripsit parte 2. cap. 19. Vide etiam Gasparem Ivenin de Sacram. Differt. 5. quæst. 1. cap. 1. num. 2., ac P. Hiacynthum Amat de Graveson Hist. Eccl. Tom. 6. Colloq. 6., & edit. Venetæ pag. 180. Cæterum quod in nullo alio dogmate, præterquam in dicto articulo erraverit Joannes Hus, hoc ipsis evincendum, in aliis enim ipsum errasse, & Wiccleffi erroribus adhæsisse, ex ipsius scriptis, & ex Concilio Constantiensi sess. XV. aliisque documentis luculenter ostendit Natalis Alexander Hist. Eccl. Sec. XV. & XVI. cap. 2. §. 2. & seqq.

Vel ipse hæresiarcha Joannes Hus, Missam non abhorruit, sed eam, quamvis excommunicatus, celebrare voluit.

Quod vero dictus Hæresiarcha Missam usque ad vitæ finem, licet excommunicatus, celebraverit, testatur Ulricus Reinchetal Civis Constantiensis in Historia dicti Concilii, quam Teutonico idiomate scripsit his verbis latine redditis: *Joannes Hus sæpe in hospitio suo celebrando Missam accurrente ad eam populo; quod ubi per Episcopum Constantiensem velut Ordinarium loci, et tamquam excommunicato inhiberetur, ipse vero nihilominus celebraret; Episcopus &c.* Id ipsum scribit Plebanus de Innovvitk Hæresiarchæ Hus connubernalis Epist. IV. inter Hussiticas data Constantiæ, ubi inter cætera hæc habet: *Liberi fumus omnino in Constantia, & Magister* (scilicet Joannes Hus) *quotidie Divina peragit, & in tota via peregit hucusque:* Hoc non obstante Hæretici hujus seculi, qui licet Missam, ceu Ritum superstitiosum, & Idolatricum aversentur, ac summopere detestentur, nihilo secius summis laudibus efferunt, & tamquam Martyrem habent Joannem Hus, qui usque in vitæ finem, etsi excommunicatus, Missam celebrare voluit. Lutherus ipse, qui sic impie, ut supra vidimus capite præcedenti §. 4. nota 2. de Missa blasphemat, in scripto, quod in fine Litterarum Joannis Hus anno 1537. editarum legitur, eumdem Bohemiæ seductorem *magnis, & excellentibus Spiritus Sancti donis ornatum* prædicat, *eumque magnanimum, & fortem Christi Martyrem* appellat.

Et nihilominus illum nostri temporis Sectarii summis laudibus efferunt, & tamquam Martyrem habent.

Qua igitur fronte audent maligni nostrorum tempuum Impostores, & Catholicæ fidei Hostes privatam Missæ celebrationem explodere tamquam a Romana Ecclesia recenter excogitatam, tamquam *horribile sacrilegium, & Papisticum Commentum*, ut ii nequiter volunt; cum ipsimet dictum Joannem Hussium hujus licet ejusdem Sacrificii assertorem, velut Martyrem prædicent, atque in suo Pseudo-martyrologio nuper apud ipsos impresso primum locum tribuant? „ Qua fide, (inquit Natalis Alexander Hist. Eccl. sec. XV., & XVI. cap. 2. art. 1. §. 2. nu. XIII.) „ suarum falsi nominis Ecclesiarum origines, „ aut successionem a Joanne Hus, & Hie-

„ ronymo Pragenſi Bohemis deducant, qui-
„ buſcum in præcipuis fidei ſuæ dogmatibus
„ non conſentiunt; quomodo illos prò Hæ-
„ reticis habendos eſſe negant, & Chriſtia-
„ nam doctrinam ſcriptis aſſeruiſſe ajunt: &
„ hanc ipſam doctrinam ab illis aſſertam, in
„ Eccleſia Romana damnant, ab ejuſque
„ communione propter hæc ipſa capita di-
„ ſceſſerunt, quæ Joannes Hus, quem Chri-
„ ſti Martyrem, & donis Spiritus Sancti ple-
„ num appellare non verentur, propugna-
vit? Hæc ille ad hominem. Fateantur ita-
que, velint, nolint, ſe graviſſime in Spiritum
Sanctum peccare, dum veritatem hanc, & a
ſuis agnitam, ac propugnatam impugnant.
At eamdem ab ipſis repulſam uberius vindi-
cabimus in Diſſertationibus, prima de Au-
guſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & quinta
de Miſſis privatis nomine præter Sacerdotem
communicante contra Binghamum, alioſque
Proteſtantes; nunc ad alia procedamus.

Miſſæ pro defunctis partim exclusive celebrate Miſſam privatam indicant.

(2) *Suppelitant Miſſæ pro Defunctis*) De hujuſmodi Miſſis pro Defunctis vide infra cap. ſeq. num. 4. „ Et quidem hæc eſt analogia fidei (inquit Chriſtophorus Ranzovius Eques Holſatus in Epiſtola ad Georgium Calixtum Profeſſorem Helmſtedenſem, qua ſui ad Eccleſiam Catholicam Romanam acceſſus rationes exponit pag. 33.) & ſenſus „ perpetuus univerſæ Eccleſiæ in precibus, „ & oblationibus increuenti Sacrificii pro Defunctis offerendis, quod & ipſe aliquoties „ te affirmantem audivi: Ita his verbis ipſum hæreticum interpellat, quem vel invitum id faſtum fuiſſe affirmat: „ hæc autem „ (profequitur) vana, & irrita eſſent, niſi „ animas tali in ſtatu, & loco commorari credidiſſet antiquitas, ubi Eccleſiæ ſuffragiis ſublevari poſſent: Ita Ranzovius. At de hac Catholica traditione fuſius infra loco citato.

Eadem item deducitur ex multitudine Sacerdotum, qui quotidie facris operabi folebant.

(3) *Quadraginta quatuor tunc Romæ &c.*) Legendum quadraginta ſex; in latinam enim Valeſii interpretationem, qua forte uſus Emin. Author, quatuor, & quadraginta mera oſcitantia irrepſiſſe certo argumento eſt iſta illius in hæc verba adnotatio: ex hoc loco, inquit, colligi poteſt quot Baſilicas tunc Romæ habuerint Chriſtiani, cum enim ſinguli ſuas regerent Baſilicas, ſi 46. fuerint Presbyteri, totidem Baſilicas fuiſſe ex ipſius ſenſu dicendum eſt, uti notat Petrus Couſtantius in Ep. Summorum Pontificum Tom. 1. pag. 150.

Quæſtio ſpecialibus Eccleſiis addictos fuiſſe non conſtat.

(4) *Quos ſpecialibus Eccleſiis addictos fuiſſe non conſtat*) Siquidem Euſebius id expreſſe non indicat, licet aliter ſentiant Valeſius, ut diximus, ac Mabillonius Præf. 1. in ſec. 3. Bened. num. 77. qui poſtea Comment. in Ord. Rom. num. XIII., ut videbimus, ſententiam mutans nobiſcum convenit, & quamvis Optatus Milevit. lib. 2. de Schiſm. Donat. aſſerat Romæ quadraginta, & amplius Baſilicas fuiſſe, loquitur ille de tempore Diocletianeæ perſecutionis, ideſt annis circiter 50. poſt datam Epiſtolam Cornelii, & quemadmodum Euſebius Presbyteros, ita iſte Baſilicas tantum connotat, ex quo certe inferri non ſequitur, quot Baſilicæ, tot Presbyteri, ſeu quot Presbyteri, tot Baſilicæ, id namque incompertum eſſe videtur, quinimmo contrarium potius deprehenditur, & noſtra confirmatur opinio ex iis, quæ ſcribunt Cardinales Bellarminus de Clericis lib. 1. cap. 16. Controv. Tom. 1. pag. 199., & Albicius in Diſcept. de Juriſdict. Cardinalium in Titulis pag. 1., & ſeqq. Sane plures Presbyteros uni Titulo, ſeu Eccleſiæ addictos fuiſſe conſtat ex Hygini Papæ Actis, ut notat Panvinius de Epiſc. Tit. Diac. Card. pag. 5., & ex eo Ciacconius, Victorellus in Hygino, Frizonius in Appar. ad Gall. Purpur. Vaſquez in 3. Partem D. Thomæ Tom. 3. Diſp. 141. cap. 1. aliique.

Conſtat etiam ex ſubſcriptionibus Concilii Romani I. ſub Symmacho, cui ſubſcripſere plures Presbyteri ejuſdem Tituli, & Synodi Romanæ ſub Gregorio Magno, de qua lib. 4. Regiſtri Indict. 13. Epiſt. 88., quia Fidelium creſcente numero oportuit creſcere Miniſtros in Titulis, qui Sacramenta exhiberent, ut ait Cardinalis de Turrecremata in Summa de Eccl. lib. 1. cap. 83. verſ. *Quæ vero*. Id autem luculenter probatur, (ait Mabillonius Comment. in Ord. Rom. num. XIII. forte immemor eorum, quæ ſupra, ut diximus, in Præf. 1. ſec. 3. Bened. ſcripſerat) tum ex Ordinatione Bonifacii Papæ I. *quæ ſubſcribentibus plus minus ſeptuaginta Preſbyteris* anno 419. facta eſt, præter alios, qui per ſeditionem Eulalium tumultuarie elegerant; neque vero tot eo tempore extabant in urbe Tituli, ſed jam tunc ufus invaluerat, ut uni Titulo plures Presbyteri adſcriberentur.

Cum titulo, & Eccleſia carerent.

(5) *Quia Titulo, & Eccleſiæ carebant*) De Sacerdotum numero antiquitus in Monaſteriis vide laudatum Mabillonium loco citato, videlicet Præf. I. in Sec. 3. Benedict. num. 108., ubi jam ſub Caroli Magni principatu plures Sacerdotes in Monachorum Cœnobiis fuiſſe conſpicitur; præ cæteris in Monaſterio Centulenſi ſub Angilberto Abbate, de quo ſupra meminit Emin. Author, ex trecentis Monachis, qui ibi commorabantur, nonaginta erant Presbyteri quotidie per diverſa Altaria celebrantes, uti narrat Hariulphus Monachus tum in vita dicti Abbatis apud Mabill. ſec. 4. Bened. parte 1., tum in Chronico Centulenſis Monaſterii apud Dacherium Spicil. Tom. 4. pag. 419. Nonnulla alia exempla ibi refert idem Mabillonius, ſed id ſufficiat.

§. III.

In una Eccleſia plura Altaria, pluresque Miſſas olim fuiſſe.

NON leve tandem indicium Miſſæ peculiariter actæ præbet Altarium multitudo in eadem Eccleſia, de quibus veterum Patrum teſtimonia non deſunt. (1) Gregorius Magnus *lib. 5. Ep. 50.* ad Palladium Santonenſem Epiſcopum: *Veniens*, inquit, *lator præſentium inſinuavit nobis Fraternitatem veſtram Eccleſiam conſtruxiſſe, atque illic tredecim Altaria collocaſſe, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remanſiſſe.* Loquitur autem de Altaribus ad uſum Sacrificii, nam & reliquias Sanctorum ipſi Epiſcopo mittit in iis nondum conſecratis collocandas; atque eidem præcipit, ut provideat, ne ibidem ſervientibus alimoniarum ſuffragia deſint. Acca Epiſcopus, ut refert Beda *lib. 5. hiſt. cap. 21.* acquiſitis undecumque reliquiis Beatorum Apoſtolorum & Martyrum, in venerationem illorum Altaria ædificavit diſtinctis porticibus intra muros Eccleſiæ. Plura item Altaria Romæ fuiſſe in Baſilica Principis Apoſtolorum, (2) non ſolum ad Orientem juxta Ritum Eccleſiæ, ſed & in alias partes diſtributa ſcribit Walfridus cap. 4. Apud Bedam Miſſas actas in cunctis Oratoriis Monaſterii: plura item Oratoria conſtructa a Sanctis Benedicto & Mauro jam ſupra commemoravimus. Alia hujuſmodi occurrunt paſſim in Actis Sanctorum, (3) & in Chronicis ac Ritualibus Monachorum, ſive fuerint Oratoria a corpore Eccleſiæ muro ſejuncta, ſive Altaria ſub eodem tecto; quæ ſane multiplicatio inutilis proculdubio fuiſſet, ſi non niſi ſemel in die Sacrificium offerre in eadem Eccleſia licuiſſet. Græcorum alia eſt conſuetudo, unicum enim Altare in ſingulis Eccleſiis habent, nec fas eſſe putant intra ſepta ejuſdem Templi ſacrum eadem die iterare. Ideo Patres, & Hiſtorici Græci unius tantum Altaris in una Eccleſia mentionem faciunt; (4) cujus unitatis analogiam inde accipi ferunt, quia unus eſt Chriſtus, una Fides, una Eccleſia, unicum Sacrificium. Unigenam aram vocat Tyrius Orator in Panegyrico Encœniorum Templi a Paulino Epiſcopo ædificati, quem libro X. ſuæ hiſtoriæ inſeruit Euſebius. An vero hic Ritus ab Eccleſia Latina olim receptus fuerit, non liquet; (5) niſi quod huc reſpexiſſe videtur Concilium Antiſiodorenſe anno 578. ut Sirmondus docet, celebratum, cum cap. 10. edicit non licere ſuper uno Altario una die duas Miſſas dicere. Verum hæc Synodus Oecumenica non fuit, & fortaſſis de Miſſis ſolemnibus intelligi debet: Nam ſtatim ſubdit, non licere Presbytero ſacrum facere in Altario, in quo illa die Epiſcopus Miſſas dixerit: quod de quacumque Miſſa interpretor, (6) ne eadem ſanctio bis inutiliter repetita cenſeatur. Porro Græci tametſi unicum in Eccleſia Altare habeant, plura tamen ipſi Eccleſiæ proxima, muroque disjuncta conſtruunt Sacella, ſive Oratoria, quæ *Pareccleſiæ* ab illis vocantur, quaſi Eccleſiarum Appendices, in quibus profeſtis diebus, ut refert Goar in notis ad Euchologium pag. 16. Liturgias privatim agunt, feria ſecunda de Angelis, tertia de B. Virgine, quarta de S. Joanne Baptiſta, quinta de Apoſtolis, ſexta de Cruce, Sabbato pro defunctis. Non omnes tamen Pareccleſiæ Templi muro adhærent, ſed quædam longe abſunt, & per ambitum Monaſterii diſperſæ ſunt, celebranturque in his Hebdomadarii per vices, ut notat Leo Allatius in Epiſt. ad Joannem Morinum de Græcorum recentiorum Templis. Et Græci quidem priſtinum morem conſtanter retinuerunt: (7) Latini autem quamvis antiquitus plura Oratoria loco diſſita in Monaſteriis habuerint, ea jam pridem in majorem Eccleſiam, variis ædificatis Altaribus, tranſtulerunt (8).

(1) (2) (3) (4) (5) (6) (7) (8)

In una, eademque Eccleſia diverſa Sanctorum corpora condita, ac ſingula cuique Altaria erecta, in quibus Miſſæ celebrabantur.

(1) *De quibus veterum Patrum teſtimonia non deſunt*) Etenim cum in una, eademque Eccleſia diverſa Sanctorum corpora humata eſſent, ſingula ſingulis erigebantur Altaria, ut ſuus cuique bonor exhiberetur, uti plurimus probant Durandus de Sac. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 25. num. 4. Arringhius in Roma Subterr. lib. 1. cap. 31., & noviſſime Marcus Ant. Boldettus collega meus in ſuis Obſervationibus ad cæmeteria urbis lib. 1. cap. 9., & ſeqq. Hinc apud Ammianum Marcellinum lib. 22. cap. 11., ubi de Baſilicis Chriſtianorum, eorumdem Baſilicæ ſepulchra dicta ſunt; ideoque non indecens viſum in eadem Eccleſia plura conſtitui Altaria: cum enim ea eſſent ſepulchra Martyrum, ubicumque foret Martyr conditus, illic Altare erigi conſueverat, ut inquit Card. Baronius ad an. 57. num. 105. & Spondanus, aliique. Sane plura Altaria fuiſſe nedum Gregorii ævo, ſed & ante ipſum id conſtabit ex his, quæ infra dicemus, quibus certo certius erit illius jam ætate ſuper ſepulchra, & reliquias Chriſti Confeſſorum Altaria pridem erecta fuiſſe.

(2) *In Baſilica Principis Apoſtolorum*) In hac Baſilica plura antiquitus Altaria fuiſſe oſtendunt Turrigius de Cryptis Vaticanis, Arringhius in Roma Subterr. Ciampinius de Sac. Ædific. cap. 4. ſect. 4. pag. 51 aliique recentiores; ſed & ante ipſos S. Petrus Cluniacenſis Abbas adverſus Hæreticos Petrobuſianos: *Nonne & nos ipſi*, inquit, *Romæ poſiti, frequenter vidimus in Cryptis antiquiſſimis Oratoria, & Altaria, qualia eo tempore fieri poterant, quæ ab eodem Apoſtolo* (Petro ſcilicet) *conſtructa, & ſanctificata, ſicut per ſucceſſionem fama conſentiens, ac celeberrima proteſtatur, in monumentum tantæ ſanctitatis fidelibus oſtenduntur?* De Baſilica S. Pauli extat Gregorii III. diploma, ſive de oblationibus quotidianis per ipſum factis ad dictam Eccleſiam, nempe in prima Miſſa ad corpus oblatam unam; in ſecunda Miſſa ad Sanctum Timotheum oblatam unam; in tertia Miſſa ad Imaginem Salvatoris, quæ & Apoſtolorum, oblatam unam: in quarta Miſſa ad S. Gregorium in Januas oblatam unam: deinde in Miſſa quinta ad Altare majus oblatas duas: ex quo videas, ait Mabillonius Comment. in Ord. Rom. num. 4. pag. 46. jam tunc in illa Baſilica ſex Miſſas per ſingulos dies, & quidem in diverſis Altaribus, ſolitas celebrari. Sed & multo ante S. Paulinus Nolanus plura Altaria memorat Natali 9. S. Felicis, ubi inquit.

Spectant de ſuperis Altaria tota feneſtris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora ſedem.

Sæculo 6. Burdigale in Baſilica S. Petri Altare duplex erat ex Gregorio Turonenſi lib. 1. de Gloria Martyr. cap. 34. ſed & de hac re iterum infra.

Sæculo VIII. in Baſilica S. Pauli ad Altaris quinque Miſſæ quotidie celebratæ.

Plura etiam Altaria in eadem Eccleſia dicto ſeculo octavo fuiſſe comprobatur.

(3) *Alia hujuſmodi occurrunt &c.*) Poſſent ſane quam plurima hac de re exempla afferri, tum ex Actis Sanctorum, aliiſque Eccleſiaſticis monumentis, tum præcipue ex Monachorum Chronicis quoad eorum Eccleſias, at pro mille hi duo ſufficiant. Sæculo 8. numerus Altarium adeo erat auctus, ut Carolus magnus in Capitulari edito ad Theodonis Villam mandaverit de Altaribus, ut non ſuperabundent in Eccleſia. Quoad Monachorum Eccleſias S. Petrus Damiani initio vitæ S. Romualdi, apparuiſſe, ait, ipſi in Eccleſia noctu oranti B. Apollinarem, qui Sacerdotalibus infulis exornatus, *& thuribulum aureum in manu portans cuncta Eccleſiæ Altaria incenſavit*: Ex quo plura Altaria ibi fuiſſe perſpicue dignoſcitur: In Baſilica Clarævallis a S. Patre Bernardo conſtructa tria Altaria fuiſſe ſcribit Guillelmus Abbas in ejus vita lib. 1. cap. 12. primum in honorem Sanctæ Dei Genitricis, alterum S. Laurentii Mart., & tertium S. Benedicti Abbatis.

Græcis unum tantum Altare in qualibet Eccleſia.

(4) *Græci unius tantum Altaris &c.*) S. Ignatius Epiſc., & Mart. epiſt. ad Philadelphios: *Unum*, inquit, *eſt Altare, unus Epiſcopus*: In pulcherrima Tyri Baſilica, quam deſcribit Euſebius lib. 10. cap. 4. de qua hoc loco Emin. Author, *Paulinus*, dicitur, *poſtremo Sanctum Sanctorum, Altare videlicet, in medio conſtituit*: Idque unigenitum nuncupatum, quod tunc in medio Eccleſiæ fideles haberent. Extant alia teſtimonia de unico Græcorum Altari in Sancto Athanaſio ad Orthodoxos Operum Tom. 1. pag. 945. apud Theodoretum lib. 1. cap. 31. Item apud Palladium Hiſt. Lauſiacæ cap. 6. Verum etſi Græcis unicum eſſet Altare, geminæ tamen iis erant Menſæ, quarum prior Protheſis dicebatur, in qua Sacrificii præludium agitur, ad quam Menſam vel ipſi Catechumeni invitantur; Altare vero eſt in Sancto Sanctorum, de quo videatur Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſua Theoria Bibliot. PP. Colon. Tom. 2. & Lugdun. Tom. 13. Altera, quæ in Sacrario eſt, ſola Altaris officio fungebatur, cum in Protheſi non celebraretur Euchariſtiæ Sacrificium. Præter Allatium de Græcorum recentiorum Templis ab Emin. citatum, vide Goar in Euchologio, Richardum Simonium in notis ad Gabrielis Severi Philadelphien. Opuſcula, & Guillelmum Cave Diſſert. 2. de Libris, & Offic. Eccl. Græcorum.

Quin & Latinis antiquitus uſitatum fuiſſe videtur.

(5) *Ab Eccleſia Latina receptus fuerit, non liquet*) Videtur etiam apud Latinos unum antiquitus Altare fuiſſe: etenim S. Cyprianus Epiſt. 42. confidentium Sacerdotum, & Altaris poſiti meminit; aliud etiam extat hujuſmodi teſtimonium pro unico Altari Epiſt. 55. ubi ait: *Quid ſupereſt, quam ut Eccleſia Capitolio cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac Domini Altare removentibus &c.* Verum hæc non ſatis exprimunt unicum Altare, cum antonomaſtice pro Altaris voce Altare majus intelligi poſſit. Cur autem primis ſeculis unum Altare fuiſſe dicatur, nonnulla proſert Mabillonius Diſſert., ſeu Præfat. 1. in Sæc. 3. Bened. Obſerv. 12. num. 77., quæ fuſius nota ſequenti exponimus.

(6) *Quod de quacumque Miſſa interpretor*) Et ſane hujus Antiſiodorenſis Concilii verbis prærogativa quædam Epiſcopo, ac privilegium ſupra cæteros Presbyteros tribuitur, ut ſcilicet in illo Altari, in quo Miſſam ille dixiſſet, Presbytero non liceret ipſa die Sacrificium offerre; Cæterum Presbyteris licuiſſe

cuisse aliis post alios Missas in eodem Altari celebrare, ex hoc ipso dictæ Synodi decreto deducitur; alias namque fuistranea esset illa additio de Episcopis, quod & illustratur facto Gregorii Turonensis, de quo infra: Ad quid enim non in uno, sed in tribus Altaribus Gregorius celebravit Missas tres, nisi qui uni Sacerdoti id in uno Altari non licebat? Atque ita confirmatur Emin. interpretatio hujus Canonis, cui & subscribit totius laudatus Mabillonius. Ad hæc si attendisset Emmanuel Scheleſtratius in Concil. Antiochen. pag. 193., non ita inconsiderato calamo Emin. noſtrum carpsiſſet, quod immerito ipſe dubitaverit hoc loco, num olim in Latinis Eccleſiis unicum dumtaxat Altare fuerit; noverat quidem Emin. Author ea omnia, quæ pro unico in quaque Eccleſia Altari contra ſe allegari poterant veterum teſtimonia, præcipue ex Africanis Patribus, Optato Milevitano, & Auguſtino, quos tantum e Latinis profert idem Scheleſtratius, de Græcis namque non dubitamus id moris fuiſſe; verum etſi ultro concedamus id in Africa conſuetum, prorſus immerito deduci poſſet univerſalis Eccleſiæ Latinæ, ſeu Occidentalis conſuetudo: plura enim quam in contrarium ſint, nobis ſuppetunt de pluribus in eadem Eccleſia Altaribus documenta, quæ mox adducimus.

Cavil. Bonæ Scheleſtratii nova vindicatur.

Cum plura quam in contrarium ſint, ſuppetant de variis Altaribus vetera documenta.

Et quidem in veruſtiſſimo S. Sepulchri Templo Hieroſolymitano a Conſtantino Magno erecto tria, & in Eccleſia Beatæ Mariæ de Valle Joſaphat quatuor Altaria fuiſſe teſtatur Arculphus Epiſcopus Gallus, qui ſeculo ſeptimo loca Sanctæ inviſit apud Adamnanum de locis Sanctis lib. 1. cap. 2. & 13. Act. SS. Ord. S. Bened. Sæc. 3. parte 2. pag. 504., & 508. In Occidente vero, & quidem ante S. Gregorium magnum, de quo ſupra Emin. ſcriptor, plura in Eccleſiis Altaria fuiſſe, teſtis eſt Sanctus Ambroſius Epiſt. anno 385. ſcripta ad Marcellinam ſororem num. 26. ubi de Baſilica, quam Ariani invaderant, ſic ait: *Nec Altaria tencbo vitam obſecrans, ſed pro Altaribus gratius immolabor*: Item Epiſt. 32. cap. 14. num. 3. referens pacem a Valentiniano Catholicis datam, & narrans, quomodo ipſe Imperator Eccleſiam pro Arianis flagitabat iis tradendam: *Nec mora*, inquit, *nunciatur Imperatorem ſuſpiſſe, ut recederent milites de Baſilica ..... certatim hoc nunciare milites irruentes in Altaria, oſculis ſignificare pacis infigne*: deinde: *trade Baſilicam, trade Altaria Dei*: Ubi vides non unum, ſed plura Altaria indicari. Quare Cabaſſutius in notitia Eccleſiaſt. & poſt ipſum Iveninus de Sacram. Diſſert. 5. quæſt. 8. art. 4. cap. 3. non unicum, inquiunt, ſtabat intra Templum Altare, ſed plura hinc inde diſperſa videbantur; Præterea majus Altare, quod in ipſo Sanctuario erectum erat, non erat pervium militibus, quippe quod cancellis circumſeptum eſſet: hujuſmodi igitur Altaria, quibus ex Ambroſio milites figebant oſcula in variis Templi partibus extra Sanctuarium erecta erant. Idem teſtantur Prudentius lib. Periſteph., ſeu de Coronis hymnis 3. 4. & 5. S. Auguſtinus Serm. 5. de S. Stephano, & lib. 8. de Civit. Dei cap. 27. S. Paulinus Nolanus loco jam ſupra indicato, & Poem. 4. item Epiſt. 32. novæ edit.

Et quidem in utraque Eccleſia, Latina & Græca jam a ſeculo quarto.

Præ cæteris autem S. Gregorius Turonenſis id aſſerit lib. 1. de Gloria Mart. cap. 33. ut diximus, deinde ibi cum maledicentiæ in Fredegundem Reginam accuſatus fuiſſet apud Brennacum Villam Pagi Sveſſionenſis: *Reſtitit ad hoc cauſa, ut diſtis Miſſis in tribus Altaribus, ſe de his verbis exuere Sacramento*: Tria igitur Altaria erant, & fortaſſe plura in illa Eccleſia, ubi Gregorius ter Sacrum celebravit: Id denique nedum Gregorii Magni ævo, ſed & apud antiquos in uſu fuiſſe fatetur Joannes Diaconus vitæ ejuſdem Pontificis Scriptor Epiſtola ad Senarium virum illuſtrem apud Mabillonium Muſ. Ital. Tom. I. pag. 74., ubi ad ejus interrogationes ſic reſpondens ait: *Quod de ſeptem Altaribus inquiſiti, quæ in urbe Romæ Sabbato Paſchæ moris eſt conſecrari, hoc ideo dico, quia Majores noſtri, ſive in ſeptiformis gratiæ ſpiritu decreverint faciendum, ſive quia ſeptem Regionibus Eccleſiaſtica apud nos militia continetur, a qua hæc ipſa parantur Altaria, ut ſingulis benedictio præſtetur*: Notanda ſunt illa verba: *Majores noſtri decreverint faciendum*: Quæ id antiquitus, & quidem ante Gregorii ætatem uſitatum fuiſſe declarant. Vide item quæ de pluribus Altaribus in una eadem Eccleſia dicemus infra parte 2. cap. 20. §. 1. & ſeqq. Liquido igitur, & extra dubii aleam exploratum habemus priſcis etiam temporibus in una etiam, eademque Eccleſia plura extitiſſe Altaria, in quibus Miſſæ celebrarentur. Cæterum, ſi velimus, has opiniones inter ſe conciliari, ita poſſent, ſi dixerimus unum tantum fuiſſe Altare in qualibet Eccleſia, in quo ſolus Epiſcopus celebraret, vel Miſſa ſolemnis dumtaxat in eo caneretur, reliqua vero Altaria pro Miſſis privatis celebrandis inſerviret.

Ex quibus omnibus conſtat plura fuiſſe in una, eademque Eccleſia Altaria, in quibus Miſſæ celebrarentur.

(7) *Græci priſtinum morem conſtanter retinuerunt*) Idem de Moſcovitis Græcorum moribus imbutis narrat Sigiſmundus Liber in Commentario Rerum Moſcoviticarum.

(8) *Variis adſcitatis Altaribus tranſluerunt*) Id non ubique factitatum putaverim; pleriſque enim in locis, & iis maxime, ubi aliquod celebre populorum accurſu, & devotione frequentatum Sanctuarium conſiſtit, plures in itinere Capellæ, ſeu Ædiculæ ſacræ extra Eccleſiam principem, circa illam conſtructæ, conſpiciuntur, in quibus Oratoria, ſeu Altaria erecta ſunt, atque in iiſdem quandoque apud peregrinorum commodum Miſſam celebrari contingit, uti videre eſt præ cæteris, quæ apud Noſtrates ſunt, in ſacris Savonæ, Varalli, Bugellæ, Creæ, Vici, aliorumque ſimilium locorum montibus, ubi aliqua peculiaris Domini noſtri Jeſu Chriſti, Beatiſſimæ Virginis ejus Matris, aut inſignium Sanctorum memoria publicæ venerationi expoſita recolitur. Idem pariter in nonnullis primariis Ordinum Religioſorum Cœnobiis extra Urbes ſitis uſitatum viſitur, ubi ejuſmodi Ædiculæ extra majorem Eccleſiam conſtructæ patent; id quod jam in uſu fuiſſe a ſeculo nono ſupra §. 1. ex Joan. Aurelianenſis teſtimonio oſtenſum eſt.

Quin & Cappellæ, ſeu Ædiculæ extra Eccleſiam conſtructæ, in quibus etiam offerretur Sacrificium.

§. III.

§. IV.

Item probatur plures Miſſas olim fuiſſe.

AJunt nonnulli, quorum ſententiæ non invitus accedo, creviſſe numerum altarium, & Sacerdotum, poſtquam populus, qui Miſſæ aderat, aderant autem omnes, deſiit communicare: nam cum omnes uni Miſſæ præſentes erant, & communicabant, pluries celebrare neceſſarium non erat. Quo vero tempore deſierint Fideles, qui Miſſæ intererant, Sacramenti participes fieri, (1) & quando in una Eccleſia plures Miſſæ dici cœperint, (1) (2) non eſt facile definire: utrumque tamen antiquiſſimum eſt. Leo Magnus in epiſt. ad Dioſcorum Alexandrinum mandat iterari ſacrificium, cum Fidelium multitudo tanta eſt, ut omnes ſimul Baſilica recipere non poſſit; ex hoc enim ſequeretur, quod una pars populi ſua devotione privaretur, ſi unius tantum Miſſæ mos ſervandus eſſet. Tum ait plenum pietatis, ac rationis eſſe, ut quoties Baſilicam præſentia novæ plebis impleverit, toties ſacrificium ſubſequens offeratur. Hanc vero ſacrificii iterationem S. Pontifex præcepit ex more, qui tunc Romæ vigebat; *ut in omnibus*, inquit, *obſervantia noſtra concordet*. Et infra. *Ut quod noſtræ conſuetudini ex forma paternæ traditionis inſedit, tua quoque cura non negligat*. (3) De S. Pontifice (3) Deusdedit Auctor Pontificalis ſic ſcribit: *Hic conſtituit ſecundam Miſſam in Clero*. Ad quæ verba Petrus Urbevetanus in ſcholiis ait: *Quia tunc forſitan ad inſtar Græcorum non cantabatur in Eccleſia niſi una Miſſa, quod magis ædificabat ſecundum antiquos*. At ex allato Leonis teſtimonio patet morem iterandi ſacrificium multo ante in Romanam Eccleſiam inductum fuiſſe. (4) Proſper (4) etiam *lib. de prædictionibus dimidii temporis cap.* 6. bis intra paucas horas ſacrum oblatum ſcribit in eadem Eccleſia. Huc item referenda ſunt, quæ de duplici Sacro eadem die celebrato Cap. XVIII. afferemus, cum de diebus polyliturgicis agendum erit.

(1) *Qui Miſſæ intererant, Sacramenti participes fieri*) Sane difficile eſt definire, quo tempore deſierint fideles in Miſſa communicare. Emin. auctor infra §. ſequenti, & lib. 2. cap. 17. §. 2. ex Hieronymo, Auguſtino, & Ambroſio ſcite arguit initio quinti ſeculi in quibuſdam Occidentalibus Eccleſiis nondum abrogatum fuiſſe uſum quotidie communicandi, quinimmo alicubi a pleriſque exiſtimatum, ut qui pluribus eadem die Miſſis intererat, in ſingulis communicare deberet, uti ſcribit ſeculo nono Walafridus Strabo ab eodem noſtro Scriptore relatus. Citius in Oriente eorum, qui ſacris Myſteriis intererant, communio deſiit; nam Chryſoſtomus ſæpe, quandoque Athanaſius, aliique Patres Græci, qui ſeculo quarto florebant, ut mox dicetur, de infrequentia communicantium in ſuis ad populum Homiliis conqueruntur. Concludendum proinde eſt circa finem ſeculi tertii, vel potius quarti initium perſecutionum immanitate decreſcente ſervorem illum quotidianæ communionis apud fideles langueſcere, & communicantium numerum imminui cœpiſſe; quam tepiditatem a populo Dei excutere cupientes Illiberitani Patres canonem 28. condidere, de quo infra §. ſequenti, ubi & de hac re iterum dicetur.

Fidelium communio quotidiana perſecutionum immanitate ceſſante imminui cœpit.

Quando plures Miſſæ in una, eademque Eccleſia dici cœperint, non ita facile definiri eſt.

(2) *Quando in una Eccleſia plures Miſſæ dici cœperint*) Id pariter non ita facile eſt ſuo tempore conſignare; at initio Eccleſiæ id cœpiſſe non levi argumento eſt ipſa Altarium in una, eademque Eccleſia conſuetudo, de qua mox dictum eſt §. antecedenti nota 1. & 2. Ad quid enim plura Altaria, ſi una tantum Miſſa celebrata fuerit, cui unum Altare ſufficit? ad quid eadem multiplicata, ſi id neceſſitas non exigiſſet, ac plurium Sacerdotum celebrantium numerus non poſtularet? Sane plures in Eccleſia Romana Sacerdotes uni eidemque Baſilicæ addictos olim fuiſſe plane evincunt inter cætera eorum ſubſcriptiones ad Concilium Romanum ſub Symmacho Papa an. 499. in veteri Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ edit. Maguntiæ an. 1525. pag. 562. 563., ubi titulorum Clementis, Veſtinæ, Creſcentianæ, Marcelli, Faſciolæ, Equitii, Julii, & SS. Apoſtolorum tres de unoquoque titulo Presbyteri ſubſcripti leguntur; Ceciliæ vero, Pudentis, Laurentii, Pammachii, & aliorum aliquot duo, cæterorum autem unus tantum ſubſignatur. Hi vero Sacerdotes ſic præfatis Eccleſiis addicti profecto, ut fidelibus Sacramenta miniſtrarent, prout ex actis SS. Pontificum Anacleti, Evariſti, & Marcelli conſtat, unuſve, duo, aut tres uni Titulo adſcripti juxta quod major, vel minor populi frequentia exigebat, ubi Eccleſia ipſum populum non caperet, utique ne fidelium aliqui Sacramentorum participatione pri-

privarentur, ex iis Sacerdotibus, vel omnes succeſſive celebraſſe diebus ſaltem Dominicis, & feſtis, vel eorum unum toties iteraſſe Sacrificium, quoties opus erat, dicendum eſt.

Ut tamen a primis ſeculis in uſu fuiſſe demonſtratur, jam a ſeculo tertio.

Idque a primis ſeculis factitatum fuiſſe nos docet pleriſque in locis S. Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus, ac primo Epiſt. 5. juxta edit. Pamelii, ubi Sanctus Martyr Clerum ſuum exhortans, Presbyteros nempe, & Diaconos, ut vice ſua fungantur, neve glomeratim ad Martyres in carcere viſitandos concurrant, ſic ſcribit: *Conſulite ergo, & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius poſſit, ita ut Presbyteri quoque, qui illic apud Confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis Diaconis per vices alternent*: Vides hinc plures Miſſas in die ſucceſſive Martyribus in carcere conſtitutis celebratas fuiſſe; quod & adnotaverat Baronius ad an. 75. circa finem, ubi ex eodem Cypriano, aliiſque affirmat ſolitos fuiſſe Presbyteros in carceribus Sacrificium offerre, quod Miſſam dicimus, ex quo Confeſſores Chriſti communicarent, uti & ipſe Cyprianus teſtatur Epiſt. 54., in qua rationem reddit: *Ut quos, inquiens, excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, ac nudos relinquamus, ſed proteſtione ſanguinis, & Corporis Chriſti munimus &c.* Idque paſſim repetit in eadem Epiſtola. Præterea Presbyteros in Africa quotidie, & in eadem Eccleſia celebraſſe, ſatis mox laudatus Cyprianus Epiſt. 66. dictæ pariter edit. Pamel. ad Clerum, & Plebem Furnitanorum, ubi de iiſdem Presbyteris ait: *Ab Altari, & Sacrificiis non recedant, ſed die, ac nocte cæleſtibus rebus, & ſpiritualibus ſerviant*: Quid eſt ab Altari, & Sacrificiis non recedere, niſi quotidie ſacrificare? Item infra eoſdem vocat *Sacerdotes, & Miniſtros Dei Altari ejus, & Eccleſiæ vacantes*: In illo autem loco Epiſcopum fuiſſe non legitur, quinimmo alicubi Auguſtinus Furnenſem Villam, non Urbem vocat; quare veriſimile non eſt ibi plures Eccleſias, ſed unam tantum extitiſſe, in qua dicti Presbyteri celebrarent, aliaque ſacra officia peragerent.

Neque privatim tantum, ſed & publice plures Miſſæ in eadem Eccleſia dictæ fuere.

Romæ etiam id factitatum fuiſſe conſtat ex Actis S. Bibianæ ſeculo 4., in quibus legitur Joannem, & Pigmenium Presbyteros frequenter conveniſſe, & Sacra Myſteria celebraſſe in Cæmeterio ad Urſum pileatum: Neque vero privatim tantum, in carceribus nempe, aut Cæmeteriis, ſed & publice eodem ſeculo quarto ineunte plures Miſſas in eadem Eccleſia celebratas fuiſſe clariſſime notat Euſebius in vita Conſtantini Imp. lib. 4. cap. 44., & ſeqq., ubi narrans ſolemnem Baſilicæ Tyriæ dedicationem dicti Principis Cæſarea plane munificentia tot Epiſcoporum conventu celebratam, inter cætera referens, quæ ibi acta fuere ab Epiſcopis, cum quibus & ipſe adfuit, ſic ait: *Alii incruentis Sacrificiis, & myſticis conſecrationibus divinum numen placabant, & ſupplices Deo preces pro communi pace, pro Eccleſia Dei, ipſoque Imperatore harum præclariſſimarum rerum auctore, proque ejus Deo charis liberis offerebant*. Idem pariter loco citato cap. 72. ubi de funere dicti Imperatoris agit, hæc habet: *Innumerabilis autem populus una cum Sacerdotibus Dei non ſine gemitu, & lacrymis pro Imperatoris anima preces offerebant Deo*: Quæ autem fuerint hæ preces, paulo poſt ſignificat iis verbis: *Divinis cæremoniis, & myſtico Sacrificio peractas*. Quid clarius hiſce teſtimoniis deſiderari poteſt? quibus & a primis Eccleſiæ ſeculis plures Miſſas in eadem Baſilica dictas fuiſſe uberrime demonſtratur. Hujus rei plura item exempla ſequiori ævo ſubſecuta produci poſſent, at quia nonnulla infra ſuis locis referentur, ideo ſupra adnotata pro hac parte abunde ſufficiant.

Quin etiam iteratum ſacrificium, quoties legitima obvenerit cauſa.

(3) *Tua quoque cura non negligat*) Nedum Romæ, ſed & alibi hanc conſuetudinem iterandi ſacrificium, quoties legitima obvenerit cauſa, frequentatam legimus; & quidem in Africa Concilium Carthaginenſe III. an. 397. can. 29. poſtquam ſtatuit Miſſam a jejunis celebrandam, ſubdit: *Si aliquo pomeridiano tempore defunctorum, ſive Epiſcoporum, ſive Clericorum, aut cæterorum commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat, ſi illi, qui faciunt, jam pranſi inveniantur*: Itaque ſi jejuni inveniuntur, nihil prohibet, quin etiam pomeridiano tempore celebretur, etiamſi matutinis horis jam ſacrificatum eſſet, quod & docet Emin. Author infra cap. 18. §. 5. & cap. 21. §. 3. cumque ipſo Emmanuel Scheleſtratius in ſua Eccleſia Africana, ac notis ad hunc canonem; ex quo magnum deſumitur argumentum ad firmandam contra Hæreticos, & noſtri ſeculi novatores Miſſas pro defunctis impugnantes antiquiſſimam hac de re Eccleſiæ traditionem, de qua fuſius infra, ut jam diximus, cap. ſeq. §. 4. Porro hujuſmodi iterationis ſacrificii ab uno eodemque Sacerdote peracti exemplum habemus in Gallia, ubi, ut vidimus, S. Gregorius Turonenſis *dictis Miſſis in tribus Altaribus*, ac lib. de Gloria Confeſs. cap. 50. refert de quodam Severo, quod cum duas Eccleſias ædificaſſet, ubi *dies Dominicus adveneret, celebratis Miſſis in uno loco ad alium pergebat*. Alibi quoque id in uſu apud veteres fuiſſe oſtendit Edm. Martene de antiquis Eccl. Rit. tom. 1. lib. 1. cap. 3. art. 3. n. 4., & 5., ſed de hoc iterum.

(4) *Multo ante in Romanam Eccleſiam indultum fuiſſe*). Hoc loco nuperus, & clariſſimus Scriptor R.P. D. Joannes Franciſcus Baldinus Cler. Reg. Congregationis Somaſchæ in notis ad Anaſtaſium noviſs. edit. Tom. 4., ubi de S. Deusdedit Pontifice, ſuoque hujuſmodi Conſtituto pag. 22. Petri Urbevetani ſententiæ inhærens contra Eminent. noſtrum, quem alias ſuo profequi non dedignatur honore, ſubtiliter, & erudite inſurgit, contendens tunc primo a Beato Deusdedit conſtitutum fuiſſe, ut in Clero poſt Miſſam ſolemnem altera privata ab altero ex Clero haberetur, ſive nova Plebs in Baſilicam conveniret, ſive non, ſive una eſſet, ſive plures Baſilicæ, hac perpetuo permotus, quod tunc certe primum inductus in Eccleſia Latina videatur Ritus, ut plures Miſſæ in eadem Eccleſia celebrarentur, & plura Altaria pro iis celebrandis conſtruerentur. Ar contra ipſum P. Baldinum pro Eminent. noſtro ſcite, & fortiter dimicat alter Cler. Reg. P. D. Cajetanus Maria Me-

Vindicatur Card. Bona a clar. viri Baldini cenſura.

rati in ſuis ſupra laudatis Commentariis ad Gavantum Tom. 1. pag. 68. num. 42., ubi cum Chriſtiano Lupo in Scholiis ad Alexandri II. Concilium Romanum edit. primæ Bruxell. Parte 4. pag. 315., & Venetæ poſter. Tom. 5. pag. 153.; & ſuo Patre Berlendi Diſſert. de Oblationibus §. 8. n. 4. invicte probat decretum Papæ Deusdedit dirigi ad Cathedrales Eccleſias, & ab ipſo præceptum, ut in certa, aut feſtorum inter ſe, aut ipſorum cum Dominicis, aut quibuſdam feriis concurrentia obligentur ad duas ſolemnes Miſſas celebrandas, quod fortaſſe jam antea peragebatur ex ſola conſuetudine, non ex præcepto, quod poſtmodum a Pontifice Deusdedit impoſitum fuit. Neque Libri Pontificalis verba de privata Miſſa intelligi poſſe videntur, nam cum ait hunc Pontificem conſtituiſſe *ſecundam Miſſam in Clero*, ſatis innuit huic Miſſæ Clerum intereſſe debere, ac proinde ſolemnem, ac publicam, non vero privatam eſſe.

Conſtitutum Papæ Deusdedit non de privata, ſed de Miſſa ſolemni intelligendum.

Quod vero ait Pater Baldinus hujus Papæ temporibus tunc primum invectum fuiſſe Ritum, ut plures Miſſæ in eadem Eccleſia celebrarentur, non ita faciles damus, plures namque Miſſas uno, eodemque die in eadem Eccleſia celebratas fuiſſe ante Pontificis Deusdedit tempora, ſatis ſuperque oſtendit Emin. noſter ex Leonis I. Papæ Epiſtola ſupranotata ad Dioſcorum Alexandrinum, cui Emin. hac in ſententia ſubſcribunt Pagius uterque, & Sommierius in notis ad Anaſtaſium; nos item ex Cypriano, & Euſebio, aliiſque ſupra nota 2. demonſtravimus. Præterea, etſi cætera deeſſent, id evidenter probaret Leonis Sacramentarium a clar. viro Joſepho Blanchino vulgatum, in quo juxta majorem, minoremque feſtorum ſolemnitatem ſtatis diebus, plures, aut pauciores Miſſæ aſſignantur; has vero ab uno eodemque Presbytero celebratas fuiſſe nemo perſuadebit, eruditis enim notus eſt canon. 10. Concilii Antiſſiodorenſis an. 578. celebrati, de quo jam dictum eſt, ubi prohibetur *ſuper uno Altario in una die duas Miſſas dicere, nec in Altario, ubi Epiſcopus Miſſam dixerit, ut Presbyter in illa die Miſſas dicat*: Ex quo patet, quod ea, quæ hac de re hoc loco, & alibi forſan interdicta leguntur, non de diverſis Sacerdotibus, ſed de uno eodemque explicanda eſſe, ut optime notat Mabillonius Præf. 1. in ſec. 3. Bened. obſerv. 3. ſub num. 77. Vide, quæ ſupra diximus §. 3. nota 6. Et ſane illa additio de Epiſcopo ſatis indicat, ut advertimus ibi, licuiſſe Presbyteris, aliis poſt alios Miſſas in eodem Altari celebrare, alias eadem fruſtranea eſſet. Id profecto apud Monachos in uſu fuiſſe, ſuo exemplo ſufficienter oſtendit S. Albertus Abbas Gambronenſis ſeculo 7. apud Mabillonium ſeculi 3. Benedict. parte 3. pag. 532., ubi dicitur, quod idem Sanctus Miſſas tres ante eum cantatas omni Dominico die audiebat: Satis itaque vindicatus Emin. noſter a P. Baldini contra ipſum exceptione.

Miſſæ plures, vel pauciores juxta majorem, minoremque feſtorum ſolemnitatem aſſignatæ.

§. V.

Miſſæ ſine communicantibus antiquiſſimæ.

MIſſas præterea nemine communicante antiquis Patribus cognitas fuiſſe, notiſſimum eſt. Chryſoſtomus Hom. 3. in epiſt. ad Epheſios, *Fruſtra eſt*, inquit, *quotidianum ſacrificium, fruſtra adſtamus Altari, nemo eſt, qui participet*. Idem repetit Hom. 61. ad populum Antiochenum. Et hom. 5. in epiſt. I. ad Timoth. poſtquam mala recenſuit indigne communicantium, in eorum perſona objicit ſibi, *Quomodo iſta perpetimur, cum ſemel tantum per annum ea ſacramenta ſumamus*? (1) In Mediolanenſi Eccleſia quotidie (1)
oblatum ſacrificium docet Ambroſius ſerm. 34., in quo populum adhortatur, ut qui non eſt legitime impeditus, ſingulis diebus interſit Miſſæ. Mox admonet, ut in Quadrageſima, die ſaltem Dominico, offerant, & communicent. Cum igitur populo ſuadeat quotidie Miſſam audire, in Quadrageſima vero ſaltem die Dominico communicare, ſatis evidenter oſtendit nullam tunc fuiſſe conſuetudinem in illa Eccleſia toties communicandi, quoties Miſſa audiretur. Gennadius Maſſilienſis *lib. de Eccl. dogm. cap.* 53. populum item hortatur ad communicandum omnibus Dominicis diebus, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Concilium quoque Agathenſe *cap.* 47. præcipit Secularibus, ut die Dominico Miſſam audiant: ad communionem vero *cap.* 18. eos non adigit, niſi in die Nativitatis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes (2). Varios autem hac de re cujuſque Eccleſiæ (2)
mores fuiſſe aſſerit Auguſtinus *epiſt.* 118., ubi ait alios quotidie, alios dumtaxat certis diebus communicaſſe, quam varietatem prolixe deſcribit Vvalfridus Strabo *cap.* 20., qui rurſum de eadem differens *cap.* 22. hoc addit: *Eſſe quoſdam, qui ſemel in die communicare, etiam ſi pluribus interfuerint Miſſis,*

Miſſis, pro dignitate Sacramentorum ſufficere credant: eſſe vero alios, qui ſicut in una, ſic in omnibus, quibus affuerint Miſſis in die, communicare velint; quorum neutros culpandos exiſtimo. Erant igitur vivente Strabone nonnulli Fideles adeo tenaces priſci moris communicandi in Miſſa, cui aderant, ut communionem ſæpius ſumere eadem die non dubitarint, ſi pluribus Miſſis intereſſent. Verum hujus moris, an alii præter Strabonem nono ſeculo, quo vixit, teſtes proferri poſſint, haud ſcio. Uſus autem communicandi, quoties quis ſacris intererat, jampridem deſierat, ut modo oſtenſum eſt ex teſtimonio Chryſoſtomi, Ambroſii, & aliorum, in utraque Eccleſia Græca, & Latina (3). Primi, & ſecundi poſt Chriſtum ſeculi felicitas (3) hæc fuit, cum multitudo Credentium, quorum erat cor unum, & anima una, ardentiſſimo Dei amore ſuccenſa nihil impenſius deſiderabat, quam ad hoc ſupercœleſte convivium accedere, in quo anima de Deo ſaginatur, ut loquitur Tertullianus *lib. de reſurr. carnis cap.* 8. At prope finem tertii cœpit fervor ille langueſcere, & numerus communicantium imminui: quam tepiditatem ægre ferentes Patres Concilii Illiberitani *cap.* 28. ſtatuerunt Epiſcopum non debere munera ab eo accipere, qui non communicat. Patres item Concilii Antiocheni *can.* 2. omnes, qui ingrediuntur Eccleſiam, & ſe a perceptione ſanctæ communionis avertunt, ab Eccleſia removeri decreverunt. Patres denique Concilii Toletani I. *c.* 13. eos abſtineri præceperunt, qui intrant Eccleſiam, & non communicant. Ex quibus infertur hanc deſuetudinem, quæ ſanctis illis Epiſcopis multum diſplicuit, eo tempore cœpiſſe, quo Concilium Illiberitanum actum eſt, labente nimirum tertio ſeculo, ut probabilior ſententia fert, quam ſolide probat Morinus *lib.* 9. *de pœnitentia cap.* 19. & illi quidem infrequentiam communionis damnarunt, nunquam tamen dixerunt ideo a Miſſæ celebratione abſtinendum, quia nulli eſſent qui vellent communicare (4), alioquin deterior foret Sacer- (4) dotis, quam populi conditio, ſi tunc ſolum celebrare poſſet, cum adſunt communicantes, his vero deficientibus non poſſet, ut ipſemet de corpore, & ſanguine Domini participaret.

Miſſæ fine communicantibus antiquiſſimæ ex Chryſoſtomo.

(1) *Per annum ea Sacramenta ſumamus*) Item Hom. 17. in Epiſt. ad Hebr. dolet, quod *plurimi ex hoc Sacrificio ſemel accipiunt in toto anno, alii bis, alii ſæpius*: An forte iſti, qui non communicabant, cum reliquis Sacrificio non intererant ſaltem die Dominico, ac feſtis ſolemnibus? Id afferere plane Chryſoſtomi ſenſui contrarium eſt; *Per ſingulos dies*, ibidem inquit, *intras Eccleſiam, & hæc ignoras*? Ad quid quotidie intrare Eccleſiam, niſi quia & Sacrum audiebant fideles? In præcedenti quoque textu, ubi ait, *fruſtra aſſtamus Altari, nemo eſt, qui participet*, non utique abſentes, ſed præſentes alloquitur, qui aſſiſtebant quidem, ſed non communicabant de Sacrificio, uti perſpicue ex ipſo verborum tenore dignoſcitur; verba etenim illa, *non eſt, qui participet*, non aliter, quam ita intelligenda ſunt, *nemo eſt*, ſcilicet de præſentibus, *qui participet*, cum abſentes participare non poſſint, qui præſentes non ſunt, & participare præſentium ſit, non abſentium. Id expreſſe ante Chryſoſtomum indicavit Origenes Hom. 13. in Exodi cap. 25. *Noſtis*, inquit, *qui divinis Myſteriis intereſſe conſueviſtis, quomodo, cum ſuſcipitis Corpus Domini &c.* Ubi vides divinis Myſteriis intereſſe ab eorum ſuſceptione diſtingui, & fideles quidem iiſdem aſſiſtere conſueviſſe, non ſemper de illis communicare; ait enim, *cum ſuſcipitis*, ideſt, quando ſuſcipitis, quod non importat ſemper, ſed quoties placuerit ſuſcipere. Idem confirmatur ex canone 101. Concilii Trullani, ubi dicitur: *Si quis immaculati Corporis particeps eſſe voluerit, & offerre ſe ad communionem &c.* nota, *ſi quis voluerit*.

Et ante ipſum ex Origene.

Licitum itaque erat, ac pro libito iis, qui Miſſæ aſſiſtebant, participes eſſe, vel non, & ſe offerre ad communionem, ſi voluerint, quo caſu manus in crucis formam figurantes accedebant, ut infra ſuo loco dicemus. Idem etiam plane habet S. Auguſtinus toties citata Epiſt. 118. quod & pluribus oſtendit Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 4. n. 14. Licitum nempe iis, qui non communicabant, accepta benedictione ante communionem diſcedere, nam Diaconus ante communionem teſtante Gregorio Magno lib. 2. Dialog. cap. 23. clamare ſolebat: *Si quis non communicat, det locum*: Neque id de pœnitentibus tantum intelligendum, uti falſo aliqui putant, ſed etiam de quibuſvis aliis, qui non communicabant, quod conſtat ex Conciliis Agathenſi can. 47. Aurelianenſi I. can. 26., & III. can. 29., cujus hæc verba: *De Miſſis nullus laicorum diſcedat, quam Dominica dicatur oratio, & ſi præſens*

Licitum quibus, qui Miſſæ aſſiſtebant, communicare, vel non.

Episcopus fuerit, ejus benedictio expectetur. Quod autem hæc benedictio fuerit ante communionem, non vero post ipsam, arguitur ex ejusdem seculi sexti Concilio Toletano IV. præside S. Isidoro Hispalensi can. 18. , ubi approbata quorumdam Sacerdotum consuetudine, quod *post dictam Orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant*; Statuitur, *ut post Orationem Dominicam, & conjunctionem panis, & calicis, benedictio in populum sequatur, & tum demum Corporis, & Sanguinis Domini Sacramentum sumatur, eo videlicet ordine &c.* Ubi vides benedictionem ante communionem fuisse.

Cum benedictio populi ante communionem præmittatur, & hac accepta cuique licitum esset discedere.

Et quidem in Missali Mozarabum benedictio ubique communioni præmittitur, itemque in Gallicano passim apud Thomasium, & hactenus benedictio Episcopalis ante communionem datur, scilicet post orationem Dominicam, uti videre est ex Emin. nostro infra lib. 2. cap. 16. Quare licebat iis, qui non communicabant, accepta benedictione ante communionem discedere, ut ex prædictis locis abunde colligitur, indeque patet non omnes, qui Missæ aderant, in eadem communionem accepisse. Porro quoad pleniorem superius laudati Chrysostomiani textus intelligentiam vide quæ indicamus infra nota sequenti tertia.

(2) *Paschatis, & Pentecostes*) Verum. Ratherius Veronensis Episcopus seculo decimo in sermone Synodico apud Dacherium Spicil. tom. 2. asserit Laicis quater ad minimum quotannis communicare præceptum esse. Vide, quæ supra diximus in notis ad cap. XIII. §. 2.

Idque in utraque Ecclesia Latina, & Græca.

(3) *In utraque Ecclesia Græca, & Latina*) Quibus addo Sergium Papam I. qui fedit anno 687. De eodem legitur apud Anastasium in lib. Pontific., quod cum esset Presbyter tituli S. Susannæ ad duas domos *tempore Presbyteratus sui impigre per cæmeteria diversa Missarum solemnia celebrabat*: Numquidne semper ducebat secum populum suum, quem communicaret? Idne afferit Anastasius, vel alter ejus vitæ Scriptor? Certissimum itaque est antiquitus, sicuti & nunc, Missas fuisse sine communicante. Hisce tot perspicuis exemplis non obstantibus, quorum etiam bene multa cap. 18. referentur, qua fronte, judicet quispiam, si æquus est, Christianus Lector, qua fronte, inquam, nuperus Scriptor Londinensis, alias non ineruditus, etsi falso dogmate imbutus Joseph Binghamus Orig. Eccl. lib. xv. cap. 4. §. 4. audet dicere *ne minimum quidem vestigium ejusmodi consuetudinis in Ecclesia primitiva reperiri*, & in Emin. nostrum nonnullis scommatibus, ac dicteriis procaciter invehi, quasi has Missas privatas, seu sine communicante antiquitus fuisse gratis dicat, sed non probet, cum tot exempla, ac veterum testimonia proferat, quæ vel cæcis ipsis lumen ingerant.

At quamquam Hæretico parcendum, cui lux neque in tenebris lucet, nihilominus ut saltem fero verum fapiat heterodoxus iste, neque falso sibi sapiens esse videatur in inscitia sua, illum ad pleniorem etiam hujus captitis illustrationem, sed confutandum, commodius audiemus in peculiari Dissertatione, quam contra ipsum, aliosque gregales suos, ut supra diximus ad cap. 13. §. 4. nota 1., cum cæteris dabimus suo loco in fine operis; ibi Lectorem mittimus, & interim ne tandiu eumdem remorari simam, observandum cum Dion. Petavio Animadv. in Epiphanii Expositionem fidei tom. 2. pag. 355. quamstolide Sectariis quibusdam persuasum sit numquam in veteri Ecclesia Missam a fidelibus auditam fuisse, quin una communicarent, quo in errore, sane stupidissimo, versatur Casaubonus Exercit. XVI. in Annales Baronii num. 58. quodque mirum est ipsum Ambrosii locum citat, quem mox Emin. Author refert, nec advertit Sanctum Doctorem, cum quotidie Missas audire, in Quadragesima vero, si fieri potest, etiam communicare jubeat, satis innuere, nequaquam quotidie, cæteris saltem, præter Quadragesimam, diebus, communicatum fuisse. Ut autem *audire Missam* idem esse, ac communicare confirmet Casaubonus, Eusebii locum quemdam affert ex Hist. Eccl. lib. 7. cap. 9., quo nihil esse alienius ostendit laudatus Petavius loco indicato; in Agathensi vero Concilio, quod ex Gratiano idem citat Sectarius, tantum abest, ut aliquid ad errorem illum elevandum decretum fuerit, ut contrarium potius manifeste colligatur, fiquidem can. 47. Patres ita præcipiunt: *Missas die Dominica seculariibus tenere speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis regredi populus non præsumat: Qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur*: Atqui can. 18. ita statuit: *Seculares, qui in Natali Domini, Paschæ, Pentecostes non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur*: Hic tribus dumtaxat diebus quotannis fideles ad communionem compellit dicta Synodus, illic Dominicis singulis jubet audire Missam; non est igitur idem *audire Missam*, quod *communicare*; nec ambo illa fidelium usu Ecclesiæ veteris perpetuo fuere conjuncta. Id etiam patet ex eodem mox laudato Strabone cap. 22., ubi de oblationibus loquens; *Scendum*, inquit, *quosdam inordinate offerre, qui attendentes numerum oblationum potius, quam virtutem Sacramentorum, sæpe in illis transeunter offerunt Missis, ad quas perstitere, ut qui munus Domino obtulisti, offeras pariter pro eodem munere suscipiendo postulationem devotam. Non enim frustra in actione dicitur*, qui tibi offerunt, *non dicit*, qui obtulerunt, *ut intelligamus eos perstitere debere in offerendo, donec oblata ad hoc perveniant, ad quod oblata sunt*: Ex quibus verbis optime arguit Emin. Author lib. 2. cap. 8. §. 7. seculo nono, quo Walafridus claruit, eos, qui offerebant, non semper communicasse, etsi perstitendo Missam audirent. Hæc curfim dicta sunto fusius alibi confirmanda, & ad alia procedamus.

Refutatur falsa Novatorum persuasio, qua Missam antiquitus numquam a fidelibus auditam, quin una communicarent, perperam sentiunt.

(4) *Numquam tamen dixerunt ideo &c.*) Cum prioribus etiam seculis Fideles ab Ecclesia permitterentur, ut quandoque pro sua devotione, & pietate accederent, vel non accederent ad Eucharistiæ communionem, & sic ab ejusdem Sacramenti quotidiana perceptione, si voluerint, interdum abstinere potuissent; in quam rem S. Augustinus alias memo-

In primitiva etiam Ecclesia fœcelis permissum fidelibus a communione Eucharistiæ ex reverentia quandoque abstinere.

memorata Epiſt. 118. ad Januarium, ubi loquens de ipſa ſacra communione, an quotidie eam ſumere expediat, vel aliquando ex reverentia abſtinere, utrumque proprio cujuſque judicio id remittens, inquit, *faciat autem unuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum*: de qua etiam infra §. ſequenti nota 2. Et ſane nullum in monumentis ſeptem priorum ſeculorum, inquit Gaſpar Ivenin de Sacramentis differt. 4. qu. 9. cap. 2. mandatum legitur, quo ſumendæ Euchariſticæ communionis tempus aliquod determinate præcipiatur; Divino quidem jure adultis præceptum ſemper fuit, nedum in articulo mortis, ſed ſæpius in vita ad Euchariſtiæ participationem accedere, at quoties per annum, & quo tempore, id Chriſtus Eccleſiæ ſponſæ ſuæ judicio determinandum reliquit, de qua re infra ſuo loco.

Nec eſt, quod quis opponat decretalem Epiſtolam Fabiano Papæ adſcriptam, qua ter in anno fideles communicari præcipit, dudum quippe apud peritos omnes exploratum eſt, eam eſſe octavi ſeculi fœtum, quem illius authores Fabiani nomine inſcripſerunt, ut aliquod ei pondus conciliarent. Neque ſuffragantur Apoſtolici Canones, inter quos decimus ex Dionyſii Exigui interpretatione ſic expoſitus: *Omnes fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, & ſcripturas audiunt, non autem perſeverant in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, velut inquietitudines Eccleſiæ commoventes convenit communione privari*: Etenim Canon iſte, cui nonnulli Scriptores poſt Baronium ad an. 57. num. 139. innituntur, ut probent quotidianam communionem, aut ſaltem frequentiſſimam prioribus ſeculis ab Eccleſia præceptam fuiſſe, de Euchariſtiæ participatione, teſte Binio, non intelligitur; duplex enim eſt expoſitio hujus Canonis, prima Concilii Antiocheni can. 2., de quo mox Emin. Author, non excommunicari, vel damnari eos, qui ſimpliciter, & abſolute extra legitima, & conſtituta certa tempora non communicant, ſed eos, qui certa de cauſa nimirum ob aliquam ſuperſtitionem, aut pravam opinionem ſcripturas quidem audiunt, ſacram vero communionem contemnunt. Verba laudati Canonis Antiocheni hæc ſunt, ex interpretatione Gentiani Herveti: *Qui ſanctam Euchariſtiæ participationem propter aliquam inſolentiam averſantur*: Confirmatur hæc expoſitio in Decretis a Martino Bracarenſi collectis apud Labbeum Concil. Tom. 5. pag. 505., atque in Bibliotheca Juris Canonici Juſtelliana Tom. 1. in append. pag. 7., quæ & extat in Concilio Bracarenſi Tom. 11. Decreto 83. ubi ſic expreſſius legitur: *Si quis intrat ad Eccleſiam Dei, & ſacras Scripturas audit, & pro luxuria ſua avertit ſe a communione Sacramenti, & in obſervandis myſteriis declinat conſtitutam regulam diſciplinæ, illum talem proficiendum eſſe de Eccleſia Catholica decernimus.*

Altera expoſitio hæc eſt: eos nimirum non excommunicari, qui in Miſſa, quam audiunt, non communicant, ſed illos, qui ex Sacrificio exeunt, antequam conſummatum fuerit; cui expoſitioni lucem affert alia lectio Canonis Apoſtolici ſupradicti, de quo agitur, ſic enim habet eodem Gentiano Hervetо interprete: *Quicumque fideles ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, in precatione autem, & ſacra communione non permanent, ut Eccleſiæ conſonum afferentes ſegregari oportet*. Tales erant Quartadecimani Hæretici, qui poſt auditam Cathecumenorum Miſſam, nolebant communicare fidelibus, ſed exibant ante communionem, quod initio Eccleſiæ ſignum erat apud fideles vel indignitatis ad communionem, vel averſionis a ſacræ Euchariſtiæ perceptione. De his in Audæo hæretico Arii cœvo, de quo S. Epiphanius hær. 50. alias 70. redivivis, qui tunc temporis, anno circ. 340., quo dictum Concilium habitum eſt, Antiochiæ morabantur, non autem de Catholicis hujus Synodi Canonem ſecundum intelligendum eſſe, pluribus oſtendit Emmanuel Schelſtratius in ſuo ad dictam Synodum Commentario pag. 179., & ſeqq. Enim vero erant ibi quidam hypocritæ, inquit præfatus Scriptor, qui ſeorſim, aut per domos conveniebant, devitantes orationes Eccleſiæ, adeo ut Eccleſiam Dei ingreſſi ſcripturas audiebant, nec tamen communicabant in oratione cum populo, ſed ante communionem pro quadam inordinatione egrediebantur; id autem locum non habebat in Catholicis, qui hæreticorum communionem vitantes nullatenus ad eorum Eccleſias accedebant, ſed potius in Audæanis, qui cum ſummam religionem affectarent, & Catholici videbantur, initio cum Catholicis permixti fuerunt, ſic tamen, ut eorum orationes, teſte Epiphanio, penitus evitabant, ut ſi quando cum Catholicis in eadem Eccleſia inveniebantur, Audæani vel ex hoc cognoſci poterant, quod ante orationes, & communionem exibant; quorum inſolentiam Antiocheni Patres dicto ſynodali decreto comprimi voluere.

Quo circa, ut hunc Canonem exponunt Zonaras, Balſamon apud dictum Schelſtratum loco citato pag. 172., & 173. non comprehenduntur fideles Eccleſiam adeuntes, qui juſta cauſa intercedente non communicant, vel de Eccleſia exeunt, hi namque propter pietatem, & condignam Sacramentorum reverentiam venia digni habebuntur, & Canonem non tranſgreditur, qui ob neceſſariam, piamque cauſam, non vero ob vituperabilem, vel diſcedit, aut non communicat. Nil ergo eſt, quod ex his Canonibus hucuſque dictis quoad libertatem in Miſſa communicandi, vel interdum abſtinendi primis etiam ſeculis unicuique fideli conceſſam adverſetur. Sequiori poſtmodum ævo id licitum fuiſſe, ſatis ſuperque exploratum habemus; Gregorius enim Turonenſis lib. de Gloria Confeſſ. cap. 65. narrans oblationes cujuſdam mulieris viduæ, quas pro conjuge defuncto faciebat, hæc ſcribit: *Mulier per annum integrum ad hoc templum degens* (Eccleſiam nempe S. Hilarii Pictavienſis Epiſc.) *aſſidue orationi vacabat celebrans Miſſarum ſolemnia, & offerens oblationem pro memoria viri &c.* Mox poſt pauca ſubdit: *Muliere non ſemper ad communicandi gratiam accedente*: ubi vides, ait Thomaſinus de Eccl. diſcipl. parte 3. lib. 1. cap. 13. num. 8., quod quamvis oblatio, & communio res eſſent conjun-

Ita pariter Audæanos canon 2. Concilii Antiocheni ferit.

Exponitur Canon X. Apoſtolorum circa communionem.

Qui canon non afficit, niſi Quartadecimanos fidelium communionem averſantes.

Non vero catholicos juſta ex cauſa de Eccleſia exeuntes.

junctiſſimæ, non ita tamen indivulſe cohæſiſſe, ut non offerrent aliqui, qui eodem ipſi quidem die ſe a communione abſtinerent. Idem patet ex Capitul. Reg. Franc. lib. 6. cap. 157., & ex ſtatuto Concilii Nannetenſis de Eulogiis apud Rheginonem lib. 1. cap. 1. num. 61., quo jubetur, ut Presbyter benedicat reliquias panis poſt peractam conſecrationem reſiduas, eaſque diſpenſet quolibet Dominico, & feſto die in eos omnes, qui ad ſacram non acceſſerint Corporis Chriſti communionem, uti plenius videbitur infra cap. 23. §. 12., & lib. 2. cap. 19. §. 8.

§. VI.

Diluitur objectio ex Epiſtola S. Franciſci.

MUlta objiciunt Sectarii, ut Miſſam privatam abrogandam eſſe perſuadeant, quibus doctiſſime ſatisfecerunt Bellarminus, & alii recentioris ævi, qui in hac palæſtra ſumma cum laude deſudarunt (1). Nequeo (1) tamen unum illorum argumentum omittere, quod ex epiſtola S. Franciſci ad Sacerdotes ſui Ordinis deſumunt (2), ſummopere exultantes ac ſi per eam praxis privatim celebrandi radicitus evellatur. Epiſtolæ verba hæc ſunt. (2) *Moneo præterea, & exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantum Miſſa celebretur in die, ſecundum formam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, ſit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius.* En inquiunt vir Dei unam dumtaxat in die Miſſam admittit, idque ſecundum formam Romanæ Eccleſiæ. Porro Catholici vim hujus objectionis variis modis declinare nituntur. Lucas Vvaddingus longo commentario oſtendit eum loqui de Miſſa publica, & Conventuali, privatas autem cujuſque arbitrio reliquiſſe. Alii dicunt non determinari qualis ſit, vel eſſe debeat illa Miſſa, ſolemniſne an privata, & ſic contra ritum privatim offerendi nihil ex hoc teſtimonio concludi. Sunt etiam qui dicant agi ibidem de ſola quinta feria ante Paſcha, non de aliis diebus. At hæ ſolutiones parum ſolidæ mihi videntur, nam vim afferunt textui, in quo manifeſte hortatur, ut una tantum in die Miſſa dicatur, cui reliqui Sacerdotes interſint ea contenti. Ideo alii, ut ſe facilius a difficultate expediant, falſam eſſe ajunt, & ſuppoſititiam Epiſtolam, ſanctoque viro perperam tribui; dicit enim Romanæ Eccleſiæ tunc morem fuiſſe, ut una tantum Miſſa diceretur, quod procul a vero diſtat, nec fas eſt ſuſpicari virum ſanctum, aut ſcienter mendacium ſcripſiſſe, aut Eccleſiæ Romanæ uſum, qui tunc vigebat, ignoraſſe. At ego admiſſa Epiſtola tanquam vera, & legitima, ſumptam ex ea objectionem nullo negotio dilui poſſe exiſtimo, ſi dixerimus Seraphicum Patrem, qua humilitate a Sacerdotii ſuſceptione ipſe abſtinuit, eadem hortari ſuos, ne quotidie celebrent. Quod vero ait *ſecundum formam Romanæ Eccleſiæ*, de Ritu ſervando in ipſa celebratione exponi, & intelligi debet; neque trahendum ad unicam celebrationem, ac ſi ea tunc foret Romanæ Eccleſiæ inſtitutio: optime enim noverat plures in die fieri oblationes; ſed ſicut in Regula præcepit, ut Fratres officium recitarent ſecundum morem Romanæ Eccleſiæ; ita hic monet, ut ſecundum formam ejuſdem Eccleſiæ agantur Miſſæ: tum humilitatis cauſa, & ne Sacerdotes ex frequenti celebratione tepidiores fierent, hortatur, ut unica oblatione, cui omnes intereſſent, contenti reliqui abſtinerent. Quia vero ſciebat id contra uſum communiter receptum eſſe, ſola exhortatione uſus eſt, non præcepto. Scio quidem Carthuſianos, & alios quoſdam Monachos unam tantum Miſſam, ad quam omnes conveniebant, ſolis diebus Dominicis, & ſolemnioribus antiquitus egiſſe, ut oſtendam Capite XVIII., ſed in Romana Eccleſia nunquam legi hunc uſum fuiſſe. Si autem hæc ſolutio non placeat, reſpondendum erit, ſingularem unius quantumvis Sancti aſſertionem, ſeu opinionem non tanti eſſe, ut juſte poſſit

aliis

aliis innumerabilibus, & omni exceptione majoribus, qui pro usu privatæ Missæ testimonium perhibent, anteponi, eorumque vim & auctoritatem infringere, ac superare.

(1) *Et alii, qui in hac palæstra &c.*) Inter quos Gregorius de Valentia Theolog. Comment. Tom. 4. Disp. 6. quæst. 11. Functo I. Gabriel Vasquez in 3. part. D. Thomæ Tom. 3. Disp. 222. cap. 3. & nuper Natalis Alexander Hist. Eccl. Sec. XIII., & XIV. Dissert. 13. num. 36.

Epistola S. Francisci primum dubia; deinde Seraphico Minorum Parenti vere adjudicata.

(2) *Quod ex Epistola S. Francisci &c.*) Philippus Melanchthon pessimi Lutheri non absimilis discipulus, rigidioris Lutheranismi nequissimus assertor, ac primipilus hæretico suo dogmati de abjurandis Missis privatis favisse putavit hanc Epistolam S. Francisci, unde & pro eodem pertinaciter affirmando illam citavit in execrabili sua Augustanæ Confessionis Apologia art. de Missa. Quod sane movit pium, ac eruditissimum virum Joannem Eckium in suo Enchiridio, ut negaret hanc Epistolam fuisse a S. Francisco conscriptam: de qua etiam dubitarunt Card. Bellarminus Controv. Tom. 3. lib. 3. cap. 10. de Missa lib. 2. cap. 10. in Resp. ad Object. 12. & Ant. Possevinus Appar. Sac. Tom. 1. sub nomine *Franciscus*. Addidit Eckius nec filios ejus Fratres Minores agnoscere hanc Epistolam inter Opuscula Seraphici Patriarchæ sui; (in quo fane hallucinatus est doctissimus Scriptor, in omnibus enim monumentis, & Chronicis tum antiquis, tum novis Ordinis Minorum nullum tam suum fœtum esse observatur, quam Epistola hæc, neque illius fuisse aliquando ante hos dubitatum) qui ne admitterent tanti nominis, & sanctitatis virum, adeo perverfæ doctrinæ vel minimum favisse, de illius Authore suspicati sunt; quare in Bibliotheca vet. PP. edit. Paris. anno 1654. Tom. 5. pag. 859. additum est in fine *caute lege*. Et refertur, quod Eckius, ac Bellarminus mox citati de hoc dubio differunt, ea præsertim ratione, quod si hæc Epistola de quovis die loqueretur, falsum apertissime contineret, quod profecto de Sanctissimo Minorum Fundatore sentire iniquum est, uti & optime advertit Emin. Scriptor, cum Honorius Papa III., qui Romæ sedit tempore S. Francisci, in sua Decretali cap. *Cum creatura*, uti legitur apud Cironium in quinta Collectione Decretali Honorii, quam ipse primum edidit pag. 176. de celebratione Missæ ad Episcopos Galliæ scribens jusserit non omitti Anniversaria sacra pro Defunctis ob festum, vel feriam occurrentem, sed utraque sacra eadem die conventualiter celebrari.

Verum his non obstantibus negari haud potest hocce Opusculum Sancto Francisco tribuendum esse, quum id fateantur vetustissimi Codices, adstruat traditio universi Ordinis Minorum ad hoc usque tempus deducta, qua semper ab ipsius Ordinis Fratribus pro certo creditum est hanc Epistolam ab eodem Seraphico Patre exaratam fuisse. Et quidem uti genuinam admittit S. Bernardinus Senensis diligentissimus dictorum, scriptorumque sui Patris Franciscі observator, Operum suorum Tom. 1. Serm. 20. art. 2. cap. 7. in fine, ubi ad probandam maximam Sacerdotum excellentiam, ac necessitatem in eis puritatem, utitur argumento ipsius S. Francisci in hac Epistola incip. *Si Beata Virgo Maria &c.* ac quatuor, vel quinque periodos ex eadem refert sub Francisci nomine. Eam pariter ut autographam sui parentis syngraphem recipit Alvarus Pelagius Silvensis Episcopus in suo Planctu Ecclesiæ lib. 2. art. 5. omnesque fere Scriptorum Ecclesiasticorum Collectores eamdem S. Francisco tribuunt, quare de hujus authore non est dubitandum. Nihil autem ex hac Epistola inferri potest contra receptissimam antiquæ Ecclesiasticæ traditionis de Missæ privatæ celebratione authoritatem, tum ex rationibus ab Emin. nostro doctissime allatis, tum etiam quia S. Franciscus nihil aliud in hac sua Epistola, quam reverentiam maximam erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum fundere intendit, nec tollit suis Fratribus liberam facultatem sacrificandi, quando eis placuerit, sed hanc supponit, uti perspicue constat ex illis verbis circa initium Epistolæ, *quandocumque voluerint Missam celebrare, puri, & pure faciant cum reverentia*, quæ nonnisi de Missa privata interpretari possunt, cum non sit in cujusque Fratris potestate Missam solemnem celebrare, sed id ex arbitrio pendeat Superioris. Quare non tollit libertatem, nec præceptive prohibet tamquam malam, & illicitam, sicuti Hæretici blaterant, hujusmodi consuetudinem celebrandi, sed tantum hortatur, & inducit ad rariorem, purioremque tanti Sacrificii celebrationem.

Nihil autem ex ea contra vetustissimum Missæ privatæ usum e. Misoliturgi colligi potest.

Nec primus, aut solus docuit S. Franciscus multoties a Sacrificio abstinendum, ut postea majori spiritus devotione, ac fervore perageretur; olim namque plures pios, ac religiosos Sacerdotes de facto quosdam dies prætermisisse quin sacrum facerent, aliosque idem consuluisse ob majorem Augustissimæ rei sacræ reverentiam plenissime constat. Et primo Monachorum Nitriensium hanc fuisse consuetudinem testatur Palladius Helenopolitanus Episc. in Vita Abbatis Arsisii Nitriotæ, qui eodem, quo magnus Antonius, tempore floruit, Hist. Lausiaca cap. 7. circa finem, ubi dicitur: *Sunt autem ollo Presbyteri, qui præsunt huic Ecclesiæ* (Nitriæ) *in qua quandiu vivit primus Presbyter hujus Ecclesiæ, nullus alius offert &c.* ubi reliqui septem neque etiam die Dominico celebrabant, sed Missam primi cum cæteris audiebant, cumque omni conventu fratrum in ea communicabant. Id etiam patet ex pluribus Cassiani locis videlicet Instit. cap. 2. Collat. 6. cap. ult. Collat. 18. cap. 15. Item dicti Palladii Hist. Lausiacæ cap. 38. Sozomeno lib. 3., & 6. cap. 18. Nicephoro lib. 9. cap. 14. ubi Orientalium morem fuisse dignoscitur Dominico tantum die ad Ecclesiam omnes convenisse, sacra mysteria peregisse, & consummasse uno tantum

Non enim primus, aut solus docuit S. Franciscus quandoque ea reverentia abstinendum a Sacrificio.

ex

ex illis Sacerdote celebrante, aliisque ministrante, uti dictum est; reliquis autem diebus unicuique Presbytero, si voluerit, in suo privato Oratorio celebrare, licitum fuisse paulo infra dicetur.

Id namque in usu fuisse apud Monachos Occidentales ostenditur.

Idem pariter in usu fuisse apud Occidentales Monachos constabit infra ex cap. 18. §. 3. quibus addi possunt Cistercienses nostri, qui, uti habetur in libro Usuum dicti Ordinis cap. 59. Presbyteri in ipsis etiam Dominicis non celebrabant, sed tantum cum reliquis communicabant: *Omnibus Dominicis diebus communicent qui potuerint, Sacerdotes tamen, qui per Septimanam cantant, si die Dominico non cantant, in eorum sit potestate communicare, vel non*: De Carthusianis exploratum est, ipsis Sacrificium quotidie offerre olim licitum non fuisse, ut patet ex Epistola Petri Blesensis ad Alexandrum Novitium Carthusianum. Vigebat apud eosdem ithæc consuetudo etiam circa medium seculum XIV., uti ex Petro Boherio in Appar. ad Constit. Bened. XII. ubi ad cap. 27. ita loquitur: *Unde non quotidie, immo raro sacrificat Carthusiensis Ordo, sicut enim solet generari ex assiduitate contemptus, sic accenditur ex ipsa raritate devotio*: Idem etiam constat ex Guigone Carthusiensi in Statutis cap. 14. Denique dictus Papa Benedictus XII. in sua ad Monachos Benedictinos Constitutione cap. 27. de Sacerdotibus loquens, sic ait: *Etsi non frequentius, saltem semel in septimana saltem bonestate, & debita devotione Missas studeant celebrare.*

Aliæ variæ rationes fortasse notatur S. Francisco hortatur fratres suos ne quotidie celebrarent.

Docent præterea tum ex cap. *quotidie* de Confecr. dist. 2., & ex sæpius citata Epistola S. Augustini ad Januarium cap. 3., ipsisque non esse illicitum, nec contemnendam hanc raro celebrandi consuetudinem Franc. Suarez Tom. 3. in 3. part. D. Thomæ Disp. 80. sect. Concl. 3. Franc. Pitigianus 1. parte suæ Summæ in 4. Scoti dist. 13. quæst. 2. art. 2. Concl. 4. Gabr. Vasquez in 3. part. quæst. 83. Disp. 232. cap. 2. aliique Theologi, ac Stephanus Durantus de Rit. Eccl. Cathol. lib. 2. cap. 4. nu. 3. & 4. Prædictorum igitur exemplo poterat Seraphicus Pater Franciscus Fratres suos hortari ad rariorem Missæ celebrationem, *ut quando volverint Missam celebrare, puri, & pure faciant cum reverentia*: quibus verbis eos non impedit, quod Missam celebrent, quandocumque voluerint, dummodo puri, & pure faciant cum reverentia, sed ut cum majori dispositione accederent ita eos hortatus est, ac proinde eosdem a celebranda Missa privata non avertit, sed tantum ab illius celebratione abscque debita mentis puritate. Hinc inter illos etiam Monachos, & Anachoretas supra laudatos, apud quos erat consuetudo die tantum Dominico conventualem Missam celebrandi, non defuerunt qui quotidie eandem cum reverentia privatim celebrarent, uti de SS. Barlaam, & Ephræm Monachis Presbyteris, aliisque legitur apud Rosvveidum in Vitis Patrum, & diserte ostendit Edmundus Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. lib. 1. cap. 3. art. 3. num. 2., & de antiq. Monach. Rit. lib. 2. cap. 6. num. 3.

Neque illicitum, aut contemnendum nonnulli reputant Theologi.

Ut cum majori possit dispositione Sacerdos ad sacrificandum accedat.

Quare S. Augustinus Epistola mox citata, & ex eodem S. Antonius Patavinus Serm. Dom. 3. post Epiph. circa finem inquit: *Quidam ob reverentiam Corporis Christi dicunt, Domine non sum dignus &c. Unde frequenter ab Eucharistiæ sumptione abstinent, alii honorando Corpus Christi gratanter accipiunt, unde Augustinus: quotidie recipere Eucharistiam, nec laudo, nec vitupero, nam & ille honorando non audet quotidie sumere, & ille non audet ullo die prætermittere*: Sic Seraphicus Minorum Patriarcha, ut optime ad hanc hæreticorum objectionem respondet Emin. Author, ea humilitate, qua a Sacerdotii susceptione ipse abstinuit, eadem honorando Corpus Christi, hortatur Fratres suos, ne quotidie celebrent. Fortasse id etiam voluit, *quod nempe in quocumque loco Fratres contenti essent una Missa, præscientes Fratres se velle justificare per Missas, & ad quæsitum eas reducere, sicut videmus hodie fieri*, uti candide non diffitetur Alvarus Pelagius loco citato, qui centum circiter annis ab obitu S. Francisci scribebat ad annum scilicet 1330. Et sane ultima illa verba: *Sicut videmus hodie fieri*: non obscure indicant jam tempore Sancti Francisci hanc consuetudinem exortam fuisse, cujus una fuit causa, ut inquit Emin. noster infra cap. 18. §. 9. *quod fundatis Ordinibus Mendicantium, & longe, lateque propagatis, multiplicata sunt onera Missarum, atque ideo necesse fuit singulos Sacerdotes, ut iis satisfacerent, singulis diebus privatim celebrare*; hinc illa multitudo Altarium, quæ in Ecclesiis Mendicantium videtur, quam non est cernere in aliis, sive Monachorum, sive Clericorum, ut subdit Clar. Pater Joannes Franciscus Baldinus Congr. de Somasca innotis ad Anastasium novis. edit. Tom. 4. inter notas var. pag. 23. col. 1.

Quæ & qualis fit ea una tantum Missa, ad quam celebrandam in die monet suos Seraphicus Pater.

Hucusque allatis virorum eruditorum rationibus, & meam qualemcumque addiderim, qua, ni fallor, Seraphici Patriarchæ genuinum, & proprium sensum in hac sua Epistola quasi acu tetigisse existimarim. Monet itaque, & hortatur Alumnos suos sanctissimus Minorum Parens, *ut in locis, in quibus morantur, una tantum Missa celebretur in die secundum formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*: Ut autem quæ, & qualis hæc Missa fuerit a præclarissimo Minorum Legislatore præscripta, facilius dignoscatur, animadvertendum est de Missa publica altata S. Francisci verba nullatenus intelligi posse; ea namque, ut supra observavimus §. 2., & 3. ila est, ad quam plebs adunata cum Pastore suo convenit, quæque populi offerentis, & communicantis frequentia splendidior redditur: cum vero hujusmodi Missæ, ut ostendimus, vetitæ fuerint in Monasteriis tum ex Pontificum, tum Synodorum Decretis, nihil utique de his præscribit, aut præscribere potuit sanctissimus Pater, ut pote alienum ab Instituto regulari Cœnobitico, quod fundare intenderat; quin & neipsis quidem Fratribus quotidianam communionem faciendam exprimit, sed tantum, *ut alter contentus sit audita celebratione alterius Sacerdotis*, nihil loquens de communione. Neque etiam de Missa ab omnibus Christifidelibus audienda Dominicis diebus, ac festis ab Ecclesia statutis intelligi debere videtur Beatus Patriarcha, quod enim jam ab Ecclesia

præ-

præceptum, & ab initio ſub gravi præſcriptum atque omnibus notum erat, ſuperfluum profecto fuiſſet id de novo præcipere, quod etiam ſatis indicant ea verba Sancti Patris, *moneo, & exhortor*, quæ conſilii ſunt, non mandati. De reliquis igitur diebus profeſtis, ſeu, ut vulgo dicitur, ſerialibus proculdubio intelligendus Seraphicus Legislator.

Utrum autem hæc una tantum Miſſa celebranda, & ab omnibus fratribus audienda, quam idem ſanctus his diebus intendit, illa fuerit, quæ ſolemnis dicitur, an vero privata, nunc diſquirendum eſt. Harum utraque ſive una, ſive altera a Fratrum ſimul audientium Conventu Conventualis dici poteſt, & utraque *ſecundum formam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ* celebratur, ſolemnis quidem, ut dictum eſt, cum cantu, & plurium cæremoniarum apparatu, thure, Miniſtris, ac Clero aſſiſtentibus, ſuorumque Ordinum munia exercentibus; privata autem, quæ ſine cantu, uno, aut duobus dumtaxat Clericis miniſtrantibus dicitur. Miſſa porro ſolemnis juxta morem, & conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ tempore S. Franciſci, ſicut & nunc, non quotidie ubique locorum in omnibus Eccleſiis, ſed tantum in Baſilicis Patriarchalibus, Cathedralibus, aut Collegiatis, in reliquis vero minoribus Eccleſiis, diebus dumtaxat feſtis, ſive communibus, ſive propriis, aut in anniverſariis Defunctorum celebratur, ut inde juxta commune adagium Miſſæ ſolemnitas diem feſtum a profeſto diſtinguat. Hinc pro certo ſtatuendum eſt Seraphicum Patriarcham Franciſcum eam unicam Miſſam celebrandam, & in die ab omnibus audiendam conſuluiſſe, quæ communiter in Eccleſia celebrari conſuevit, ſive ſolemnem in die feſto, ſive privatam in aliis, quinimmo privatam potius, quam ſolemnem diebus præſertim non feſtivis ipſum Sanctum Patrem intendiſſe credendum erit, utpote quæ magis opportuna, & juxta exigentiam illius extremæ paupertatis, ac ſimplicitatis Evangelicæ, quam ſe, & ſuos profiteri volebat, facilius, ac commodius, minoribuſque expenſis celebrari poterat: eo vel maxime cum Miſſa ſolemnis nonniſi, ut diximus, cum pluribus Miniſtris, veſtium, ac luminum apparatu celebretur, quæ ex incertis fidelium largitionibus ſperanda Fratribus obveniebant.

Hæc unica Miſſa in die ab omnibus audienda, ſolemnis in feſtis, privata in reliquis diebus videtur fuiſſe.

Præterea cum S. Franciſcus, uti obſequentiſſimus S. R. E. filius ſe, ſuoſque, & ſua in omnibus, & per omnia ad ejuſdem Sanctiſſimæ Matris normam, & conſuetudinem conformari ſtuduerit, uti notum eſt, cumque ex antiqua laudabili conſuetudine pene apud omnes Chriſtifideles, præſertim pios in uſu ſit, ut quotidie nedum in diebus feſtis, ſed & aliis quibuſque Miſſam audiant, eamque unam, & privatam audire contenti ſint, & ſic ab opere Dei ad ſua ſinguli opera inde procedant; eo pariformiter modo Seraphicus Pater ſuos Alumnos monuit, ut communem ſequentes morem Miſſam quotidie audirent omnes, quæ celebrari contigerit, ſive privatam, aut ſolemnem: & quidem privatam potius in diebus profeſtis, tum ex dictis rationibus, tum etiam, ut expeditiores forent ad alia pietatis opera exercenda, videlicet Evangelii prædicationem, proximorum ſalutem procurandam, aliaque id genus, quæ in Regula præſcribuntur.

Hæc autem ita eſſe, nec aliter intelligi poſſe, ex ipſomet S. Franciſco alterius comprobatur. Narrat Cl. Minorum Chroniſta Lucas Waddingus Annal. Ord. Min. Tom. 1. ad an. Chriſti 1209., & Relig. 2. num. 41. &c. quod cum Breviarii Romani uſum nondum habuiſſem ii primi S. Franciſci ſocii, quantumvis vehementer ipſe Sanctus Fundator cuperet eos præ cæteris rebus in Orationis ſtudio proficere, malens tamen profectum ex abundantia propriæ devotionis emanare, quam aggravato jugo ſpontaneum ſpiritus fervorem præpediri, tantum voluit, ut uniuſcujuſque Canonicæ horæ loco Dominicam orationem ter recitarent, miſſamque audirent, neque tum vocalibus precibus, ſed myſteriorum contemplationi intentos eſſe volebat; quod & ante ipſum ſignificat S. Bonaventura in Legenda S. Franciſci cap. 4. Vides hic pro ſingulis quibuſque horis canonicis Miſſas a dictis S. Patriarchæ ſodalibus auditas fuiſſe: Neque ſibi adverſari dicendus Patriarcha ſanctiſſimus, quod hic plures Miſſas a ſuis audiendas voluerit, in dicta autem Epiſtola unicam tantum præſcripſerit, hic enim plures horarum Canonicarum loco erant, ibi vero cum earumdem penſo; ſic explorata Sancti Patris intentione, quis umquam ſanæ mentis hoc loco dicet eas Miſſas cantatas, ſeu ſolemnes extitiſſe? Privatæ utique profecto erant, quæ in quavis Eccleſia haberi poterant, quod & indicant verba ſubſequentia, quibus exprimitur, quod non vocalibus precibus, ſed myſteriorum contemplationi intenti eſſe deberent; vocales etenim preces facilius in privata, quam in cantata Miſſa recitari poſſunt. His omnibus ſatura ſimul, & æqua lance perpenſis luce meridiana clarius evincitur Miſſam a Sancto Franciſco in ſua, de qua loquimur, Epiſtola præſcriptam ab omnibus ſuis Fratribus audiendam, non aliam, quam privatam fuiſſe, indeque evidentiſſime conſtat nihil eſſe, quod ex hujuſmodi Seraphici Patris Syngraphe nobis objicere poſſint Sectarii Miſoliturgi contra antiquiſſimum Miſſæ privatæ uſum, quem ſemper in Eccleſia Catholica viguiſſe contra ipſos invictis argumentis, magnoque rationum pondere, ſatis, ſuperque demonſtratum eſt.

Confirmatur hæc noſtra, qualiſcumque de Epiſtola S. Franciſci ſententia.

His ſubdo Miſſæ privatæ teſtes & ipſos ſeculi Principes, mundique Reges clariſſimos, qui eam quotidie, atque etiam pluries devote audientes ſua publica præſentia, ac pietate comprobarunt. De Lothario Imperatore ſcribit Leo Oſtienſis in ſuo Chronico Caſſinenſi lib. 4. cap. 125. quod tribus quotidie Miſſis intererat: *Nam, ut ipſe*, inquit, *teſtis ſum in expeditione conſtitutus* (dictus Imperator) *ſummo diluculo Miſſam pro Defunctis, dehinc pro exercitu, tertiam poſtremo diei Miſſam audiebat*. De Sancto Ludovico Galliarum Rege refert Guillelmus Nangius in ejus vita pag. 369., quod *raro accidebat, quin quotidie duas Miſſas audiret, & frequenter tres, vel quatuor*: Henricus III. Angliæ Rex tribus quotidie ſolemnibus cum nota Miſſis aderat, præter alias, quæ ſine cantu recitabantur, ut

Miſſæ denique privatæ teſtes publici vel ipſi veteres Mundi Reges, ac ſeculi Principes.

scribit Rogerius Hovedenus, & ex ipso Thomassinus vet. & nov. Eccl. Discipl. Tom. 1. parte 1. lib. 2. cap. 87. num. 11. Incitabat quandoque illum Sanctus Ludovicus præfatus Galliæ Rex, ut ejus temporis partem aliquam audiendis Concionibus seponeret, cui ille non invenuste reponebat: Malle se diutius amici conspectu frui, beari, quam audire aliorum de eo Sermones. De Beato Amedeo Duce Sabaudiæ tertio legitur in ejus Vita, & Officio ad diem 30. Martii, quod non ante cum hominibus agere soleret, quam Divino Missæ Sacrificio audiendo, & cœlesti numini sibi conciliando operam dedisset. Possent & alii hujusmodi insignes testes proferri, quibus Missam privatam semper, & ubique terrarum apud Christifideles in usu fuisse, ostendi valet. At isti pro similibus quibuscumque sufficiant.

CAP. XV.

Alia quædam Missarum genera. Missarum de Tempore, & de Sanctis ratio, & antiquitas. Quæ sint Missæ votivæ. Sacrificium pro defunctis ex Apostolica traditione offerri. De Missa Præsanctificatorum. Addita quædam de ea, quam Siccam *vocant. Refertur quorundam abusus, qui plures Missas in unam congerebant.*

§. I.

Alia quædam Missarum genera. Missarum de Tempore & de Sanctis ratio, & antiquitas.

Sic stabilita tam publicæ, quam privatæ Missæ vera notione, & antiquitate, ad alia earum genera explicanda procedendum est. Primo autem occurrunt quæ de Tempore dictæ sunt: sicut enim annus solaris quatuor temporum successione dilabitur, hyemis scilicet, veris, æstatis, & autumni; ita annus Ecclesiasticus suas habet temporum varietates, in quibus vitæ, passionis, & doctrinæ Christi mysteria, fideique nostræ Sacramenta recoluntur. Anni vero solaris cum Ecclesiastico Analogiam diffuse explicat *lib. 6. sui Rationalis* Guil. Durandus, ubi docet hyemem repræsentari a Septuagesima usque ad Pascha, ver ab Adventu usque ad Septuagesimam, æstatem a Paschate usque ad octavam Pentecostes, & ab hac usque ad primam Dominicam Adventus Autumnum. Quædam autem officia propria Missarum his temporibus assignata fuisse vel ab Apostolis, vel ab eorum successoribus, quæ ideo de tempore nuncupantur, antiqua traditio est. Festa siquidem Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & Ascensionis Christi, ac Pentecostes, & jejunia Paschæ solemnitatem antecedentia, atque his diebus Synaxes Apostolica institutione cœpisse testes sunt Constitutiones Apostolicæ, Tertullianus lib. de jejuniis, Theophylus Alexandrinus in Epistolis Paschalibus; Irenæus apud Eusebium lib. 5. Historiarum: & in his convenerunt omnes Ecclesiæ; licet de die, quo Nativitas Domini, ejusque Apparitio, ac Resurrectio coli deberent, (1) lites olim acerrimæ motæ sint. De tempore Adventus ante Nativitatem mentio fit in Concilio Turonensi II. cap. 17. & in Matisconensi I. cap. 9. quæ ante Gregorium Magnum acta sunt. Officia vero & Liturgiæ tum his diebus, tum singulis Dominicis, certisque feriis per annum agendæ extant in antiquissimis Sacramentorum libris Sanctorum Pontificum Gelasii & Gregorii, & in Lectionario S. Hieronymi, atque in Ordine Romano. (2) (1) (2)

(1) *Licet*

De dictus, quibus Nativitas Domini, etiamque Apparitio celebrari debeant, plures veterum extitere sententiæ.

(1) *Licet de die, quo Nativitas Domini, &c. coli debeant.*) Sane quoad dies, quibus hæ sacræ festivitates celebrari deberent, plures antiquitus extitere controversiæ. Et primo hæreticorum aliquot veterum error fuit, (ut notat Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1.,) ut Christum Dominum vigesimo, vel vigesimo prima die Mensis Aprilis, aut etiam decima quinta Maii natum dicerent, cui sententiæ & nonnulli Ægyptii, iidemque Catholici falso subscripserunt, cumque ipsis S. Epiphanius in suo Panario adv. hær. ad hær. 51. quam erronеam opinionem S. Hieronymus in Ezech. cap. 1. viriliter explodit. Hisce propterea rejectis infulsis assertionibus tam Latinorum, quam Græcorum Ecclesiæ pari consensione in eam convenere sententiam, ut Redemptor noster vigesimaquinta die Decembris natus sit, uti pluribus SS. PP. authoritatibus, & antiqua Ecclesiæ universæ traditione ostendit Card. Baronius Appar. ad Annales suos circa finem, & in notis ad Martyrol. Roman. sub die 6. Januarii, & 25. Decembris. Plura item doctissime affert de Natalis Dominici celebritate, ejusque pervigilio, ac origine clarissimus Maria Florentinius in suo vetustissimo Martyrologio Exercit. 2. pag. 105., & seqq., qui & pag. 201., ac 228. de Epiphaniæ, seu Apparitionis Domini festo loquens, hunc diem non modo in Orientali, sed in Occidentali Ecclesia celeberrimum fuisse affirmat, quod secunda Nativitas vocaretur, & in vetusto Ordine Romano celebrior, quam prima asseratur.

Epiphania, seu Apparitio Domini festum in... utraque Ecclesia celeberrimum.

Græci moderni hac die Theophaniorum, ut vocant, solum Christi Baptismum celebrant, ac die 25. Decembris una cum Christi Nativitate Adorationem Magorum. Ægyptii vero, ut hic in notis ad Martyrol. Roman. habet Baronius, uno eodemque die Christi Natalem, & Baptismum agunt, nam, ut Collat. 10. cap. 2. scribit Cassianus, *Provinciæ illius* (Ægypti) *Sacerdotes diem Epiphaniorum, vel Dominici Baptismi, vel secundum carnem Nativitatis esse definiunt, & idcirco utriusque Sacramenti solemnitatem non... bifarie, ut in Occiduis Provinciis, sed sub una diei hujus festivitate concelebrant*: Porro Mediolani Ambrosiano ritu, ut die Natali Domini, in Epiphania maximo populi conventu Officium matutinum noctu celebrari accensis more Græco pluribus luminibus, ex Petro Galesinio notat Bollandus ad diem 6. Januarii.

De Paschali item festo quo sionem Dominicam in die 8. kal. Aprilis, ad diem confignandam, nonnullæ veterum opiniones.

De Paschali autem Festo, & Christi Domini Resurrectione veteres Patres, qui Pascha seu die 25. Martii constituunt, quorum aliquot refert laudatus Florentinius loco citato pag. 399. ac Godefr. Henschenius Tom. 3. Act. SS. Martii pag. 540. Resurrectionem ejusdem ad 6. kal. seu 28. Martii necessario reponunt. Sunt tamen aliqui, qui eodem die conceptum esse, & resurrexisse putaverint, ac propterea ex eorum fortasse authoritate Græci in Menæis excusis dicta die conjungunt hæc duo mysteria Incarnationis, & Resurrectionis, cum quibus Ado Viennensis in Martyrologio manuscripto Bibliothecæ Reginæ Sveciæ, (nunc in Vaticana) ut afferit laudatus Henschenius ad diem 27. Martii, & antiquiores Episcopi Gallicani, ac S. Martinus Dumiensis. Nonnulli etiam Resurrectionem contigisse primo, aut quinto die Aprilis arbitrati sunt, sed absque ullo Martyrologiorum testimonio. Item die prædicta 28. Martii Resurrectionem Dominicam statuunt Maurolycus, Panvinius, aliique apud Henschenium præfatum; Et sane Ven. Beda lib. de temporum ratione cap. 25. in hanc propendit sententiam, ut dies 25. Martii affignetur mysterio Passionis, & 28. ejusdem gloriosæ Resurrectionis: *Quod* VIII. *kalendarum Aprilium*, inquit, *crucifixus* (Christus Dominus) VI. *kalendarum earumdem resurrexerit, multorum late Doctorum Ecclesiasticorum constat sententia... vulgatum*: Quod & plura antiqua Martyrologia testantur apud dictum Henschenium loco citato, ubi & id ab antiqua Ecclesiæ traditione fluxisse dicitur ex Tertulliano lib. contra Judæos cap. 8., & Augustino lib. 4. de Trinitate cap. 5. lib. 18. de Civit. Dei cap. ult., & lib. 80. Quæstionum, quem pro suo recognoscit in Retractationibus idem S. Doctor quæst. 59. aliisque.

Pascha a festo Resurrectionis apud quadam loca eliam aliquo modo distinctum.

Nonnullæ etiam Ecclesiæ Paschа a Festo Resurrectionis quodammodo distinguebant, forte quoniam festum hoc fixum adhuc retinerent VI. kal. Aprilis, illud mobile veneraretur; Ita apud Gregorium Turonensem lib. 10. Hist. S. Perpetuum constituisse, ut solemniores horum dierum vigiliæ in diversis Ecclesiis haberentur, nempe VI. *kal. Aprilis in Resurrectione Domini nostri ad Basilicam Domini Martini. Paschа in Ecclesia*: Hinc factum est, ut quæ Ecclesiæ Dominicam, Resurrectionem celebrarent VI. kal. Aprilis, Ascensionem ejusdem Christi Domini celebrassent III. Nonas Majas, & Pentecostem Idibus Maii, uti id tradunt Excerpta vetustissimi Authoris ex Eusebio, & Africano apud Scaligerum, quæ refert supra laudatus Florentinius loco cit. Porro de die, & anno Passionis Dominicæ, a qua Paschа deducitur, varias refert priscorum sententias Dion. Petavius ad Epiphanii hær. 51. Alogorum pag. 142. De dis etiam nonnulla vide apud Natalem Alexandrum Hist. Eccl. Sæc. 1., ac Hiac. de Graveson in suo Opere de myst., & annis Christi.

Ex variis Lunationum computatione ortum de Paschate diffidium.

Cæterum etsi antiquorum plures dictæ adhæserint sententiæ quoad dies Passionis, & Resurrectionis Domini supra assignatos, quia tamen tabulæ Astronomicæ non his æque consentiant, eædemque admodum inter se diversæ tradantur, viri harum facultatum consultissimi desperatione penitus victi, & certum quid affirmare impossibile rati rem inabsolutam reliquerunt, ut ait Card. Baronius ad an. 34. num. 153. Et sane cum in computatione lunationum sæpe error irrepserit, sæpe etiam ortum est de Paschate diffidium, non modo inter Latinos, verum & inter ipsofmet Græcos; diffidium, inquam, non circa celebrationem Paschatis die Dominico, hoc enim utpote ab Ecclesia statutum, tam Græci, quam Latini, ut Ecclesiasticum dogma custodiunt (etsi olim Syri, Cilices, Mesopotami, Asiatici;

ticæ omnes, & Ponticæ, necnon Hieroſolymitana Eccleſia in celebrando Paſchali feſto claudicaverint una cum Judæis Paſcha celebrantes quartadecima luna Menſis Martii in quemcumque diem incidiſſet, uti S. Athanaſius in Epiſtola de Synodo Ariminenſi, & Seleucienſi, ac Firmilianus Cæſarienſis Epiſcopus Epiſtola ad Cyprianum inter Cyprianicas edit. Pamelii num. 75. teſtantur) ſed in aſſignanda præciſe die Dominica, quæ plenilunium immediate ſubſequeretur; etenim cum annus conſtet 365. diebus, & horis 6., non tamen integris, quoniam ad earum complementum aliqua minuta deſunt, nihilominus ſemper computatus fuit, ac ſi habuiſſet ultra 365. dies dictas 6. horas integras, quas revera non habet; hinc ex iiſtorum minutorum neglectu factum eſt, ut eadem tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta plures dies conſtituerent, qui dies a primo Paſchate ad an. 1582., quo Gregorius XIII. Calendarium reformavit, ad decem uſque, & ultra aſcenderant.

Atque inde orta fuere diſſidia, lites, & controverſiæ circa Paſchatis celebrationem, quorum aliqua narrant Baronius in Annalibus, & ex ipſo Spondanus ad an. 417. num. 6. an. 453. num. 7. an. 545. num. 3. an. 573. num. 3., & alibi alia. Vetus hæc controverſia fuit jam tempore Polycarpi agitata, circa medium ſeculi ſecundi, anno ſcilicet Chriſti Domini 151., ſeu 158. ut Author Chronici Alexandrini exiſtimat, quo anno ſub Aniceto Papa idem Polycarpus Romam venit, ut hanc quæſtionem cum dicto Pontifice conferret. Narrat id S. Irenæus Lugdunenſis in Epiſtola ad Victorem Papam, cujus inſigne fragmentum nobis aſſervavit Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 24. *Cum Beatiſſimus*, inquit, *Polycarpus Aniceti temporibus Romam veniſſet, atque inter illos de quibuſdam aliis rebus modica eſſet controverſia, ſtatim mutuo pacis oſculo ſe complexi ſunt, de hoc capite non magnopere inter ſe contendentes*, ſcilicet de die Paſchatis celebrandi, de quo antea locutus fuerat. Contendebat Anicetus Paſcha celebrandum eſſe Dominica proxima lunæ decimæ quartæ poſt æquinoctium vernum; Polycarpus autem ex Aſianorum conſuetudine illud ajebat cum Judæis luna decima quarta celebrandum, quem morem ut idem abjiceret ſuadebat Anicetus. Nullum tamen inter ipſos propterea diſſidium fuit, uti firmat Irenæus loco mox indicato, qui hæc ſubdit: *Quæ cum ita ſe haberent communicarunt ſibi invicem, & Anicetus in Eccleſia conſecrandi munus Polycarpo honoris cauſa conceſſit; tandemque cum pace a ſe invicem diſceſſerunt, tam iis, qui obſervabant, quam illis, qui minime obſervabant, pacem, communionemque totius Eccleſiæ retinentibus.* Hæc poſtea quæſtio agitata fuit in Synodo, quam Author Libelli Synodici primum a Joanne Pappo latine editus an. 1601. & a Phil. Labbeo ſuæ noviſſimæ Conciliorum collectioni inſertus, noni ſeculi Scriptor, refert a dicto Papa Aniceto Romæ coactam, cui & ipſe Polycarpus interfuit cum aliis decem Epiſcopis; quæ Synodus *definivit tremendam, & ſalutarem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Dei Paſſionem in Sancta Paraſceve myſtice celebrandam; Reſurrectionem autem vitæ auctricem ipſa celebri & magna Dominica omnimode eſſe peragendam.* Sub Victore autem Papa I. celebrato Cæſareæ in Palæſtina Concilio iterum fuit hæc controverſia ſic definita.

Et primum ſeculi ſecundo.

At quamvis plurimi reſipuiſſent, Syri nihilominus Apoſtolicam prætexentes traditionem, adhuc in ſchiſmate perſiſtebant, more Judæorum die decima quarta lunæ Sanctum Paſcha celebrantes, non autem die Dominico poſt dictam lunam, & cæteræ omnes Eccleſiæ, uti ex Sancto Athanaſio lib. de Synodis ſupra citato ait Baronius ad an. 325. Hujus controverſiæ cauſſam, quam mox indicavimus, jam pridem ſignificavit S. Leo Magnus ad Marcianum Imperatorem ſcribens Epiſt. 64. cujus verba huc omnino referenda ſunt: *Paſchale*, inquit, *Feſtum, quo Sacramentum ſalutis humanæ continetur, quamvis in primo Menſe celebrandum ſit, ita tamen eſt lunaris curſus conditione mutabilis, ut plerumque ſacratiſſimi diei ambigua currat electio, & ex hoc fiat plerumque, quod non licet, ut non ſimul omnis Eccleſia, quod non niſi unum eſſe oportebat, obſervet; ſtudereque Sancti Patres* (Nicæni ſcilicet) *occaſionem hujus erroris auferre, omnino hanc curam Alexandrino Epiſcopo delegantes, quoniam apud Ægyptios hujus ſupputationis antiquitus tradita videbatur eſſe peritia, per quam, qui annis ſingulis dies præditæ ſolemnitatis eveniret, Sedi Apoſtolicæ indicaretur, ut hujus ſcripti ad longinquiores Eccleſias judicium generaliter percurreret*: Hæc Sanctiſſimus Pontifex, ubi vides diſſenſionum originem circa Paſchatis diem, ex lunaris curſus mutabilitate, eademque non ſatis ubique perſpecta, & computata proceſſiſſe. De hac item re ſcripſit Leo ad plures in Oriente, ad Eudoxiam ſcilicet Auguſtam, ad Proterium Alexandrinum, cujus reſponſionis fragmentum citat Beda lib. de ratione temporum cap. 42., & ad Paſchaſinum Lilibæi Epiſcopum, cujus & reſponſio extat poſt S. Leonis Epiſt. 72.

Hujus diſſidii cauſam Sanctus Leo Magnus perſpicue teſtatur.

Alexandrino Patriarchæ delatum a Concilio Nicæno Paſchalis diei ad Apoſtolicam Sedem indicatio.

Porro diu perſeveravit mos iſte in Eccleſia Alexandrina, ut ejus Sedis Epiſcopus, Paſchales, quas vocabant, daret Epiſtolas, ſed interceptum ejuſmodi officium fuit, poſt quam illi Eccleſiæ præſidere cæperunt Epiſcopi hæreſiarchæ, cum licet ii darent literas, nemo tamen ab ipſis acciperet, quibus in fide non communicarent, quales vero eſſe ſolerent ejuſmodi Paſchales Epiſtolæ, quæ adhuc extant Theophyli Epiſcopi Alexandrini a S. Hieronymo in latinum verſæ docere poſſunt. Cognitio itaque primum ex Patriarchæ Alexandrini literis quoto anni die celebrandum eſſet Paſcha, eoque Apoſtolicæ Sedis literis omnibus Eccleſiis promulgato, Sacro Epiphaniorum die Diaconi in ſingulis Eccleſiis inter Miſſarum ſolemnia annunciare conſueverant. Verum antehac vigebat in Eccleſia antiquus uſus, ut a Romano Pontifice quæreretur Paſchalis dies, quod habetur expreſſum in Arelatenſis I. Concilii an. 314. can. 1. quo decernitur Paſchale Domini feſtum eodem die per univerſum Orbem celebrandum, & juris, atque Officii Romani Epiſ-

Exinde ereſte Paſchales Epiſtolæ veterum, quæ adhuc extant.

Episcopi esse, ut juxta receptam consuetudinem literas ea de re quotannis ad universas dirigat Ecclesias. Quare his verbis Synodus ad Silvestrum Papam scribit: *De observatione Paschæ Domini, ut uno die, & tempore per omnem Orbem observetur, & juxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas.* Vide Card. Baronium ad dictum annum 314. num. 30. Id etiam sancitum fuit in magno Concilio Nicæno, ut omnes scilicet eo Menſe, ac die Pascha celebrarent, quo id Ecclesia Romana observaret; item in Concilio Carthaginensi IV. clarissimeque a S. Ambrosio in Epistola ad Episcopos per Æmiliam constitutos asseritur.

Deinde instituti aurei numeri, & Cyclus Victorianus Dominicalium.

Ut autem in Noviluniis, atque adeo in XIV. lunæ Martii nulla amplius inter Christianos dissensio oriretur, quemadmodum a Concilio Nicæno usque ad tempora ferme Justiniani Imperatoris acciderat, sed omnes eisdem diebus primam diem lunæ pronunciarent, dispositi sunt a Dionysio Abbate Romani Monasterii Exiguo dicto 19. aurei numeri ab Alexandrinis accepti per dies in Calendario tali artificio, ut quilibet ei diei cujusque Mensis præfigeretur, in quo novilunium illo anno, quo aureus ille numerus præfixus usu erat. Legendus hac de re peritissimus Christophorus Clavius in sua novi Calendarii Romani Apologia contra Michaelem Mæstlinum in Tubingensi Academia Mathematicum toro lib. 2. Denique, ut omnibus constaret, quando esset dies Dominica, instituta fuit Cyclus Literarum Dominicalium, ut ita cognita litera Dominicali cujusvis anni nulla esset in diei Dominicæ, adeoque in Paschalis Solemnitatis celebratione diversitas apud Christiani nominis Nationes. Verum, quia expolt æquinoctium, ac novilunia non rede per aureos numeros in Calendario collocatos indicabantur, sed quatuor, & amplius diebus serius quam oportebat, factum est, ut Pascha sæpe sæpius contra sanctionem Concilii Nicæni celebratum fuerit, uti dictus Clavius loco cit. lib. 1. cap. 2., & ante ipsum Paulus Middelburgensis lib. 2. suæ Paulinæ ostendunt.

Demum ut omnia deinceps vitarentur abusus priorum editum Kalendariorum Gregorianum dictum.

Quare, ut hæc absurda, & incommoda, quæ etiam in libro novæ rationis corrigendi Calendarii referuntur, ac nonagesimo quarto quoque anno contingere solebant, ex veteri Calendario deinceps futuris temporibus vitarentur, supra laudatus Pontifex Gregorius XIII. accitis undique viris eruditis Calendarii reformationem instituit, quam suo nomine Calendarium Gregorianum nuncupavit, utque in universa Ecclesia servaretur, præcepit, prout ab omnibus Occidentis Ecclesiis acceptata inviolabilis custoditur. Inter Orientales soli Maronitæ eamdem Gregorianam Calendarii reformationem post 30. annos acceptarunt, reliqui vero Græci, præcipue schismatici adhuc verus Calendarium retinent, licet erroribus ita obnoxium, ut non solum una, verum tribus, & quinque etiam hebdomadis, quandoque a nostro differat, quo circa temporis progressu ad Mensem Augustum, & ultra protrahendum a Græcis Pascha jure merito deprehenditur; quod sane absurdum. Latinis numquam ex novi Calendarii beneficio deinceps obveniet. Porro a Paschatis Dominica die reliqua festa mobilia, videlicet Ascensionis, Pentecostes, & alia dependent, de quorum omnium Liturgiis infra cap. 18. §. 6. nonnulla dicemus.

Paschalis solemnitas quomodo archiepiscopus celebrata.

Supereſt, ut aliqua de ejusdem Paschalis solemnitatis antiquissima traditione, & quomodo ea olim celebrata fuerit, subdamus. Et quidem Paschale festum ex Traditione Apostolica derivasse, ut optime innuit Emin. Author, veteres omnes credidernnt. Comprobatur id ex ipso facto Apostolorum, licet pro illo tempore Pascha more Judaico celebrarint, ut Synagoga sepeliretur cum honore, & non statim omnia Mosaica abrogarentur, eos tamen non sic deinceps celebrandum docuisse patet ex indicatis ab Emin. Constitutionibus Apostolicis lib. 5. cap. 16., & ex Concilio, quod dicitur Apostolorum, can. 8. ubi inter cætera definitur Paschæ celebrari non posse ante æquinoctium vernum, & in die Dominica celebrari debere; & sane cum ex Act. Apost. cap. 20. versic. 7. & ex Apocal. cap. 1. versic. 10. videantur Apostoli diem Dominicum instituisse, ipsi quoque Paschatis, seu Resurrectionis Domini festum instituisse, dicendi sunt, in cujus mysterii honorem dies Dominicus celebretur, quod & confirmatur ex Pii, & Victoris Pontificum Epistolis. Item in Conciliis Generalibus Nicæno I., & II., ac tribus Provincialibus Diospolitano, Ofroeno, & Pontico sub Victore. Id autem sic semper ab initio Ecclesiæ observatum ex Apostolica traditione fluxisse, satis evincitur, quod & suis particularibus Epistolis testantur nedum Firmilianus supra memoratus, Polycrates Ephesiorum Episcopus, aliique ab Eusebio indicati lib. 5. Hist. Eccl. cap. 22., & 23. apud Baronium ad an. 198. num. 1. & seqq. ubi plura de dicta Paschatis controversia, sed & Constantinus Augustus in litteris, quibus Nicænum de Paschate decrerum executus est, quasque haud dubie ipsa Synodus composuit, diserte dicit Paschale festum mandatum esse Apostolicum; quinimmo & ipse Acesius Novatianorum Episcopus eidem Constantino ejus mentem hac de re exposulanti respondens apud Socratem lib. 1. cap. 7. *Nihil novi*, inquit, *Concilium* (Nicænum) *decrevit, nam antiquitus a primis Ecclesiæ fadæ fundamentis, & ab Apostolorum temporibus idem tempus festi celebrandi observatum accepi*: Hæc proinde est fides Romanæ, & omnis Catholicæ Ecclesiæ, ait Christianus Lupus in Scholiis ad Canones Nicænos cap. 6.

Eadem per octo continuos dies olim observata.

Porro Paschalem solemnitatem per octo continuos dies celebrandam observare antiqua est pietas Ecclesiæ tam Occidentalis, quam Orientalis. Et primo S. Augustinus serm. I. in Octava Paschæ, qui est 157. de Temp. ac legitur in Officio Dominicæ in Albis: *Paschalis solemnitas hodierna festivitate concluditur, & ideo hodie Neophitorum habitus commutatur*. Item Concilium Trullanum Can. 66. *A sancta*, inquit, *Christi Dei nostri Resurrectionis die usque ad novam diem Dominicam tota septimana vacare fideles jugiter oportet Psalmis, & Hymnis, & spiritualibus Canticis in Christo gaudentes, festum-*

feſtumque celebrantes, &c. Hinc ſub Codicis Theodoſiani tit. *de Feriis*, leg. 2. inter ferias Imperatores ſtatuere *Sanctos Paſchæ dies, qui ſeptem, vel præcedunt numero, vel ſequuntur*: Ita etiam Synodus Moguntina ſub Carolo Magno cap. 36. *Diem Dominicam Paſchæ cum omni honore, & ſobrietate venerari decrevimus, ſimili modo totam hebdomadam obſervari; Item Pentecoſten ſimiliter, ut in Paſcha.*

His conſonant Synodus ſecunda Matiſcon. an. 585. Can. 2. & præcipue Theodulphi Aurelianenſis Capitulare 36., ubi ita legitur: *Dies Paſchalis hebdomadæ omnes æquali veneratione colendi ſunt*: Item Synodus Meldenſis an. 845. Can. 77. anathemate percellit eos, qui octo dies Paſchatis non celebraverint, Engelheimenſis an. 949., & Capitulare Heraldi Archiep. Turonenſis, ubi idem ſtatuitur; ſic itaque obſervatum fuit per omnes fere Eccleſias Occidentis uſque ad Synodum Conſtantienſem Geberardi Epiſcopi, de qua Bertoldus ejuſdem Eccleſiæ Presbyter ad an. 1094. *Geberardus ſtatuit, ut tam in hebdomada Pentecoſtes, quam in hebdomada Paſchali tres tantum dies feſtivi celebrarentur, nam uſque ad illud tempus Conſtantienſis Epiſcopatus morem comprovincialium non eſt ſecutus, videlicet integram ſeptimanam in Paſcha, & unam tantum diem in Pentecoſte obſervando, quamvis utræque ſeptimanæ ejuſdem obſervationis eſſe debuerint &c.* Ei tamen tamquam antiqui Canonis, moriſque everſori, graviter quoſdam obmurmuraſſe ſcribit Chronicon Eccleſiæ Auguſtanæ ad dictum an. 1094. Synodus Oxonienſis Stephani Cantuarienſis Epiſcopi utrique feſto quatuor adſcribit feſtivos dies, quod & nunc pleræque obſervant Eccleſiæ. Deinde ex decreto Concilii Conſtantienſis ad ſecundam, & tertiam feriam ubique redacti feſtivi dictarum ſolemnitatum dies.

Conſtantienſis ad tres tantum dies vocata eſt, ſcuti & Pentecoſtes.

Uſque ad ſeculum XI. quo ex decreto Concilii

(1) *Atque in ordine Romano*) In Miſſali Gothico, quem edidit Thomaſius, duæ habentur Miſſæ, prima de feſto: *Miſſa prima in feſto ſancto Paſchæ*: Et ſecunda pro novis Baptizatis, quæ dicebatur quotidie per hebdomadam: *Miſſa matutinalis per totum Paſcha pro parvulis, qui renati ſunt*, quod & obſervatur Mediolani Ritu Ambroſiano, ibi autem prima Miſſa eſt pro Baptizatis, ſecunda de Reſurrectione, & ſic per totam Octavam.

§. II.

Eadem Miſſarum de Sanctis Ratio, & Antiquitas.

ALiæ Miſſæ ſunt, quæ in honorem Sanctorum agi ſolent, cum illorum memoria annua ſolemnitate ab ipſis Eccleſiæ incunabulis recolitur. Audiendus de his Cyprianus Epiſt. 34. *Sacrificia pro eis*, (1) pro eorum ſcilicet honore, *ſemper offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus*. Et Epiſt. 37. ad Clerum ſuum diligenter annotari mandat dies, quibus Martyres excedunt, ac ſibi ſignificari; *ut*, inquit, *celebrentur hic a nobis oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum*: Quo teſtimonio nullum præſtantius. Ad idem reſpexit Cypriani Magiſter Tertullianus, cum libro de Corona Militis cap. 3. ait, *oblationes pro natalitiis annua die facimus*; quem locum male detorquet Rhenanus ad cujuſque diem natalem more Ethnicorum, quod valde alienum eſt a ſpiritu Chriſtianorum illius ævi, & a ſeveritate Tertulliani. (2) Confirmant ejuſdem ritus antiquitatem Eccleſiæ Smyrnenſis Fideles in Epiſtola, qua Polycarpi martyrium deſcribunt apud Euſebium *lib.* 4. *Hiſt. Eccl. cap.* 15. ejuſque oſſa ſe collegiſſe ajunt, & in loco decenti condidiſſe; & in eodem loco natalem ipſius hilari conventu, qui ſine ſacrificio non erat, quotannis celebraturos. (3) Subſcribit Auguſtinus *lib.* 8. *de Civ. Dei cap.* 27. ubi docet non ſanctis martyribus, ſed Deo ſacrificium offerri, cum Sacerdotes in honorem ipſorum ſacrum faciunt. *Quis*, inquit, *audivit aliquando ſtantem Sacerdotem ad Altare, etiam ſuper ſanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in precibus: Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & Martyres fecit?* Idem ſuſius proſequitur lib. 20. contra Fauſtum Manichæum hæc inter cætera ſcribens: *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum ſacrificemus, quamvis in memorias Martyrum conſtituamus Altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens Altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Pau-*

(1)

(2)

(3)

Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit. (4) Porro citati Patres de ſolis Martyribus loquuntur, quia Confeſſorum feſtivitates ſerius in Eccleſia receptæ ſunt, (5) & in Frontonis Calendario ante nongentos annos ſcripto non niſi quatuor adſcripti ſunt, Martinus ſcilicet Turonenſis, Gregorius Magnus, Leo Papa, & Sylveſter. Cum autem Martinus obierit anno Domini 402. ut Baronius computat, temporis notam habemus, quo feſta Sanctorum Confeſſorum celebrari cœperunt, nam ipſi primum hic honor delatus fuit, in cujus poſtea memoriam S. Benedictus in Monte Caſſino Oratorium conſtruxit (6).

(4)

(5)

(6)

Sacrificia de Sanctis pro eorum commemoratione, & honore celebrata.

(1) *Sacrificia pro eis*) Ideſt de Sanctis Martyribus Ignatio, & Laurentio, de iis enim loquitur: Vide infra lib. 2. cap. 14. §. 4. Hunc porro Cypriani locum varii varie interpretantur. Willelmus Lindanus Panopliæ Evang. cap. 53., & 55. non longe a principio exiſtimat Sacrificium ideo dici pro Martyribus offerri, quia in gratiarum actionem pro Martyrum gloria immolatur, quatenus ejus oblatione gratias Deo agimus pro gloria ipſis collata; Pamelius vero, cui hæc Lindani interpretatio non probatur, annotatione in illa Cypriani verba, inquit, ideo dici conſueviſſe pro Martyribus hoc offerri Sacrificium, quia pro eorum commemoratione offeratur, ut idem Cyprianus exprimit Epiſt. 37. ab Emin. allata, atque in hunc ſenſum locutum fuiſſe autumat Cyrillum Hieroſol. Catech. myſtag. 5. cum explicans illa verba Liturgiæ: *Etiam tibi offerimus pro omnibus, qui tibi placuerunt, Sanctis &c.* ut ipſe putat, dixit: *Atque hoc Sacrificium tibi offerimus, ut memores ſimus primum eorum, qui dormierunt, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum &c.* Verum Cyrilli verba alia profecto ſunt, nam ſic loquitur: *Deinde vero cum hoc Sacrificium offerimus, poſtea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, &c. ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras, &c.* Ex quibus plane haud colligi poteſt ſenſus, quem Pamelius contendit, bene quidem ille, quem intendit Eccleſia, ac in Miſſa poſt Offertorium dicimus, videlicet: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc immaculatam hoſtiam..... quam tibi offerimus in honorem Beatæ Mariæ Virginis, &c.* & infra: *Ut illis,* (nempe Sanctis commemoratis) *proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem.*

Itaque in honorem Sanctorum Sacrificium offerri dicitur, & in eorum memoriam, quatenus & in hoc Sacrificio commemorantur, & pro victoriis eorum Deo offertur; ſicque illorum patrocinia imploramus, cum in dicta oratione dicimus: *Ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam agimus in terris*: Atque hic eſt ſenſus Patrum, pro quibus omnibus unus ſufficiat Auguſtinus, præter alios jam ab Emin. allatos, qui Tract. 84. in Joan. *Ideo quippe, ait, ad ipſam Menſam non ſic eos* (Martyres) *commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis ut ipſi pro nobis orent*: Item Serm. 17. de Verbis Apoſtoli: *Habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod Fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitant ad Altare Dei, ubi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem defunctis oretur; injuria eſt enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*: Cæterum ſive in commemorationem, ſive in gratiarum actionem, ſive in honorem, ut dictum eſt, modo explicato, & uberius item infra ſuo loco explicando, Sacrificium pro Sanctis offerri dicatur, nihil in hoc vel Fidei Catholicæ, vel Eccleſiaſticis ritibus diſſonum eſt, ut ibi optime Emin. Author.

Ut ipſi pro nobis intercedant apud Deum.

Natalitia Martyrum, ſolemnitates in eorum cœmeteriis die celebratæ.

(2) *Et a ſeveritate Tertulliani*) Hinc optime Philip. Priorius in notis ad hunc locum per Natalitia intelligit ſolemnitates fieri ſolitas in honorem Martyrum, quo ſcilicet die Mundo mortui Cœlo nati ſunt, unde *annua die*, ideſt quotannis facimus. Id confirmat S. Gregorius Nyſſenus in Vita S. Gregorii Thaumaturgi: *Deſcendit*, inquit, *rurſus in urbem, & omni circa regione peragrata, ac pertuſtrata additamentum, & quaſi corollarium ſtudii ſui erga Numen divinum inſtituebat, apud omnes ubique populos ſanciens, ut nomine eorum, qui pro fide certaſſent, dies feſti, atque ſolemnes conventus celebrarentur, cumque alius in alium locum corpora Martyrum deduxiſſent, per anniverſarii circuli ambitum congregari lætabantur in honorem Martyrum ferias agentes.*

Eaque jam ab initio Eccleſiæ ex Apoſtolica traditione.

(3) *Natalem ipſius ..... quotannis celebraturos*) Ritum hunc jam ab anno 148., atque etiam longo antea tempore uſu receptum in Eccleſia fuiſſe teſtatur idem Euſebius lib. 13. Præpar. Evang. cap. 7. ubi ait: *Hæc nos quotidie faſtitamus, qui veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipſis facimus, tamquam viris Sanctis, quorum interceſſione ad Deum non parum juvari profitentur.* Huc præſtat adducere, quæ refert Valeſius in notis ad dictum Euſebii locum, ubi loquens de antiquis fidelibus, quomodo Martyrum reliquias venerabantur, eorumque Natalitia feſta quot annis celebrabant: „ itaque, ait, eorum reli„ quias in cæmeteriis honorifice condebant, „ ibique quotannis conveniebant Anniverſa„ rium martyrii diem celebrantes, hac ratio„ ne cum defuncto Martyre perpetuo com„ municantes, ut teſtatur hæc Epiſtola paulo „ infra. Atque id faciebant ex præcepto Pauli „ Apoſtoli, qui in Epiſt. ad Rom. cap. 12. „ communicare nos Sanctorum memoriis ju„ bet. Certe Optatus in lib. 2. verba illa

„ Apo-

„ Apoſtoli *memoriis Sanctorum communicantes* „ ita interpretatur, ut idem ſignificent quod „ offerre ad Sepulcra Martyrum ; nec aliter „ ſumit Hilarius in lib. contra Conſtantium „ ſub finem. De hac communione loqui„ tur Marcellinus Presbyter in libello pre„ cum ad Valentinianum Imper. ubi de Oxi„ rinchitis, qui S. Pauli ipſorum Antiſtitis „ memoriam devotiſſime celebrabant : *Ha„ bentes*, inquit, *ſecum Presbyteros, & Diaco„ nos illius illibatæ fidei, per quos fruebantur „ divinis Sacramentis una cum ſupramemorato „ beatiſſimo Paulo*: Hæc Valeſius ibi, cui conſentit Albaſpinæus in dictum Optati locum.

Quæ tamen in Quadrageſima non agebantur niſi Sabbatis, & Dominicis ; maxime apud Orientales.

(4) *Apud memorias eorum, quos coronavit*) Idem probatur ex Canone 49. Concilii Laodiceni, quo decernitur, ne in Quadrageſima Sanctorum ſolemnitates agantur his verbis : *Non oportet in Quadrageſima Martyrum Natales peragere, ſed Sanctorum Martyrum commemorationes facere in Sabbatis, & Dominicis* : Similiter Synodus in Trullo quinifexta Can. 52. conſtituit, ut tota Quadrageſima exceptis Sabbatis, & Dominicis, ac Annunciationis feſto non alia celebretur Liturgia, niſi Præſanctificatorum. Horum Canonum cauſam aſſignant eorumdem antiqui Commentatores Alexius Ariſtinus, Matthæus Blaſtares, Zonaras, Balſamon, aliique, ſcilicet quod Sacrificium ſit lætitiæ ſolemnis, ac feſtivæ celebritatis actus; Quadrageſima autem tempus luctus, ac mœroris, exceptis diebus Dominicis, & Sabbatis Dominicæ Refurrectioni, ac futuræ requiei confectatis, ideoque apud Græcos non jejunari conſuetis. Ex his patet reliquis infra annum diebus extra Quadrageſimam dictas Martyrum feſtivitates celebratas fuiſſe; exceptio quippe firmat regulam in caſibus non exceptis. Sed & de hac re iterum infra.

Sanctorum Confeſſorum ſolemnitates feriis, quam Martyrum, in Eccleſia receptæ.

(5) *Serius in Eccleſia receptæ ſunt*) Ita Innocentius III. Myſter. Miſſæ lib. 3. cap. 10. ubi ait : *Illud autem oportet inquiri, cur in Canone nulla fit commemoratio Confeſſorum, cum inter Sanctos eorum memoriam magnifice venerentur Eccleſia. Sed ad hoc poteſt probabiliter reſponderi : quod Canon prius fuit editus, quam memoriam Sanctorum Confeſſorum Eccleſia celebraret ; nam omnes fere Sancti, qui commemorantur in Canone, præceſſerunt Silveſtrum præter Joannem, & Paulum, Marcellinum, & Petrum, qui proxime ſucceſſerunt, Eccleſia vero poſt tempus Beati Silveſtri cœpit SS. Confeſſorum memoriam venerari ; nam & Sedes Epiſcopales, quæ juxta diſpoſitionem Beati Petri Apoſtoli ſunt in Civitatibus ſingulis antiquitus conſtructæ, non in memoriam Confeſſorum, ſed ad honorem Apoſtolorum, & Martyrum, & præcipue Beatæ Mariæ Virginis veterum devotio dedicavit* : Hæc Innocentius, & ante ipſum Micrologus quiſquis fuerit ſeculi XI. Scriptor lib. de Eccl. obſerv. cap. 28. *Quod hic ſoli Martyres*, ideſt in Canone Miſſæ (inquit) *nominantur, hoc ideo factum, quia nondum apud antiquos memoria Confeſſorum adeo celebris erat* : Quin & ſi Joannem Belethum celebrem ſeculi XII. Scriptorem audire velimus, ex hujus ſententia neque ſeculo ſexto nunc publica fiebat SS. Confeſſorum memoria, ſed Martyrum tantum. Ait ille Explic. Div. Offic. cap. 127. ubi loquens de magno Romanæ Urbis templo Pantheon antiquis dicto, quod a Cæſare Phoca Bonifacius Papa IV. obtinuit, hæc ait : *Templum illud Bonifacius Papa in honorem B. Mariæ Virginis, & omnium Martyrum dedicavit; nondum enim fiebant feſtia Confeſſorum*.

Huic autem ſententiæ plures ſubſcribunt; Bellarminus lib. 2. de Miſſa cap. 2. „ Prima „ conjectura eſt, inquit, quia in toto Canone „ nulla fit mentio Confeſſorum, aut Virgi„ num non Martyrum, ſed Martyrum tan„ tum, ſeu virorum, ſeu fœminarum, quod „ etiam notavit Auguſtinus lib. de Sancta „ Virginitate cap. 45. Hujus autem rei cauſa „ nulla eſt alia, niſi quam reddit Innocentius „ loco citato, quia videlicet eo tempore Ca„ non compoſitus eſt, quo nondum cœperant „ publice coli in Eccleſia Sancti Confeſſores; „ ſiquidem certum eſt Martyres cœpiſſe in„ vocari, & eorum nominibus dies feſtos „ coli, ac Baſilicas erigi ab initio plane Ec„ cleſiæ; Confeſſores autem multo ſerius hunc „ honorem in Eccleſia meruiſſe „ : Idem aſſerit Eugenius Robleſius Toletanus lib. de Auth., & Ordine officii Mozarabici in Bibl. ver. PP. Lugd. Tom. 23. ubi ait : Et quamvis verum ſit fuiſſe quoſdam Sanctos Confeſſores ante officium Gothicum, non ita „ tamen decantatum eſt illis temporibus of„ ficium eorum nomine, quia hic lionos Mar„ tyribus ſolis tunc tribuebatur ; His adſtipulatur & Mabillonius Præf. in Sec. V. Bened. num. 93., & 97. ubi hæc habet : „ Ut Mar„ tyribus, ſic etiam Confeſſoribus honos pu„ blico cultu delatus ab Eccleſia eſt. Id fieri „ cœptum ſeculo IV. &c. quod fuſe, & eruditiſſime probat.

Sanctorum feſtivitates ex aliorum Patrum teſtimoniis congroſſatæ.

Profecto id conſentaneum videtur iis, quæ ultra Sanctos Patres ab Emin. Authore allatos tradunt, Author Conſtitutionum Apoſtol. lib. 8. cap. 13. S. Baſilius Homilia in S. Gordium, S. Gregorius Nyſſenus Serm. de S. Theodoro, & Gregorius Nazianz. Orat. I. contra Julianum, S. Hieronymus Comment. in Epiſt. ad Galatas cap. 4., & Epiſt. 19. ad Euſtochium, item Epiſt. 53. ad Riparium, S. Joannes Chryſoſt. hom. 66. ad Populum Antioch. S. Paulinus hymno 2., & 3. de S. Felice, & S. Auguſtinus in Pſal. 63. & 88., qui omnes de Martyribus tantum, & cultu publico iis tributo loquuntur, non vero de Confeſſoribus, quibus nondum dictus publicus cultus exhibebatur. Et licet S. Paulinus Nolanus, ſive Martyrum, ſive Confeſſorum feſta ſuo tempore celebrari ipſe indicet in Natali XIII. S. Felicis apud Muratorium Anecdot. Tom. 1. pag. 66. his verſibus.

Hinc ego Sanctis, ſive Confeſſoribus,
Sive conſecratis paſſione teſtibus
Dies Sacratos, in quibus fundit diem
Mortalis ævi morte vitali ſuum,
De tabe Manli tranſierunt ad Deum,
Populi fideles gaudiis ſolemnibus
Honore Chriſti gratulantes excolunt,
"Ut iſte Sancti pace Felicis dies,
Quo clauſit olim corporis vitam ſenex
Confeſſionis ante fauſtus prælia,
Sed incruento conſecratus exitu :

Nihi-

Nihilominus Confeſſores, quos hic loci nuncupat Paulinus, eoſdem ac Martyres intendit, illos nempe, qui publice, & palam coram Tyranno Chriſtianam confeſſi ſunt fidem, ſed non inter tormenta obiere, quo Confeſſorum nomine ideo illos vocat, ut a Martyribus, qui in tormentis pro fide vita functi ſunt, diſtinguat, uti hic de Sancto Felice loquens, quem *incruento conſecratum exitu*, ſeu Confeſſorem nominat. Ita & nos docet ſcientia, & pietate Venerabilis Cardin. Thomaſius Præfat. ad Codices Sacram. S. R. E. num. 5. *Quodque*, inquit, *ex priſco Eccleſiæ uſu SS. Felix in Pincis, & Marcellus Papa, quia Sanguinem non fuderunt, haud Martyres, ſed tantum Confeſſores appellentur.*

Atque etiamſi de Confeſſoribus, qui nullum fidei certamen ſubiere, & pie tantum, ac ſancte in Domino obdormierunt, intelligatur, quod utique ex dictis Paulini verſibus deduci non poteſt, attamen id fieri cœptum ſeculo quarto, nam ſeculo quinto, anno ſcilicet 431. obiit Paulinus. Eidem etiam tempori referendum, quod de S. Antonio Abbate ſcribit S. Hieronymus in vita S. Hilarionis, *morti enim proximus ſepulturam ſuam ignoto loco parari juſſit, ne Pergamius, qui in iis locis ditiſſimus erat, martyrium, ideſt ædiculam ſacram ſuper tumulum ſuum fabricaret*: Obiit Antonius an. 358., qui ſane, ſi cultus iſte publicus Confeſſorum jam in Eccleſia invaluiſſet, hunc certe S. Paulo primo Eremitæ, cujus animam inter Angelorum Choros, inter Prophetarum, & Apoſtolorum cœtus in Cœlum aſcendere viderat, a ſuis Monachis præſtandum, atque illi Martyrium, ſeu ædiculam extrui curaſſet, quod vel ipſum Martyrii nomen a Hieronymo adhibitum demonſtrat, ut eodem vocabulo indicet ſolis tantum Martyribus ſacras ædes, ſeu memorias, ut ait S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 10. in Eccleſia primis ſeculis erectas fuiſſe.

Sanctis tamen Confeſſoribus, Virginibus, aut Viduis, qui ſanguinem non fuderunt facer quidem cultus delatus, non autem publicus.

Aſt etiam conceſſo, quod Confeſſoribus quibuſdam, ſeu Virginibus, aut Viduis ante quartum ſeculum hujuſmodi cultus ſacer delatus ſit, ut in eorum memoriam ſacræ ædes erectæ fuerint, quemadmodum ab Anaſtaſio relatum legimus in Pio hujus nominis Papa primo, *qui ex rogatu S. Praxedis dedicavit Eccleſiam in Thermis Novati in Vico Patritio in honorem S. Pudentianæ ſororis ejuſdem*: quæſtio eſt de eorum publica, non autem privata invocatione, de eorum ſolemni feſtivitate quotannis in die ipſorum emottuali celebrata, deque eorumdem nominibus in Miſſa, aut Eccleſiaſtico officio, vel fidelium conventu una ſimul cum Martyrum commemoratione publice recitatis, quod primis Eccleſiæ ſeculis erga Sanctos Confeſſores, aut Sanctas Virgines, vel Viduas factitatum haud legimus, cum id tantum Martyribus præſtitum fuiſſe compertum ſit. Atque inde patet reſponſio ad idem Hoſpiniani objectum de Feſtis cap. 4., ubi ex Sozomeno lib. 7. cap. 14. affirmat Palæſtinos longe ante anniverſaria celebritate Sanctos viros honorare conſueviſſe, qui pietate, & virtute inter eos præ cæteris floruiſſent, puta Hilarionem, Aurelium, Anthedonium, Alexionem, Nilamnonem, alioſque, qui non fuere Martyres, ſed tantum Confeſſores, viri pietatis laude conſpicui, id enim cultu privato iis præſtitum, & aliquibus in locis, oppidis, aut vicis factitatum admittimus, idque non ante ſeculum quartum, ut diximus; horum enim primus Hilarion obiit anno 372., ut ex Baronio in notis ad Martyr. Rom. die 21. Octobris; non autem cultu publico ab Eccleſia eiſdem hunc delatum honorem concedimus. Ita plane & huic ſententiæ ſuffragatur Joannes Fronto Canonicus Regularis in prænotatis ad Kalendarium a ſe vulgatum, ubi ait, eorum tantummodo Sanctorum nomina in ejuſmodi feſtis deſcribi, quorum dies feſtivo populi concurſu, publiciſque Sacrificiis celebrabantur, quod & probat ex Gregorio Magno, qui licet paucos in Sacramentario ſuo Martyres exhibeat, alias tamen ait lib. 7. Epiſt. 29. ind. I. ſe ſingulis diebus Martyrum memoriam celebraſſe. Sic etiam Theodoritus lib. 8. de curandis Græcorum affectionibus eas tantum Martyrum ſolemnitates recenſet, quæ populari concurſu fiebant: *Petro*, inquit, *Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliiſque Sanctis Martyribus populari epulo peraguntur.*

Uti hallucinatus eſt cl. Jacobus Laderchius, qui ideirco ex ſuo præſidio refutatur.

Hæc autem adnotata ſunt, ne fortaſſe legentibus librum nuper a Cl. Jacobo Laderchio Cong. Oratorii Romani Presbytero editum, quo Sanctorum Confeſſorum, ac mulierum cultus perpetuus in Eccleſia Catholica a primis ejuſdem ſeculis aſſeritur, mirum videatur Cardinalem Bona hujus non fuiſſe ſententiæ, quæ tamen, ut vidimus, ſuos habet aſſertores, & vindices primi ſubſellii viros, inter quos, præcipue Ven. Card. Thomaſius Præf. ad Codices Sacram. Eccl. Rom. nu. 5. ſupra cit. Et licet huic ipſius, aliorumque opinioni, ut notavimus, dictus P. Laderchius in ſuo memorato libro adverſari, & contrariam toto niſu propugnare ſtuduerit; nihilominus peritioribus Criticis haud tanti pendere videntur qualiacumque ab eo prolata momenta, ut a tot, tantiſque clariſſimis teſtibus, tum antiquis, tum novis recedendum ſit. Legantur dicti Ven. Thomaſii Vindiciæ ſuper hac re, aliiſque ſimilibus editæ in 4. Panormi 1723. & præcipue cap. 4. pag. 52., & ſeqq.

Quibus etiam Sanctis Confeſſoribus, Virginibus &c venerationem aliquam privatam ſaltem, præſtitam fuiſſe non negat Card. noſter.

Cæterum dictus Emin. noſter non negat ullum Sanctis Confeſſoribus cultum a piis fidelibus in Eccleſia ſemper exhibitum fuiſſe a primis uſque ſeculis, quibus utique venerationem aliquam ſaltem privatam præſtitam fuiſſe certum eſt, neque enim ignorare potuit vir doctiſſimus Eccleſiam ab initio tradidiſſe, in cœleſti Regno nedum Sanctos Martyres, verum etiam Sanctos Patriarchas, Prophetas, Confeſſores, Virgines, ac Viduas, pios denique utriuſque ſexus Chriſtifideles, qui ex hac vita, ſervaris Chriſti præceptis, ac per pœnitentiam in hoc ſeculo ab omni peccati labe purgati in fide, ac Dei dilectione decedentes ſpiritum eidem reddiderunt, æterna gloria donatos, ac proinde cum Eccleſiæ authoritate conſtiterit illos cum Chriſto in Cœlis regnare, pie invocandos, & colendos eſſe; id Catholicum eſt dogma, id a primis temporibus Sancti Patres docuere, præſertim S. Cyprianus

lib. de mortalitate, & alibi. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 21. de obitu Gregorii Patris ſui, Epiſc. & Conf. non martyris circa initium: *Nunc magis*, inquit, *nobis proficit precibus, quam antea doctrina, quanto etiam Deo propinquior &c.* Quod & repetit in fine Orationum de S. Baſilio, & de S. Athanaſio Epiſcopis, & Confeſſoribus; in extremis enim his orationibus cum ipſis agit, ut pro ſalute ſua Deum exorent. S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ circa finem: *Vale o Paula*, ait, *& cultoris tui ultimam ſenectutem orationibus juva; fides, & opera tua Chriſto te ſociant, præſens facilius, quod poſtulas, impetrabis*: Et in Epiſt. ad Paulum de obitu Bleſillæ: *pro te*, inquit, *Dominum rogat, mihique veniam impetrat peccatorum*: Neve alios referam Patres, unus pro reliquis ſufficiat Mellifluus Doctor noſter Bernardus Epiſt. 98. in fine: *Cæterum*, inquit, *apud Deum univerſo cœtui Sanctorum commune eſt, quod Sanctus ait Propheta: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*: Et paulo poſt: *Ne putemus ſolos Martyres eſſe dilectos, cum recolamus dictum de Lazaro; Lazarus amicus noſter dormit; denique beati mortui, qui in Domino moriuntur, ſicut Confeſſores profecto beati ſunt*: quod & alibi plerumque indicat.

Id autem profitetur Emin. noſter Bernardi filius pluribus in locis, præſertim infra lib. 2. c. 12. §. 2. c. 14. §. 4. & Div. Pſal. c. 16. §. 20. item in Horol. Aſcet. c. 5. §. 11. & 12. alibique paſſim; negat tamen cum Innoc. III. Bellarmino, Thomaſio, aliiſque ſupraindicatis Sanctorum Confeſſorum, aut Virginum feſtivitates primis tribus in Eccleſia ſeculis inſtitutas, aut eorum publicam, & ſolemnem memoriam, aut commemorationem in Miſſa, aut Eccleſiaſtico Officio peractam fuiſſe; uti de Sancta Pudentiana mox diximus, quod utique probari non poteſt, cum de hac re ſileant penitus Eccleſiaſtica priſcorum temporum monumenta, immo ex ipſis contrarium potius deprehendatur; ſiquidem, ut notat Guillelmus Burius Canonicus Mechlinienſis in ſuo Onomaſtico poſt notitiam Rom. Pontif. verbo: *Martyrologium*: Initio „ Eccleſiæ, ait ille, tantum pro Chriſto paſ„ ſorum acta in Martyrologium referebantur, „ & feſtum omnium Sanctorum erat primo „ omnium Martyrum, ac Templum Pan„ theon dictum vocatum fuit ad Martyres, „ atque in nonnullis antiquis Eccleſiis cele„ bratur hoc feſtum cum paramentis rubris, „ quaſi adhuc in honorem omnium Marty„ rum, ſicut Bonifacius IV. illud primo in„ ſtituerat, poſt vero Gregorius item IV. in „ honorem omnium Sanctorum voluit cele„ brari, & hinc paramenta alba eo feſto paſ„ ſim adhibentur, quod ſint jam omnes glo„ rioſi, ſed officium adhuc fit quaſi de Mar„ tyribus, quod patet ex ſecundis Veſperis, „ in quibus ultimus Pſalmus eſt *Credidi*, uti „ cantatur pro Martyribus, & Reſponſoria „ brevia, & verſus ſunt de Martyribus: Hæc ille. Quibus omnibus ſatis probatum eſt Emin. Scriptoris aſſertum, quod SS. Confeſſorum feſtivitates ſerius in Eccleſia receptæ fuerint.

Id enim fatetur pleriſque locis aliisque cum ipſo feſtantur.

(6) *In Monte Caſſino Oratorium conſtruxit*) Sanctum Martinum Turonenſem Epiſcopum medio tantum quinto Seculo publica feſtivitate in Eccleſia donatum jam ſupra vidimus cap. XI. cum de Miſſa Mozarabum §. 1. nota 3. Cæterum antiquitus ſolis Martyribus dedicatas publice Eccleſias conſtat ex Diurno Pontificum, ibi enim in formula petitionis Dedicationis Eccleſiæ cap. 34. 35. 39. 42. Martyris tantum, non Confeſſoris fit mentio.

§. III.

Quæ ſint Miſſæ votivæ.

SUnt & Miſſæ, quæ pro aliqua ſpeciali cauſa, aut neceſſitate ſeu publica, ſeu privata interdum celebrantur, quæ votivæ dicuntur. Ad has ſpectant Miſſa, quam ſcribit Auguſtinus *lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.* actam in domo privata, ut liberaretur a ſpirituum vexatione: Miſſa quam Proſper *lib. de Prædict. dimidii temporis cap. 6.* narrat celebratam in gratiarum actionem ob puellæ a diabolo obſeſſæ liberationem: Miſſa pro Catechumenis Feria quarta poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ, cujus mentionem faciunt Amalarius *lib. 1. cap. 8.* & Ordo Romanus: Miſſa ad prohibendum ab idolis, quæ olim Kalendis Januarii fieri ſolebat, de qua Menardus in notis ad librum Sacramentorum pag. 33. Quotquot denique pro aliqua, ut dixi, neceſſitate, vel in B. Virginis, ſive Sanctorum venerationem extra ſolemnes eorum feſtivitates, & antiquitus agebantur, & nunc quoque aguntur, inter votivas computandæ ſunt. Orabat autem & offerebat vetus Eccleſia non ſolum pro omnibus in ea viventibus, ſed etiam pro infidelibus, ut eos Dominus ad fidem converteret, & pacem illis ac proſperitatem largiretur. Notiſſimum eſt illud Tertulliani ad Scapulam, *Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt ut & ipſum diligat, & revereatur, & honoret, & ſalvum velit cum toto Romano imperio. Itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris.* Et ante ipſum Apoſtolus

Epiſt. 1.

Ep. 1. *ad Timoth. cap.* 2. præcepit fieri obsecrationes prò Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt: & tamen Reges tunc Deum non colebant, ut Chrysostomus *hom.* 6. *in hanc Epistolam* notat, sed in infidelitate multis postea temporibus perstiterunt. (1) In libro Sacramentorum Reginæ Suecorum ante annos nongentos scripto plures leguntur Missæ votivæ, quarum refero inscriptiones. Pro salute Fidelium vivorum, pro iter agentibus, in tribulatione, in natali Presbyteri qualiter sibi Missas agat, tempore mortalitatis, pro mortalitate animalium, pro sterilitate, ad postulandam pluviam, ad poscendam serenitatem, post tempestatem, & fulgura, pro his qui Agapen faciunt, Missa in Monasterio, *sive pro Monachis*, in natali genuino, *in die scilicet anniversaria, qua quis natus est*; pro sterilitate mulierum, in benedictione viduæ, quæ castitatem professa sit, in consecratione Virginis, tempore belli, pro Regibus, contra Judices male agentes, in contentione, contra obloquentes, pro irregiosis, ut convertantur, pro infirmo, pro reddita sanitate, pro domus seu familiæ incolumitate. Cornelius Schultingius *Tom.* 3. *Bibliotb. Eccles.* P. 1. Missas votivas (2) pro variis necessitatibus, & pro diversis hominum statibus centum & quindecim ex diversarum Ecclesiarum Missalibus collegit. Alias item habet P. 2. (1) (2)

Missæ votivæ antiquissimæ a primis Ecclesiæ sæculis.

(1) *Sed in infidelitate ..... perstiterunt*) Item Tertullianus mox ab Emin. allatus Apolog. cap. 30. ad calumniam Æthnicorum respondens: *In Cælum*, inquit, *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia pectore oramus, precantes semper pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, Populum probum, Orbem quietum, & quæcunque hominis, & Cæsaris vota sunt.* Arnobius lib. 4. contra Gentes ubi de Christianorum conventibus ab Æthnicis magna crudelitate destructis hæc habet: *Cur immaniter conventicula diruì meruerunt, in quibus summus oratur Deus, pax cunctis, & venia postulatur Magistratibus, Regibus, inimicis ad hanc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione?* Sic olim Dominus per Jeremiam Prophetam cap. 29. monet populum sub infideli Rege constitutum dicens: *quærite pacem Civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis*: Ipsi quoque Judæi in captivitate positi fratres suos contribules per Epistolam rogant, ita scribentes Baruch. cap. 1. *Orate pro vita Nabucodonosor Regis Babylonis, & pro vita Balthasar filii ejus &c.* Finis autem hujusce orationis etiam pro infidelibus, quam intendit Apostolus ab Emin. allatus est, ut pro illorum conversione, & salute oretur; atque hanc esse Doctoris Gentium mentem satis indicant ejus verba, quæ paulo post sequuntur de Deo dicta: *Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Porro de hujusmodi Ecclesiæ orationibus in Missa etiam pro infidelibus vide infra lib. 2. cap. XI. §. 4. ubi de iis denuo mentio fiet.

Invocantur nonnulli sanctiores qui de Missis votivis agunt.

(2) *Missas votivas &c.*) De Missis votivis nonnulla Edmundus Martene de Antiq. Monach. Rit. pag. 216. plura tòties memoratus P. Cajetanus M. Merati in suis sæpe laudatis ad Gavantum Commentariis Tom. 1. parte I. in Rubr. Miss. Observ. Prælim. n. 56. Item ad ejusdem Gavanti partem I. tit. 4., & parte 4. tit. 17. Sed ante ipsos Joseph Vicecomes de Missæ Rit. lib. 3. cap. 15. & seqq. Liber Sacram. S. Gregorii Magni edit. Menardi præter citatum ab Emin. locum, item pag. 255. antiquæ Definitiones Ordinis nostri Cisterciensis Dist. 5. cap. 7. Carolus Guyetus in sua Heortbologia lib. 4. toto cap. 21. Paulus Maria Quarti Cler. Reg. in Rubr. Miss. parte 1. toto tit. 4. Joannes Grancolas in vetus Ecclesiæ Sacramentarium parte 1. pag. 433. aliique.

§. IV.

Sacrificium pro defunctis ex Apostolica traditione offerri.

A Postolica quoque traditio est Sacrificium pro defunctis offerre. Tertullianus de Cor. Mil. cap. 3. *Oblationes pro defunctis annua die facimus.* Idem lib. de Exhort. Castitatis cap. 11. loquens de uxore defuncta, *pro cujus*, inquit, *spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis.* Et de Monogamia cap. 10. *Offert annuis diebus dormitionis ejus.* Cyprianus Epist. 66. ad Furnitanos. *Episcopi*, ait, *antecessores nostri censuerunt, ne quis fra-*

ter excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur: neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Miniſtros voluit avocare. (1) Epiphanius *hær.* 75. inter errores Aetii hunc enumerat, quod negaret offerendum eſſe Sacrificium pro defunctis. Chryſoſtomus hom. 69. ad Populum Antiochenum, *Non temere*, inquit, *ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio.* (2) Iſidorus lib. de Officiis Eccl. cap. 18. *Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerri, vel pro eis orari, quia per totum hoc orbem cuſtoditur, credimus quod ab ipſis Apoſtolis traditum ſit.* Auguſtinus tum alibi ſæpe, tum præcipue in Libro de Cura pro mortuis gerenda eidem veritati ſuffragatur. Ritum vero pro defunctis offerendi magnifice, ut ſolet, deſcribit Dionyſius in Eccleſiaſtica Hierarchia: & Damaſcenus Orat. pro mortuis Apoſtolicum hoc eſſe inſtitutum Sanctorum Patrum teſtimonio oſtendit. Sed pluribus teſtibus opus non eſt, nam in hunc morem tota conſpirat antiquitas. (3) Nec Fideles duntaxat, ſed etiam Æthnicos ſacrificii quodam genere defunctos coluiſſe docet Scævola lib. 34. digeſtorum tit. 1. de Alim. vel Cib. Legatis lib. 18. §. ult. *Cibaria, & Veſtiaria per fideicommiſſum* teſtator *dederat, & ita adjecerat; quos libertos meos, ubi corpus meum poſitum fuerit, ibi eos morari jubeo, ut per abſentiam filiarum mearum ad ſarcophagum meum memoriam meam quotannis celebrent.* Ad quam legem notat Gothofredus ea ſacra anniverſaria fuiſſe (4).

(1) (2) (3) (4)

Traditio Apoſtolica Miſſarum pro defunctis veterum actis, & exemplis comprobatur.

(1) *Et Miniſtros voluit avocare*) Ut hujuſmodi apoſtolicam traditionem Apoſtolicorum PP. facto, & exemplo comprobatam oſtendamus, primus occurrit S. Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus, & Martyr S. Joannis Evangeliſtæ diſcipulus, qui Sacrificium Miſſæ pro defuncto S. Buculo anteceſſore ſuo ſolemniter celebravit, uti ex ejus actis, Authore Pionio cap. 5. num. 20. apud Bollandum ad diem 26. Januarii. Scio hæc acta a nonnullis, veluti Ruinartio, Dupinio, Tillemontio, aliiſque delicatioribus Criticis tamquam incerta, dubia, ac nullius proinde authoritatis haberi; at eadem ſtrenue vindicant Petrus Halloixius, Joannes Bollandus, & Daniel Papebrochius. Dionyſius Areopagita, ſeu Areopagiticorum Author ſeculi III. aut IV. Miſſam pro Defunctis celebratam deſcribit lib. de Eccl. Hier. cap. 7. illis verbis: deinde *perficit Sacrum ſolemne precationis.... mox Miniſtrorum primus dimittit Cathecumenos* &c. Author Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. cap. 41. & 48. longam affert Orationem pro Defunctis cum Sacrificio fieri ſolitam. S. Baſilius in Liturgia inſtituit Orationem pro Mortuis. S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. Myſtag. 5. *Deinde*, ait, *pro Defunctis Sanctis Patribus, & Epiſcopis, denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt, maximum eſſe credentes animarum juvamen, pro quibus offertur Sancti illius, & tremendi, quod in Altario poſitum eſt, Sacrificii*: Euſebius lib. 4. de vita Conſtantini cap. 71. ubi de ipſius funere agit: *Ac beatus quidem Princeps*, inquit, *alto in ſuggeſtu jacens laudibus tunc celebrabatur: Innumerabilis autem populus una cum Sacerdotibus Dei non ſine gemitu, & lacrymis pro Imperatoris anima preces offerebant Deo, gratiſſimum pio Principi officium exhibentes.*

Item plurium SS. Patrum utriuſque Eccleſiæ teſtimoniis.

(2) *Defunctorum agatur Commemoratio*) Idem hom. 41. in Epiſt. 1. ad Corinth. *Non ſunt enim hæc*, inquit, *temere excogitata, neque fruſtra eorum, qui exceſſerunt, divinis Myſteriis meminimus, & pro ipſis accedimus rogantes Agnum propoſitum, qui Mundi peccatum tulit, ſed ut eis inde aliqua ſit conſolatio*: & homil. 3. in Epiſt. ad Philipp. *Non fruſtra hæc ab Apoſtolis ſunt legibus conſtituta, ut in venerandis, atque horrificis Myſteriis memoria eorum fiat, qui deceſſerunt*: *Noverant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis* &c. Idem ſentit hom. 21. in Acta Apoſt. hom. 32. in Matth., & hom. 84. in Joannem. S. Ambroſius id confirmat pluribus in locis, præcipue in Oratione funebri de obitu Satyri fratris ſui, in Oratione de obitu Valentiniani, & alia ſimili de Theodoſio Imperatore. Item lib. 8. Epiſt. 2. ad Fauſtinum, qua ipſum de ſororis morte conſolatur. Sed & expreſſius in Oratione prima ad Miſſam feria ſexta dicenda: *Rogamus etiam te Domine ſancte Pater, & pro ſpiritibus fidelium Defunctorum, ut ſit illis ſalus, ſanitas, gaudium, & refrigerium hoc magnum pietatis Sacramentum*: & poſt nonnulla de animarum ſuffragiis per idem Sacrificium conſequendis, concludit: *Ut exinde refelli, & ſatiati* (iidem ſpiritus Defunctorum) *refrigerati, & conſolati exultent in laude, & gloria tua*: Hinc Iſidorus jam ab Emin. noſtro allatus eodem loco, ſcil. lib. 1. de offic. cap. 18. *Niſi*, inquit, *Catholica Eccleſia crederet fidelibus Defunctis dimitti peccata, non pro eorum ſpiritibus eleemoſynam faceret, vel Deo Sacrificium offerret*: Idem & multo ante Iſidorum Athanaſius Orat. 34.

ſeu verius Author ſexti ſeculi Quæſtionum veteris, & novi Teſtamenti, quæ vulgo tribuuntur Athanaſio quæſt. 34. *Si non aliqua*, ait, *beneficia participarent* (animæ Defunctorum) *ex illo* (nempe Altaris Sacrificio, de quo loquitur) *non utique in cura, & exequiis eorum fieret commemoratio.*

Ita etiam quoad Syros S. Ephræm quarti ſeculi Doctor, & ſcripto, ac facto declarat.

Hanc autem fuiſſe ab initio univerſalis Eccleſiæ fidem facto, & exemplo teſtatur his item coævus quarti ſeculi ſcriptor S. Ephræm Syrus S. Baſilii magni diſcipulus, qui ut exortam ſuo tempore nefariam Aerii hæreſim, qua nonnulli pro Defunctis orandum eſſe negabant, jugularet, de Defunctis quamplures Odas, Cantus, & Carmina, Officia ſcilicet Defunctorum omnia, ut inquit Abraham Ecchellenſis ad Catal. Ebedjeſu pag. 45. compoſuit, de quibus vide clariſs. Aſſemanum Bibl. Vatic. Cuſtodem in Bibl. Orient. Tom. 2. pag. 232., ac ſeqq. ubi pleriſque in locis fidelium Defunctorum animas in Purgatorio exiſtentes vivorum precibus, Sacrificiis, aliiſque piis operibus juvari, & ſuffragiis hujuſmodi plurimum a pœnis eaſdem alleviari, ac remitti profitetur magnus Syrorum Doctor, qui & idem Catholicum dogma in ſuo Teſtamento expreſſe confirmat his verbis: *Aſſidue*, inquit, *in veſtris Orationibus mei memoriam faciatis, etenim in vanitate, & iniquitate vitam peregi meam: Comitamini me in Oratione, in Pſalmis, & in oblationibus. Et quando diem trigeſimum complevero, mei memoriam, fratres, facite: Mortui enim vivorum oblationibus juvantur.* Hanc porro venerandam Eccleſiæ univerſæ traditionem, orandi ſcilicet pro Defunctis, probare ex Scripturis proſequitur, videlicet ex Deuteron. 33. 1. ad Corinth. 15. Deinde ex lib. 2. Machabæorum cap. 12. ita concludit: *Si autem Mathathiæ filii, qui feſta, & commemorationes in myſterio dumtaxat* (res noſtras præfigurante) *celebrabant, ſicut in Scripturis legiſtis, per oblationes tamen eos a reatibus mundarunt, qui in bello ceciderant ..... quanto magis Sacerdotes filii Dei per ſanctas ſuas oblationes, & per linguarum ſuarum precationes debita mortuorum condonabunt?* Hæc S. Ephræm, cui cum reliquis Patribus ſubſcribit S. Epiphanius de Expoſit. fidel num. 23. *Jam vero quoad mortuos ſpectat, nominatim illorum fit mentio, ac preces, & Sacrificia frequentantur:* Conſule Animadverſiones doctiſſimi Petavii Tom. 2. pag. 367.

Refelluntur Sectarii Catholicum hoc dogma de ſuffragiis defunctorum negantes.

(3) *Tota conſpirat Antiquitas*) Attamen, quia noſtri temporis Aetiani redivivi, hæretici, ſcilicet Calviniſtæ, ac Proteſtantes id adhuc præfracta fronte negare audent, juvat ad eorum tandem enubilandam inſaniam, & pervicaciam retundendam palmare hujus Catholicæ veritatis teſtimonium afferre, quod legitur apud Auguſtinum Confeſſ. lib. 9., cap. 8., & 10. item cap. 12., & 13., necnon ultimo, ubi de funere S. Monicæ matris ſuæ; *Eadem ſanctiſſima Fœmina priuſquam moreretur, ponite, inquit, hoc corpus, ubicumque, nihil vos ejus cura conturbet, tantum illud rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis:* Attende Lector (ſubdit Card. Baronius ad an. 389. num. 4.) quid optet ſanctiſſima Fœmina, non aliud utique, niſi quod ſciret in Eccleſia factitari a piis viris, nimirum, ut ſacris Miſſarum Sacrificiis Sacerdotes, & alii, qui eiſdem intereſſent, pro animarum Defunctorum ſalute Deo preces offerrent. Peregit Auguſtinus piiſſimæ matris funus, more, ut ait ibid. cap. 12. Chriſtianorum, quo inter alia conſuevit, antequam corpus conderetur ſepulchro, pro anima offerri Sacrificium, quod dicebatur pro delictis Defuncti: *Oblatum eſt*, inquit, *pro ea Sacrificium pretii noſtri*, & ibidem cap. ult. *Inſpira*, inquit, *Domine Deus meus, inſpira ſervis tuis ..... ut meminerint ad Altare tuum Monicæ famulæ cum Patricio quondam ejus conjuge* &c. Idem peregit Evodius Uzalenſis Epiſcopus pro anima cujusdam defuncti, uti ex ejus Epiſtola ad eumdem S. Auguſtinum 158., alias 258. Idem etiam factum in obitu ipſius Auguſtini, uti narrat Poſſidius in ejus Vita cap. 31. *Nobis*, inquit, *coram poſitis pro ejus commendanda corporis depoſitione, Sacrificium Deo oblatum eſt, & ſepultus.* Idem omnes antiqui Patres, quorum teſtimonia a primis ſeculis uſque ad XVI. ſervata, quantum fieri potuit temporum ſerie, indicat Emin. noſter in Div. Pſalm. cap. 13. §. 4. quibus addendi teſtes a Leone Allatio recenſiti in ſuis Oper. de Conſenſ. Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ lib. 3. cap. 15., atque in examine Triodii, Pentecoſtarii, & Paracletices Græcorum, denique Liturgiæ omnes etiam Orientalium ſchiſmaticorum, de quibus, ut ſupra memoratum eſt, Euſebius Renaudotius teſtatur Tom. 2. Liturg. pag. 204. nullam earum eſſe, quæ commemorationem, & ſuffragia pro Defunctis non contineat.

Qui vel inviti fatentur veteres Patres Sacrificia pro defunctis approbaſſe.

Hinc eſt, quod Etherius Epiſc. Uxamenſis, & Beatus Presbyter, qui ſeculo octavo floruerunt, in Opere adverſus Elipandum ſupradictam Iſidori ſententiam ab Emin. allatam confirmantes ajunt (Bibl. PP. Tom. XIII., pag. 371.) *Sacrificium pro Defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare ab Apoſtolis traditum eſt; Hoc enim ubique Catholica tenet Eccleſia per totum Terrarum Orbem conſtituta, ſicut & a Sancto Auguſtino in Libro Enchiridii ſcribitur: Defunctorum animas ſine dubio pietate ſuorum viventium relevari, cum pro illis Sacrificium offertur, vel eleemoſinæ fiunt:* Sed & ipſi hæretici, vel inviti fatentur veteres Patres Sacrificia, & oblationes pro Defunctis approbaſſe, ita Calvinus Inſtit. lib. 3. cap. 5. & lib. de ratione reformandæ Eccleſiæ: *Non nego*, ait, *morem hunc eſſe antiquum, ut ſæpemos abſque ratione dominatur, neque inficior hujuſmodi preces receptas eſſe a Chryſoſtomo, Epiphanio, Auguſtino, & aliis, quod eas illi a ſuis tenerent prædeceſſoribus:* paullo poſt inſolentiſſima cenſura eoſdem Patres redarguit, quod nimia credulitate, abſque diſcretione, & judicio id, quod cito invaluit, ſequuti ſint, idemque commentum repetit dicto Inſtit. lib. 3. cap. 5. §. 10. ubi malignus: *Ipſi etiam veteres*, inquit, *qui fundebant pro mortuis, & mandato Dei, & legitimo exemplo hic ſe deſtitui videbant:* In hac Sathanæ ſchola Calvino facem præbuit Petrus Martyr dictus nomine Vermilius in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 3. ubi id Eccleſiam abſque ſcripturarum authoritate, & exemplo factitaſſe cum eodem

temere, ac falſo pronunciat.

Ac propterea contra ipſos vindicantur ſacri Machabæorum libri ab iis rejecti.

Quam vero id impudenter aſſerant Nebulones iſti, manifeſtum eſt ex lib. 2. Machab. cap. 12. verſ. 43., ubi legitur: *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*: quo & Scripturæ authoritatem, & Judæ Machabæi, qui Sacrificium pro Defunctis offerri juſſit, exemplum habemus; Machabæorum autem libros, inquit, Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 36. *Non Judæi, ſed Eccleſia, pro Canonicis habet*: quod & confirmat lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 8. item S. Hieronymus in Prologo ad eoſdem libros de iis ait, *quod licet non habeantur in Hebræorum Canone, tamen ab Eccleſia inter divinorum voluminum annotantur Hiſtorias*: quod & confirmat lib. 5. Comm. in Iſaiam. Et quidem hos libros, & a primis ſeculis acceptatos fuiſſe teſtantur Origenes lib. 2. de principiis cap. 1., & in Comm. ad c. 5. Epiſt. ad Rom. Tertullianus lib. adverſus Judæos cap. 4. S. Cyprianus lib. de exhort. Martyrii cap. 11., & lib. 3. teſtim. ad Quirinum, ac S. Ambroſius pleriſque in locis; Concilium Romanum ſub Gelaſio habitum, Carthaginenſe III. cui ipſe interfuit S. Auguſtinus, can. 47. Laodicenum an. 319. can. 50., & Innocentius I. in celebri Epiſtola ad Exuperium cap. ult. quidquid maledici Novatores obganniant, qui ſibi ipſis adverſantes, & contradicentes Eccleſiam uſque ad quintum ſeculum tantum puram, ſanctam fuiſſe, & non defeciſſe affirmant, hos tamen libros, quos eadem ante id tempus inter Canonicos habuit, illi reſpuunt, & negant.

Ex pleriſque magni Auguſtini authoritatibus, quem Calvinus ipſe unum pro omnibus ſufficere non afficietur.

Miſſis itaque Nugivendulis illis, & impoſtoribus Auguſtinum audiamus, qui libro de cura pro mortuis cap. 1. ſic eos ſectarios refellit: *In Machabæorum libris*, inquit, *legimus oblatum pro mortuis Sacrificium; ſed etſi nuſquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva tamen eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum ſuum habet etiam Commendatio Mortuorum*: & ibid. cap. 4. *Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus pauſantium, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana, & Catholica ſocietate defunctis ſuſcepit Eccleſia*: Neque officit, quod contra hunc Auguſtini librum delirans ſcribit Calvinus ſupracitato Inſtit. libro 4. 10. his verbis: *Liber autem de cura pro mortuis agenda ab eo compoſitus tot hæſitationes continet, ut ſuo frigore merito debeat ſtulti zeli calorem extinguere, ſi quis mortuorum patronus eſſe appetat.* Calvinus enim ſui immemor, nec ſibi conſtans, adeoque perſpicue mendax, uti hæreticos aſſolet, ita hoc loco Auguſtinum fugillat, quem tamen alibi Inſtit. lib. 1. cap. 13. §. 29. lib. 2. cap. 2. §. 9. omnibus aliis Eccleſiæ Doctoribus præferre ſolitus eſt; immo lib. 3. cap. 3. §. 10. de eodem aſſerit: *pro omnibus antiquis unum ſufficere*: mendax iterum cum Auguſtinum, aliſque Patres nullo legitimo exemplo id peregiſſe proferat, attamen paulo ante dicit hujuſmodi preces pro mortuis eos a ſuis Prædeceſſoribus accepiſſe: non officit item, huic etenim novo Sycophantæ, & veteribus hæreticis, Aetianis, qui ante ipſum ſacrificia pro mortuis pariter negabant, per omnia ſimillimo jam reſponderunt Auguſtinus ipſe lib. de hæreſ. cap. 53., & S. Epiphanius hær. 75. Aetianorum, ad quam in notis Dion. Petavius: *Habes*, inquit, *in Aetianis expreſſam hujus temporis hæreticorum imaginem. Quare cum illorum dogmata, quibus recentiores iſti patrocinantur, damnat, ac refellit Epiphanius, plenum gravitatis, authoritatiſque judicium in eoſdem ipſos pronunciat.*

Præterea tot in locis Auguſtinus id prædicat, ut idem negare impudentiſſimi hominis ſit. Et primo Epiſt. 61. ad Dulcitium de octo Quæſt. quæſt. 2. ex ſupradicto Machabæorum libro probat pium eſſe orare pro mortuis, ipſiſque prodeſſe Sacrificia pro his oblata, quod & confirmat lib. 1. de origine animæ cap. 11. deinde Epiſt. ad Aurelium 64. vet. edit. *Oblationes pro ſpiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum eſt*: Idem in Enchiridio cap. 109. ut mox indicatum: *Neque negandum eſt*, inquit, *Defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cum pro illis Sacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt, ſed eis hæc proſunt, qui cum viverent, ut hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent, meruerunt*: quod & repetit capite ſequenti 110. ubi pluribus id confirmat. Nolo cæteros ejuſdem Sancti Doctoris textus adducere, cum vel iſti ſufficiant. An & adhuc audebit Calvinus Auguſtinum hiſce in locis frigeſcere, & hæſitantem affirmare? At vero cum firmiter aſſertum a Patribus id antiquum dogma de Defunctorum ſuffragiis ſacrilegus negare non poſſit; eumdem Auguſtinum, Patreſque omnes per tredecim ſecula in hoc deceptos eſſe malignus effutit, tum lib. de reſor. Eccl. tum dicto Inſt. lib. 3. cap. 5. §. 10. his verbis: *In eo dico aliquid humani paſſos eſſe, ideoque ad imitationem trahendum non eſſe contendo, quod fecerint*: Vah ſuperbum hominem Lucifero parem, dum Eccleſiæ Doctores omnes deceptos, ſe ipſum vero infallibilem præſumit? Quis, niſi ſtultus, non deridet hæc inſanæ mentis deliria?

Aliæ rationes, & momenta, quibus hæc Catholica veritas comprobatur.

At ut ex Proverb. cap. 26. 5. reſpondeamus *ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur*, & alii ab ejus imitatione retrahantur, ut ex Lirani gloſſa: quis non percipit incredibile prorſus eſſe, quod Eccleſia, *quæ columna eſt, & firmamentum veritatis*, ut habetur 1. ad Timoth. cap. 3. 15., quam Spiritus Sanctus docet, & regit, quam Chriſtus Dominus ſibi ſuo ſanguine acquiſivit, longo tot ſeculorum tractu erraverit? Qui fieri potuit, ut Eccleſia ſecundi ſeculi, in qua florebant Epiſcopi, & Doctores ab Apoſtolorum diſcipulis inſtituti, in cujus ſinu vivebant homines, qui aliquam ætatis ſuæ partem primo ſeculo egerant, conſuetudinem illam orandi pro mortuis, velut traditionem Apoſtolicam uſurparet, atque commendaret, quæ eſſet adverſa doctrinæ, & moribus primi ſeculi Chriſtiani? Quomodo fieri potuit, ut conſuetudo fundata in errore quorumdam ab omnibus obſervaretur, adeoque ab iis, qui a tali erroro alieni erant? Quin immo ſi ſecundo ſeculo novam, & priori contrariam conſuetudinem aliqui in Eccleſiam inducere voluiſſent, poſſi-

bi-

ſibilene eſt nullum fuiſſe paſtorem, aut doctorem ita novitatis inimicum, ita vetitatis vindicem, ita ſacri depoſiti ab Apoſtolis traditi fidelem cuſtodem, ut innovationi in re tanti momenti non obſtitiſſet, ut adverſus errorem, & perverſam conſuetudinem non ſcripſiſſet? Nam contra Montaniſtas nova jejunia quaſi Paracleti authoritate inducere volentes, Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctores inſurrexerunt, eorumque erroribus impugnatis ipſos anathemate confixerunt; In Controverſia etiam de baptiſmo hæreticorum Stephanus Papa omnia Africanorum, & Cappadocum Epiſcoporum argumenta hac una ſententia, ut firmiſſimo clypeo repulit: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ſervetur.*

Contra hanc veritatem nemo ante ſeculum IV. reclamavit, niſi Aetius.

Nullus vero contra ſolemnem illam orandi pro mortuis conſuetudinem auſus eſt loqui uſque ad an. 349., ſeu 350. quo illam impugnare aggreſſus eſt Aetius, ſive Aerius, qui ubi primum oblationes faciendas, fundendaſque orationes pro defunctis negavit, a Patribus, ut hæreticus damnatus eſt, ejuſque errores hujuſmodi in Conciliis Carthag. III. an. 397. Can. 29. item IV. an. 398. Can. 79. proſcripti, ad quos Canones Emm. Schelestratius in ſua Eccleſia Africana pag. 206. appoſite inquit „ Eant jam Calviniſtæ, & „ Novatores omnes, ac Eccleſiam noſtram „ de Miſſa pro Defunctis novitatis arguant, „ ubi Eccleſiam Africanam Canone ſæpius „ firmato ante mille ducentos, & octoginta „ annos id tradidiſſe conſpiciant, quod Catholici Sacerdotes in Eccleſia nunc tempo„ ris celebrant: Neque in Africa tantum Aerii, ejuſque Sectatorum Calviniſtarum errores profligati fuere, verum & ubique apud Catholicos; in Hiſpania a Concil. Braearenſi I. Can. 16. 17. & 21. Item II. Can. 10. Toletano III. Can. 22. In Gallia a Cabilonenſi II. ut ex cap. *Viſum eſt* de Conſecr. Diſt. I. Aurelianenſi II. Can. 14. In Germania Wormatienſe II. Can. 10., & Moguntinum Can. 48. exprimunt orationes pro Defunctis. In Anglia ab initio Fidei ibi receptæ acceptatam fuiſſe Miſſam pro iiſdem Defunctis teſtatur Beda lib. 4. Hiſt. Angl. cap. 22. & alibi, itemque antiqui ejuſdem Regni Scriptores. In Italia demum Synodus Romana VI. Palmaris dicta ſub Symmacho habita, aliæque plures hujus antiqui dogmatis in Eccleſia mentionem faciunt. In Oriente id exploratum habemus ex S. Martini Bracarenſis Collectione Græcorum Canonum ſeculo ſexto exarata cap. 68., ubi ſtatuitur, quod *in Eccleſia, aut in Baſilica, ubi reliquiæ Martyrum ſunt depoſitæ, ibi pro Defunctis oblationem offerri oporteat.* Item Leo Allatius in ſuo Opere de Purgatorio Orientalium Synodorum Canones bene multos affert, quibus utriuſque Eccleſiæ in hoc Catholico Dogmate perpetuam conſenſionem demonſtrat. *Et ſane* (inquit Abraham Ecchellenſis Præfat. in Catalogum Ebedjeſu pag. 23.) *Si quis ſciſcitatur a quocumque Orientali, an ſit locus aliquis, in quo animæ Defunctorum cruciantur, & an viventium ſuffragiis juvari poſſint, ut inde liberentur, ſtatim diſcet ita eſſe, & ab omnibus Orientalibus credi:* Ita plane ſubdit Euſebius Renaudotius Tom. 2. Liturg. Orient. pag. 104. *Certiſſime quippe conſtat omnes cujuſcumque linguæ, aut Sectæ Chriſtianos ex antiquiſſima diſciplina orare pro mortuis in Liturgia &c. Tum etiam eo maxime confirmatur, quod Liturgia nulla ſit inter tam multas, quas habent Syri Jacobitæ, quæ mortuorum commemorationem non contineat.* Nulla etiam apud Occidentales Miſſa eſt, in qua non oretur pro Defunctis, ut item demonſtrabitur ſuo loco lib. 2. cap. 14.

Quem idcirco omnes Occidentis, & Orientis Eccleſiæ uti hæreticum condemnarunt.

Ex prædictis omnibus perſpicue refellitur impudentiſſimum Kemnitii mendacium, qui in 3. parte Exam. Conc. Trident. tract. de Purgatorio, conſuetudinem ſacrificandi pro mortuis fuiſſe quidem alicubi, ſed non in tota Eccleſia temere ſcribit. Præterea cum jam oſtendimus ab omnibus, & ſingulis Orientis, & Occidentis Eccleſiis oblationem Sacrificii Euchariſtici pro defunctis ab initio ſemper, & uſque nunc obſervatam fuiſſe, ubinam quæſo id alitet factitatum malignus dicet, niſi apud Aetianos olim paucos in ipſo eorum hæreſis exortu jugulatos, & nunc apud gregales ſuos, quos tota damnat Eccleſia Catholica, aut fortaſſe apud Indos, vel Garamantas, ubi nulla Evangelii lux fulſerat? Neque ſibi blandiantur obcæcati iſti, & cæcorum duces cum Patres dicunt offerri Sacrificium pro Defunctis, loqui quidem de ſacrificio precum, aut eleemoſynarum, non de Euchariſtico Corporis Domini, in quo licet mortuorum fieret commemoratio, hæc non erat in eum finem, ut oblatio eſſet propitiatio pro illorum peccatis, ſed ut profiteamur ad Corpus Chriſti, & Eccleſiæ pertinere tum vivos, tum mortuos; ita Kemnitius loco citato, & Gregorius Major in refutatione profanationis Cœnæ; hos namque vete mendaces in ſtateris eſſe ipſimet evincunt Patres, ad quos provocant; Sanctus enim Cyprianus loco ſupra ab Emin. indicato dicit Sacrificium pro Defunctis celebrari in Altari a Sacerdotibus, ibique utrumque Sacrificium, precum ſcilicet, & vivificum Chriſti Domini diſerte diſtinguit; *ſi quis*, ait, *hoc feciſſet, non offerretur pro eo* (ſive preces, ſive eleemoſynæ) *nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*: Utique a Sacerdotibus, ut poſt ſubdit: *Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece &c.* Auguſtinus item diſtinguit tria, quæ pro Defunctis offeruntur, & omnia dicit prodeſſe, eleemoſynas, preces, & Sacrificia, ut in Enchiridio cap. 110., & Serm. 34. de Verbis Apoſt. ac lib. de Cura pro mortuis cap. 18. Idem pariter, ut meminimus lib. 9. Confeſſ. cap. 12. dicit offerri pro mortuis *Sacrificium pretii noſtri*, & lib. 1. de Orig. Animæ cap. 9. & 11. Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini, demum quæſt. 2. ad Dulcitium, de qua ſupra, diſerte profitetur, & docet animas, quæ in Purgatorio detinentur, doloribus ſuis levari viventium pietate, cum pro illis aut mediatoris noſtri Chriſti Sacrificium offertur, aut in Eccleſia eleemoſynæ pauperibus erogantur.

Hinc perſpicue mendax convincitur Kemnitius, qui non in tota Eccleſia, ſed alicubi tantum ſacrificatum pro mortuis temere aſſerit.

Quem, aliique illius gregales confixum Patres, qui non de precibus tantum pro defunctis, ſed de Euchariſtico ſacrificio expreſſe loquuntur pro ipſis oblato.

Idem etiam Cyrillus Hieroſolym. Chryſoſtomus, Ambroſius, Ephræm, aliique ſupracitati expreſſe affirmant, quin & Auguſtinus præfatus in Enchiridio cap. 110. de eodem

Sa-

Sacrificio Euchariſtiæ loquens pro Defunctis in animarum refrigerium, & requiem oblato, ut id clarius adſtruat, utitur voce propitiationis dicens: *pro non valde malis propitiatio eſt:* Quare evidentiſſime conſtat falſum eſſe, quod effutit Kemnitius, cumque ipſo reliqua Calviniſtarum improbus grex, defunctorum nempe commemorationem in Miſſa non fieri in eum finem, ut ea ſit propitiatio pro illorum peccatis, cum id clariſſime aſſerant SS. Patres, ut vidimus, neque etiam, ut profiteamur tantum ad Corpus Chriſti, & Eccleſiæ pertinere tum vivos, tum mortuos, quia licet id verum ſit late, & in ſenſu adæquato ſumptum, ut ajunt Theologi, ſtricte tamen non in omnibus, & eodem modo pertinent omnes ad Corpus Chriſti myſticum, ſeu Eccleſiam; Fideles enim viventes ad Eccleſiam militantem, Defuncti in Purgatorio detenti ad purgantem, Beati in Cœlo ad triumphantem ſpectant. Hinc Auguſtinus ubicumque loquitur de Commemorationibus, quæ in Miſſa fiunt, Sanctorum ſcilicet, & Defunctorum, Sanctos præcipue Martyres ab aliis Fidelibus defunctis ſemper diſtinguit, ac dicit, utroſque in Sacrificio Altaris quidem commemorari; ſed Sanctos, ut ipſi pro nobis orent, alios autem, ut nos pro illis oremus. Lege, quæ ſupra allegavimus §. 2. nota 1. At vero ſi ſolum ea commemoratio eſſet confeſſionis illius articuli, quem in ſymbolo Fidei credere profitemur, *communionem* ſcilicet *Sanctorum*, eademque eſſet teſtificatio tantum ſocietatis, eodem profecto modo omnes commemorarentur, quod ita non eſſe teſtatur Auguſtinus nedum indicato Serm. 17. de Verbis Apoſtoli, ſed & Tract. 84. in Joannem, & lib. de Sancta Virginitate cap. 45. Atque his ſatis reſponſum ad delirantium Novatorum commenta.

Quid Sacrificium ipſi defunctis prodeſſe dicatur.

Ut autem ex ipſis Proteſtantium Protoparentibus orthodoxam hanc aſſertionem de ſuffragiis defunctorum evincamus, Joannes Vviclefſus, & Joannes Huſs, quos illi, velut Catholicos Doctores ad reformationem Eccleſiæ divinitus excitatos venerantur, & a quibus Eccleſiarum ſuarum originem ducunt, hanc doctrinam profeſſi ſunt. Sic quippe Wicleſſus Dialog. lib. 2. cap. 22. *Vere dicitur*, inquit, *Eccleſia Corpus Chriſti mixtum, quod veris prædeſtinationis æternis eſt cum Chriſto ſponſo Eccleſiæ copulatum; & talis eſt triplex Eccleſia, ſcilicet militans, dormiens, & triumphans; militans eſt Corpus Prædeſtinatorum, dum hic viat ad patriam, Eccleſia dormiens eſt Prædeſtinati in Purgatorio patientes, & Eccleſia triumphans eſt Beati in patria quieſcentes*; quod & repetit cap. 40. Clarius Joannes Huſs in Elucidatione fidei ſuæ, & Eccleſiam dici dormientem his verbis ſignificat: *Quia inibi exiſtens jam beatitudinem expectat, quam debet ingredi ex Dei gratia, & auxilio Eccleſiæ militantis*: Et in Tractatu de Corpore, & Sanguine Domini cap. 4. hos recenſet effectus Ven. Sacramenti: *Purgari a peccatis, proficere in virtutibus, liberari a pœna Purgatorii, quam deberet homo pati*: Item in ſerm. de Exequiis hanc illarum aſſignat: *Ut devotius orando pro mortuis dormienti Eccleſiæ, ideſt Sanctis in Purgatorio auxilium impendamus.*

Id ex ipſis innotuit Novatorum Protoparentis Wicleffus, & Huſs.

His addo Rogerium Dodſvvort, & Guillelmum Dugdale in eorum Monaſtico Anglicano cum Propylæo Joannis Marsham, quod tribus voluminibus in fol. ediderunt Londini an. 1655., & 1673. Hi ſectæ Anglicanæ Profeſſores fideli, ut ajunt, calamo ſedium Epiſcopalium, Abbatiarum, immo & diverſorum Ordinum Monaſteriorum fundationes in Regno Angliæ exhibent, quibus Reges, Principes, aliique Proceres Angli, ac Magnates, ſicut pietate, & fide, ita & antiquitate venerabiles bona perpetui proventus, ac cenſus munificentiſſime aſſignarunt pro victu, & veſtitu Altaris Miniſtrorum, iis potiſſimum conditionibus, ut modo preces pro animarum refrigerio, modo incruentum Miſſæ Sacrificium Deo in honorem Deiparæ, & Sanctorum, modo idem pro ſalute vivorum, ac requie Defunctorum offerrent. Inſtar omnium ſit Charta Joannis Eboracenſis Archiepiſc. an. 705. in Monaſt. Anglic. Tom. 3. pag. 164. ubi hæc habet: *Cum inter cætera ſalvationis, & reparationis humanæ ſuffragia, celebratio Miſſarum, in quibus pro ſalute vivorum, & requie Defunctorum Deo Patri Deus filius immolatur, merito ſit judicanda præcipua, & Divinæ Miſericordiæ præ cæteris ..... dignum duximus ea, quæ multiplicationem Miſſarum, & Divini cultus argumentum reſpiciunt, favore proſequi gratioſo.* Sane &c. titulus hic eſt ibi: *Pro ordinatione cujuſdam Cantariæ quatuor Cappellanorum in Eccleſia de Kirkeby Blovus.* Item Willelmus Thorn. inter ſcriptores Hiſt. Angl. cap. 24. §. 3. *Ordinavit Cantariam pro anima parentum ſuorum*: Plura hujuſmodi Cantariarum, quæ vulgo Cappellaniæ dicuntur, pro Miſſis in Defunctorum ſuffragium celebrandis reperies in diverſis ſtatutis Eccleſiarum Angliæ dicti Monaſt. Anglic. Tom. 1. pag. 47. 48. vide etiam Ducange in Gloſſario ad hoc verbum *Cantaria*.

Item nuperi Rerum Eccleſiaſticarum Angliæ Scriptores.

Ad hæc quid habent noſtri temporis Novatores, quod perpetuæ hujuſmodi, & antiquiſſimæ conſuetudini ab univerſa Eccleſia receptæ, quod tantæ, tamque conſentienti SS. Patrum, ac veterum Scriptorum authoritati, immo & Doctorum ſuorum teſtimoniis opponant? Nihil omnino, niſi quod nolunt credere, & ad ſeducendos ſimplices, mortuorum Suffragia, ac pro ipſis orare, fabulas, & nugas appellant. Eant itaque Calvinus, Vermilius, Kemnitius, cum reliqua perditiſſima Sectariorum turba, & ſimplicibus ſuis nugantes prædicent Sanctos Patres, & veteres Eccleſiæ Doctores, (quos fatentur Sacrificia, & preces ſudiſſe pro mortuis) deceptos, ac mandato Dei, & legitimo exemplo deſtitutos, Sathanæ præſtigiis ſtulte deluſos, male conſultæ ſedulitatis, perverſi orandi moris in Eccleſia invecti, erroris, & inconſideratæ credulitatis hominum mentes judicio privantis reos, denique conſuetudinem orandi pro mortuis eſſe profanationem invocationis Dei, errorem, craſſam, & portentoſam ſuperſtitionem, faſcinationem, immo turpiſſimam nundinationem; his namque conviciis, ſcommatis, & contumeliis Patres, Eccleſiam, pioſque Chriſtifideles ſceleratus Apoſtata

Hinc contra antiquiſſimam ab univerſa Eccleſia receptam traditionem nonnulli habent quid reponant Sectarii.

ſtata, & in Sathanæ ſchola primarius magiſter Calvinus non veretur impetere, & ſugillare loco ſupracitato. Eant, inquam, & ipſi utique ſic ad fabulas convertantur; prudentes namque, & quibus ſanæ mentis ſaltem modicum ineſt, movebuntur hercle, non hujus impudentiſſimi Sycophantæ dicteriis, ſed authoritate potius antiquiſſimæ hujus Apoſtolicæ traditionis, & veterum Scriptorum omnium, Conciliorum, ac Patrum, qui de ea loquuntur, teſtimoniis, Clementis Romani, Dionyſii Areop. Tertulliani, Origenis, Cypriani, Zenonis Veron., Athanaſii, Lactantii, Cyrilli, Euſebii, Ephræm, Nazianzeni, Epiphanii, Baſilii, Ambroſii, Chryſoſtomi, Auguſtini, & cæterorum, de quibus ſupra, & Emin. Author loco indicato, qui profecto in Scripturis Sanctis exercitatiſſimi id dogma uno ore, unanimi conſenſu conſtanter aſſerunt; movebuntur, inquam, ut certiſſime credant tot eximiis hujus orthodoxæ veritatis teſtibus ſuffragantibus, Sectarios, qui eamdem contra communem primitivæ Eccleſiæ ſenſum negant, ſugillant, & ſuperſtitionem prædicant, veriſſimos eſſe impoſtores, quibus *judicium jam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat*: uti habetur 2. Petri cap. 2. v. 3. cum qui Eccleſiam non audiunt, vere ſint Ethnici, & publicani.

Adeoque vere Hæreticos, ac vitandos eſſe conſtat, qui hanc Apoſtolicam fidem negant, & vanum orare pro mortuis affirmant.

Igitur ex fundatiſſima Eccleſiæ atteſtatione ab Apoſtolorum ævo ad hæc noſtra tempora certis ſucceſſionibus producta uniformi, ac perpetua veterum Patrum, gentiumque omnium, quæ Chriſtiana profeſſione cenſentur mira conſenſione firmata, qua ſemper, & ubique Sacrificium pro defunctis offerre, traditionem Apoſtolicam credidit, & ita credendam propoſuit, ſatis ſuperque conſtat hæreticos, adeoque vitandos eſſe, qui hanc temere negantes contrarium aſſerunt, & vanum orare pro mortuis, affirmare non verentur. Quare velint, nolint refractarii Chriſti ſponſæ corruptores, & a vera ejuſdem tradita fide extorres, ſi unam admittunt Eccleſiam, quam profecto admittere debent, ſi Chriſtiani dici volunt, & hanc traductam juxta quatuor priorum ſeculorum Fidei diſciplinam, quam ipſi nobis inobſervatam falſo jactitant, & ad quam propterea nos eoſdem provocamus, ſi ut filii matrem nobiſcum ſequi, ejuſque vocem audire non renuunt, ne ſint, ut diximus, tamquam Ethnici, & Publicani: audient quidem ab *ipſa* Dei verbum, ſicut loquutus eſt ad Patres noſtros, quod *ſancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*: & fateantur neceſſe eſt, veriſſimas ſore illas S. Auguſtini regulas lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24., & Epiſt. 118. nempe quod *univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica authoritate traditum rectiſſime creditur*: Item *ſi quid univerſa per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ eſt inſaniæ*: Sacrificia vero, & oblationes pro defunctis antiquitus ab univerſa per Orbem Eccleſia, & Patribus abſque ullo erroris dubio uſque nunc frequentatas fuiſſe jam abunde ſatis, & ipſis hæreticis licet ringentibus evidentiſſime demonſtratum eſt; quare quin ita faciendum ſit, ut iſti blaſphemant, nec umquam probare poterunt, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe, nemo non videt. Atque inde ſatis probatum, quod in hunc morem tota conſpiret antiquitas, uti optime ab Emin. dictum. Paulo fuſius in eodem illuſtrando morati ſumus, quia id Liturgicæ rei veritas manifeſtanda ac propugnanda exigebat, ut tandem ſi fieri poteſt, obſtruatur os loquentium iniqua contra Apoſtolicam hanc Miſſarum pro defunctis traditionem, & pia pro ipſis orationum ſuffragia ab eorum calumniis vindicarentur. Verum & de his iterum.

Cum ex Auguſtino, quod univerſa per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ ſit.

Supradicta omnia confirmant Societates illæ jam ab initio ſec. VIII. inſtitutæ pro ſuffragiis mortuorum.

Præterea mortuos fidelium vivorum precibus apud Deum juvari, & a piaculatibus flammis, quibus in Purgatorio ipſi torquentur liberari poſſe aperte ſatis demonſtrant Societates illæ, quæ octavo ſeculo in commendationem mortuorum inſtitutæ ſunt, & perpetua Anniverſaria, quæ ad eorum animas pœnis eximendas frequentari cœperunt. De hujuſmodi Societatibus inſignis extat locus apud Ven. Bedam, qui pro mercede vitæ S. Guthberti Cantuarienſis Epiſcopi a ſe conſcriptæ hæc rogat in Prologo ad Eadfridum Epiſcopum Lindisfarnenſem, me *defuncto pro redemptione animæ meæ, quaſi pro familiaris, ac vernaculi veſtri orare, & Miſſas facere, & nomen meum inter veſtra ſcribere dignemini*: Plures etiam hac de re, ſive pro obtinendis defunctorum ſuffragiis leguntur S. Bonifacii Epiſcopi & Martyris Epiſtolæ; inter eas extat trigeſima quinta, quæ eſt Buggæ Abbatiſſæ in Anglia ad *ipſum* Bonifacium ſcripta an. 719., in qua eadem ab illo poſtulat ſanctarum Miſſarum oblationes pro anima cujuſdam propinqui ſui cariſſimi nuper defuncti; ibidem pariter extat Ep. 62. Lulli Moguntini Antiſtitis ad Deneardum, aliosque Presbyteros in Thuringia degentes inſcripta, qua ex nuntio in Germaniam perlato de obitu Stephani Papæ III. an. 757. triginta Miſſas ab unoquoque Sacerdote pro mortuo Pontifice celebrari præcepit. Verba ipſius hæc ſunt circa finem Epiſtolæ: *Miſimus*, inquit, *vobis nomina Domini Romani Epiſcopi, pro quo unuſquiſque veſtrum triginta Miſſas cantet .... juxta conſuetudinem noſtram. Cantet*, ideſt recitet, ſeu celebret, ut ſupra oſtenſum eſt. Notanda porro ſunt illa verba *juxta conſuetudinem noſtram*: quibus antiquam hac de re Eccleſiæ traditionem expreſſe ſignificari liquido patet. Item Epiſtola 106. ad Optatum Abbatem, in qua hæc leguntur: *Diligenter quoque deprecamur, ut familiaritas fraternæ charitatis inter nos ſit, & pro viventibus oratio communis, & pro migrantibus de hoc ſeculo, & orationes, & Miſſarum ſolemnia celebrentur, cum alternatim nomina defunctorum inter nos mittentur*. Et paullo ante Epiſt. 95. Cuthberti Abb. Vviremuthenſis ad Lullum præfatum Epiſc. Moguntinum Bonifacii ſucceſſorem: *Nomina fratrum, quæ ad nos miſiſti cum nominibus hujus Monaſterii fratrum dormientium in Chriſto ſcripta continentur, ita ut pro illis nonaginta, & eo amplius Miſſas facere præceperim*: Multæ ſunt ibidem ejuſdem argumenti Epiſtolæ quoad Miſſarum celebrationem,

pro Defunctorum requie, ex illa ſcilicet ſuffragiorum communione, quæ diverſæ ſibi invicem Eccleſiæ, diverſæque perſonæ præſtabant, quas omnes recenſere longum nimis eſſet.

Nedum apud Monachos, verum & apud Clericos, ac Laicos.

Neque penes ſolos Monachos manſit Ritus iſte, ſed ad Clericos etiam & Laicos permanavit. In Conventu Attiniacenſi an. 765. apud Labbeum Cnncil. Tom. 6. col. 1702. inter cætera ſalubriter ibi, ſapienterque definita, hoc quoque communi cunctorum Epiſcoporum, & Abbatum decreto ſtatuerunt, ut unuſquiſque illorum, quorum nomina in indiculo ſubter ſcripta reperiuntur, quando quilibet eorum de hoc ſeculo migraverit: centum pſalteria, & Presbyteri ejus *ſpeciales Miſſas* centum cantent (voce, ut diximus, iis temporibus pro *recitent*, *legant*, aut *celebrent* uſitata) quilibet autem Epiſcopus triginta Miſſas ipſe celebret, niſi infirmitate, aut aliquo impedimento prohibeatur. Idem pariter inter Epiſcopos, & Abbates conventum in Synodo Dingolvingenſi an. 771. apud Carolum le Cointe Annal. Franc. Tom. 5. pag. 770. cap. 4. ubi eædem numero Miſſæ pro unoquoque Epiſcopo, vel Abbate indicuntur a ſingulis celebrandæ. In Synodo item apud Saponarias ſeculo nono coacta Epiſcopi ſtatuerunt: *Ut pro ſe invicem omnes dum adviverent, preces hujuſmodi frequentarent, ſcilicet, ut ſinguli pro cunctis per ſingulas Hebdomadas feria quarta Miſſam celebrarent; poſt vocationem autem cujuslibet eorum ſuperſtites obtinerent, ut pro eo, qui deceſſerit, in ſedibus ſeptenæ Miſſæ, totidemque Vigiliæ Domino perſolverentur: a Presbyteris autem Monaſteriorum, ſive Villarum tres Miſſæ, totidemque Vigiliæ dependerentur*: Simili fere modo ſub Joanne XIV. Summo Pontifice circa an. 984. Romæ initum fuit Sodalitium plurimorum Sacerdotum, inter quos, & Epiſcopi nonnulli adſcripti fuere, ad hoc ut poſt obitum ſinguli conſodalium ſuperſtitum Sacrificiis juvarentur, ita ut ſinguli pro ſingulis quadraginta Miſſas celebrarent. Cujus inſtituti adhuc extat ibidem in Diaconia SS. Mart. Coſmæ, & Damiani monumentum in tabula marmorea inciſum, ut ponitur, dicti Pontificis tempore *die 22. Februarii Indictione duodecima, anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo octogeſimo quarto*. Quod & referunt Baronius, ac Spondanus ad dictum annum.

Item Anniverſaria perpetua Miſſarum, & precum pro defunctis jam a primis Eccleſiæ ſeculis obſervata.

Societates vero iſtæ non ex operum fiducia, qua Eccleſiæ Miniſtri inflati eſſent, ut Joachimus Vadianus calumniatur, ſed ex antiqua fidelium perſuaſione profectæ ſunt, quæ in animum induxerant ſuum piorum hominum ſuffragia, & Miſſarum celebrationes, ob communionem Religionis Chriſtianæ plurimum valere ad Dei gratiam vivis conciliandam, defunctis æternam requiem obtinendam. His acceſſere Anniverſaria perpetua Miſſarum, & precum pro mortuis, de quibus Tertullianus, ut alias dictum eſt, lib. de Corona militis, & Caſſianus in Collationis I. cap. 19., quod & aliis argumentis a primis Eccleſiæ ſeculis obſervatum probat Alardus Gazæus ad eum Caſſiani locum. Vide Mabillonium Præf. I. ſec. 3. Bened. num. 100, ubi plura in hanc rem, atque iterum de iis nonnulla infra ſuo loco dicetur lib. 2. cap. 14. §. 2.

Sed & inſtitutas Miſſas quotidie pro Defunctis celebrandas, præter allata ſupra ex Monaſtico Anglicano, aliiſque monumentis, refert Mabillonius in Annal. Bened. Tom. 2. ad an. 709. ex Beda Hiſt. lib. 3. cap. 25., & lib. 5. cap. 20. S. Vvilfridum Eboracenſem Epiſcopum ſub vitæ ſuæ terminum deſignaſſe, & expreſſe teſtamento ſtatuiſſe, ac delegaſſe Tatbertum Ripenſis Monaſterii a ſe in Anglia conſtructi Abbatem, qui ſingulis per annum diebus pro eo Miſſam ſingularem celebrari faceret. Idem moriens ſupradictus Ven. Beda Miſſas pro ſe celebrari poſt obitum enixe obſecrat, uti Turgotus Dunelmenſis Monachus in ejus vita cap. 3. num. 11. in Majo Bollandiano Tom. 6. pag. 722. Et quia inter Anglos verſamur, his adjungo S. Anſelmum noſtrum Cantuarienſem Epiſcopum, & Eccleſiæ Doctorem, qui dum eſſet Prior Beccenſis Monaſterii, Miſſam pro defuncto Monacho Osberno per integrum annum quotidie celebravit, aut celebrari fecit, uti in ejus vita apud Bollandianos ad diem 21. Aprilis Tom. 2. pag. 870. Poſſem & alios mille hujus catholicæ veritatis teſtes producere, ſed iſti ſatura lance ſufficiant.

Quod & multi item comprobatur exemplis Regum ac Principum Angliæ &c.

Hanc demum fuiſſe veterum Catholicorum omnium ubique fidem, præter memorata Attiniacenſis Conventus, & Synodi apud Saponarias decreta, aliaque hucuſque dicta, pleniſſime conſtat ex Ethelvulphi Anglo-Saxonum Regis teſtamento, de quo Vvillelmus Malmesburienſis lib. 2. de Geſtis Reg. Angl. cap. 2. Simeon Dunelmenſis in eadem Hiſt. Reg. Anglorum ad an. 855. Ethelredus Abbas Rievallis de Genealogia eorumdem, Joannes Bromptonus in Chron. Rogerius Hovedenus 1. parte Annal. aliique plures Scriptores Angli, ex quibus Baronius ad dictum an. num. 27., & an. 857. num. 6. Obiit Ethelvulphus an. 850. Inter cætera, quæ dicto teſtamento diſpoſuit, Miſſæ Sacrificium pro ſe, ſuiſque Ducibus tum vivis, tum defunctis ſtatuta die ſingulis hebdomadis offerri, certaſque preces fundi juſſit, ſeu decretum ab Epiſcopis, aut Abbatibus commemorat: *Placuit etiam*, inquit, *Epiſcopis Aliſtano Schireburnenſis Eccleſiæ, & Suvithino Vvintonienſis cum ſuis Abbatibus, & ſervis Dei conſilium inire, ut omnes fratres, & ſorores noſtræ ad unamquamque Eccleſiam omni hebdomada die mercurii cantent quinquaginta pſalmos, & unuſquiſque Presbyter duos Miſſas, unam pro Rege Ethelvulpho, & aliam pro Ducibus ejus huic dono conſentientibus, pro mercede, & refrigerio deliftorum ſuorum. Et pro Rege vivente dicant* Oremus, Deus, qui juſtificas. *Pro Ducibus etiam viventibus*, Prætende Domine. *Poſtquam autem defuncti fuerint, pro Rege defuncto ſingulariter, & pro Principibus defunctis communiter.*

Parentes ad florentiſſimi Regni Angliæ, aliarumque Septentrionalium Provinciarum nobiles incolas.

Hæc erat illuſtrium Patrum veſtrorum religio optimates Angli, Scoti, Hiberni, Saxones: Hæc maximorum parentum avita pietas nobiles Germaniæ Populi, qui ab eadem defectiſis, Svevi, Dani, Hollandi, Friſii, Vveſtphali aliique a Sancta fide Catholica extorres incolæ Septentrionales, uti ex Epiſtolis S. Bonifacii

niſacii Epiſc., & Martyris ac Cuthberti Abbatis, aliiſque monumentis vidiſtis; audite, intelligite, & tenete traditiones Patrum, ac redite prævaricatores ad cor. Redite, inquam, & ut verbis Guirmundi Averſani Epiſcopi utar: *Quare moriemini gratis? Non talis hæc:* (ait lib. 3. adv. Berengarium de veritate Corporis, & Sanguinis Domini in Euchariſtia circa finem) *Non talis hæc diſputatio eſt, quæ utrobique valeat compenſari. Non hic, ſicut in Scholis pro victoria, aut ſicut in judiciis pro terrenis commodis agitur, ſed ſicut coram Deo pro vita æterna, atque cæleſti diſputatur; falſam etenim partem ſempiterna mors devorat, veram autem vita æterna coronat. Quo circa juſto examine veſtra, & noſtra perpendite, ſi quid dignum contra nos habetis, aſſerte; ſi non habetis, adquieſcite. Quare moriemini gratis?*

Auditis jam ſupra Auguſtinum; liceat idem vobis repetere, ut tandem reſipiſcatis, & quidem ex Vincentio Lirinenſi, quem & veſtræ communionis eruditi fere omnes, veluti Jo. Ger. Voſſius Hiſtor. Pelag. lib. 9. cap. 9. Andreas Rivetus in ſuo Critico cap. 24. Guil. Cave Hiſt. Litt. in Vincentio, aliique (uno excepto, quem ſciam, Hugone Grotio, qui oppoſitum ſentit in ſuo pro pace Eccleſiæ voto) uti Authorem objectionum adverſus Auguſtini doctrinam de Prædeſtinatione, & libero arbitrio, (de quibus proſper Aquit. in libro, quo eas refellit) eidem proinde magno Eccleſiæ Doctori contrarium affirmant. Vobis, inquam, poſt Auguſtinum, Vincentium ipſum proſerre in ſuo aureo libello, quem ſub Peregrini nomine Commonitorium inſcripſit adverſus hæreſes, ab omnibus nedum Catholicis, ſed & Proteſtantibus eximie laudatum, ait teſtatur Hugo Grotius loco citato: *Traditionis*, inquit, *dignoſcendæ regulas eas agnoſco, quas conſignavit Vincentius Lirinenſis approbantibus Catholicis, & Proteſtantium multis*: ut ſic, ex quo velitis, ſive ex ipſo, ſive ex Auguſtino redarguamini. Vincentius itaque in toto paſſim dicto Commonitorio ſuo, *quo* (ut inquit Petrus Pithæus in Epiſt. dedicatoria Salviani ad Fabrum) *nihil eo genere, aut majore judicio, acutiore ſtylo conſcriptum memini*. Id unum præcipue cap. 3. inculcat, urget, inſtat *ſequendam univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem*, ſive tenendum *quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt*, ſcilicet Patribus, *hac lege credendum, ut quidquid vel omnes, vel plures uno, eodemque ſenſu manifeſte, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente conſilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur; quidquid vero, quamvis ille Sanctus, & doctus, quamvis &c. præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias, occultas, & privatas opiniunculas a communis, publicæ, & generalis ſententiæ authoritate ſecretum ſit, ne eum ſummo æternæ ſalutis periculo.. antiquæ veritate dimiſſa... novitium ſectemur errorem*. Hæc Vincentius. Auditis Patres pro defunctorum ſuffragiis, auditis antiquitatem, Eccleſiæ traditionem, majorum veſtrorum fidem. Credite, ut ſalvemini. Sed de diebus pro mortuorum peculiari commemoratione inſtitutis agamus.

Obſervandum eſt inſuper ex Ambroſio alios olim celebraſſe tertium, & trigeſimum diem, ſeptimum, & Quadrageſimum, quemadmodum ipſe hunc obſervavit in exceſſu fratris ſui Satyri lib. 2. de fide reſurrect. cap. 1. num. 1. Oper. nov. edit. Tom. 2. col. 1135. & præcipue in Orat. de obitu Theodoſii col. 1198. num. 3., & quidem diei tertiæ, & Quadrageſimæ mentionem facit Author Conſtit. Apoſtol. lib. 6. cap. 48., & lib. 8. cap. 42. ex quo Barthol. Gavantus, ait eamdem diem tertiam obſervatam propter eum, qui tertia die reſurrexit, vel ut purgetur anima, quæ triplicis eſt naturæ, irafcibilis, concupiſcibilis, & rationalis, vel ut in ea Sanctæ Trinitatis imago integre reparetur; aut etiam ex Alcuino, & Durando, abſolvatur a peccatis, quæ patravit cogitatione, verbo, & opere. Sed ab eo, quod habet dictus Author Conſtit. Apoſt. de die nona diſcrepare videtur S. Auguſtinus quæſt. 175. in Geneſim, ubi negat mortuorum luctum a Chriſtianis per dies novem propter Paganorum Novendial eſſe celebrandum; diem vero ſeptimum e Scripturis divinis conſtituit; at Spondanus in Cæmet. Sac. lib. 1. parte 3. cap. 16. pag. 309., & Menardus in Concordia Regul. novem dierum, non autem noni dici obſervationem ab Auguſtino improbatam affirmant. Auguſtinum tamen ſequitur Alcuinus lib. de Div. Offic., ubi de exequiis mortuorum; cæterum diei nonæ meminit Macarius Alexandrinus infra citandus, & poſt ipſum Damaſcenus Serm. de Fidelibus Defunctis. Ubi vides hujus diei nonæ obſervationem apud Latinos improbari, apud Græcos non item, qui nihilominus juxta Spondanum, & Menardum conciliari poſſunt.

Dies pro defunctorum peculiari commemoratione antiquitus & nunc obſervati.

Et ſine in Sancta Romana Eccleſia antiqua conſuetudo ſuit, ut ſacrum Novendiale in obitu Summi Pontificis, & S. R. E. Cardinalium celebraretur, ut ſcilicet per novem dies exequiæ, & Miſſæ pro Anima defuncti quotidie celebrarentur, uti apud Cæremoniale Rom. lib. 1. tit. 15. Quæ tamen Novendiales exequiæ quoad Cardinales amplius non ſunt in uſu, atque hujuſmodi funebris novem dierum obſervantia retenta eſt, & ſervatur tantum in morte Summi Pontificis. Palladius in Hiſtoria Lauſiaca cap. 26., ubi de Eulogio Alexandrino circa finem diei Quadrageſimi ſecundum aliquot Codices, juxta vero Gentiani Herveti interpretationem ex edit. Pariſ. an. 1555. trigeſimi, atque etiam tertii meminit. De tertio quoque, ac de ſeptimo ſimul, & trigeſimo Gregorius Magnus agit in libro Sacrament., ubi de Miſſa pro Defunctis; de trigeſimo idem lib. 4. Dialog. cap. 55. Sed & ante Gregorium trigeſimum a Defuncti depoſitione diem commemorat S. Ephræm. in ſuo teſtamento (ut dictum eſt) iis verbis, *quando diem trigeſimum complevero, mei memoriam, fratres, facite*: pariter ex Latinis præter allatos Alcuinus loco ſupra indicato, Amalarius lib. 3. cap. 42., & ultimo, Joannes Belethus cap. 160. Durandus Mimatenſis lib. 7. Rationalis cap. 25. num. 8. Atque hunc diem adhuc Latina ſervat Eccleſia, uti in Miſſali Romano.

Dici autem ſeptimæ myſteria tradit Ambroſius Orat. de fide reſurrect. quia nempe

hæc dies Symbolum eſt futuræ quietis: addit Alcuinus, ut anima ſuo corpori reconcilietur; illa namque, ut diximus, tripliciter peccare ſolet, & corpus item quadrupliciter ob humores quatuor, quibus conſtat. Durandus in Rationali Div. Off. vult ſignificari vitæ totius purgationem, quæ ſeptem diebus in orbem ducitur, fortaſſe hic Ritus ex illo Eccl. 22. 13. *Luctus mortui ſeptem dies* ortum habuit, vel a Joſeph Patriarcha Ægypti Prorege, qui ſeptem implevit dies luctus ſuper Jacob defunctum Patrem ſuum, Gen. cap. 50. Trigeſimæ vero diei Ritum deduci autumat laudatus Gavantus a morte Moyſis, & Aaron, quos flevit omnis Iſrael 30. diebus, Num. 20. & Deuter. cap. ult. vel quia hac ætate Adam protoparens noſter creatus fuit juxta communiorem Doctorum ſententiam, vel ut quidquid in Legis Decalogo defuncti deliquerint, in Sanctæ Trinitatis miſericordia deleatur, uti ſic Hugo Victorinus de Miſſæ Obſerv. lib. 3. cap. 37. etenim ter decies ducta triginta conſtituunt. Amalarius de Div. Offic. lib. 4. cap. 42. trigeſimum numerum obſervari ait ea ratione, ut per triginta dies fiat Miſſa pro defunctis, ſolemnius autem tertia die, ac ſeptima intra triginta, atque ipſamet trigeſima; fortaſſe hic Ritus a S. Gregorio Papa inſtitutus eſt, ut ſcilicet per 30. dies continuos Miſſa ſic pro defunctis celebraretur; hos etenim dies, idem Pontifex, ut diximus, commemorat locis jam indicatis, præcipue lib. 4. Dial. cap. 55. ubi Pretioſo Abbati præſcribit in die obitus Juſti Monachi his verbis: *Vade ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium, ſtude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius Hoſtia ſalutaris non offeratur*: hæc de diebus ex antiquo, & hodierno Eccleſiæ uſu obſervatis, nunc de die quadrageſimo differendum.

Quadrageſimi vero diei obſervationem a Latinis ſere in unico, quem ſciam, Ambroſio jam laudato locis ſupra indicatis, præſertim Orat. de morte Theodoſii Imp. habita in celebritate dicti quadrageſimi diei ab ejus obitu Honorio Principe filio aſſiſtente uſurparam lego. Apud Græcos vero hunc dierum numerum in defunctorum exequiis paſſim obſervatum illius Eccleſiæ Patribus conſpicimus. In Serm. S. Macarii Alexandrini dicti Junioris apud Guillelmum Cave Hiſt. litter. mihi pag. 147. *Quandoquidem* (inquit Macarius) *ex Patribus traditum eſt tertia, & nona, & quadrageſima die oblationem pro mortuo in Eccleſia reddi*: & ibi ad hanc rem nonnulla alia leguntur. Atque hinc novum quarti ſeculi teſtem omni exceptione majorem de Sacrificio pro mortuis oblato ex antiqua Patrum traditione habemus, quem vel unus ex præcipuis Calvinianæ ſectæ miniſtris nobis profert. Quid dicis Sectari? Vade ergo, interroga Patres, & annuntiabunt tibi, majores tuos, & dicent tibi, quod ſuperfluum non eſt, aut vanum orare pro mortuis, ut a peccatis ſolvantur. Macario ſubſcribit S. Joannes Damaſcenus in oratione ſupra memorata pro defunctis, ſed ne Eccleſiæ Orientalis hac de re Scriptores percurram, ſatis ſit ex ſacris Græcorum libris Eccleſiaſticis nonnulla proferre, quibus hanc apud ipſos quadragenariam defunctorum commemorationem hujuſmodi ab antiquo adhuc obſervari, & ex Patrum traditione acceptam fideliter, cuſtodiri patet. In eorum Typico, ſeu ordine Divini Officii cap. 30. hæc habentur: *Sanctorum Patrum traditio eſt, ut commemoratio fiat eorum, qui ex nobis ad Dominum migrarunt, ab ipſo poſtremo die ſingulis diebus inter Miſſarum ſolemnia uſque ad quadrageſimum diem*. Item in Triodio, ſeu Officio a Septuageſima uſque ad Paſcha id legitur, *quod cum cor hominis quadrageſimo die tandem corrumpatur, quadrageſimo etiam die ſit commemoratio pro Defunctis &c.* Videri inſuper poſſunt Leo Allatius de libris Eccleſiaſt. Græcorum, & quæ ex Juſtiniani Novellis, Nicephoro Gregora, aliiſque notat in ſuo Gloſſario Græco Car. Dufreſne col. 387. Porro de hiſce dierum obſervationibus in exequiis Defunctorum diligenter differunt laudatus Menardus loco citato, & Joannes Bapt. Cotelerius ad Conſtit. Apoſtol. Joannes Stephanus Durantus de Rit. Eccleſ. Cath. lib. 2. cap. 43., & præ cæteris Rituale Sacramentorum Romanum Gregorii Papæ XIII. juſſu editum Romæ an. 1584. pag. 459., & ſeqq. ubi & de diebus vigeſimo, quinquageſimo, ſexageſimo, ſeptuageſimo, octogeſimo, nonageſimo, ac centeſimo, alibi omiſſis. Videndus item Henricus Spondanus in ſuis Cœmeteriis ſacris lib. 1. ſupracit. cui addendi Joſeph Vicecomes, qui Tom. 1. de Rit. Miſſæ lib. 4. cap. 2. 3. 7. 8. 9. 11., & 13. omnium fortaſſe ſuſius ita hac de re agit, ut cujuſque curioſitati ſatisfieri queat, quod & non parum circa eamdem materiam elaboravit J. Grancolas Tom. 1. antiq. Eccleſ. Sacram. a pag. 492. ad 538.

Græci ex veterum traditione Defunctorum memoriam in Miſſa uſque ad quadrageſimum diem protrahunt.

Nuper apud Latinos peculiaris defunctorum memoriam uſque ad centeſimum ab obitu die protracta.

(4) *Ea ſacra Anniverſaria fuiſſe*) Et quidem Cicero in ſomnium Scipionis primum ad pietatem gradum eſſe, ait eorum reminiſci, qui nos præceſſerunt, eorumque memoriam integram ſervare, qui jam dudum naturæ tributum, quod nos pendere debemus, perſolverunt. De Demetrio Phalerzo legitur apud Plutarchum in Demoſthene, & in Excerptis Photii ex Ariani Hiſt. item Athenæo Dympnoſoph. ejuſque Scholiaſte Iſaaco Caſaubono lib. 12. cap. 11. Hymenæo Fratri ſuo ab Antipatro crudeliter trucidato Epiphania ſacra quotannis peregiſſe. Nota ſunt omnibus funeſta ſacra, quæ ab Ethnicis in honorem mortuorum parentalia dicta fuere, quia his juſta parentibus celebrabant, licet etiam ad alios transferrentur. Edebantur pariter in Defunctorum memoriam ludi funebres, cumque nonnulli deſiderium ſuorum minus ferre poſſent, tertium, ſeptimum, nonum, quidam etiam vigeſimum, trigeſimum, non ſine quadam numerorum religione, dies defunctorum manibus, & memoriæ ſtatuebant, hinc parentationes, feralia, Novendialia, Anniverſaria, decennalia, vicennalia, tricennalia &c. originem duxerunt. Vide Roſinum Antiquit. Rom. lib. 5. cap. 39. De hoc Ethnicorum Ritu extat integer Ovidii locus Faſtorum lib. 2. verſ. 105. ubi eadem conſuetudo primum ab Ænea manaſſe fertur, qui ſolemnibus quotannis donis

Eadem, & apud Gentiles quotannis celebrata.

Patris

patris ſui manes placabat. Extat item alius verſ. 533. quem erudite illuſtravit in ſuis Animadverſionibus ad Arnobium contra Gentes Deſiderius Heraldus pag. 178. Plura etiam hac de re apud alios reperies, inter quos videſis laudatum Henricum Spondanum in ſuis Cœmeteriis Sac. lib. I. parte 3. cap. 16. num. 6. ubi de Gentilium parentalibus; item Hanſenium, Kirchmannum, alioſque nonnullos, qui nuper de Funeribus Romanorum ſcripſere.

§. V.

De Miſſa Præſanctificatorum, ſive ante conſecratorum.

EST denique Miſſa Præſanctificatorum, (1) quæ tamen æquivoce dicitur Miſſa, cum careat conſecratione Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti. De ea ſcripſit Leo Allatius eruditiſſimam, & omnibus numeris abſolutam diſſertationem ad Bartoldum Nihuſium editam in fine operis de Eccleſiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua conſenſione, in qua curioſus lector quicquid ad eam pertinet reperiet. Baſilio & Chryſoſtomo antiquior eſt, ejuſque origo ad Synodum ſaltem Laodicenam referri debet, quam Baronius *anno* 314. Nicænam anteceſſiſſe oſtendit. Sancitum enim in ea fuit Can. 49. *Non oportere in Quadrageſima panem offerre, niſi Sabbato, & Dominicis tantum*. Quibus diebus fiat, oſtendit Can. 52. Concilii Trullani. *In omnibus*, inquit, *ſanctæ Quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato & Dominica, & ſancto Annuntiationis die, fiat ſacrum Præſanctificatorum miniſterium*. (2) Hunc morem adhuc ſervat Orientalis Eccleſia, Occidentalis autem eo numquam utitur, aut uſa eſt, niſi feria ſexta majoris hebdomadæ. Ritus ejus apud Græcos hic eſt. Die Dominica præter illius diei oblationem quinque alios panes conſecrant pro totidem ſequentibus feriis uſque ad ſabbatum. Tum ſingulis diebus ſub veſperam conveniunt in Eccleſia, & in ipſo Veſpertinarum precum officio Sacramentum antea conſecratum proponunt & ſumunt, præmiſſis Pſalmis gradualibus, & recitatis quibuſdam Canticis, Lectionibus, & Orationibus, quæ legi poſſunt in Euchologio cum notis Goar *pag.* 187. *& ſequentibus*. Et quia panem antea conſecratum, & ſanctificatum ſumunt, (3) vocant hoc officium Præſanctificatorum, ſive ante conſecratorum; quo in ſola Quadrageſima, non in aliis jejuniis utuntur, quia ut ait Theodorus Balſamon in notis ad prædictum Canonem Trullanum, hoc jejunium præcipuum eſt, magiſque ſolemne, & a Domino inſtitutum (4).

(1)

(2)

(3)

(4)

(1) *Eſt denique Miſſa Præſanctificatorum*) In hujus Miſſæ uſum calamum acuit ſeculo undecimo Humbertus Cardinalis in reſponſione ad Nicetæ Pectorati libellum, quem in Latinos exaraverat, in Bibl. PP. Lugd. Tom. XVIII. pag. 413. Contendit nimirum Humbertus morem hunc Chriſti exemplo contrarium eſſe, qui panem non ſervavit frangendum in craſtinum, nec fregit tantum, & repoſuit, ſed fractum ſtatim diſtribuit. Altero etiam argumento Cardinalis Nicetam impugnat: *Si autem, ut ducis*, inquit, *panem oblatum, & ſanctificatum exaltaris altera die, unam oblationem videmini bis offerre*: quod Clementis I. decretis adverſari exiſtimat; verum immerito, nimioque zelo Cardinalis ille doctiſſimus, in Præſanctificatorum Miſſam invehitur, cujus uſum jam ab initio ſeculi quarti probaverat Eccleſia Græca, numquam Romana contradicente; quinimmo ab iiſdem Græcis ſacrum hoc Præſanctificatorum Miniſterium una cum prædicatione ipſa Apoſtolorum originem habuiſſe creditur, & una cum quadrageſimalis jejunii inſtitutione. Ita Michaël Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Simeon Theſſalonicenſis in reſponſis ad Gabrielem Metropolitam Pentapolitanum reſp. 56. *Præſanctificatorum Miſſa*, inquit, *ab antiquo tempore, & ex Apoſtolorum ſucceſſoribus originem habet, ut preces ipſe teſtantur. Traditionem ipſam vere Apoſtolicam credimus*, ſic ille, cui adſtipulantur, & alii, videlicet Alexius Ariſtinus in Nomocanone, Matthæus Blaſtares, Zonaras, & Balſamon ad can. 49. Synodi Laodicenæ.

Miſſa Præſanctificatorum ab Humberto Card. ſec. XI. Græcis indiſcretis ninis impetita.

Infirma quoque ſunt argumenta, quibus Humbertus Græcum ſcriptorem impetit; Neque enim quæcumque Chriſtus Dominus egit, ab eo nobis fuere præcepta, uti plenius ſuo loco dicemus, alioquin cum Dominus non mane, ſed poſt Cœnam mixtum Calicem obtulerit, teneretur Eccleſia poſt Cœnam Sacri-

Reſpondetur ejuſdem exceptionibus adverſus Græcos circa Miſſam Præſanctificatorum ab ipſis obſervatam.

crificium Dominicum celebrare; quæ ratio eſt Sancti Cypriani Epiſt. 63. ad Cæcilium. Quamvis igitur Chriſtus totum panem Apoſtolis ſtatim diſtribuerit, non recte inde colligetur totum ſtatim diſtribuendum eſſe. Altera Humberti ratio non minus Græcam, quam Romanam aggreditur Eccleſiam, quæ die Parafceves Miſſa Præſanctificatorum utitur; quod ſi panis conſecratus bis offerri non poſſet, & ejuſdem iterata oblatio Chriſti ordinationi contraria videretur, jam ab initio, & a Concilii Laodiceni temporibus ad hanc uſque ætatem Eccleſia Græca, atque a ſeculo ſeptimo ad præſens uſque Latina graviſſimum prolapſæ eſſent in errorem, quod & ipſum Humbertum puderet aſſerere. Sane adeo inepta videtur hæc Humberti cenſura, ut nullum ante ipſum ſcriptorem invenerim, qui Præſanctificatorum Miſſam ulla animadverſione perſtrinxerit, ſi quoſdam Neſtorianos excipias.

Nemo quoque poſt ipſum id auſus eſt, niſi qui Præſanctificatorum Miſſam cum altera, quam ſiccam appellant, de qua infra, turpi hallucinatione confundunt. Porro de eadem Humberti in Pectoratum cenſura vide iterum infra cap. 21. §. 6. Hanc autem Miſſam in uſu fuiſſe apud Græcos, nedum Chryſoſtomi, ſed & Baſilii Magni temporibus, quin & ante Concilium Nicænum a Laodicena Synodo (ut dictum eſt) an. 314. putant Baronius, & Binius; at cum dicta Synodus Photinianæ hæreſis meminerit can. 7. quæ multo poſt una cum ſuo Authore in Conciliis Sardicenſi, & Mediolanenſi circa annum 358 celebratis, damnata fuit, cumque dicta Synodus nonniſi poſt ſedatas Gentilium perſecutiones Juliani Apoſtatæ obitu an. 363. plenaria reddita Eccleſiæ pace, celebrata fuerit, quod ex quieta tot Canonum ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantium ordinatione conjicitur, in idque fere omnes Eruditi conveniunt, veroſimillimum valde eſt circa annum 367. (uti ex Beveregio autumat Caveus) dictam Synodum celebratam fuiſſe, ſicque Præſanctificatorum Miſſæ inſtitutionem, de qua ibi can. 49., & 51. circa finem ſeculi quarti, ſtatuendam fore cenſerem. Denique de hac Miſſa præter Allatium ab Emin. citatum pag. 1531., & ſeq. vide Valeſii notas in Socratem lib. 5. cap. 22. ac Thomaſſinum de jejunio parte 2. cap. 17. num. 13., & cap. 23. num. 7. 8. 12. item Mabillonium Comment. in Ord. Rom. Muſ. Ital. Tom. 2. pag. 74., qui de eadem fuſe diſſerit.

Miſſæ Præſanctificatorum originem veroſimillimum eſt ad annum circiter 367. conſignari debere.

(2) *Præſanctificatorum miniſterium.*) Vide Chriſtianum Lupum in notis ad hunc Canonem, ubi plura de hac Miſſa, cujus etiam meminit Rhabanus lib. 2. de Inſt. Cler. cap. 37. atque hoc quidem factum jam olim in ſola ſpecie panis teſtatur hodierna etiam Eccleſiæ conſuetudo, de cujus initio minime conſtat; nam ipſo die Parafceves neque conſecratur vinum, neque pridie conſecratum, & refervatum ſumitur, ſed ſolum hoſtia cum ablutione, cujus inſtituti rationem optime reddit Thomas Valdenſis Tom. 2. de Sacram. cap. 88., & 89.

(3) *Panem antea conſecratum ..... ſumunt*) Leo Allatius in Epiſtola ad Naudæum loco ab Emin. citato diverſimode hunc ritum deſcribit: *Dominico die*, inquit, *quilibet Sacerdos venturæ hebdomadæ dies, quibus celebraturus eſt, digitis ipſe ſuis numerat, inde tot particulas panis in oblatione abſcindit, quot Miſſas dicturus eſt; eas cum particula eo die ſumenda conſecrat, & conſecratas, ſanguineque Dominico intinctas, uti moris eſt, conſervat in Pyxide, ex qua poſtmodum celebraturus tempore opportuno, cochleari, aliis ibi ad uſum relictis hauſrit, & diſco reponit, & in Altare majus advectam conſumit*: Hæc Allatius ex Græcorum Euchologio: at Edmundus Martene de antiq. Eccl. rit. parte 1. lib. 1. cap. 3. num. 15. optime advertit, quod particulæ conſecratæ in Sacra Pyxide conſervandæ, pretioſo Sanguine intingendæ, de quibus Allatius loquitur, non obſervantur in omnibus locis Eccleſiæ Orientalis, maxime vero Conſtantinopoli, ubi particulæ ſiccæ in Pyxide conſervantur, & reconduntur. Neque vero argui poteſt, quod cum hæc Miſſa Præſanctificatorum vocetur, non Præſanctificati, ideo utrumque elementum præconſecratum fuerit, etenim non ab elementis ipſis ita vocatur hæc Miſſa, ſed a rebus contentis, quod nempe ſub unica panis ſpecie ſit non ſolum Domini Corpus, ſed & Sanguis, uti & Græci omnes nobiſcum confitentur. Atque ita contra Huſſitas, & Lutheranos lucet communionem ſub unica panis ſpecie apud omnes Eccleſias ſemper in uſu fuiſſe.

Deſcribitur Ritus Miſſæ Præſanctificatorum apud Græcos.

(4) *Magiſque ſolemne, & a Domino inſtitutum*) Eamdem rationem ante Theodorum Balſamonem tradidit Simeon Theſſalonicenſis ſupracitatus reſp. 57., & 61. Porro Græcis non fuiſſe hunc ubique eumdem morem patet, quod quædam eorum Eccleſiæ in primæ quadrageſimalis hebdomadæ feria ſecunda, ac tertia Miſſam plenam, quædam etiam in quarta, & ſexta feria infra Dominicam quadrageſimæ habuere ſola Præſanctificata. Denique quoad hanc Miſſam Præſanctificatorum diſquirendum ſupereſt, an olim Eccleſia Latina per omnem quadrageſimam, ſicut nunc Græca, ut diximus Præſanctificatis uſa fuerit? Plerique affirmant id ante Gregorium. Magnum obſervatum fuiſſe, ſic Gregorius Protoſyncellus in Synodi Florentinæ Apologia adverſus calumnias Marci Epheſini pag. 721. *Ajunt*, inquit, *ex Gregorii Magni inſtitutione factum, ut quadrageſimali tempore apud Romanos Miſſæ Sacrificium integrum peragatur, quod apud illos hodieque ſervatur*: quare ante Gregorium id obſervatum fuiſſe non videtur. In hanc rem nonnihil innuit Anaſtaſius Biblioth. in vita Gregorii II. *Hic quadrageſimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque Miſſarum celebritas fieret in Eccleſiis, quod non agebatur, inſtituit*: cui ſuffragatur Marianus Scotus ad an. 715.

Qui tamen non ubique ſimili modo apud ipſos retentus.

An, & quando hujuſmodi Miſſa apud Latinos cenſerit.

At his non obſtantibus certum, exploratumque eſt ex celebri Innocentii Papæ I. Epiſtola ad Decentium Eccleſiam Occidentalem nonniſi feria ſexta Parafceves Præſanctificatorum Miſſam ex antiqua traditione celebraſſe, & adhuc celebrare. Vide infra cap. 18. §. 2. ubi

1. ubi de diebus Aliturgicis agetur. Hinc patet Gregorium Magnum non inſtituiſſe, ut quadrageſimali tempore Sacrificium integrum perageretur, ſed ut ait Vvalafridus Strabo div. offic. cap. 20. *in diſpoſitione officiorum anni infra Quadrageſimam quintam feriam vacantem dimiſiſſe, ut quia feſtiva erat veluti Dominica, etiam officio diei Dominicæ celebris haberetur*: In hac igitur feria quinta præcedentis Dominicæ Miſſa repetebatur; Cum vero *hæc poſtmodum cæpit, ut cæteræ, jejuniis, applicari* Gregorius II. eamdem officio proprio cum reliquis, ſuaque Miſſa donavit. Et ſane in antiquis Sacramentorum Codicibus nullam inveniri Miſſam, vel Evangelium tam in Quadrageſima, quam extra ipſam per totum annum feriæ quintæ aſſignatum, niſi poſt Gregorium II. in Quadrageſima tantum, & in octavis Paſchæ pluribus oſtendit Emin. Author infra loco mox citato, quidquid in contrarium nitatur Chriſt. Lupus in notis ad Canonem Trullanum 52., quem profecto cum Humberto Card., de quo ſupra nota I. hallucinatum dicto loco demonſtrabimus. Non recte igitur ex eo, quod feria quinta apud Latinos ante Gregorium Magnum propria Miſſa caruerit, deduci poteſt illo die ab ipſis Miſſam Præſanctificatorum adhibitam fuiſſe, cum maxime apud priſcos Occidentalis Eccleſiæ Patres rara admodum, aut fere nulla hujuſmodi Miſſæ mentio habeatur. Sed & de hac iterum ibi. Porro de eadem Miſſa præter Authores ab Emin. & ſupra a nobis nota I. ac II. indicatos late agunt Jacobus Grancolas Tom. II. antiq. Liturg. parte I. pag. 427., & Claudius De Vert Tom. I. pag. 81. & ſeqq. Vide etiam noviſſime Clar. D. Cajetanum Merati in ſuis ad Gavantum notis.

§. VI.

De Miſſa, quam Siccam vocant.

COnfundunt nonnulli cum Præſanctificatis Miſſam, quam *Siccam*, ſive *Nauticam* vocant; ſed turpiter hallucinantur: nam Miſſa Præſanctificatorum legitima auctoritate inſtituta eſt, & vere in ea Chriſti Corpus adeſt & ſumitur, licet antea conſecratum. (1) At Miſſa ſicca ab indiſcreta & privata quorundam devotione duxit originem, cui nimium indulgentes (1) fuerunt Sacerdotes. Larva eſt & ſimulatio quædam veræ Miſſæ (2), ſicca (2) proculdubio & jejuna, utpote carens non ſolum conſecratione, ſed etiam ſumptione Corporis Chriſti, ſimilis cœnæ ligneæ, & lapideæ, quam Lampridius, & alii referunt ſæpe convivis ſuis Heliogabalum exhibuiſſe. Invaluit tamen, adeo ut aliquando viris ſanctis & doctis non diſplicuerit. Guillelmus de Nangiaco Monachus in libro geſtorum S. Ludovici narrat religioſiſſimum Regem, cum e tranſmarinis partibus rediret in Galliam, Corpus Chriſti in navi decentiſſime collocari, atque ibi officia divina, & Miſſam excepto Canone quotidie celebrari feciſſe. Eandem commendat Genebrardus *lib. de Liturgia Apoſtolica cap.* 30. pro his qui mane integræ Miſſæ intereſſe non poſſunt, pro navigantibus, pro infirmis, & quando defuncti poſt meridiem ſepeliendi ſunt; pro qua re in uſu fuiſſe ſuis temporibus teſtatur, ſeque Taurini *anno* 1587. in exequiis viri nobilis, qui veſpere ſepelie-

Miſſa ſicca quæ ſit, & a Durando deſcripta, quæ etiam nautica dicitur.

bat tur, hujuſmodi Miſſæ cum Diacono, & Subdiacono cantatæ interfuiſſe. Modum eam celebrandi ſic deſcribit Durandus in Rationali lib. 4. cap. 1. Sacerdos *ſi ex devotione, non ex ſuperſtitione velit totum officium Miſſæ ſine ſacrificio dicere, accipiat omnes veſtes ſacerdotales, & Miſſam ſuo ordine celebret uſque ad finem offerendæ, dimittens Secreta, quæ ad Sacrificium pertinent. Præfationem vero dicere poteſt, licet in eadem videantur Angeli invocari ad conſecrationem Corporis, & Sanguinis Chriſti. De Canone vero nihil dicat, ſed orationem Dominicam non prætermittat, & quæ ibi ſequuntur ſub ſilentio dicenda, non dicat: calicem vel hoſtiam non habeat, nec de his, quæ ſuper Calicem ſeu Euchariſtiam dicuntur vel fiunt, aliquid dicat vel faciat. Poteſt etiam dicere*, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum: *& exinde Miſſæ officium ſuo ordine peragat. Melius eſt tamen alia omittere.* Hæc autem Miſſa nautica dicitur, ut ait Durandus *lib.* 2. *de Ritibus Eccleſiæ cap.* 4. ex libro Sacerdotali, quia in mari & fluminibus celebrari ſolebat, in quibus propter motum & agitationem fluctuum vix poteſt Sacrificium offerri ſine periculo effuſionis. (3) Declamant acriter adverſus eam Guil. Eſtius *Orat.* (3)

13.

13. *Theologica*, & Laur. Landmeter *lib.* 2. *de veteri Clerico*, *& Monacho cap.* 84. qui ambo exiſtimant paulo ante Guidonem de monte Rocherii cœpiſſe, a quo laudatur, & approbatur *tract.* 4. *cap.* 7. *Manipuli Curatorum*, quem ſcripſit anno 1333. ſed errant; quia, ut vidimus, jam in uſu erat vivente S. Ludovico Rege, qui obiit anno 1270. eamque deſcribit Durandus, qui eodem tempore vixit, & Petrus Cantor, qui floruit anno 1200. ejuſdem meminit in Verbo abbreviato *cap.* 29. ubi ait Miſſam ſiccam eſſe ſine gratia, & humore confectionis Euchariſtiæ, & nihil Fidelibus prodeſſe. (4) Nunc provida Epiſcoporum cura ubique gentium, ut puto, obliterata (4) & abrogata eſt (5). (5)

(1) *Licet antea conſecratum*) Ea propter nonnulli Scriptores Græci, ut ſupra diximus §. antecedenti nota I. ipſam ab Apoſtolis originem habuiſſe credunt una ſimul cum jejunii Quadrageſimalis inſtitutione. Porro inter eos, qui Miſſam ſiccam cum Miſſa Præſanctificatorum confundunt, præcipuus eſt Joſeph Vicecomes de Ritibus Miſſæ lib. 5. cap. 9. de quo infra, cujus etiam authoritate alios hallucinatos obſervarunt Chriſtianus Lupus mox citandus, & Leo Allatius de Miſſa Præſanctificatorum.

Miſſa ſicca a præcipuis Theologis reprobata.

(2) *Larva eſt & ſimulatio*) Non abſimile ante Emin. noſtrum habet Joannes Eckius in annotat. ad librum oblatum Cæſari Carolo V. art. 21. Confeſſionis Auguſtanæ, ubi de hac ait: *Miſſam ſiccam eſſe ſimulationem Sacerdote agente, quæ ſunt celebrantis cum Introitu, Collecta, Epiſtola, Evangelio, & Canticis; qui tamen quia non vult communicare, non conſecrat, itaut Miſſa ſine Corpore, & Sanguine Domini.* Idem etiam ſentit Chriſtianus Lupus ad Can. 52. Concilii Trullani parte 2. pag. 951., & ſicet aliqui, ut etiam hic notat Emin. Author, eamdem exiſtimaverint antiquam, & commendatam a tertia Synodo Carthaginenſi; quinimmo Joſeph Vicecomes de Rit. Miſſæ lib. 5. cap. 9. ipſam putet laudari a Dionyſio Areopagita lib. de Eccl. Hierarchia, qui & inde ſubdit ibi: *Oblatio ſola ſiebat in mortuorum Miſſis, non item conſecratio, quemadmodum in Belgicis pleriſque Eccleſiis etiam nunc ſervari multi tradunt*: Nihilominus, ait idem „ Lupus: abſit, ut ille Dionyſius, Belgicis „ hodie Eccleſia, ac præſertim tertia, cui S. „ Auguſtinus interfuit, Synodus Carthaginenſis probarint ejuſmodi hiſtrionatum, merito „ jam pridem damnatum a Belgarum Epiſcopis, ac ab Innocentio III. in literis ad „ Rectores Romanæ Fraternitatis lib. 3. tit. 4. „ cap. 7. Eſt temeritas novella: „ Hæc Lupus, quibus & Emin. noſtri ſententia comprobatur. Porro idem Eckius (ut optime notat Natalis Alexander Theol. Dogm. mor. lib. 2. de Sacramento Euchariſtiæ Reg. 6.) vocat hanc Miſſam ſiccam irriſionem Dei, & illuſionem Chriſti. Illius uſum eſſe prorſus illicitum, quia continet falſitatem in facto, & in verbo ſcribit Silvius in 3. par. D. Thomæ quæſt. 83. art. 2. In facto, quia Sacerdos ſimulat omnia, quæ ſunt Celebrantis, nec tamen celebrat, aut Sacrificium offert; In verbo, quia recitantur orationes, quæ promittunt Sacrificium, & aguntur poſtea gratiæ, quaſi illud oblatum, ac ſumptum eſſet. Hinc merito apud Belgas, ut indicant Lupus præfatus, & cum ipſo infra Emin. noſter, has Miſſas abrogarunt Synodus Cameracenſis 2. & tit. 3. cap. 7. & Synodus Iprenſis Martini Rythovii tit. 15. cap. 10. & alibi pleriſque in locis Epiſcoporum vigilantia eaſdem ubique proſcripſit. Improbatur etiam hanc Miſſam præter indicatos ab Eminentiſſimo Authores Joannes Mercerus in Tractatu de Sacrificiis, mox laudatus Sylvius 3. p. quæſt. 83. art. 3. aliique multi, ſed & ante annos ducentos, & amplius legitur apud Martene loco ſupra citato in antiquis editis Statutis Eccleſiæ Toloſanæ hujus Miſſæ ſiccæ ſuppreſſio.

Item a plurimis Synodis Provincialibus hoc loco, & nota 4.

Miſſa ſicca plerisque catholicis.

(3) *Sine periculo effuſionis*) Idem ſcribit Henriquez lib. 9. de Sacrif. Miſſæ cap. 27. De Miſſis ſiccis, ſive nauticis hæc in Hiſtoria Concilii Tridentini a Giattinio latine reddita parte 3. lib. 18. cap. 6. n. 18. *Primo complures propendebant ad eas interlicendas, quæ vulgo ſiccæ nuncupantur, hoc eſt cum adhibitis cæteris precationibus, ritibuſque minime confecratur; ſed poſtea mutatum eſt conſilium authore potiſſimum Draſcovitio, cum animadverſum eſſet in navigationibus, aliiſque rerum conditionibus cum Sacerdotis, vel ſacræ ſupellectilis defectu ſacrificare non licet, eam abſolutam Sacrificii expreſſionem plurimum conferre ad excitandam in animis pietatem, qui ut etiam ſupra ſenſus evehantur; ſenſibus indigent*: Porro de hac Miſſa ſicca, ſive nautica vide plura in Gloſſario Cangiano noviſſime edito, pleriſque additionibus ornato pag. 38. 39. Vide item Clariſs. P. D. Cajetanum M. Meratum in ſuis ad Gavantum Commentariis Prolegom. num. 81. pag. 81, & parte I. tit. 20. num. 2. ubi fuſe de hac differit.

(4) *Et nihil Fidelibus prodeſſe*) Multo ante duodecimum ſeculum hujuſmodi Miſſæ ſiccæ mentio habetur: Et primo in veteri MS. libro Pontificali Trecenſis Eccleſiæ, quem dono datum Arremarenſi Monaſterio a S. Prudentio Trecenſi, ſeu Tricaſſino Epiſcopo affirmat Edm. Martene de Antiquis Eccleſiæ Rit. Tom. I. in ſyllabo monument. qui & ejus apographum ſe vidiſſe teſtatur, & lib. I. cap. 3. art. I. num. 16. ejuſdem Miſſæ ordinem ex ipſo deſcribit. Porro Prudentius Trecenſem rexit Eccleſiam ab an. 848. uſque ad 861. ut ex Annaliſta Bertiniano, ſeu 864. ut aliis placet. Dictæ itidem Miſſæ mentio extat in Capitularibus Caroli Magni lib. I. cap. 6. ubi vetantur Presbyteri has Miſſas abſque Corporis, & Sanguinis Domini perceptione celebrare.

Miſſæ ſiccæ mentio jam ante nonum ſeculum.

lebrare ; lege eruditiſſimas Baluzii notas ad hunc locum Tom. II. Capitular. col. 1123. Vide etiam Capitul. lib. 6. c. 120. Hujus etiam Miſſæ meminit Concilium Toletanum XII. anno 605. Can. 5. unde colligitur Miſſam Siccam, ſeu ſine communione, non ouperam, ſed antiquam fuiſſe. Item Concilium Pariſienſe an. 1212. Can. 2. cujus lemma eſt: *De Sacerdotibus, qui Miſſarum multitudine onerati conductitios alios Sacerdotes habent, vel Miſſas Siccas faciunt -- nec ut a prædictis ſe exonerent, Siccas Miſſas faciant pro defunctis, ſub eadem diſtrictione prohibemus*. Vide etiam Concilium Salisberienſe an. 1217. Can. 38. ſed & apud Græcos hujuſmodi Miſſæ meminiſſe videtur Socrates lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 21., ubi ait, quod Alexandriæ certis diebus legebantur Scripturæ, & Doctores eas interpretabantur, & omnia, quæ ad Synaxim ſpectant, adminiſtrabantur præter myſteriorum celebrationem, ſeu conſecrationem.

(5) *Obliterata, & abrogata eſt*) Prudenter ait Emin. Author, *ut puto*, nam adhuc vigere hujuſmodi Miſſæ Siccæ uſum In Belgio, ibique paſſim uſurpari ſcribit Matthæus Galenus in ſuo Promptuario; Item in Diœceſi Pictavienſi ſe audiſſe teſtatur Edmundus Martene Tom. I. de antiquis Eccl. Rit. pag. 273.

Adhuc alibi vigere hujus Miſſæ Siccæ uſum ſcribunt nonnulli.

Ait etiam Chartuſienſes has Miſſas in eorum cellis ſæpius recitare, quarum unam de Beata videre eſt in ipſorum Breviario anno 1587. edito. Legitur quoque hujuſmodi Miſſa Sicca in libro Sacerdotali pluries impreſſo Venetiis poſt annum 1520., & in Miſſali Romano Pariſiis edito anno 1542. ubi ejus ordo deſcribitur. Hunc librum Navarrus Tom. 4. Tract. de Orat. Miſcell. 89. a Leone Papa X. approbatum ſcribit, atque ibi late de eadem Miſſa diſſerit. Præterea in antiquo Ordinario Fratrum Prædicatorum manuſcripto an. 1254. uti advertit Petrus le Brun Explic. liter. Hiſt. & Dogm. Cærem. Miſſæ Tom. I. pag. 688. hujuſmodi Miſſa, præcipue de Beata, uti mox de Chartuſienſibus dictum eſt, iis legenda permittitur: *In via vero, vel alias, quando fratres Miſſam habere non poſſunt, dicere poſſunt Officium Miſſæ Beatæ Virginis cum Sanctus, & Agnus Dei, & Poſtcommunio, gratiam, & etiam cum Gloria in Excelſis, ſi dicenda fuerit illa die*: Denique de Miſſa Sicca, & Nautica Tractatum ouper ſcripſit Andreas Schmidt, ediditque Jenæ an. 1692., ubi de eadem plura pag. 12., & ſeqq. caute tamen legenda. Poſt ipſum Laz. Andr. Bouquillot lib. 2. cap. 7., ac Caj. M. Meratus in Gavant. Præl. nu. 80. Alii item de hac ſcripſere, ſed indicati ſufficiant.

Atque indultum Chartuſianis, aliiſque Clauſtralibus, ut illas in ſuis cellis celebrare poſſint.

§. VII.

Refertur quorumdam abuſus, qui plures Miſſas in unam congerebant.

CÆterum præter Miſſam Siccam irrepſerat & alius deteſtabilis abuſus, quem Petrus Cantor loco citato acerrime perſtringit. Solebant enim eo tempore nonnulli Sacerdotes plures Miſſas in unum congerere, celebrantes Miſſam diei, vel aliam præcipuam ſuo ordine uſque ad offertorium; tum aliam incipientes uſque ad eundem locum, deinde tertiam & quartam eodem modo. Poſtea tot ſecretas Orationes dicebant, quot Miſſas incœperant: demum ſub uno Canone ſacrum perficiebant, totidem additis in fine Collectis, quot initio recitaverant. Originem hujus abuſus adſcribit Petrus Sacerdotum cupiditati, qui cum illicitum eſſe ſcirent pluries in die celebrare, has plurium Miſſarum inſitiones invenerunt, ut devotioni multorum petentium pro ſe offerri Sacrificium unica celebratione ſatisfacientes, plura pro uno Sacrificio ſtipendia acciperent. (1) Has autem Miſſas barbaro vocabulo *Bifaciatas*, & *Trifaciatas* nuncupat, quia duplicem vel triplicem habebant faciem: quas veluti monſtruoſas & contrarias inſtitutioni, & conſuetudini Eccleſiæ improbat, & deteſtatur (2). (1) (2)

(1) *Plura pro uno Sacrificio ſtipendia acciperent*) Ita in quadam compoſitioone inter Priorem de Ghiſortio, & Romanum Prefbyterum S. Gervaſii de Ghiſortio anno 1581. facta apud Edmundum Martene Tom. 3. Collect. ampl. vet. monum. col. 1224. num. 20. prædictus Prior de conſenſu Abbatis majoris Monaſterii, approbante etiam Mauritio Pariſienſi Epiſcopo conventionis arbitro, & judice, confirmaote item Rotrodo Rothomagenſi Archiepiſcopo licentiam celebrandi duas Miſſas ſub uno Canone conceſſit Sacerdoti; quam quidem compoſitionem in archivio ejuſdem majoris Monaſterii aſſervari dictus Martene teſtatur loco citato. De ejuſmodi Miſſis ita ſcribit Georgius Caſſander in Præfatione ad Ordinem Romanum .. *ante pauca ſecula in Galliis multum uſitatæ fuerunt Miſſæ vulg) dictæ bifaciatæ, trifaciatæ, quadrifaciatæ &c. eas omnino jam obſoletas exiſtimo*.

Miſſæ bifaciatæ, trifaciatæ, quadrifaciatæ, &c. ſic dictæ quia plures ſub uno Canone concluſæ.

De quodam Eremita Sacerdote ſanctitate conſpicuo in Diœceſi Bellovacenſi anno 1191. refert Thomas Cantipratanus Mirabilium ſui temporis, ſeu de Apibus lib. 2. cap. 3. num. 8. quatuor Miſſas ſub uno Canoe divinitus juſſum celebrare. At ubi conſtet de divina re-

revelatione, rectaque hominis intentione, in quibus explorandis caute procedendum eſt, hujuſmodi facta, cum ex divina diſpenſatione admiranda potius, quam imitanda ſint, neque etiam adducenda ſunt in exemplum; ſed quidquid egerint ſancti aliquot ex ſuperno inſtinctu, ac ſpeciali ſpiritu Dei, nobis tamen eumdem admirantibus, & venerantibus, inſtitutioni, ac conſuetudini Eccleſiæ inſiſtendum, atque obediendum erit, quæ ab ipſo eodem edocta, & ducta ſpiritu nec falli, nec fallere poteſt. Neque vero hujuſmodi Miſſæ uno tantum concludebantur Canone, ſed interdum una illarum duobus Canonibus peragebatur, reſervata uſque ad ultimum Canonem communione, uti ex ſupra memorati Concilii Toletani XII. can. 5., quem abuſum juremerito damnatum, & reprobatum jam ex Canone 9. Apoſtolorum eadem Synodus denuo proſcripſit: ac ſeculo XIII. Augerius Epiſcopus Conferan. apud Meratum; in ſuis etenim ſtatutis manuſcriptis an. 1280. exaratis hæc ait: *Nullus plures Miſſas ſub uno Canone, vel cum uno Sacrificio, vel unam cum duobus Canonibus, vel Sacrificiis celebrare præſumat, quamvis ſub uno Canone poſſint plures hoſtiæ conſecrari. Reprobandi ergo ſunt qui incæpta Miſſa de die, vel alia procedentes uſque ad Offertorium, & tunc incipiunt aliam forte de Spiritu Sancto* &c. Jure quidem reprobatæ ſunt itiuſmodi Miſſæ ab Eccleſiarum Prælatis, etenim quaſi multiplicem habentes faciem ex illarum profecto noſcuntur genere, quæ omnino imperfectæ, & æquivoce tantum Miſſæ dici poſſunt. Porro de his Miſſis barbaro vocabulo nuncupatis bifaciatis, & trifaciatis poſt Emin. noſtrum nonnulla habent Laz. Andr. Bocquillot lib. 2. cap. 7. Dufreſne in ſuo Gloſſario, & noviſſime toties laudatus Meratus in Gavantum Prælim. pag. 82. num. 82.

Miſſa pro inimicis facerilege olim uſurpata, & damnata ſeculo VII.

(2) *Improbat, & deteſtatur*) Eſt & alia Miſſa pro inimicis dicta, ſacrilege a quibuſdam nefariis Sacerdotibus olim in Hiſpania uſurpata, de qua Concilium Toletanum XVII. anno 694. can 5. ubi eamdem ſic impie celebratam damnans, atque deteſtans, ita *de his, qui Miſſam Defunctorum pro vivis audent malevole celebrare, videlicet, qui ita præpedientes delicto, atque fauciati inimicitiæ dolo, non ſolum hominibus fallaciter loqui minime pertimeſcunt, ſed in Sanctis Baſilicis ſupra Altare Domini coram Deo idem nequaquam perpetrare horreſcunt, nam Miſſam pro requie Defunctorum promulgatam, fallaci voto pro vivis ſtudent celebrare hominibus, non ob aliud, niſi ut is, pro quo ipſi ſum offertur Sacrificium, ipſius Sacroſancti libaminis interventu mortis, ac perditionis incurrat periculum* &c. ſtatuit eos degradandos, & perpetuo ergaſtulo detrudendos eſſe. Item de hac Miſſa pro morte inimicorum hæc habentur in Can. *Quicumque Sacerdotum* Diſt. 26. quæſt. 1. *Plerique etiam Sacerdotum fauciati inimicitiæ dolo Miſſam pro requie Defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis ſtudent celebrare hominibus, ut is, pro quo ipſum offerunt Sacrificium, mortis incurrat periculum*: Hujus etiam mentionem habent Macri fratres in Hierolexico pag. 306. Sunt & aliæ Miſſæ, quas dicunt, & vocant *tricenarias, revelatas, & clauſas, Miſſas Comitis, Miſſas S. Amatoris*, contra quas diſſerit S. Vincentius Ferrerius Oper. Tom 4. Dominicæ 4. Adventus, ac proinde uti ſuperſtitioſæ ab Eccleſia reprobatæ; de quibus etiam vide Martinum Del Rio Diſquiſit. magic. lib. 6.

Aliæ Miſſæ, quæ ab Eccleſia ſuſpenſæ, vel non approbatæ, aut prohibitæ ſunt.

Aliæ item nonnullæ ſunt, quæ etſi in aliquibus antiquis Miſſalibus etiam impreſſis legantur, & pleriſque in locis jampridem inuſu fuerint, nihilominus a Sac. Rit. Congregatione ſub Urbano Papa VIII. prohibitæ, & ſuſpenſæ ſunt, videlicet Miſſæ nuncupatæ S. Gregorii pro vivis & defunctis, Miſſæ quindecim Auxiliatorum, Miſſa de Patre æterno, aliæque ejuſmodi non approbatæ, de quibus vide Gavantum parte IV. tit XVII. num. 14. & ejus illuſtratorem Meratum ad dictum locum. Præterea erat & Miſſa Judicii dicta, quæ celebrari olim conſueverat cum aquæ frigidæ, ſeu ferventis, aut etiam ferri candentis examine, & judicio, quando veritas ab aliquo erat eruenda, qui ritus ſolemnis erat adhuc ſeculo XI. Sancta quippe Chunegundis, S. Henrici Imperatoris conjux hujuſmodi examine ferri candentis purgata fuit, ſed talis Miſſa deinceps abrogata, & proſcripta eſt. Hujus Miſſæ ritum deſcribit Dunſtanus Dorobernenſis Archiep. in ſuo Ordine, quem & exſcripſit Aloyſius Novarinus Sacr. electi. lib. 5. cap. 90. pag. 255. num. 788., & inde fratres Macri in Hierolexico verbo *Miſſa Judicii*. Plures etiam hujus generis Miſſas ex variis Codicibus MSS. collegit Edmundus Martene de antiq. Eccl. rit. Tom. 3. lib. 2.

Aliæ item Miſſæ ab indicatis diverſæ, ac pleriſque in locis uſitatæ.

His itaque rejectis, præcipue monſtruoſis illis Miſſis, de quibus primo dictum eſt, aliiſque item ab Eccleſia reprobatis, ſunt & aliæ quædam Miſſæ olim pleriſque in locis uſitatæ, quas ſaltem indicare abs re non erit. Et primo Miſſa *Cardinalis* dicta. Hæc cantabatur in Altari capitaneo, ſive Cardinali nuncupato, a quo illa nomen ſumebat (hoc erat primum Altare in abſide, ſeu fronte Baſilicæ prope majorem aram locatum) ut docet Mabillonius in notis ad lib. 2. Mirac. S. Bertini ſec. 3. Bened. parte I. pag. 146. unde Miſſa Cardinalis aliquando dicta, nonnumquam in aliis Altaribus, fed præcipue in eorum Sanctorum feſtis, quibus dicata, ſacrataque erant, rarius in ara majori. Eſt etiam Miſſa *Matutinalis* dicta, de qua vide Martene de Antiquis Monach. Rit. lib. 2. cap. 5. Mabill. loco ſupracit. ſæc. 2. pag. 851. & ſæc. 4. parte 2. pag. 557. Item Miſſa *Renovata* dicta, de qua idem Mabillonius de Liturgia Gallicana pag. 57., & ſæc. I. Bened. pag. 242. num. 60., ac ſæc. 2. in fine col. 1104. ubi de eadem plura. Porro de variis Miſſarum generibus, & nominibus ſuſe, & docte diſſerit ſæpe laudatus Cajetanus M. Meratus in ſuis ad Gavantum Comment. Obſerv. Prælim. num. 32., & ſeqq., ac noviſſime Cangiani Gloſſarii Illuſtratores Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri Tom. IV. voce *Miſſa*, ubi item plura de diverſis ejuſdem notionibus proferunt.

CAP.

CAP. XVI.

Duplex Miſſa Catechumenorum, & Fidelium. Utriuſque ratio, & origo. Miſſæ Catechumenorum quinam adeſſent. Veteris Eccleſiæ erga Catechumenos diſciplina. Altum de myſteriis ſilentium illis præſentibus. Quot fuerint eorum claſſes. De tempore Catechęſi conſtituto. Expulſio eorum ab Eccleſia quo ſeculo deſierit. Expulſi cum illis etiam Pœnitentes, & Energumeni.

§. I.

Duplex Miſſa Catechumenorum, & Fidelium. Utriuſque ratio, & origo. Miſſæ Catechumenorum quinam adeſſent.

VIgente in Eccleſia ſeveriori diſciplina, anxie admodum & ſolicite cavebant antiqui Patres, ne ulla ſibi eſſet cum impiis, profanis, & impuris hominibus communicatio, (1) quos non ſolum a myſteriorum participatione, ſed ab ipſo etiam aſpectu arcere ſolebant. Ideo cancellis & velis Eccleſiarum ſanctuaria undique clauſa erant, ne quiſpiam in ea aut nondum Chriſtiana fide imbutus, aut aliqua ſorde pollutus introſpiceret. Cumque inchoarentur eorundem myſteriorum ſolemnia, omnes indigni a Diaconis ejiciebantur, donec prioris vitæ maculas præſcriptis purgationibus eluiſſent. Hinc orta duplicis Miſſæ diviſio a duplici miſſione, quarum una Catechumenorum, altera Fidelium dicebatur. (2) Et illa quidem duobus, vel tribus primis Eccleſiæ ſeculis, aliquot precibus & pſalmis conſtabat, quibus abſolutis voce Diaconi dimittebantur Catechumeni, & alii qui Miſſæ fidelium adeſſe non poterant. (3) Sed cum poſtea ſancti Patres & Epiſcopi animadvertiſſent ſermones & Scripturarum expoſitiones ad infidelium converſionem, cæterorumque inſtructionem multum conferre, admiſſi ſunt omnes in Eccleſia, donec lecto Evangelio fieret ſermo; quo habito, & illis excluſis, Miſſa Fidelium incipiebat. Ita ſancitum fuit in Concilio Carthaginen. 4. c. 84. *Ut Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſſam Catechumenorum.* (4) Hujus autem edicti rationem reddit Concilium Valentinum Hiſpaniæ c. 1. dicens, *Hoc inter cætera cenſuimus obſervandum, ut ſacroſancta Evangelia ante munerum illationem, vel Miſſam Catechumenorum in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur; quatenus ſalutaria præcepta Domini Noſtri Jeſu Chriſti, vel ſermonem Sacerdotis non ſolum Fideles, ſed etiam Catechumeni, ac pœnitentes, & omnes qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita nonnullos ad fidem attractos evidenter ſcimus.* (5) Ideo Auguſtinus & alii Patres, interdum Gentiles, interdum Hæreticos, ſæpe etiam Judæos in ſuis ſermonibus exagitant, quia ſimul cum fidelibus illis intereſſe conſueverant. (6) Quamvis autem cum Catechumenis etiam pœnitentes, & energumeni dimitterentur, Miſſa tamen, ſive dimiſſio, a ſolis Catechumenis nomen accepit, quia major tunc erat illorum numerus, & nonnunquam contingere poterat, ut nulli eſſent pœnitentes, vel energumeni. Ven. Beda *lib.* 2. *comment. in Eſdram* ipſos Catechumenos novæ vitæ auditores appellat,

Miſſa Catechumenorum quæ ſit, & in quo a Miſſa fidelium diſtincta.

quia vox Græca Catechumenus idem eſt ac Latine auditor. Et ante ipſum Iſidorus lib. 7. orig. cap. 14. *Catechumenus dictus pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, nec dum tamen baptiſmum percepit, nam Catechumenus græce auditor eſt.* (7) Tertullianus lib. de pœnit. cap. 6. *Nemo ſibi adulet-* (7)
tur, quia inter Auditorum tyrocinia deputatur, & paulo poſt. *Itaque audientes optare intinctionem, non præſumere oportet.* Cyprianus Epiſt. 13. *Audientibus ſi qui fuerint periculo præventi, & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit.* Et Epiſt. 24. *Optatum inter lectores doctorem Audientium conſtituimus*, Magiſtrum ſcilicet Catechumenorum, ſeu Catechiſtam; quo munere functi ſunt Alexandriæ viri celeberrimi Pantænus, Clemens, & Origenes. (8) Erant autem Catechumeni Chriſtianæ fidei tyrones, de (8)
quibus ſic loquitur Tertullianus l. c. *Quicquid mediocritas noſtra ad pœnitentiam ſemel capeſſendam & perpetuo continendam ſuggerere conata eſt, omnes quidem deditos Domino ſpectat, ſed præcipue Novitiolis iſtis imminet, qui incipiunt divinis ſermonibus aures rigare.* Nemo enim admittebatur ad baptiſmum, niſi præmiſſo tyrocinio. (9) Et ſi quis infans baptizabatur, ſuſcep- (9)
tores ſe illos docturos ſpondebant, cum ad ætatem capacem perveniſſent. (10) (10)

(1) *Et impuris hominibus communicatio*) Atque hæc illa eſt tam celebris, ac apud omnes notiſſima Arcani diſciplina, ſive præcipuorum Catholicæ Religionis myſteriorum occultatio, Gentilibus præſertim, Judæis, & Catechumenis, quam utpote ab ipſis Apoſtolis traditam, a fidelibus ſtrictiſſime obſervandam, ac religioſiſſime cuſtodiendam maxime circa Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum primi Eccleſiæ Patres tantopere commendabant. Hanc piam, & laudabilem conſuetudinem antiquitus in uſu fuiſſe vel ipſi non diffitentur Hæretici, inter quos Albertinus lib. 2. de reticentia myſteriorum fuſe probandam ſuſcepit, & Caſaubonus Exercit. 16. in Baronium ait: „ quis ita hoſpes in Pa„ trum lectione, cui ſit ignota formula, & „ mentione Sacramentorum uſu trita: *Norunt initiati quod dicitur*: Quæ formula, ut optime notat Pagius in Crit. Bar. ad an. 118. nu. 4. in unius Chryſoſtomi, aut aliis ſcriptis minimum quinquaginta locis poteſt obſervari, & quidem de Euchariſtiæ Sacramento notum eſt illud ipſius hom. 27. in Matth. *Euchariſtiæ myſterium . . . . initiati ſolummodo noverunt.* Notum pariter illud Auguſtini Tract. 96. in Joannem: *Catechumenis Sacramenta fidelium non producuntur*: & aliud ejuſdem: *Neſciunt Catechumeni quid accipiant Chriſtiani*: De qua formula iterum infra §. 3. At in re Eruditis omnibus notiſſima diu immorari ſupervacaneum eſt, cum & infra toto hoc capite, ac in ſequentibus paſſim de eadem differatur. Unum tamen, aut alterum obſervatione dignum hoc loco præmittendum cenſeo.

Arcani diſciplina quæ & quam ſtrictæ præſcripſerit Ecclieſiæ obſervata.

Et primo hanc diſciplinam, quam inter omnes convenit tantum pro Catechumenis, Judæis, & Gentilibus, ut diximus, obſervatam fuiſſe, non vero pro fidelibus initiatis, ſeu baptizatis, quibus cuncta religionis myſteria abſque ulla verborum ambage exponebantur, Sectarii in hoc etiam a nobis Catholicis diſſentientes negant eamdem ex Apoſtolica traditione fluxiſſe, inter quos Ernestus Tentzelius Lutheranus in ſua Diſputatione hac de re edita Lipſiæ anno 1682. ubi ipſam poſt Apoſtolos ad finem ſecundi ſeculi ortum duxiſſe, & ad ſolos Sacramentorum Ritus, non vero ad ulla Religionis Chriſtianæ dogmata ſpectaſſe voluit, quemadmodum & ante ipſum Albertinus loco citato, aliique hujus furfuris Scriptores Proteſtantes. His omnibus eorumque conatibus viriliter ſe oppoſuit Cl. vir Emmanuel a Schelestrate in ſua Diſputatione Apologetica de eadem Arcani diſciplina Romæ impreſſa an. 1685., de qua etiam eruditiſſime ſcripſerat in Commentario ad ſecundum Canonem Antiochenum, ibique invincibiliter oſtendit, diſciplinam Arcani ex Chriſti verbis Matth. 7. 6. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos*: aliiſque ex Evangelio petitis rationibus ortum duxiſſe, & circa præcipua fidei noſtræ myſteria a temporibus Apoſtolorum fuiſſe obſervatam; cui veræ, & faniori ſententiæ Catholicorum docti omnes ſubſcribunt.

Atque hæc ex traditione Apoſtolica, quod omnia Chriſtianæ Religionis myſteria contra Sectarios.

Attamen non obſtantibus prolatis hac de re abs Schelestratio rationum momentis pro tuenda hujus Arcani diſciplinæ antiquitate ab ipſo Chriſtianæ fidei exordio, denuo contra eamdem ab hac ſua vetuſtate, ejuſque poſſeſſione eliminandam nuper inſurgit Samuel Baſnagius Calviniſtarum Coryphæus Annal. Politico-Eccl. Tom. 2. pag. 505. nu. 4. atque ut ipſam ab Apoſtolis nullatenus traditam, & derivatam quoquo modo oſtendat, nobis aliud objicit Chriſti Domini mandatum Matth. 10. 27. *quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Neque alium ex Evangelio textum profert, quo erroneam ſuam opinionem nobis obtrudat. Aſt quis ea, quæ mox ſequuntur, & totum dicti capitis contextum legens ignorare poteſt præceptum hoc non Arcani diſciplinam excludere, ſed ad fidei confeſſionem, ejuſdemque prædicationem pertinere? cum ſtatim poſt dictum textum ſequatur verſus 28.

Ex quibus Samuel Baſnagius cum iis confutatur.

Coram Catechumenis, Judæis, & Gentilibus non autem pro fidelibus initiatis.

Nolite

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Deinde post pauca versu 32. concludens, inquit; *omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eam coram Patre meo, qui in cœlis est.*

Cum & ipse Christus Dominus Arcani disciplinam religiose a fidelibus custodiendam & verbo docuerit, ac exemplo.

Itaque longe abest, quod Christus Dominus aliquo suo mandato Arcani disciplinam excludat, quin potius ipsam a Deo Patre suo servatam, eamdemque ab ipso se accepisse testatur capite sequenti vers. 25., & 26. ita dicens: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, & nemo novit filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi filius, & cui voluerit filius revelare:* Quid est hoc abscondere a sapientibus, & prudentibus, nisi doctis hujus mundi, uti Lucæ 16. dicitur, *quod filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt:* & revelare ea parvulis, idest humilibus, & simplicibus corde, iis scilicet, de quibus dicitur Proverb. cap. 1. *& cum simplicibus sermocinatio ejus:* Nisi Arcani disciplina de non manifestandis quibuscumque extra Ecclesiam divinis mysteriis, sed parvulis tantum, idest humilibus, fidelibus, Ecclesiæ filiis in Christo regeneratis? Id professo clarissime expressit idem Christus Dominus Matth. 8. 11. cum sementis parabolam turbæ plurimæ populorum, qui convenerant ad eum, non eit dignatus exponere, bene quidem discipulis, *quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant:* Turbæ autem noluit parabolæ sensum aperire, quia cum multi convenirent, & properarent ad eum, sequentes ipsum non ex fide in eumdem credentes, sicut discipuli, sed ex curiositate, ut viderent signa, quæ ab ipso fiebant, ideo mysterium illis abscondit, & fidelibus revelavit. Nolo in re sole clariori singulos Evangelii textus percurrere: hactenus ex ipso delibata ad Basnagii, ejusque gregalium duritiem infringendam, atque ad Scheleitratii Dissertationem amplius roborandam sufficiant. Vide etiam, quæ infra dicemus §. 2. & 3.

Eumdemque Apostoli a Christo, ab Apostolis Patres, & majores nostri acceperint.

Quod autem hanc Arcani disciplinam ab ipso Domino Apostoli, ab Apostolis Patres, & majores nostri acceperint, unus pro omnibus idem Basilius a Basnagio relatus testatur lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 27., ubi ait: *Quædam e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, idest in occulto tradita accepimus.* Atque hæc posteriora affirmans esse quædam dogmata, & instituta ad Sacramentorum Ritus pertinentia, concludens exemplo desumpto ex veteri Testamento de non ingrediendo Sancta Sanctorum, nisi semel per annum, idque uni tantum Sacerdoti licitum fuisse, ne res usu trita contemptui exponeretur, sic inquit: *Ad eumdem professo modum, & qui primordiis Ecclesiæ certos Ritus præscripserunt Apostoli, & Patres, in occulto, silentioque mysteriis suam servuavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares, & vulgares aures effertur:* Hæc Basilius, qui & plura ibi in eumdem sensum adjicit, cui etiam reliqui suffragantur Patres. Satis hoc loco, & ad lancem saturam de divina Arcani disciplinæ origine, ejusdemque Apostolica traditione. Quomodo autem hæc a Patribus observata fuerit, quandiu perduraverit, plura hoc capite Emin. Author, quibus & nos nonnulla suppeditabimus.

(2) *Altera Fidelium dicebatur.*) De hac Missa vide infra capite sequenti XVII. §. 5. Porro de Missa Catechumenorum videndi Joannes Mabillonius de Liturgia Gallicana pag. 11. Edm. Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. I. pag. 433., & noviſſime D. Cajetanus Merarus Comment. in Gavantum Tom. I. pag. 19. 78. aliique nuperi, qui de Liturgicis rebus ſcripſere.

(3) *Qui Missæ fidelium adesse non poterant*) Ita pariter ante Emin. ſcripſit Gabriel Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſc. lib. 1. de Euchariſtia cap. 5., & eodem tempore, quo noſter Purpuratus, ipſius amiciſſimus Chriſtianus Lupus variis locis, quibus adſtipulatur Emmanuel a Scheleſtrate in ſua ſupra laudata Diſſert. Apolog. de Diſcipl. Arcani cap. 5. art. 2. pag. 91. Quibus autem precibus, & pſalmis conſtaret olim Miſſa Catechumenorum, edicit Author Conſtitutionum Apoſtol. lib. 1. cap. 57., ubi poſt ordinatum a Diaconis populum præfcribit, *ut in medio Lector ex loco edito legat libros Moysi, & Jesu Nave, Judicum, & Regum, item Paralipomena, & Esdram de reditu Populi, præterea Job, & Salomonem, ad hæc sexdecim Prophetas. Perabile vero binis Lectionibus de binis libris, alius quispiam psalmos David canat, populus vero initia versuum, quæ dicuntur acrostica, succinat. Deinde acta nostra legantur, item Epistolæ Pauli adjutoris nostri, quas Ecclesiis misit Spiritus Sancti instinctu dictatas, postea Diaconus, aut Presbyter Evangelia legat, deinde pariter cuncti consurgentes, & in Orientem spectantes, egressis Catechumenis, & pœnitentibus precentur Deum:* Hæc item breviter indicantur in Liturgia S. Jacobi Apoſt. *Et deinde leguntur fusissime oracula sacra veteris Testamenti, & Prophetarum:* quæ etiam atteſtatur S. Dionyſius Areopagita lib. de Eccl. Hierarch. cap. 7. *reversus autem ad divinum Altare* (Epiſcopus) *incohat sacram psalmorum melodiam una canente cum eo sacrum psalmorum eloquium universo Ecclesiastico ordine. Deinceps per ministros sacræ Scripturæ librorum consequenter fit recitatio, & postea foras exiguntur sacro ambitu Catechumeni &c.* His & ſuccinit S. Juſtinus Martyr in ſua Apologia 2. pro Chriſtianis, ubi eadem confirmantur. Quocirca Miſſa Catechumenorum conſtat ex lectionibus, & pſalmis uſque ad Evangelium, quo lecto incipit Miſſa Fidelium. De eadem Miſſa Catechumenorum fuſe, & erudite diſſerit laudatus Emmanuel Scheleſtratius in Concil. Antiochenum can. 2. cap. 5. pag. 195., & ſeqq.

Quibus precibus, & pſalmis conſtaret olim Missa Catechumenorum, cui omnes admittebantur fidelium infideles.

(4) *Usque ad Missam Catechumenorum*) Ad hunc locum Scheleſtratius præfatus in dicto ſuo Opuſculo pag. 92. Hanc Bonæ ſententiam, cui jam ante præiverat, ut innuimus, laudatus Albaſpinæus loco citato, reprobans, Canonem hunc nihil de Catechumenis ſtatuere autumat, cum potius, inquit, Evangelium,

Initio Ecclesiæ Catechumeni ante Evangelium expulsi, deinde post idem & Episcopi sermonem dimissi.

lium, & tractatum Episcoporum præsentibus Catechumenis lecta, sive dicta supponat; De Paganis itaque, subdit, Judæis, & Hereticis canon statuit posthac admittendos esse ad Ecclesiam, quod antecedenter in Africa non fiebat, quia eos ad auditionem sacrorum Codicum non admittebat. Ita Scholastratius, & antepsum Binius in notis ad hunc Canonem, existimans & ipse Catechumenos primis Ecclesiæ seculis Apostoli, & Evangelii lectionibus interfuisse; verum pace tantorum virorum, Catechumenos in illo Canone comprehendi ex ipsis Africanis Scriptoribus Tertulliano, Cypriano, & Augustino evincitur. Tertullianus de Præscript. cap. 41. de quo infra Emin. hoc capite §. 3. loquens de Marcionistis: *in primis*, inquit, *quis Catechumenus, quis fidelis incertum est, pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant*: Ergo ab oppositio in Africa inter fideles etiam Catechumeni non pariter adibant, non pariter audiebant, non pariter orabant.

Hinc Christianus Lupus in scholiis ad eumdem Tertulliani locum sic ait: „ Proinde præ„ fens Doctoris locus palam evincit, quod „ isto tempore Catechumeni, longe magis „ Gentiles, aut Judæi ad audiendum in Ec„ clesia Dei verbum cum fidelibus non ad„ mitterentur. Istius admissionis nullum est „ vestigium; Plurima persuadent non fuisse &c. deinde post probatum Athanasii exemplo defumptam concludit: „ proinde uti Fi„ deles, & Catechumeni non ad communes „ libros admittebantur, ita neque ad com„ mune, quod Episcopus exponebat, in Ec„ clesia Dei verbum. Hæc Lupus, cui idem sentiens additpulatur, & quod Canon præfatus 84. Carthag. respiciat etiam Catechumenos, expresse affirmat Joannes Morinus Exercit. Eccl. lib. 2. num. 27. pag. 421., & Dissert. de Catechumen. Expiat. cap. 4. ubi de Catechumenis primæ classis, seu stationis, videlicet audientibus, seu adstantibus, de quibus Sancti Patres passim, intelligendus est Canon, ac Card. Bona hoc loco, & sequenti cap. 17. §. 4. quorum, ut ait, primi generis Catechumenorum statio communis erat cum Ethnicis, Judæis, & Hæreticis; *Idem enim*, inquit Morinus, *quod licebat ipsis, licebat & Gentilibus, Judæis, & Hæreticis*, deinde post pauca: *Hujusmodi Catechumeni non secus ac Gentiles, & Judæi, foras mittebantur*: postmodum infra: *Ideo in ipsos Catechumenos nullam ibi Ecclesia arrogabat authoritatem .... Sed cum his Catechumenis nihil dum communicat, quod cum puris putis Ethnicis communicavere*. Hæc Morinus.

De Catechumenis primæ classis, seu stationis, qui erat Audientibus intelligendus Canon Concilii Carthaginen.

Dicebantur tamen ex usu Ecclesiæ Catechumeni, quemadmodum se talem fuisse profitetur Augustinus in fine lib. 5. Confess. *cum statuissem tandiu esse Catechumenus in Ecclesia Catholica mihi a parentibus commendata, donec certi aliquid elsiceret*. Idem etiam sanctus Doctor in fine libri de Adulterinis conjugiis Catechumenum vocat Ethnicum quemdam Adulterum imminenti morte baptizandum. Hinc Sanctus Cyrillus Hierosolym. Præfationem in Catecheses suas finiens, ut Catecheseon lectionem competentibus, & Christianis permittit, ita Catechumenis, & Ethnicis prohibet; & ne quis illis easdem legendas exhibeat, severe interdicit. Neque enim (ajunt Albaspinæus in idem Tertulliani cap. 41. de Præscript. & Morinus præfatus loco citato de Catechum. Expiat. cap. 7.) ubi primum religionis vestibulum essent ingressi, cum cæteris Catechumenis jam edoctis in Ecclesiam recipiebantur, sed domi, atque inter privatos parietes tenuioribus erudiebantur præceptis, quibus firmati cum cæteris tandem in Ecclesia primis concionibus, quæ in gratiam Catechumenorum habebantur, intererant, quibus peractis rursus iidem omnes ipsi Catechumeni e templo discedere jubebantur. Quem ordinem, ac disciplinam apud Hæreticos non observari monet Tertullianus loco citato.

Catechumenis non intra Ecclesiam, sed domi, atque inter privatos parietes eruditi.

Domi igitur, aut in aliquo privato auditorio, non in Ecclesia a Catechistis instruebantur Catechumeni, quemadmodum Emin. noster docet infra §. 4. quem sequitur Henricus Valesius in notis ad Eusebii Hist. Eccl. lib. 6. cap. 19. ubi de Origene cum Alexandriæ Catechetis officium exerceret, quem falso scribit Rufinus in Ecclesia Catechumenis sermonem habuisse, uti dictus Valesius, & Daniel Huetius Abrincensis Episc. in suis Origenianis lib. 1. c. 1. in hoc hallucinatum fuisse ostendunt; neque enim ulli, quam Episcopo primis Christianæ fidei seculis in Ecclesia sermonem ad populum habere licitum erat, uti recte admonet Purpuratus noster lib. II. cap. 7. §. 6., & laudatus Morinus dict. Dissert. de Catechum. Expiat. cap. 8. ex antiqua ipsius Africanæ Ecclesiæ consuetudine, in qua etiam non secus ac in aliis Ecclesiis, leguntur Catechumenis hujusmodi Catecheses, & doctores ab Episcopis assignati, qui illos privatim de fidei elementis erudirent, uti patet ex testibus mox adducendis ab Emin. Authore, Tertulliani scilicet, Cypriani; atque constat ex Augustini aureo libello de Catechizandis rudibus, quem rogatus a Deogratias tunc Carthaginensi Diacono, ut ipsi usui esset, conscripsit, itemque ex aliis illius temporis monumentis.

Uti de Origene Catechista contra Rufinium ostenditur Valesius, & Huetius.

His omnibus expensis apprime constat Emin. Authorem non ita male intellexisse canonem 84. Concilii Carthaginensis IV. uti perperam arbitratur Schelestratius, quinimmo potius ipsum ex adverso sentientem hallucinatum fuisse quisque dignoscet. Prædictis addo Carolum Dufresne in suo Glossario med. & infimæ latin. verbo *Missa*, ad Missam Catechumenorum pag. 576. ubi ait „ Fuit tempus in „ Ecclesia, quo Catechumeni ante Evange„ lium dimittebantur, quod ex Concilio „ Arausicano patet Can. I. ubi hæc leguntur: „ *Evangelia deinceps placuit Catechumenis legi* „ *apud omnes Provinciarum nostrarum Ecclesias*: Porro extra Ecclesiam edoctos fuisse Catechumenos colligitur ex quadam Theodori discipuli S. Pachomii Epistola, quæ in Codice Regularum Holstenii legitur, ubi exploratum habemus, quod in Pachomii Cœnobio erudirentur quicumque baptismum recipere cupiebant. Idipsum legimus de Monasterio Bethleemitico teste Hieronymo in Epist. ad Pammachium, ubi conqueritur, quod Joannes

Card. noster a Schelestrato nota vindicatus.

Item aliis argumentis comprobatur Catechumenos extra Ecclesiam edoctos fuisse.

nes Hieroſolymitanus Epiſcopus baptiſmi Sacramentum competentibus ſuis conferre noluerit, id eſt Catechumenis, qui jam in dicto Monaſterio Chriſtianæ religionis articulis imbuti, ad baptiſmum admitti expoſtulabant. Compertum præterea eſt ex vita S. Euthymii Abbatis quamplures Saracenorum Neophytorum ab ipſo in proprio Cœnobio Catechizatos, & baptizatos fuiſſe. Legatur Photiotheus Theodoriti cap. 32. & 54., ubi plura id genus alia memorantur exempla. Quapropter in re clariſſima, & notiſſima, ut ait Cotelerius in notis ad Conſtit. Apoſt. lib. 2. cap. 39. non eſt nobis amplius diſputandum.

Duos alim in Eccleſia habitos fuiſſe ſermones fere unicus putat Morinus.

(5) *Ad fidem attractos evidenter ſcimus*) Hinc ſupra laudatus Joannes Morinus loco item citato Exercit. Eccl. lib. 2. Exerc. 27. pag. 423. probabile putat anterioribus ſeculis duos habitos fermones, unum ad infideles, & reliquos ante Miſſam inchoatam, alterum ad fideles poſt Evangelium, cui adeſſe infidelibus non licebat, a quo audiendo illi omnes excludebantur, qui myſteriorum participatione, & aſpectu indigni erant. Huic tamen opinioni alium quemquam ſubſcripſiſſe hucuſque non legi.

Confirmantur ex Binghamo ſuperius aſſerta a Card. noſtro.

(6) *Quia ſimul cum fidelibus illis intereſſe conſueverant*) Enimvero nihil planius, & exploratius eſt (ait Joſeph Binghamus Orig. Eccl. lib. XIV. cap. 3. §. 5.) „ quam quod „ lectio Evangelii ſemper ſermonem antecederit, & quod fermo habitus ſit antequam ſolemnis Euchariſtiæ celebratio inciperet præſentibus Catechumenis, & ante eorum dimiſſionem, cum præcipue ad horum inſtructionem ſpectaret; quo circa licet fortaſſe deterior quædam conſuetudo in Eccleſias Gallicanas, & Hiſpanicas irrepſerit Catechumenos ab audiendo Evangelio, & Sermone excludens, quam dicta Concilia emendare ſtuduerunt, multum tamen abeſt, ut hanc probet antiquam conſuetudinem fuiſſe, ut ſolis fidelibus Evangelium audire permitteretur. Nec quiſpiam Auguſtini, vel Chryſoſtomi homilias inſpicere poteſt, quin hunc errorem ubique videat profligari, nam illi ſemper de Evangelii lectione ante homiliam, deque homilia coram Catechumenis habita loquuntur. Et contraria opinatio communi præjudicio, & falſo ſuppoſito nititur, quod antiquum officium in omnibus ſimile fuerit hodierno, in quo Evangelium bis legitur, primo quidem inter lectiones, & deinde cum Epiſtola ſeorſim in ſolemni Miſſæ officio, cum tamen antiquis temporibus & Epiſtolæ, & Evangelia in ordinario curſu lectionum recitarentur in ea dumtaxat divini cultus parte, quæ proprie Miſſa Catechumenorum dicebatur. Hæc Binghamus, cujus vel heterodoxi teſtimonio confirmantur quidem ſuperius ab Emin. aſſerta, videlicet Catechumenos, aliaſque extra fidelium numerum ad audiendum Dei verbum admiſſos fuiſſe a ſeculo tantum quarto exeunte, non vero quod primis tribus Eccleſiæ ſeculis id illis conceſſum fuerit, uti arbitrari videtur Binghamus, cum eo tempore eoſdem excluſos fuiſſe manifeſtum ſit, tum ex ipſo Concilii Carthaginenſis Canone ſupra laudato, qui certe ſuperfluus eſſet, ſi tunc iidem admiſſi fuiſſent, tum ex iis, quæ in idem firmandum pluribus locis hujus Operis aſſerit Emin. Author.

(7) *Catechumenus græce auditor eſt*) Ideo Latini Patres Catechumenos auditores, & audientes vocant, uti hoc loco oſtendit Emin. Vide infra de hoc vocabulo §. 4. nota 2.

(8) *Clemens, & Origenes*) Heraclas item, & Dionyſius, uti ex Euſebio lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 3. 5. 10. & 23., qui & Alexandriæ Catechiſtæ, ſeu Audientium doctores fuerunt.

(9) *Niſi præmiſſo tyrocinio*) Quo temporis ſpatio in doctrinæ Chriſtianæ principiis erudiebantur, atque a ſordibus, & erroribus Ethniciſmi purgabantur. Vide infra §. 4. & 5.

Sponſores Catechumenorum, quid?

(10) *Se illos docturos ſpondebant &c.*) Hinc Tertullianus de baptiſmo cap. 18. hos ſponſores vocat, Auguſtinus Epiſt. ad Bonifacium vet. Edit. 23. fidei doctores, & quidem appoſite, nam, ut idem Serm. 215. de Temp. ex quo Can. *Vos ante omnia*: de Conſecr. Diſt. 4. ſuſceptores Symbolum, & orationem Dominicam, atque ita fidem, filioſ, quos de fonte ſuſceperunt, docere jubentur. Idemque Auguſtinus lib. de Rectitudine Catech. converſ. (ſeu verius S. Eligius Noviomenſis Epiſcopus, cui, uti legitimo Authori tribuendum eſſe hunc librum ex S. Audoeno Rothomagenſi lib. 2. cap. 16. Vitæ S. Eligii obſervavit Sirmondus Tom. 1. Concil. Galliæ in notis ad Concil. Antiſſiodorenſe) *Quas*, inquit, *ex baptiſmo ſuſcepiſtis, docete, & caſtigate*: Proinde in Synodo Moguntina Can. 47. jubentur compatres ſpirituales filiolos ſuos catholice inſtruere.

§. II.

Veteris Eccleſiæ erga Catechumenos Diſciplina. Altum de Myſteriis ſilentium illis præſentibus.

Non omnia Religionis myſteria Catechumenis expoſita.

NOn omnia tamen Religionis noſtræ myſteria, nec ipſum quidem Symbolum fidei illis exponebant; ſed quædam reſervabant vel circa finem tyrocinii, vel poſt baptiſmum. Auctor eſt Iſidorus *lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 21.* Symbolum Catechumenis traditum non fuiſſe, niſi cum mox baptizandi erant, & dicebantur *Competentes*. Ambroſius Epiſt. 33. ad Marcellinam ſororem, *Poſt lectiones*, inquit, *& tractatum dimiſſis Catechumenis ſymbo-*

ſymbolum aliquibus Competentibus in baptiſteriis tradebam. Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 19. Concilii Nicæni Hiſtoriam texens Symbolum omittit; *nam veriſimile eſt*, ait, *nonnullos, qui non ſunt initiati myſteriis, hunc librum perlecturos*. (1) Modus vero, qui in traditione Symboli ſervabatur, accurate deſcribitur in Ordine Romano in denuntiatione Scrutinii ad electos; præmiſſis enim exorciſmis, lectiſque initiis quatuor Evangeliorum, Symbolum ipſis recitabatur primum græce, deinde latine, addita præfatione paranetica, & ſubjuncta appendice in ejuſdem Symboli commendationem. Orationem quoque Dominicam nefas erat Catechumenis diſcere, vel recitare, ſed eam audiebant poſt Symboli traditionem (2), adjecta ſingulis petitionibus brevi, & ſolida expoſitione, quam dabimus infra lib. II. cap. XV. Ideo autem interdicta illis erat hæc oratio ante lavacrum, quia ut ſcite loquitur Cyprianus Ep. 74. ad Pompejum, *Nativitas Chriſtianorum in baptiſmo fit*, nec poteſt Deum patrem habere, qui filius Eccleſiæ non eſt. Filii ergo Dei, & fratres fidelium non cenſebantur, niſi per aquam regenerati, ac propterea priuſquam renati eſſent, dicere non audebant, *Pater noſter, qui es in cœlis*. Hac ipſa de cauſa cum Fidelibus orare nequibant, teſte Chryſoſtomo, qui *hom.* 79. *ad Pop. Antioch.* diſſerens de vi, & potentia orationis factæ in Eccleſia ait: *Et Catechumenis quidem permiſſum hoc nondum eſt, quoniam nondum ad hanc pervenere fiduciam: vobis autem & pro terrarum orbe, & pro Eccleſia, & pro gubernantibus ipſam & præſidentibus jubetur orationes emittere*. Primi etiam Arauſicani Concilii canone 20. vetitum erat, ne cum Fidelibus benedictionem acciperent, ſed ſeorſim: nec licebat Epiſcopis, illis præſentibus, manus imponere ſuper ordinandos, ut ſtatuit Concilium Laodicenum c. 4. aut baptizare, ex decreto præcitati Arauſicani c. 19. adeo ut ab aſpectu ejus lavacri removerentur, quod tantopere exoptabant. Innocentius I. Epiſt. ad Decentium Eugubinum agens de ſacramento Confirmationis ejuſque forma ait: *Verba dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere*. (3) Et Cyrillus Alexandrinus lib. 7. adv. Julianum, *Dicerem*, inquit, *de his*, nempe de baptiſmi myſteriis, *niſi revererer aures non initiatorum*. Ambroſius item baptiſmatis myſteria expoſiturus initio libri de initiandis ait: *Nunc de myſteriis dicere tempus admonet, atque ipſam Sacramentorum rationem edere, quam ante baptiſmum, ſi putaſſemus infirmandam nondum initiatis, prodidiſſe potius, quam edidiſſe æſtimaremur*. (4) Ex hac autem diſciplina emanaſſe puto canonem 37. Concilii Illiberitani, quem Baronius ſuppoſititium ſuſpicatur: (5) alii vero multum ſe torquent, ut congruam ejus atque orthodoxam interpretationem inveniant. (6) Verba canonis hæc ſunt. *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur*. Quibus verbis fruſtra abutuntur Sectarii, ut hujus Concilii auctoritate ſacrarum Imaginum ſum & cultum convellant. Alia enim fuit illorum Patrum mens, quæ ex more illius ſeculi ſolicite caventis, ne Religionis noſtræ arcana infidelibus proderentur, æſtimanda eſt. Vetuerunt ergo, ne id quod colitur & adoratur, in parietibus pingeretur; id vero quod pingendum non erat, obſcure explicarunt illis verbis, *quod colitur & adoratur*, ut ſoli fideles intelligerent eo canone prohiberi imagines Dei, & Chriſti Salvatoris, nec a Gentilibus irruentibus fæpe in Eccleſias contumelia afficerentur, & irriderentur Chriſtiani ac ſi hominem colerent tanquam Deum: neve Catechumeni Deum, quem incircumſcriptum, immenſum, & materiæ expertem prædicari audiebant, humana figura pictum videntes, aliquid alienum ab ejus majeſtate conciperent. (7) Deinde obſervandum non prohibuiſſe in tabulis pingi, quia commode auferri poterant, & obducto velamine a profanorum aſpectu ſubmoveri. (8)

Canone 37. Concilii Illiberitani fruſtra abutuntur Sectarii contra ſacrarum Imaginum cultum.

(1) *Hinc*

Quæ autem mysteria in Orientis Catechumenis explicita, & quæ occultata ex Origene, & Cyrillo deferibuntur.

(1) *Hunc librum pertellurus*) Colligitur quoque ex Origene, qui lib. 1. contra Celsum enumerans præcipua religionis dogmata, quæ Symbolo contenta nemini occultabantur, allegat Christi Nativitatem, Crucifixionem, & Resurrectionem, extremum Judicium, & futuræ nostræ resurrectionis mysterium, neque ullam mentionem facit Sanctissimæ Trinitatis, quod ejus doctrina omnibus non fit annuntianda, sed tantum fidelibus. Præstat huc integrum Origenis textum afferre; Cum Celsus homo ethnicus, & Christiani nominis hostis dixisset Christianos clam quidquid ipsis libet, vel facere, vel docere, sic ipsi Origenes respondet: *Deinde, quoniam sæpius nominat doctrinam clancularium, coarguendum est hoc quoque: quando per totum orbem notior est Christianorum prædicatio, quam Philosophorum placita; quis Jesum e Virgine natum, crucifixum ignorat? quis Resurrectionem ejus multis creditam, & denunciationem Judicii vendituri pro dignitate pœnas peccatoribus, & justis præmia? Quin & resurrectionis futuræ mysterium vulgatum est, tametsi rideatur ab infidelibus. Quæ cum ita se habeant, perabsurdum est doctrinam hanc vocare clancullariam. Quod vero quædam insunt, quæ non annunciantur quibusvis, id non solius doctrinæ Christianæ proprium est, verum etiam Philosophicæ, nam & illi exteriorem, & penitiorem doctrinam habebant, & alii Pythagoram audiebant contenti ipsius authoritate, alii secretæ discebant rationes non evulgandas in profanos, nondumque purgatos*: Ita Origenes; ubi vides Sanctissimæ Triadis Mysterium, Sacramentum Eucharistiæ, aliaque Sacramenta, de quibus silet, ex iis esse, quæ non quibusvis communicabantur. Clarissime S. Cyrillus Hierosolym. Catechesi 6. agens de Mysteriis Symbolo contentis: *Hæc*, inquit, *Mysteria, Sacramentaque nunc patefacit Ecclesia, & qui ex Cathecumenis excedit, nec moris est gentilibus exponere, non enim gentili cuiquam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto arcana mysteria declaramus, neque palam apud Catechumenos de mysteriis verba facimus, sed multa sæpe loquimur occulte, ut fideles, qui vem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur.* Hæc Cyrillus, ex quo aliisque plane constat id in Oriente usitatum fuisse, quod & in Occidente receptum erat, quædam scilicet religionis mysteria Catechumenis occultandi, quodque item infra ex Innocentio, Ambrosio, aliisque Latinis Patribus uberius comperium erit.

Neque autem in novæ Legis tantum promulgatione nonnulla occultata fuisse didicimus ex Christi Domini verbo, & exemplo supra §. antecedenti nota I.; verum & veteris Testamenti tempore id actum legimus, & non omnibus tunc divina fuisse revelata mysteria. Hoc ipsum jamjam indigitaverat Deus ipse Exodi 3. ubi soli Moysi suum aperit nomen; & Judicum 13. 18. Manue scisciti ab Angelo loquente in persona Dei quodnam esset nomen suum, respondit: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Item sæpe tuaginta Interpretes in sua Sacræ Scripturæ versione multa de mysteriis, etiam de Christi Domini divinitate statuere, sed involucris subtecta, ne Rex Ptolomæus in eorum lectione aliquod scandalum pateretur, uti refert Josephus lib. 12. Antiquit. Judaic. cap. 31. ubi tradit Regem alias demirantem leges per Moysem datas, expostulasse cur nullus Historicus, aut Poeta ad sua usque tempora aliquid de eis scripsisset, Demetrium vero ejus Bibliothecarium respondisse illas leges divinas esse, quocirca neminem citra pœnam eo temeritatis devenisse, ut de tantis rebus dissereret, hac de causa Theopompum triginta circiter dierum spatio dementia agitatum fuisse, eo quod illi animus esset nonnulla de eis in sua proferre Historia, sed penitentia ductum supplici oratione ad Deum a se hujusmodi flagellum avertisse. Eamdem propterea servare œconomiam Apostoli in suis scriptis duxerunt. Sic Paulus Gentium Doctor Act. 17. non Scripturas Sacras Atheniensibus profert, sed Poetas citat, ut eis ex suis probet Dei existentiam, & in Epistola ad Hebræos multa de Sacerdotio Aaron pronunciat, nihil vero de Sacrificio Melchisedech, & de Eucharistia, cujus illud figura erat, eo quod ipsius Epistola deberet legi etiam coram infidelibus, aliisque non sufficienter de mysteriorum Christianæ religionis scientia instructis.

Triplici porro, & quidem particulari ratione nonnumquam hujusmodi mysteria occultabant Patres, ut ubertim inferius ostendemus; Primo & principaliter propter eorum sanctitatem juxta illud Matthæi cap. 7. 6. *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant*: ex quo patet sacrosancta mysteria non esse indiscriminatim omnibus, & singulis quibuscumque manifestanda. Secundo propter sublimitatem eorum, non enim omnes poterant verbum capere. Sic Discipulis suis, & per eos cunctis, qui postmodum audierint dixit, Christus Dominus item apud Matth. cap. 19. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*: ac paullo post, *qui potest capere, capiat*. Itidem alibi: *Vobis datum est nosse Mysteria Regni Dei, cæteris autem* &c. Denique propter audientium utilitatem, ad quid enim mysteria pandere iis, qui ipsa irriderent? Hinc prioribus Ecclesiæ sæculis ante Constantinum magnum, seu ante Cyrillum Hierosolymitanum, qui primus reddita per dictum Imperatorem Ecclesiæ pace ordinavit Catecheses, & scriptis mandavit, id vetitum fuerat, nec Patres umquam permittebant ut non initiatis divina Christianæ fidei revelarentur mysteria, ne eadem quibuscumque manifestata propter sævientem persecutionem fragiles cedentes tormentis ipsa Paganis panderent, quibus isti pro more in odium Christianorum illudirent, & inde vehementius in Ecclesiam inveherentur.

Triplici ex vatione eam dem olim Patres veligiose observarunt.

Dictum in novo, sed & antea in veteri Testamento quasi aliquot Arcani disciplina observata.

Hinc etiam antiquitus Scriptores Canonici metaphoris quandoque utebantur, loquentes ad populum, ut cum Christus petra, leo, agnus nuncupatur, quandoque allegoriis & figuris, quemadmodum Paulus utriusque Testamenti veteris scilicet ac novæ legis naturam, & effectus describit per duos filios, quos

Inde antiqui Scriptores quandoque metaphoris, allegoriis, & figuris locuti.

habuit Abraham, unum de ancilla, alterum de libera; ita etiam Patres quandoque circumlocutionibus explicant myſteria, ſive parœmiis, ut ſoli initiati intelligerent quid dicebant. Ita Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſt. Epiphanius in Anchorato, Theodoretus lib 1. cap. 12. Innocentius I. Epiſt. ad Decentium Eugub. jam adnotari, aliique de quibus infra. Licet autem iidem Sancti Patres in Catecheſibus ad initiatos, tum etiam in libris Polemicis, & Apologeticis clare de myſteriis, & omni ſecluſa circumlocutione, metaphora, & ambiguitate interdum locuti fuerint, id fuit cum ſermonem haberent vel ad fideles, quibus datum erat noſſe myſteria Dei, vel contra infideles, & Hæreticos ad ea defendenda; in cæteris tamen operibus extra cauſam, ſolum obſcure, & tecte locuti ſunt, ne ignari, aut mali blaſphemaſſent quod ignorabant. Sic Juſtinus, Tertullianus, Athenagoras, aliique veteres Apologiſtæ Chriſtiani clare nonnumquam de Euchariſtia præcipue ad Gentes locuti ſunt, quia vindicandi erant Chriſtifideles de infanticidio illis impacto, aliiſque criminibus, de quibus rei ſuppoſiti apud Ethnicos male audiebant. Quare nil obſtat quod alias Arcani diſciplina quoad præcipua fidei myſteria exteris occultanda olim ſemper obſervata fuerit, uti plenius infra demonſtrabitur.

(2) *Sed eam audiebant poſt Symboli traditionem*) Romæ peculiaris mos erat, ut adulti, qui ex Paganis ad Chriſtianam fidem accedebant *ad horam profitendæ fidei verbis certis conceptis; retentiſque memoriter de loco eminentiore in conſpectu populi fidelis* Symbolum redderent ante Baptiſmum, quod a Sancto Simpliciano ſervatum tradit S. Auguſt. Confeſſ. lib. 8. cap. 2. & Retract. lib. 1. cap. 17. Sed de hac re infra ad calcem in Præf. ad ſuppl. hujus cap.

Porro de Paræneticæ præfatione ad Symbolum, ejuſque Appendice in ipſius Symboli commendationem, de quibus Card. noſter, plures Sancti Patres, aliique Catechetici Scriptores locuti ſunt, qui hujuſmodi explanationem Symboli texucre. Et quidem inter Opera Cypriani habetur expoſitio Rufini ad Laurentium Epiſcopum digniſſima, quæ legatur, quæ etiam a nonnullis, nedum eidem Cypriano, verum etiam Hieronymo perperam tribuitur. Symbolum quoque explicant Ambroſius Tract. in Symbolum Apoſtolorum. Leo magnus ſerm. II. de Paſſione Domini & ſerm. contra hæreſim Eutychetis. Auguſtinus de fide, & Symbolo, de Symbolo ad Catechumenos, in Enchiridio ad Laurentium, & in multis Sermonibus, videlicet 109. 123. 131. 192. 194. de temp. Chryſoſtomus Tom. V. Oper. Homilia de Symbolo, quam tamen nonnulli Authoris Latini eſſe exiſtimant. Venantius Fortunatus Exegeſi in Symbolum. Petrus Chryſologus ſerm. 56. & ſeqq. Athanaſius Epiſt. ad Jovinianum. Maximus Taurinenſis Homil. de expoſit. Symboli. D. Thomas opuſc. 16. Dionyſius Carth. opuſc. de vita Curatorum, & ad captum communem Catechiſmus Romanus, juxta cujus ordinem Natalis Alexander Tom. I. Theolog. Dogm. Mor. nobilem Tractatum edidit de fide, & Symbolo, aliique plures ſcripſere.

(3) *Quam ad conſultationem reſpondere*). Ad hæc Pater Conſtantius Monachus Ord. S. Bened. Cong. S. Mauri in Rom. Pontif. Epiſtolis Tom. I. pag. 859. notat: verum hæc verba, dum Innocentius conſulto tacet, quanta antiquorum religio ſucrit, ne Sacramentorum myſteria retegcrent, palam facit. Hujus rei frequentiora funt exempla, cum illis de Euchariſtia ſermo eſt; quibus Emin. Authoris ſententiam firmat.

(4) *Prodidiſſe potius, quam edidiſſe æſtimaremur*.) Hinc Benedictini Patres operum S. Ambroſii editores in admonit. ad Lectorem, „ Mos quippe, ajunt, erat priſcorum temporum Antiſtitibus, ut ſublimia illa myſteria quam ſtudioſiſſime celarent, nondum initiatis. Hi quidem, quoad e Catechumenis, atque excommunicatis excederent, crebris precibus, exoreiſmis, aliiſque cæremoniis ad baptiſmum præparabantur. Admittebantur audiendis concionibus, ubi potiſſimum eos rigidis Ethices Chriſtianæ dogmatis imbui ſolitos idem S. Ambroſius cap. 1. aperte docet; ſuis tamen orationibus adverſus falſa, & impia Ethnicorum, atque hæreticorum placita diſputationes miſcebant Epiſcopi: neque etiam unitatis ſubſtantiæ Divinæ, Trinitatis Perſonarum adorandarum, aliorumque capitum, quæ ipſis e Symbolo exponi conſueverant, cognitionem inferere prætermittebant. At vero penitiori aliorum Sacramentorum, & præcæteris Euchariſtiæ diſcuſſione prorſus abſtinebant„. Hæc eruditiſſimi Aſſectæ diſciplina arcani a veteribus Eccleſiæ Præſulibus obſervata, & optime quoad Euchariſtiæ Sacramentum Catechumenis occultatum, de quo infra plenius §. ſequenti; verum quoad Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium iiſdem detectum, non fatis ad rei veritatem, ſi de Catechumenis primæ claſſis, ideſt audientibus intelligi volunt, uti & hos ipſi connotare videntur, dum eoſdem competentibus adjungunt. Contrarium enim tunc uſitatum fuiſſe, idemque ineffabile myſterium hiſce pariter Catechumenis audientibus tantum, nondum competentibus olim occultatum didicimus ex Origene, & S. Cyrillo Hieroſolym., quibus etiam ex Scheleſtratio de eadem diſciplina arcani cap. 2. art. 1. adjicere poſſemus Authorem perantiquum Recognitionum Clementis I. Papæ lib. 3. Clementem Alexandrinum lib. 3. Strom. Gregorium Nazian. orat. 44. de Spiritu Sancto, Chryſoſtomum homill. 40. in I. Pauli Epiſt. ad Corinth., qui omnes Patres hoc dogma de Sanctiſſima Trinitate antiquitus Catechumenis prædictis occultatum luculenter evincunt, & iiſdem, ſi competentes fuerint, enunciatum.

Myſteria SS. Trinitatis, & Sacrasanctæ Euchariſtiæ Catechumenis occultata.

Benedictini Patres S. Ambroſii Operum editores tamiſper notati.

At vero clariſſimis Patribus ipſum unum Ambroſium, quem ſic eleganti editione adornarunt, pro hac noſtra opinione objicere ſufficiat. Ait ille in Commentario ad cap. Lucæ 9. *Quod ſi ad Sacramenta fidelium tendens Catechumenus inducendus ſit, dicendum quia unus eſt Deus, ex quo omnia, & unus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, non duos Deos eſſe dicen-*

dicendos, perfectum quidem Patrem, perfectum eſſe & Filium, ſed unius Patrem, & Filium eſſe ſubſtantiæ &c. notanda ſunt verba Ambroſii *ad Sacramenta fidelium tendens Catechumenis*, quibus non audientes, ſed competentes, atque ex ipſis electos, indicat, iiſque myſterium hoc revelandum exprimit. Clarius mentem ſuam aperit Ep. 33. ad Marcellinam ſororem, de qua ſupra Emin. Author, ubi *dimiſſis Catechumenis Symbolum competentibus*; ideſt electis, ſe tradidiſſe ſcribit, quibus mox baptizandis, utique ante baptiſmum de Sanctiſſimo Trinitatis myſterio quid credendum conſtare debebat, quia in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizandi erant, ex propter prius docendi, poſtea tingendi; quandiu autem ſacro lavacro proximi non erant; illius auguſtiſſimi, & ineffabilis myſterii traditam notitiam non habebant.

Cæterum hæc dicta ſint, non ut eruditiſſimis Monachis tranſverſum unguem infigerem, quos ſumma ſemper veneratione ſum proſequutus, ſed ad hujuſmodi antiquæ diſciplinæ veritatem amplius eruendam, & illuſtrandam. Et quidem ut clarius, & facilius Catechumeni competentes edocerentur de Spiritus Sancti divinitate, quæ in Symbolo Nicæno, quod illis antea tradebatur, non ita clare expreſſa erat, iis poſtmodum traditum fuit Conſtantinopolitanum, in quo clarius Spiritus Sancti diviniras eadem cum Patre, & Filio ſimul adoranda, & glorificanda proponitur, uti optime notat Franciſcus Pagius in Breviario Geſt. Pontif. Rom. Tom. I. in Damaſi vita num. 13. Hinc in pluribus antiquis Ritualibus, in vulgato Ordine Romano, in Ordine Gelaſiano, in Pontificali Salisburgenſi, in vetuſtiſſimo Codice Remenſi annorum 900., & in primo Ordine ſcrutinii Codicis Gellonenſis apud Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. I. pag. 83. itemque in Rituali Romano juſſu Gregorii Papæ XIII. edito Symbolum Conſtantinopolitanum, non Nicænum, hujuſmodi Catechumenis tradendum ſignatur.

Catechumenis competentibus prius traditum Symbolum Nicænum, poſtea Conſtantinopolitanum.

(5) *Quem Baronius ſuppoſititium ſuſpicatur*) Annal. Eccl. Tom. I. ad an. 57., & ex eo Bellarminus Contr. Tom. I. controv. 7. lib. 3. cap. 9. aliique. Verum adnotandum, quod etſi Card. Baronius loco citato Concilium hoc in dubium revocaverit, æquius tamen de eodem ſentiens ad an. Chriſti 305. nu. 41. hæc habet: *Paulo liberius de Concilio Illiberitano me alias locutum eſſe memini; at cumquæ ab illis Patribus de ea re ſunt ſtatuta, excuſentur ab Innocentio Romano Pontifice, nemo ſit, qui accuſare præſumat*. Quod & confirmare videtur in notis ad Martyrol. Rom. ſub die 28. Januarii.

(6) *Orthodoxam interpretationem inveniant*) Sane doctorum virorum plerique huic Canoni interpetrando inſudarunt, inter quos Alanus Copus Dial. 5. de Imag. cap. 5., & 6. Ayala de Tradit. par. 3. de antiq. Imaginum, Sanderus lib. 2. de cultu Imaginum cap. 4. Turrianus lib. 1. de Hierach. Ord. cap. 12., & 23. Suarez Tom. I. in 3. par. D. Thomæ diſp. 53. ſect. 1. Vaſquez item in 3. parte D. Thomæ Tom. I. diſp. 105. num. 15. Binius in hunc Canonem, Ferdinandus Mendoza lib. 3. de confirm. Conc. Illiber. Thomas Hurtado Reſol. mor. reſol. 34. ſect. 5. pag. 177. Garcias Loayſa in hoc Concilium, Gabr. Albaſpinæus, Pagius in crit. Bar. Scheleſtratius, Natalis Alexander infra citandi, aliique multi; ac præ cæteris Card. de Aguirre, qui Tom. I. Concil. Hiſp. diſſertationes XIII. attexuit, queis hiſtoriam hujus Concilii, ejuſque Canones mire illuſtrat, cui & alterum Cardinalem addo Laurentium Cozza Hiſt. Polem. de Græc. Schiſm. Tom. I. parte 2. pag. 467.

(7) *Aliquid alienum ab ejus majeſtate conciperent*) Rationem hanc jampridem ante Emin. noſtrum attigerat Albaſpinæus in Commentario ad eumdem hunc Canonem; quare ipſum editum potius fuiſſe pro Catechumenis, & Gentilibus, quam pro fidelibus Catholicis, ex eo conſtat, quod hi ſcientes Deum ſub illis formis repræſentatum, nullam falſam opinionem concepiſſent, e contra vero Gentiles, & Catechumeni, qui ſecundum viſionem oculorum tantum, utpote fidei lumine deſtituti, omnia judicabant, videntes Dei formam lineis, & coloribus in parietibus expreſſam, ita Deum ipſum in ſe eſſe, ut ibi, circumſcriptum, & comprehenſum falſo ſuſpicari potuiſſent, & credere; ne igitur Divini Numinis Majeſtas, & Immenſitas in eorum concepru minueretur: ſic Deum depingi, ipſorumque infidelium oculis in parietibus humana effigie formatum exhiberi vetant Illiberitani Patres.

Canon 37. Concilii Illiberitani pro Catechumenis potius, ac Gentilibus, quam pro fidelibus conditus.

Quinimmo ſubdit Scheleſtratius de diſcipl. arcani ſupracit. cap. 7. art. 3., & ex eodem Pagius in crit. Bar. ad an. 55. num. 6., iidem Gentiles, & Catechumeni ignorantes ineffabile myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, facile ex picturis illis Patrem in figura ſenis, Filium in figura viri, Spiritum Sanctum in figura columbæ repræſentantibus, in notitiam ſummæ Divinitatis veniſſent, quam eis occultare ſtudebat Eccleſia, & hoc eſt, inquit idem Scheleſtratius, quod Emin. Card. Bona lib. 1. rerum Liturg. cap. 16. voluit, cum ſcripſit num. 2. *Canonis ſenſum ex more iſtius ſeculi ſollicite caventis ne Religionis noſtræ arcana infidelibus proderentur, æſtimandum eſſe*. Conſonat Mendoza in Comment. ad eumdem Canonem, *ut vel Chriſti humanitatem, vel Patris, & Spiritus Sancti aſſumptam formam in parietibus depingi eo tempore Hiſpani Epiſcopi interdixerint, qui tunc nefas putarent abſtruſiora Trinitatis myſteria publicari*: atque hac de re plura adducit antiquorum monumenta. Sunt & aliæ non contemnendæ rationes, ob quas id prohibuerunt laudati Illiberitani Patres: has videſis apud Card. de Aguirre Tom. I. Concil. Hiſpaniæ a pag. 548. uſque ad 565.

(8) *A profanorum aſpectu ſubmoveri*) Hanc etiam rationem attigit laudatus Ferdinandus Mendoza loco ſupracit. apud Card. Aguirrium pag. 557. „ Etenim, inquit, cum omnes na„ ſcentis Eccleſiæ Imagines picturis, non „ ſtatuis efformarentur, ad conſervandam di„ vini Numinis Majeſtatem illud Hiſpani „ Epiſcopi ſatis pie excogitaſſe videntur, ne „ in parietibus Eccleſiæ Chriſti Imagines, vel „ divinarum Perſonarum pingerentur: ut intelli-

Veterum ſequidem Illiberitani Patres ſacras imagines depingi in parietibus, ne ab irruentibus in Eccleſiam Paganis, eorum ludibrio & derriſioni exponerentur.

„ telligerent Chriſtiani omnes tam docti, quam
„ ſimpliciores, & honoratiori loco, & au-
„ guſtiori veneratione divinas perſonas, quam
„ humanas Sanctorum diſcerni, diſtinguique
„ oportere. Et hinc probabile fit antiquita-
„ tem, & originem eorum Altarium (quæ
„ Hiſpani Retablos vocant) Hiſpaniæ deberi,
„ cum tabulis potius, quam parietibus Epi-
„ ſcopi noſtri ſacras Imagines religionis ergo
„ pingi voluiſſe hoc ipſo decreto videantur. Et
„ quidem ſapienter, & religioſe voluerunt eas
„ in Altaribus ex tabulis compactis depingi, ut
„ commode velis obductis, ut hodie, tegi poſ-
„ ſent, & ad cultum ſtatis temporibus a Chri-
„ ſtianis exhibendum reverenter detegi,„ : hæc Mendoza, ex quo Emin. noſter. Non negat itaque Concilium hoc Canone Imagines Chriſti depingi poſſe in Altari, ut ſuo tempore, & loco debita adoratione a fidelibus colerentur, quod & ante, ac poſtea Chriſtianos veteres id egiſſe, recentiores pii, & eruditi viri copioſe adnotarunt. Sic etiam pingi imagines in pariete hæc Synodus vetuit, ut eas tamen in tabulis effigiari ſineret (qui uſus uſque hodie in Hiſpania retentus dicitur) ea quidem diverſitatis ratione, quod quacumque urgente perſecutione, quemadmodum eam Synodum celebratam eſſe conſtat, cum nondum ultima perſecutio a Diocletiano exciata penitus extincta eſſet, tabulas illas Chriſtiani poſſent ſecum quocumque ferre, & occultare, non ſic de parietibus, quorum depictæ Imagines Sacræ injuriis, atque Gentilium deriſioni expoſitæ remanerent.

Hanc autem piam Chriſtianæ Religionis traditionem Sacras Imagines pingendi in Altari ab ipſo Apoſtolorum ævo deductam decreto confirmare omiſerunt dicti Concilii Patres pari, quam diximus ratione, ne ſcilicet Ethnicis, Judæis, & Catechumenis exploratum foret quid a Chriſtianis quoquo loco, & tempore fieret, & celebrareiur: neve ab iis inde Sacra myſteria, fidicique arcana maximo fidelium diſpendio, ac religionis jactura profanis hominibus evulgarentur. Atque hinc patet Illiberitanos Patres nihil ſtatuiſſe contra Imaginum cultum, nihil quod Iconomachis faveat, poſteritati reliquiſſe; quinimmo, ut opinatur Mendoza, nec refragatur Card. de Aguirre loco cit. pag. 559. conſtat Hiſpanos illos Epiſcopos gemina pietatis laude decorandos; altera quod Imagines Sacras ab initio Eccleſiæ venerationis ergo in parietibus Templorum depinxerint: altera, quod pari poſtea animi probitate, ſimili cultu, eademque religione, ut quæ mox diximus, periculis, & erroribus occurrerent, eaſdem in parietibus pingendas recentiori conſtitutione interdixerint; quod ad majorem Sacrarum Imaginum venerationem, & infigne dictorum Præſulum commendationem, vel Hæreticos ipſos fateri neceſſe eſt.

Neve etiam profanis hominibus quod a Chriſtianis colitur, & adoratur, exploratum fieret.

Quare dicitur Illiberitanos Patres in eo Canone non ad aliud reſpexiſſe, quam ad perſecutionis tempus manifeſtum eſt.

Et ſane quod hucuſque notata revera ita ſint, & Illiberitanos Patres in hoc condendo Canone non ad aliud reſpexiſſe, quam ad perſecutionis tempus, in quo dictum Concilium celebratum fuit, uti ex nonnullis ejuſdem Synodi Canonibus; præcipue 2. 15. 16. 59. & 60., ubi eadem perſecutio indicatur, & ex Innocentii notiſſima Epiſtola ad Exuperium cap. 2. apparet, anno ſcilicet 305. uti omnes fere Eruditi in hujuſmodi epocha conveniunt, quo, inquam, tempore Diocletianus Imperator crudeliſſime in Chriſtianos ſurebat, ex eo evidenter dignoſcitur, quod paulo poſt Tyrannis peremptis, ſecuta Eccleſiæ pace fub Conſtantini Magni Imperio Sacrarum Imaginum cultus abſque ullo earum vilipendio, aut profanationis periculo reſtitutus eſt, ut infra dicemus; eam vero fuiſſe Hiſpanorum Patrum mentem immaniſſimæ illius perſecutionis tempore, ne ſcilicet Sanctum canibus proderetur, vel ipſi, qui inter Hiſpanos Eccleſiam Catholicam ſuis erroribus maculare tentarunt, ſilentio ſuo lucuienter oſtendunt: Siquidem Vigilantius Hæreticus Barchinonenſis Presbyter Illiberitanæ Synodi proximus Sacrorum rituum everſor, qui cum quæ erant Eccleſiaſticæ œconomiæ antiquas conſuetudines pervertere niteretur, ceſſaſſetne in Sacras Imagines potiſſimum invehi, ſi prætenſa ſaltem aliqua tam illuſtrium virorum authoritate id ſe efficere conſpexiſſet? an non ſaltem unius, vel alterius ejuſdem Synodi Canonis teſtimonio hæreſim ſuam ſtabilire, ac roborare potuiſſet, ut quæ ipſe primus de non accendendis cereis in Eccleſia uſus eſt affirmare? an non Claudius item Hiſpanus, primum Presbyter, dein Taurinenſis Epiſcopus Iconoclaſtarum omnium Coryphæus, & Felicis Urgelitani item Hæretici diſcipulus idipſum tentaſſet, & hunc Concilii Illiberitani Canonem in ſui erroris probationem advocaſſet, ſi alias in eodem quidquam contineri noviſſet, quod falſæ ipſius aſſertioni faveret? Certum igitur exploraturnque eſt Illiberitanos Præſules nihil contra Imaginum cultum ſtatuiſſe, cum non abſolute prohibuerint Sacras Imagines depingi, ſed tantum in parietibus, ne injuriis, atque Gentilium irriſioni, illo maxime perfecutionis tempore, expoſitæ remanerent, ut ſæpe dictum eſt, atque ipſæ rerum circumſtantiæ ſuadent.

Hinc tantum abeſt ut ex eo Canone Sac. Imaginum cultus infringatur, quin ex ipſo magis roboretur.

Præterea tantum abeſt, ut eo Canone ſacrarum Imaginum cultus infringatur, quin ex ipſo magis, magiſque roboretur; ſi enim & tunc non viguiſſet conſtans adhuc pius uſus ſacras imagines pingendi in Eccleſiis, ad quid ſtatuum *picturas in Eccleſiis eſſe non debere*, ſi antea non erant? juxta Philoſophorum regulam *non entis nullæ ſunt paſſiones*, caproprter imagines prohibendi nulla fuiſſet occaſio; privatio namque præſupponit habitum. Eas igitur jam in Eccleſiis pingi ſolitas ſaltem uſque ad illud tempus liquido apparet; ſed & eumdem uſum poſt editum illum Canonem nihilominus perſeveraſſe nobis demonſtrandum eſt. Et primo incredibile profecto videtur Illiberitanos Epiſcopos, quorum plures illo ævo ſanctitate, & doctrina toti Hiſpaniæ, aliiſque Eccleſiis præclare fulgebant, inter quos nonnulli etiam Martyrii palmam aſſecuti ſunt, uti Valerius Epiſcopus Cæſaraugultanus Martyrologio Romano adſcriptus, & in notis ad hunc Canonem obſervat Emmanuel Gonzalez, damnare intendiſſe, quod Eccleſia univerſa majorum exemplo ubique ſervaret, vel certe quis

cultus infringatur, quin ex ipſo magis roboretur.

po-

poterit dubitare, quod quoquomodo iidem Antiſtites ſtatuiſſent, cæteros, qui tum erant, vel poſtea fuerunt Epiſcopi in Eccleſia contrario uſu potuiſſe abolere? Sane cum Sabinus Epiſcopus Hiſpalenſis, qui huic Concilio interfuit, paulo poſt ejuſdem Synodi exitum præclarum Chriſtianæ pietatis, & religionis exemplum præbuerit, dum Sanctarum martyrum Juſtæ, & Rufinæ corpora, & reliquias partim ex puteo, partim ex Amphiteatro Hiſpalenſi collectas honorifice ſepeliri, & cuſtodiri ſtuduerit, uti relatum legitur in antiquiſſimo Eborenſi Breviario; credibilene eſſe poterit eumdem Sabinum, Sanctum Valerium Cæſarauguſtanum præſatum, magnum illum Hoſium Cordubenſem, qui & huic adfuit Concilio, & poſtea Maximæ Niczenæ I. Synodi Oecumenicæ una cum Lucifero Calaritano S. Silveſtri Papæ nomine præfuit, alioſque eximios Illiberitanos Præſules Sanctorum Martyrum, aliorumque cælitum Imagines irreverenter tractari paſſos fuiſſe, eaſque abſolute prohiberi, & non ad tempus perſecutionis tantum, voluiſſe?

Cum nihilominus poſt editum dictum Canonem ſac. Imaginum cultus perſeveraverit in Hiſpania, & alibi.

Id plane nobis perſuaſum non ſinit Euſebius, qui lib. 8. cap. 6. Hiſt. Eccl. refert, quod cum ejuſdem Concilii tempore Diocletiano ſcilicet imperante, graviſſima in Chriſtianos perſecutio ſerveſceret, Pagani Martyrum reliquias projiciebant in mare dicentes, *ne forte Dii efficiantur Chriſtianorum, & illi, qui Deos adorare nolunt, ſervos noſtros incipiant adorare.* Ex quo duo profecto conſequentia colligimus, alterum Sanctos tunc & electos Dei a Chriſtianis coli receptum, quod & confirmat vel ipſe Eunapius Sardianus Ethnicus quarti ſeculi Scriptor, & Chriſtianorum infenſiſſimus hoſtis, in Vitis Philoſophorum, ubi ait Alexandriæ aſſervari condita Capita Martyrum, quos Chriſtiani, ut Sanctos colerent, iiſdemque genua ſubmitterent, legatoſque precum apud Deum eoſdem habere dicerent; alterum ne in ſanctas eorumdem Martyrum exuvias impii deſævirent, non minori religionis, quam prudentiæ laude inter ſe Chriſtianos conveniſſe, ut in locis publicis, cujuſmodi erant Eccleſiæ, non ſolum Imagines Martyrum, & Sanctorum durante perſecutione non depingerentur, ſed neque eorum corpora ſepulcris, & monumentis publicis reconderentur, ea propter priſcorum fidelium cœmeteria extra Eccleſiam erant.

Quod pluribus veterum teſtimoniis comprobatur.

Hinc eſt, quod laudati Illiberitani Patres Canone præcedenti 34. item prohibuerunt: *ne cerei in cœmeteriis incendantur*: Ne ſcilicet lucentibus luminibus Gentes Chriſti fidem Chriſtianoſque perſequentes de Martyrum ſepulcris, ubi eſſent, certiores redderentur, atque inde Sanctorum Corpora abducerent, & in ea ſævirent, uti id teſtatur Tertullianus in Apologet. cap. 37. ubi hujuſmodi Gentilium rabiem his verbis exprimit: *Ipſis Bacchanalium furiis, nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis jam alios, jam nec totos avellant, diſſecent, diſtrahant*: Idem confirmat Lactantius lib. 5. div. inſtit. cap. 11. Notent id noſtræ tempeſtatis Donatiſtarum aſſeclæ, quibus Optatus Milevit. lib. 6., & Paganorum imitatores hæretici præſertim Calviniſtæ (advertit Pamelius ad dictum Tertulliani locum) qui ſepulta Chriſtianorum, immo Regum corpora nuper effoderunt, quum tamen aſylum mortis ſepultura recte a Tertulliano vocetur, & fortaſſe Gentilibus ipſis pejores, cum graviſſimæ pœnæ in ſepulcrorum violatores vel ab ipſis Ethnicis Imperatoribus jam olim ſtatutæ ſint. Sed de hoc Canone Illiberitano 34. iterum, & fuſius infra cap. 25. §. 7. cum de luminum uſu agetur. Atque ita poſterioris Canonis 37. dictæ Synodi interpretationi finem impono. Eamdem ſupereſſet tueri contra Sectariorum nonnullos, & vindicandi ab eorum dicteriis Scheleſtratius, & Pagius, itemque Emin. Author, quos omnes, eorumque in dictum Canonem Illiberitanum Scholia improbant, derident, ac ſubſannant; at eos percellendos in peculiari Diſſertatione reſervamus.

Eadem ratione ſupradicta Illiberitani Patres veterum ne cerei in Cœmeteriis accenderentur, ut ſcilicet Paganis occulta eſſent ſepulcra Martyrum.

§. III.

Præcipue de Sacramento Euchariſtiæ, quod illis inter cætera ſtudioſius occultatum erat.

NUllum vero Sacramentum ſtudioſius celabant, quam Euchariſtiam, de qua propterea antiqui Patres & pauca ſcripſerunt, & obſcurius loquuti ſunt; quia vel aderant eorum ſermonibus non initiati, vel timebant ne libri ſive tractatus in manus illorum inciderent. (1) Optime Baſilius lib. de Spiritu Sancto ad Amphiloch. cap. 27. *Quæ nec intueri fas eſt non initiatis, non conveniebat eorum doctrinam ſcripto publicitus circumferre.* Et Gregorius Nazianzenus *Orat.* 42. Pleraque, ait, myſteriorum noſtrorum ne enuntiari quidem iis poſſe, qui ſunt extra fidelium communionem. Ambroſius item lib. 1. offic. cap. 50. *Non omnes vident alta myſteriorum, quia operiuntur a Levitis, ne videant qui videre non debent.* Quod ſi aliquando de hoc myſterio mentio habenda foret, illud ea periphraſi obvolvebant, *Norunt Fideles.* Auguſtinus in Pſal. 33. *Nondum erat Sacrificium, quod Fideles norunt.* Idem in Pſalm. 39. *Sacrificium verum quod Fideles norunt.* Et infra. *Corpus, quod noſtis, quod non omnes noſtis, quod utinam*

(1)

qui

qui noſtis omnes, non ad judicium noveritis. Et in Pſ. 109. ad illa verba Tu es Sacerdos in æternum: *Fidelibus loquor. Si quid non intelligunt Cathecumeni, auferant pigritiam, feſtinent ad notitiam*. Chryſoſtomus hom. 72. in Matth. *Euchariſtiæ myſterium quanta miſericordia plenum ſit, initiati ſolummodo noverunt*. Et hom. de proditione Judæ. *Norunt initiati quæ dicuntur*. Idem hom. 40. in 1. ad Cor. *Volo quidem aperte hoc dicere, non audeo tamen propter eos, qui non ſunt initiati, ſed tamen dicam tecte, & adumbrate*. Rurſum Auguſtinus lib. 10. de Civ. Dei cap. 6. *Hoc eſt Sacrificium Chriſtianorum, quod Sacramento Altaris Fidelibus noto frequentat Eccleſia*. Orthodoxus apud Theodoretum *Dialogo* 1. & 2. Cum in Euchariſtiæ mentionem inciditſſet, obſcure, & ænigmatice loquendum eſſe monet, quod forte aliqui adeſſent non initiati. Hac autem circumſpectione uſi ſunt paſſim antiqui Patres, vel quia putabant myſteriorum majeſtatem quodammodo imminui, ſi aperte coram Catechumenis, & profanis hominibus enuntiarentur: vel ut eorum deſiderium in corde initiandorum magis accenderent. Cyrillus Hieroſol. in præfat. Catecheſeon: *Cum catecheſis recitatur, ſi catechumenus ex te quæſierit, quid dicebant Doctores? nihil dicas externo*. Et infra. *Fueras & tu aliquando catechumenus, neque propoſita myſteria tibi enarrabantur. Quando autem ſublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientia didiceris, tunc plane intelliges dignos non eſſe catechumenos, qui ea audiant*. Auguſtinus vero tract. 96. in Joannem teſtis eſt Sacramenta Fidelium ideo catechumenis non prodi, *ut ab eis tanto ardentius concupiſcantur, quanto honorabilius occultantur*. Hanc diſciplinam ſpernentes Marcioniſtæ ad omnia myſteria catechumenos cum Fidelibus indiſcriminatim admittebant, ut Epiphanius *hær.* 42. cap. 3. & 4., & Hieronymus in *Cap.* 6. *Ep. ad Galatas* referunt. Eoſdem a Tertulliano perſtringi credo lib. de Præſcript. hæretic. cap. 41. *Non omittam ipſius converſationis hæreticæ deſcriptionem, quam futilis, quam terrea, quam humana ſit: ſine gravitate, ſine auctoritate, ſine diſciplina, ut fidei ſuæ congruens. In primis quis catechumenus, quis fidelis incertum eſt: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant*. (2) Catholici autem adeo religioſe Fidelium, & Catechumenorum diſtinctionem ſervabant, ut Athanaſius *Apolog.* 2. falſi convincat adverſarios, qui ſacræ Menſæ tempore Sacrificii a Macario everſæ teſtes catechumenos producebant, hac illatione: *Si catechumeni intus erant, ergo non eſt celebrata oblatio*. Eodem argumento Theophanes Abbas, & Confeſſor in Chronographia Conſtantinum Magnum Romæ a Silveſtro, non autem Nicomediæ ab Euſebio baptizatum fuiſſe evincit. *Nondum enim luſtratus*, ait, *ſi Nicænæ Synodo interfuiſſet, neque divinorum myſteriorum, neque precum a Sanctis Patribus factarum extitiſſet particeps: id vero dicere, ne dum ſentire iniquiſſimum eſt*. (3) Palladius conſonat in vita Chryſoſtomi, ubi tanquam ſcelus graviſſimum exaggerat, quod in tumultu adverſus illum excitato, quidam non initiati irruptione facta in Eccleſiam ea aſpexerint, quæ nefas erat illis intueri. Gaudentius item Brixianus ſerm. 2. ad Neophytos regreſſos a fonte, *Ea ſolum*, inquit, *aperienda Neophytis, quæ præſentibus Catechumenis explanari non poſſunt*. Epiphanius denique, ut alios omittam, Sacramentum Euchariſtiæ expendens in Ancorato, Audientium & ipſe præſentiam reveritus formam ejus occulte refert hoc modo. *Videmus quod accepit Salvator noſter in manus, & ubi gratias egiſſet, dixit. Hoc meum eſt hoc & hoc*. Quod ſi aliquis ex catechumenis ignoranter ſuſcepiſſet Euchariſtiam, ſtatim baptizabatur, ut ex Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 7. cap. 26. colligitur, & ex Timotheo Alexandrino, addita interpretatione Balſamonis. Etiam Eulogiæ ſive panis reliquiæ, quæ diſtribui ſolebant poſt Miſſam, negabantur

(2)

(3)

Ca-

Catechumenis, ut conſtat ex cap. 7. Theophili Alexandrini cum ejuſdem Balſamonis explicatione. Nam cum panis uſualis, & communis aliquid in terram decuti anxie, eo quod eſſet materia Euchariſtiæ, Fideles paterentur, ut loquitur Tertullianus lib. de Corona Militis cap. 3. multo magis inconveniens exiſtimabant fruſta panis benedicti dare profanis & nondum initiatis. Illis tamen dabant ſal, non ſolum in baptiſmate, ſed etiam in catechumenatu; ad quem ritum, non autem ad Eulogias, reſpexit Auguſtinus *lib. 2. de pecc. mer. & remiſs. cap.* 26. cum ait: *Quod accipiunt Catechumeni, quamvis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quam cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt*. Et lib. 1. Confeſſ. cap. 11. agens de ſuo catechumenatu: *Audieram ergo*, inquit, *adhuc puer de vita æterna nobis promiſſa per humilitatem filii tui Domini Dei noſtri, & ſignabar jam ſigno Crucis, & condiebar ejus ſale*. Hoc unicum erat catechumenorum Sacramentum, de quo Concilium tertium Carthaginenſe can. 5. *Placuit ut etiam per ſolemniſſimos Paſchales dies ſacramentum catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal*. (4) Mos autem in hoc Canone præſcriptus vigebat (4) in Gallia tempore Caroli Magni, ejus enim Capitularia *lib. 7. cap.* 190. (5) præcipiunt, ut in Paſchate Sacramentum Catechumenis non detur, *ſed* (5) *tantum benedictum ſal a Sacerdotibus pro communione tribuatur*. Poſt baptiſmum vero egreſſi de lavacro mel & lac deguſtabant tanquam ſymbola myſticæ infantiæ: idque Tertullianus *lib. de Corona Mil. cap.* 3. inter antiquas traditiones enumerat, *Inde ſuſcepti*, ait, id eſt ex fonte, *lactis & mellis concordiam præguſtamus*. Cui conſonat Hieronymus adv. Luciferianos dicens: *Multa, quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt: veluti in lavacro ter mergitare caput, deinde egreſſos lactis ac mellis guſtare concordiam ad infantiæ ſignificationem*. Rurſum Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 14. *Ille uſque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua ſuos abluit: nec oleum, quo ſuos unguit: nec mellis & lactis ſocietatem, qua ſuos infantat*. Hunc ipſum ritum ſancta virgo Agnes expreſſit, cum dixit: *Mel & lac ex ore ejus ſuſcepi* (6). (6)

Euchariſtiæ Sacramentum præ cæteris fidelibus occultatum profanis, & non initiatis.

(1) *Ne libri, ſive tractatus in manus illorum incideret*) Id colligitur ex Origene Tract. II. in Matth. Tract. 32. in Joannem, contra Celſum lib. 8. Homil. 17. in Leviticum, & teſtatur Julius I. Papa in Epiſt. ad Euſebianos num. 15., ubi interrogationem de Euchariſtia coram Catechumenis, Ethnicis, & Judæis factam fuiſſe indigne ferens, ſic invehitur. *Quod nobis admirationi fuit, id etiam vobis, dilecti, fore exiſtimo, ut de Sanguine, & Corpore Chriſti interrogetio, cui Presbyteri, licet myſteriorum miniſtri ſint, intereſſe non permittuntur, apud externum judicem præſentibus Catechumenis, & quod indignius eſt, coram Ethnicis, & Judæis; qui circa Chriſtianiſmum ſuſpecti, & male affecti audiunt, habita ſit*: Verum laborandum non eſt in Patrum teſtimoniis perquirendis de olim occultato Euchariſtiæ Sacramento, cum notiſſimum ſit apud omnes illud Auguſtini in Pſal. 103. *Quid eſt, quod occultatum eſt, & non publicum in Eccleſia? Sacramentum Baptiſmi, Sacramentum Euchariſtiæ*.

Atque ut etiam in hujus rei teſtimonium ex aliena communionis Scriptoribus nonnulla proferam; hos inter Thomas Brett Anglus in ſua Collectione Liturgiarum præcipuarum Eccleſiæ Chriſtianæ, de qua ſupra meminimus, Londini an. 1710. edita iſti noſtræ ſententiæ ſubſcribens pag. 3. cauſam cur in ſcriptis Antenicænis tam rara de modo celebratæ Euchariſtiæ mentio occurrat, myſteriocripſiam, five arcani diſciplinam fuiſſe affirmat, qua veteres Chriſtiani licet ad lectionem ſacræ Scripturæ pariter, & auditionem reliquorum fidei capitum in Epiſcoporum ſermonibus quoſcumque, five Catechumenos, five Paganos, aut Judæos admitterent, ſolam doctrinam de Sacramentis, ac præcipue de Sacra- Euchariſtia non initiatos celabant, ne videlicet myſterium hoc in tota Religione Chriſtiana maximum, quo Corpus, & Sanguinem Chriſti ſe percipere credebant, profanorum contemptui exponerent; ſi enim de Sancta Euchariſtia non aliam habuiſſent notionem, quam quod memoriam Chriſti renovet, quod ſit Symbolum amoris, & juris fœderalis tantum, eam tam ſollicite celandam non judicaſſent. Et propter hanc Myſteriocripſiam a Chriſto Matth. 7. 6., & 13. 10. 11. præſcriptam ipſos Apoſtolos, & Evangeliſtas modum celebrandæ Euchariſtiæ in libris ſacris Novi Teſtamenti reticuiſſe. Hæc Lutheranus ſcriptor, quo alterius gregalis, Ernesti, ſcilicet, Tenzelii, & Calviniſtæ Basnagii, de quibus ſupra §. 1. deliramenta retunduntur.

Idque fatentur etiam nonnulli ex Acatholicis Scriptoribus.

(2) *Pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant*) Hoc loco abſque dubio, ut ſcite credit Emin. Author, non ſolum Marcionitas ex Epiphanio, & Hieronymo, ſed & Valentinianos a Tertulliano perſtringi ex eodem conſtat; poſtquam enim hoc capite perturbatam, & abſque ordine Hæreticorum ſui temporis diſciplinam tum circa Catechumenos, & alia id genus deſcripſerit, capite ſequenti 42. prope finem, eos his verbis deſignat: *Idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio ſuo fidem innovare.* Porro ad hunc Tertulliani textum lege eruditiſſimas Chriſtiani Lupi notas pag. 624. & ſeqq. ubi optime de Catechumenis, & de Arcani diſciplina circa ipſos olim ſervata luculenter diſſerit.

Ex hac Arconi diſciplina deducitur Romanus Conſtantini Magni baptiſmus,

(3) *Nedum ſentire iniquiſſimum eſt*) Ita Theophanes, qui Synodo Nicænæ II. ſeu generali ſeptimæ interfuit an. 787. ubi & Adriani I. Papæ de Conſtantini baptiſmo Romæ eidem collato Epiſtola recepta, & actis inſerta fuit Act. II. Theophanem exſcripſit Cedrenus XI. ſeculi Scriptor in Annal. Tom. 1. ſeu Vol. 7. Hiſt. Byzant. Edit. Ven. pag. 214. & 215. qui inter cætera hæc habet de Conſtantino Magno: *Septimo Imperii ſui anno ..... Tunc etiam a Silveſtro SS. Romæ Papa baptizatus, lepraque hoc pacto liberatus eſt*, Et poſt pauca: *Qui autem dicunt Conſtantinum morte demum appropinquante ab Euſebio Nicomediæ Epiſcopo Ariano fuiſſe Nicomediæ baptizatum, errant; dicunt ab eo baptiſmum dilatum, quod ſperaret in Jordane baptizatum iri. Quid vero obſtabat, cur non jam tum in Jordane baptizaretur, cum & Galerium in Oriente debellaret, & denuo in Perſiam profeciſceretur?* Eadem. ſcribit & Glicas, qui circa an. 1150. floruit, & Parte IV. Annal. refutans fabuloſam Alexandri Monachi narrationem de eodem Conſtantini baptiſmo Nicomediæ circa finem vitæ ſuſcepto contrarium probans, & Romæ a Silveſtro baptizatum affirmans, hæc item habet: *Non tamen dubium eſt qui magni hujus Imperatoris baptiſterium, quod adhuc Romæ conſpicitur, illuſtri ratione veritatem commonſtret. Immo fieri non potuit, ut Nicæno in Concilio baptiſmi expers ipſe foret, quo enim pacto, vel preces una concipere, vel ſacris adeſſe rebus poterat nondum baptiſmi particeps? Quapropter in hunc modum de viro maximo vel loqui, vel ſentire prorſus abſurdum fuerit.* His conſonant Chronicon Orientale Petri Rahebi Ægyptii, quod ex Arabico primum latinitate donavit Abraham Ecchellenſis, & nova interpretatione Joſeph Simonius Aſſemanus Vaticanæ Bibliothecæ primarius Cuſtos, in Vol. 17. Hiſt. Byzant. dictæ Ven. edit. pag. 37. ubi dicitur quod an. 19. imperii ſui credidit, & baptizatus eſt.

Porro vexatam nimium inter noſtri ſeculi Eruditos controverſiam hanc de Conſtantini baptiſmo, lepra, aliiſque ad id ſpectantibus, nedum ex dictis Theophane, Cedreno, Glica, ſed ex actis S. Silveſtri Papæ, quæ ex Græco veruſtiſſimo Codice Mazarinio, & Mediceo nuper vulgavit Franc. Combefiſius, eruditiſque annotationibus illuſtravit, ad favorem Romanæ traditionis dirimit, quæ tam in Martyrologio, quam in Breviario ita ſentire profitetur, & ab octingentis circiter annis id etiam Græci ipſi affirmant, tum in dictis actis S. Silveſtri, tum in Menologiis ad diem ſecundam Januarii, & 21. Maji inter quæ illud Baſilii Junioris Imp. juſſu compilatum, anno circiter 976. omnium antiquiſſimum, & auguſtiſſimum, atque ut videtur autographum; Venerandum hoc Eccleſiæ Græcæ monumentum Conſtantinopoli advectum in Lud. Sforiæ poſſeſſionem primum ceſſit, poſtea in familiam Sfondratorum tranſiit, demum a Paulo Sfondrato Cardinali Paulo V. Summo Pontifici donatum, ab eoque ſolemni inſcriptione ornatum in Bibliotheca Vaticanam illatum eſt. Plura de hoc præclariſſimo Codice habent Leo Allatius de Eccl. Græc. Diſſert. 1. & Ferdinandus Ughellius Ital. Sac. Tom. 6. qui Allatius Menologium iſtud non parum diſcrepare ab aliis Græcorum Menologiis ait, ſive quod latine habeatur apud Caniſium Lect. Antiq. Tom. 2. pag. 731. ſive quod Menzis Græcorum inſertum reperitur, ſeu denique, quod in linguam eorumdem Græcorum vernaculam a Maximo Margunio Cytherorum Epiſcopo verſum prodiit Venetiis 1529. Ex quibus omnibus tum Eccleſiaſticis, tum hiſtoricis monumentis utriuſque Eccleſiæ, Occidentalis, & Orientalis, in ſuis, quas ad divina officia perſolvenda adhibent lectionibus, clariſſime elucet veteriſſima apud Chriſtianos, & conſtans traditio de Romano, ſeu Antenicæno Conſtantini Magni baptiſmate, cui populorum conſenſui fides, ut opinor, derogari non poſſe videtur, quod plenius ex dicendis conſtabit. His tamen non obſtantibus inſurgit ex adverſo Henricus Valeſius in notis ad cap. 41. lib. IV. de Vita Conſtantini apud Euſebium, non modo illius baptiſmum in extremo vitæ ratum habens, ſed Catechumenum Conſtantinum nonniſi Heliopoli prope vitæ finem fuiſſe contendit. Cui opinioni plerique recentiores Critici ſubſcribunt, inter quos præcipue Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Sec. 4. Diſſert. 23. Pagius in Critica Baronii ad an. 324. num. 4. aliique plures, quibus omnibus facem præbuere Petrus Lambecius in fine Tom. 5. Biblioth. Cæſar. Vindob., & Daniel Papebrochius Tom. 5. Act. SS. Maji in Vita Conſtantini Magni. At hos omnes hallucinari oſtendit Clar. Emmanuel Scheletſtratius in ſua Diſſert. Apolog. de diſciplina Arcani cap. 7. art. 4. ubi baptiſmum Conſtantino ante Nicænum Concilium Romæ a S. Silveſtro collatum fuiſſe ex eadem diſciplina Arcani invictiſſime probat; quod & confirmat in Antiq. Eccl. illuſtrat. Tom. 1. Chronol. Summ. Pontif. in Silveſtro. Videndus item Clar. Præſul Franc. Blanchinius in ſuis doctis Annotationibus ad Anaſtaſium in Silveſtro. Conſer item quæ ſupra diximus ad cap. 4. §. 4. nota 7

Et ſane ſi condendas leges multas imperio ſalutares, & tum Eccleſiæ, tum Chriſtianis utiliſſimas curavit religioſiſſimus Imperator, ſi idem ab omnibus illius ævi Chriſtianis Scriptoribus Eccleſiæ liberator dictus in pluribus vaſtæ ditionis ſuæ urbibus præſertim Hieroſolymis, Romæ, & Conſtantinopoli magnifica

fica divino cultui templa extrui juſſit, ac ditiſſimis muneribus donavit, quomodo eum Chriſtianum fuiſſe, & baptizatum negari poterit? Notum eſt, quo mentis ardore piiſſimus hic Princeps Gentilium, & Paganorum converſionem promoverit, idola removere, & profana templa dejicere funditus ſtuduerit, Hæreticos quoque, & Schiſmaticos, quos ab Eccleſiis repulit, profligaverit. Quis ſatis ipſius jejunia, & pœnitentiæ opera laudibus proſequetur? Qua pietate dies Dominicos, & Martyrum feſtis ſacros celebrabat? An nos latet, eum Helenopoli agentem diu oraſſe in S. Martyris Luciani Templo? An non memoriæ prodidit eſt ipſum in uſu poſitum habuiſſe Paſchatis pervigilium inſomnem, & orantem cum cæteris fidelibus ducere? Euſebio denique teſtante, uti obſervat Valeſius ipſe, comperimus magnum hunc Imperatorem omnibus Chriſtiani hominis officiis functum fuiſſe. (Euſebius de Vita Conſtant. lib. 4. cap. 22. 57., & 61.) Quibus præhabitis fieri ne poterit, ut perſuaſum habeamus adeo præclara Conſtantinum geſſiſſe nondum Catechumenum, ut perhibent nonnulli, immo nondum baptiſmate lotum? Niſi revera Chriſtianus fuiſſet, quamobrem Euſebius, & Theophanes præfati illum appellaſſent *Sacrorum myſteriorum participem*? Demum quo pacto Libellus Synodicus, cujus Auctor ſeculo nono floruit, eidem Imperatori Conſtantino Chriſtianam religionem tuenti, ac promoventi Apoſtoli nomen tribuit recolens Nicæna Acta: *Conſtantinus inter Chriſtianos Imperatores Apoſtolus*: & in Menæis Græcis *par Apoſtolis* dicitur? quod cognomen (ſubdit Pagius in Crit. Baronii ad an. 337. num. 3.) ob propagatam Chriſti fidem illi merito delatum, quidquid dicat Scaliger lib. 5. de Emend. Temp. pag. 510. Hæc omnia ſatis perſpicuo ſunt argumento Conſtantinum nonniſi baptizatum, cum aliis fidelibus ſacris interfuiſſe myſteriis, quod utique ipſi permiſſum ab Epiſcopis non fuiſſet, niſi antea ſacris baptiſmatis undis abluto, neque illi poſt mortem Apoſtoli nomen tributum, niſi vere eum baptizatum eſſe, notum non extitiſſet.

Qui Romanus Conſtantini Baptiſmus pluribus teſtimoniis, & rationibus comprobatur.

Verum, ut eadem ampliori rationum pondere confirmentur, ſequentia ſubdere non incongruum ſit. Et primo nonnulla reaſſumendo jam dicta, Conſtantinum Imperatorem Magni additamento, ac maximi etiam titulo condecorarunt coævi, & poſteri illius rerum Hiſtorici, quod inſigne, cæteriſque illuſtrius, elogium non baptizato Principi a Catholicis Scriptoribus tributum nuſquam legimus; Eccleſia univerſalis illum, ut religioſiſſimum Principem habuit, Latina quippe eum ſemper ut *Pium*, Græca vero, ut Sanctum etiam poſt mortem coluit, ejuſque nomen una cum aliis Orthodoxis ex ſacris diptycis ſemper recitare conſuevit, uti fatetur Nicolaus I. Papa ſcribens ad Michaelem Imperatorem apud Baronium ad an. 324. num. 48. Sancti Doctores Athanaſius, Epiphanius, Hilarius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & alii; Romani item Summi Pontifices, Concilia, inter quæ Chalcedonenſe, ubi Marcianus pius Imperator fauſtis acclamationibus Epiſcoporum Novus Conſtantius Auguſtus dictus eſt, ac primi denique Ordinis tum Occidentis, tum Orientis Patres ſanctitatem ejus, atque Nicænam fidem ad mortem uſque confervatam prædicarunt, de quibus nedum a recentioribus Criticis quæſtio mota ulla eſt, verum & memorati clariſſimi viri Daniel Papebrochius Tom. 5. Act. SS. Maji, Natalis Alexander ſec. IV. Hiſt. Eccl. Diſſert. 24., & Petrus Lambecius Bibl. Cæſar. Vindob. Tom. 5. in fine ejuſdem piiſſimi Imperatoris famam ſanctitatis ſtrenue vindicant, illiuſque Orthodoxam fidem uſque ad extremum vitæ integre ab ipſo aſſertam pluribus comprobarunt argumentis.

Si enim Nicomediæ ab Ariano Epiſcopo baptizatus fuiſſet Eccleſia Latina ut pium, Græca ut ſanctum non coluiſſent.

Quæ omnia procul dubio falſa forent, ſi Conſtantinus non Romæ a Silveſtro, ut optime ex Theophane Emin. Author, ſed Nicomediæ ſub finem vitæ, quaſi Arianam hæreſim amplexum, in illius perfidia ab Euſebio Ariano illius urbis Epiſcopo, & damnata Arianorum forma, ut ita declarata eſt in Concilio Nicæno I. ubi Can. 19. præcipitur Cataphrygas, & Paulianiſtas hæreticos ad Eccleſiam redeuntes iterum baptizari, quia etſi verbis Evangelicis, errore tamen interpolatis corruptaque forma baptizari fuerant, videlicet *in Nomine Patris majoris, Filii minoris &c.* juxta Arianum ſyſtema, quod & confirmant Innocentius I. de Paulianiſtis Epiſt. ad Macedoniæ Epiſcopos, S. Leo I. Epiſt. 4. c. 3. aliique; Clinicorum item baptiſmo, quem jure antiquo indignum ſacra ordinatio cenſuit Eccleſia, quod non libera voluntate, ſed compellente morbi neceſſitate ſuſciperetur, baptizatum fuiſſe, ut Criticorum noſtri temporis plurimis viſum, diceremus, cum & contrarium vel ipſe Imperator publice, & palam coram Nicænis Patribus teſtatus fuerit in Oratione, quam habuit ad ſacrum cœtum *ſe nomine, & profeſſione* Chriſtianum dicens, ex Gelaſio Cyziceno lib. 2. Act. Nicænæ Synodi apud Labbeum Concil. Tom. 2. col. 25. ipſeque Euſebius in vita ejuſdem Conſtantini, ut jam monuimus, lib. 4. cap. 22., & 57. atque Theophanes præfatus *divinorum myſteriorum, a Sanctis Patribus participem* factum ſcribant; Euſebius item ibidem cap. 22. de eodem ſcribat: *ſed hanc religionis exercitationem ſalutaris feſti temporibus augens omnibus viribus tum animi, tum corporis divinos ſacrorum Ritus obibat*, quos cap. 57. cum cæteris pernoctans perſolviſſe notat.

Neque illa divinis intereſſe myſteriis, neque in Nicæna Concilio cum Epiſcopis ſedere permiſſum fuiſſet.

His ſtantibus quonam pacto Conſtantinus divinis intereſſe myſteriis, & ſedem, ut idem ait Euſebius, cum Epiſcopis in magno Nicæno Concilio habere potuit, ſi nondum ſacro ablutus baptiſmate inter Catechumenos tantum militabat? Laturine id eſſent optimi illi Catholici Antiſtites, quorum ingens erat numerus ſanctitatis fama, Orthodoxæ fidei confeſſione, Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodiendæ zelo, ac ſingularis doctrinæ eruditione præſtantium? Quis umquam prudens, & in ſacra veteſtatis conſuetudinibus convenienter excultus, id ſibi certo perſuadeat? Notum eſt, quo ſtudio tunc temporis diſciplina circa Catechumenos vigeret, qui cum fidelibus in Eccleſia ſedere non permittebantur, ſed ab iis ſeparati ſeorſim ſtabant, & antequam Sa-

cerdos ſacra auſpicaretur myſteria, extra Eccleſiam mittebantur; quomodo ergo Conſtantino adhuc Catechumeno, nondumque re, ſed tantum voto Chriſtiano inter fideles, inter Epiſcopos conſiſtere, & ſedere conceſſum. Quonam pacto poteſt ſubſiſtere quod memoratus tradit Euſebius lib. 3. cap. 3. de Vita Conſtantini, hunc Principem ante Imperialis palatii tabulam ſuſpendiſſe, in qua ipſius imago depicta eſſet cum Cruce ſuper caput ſita, ſubque pedibus dracone medio ventre Cruce transfixo, & in profundos maris fluctus præcipitato, quo videlicet (ut idem Euſebius interpretatur) ſignificaret diabolum cum ſub ſuis, tum ſuorum pedibus conculcatum jacere? Quonam, inquam, modo poſſunt hæc Conſtantino applicari, ſi nondum baptizatus erat? Cumque conſtet omnem Catechumenum eſſe Energumenum, ſeu, ut apud Theologos intelligitur, ab immundo ſpiritu agitatum, tantum abeſt, ut ipſum conculcet draconem, quin potius ei ſubjaceat, donec per baptiſma, quod eſt mare, in quod ſerpens demergitur enecatus, quemadmodum apud Cyrillum Hieroſol. Catech. I. Myſtag. legitur, ab ejus poteſtate liberetur. Plura in id argumenta non plane ſpernenda, ſed magni profecto ponderis, atque etiam ex ipſorum Gentilium teſtimonio deprompta profert Baronius ad an. ſupracit. 324. nu. 43. & ſeqq. quæ licet Criticorum plerique totis viribus convellere nitantur; attamen quantum capio, quantum ſapio, (ut verbis utar Auguſtini tract. 124. in Joan.) irrito ſane conatu, non enim ſufficienter contrariam de Nicomedienſi Conſtantini baptiſmo in fine vitæ ſententiam evincunt.

Satis ſit pro omnibus clariſſimi Pagii, quas ex adverſo exhibet, exceptiones adferre. Is primo ad an. ex Baronio 324., & num. XIII. ad dictum Theophanis locum, ex quo Emin. Author Romanum Conſtantini baptiſmum arguit, ita reſpondet, quod nempe ex omnibus, quæ a Baronio allegantur capitibus, nihil aliud confici poteſt, niſi quod pius Imperator, qui militibus nondum initiatis formam comprecationis communis præſcripſerat, ad quam diebus Dominicis convenire deberent, in patentes ſuburbiorum campos, idem in ſuo Palatio, ut legitur lib. 4. Vitæ ejus cap. 17. inſtruxerit formam aliquam Eccleſiæ Dei, ubi omnibus ſecum congregatis ſolemnes cum iis perſolvebat preces. Ibi ergo celebritatem Paſchæ agebat eo, quo ſequenti capite narratur, modo, nuſquam autem invenire eſt verbum, quo ad ſacros Eccleſiarum conventus Sacrificii tempore inceſſiſſe ſe intelligatur. Hæc Pagius, qui & pene ad verbum eadem exſcripſit e Dan. Papebrochio Tom. 5. Act. SS. Maji die 21. cap. 2. de Conſtantino Magno num. 14. pag. 16. At Deus bone! quæ tantis viris hallucinationes! Duos Chriſtianorum conventus, pro fidelibus initiatis unum, alterum pro non initiatis, ſeu Catechumenis, inſtituit Conſtantinus; illum quidem in Palatio ſuo, in quo ipſe *præibat cunctis, qui in Eccleſiam illam erant adſcripti*, (verba ſunt ipſius Euſebii ex Valeſii recenſione) *deinde ſolemnes preces cum univerſo Aulicorum cœtu recitabat*. Hanc vero congregationem ex fidelibus coactam ipſa denotant verba: *qui in Eccleſiam illam erant adſcripti*, nondum enim initiati illi profecto non adſcribebantur, qui in alium conveniebant locum, ut dicemus; item *cum univerſo Aulicorum cœtu*, ex quo utique fideles quampluſimos conſtaſſe credendum eſt, ut religioſiſſimum decebat Imperatorem, qui ex Catechumenis, & non initiatis tantum Aulicorum ſuorum cœtum conflatum haud paſſus fuiſſet, nec Helena ipſius mater ſanctiſſima, cui ut addictiſſimus filius, in omnibus obſequebatur.

Pagii, & Papebrochii exceptionibus in contrarium ſativæ, & ex ipſo Euſebio. Reſponſio 1.

Subdit inſuper Euſebius cap. 18. *Diaconos & Deo conſecratos miniſtros, qui vitæ gravitate, & reliquis virtutibus ornati eſſent, totius domus cuſtodes ordinavit*: Et quidem illius etiam Eccleſiæ, ut & ibi divina perſolverent officia, ac ſacra celebrarent myſteria; ad quid enim Deo conſecrati miniſtri, niſi, ut quæ ad Dei cultum, & Sacrificium pertinent, in tota domo cuſtodirent? Hæc autem numquid pro non initiatis? Denique ibi in fine, *iis quidem, qui fidem divinitus inſpiratam amplexi erant, exercendi ſe ex more, inſtitutoque Eccleſiæ Dei tempus, atque otium indulſit, quo abſque ullo impedimento orationibus vacarent*: illos utique fideles fuiſſe ſatis ex üs verbis, *qui fidem amplexi erant*, compertum eſt, ac proinde in primum coiviſſe cœtum aperte conſtat. *Reſponſio 2.*

Alterum porro ex non initiatis, ſeu Catechumenis conventum idem deſcribit Euſebius cap. ſeqq. 19. *Reliquis vero*, inquit, *qui divinæ fidei doctrinam nondum ſuſceperant, altera lege præcepit, ut Dominicis diebus in campum purum procederent, & precationem, quam antea didiciſſent, ſimul omnes ſigno dato ad Deum funderent*: Cum his non legitur uſquam conveniſſe Conſtantinum, ſed ſolum præviſſe cunctis, qui in Eccleſiam Palatii ſui erant adſcripti, qui ut vidimus, fideles erant; quomodo ergo, ut vult Pagius, in eadem Palatina Eccleſia cum omnibus promiſcue etiam non initiatis ſolemnes perſolvere preces, & Paſchæ celebritatem agere idem potuit, cum non initiati in apertum campum procederent? An & ſimul in Palatio ſuo, & extra in campo eſſe poterat?

Præterea in majoribus ſolemnitatibus, Paſchæ ſcilicet, & Pentecoſtes, (ut loquitur Athanaſius Conſtantino coævus in Apologia I. ad Conſtantium, nec diffitetur Valeſius ad lib. 7. cap. 11.) non fiebant particulares conventus; ſed univerſi, ſive fideles, ſive Cathecumeni in majorem conveniebant Eccleſiam; reliquis minoribus feſtis, ac diebus Dominicis alibi in particulari Baſilica, aut loco ad id deſtinato iidem congregabantur, prout Alexandriæ, ubi plures erant Eccleſiæ a diverſis Epiſcopis ædificatæ, Cives Alexandrini ſeorſim in variis colligebantur locis. Sic etiam Conſtantinus, licet in Palatio ſuo quamdam veluti inſtruxerit Eccleſiam, quam diebus Dominicis, & minoribus feſtis adiret, Paſchatis, & Pentecoſtes diebus in majorem utique conveniſſe Eccleſiam dicendum eſt. Quod autem in his ſacris Eccleſiarum conventibus etiam Sacrificii tempore pius Imperator cum reliquis, non uti Catechumenus, ſed ut fidelis *Reſponſio 3.*

con-

conſtiterit, clare exprimit Euſebius loco citato cap. 56., & 57. ibi enim primo cap. 56. ubi de bello Perſico agitur, ipſo interprete Valeſio ait : *Deinde Tabernaculum in ſpeciem Eccleſiæ ambitioſo cultu ad hujus belli uſum... præparavit, in quo preces ad Deum Victoriæ authorem una cum Epiſcopis fundere decreverat:* deinde cap. ſeq. *Alterat magna Paſchalis feſti ſolemnitas, in qua Imperator vota Deo perſolvens una cum cæteris pernoctavit* : Utique & Sacrificii tempore cum Epiſcopis prædictis, ac reliquis fidelibus, quos profecto tantam ſolemnitatem abſque Miſſæ Sacrificio tranſegiſſe, dicendum non eſt.

Reſponſio 4. Quinimmo cum Conſtantinus *divinos Ritus obiiſſe* dicatur Euſebio, *ac ſacrorum myſteriorum* particeps a Theophane affirmetur, quis eum Catechumenum, & non baptizatum dicat ſciens divinos Ritus fidelium potius eſſe, quam Catechumenorum, qui nonniſi initiatis tantum præſentibus, & Catechumenis expulſis peragebantur : quomodo non initiatus, & non fidelis Conſtantinus divinis Ritibus præſens, & eos obiens ? An forte Catechumenorum preces, ex Pagii ſententia, erant apud veteres divina myſteria ? At hoc nomine ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium ipſos dumtaxat appellaſſe certo certius eſt. Si itaque divinorum Rituum, & myſteriorum, Euchariſtiæ ſcilicet, particeps Conſtantinus, quomodo non baptizatus, quomodo adhuc Catechumenus ? Cum nuſquam nec apud Euſebium, neque... apud alios illius ævi Scriptores legatur hunc inter Chriſtianos Imperatores maximum cum Catechumenis conſtitiſſe, & Sacrificii tempore cum iis in Eccleſia expulſum, quin... ex vetuſtiſſimo Chronographo Neſtoriano, qui proximus Conſtantino vixit, Joannes Malela Antiochenus Scriptor ſub Juſtiniano, in ſua Chronographia Oxonii edita an. 1691. illius verba referens, aperte aſſerit quod Conſtantinus *baptizatus eſt cum Matre Helena a Silveſtro Epiſcopo Romano*. Cum vero Neſtorianus iſte Chronographus tam Conſtantini ævo proximus, eumdem Baptiſmo Romæ lotum fuiſſe ſcribat, nec videatur in re tam maxima, quæ neceſſario toto in Orbe vulgatiſſima eſſe debebat, falſis rumoribus decipi potuiſſe, procul dubio ita eſſe, ut enunciatur, credendum eſt. Hinc hiſce, aliiſque vicius momentis Melchior Canus Criticorum facile princeps, qui paulo ante Card. Baronium floruit, ejuſdemque hac in parte ſententiæ fuit, eodemque ipſo uſus Theophanis argumento, Loc. Theol. lib. XI. cap. 5. „ *Niſi prius*, inquit, *baptiſmi fuiſſet fons ſub-* „ *latus Conſtantinus*, qui credi poteſt eidem „ Epiſcopos, aut culparum, aut quæremo- „ niarum libellos obtuliſſe, aut ut Synodo, „ & diſputationibus intereſſet, permiſiſſe ?

Alteri Pagii objecto occurritur. At urget iterum Pagius hæc dicens: „ ad „ Nicæni Concilii conventus etiam Gentiles „ Philoſophos ab Epiſcopis admiſſos novi- „ mus: „ Unde id novit ? Si totus ſuo fi- dit Euſebio, altum ibi de hiſce Philoſophis ſilentium : De his nonnulla referunt Socrates, Sozomenus, & Rufinus apud Baronium ad an. 325. num. 45., & ſeqq. qui eoſdem ſophiſtas ab uno Epiſcopo ad incitas redactos eſſe ſcribunt, at id paulo ante, quam Synodus inchoaretur acciditſſe notat Socrates lib. 1. cap. 5. cepta Synodo nulla apud ipſos de Philoſophis mentio, quin & ex Criticis nonnulli inſignes, Valeſius in Socratem, Dupinius in Hiſt. Eccl. de Concilio Nicæno, ac Tillemontius de eadem Synodo art. 18. hanc de Philoſophis narrationem ad fabulas rejiciunt. Ut ut ſit, eoſdem, ſi aderant, ad ſummum ſtantes, & audientes tantum, nuſquam vero inter Epiſcopos conſediſſe legitur, neque coram ipſis de fidei quæſtionibus diſputatum, quemadmodum e contra Conſtantinus, de quo Euſebius initio Operis de vita ejuſdem Imperatoris expreſſe teſtatur his verbis : *Victorem Principem in medio Dei Miniſtrorum conventu* (ſcilicet Nicæno Concilio) *reſidentem* (ut inquit) *proſecuti ſumus* : quod & cæteri Scriptores affirmant. Baptizatus ergo (iterum concludit, & ex rei veritate Melchior Canus ibidem loco citato) *ante Synodum Nicænam fuerat Conſtantinus*. Ita plane, quidquid doctiſſimi negent Adverſarii, id enim invictis plerique aliis argumentis ex ipſis ſaltem Criticorum regulis petitis luculenter oſtendit nuperrimus eruditus Scriptor Matthias Fuhrmannus Auſtriacus Ord. S. Pauli primi Erem. Sacerdos in ſua Hiſtoria de Conſtantini Baptiſmo Romæ an. 1742. edita, ubi præcipue Parte I. Colloquio XVI. pag. 287. fictitium eſſe dicti Imperatoris Baptiſmum Nicomedienſem, ac propterea Romanum aſſerendum, ut verum evidenter oſtendit, qui tamen in hac prima Parte ſui Operis, ut putabam, mox dictas clariſſimi Pagii exceptiones ſilet, niſi forte eas diluat in. II. quam adhuc non vidi. Sed & alia plura ſuperſunt retundenda Adverſariorum tela, præcipue... Natalis Alexandri Hiſt. Eccl. Sec. 4. Diſſert. 23. & aliorum, quæ cum prolixiorem exigant Diſſertationem, ut melius curioſo Lectori ſatisfiat, eamdem cum aliis exaranda Deo opitulante ſervamus, atque interim ad Card. noſtri vindicias hac in parte... reaſſumendas convertimur.

Card. Bona contrariæ opinionis falſo ſuppoſitus vindicatur. Prædictis itaque non obſtantibus quempiam auribus obſtrepentem forſan audiam, Heus tu, dicentem, eccur tamdiu fatigaris in hac propugnanda ex mente optimi Cardinalis tui Bonæ ſententia de Romano Conſtantini Baptiſmo, quaſi eam amplectatur Emin. Scriptor ? Recitat quidem ipſe in hanc rem Theophanis verba, quæ mere hiſtorice refert, at nihil his ſubdit quo ea approbet, & dictam aſſertionem confirmet ; quinimmo contrariæ potius opinionis fuiſſe eumdem arguit clariſs. Daniel Papebrochius in ſuo Conatu Chronico Hiſt. ad Catal. Rom. Pontif. Append. 2. pag. 222. col. 2. ex quadam Claudii Caſtellani Canonici Pariſienſis Epiſtola ad ſe ſcripta, & ibi relata ; ut quid ergo tam acriter pro ipſo fruſtra æmularis, illiuſque ſupervacuum vindicem agis ? Hæc nobis etiam opponunt qui ſuas ad partes pro Nicomedienſi Conſtantini baptiſmo trahere vellent Cardinalem noſtrum, at irrito conatu ; iſtas enim umbras condigna reſponſione diſſlamus. Ex primo quod non recitet tantum, aut hiſtorice referat Cardinalis noſter Theophanis verba, ſed eadem,

adprobet, ac confirmet, id manifeſte deducitur ex ipſius verborum antecedentium, & conſequentium contextu; ut enim antiquitus ſtudioſe obſervatam arcani diſciplinam, quam non initiatis ſacra occultabantur myſteria, evinceret, plura ex Sanctis Patribus teſtimonia congerens Author Liturgicus inter illa præcipue Athanaſii, & Palladii, laudatum Theophanis locum innectens affert, quem ejuſdem roboris eſſe, ac iis conſonum pronunciat his verbis: „Eo„ dem argumento Theophanes &c. Conſtantinum Magnum Romæ a Silveſtro, non autem Nicomediæ ab Euſebio baptizatum fuiſſe evincit, annon hæc confirmantis & approbantis verba ſunt? etenim quomodo evincit, ſi idem Purpuratus Scriptor contrariæ fuit, ut putant, ſententiæ? diciſſet potius *probare nititur*, aut quid ſimile, ſi hiſtorice tantum, & non aſſertive Theophanis verba recitaret; verbum enim *evincit*, ſatis ſuperque per ſe exprimit, quod dicitur, tamquam certum, & indubium enunciari, neque enim alicui in mentem venire poteſt eximium hunc virum de Theophane aſſerere, quod Conſtantini Romanum baptiſmum evincat, ipſeque adhuc contrarium teneat: Ex aliis enim ipſius Cardinalis in ſuo opere Liturgico locis ejuſdem manifeſte declaratur ſententia, unum, aut alterum ſeligo. lib. 1. cap. 20. §. 3. ubi de Templis a Conſtantino extructis, „ Euſebius, inquit, deſcri„ bens lætum, & tranquillum ſtatum Eccle„ ſiæ, poſtquam Conſtantinus Chriſtianæ re„ ligioni adſcripſerat fuit, emicaſſe ait, &c. Deinde §. ſeq. eumdem Conſtantinum vocat piiſſimum Principem; quomodo ergo Chriſtianæ religioni adſcriptum, quomodo piiſſimum, ſi non vere, & quidem Romæ baptizatum credereet Purpuratus noſter? Non enim ignorare potuit doctiſſimus Princeps quempiam Catechumenum, etſi competentem, aut electum ante baptiſmum ſuſceptum Chriſtianæ religioni adſcribendum quidem, nequaquam vero adſcriptum dici poſſe; piiſſimum item improprie nuncupari, qui veræ pietatis initium, ac fontem, ut diximus, baptiſmi ſcilicet Sacramentum, nondum ſuſcepit. Hinc quia Conſtantinum in Concilio Nicæno inter Epiſcopos ſedentem vere baptizatum credebat Marcianus Imperator, illius exemplo ſedens in Concilio Chalcedonenſi hujuſmodi; *religioſiſſimi ſcilicet Principis* titulo ipſum decoravit, Patres alloquens act. 4. quo certe eumdem non vocaſſet nomine, & coram plenaria atque Oecumenica Synodo, niſi ita revera fuiſſet.

Aſſeruntur ejuſdem Card. loca, quibus Romanum Conſtantini baptiſmum adfirmat.

Sed & diluenda ſupereſt objectio altera, quam nobis profert laudatus clariſſimus ſcriptor Daniel Papebrochius loco ſuperius indicato. „ Additum, inquit, dumtaxat iſtis de„ ductis velim judicium Emin. Card. Bona „ de toto hoc argumento (Romano ſcilicet „ Conſtantini baptiſmate) ſicut ipſum accepi „ ab eruditiſſimo viro Claudio Caſtellano Ca„ nonico Pariſienſi ſuperiori anno iſtis jam„ impreſſis mihi ſcribente: ſi D. Cardinalis „ Bona viviſſet, jam forte haberemus Bre„ viarium Romanum in multis reformatum: „ hoc enim maxime cordi habebat, & ali„ quando mecum deambulans per horum„ Monaſterii S. Bernardi ad Thermas dixit: „ inſupportabiles ſibi eſſe lectiones pro feſto „ S. Silveſtri: cumque reponerem, ſi Con„ ſtantinus Romæ baptizatus non eſt, cur ap„ pellatur communiter Baptiſterium Conſtan„ tini? reſpondit, quia ipſum conſtrui fecit, „ quemadmodum ob eamdem cauſam Baſili„ ca Lateranenſis Conſtantiniana dicitur: hæc ille de noſtro Cardinali Bona, qui & paulo poſt in ſui ſententiam allegat Melchiorem Canum lib. XI. loc. Theol. cap. 5. circa finem, ubi ait, *lepra Conſtantinum laboraſſe apud idoneos authores nuſquam legi*: & paucis interjectis de Cardinali Cajetano ſuo, qui hoc ipſum negat: *habes hic*, inquit, *ſcriptores omnes veteres ejus ætatis, qui tacuerunt, non omiſſuri, ſi ſciviſſent, ſciturі omnino rem, ſi fuiſſet*.

Objectio ex Claudii Caſtellani Pariſienſis Canonici Epiſtola quadam ad Papebrochium ſcripta diſſatur.

At his ex Melchiore Cano in ſuæ ſententiæ confirmationem deductis non admodum ejuſdem Doctoris ſenſum intellexit Papebrochius; ille etenim non multo poſt de eadem Conſtantini lepra loquens, ait: *Ego hæc non pro certis affirmare auſim, nec pro falſis refellere. Silveſtri acta in quibus ea res geſta commemoratur, Gelaſius non reprobat*: quare in affirmativam potius, quam in negantem propendere dignoſcitur, quod & expreſſe ex ejus ſequentibus verbis, quæ jam ſupra attulimus, comprobatur, tum etiam ex iis, quæ ſubdit, Nicephoro Calliſto ſubſcribens his verbis: *Quod autem Romæ a Silveſtro ſacratus ſit, ſatis oſtendit Baptiſterium, quod ad hoc uſque tempus ejus rei gratia in teſtimonium certiſſimum Romæ aſſervatur. Quæ duo profecto rationes* (hæc ſcilicet, & alia quam ſupra memoravimus) *efficiunt, ut non temere iis accedam, qui Conſtantinum Romæ ſacro tinctum lavacro ferunt. Quod ſi Baptiſterium tam inſigni ſtructum apparatu, ſi rerum veterum publica commemoratio non ſolum habitantium animis, ſed lapidibus etiam inſculpta nullum nobis argumentum eſt, jam jamque non dico quæ vetuſtatis in urbe monumenta ſunt, ſed quæ ſunt in Orbe imperium traditione recepta, tive ea omnia inficias poterimus, quamvis indicia extent verum, locorum, temporum manifeſta*. Denique cap. 6. loquens de Euſebio, quem ibi fuſe Arianum fuiſſe oſtendit, Ariique fautorem, de qua ipſius Hiſtoria ſubdens: *Merito ergo*, inquit, *Gelaſius Pontifex Hiſtoriæ Euſebii Cæſarienſis authoritatem adhibet. Quid? annon etiam abſurdum eſt, ut qui infidelis Eccleſiæ fuerit, ei fidem Eccleſiæ in rebus Eccleſaſticis habeat?* deinde nonnullis interjectis: *Hinc enim*, ait, *quemadmodum ſupra diximus Conſtantinum ſinxiſſe Euſebius ab Euſebio Nicomedienſi baptizatum, quo Arianorum ſaltioni majorem & fidem, & authoritatem adjungeret; hinc etiam &c.* Ita Melchior Canus cenſorum omnium eximius, & magiſter, uti hoc ipſum nomine plerique cohonestant, male a Papebrochio perceptus, cujus etiam teſtimonio refelluntur ea, quæ adverſus antiquiſſimam Conſtantiniani Baptiſterii traditionem, & memoriam comminiſcuntur ii, qui ad priſcorum monumentorum fidem attendere non dignantur.

Melchior Canus non admodum a Papebrochio intellectus.

Canonici Pariſienſis Epiſtola valde ſuſpecta.

Ad relationem vero, quod attinet, Clar. Claudii Caſtellani Pariſienſis Canonici, nil mo-

moror, quin eam Papebrochii pace ſuſpectam habeam; vel enim hæc accidit, antequam Cardinalis Bona ſua Liturgica ederet Romæ primum an. 1671. eoque caſu non officit, cum poſteriora derogent prioribus, atque idem Emin., quod forſaſſe excitandæ eruditionis gratia privatim dixit, ſi ita eſt, publice in dicto ſuo Opere retractaverit, Romanum, non Nicomedienſem Conſtantini Baptiſmum a Theophane evictum aſſerens: vel hæc poſtea evenit; at in ſecunda Pariſienſi editione, pro qua exactius cudenda ipſe Emin. nonnullas additiones, correctiones, & notas eidem adjiciendas Ludovico Billaine Typographo tranſmiſit curavit, quin & aliquot iterum additamenta pro tertia impreſſione, ut auctior foret, ſe in promptu habere teſtatur ſuis locis ponenda; *& in meliorem formam ſecundis curis, quæ ſapientiores ſunt, redigenda*, ut inquit in Epiſtola ad Joannem Neercaſſel Epiſcopum Caſtorienſem Vicarium Apoſtolicum in Hollandia Romæ data 23. Aprilis 1672. Atque hæc ſunt, quæ poſt ejus obitum anno 1674. in altera Pariſienſi editione apud eumdem Billaine an. 1678. prodiere ex autographo Codice cum notis præfatis manu propria ejuſdem Emin. ſcriptis in margine, qui in Bibliotheca noſtra S. Bernardi ad Thermas aſſervatur, deprompta; neque in his poſterioribus, neque in antea impreſſis ulla ad hunc Theophanis locum mutatio, aut correctio apparet; quare ſi revera de Conſtantini baptiſmo ea ex corde ſenſiſſet Cucullatus noſter Emin., quæ illum diviſſe refert Caſtellanus, proculdubio hanc ſuam ſententiam nota aliqua dictis emendationibus adjuncta ingenuus caſtigaſſet.

Eadem ex alia dicti Canonici Epiſtola ad Carolinalem ſcripta reprobatur.

Præterea hujuſmodi narrationem merum putum ſigmentum eſſe ex ipſius Pariſienſis Canonici Epiſtola ad Cardinalem data Pariſiis pridie Nonas Februarii 1672. abunde comprobatur, ubi Liturgicum dicti Emin. Opus ſummis laudibus extollens, & ab eruditis illius urbis eximie commendatum aſſerens, hæc in fine ſubdit: *Non gravabitur forſitan Eminentia tua, ſi ipſam monere audeam nonnullos, qui Romano Breviario hic utuntur, conqueri de lectionibus S. Raymundi &c.* quidni etiam monuiſſet de lectionibus S. Silveſtri? Quidni pariter ſermonem habitum de Conſtantini baptiſmo, dum quondam ſecum deambularet per hortum Monaſterii S. Bernardi ad Thermas, in memoriam revocaſſet? Id profecto ex præmiſſis hujuſmodi deductum quiſquam nonniſi imprudens negabit. Ab eo tempore an Romam expoſt Caſtellanus advenerit, ignoro, hoc unum ſcio, & Cardinalem labenti anno 1674. diem ſuum obiiſſe, notaſque ejus poſthumas, in quibus nulla de Romano Conſtantini baptiſmo emendatio apparet, poſt dictum annum, ſcilicet an. 1678., ut mox obſervatum, evulgatas fuiſſe.

Quidquid autem ſit de præfata Caſtellani relatione ad Papebrochium undecim a Cardinalis obitu annis ſcripta, quæ ſic pene dormientem, & vix memorem teſtem redolet; hæc illi profecto non abſimilis eſt, quam Author vitæ ejuſdem Card. Bona editæ Aſtæ in Pedemontio an. 1677. Lucas Bertolottus deſcribit pag. 160. ubi de mota azymi, & fermentati quæſtione apud eruditos hinc inde diſcuſſa, ac varie apud ipſos excepta, de qua & nos ſuo loco, agens, *hæc interim*, inquit, *Joannem retraſtaſſe, quemplam minoris judicii virum, quam ingenii, gloriari ſcio, ſed id, quam falſo is ſua lingua quamque typis petulanter evulgaverit, poſthumo ex ejuſdem Joannis Opere prælo brevi excudendo, cui ille mentitur, clarius veritate apparebit.* Hæc ille. Opus autem, de quo loquitur hoc ipſum Liturgicum eſt, quod anno ſequenti 1678. ut diximus, Pariſiis ſecundo edidit Ludov. Billaine, ubi pleriſque licet additis, & correctis, quemadmodum ab ipſo Cardinali adhuc viveente acceperat, nihil mutatum quoad Romanum Conſtantini baptiſmum ex Theophane aſſertum invenitur, ex quo etiam quam ſuſpecta ſit hæc hiſtoriola, liquido conſtat.

Atque ex ipſo Emin. Auctore, qui in ſecunda ſui operis editione nihil hoc de argumento emendavit.

His undequaque perpenſis judicet vel ipſe Daniel Papebrochius, cui hac in parte credendum, an extero, alias licet viro graviſſimo, poſt plures tamen annos ſcribenti, vel eidem Cardinali de ſe ipſo, ſuaque ſententia proprio Opere, & ſcripto poſthumis teſtimonium perhibenti. Profecto doctiſſimus Hagiographus, & Criticus ſapientiſſimus pleriſque in locis immenſi operis de Vitis, & Actis Sanctorum a ſe collectis, non admodum, ut eruditis notum eſt, extraneis teſtibus fidit, ubi certiora illi ſuppeterunt, habita ex propriis eorumdem Sanctorum ſcriptis documenta. Ita pariter nos habemus Cardinalem, ut vidimus, de ſe ipſo teſtimonium perhibentem quoad Romanum Conſtantini baptiſmum, nec deulla in contrarium ipſius retractatione quidquam apparet, ut quid ergo exteris teſtibus eam oggerentibus innitimur? Quare conſultius Papebrochio fuiſſet a dicta Caſtellani ſic infubſiſtenti relatione abſtinere, quam eam abſque ullo ipſius Cardinalis Bonæ teſtimonio prolatam adferre. Præterea ipſa verba, ut exponuntur a Purpurato noſtro enunciata, ſatis ex ſe produnt ſubleſtæ fidei ſuſpicionem; quis enim, cui notæ ſint Cardinalis Bonæ prudentia, ac morum probitas, de quibus etiam virtutibus, præter ſcientiam ſingularem, apud omnes, præſertim Eruditos optime audit, ſibi facile perſuadeat magnum hunc Eccleſiæ Principem poſt pluries recognitum, & emendatum Breviarium Romanum quatuor Summorum Pontificum juſſu, S. Pii V. Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII. qui veteres S. Silveſtri Papæ lectiones in eodem Breviario intactas reliquere, ipſum e contra *inſupportabiles ſibi eſſe* dictas lectiones ita imprudenter aſſeruiſſe, cum alias id vetuerit religioſiſſimi viri modeſtia, & circumſpectio in ſermone, dum viveret, omnibus nota. Credat id ex Canonico Pariſienſi ſuo Clar. Papebrochius, his victus momentis alius fortaſſe non credet.

Cardinalis de ipſo teſtimonium perhibentis auctoritas cuicumque prævalet exceptioni.

Denique hucuſque dictis omnibus parum, aut nihil etiam inſpectis, ac ſtante licet, ut ex abundanti relinquimus, in ſui veritate, ſi qua eſſe poteſt, hac qualicumque narratiuncula, eidem pro finali reſponſione reponimus, quæ olim ipſe Emin. noſter cuidam religioſo Duacenſi Carmelitæ nobili item viro, qui

qui nonnulla ſibi ab eodem Cardinali nimis conſidenter, & inconſiderate ſcripta, quæ ſub ſecreto teneri debuerant, typis evulgaverat, dolens admodum his verbis reſpondit ſub dat. die 25. Auguſti 1674. *Quod tibi ſoli confidentiſſime dictum putabam, ubique divulgatum eſſe video, & miror, & doleo vehementius, quam verbis explicare queam ..... Jam tollendum erit ab humano genere commercium litterarum, ſi fides publica violatur, & ſi aliquando quidpiam plura dicendi excidit inadvertenter, cum ſumma* Ejuſdemque ſcribentis injuria publicatur. *Hanc vicem a viro nobili, & veligioſo pro præſtito beneficio non expectabam, quod quamvis exiguum fuerit, obligabat ad ſervandam fidem. Ego doctrinam tuam nec approbavi, nec approbo &c.* Eadem profecto dicto Pariſienſi Canonico, vel his ſimilia ſcripſiſſet Cardinalis noſter, ſi ſupervixiſſet, ac legiſſet, quæ de ſe ipſo ex illius, etſi nobilis viri, teſtimonio refert laudatus Papebrochius. Satis itaque, ac ſatura lance dicta ſunto ad oſtendendum, tuendumque Romanum Conſtantini Imperatoris baptiſmum, & ad vindicandum ab omni contrariæ ſententiæ ſuſpicione Liturgicum S. R. E. Principem, dum nos iterum ad ſe vocant illuſtrandi priſci Catechumenorum ritus.

(4) *Catechumenis non detur niſi ſolitum ſal*) Et rationem reddit: *Quia ſi fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.* Hunc ritum ſalis Catechumenis dati ſolius Eccleſiæ Latinæ, ſeu Occidentalis fuiſſe, non vero Græcæ, & Orientalis, indicant tum veterum Græcorum Patrum altum de eodem ſilentium, tum Michaelis Cerularii adverſus Latinos calumnia XIII. qua ait: *Latini ſale eorum, qui baptizantur, ora implent*: Et licuit illius meminiſſe videatur Origenes Homilia ſexta ſuper Ezechielem, uti adnotavit Joſeph Vicecomes de Ritibus Baptiſmi lib. 2. cap. 42. illam tamen Homiliam hominis Latini, non Origenis eſſe, affirmat Chriſtianus Lupus Schol. in Can. parte 3. pag. 873. Eumdem autem Ritum antiquiſſimum demonſtrant adducta S. Auguſtini, & Synodi tertiæ Carthaginenſis teſtimonia, quibus tunc vulgatam, & veruſtam hujuſmodi conſuetudinem fuiſſe comprobatur. Neque in contrarium obſtat Tertulliani, ut infra dicetur, de eo ſilentium, quia lactis, & mellis uſum in Eccleſia memorat, non vero ſalis Catechumenis traditi; etenim non omnium. Eccleſiæ Rituum illic idem catalogum texuit, ſed ad oſtendendum quod plura ſint nobis ex traditione ſine ullo ſcripto delata, adducit quoſdam tantum, profeſſus ſe a baptiſmo prima Chriſtianitatis janua exordium ducere; hinc lac, & mel prima Neophytorum Sacramenta refert. Porro Catechumenorum ſal, uti antiquum laudant Iſidorus Hiſpalenſis, Ordo Romanus, Amalarius, Fortunatus, Vvalafridus Strabo, Alcuinus, aliique veteres Latinorum Rituum Expoſitores, neque ullus umquam Græcorum Scriptor ante Michaelem Cerularium illum arguit. Sua igitur ſtat antiquitate ſanctiſſima hæc, ſacriſque ſignificationibus nixa Cæremonia, quidquid adverſus eam blaterent Græcæ fidei Schiſmatici Sectatores.

Ritus Salis Catechumenis dati Eccleſiæ tantum Latinæ, non Græcæ uſitatus.

(5) *Capitul. lib. 7. cap. 190.*) Lege 263. vide etiam Addit. IV. cap. 63. & 76. Ferrandum cap. 226. Burchardum lib. 4. cap. 1. Ivonem parte 1. cap. 212. De hoc argumento ſuſe agunt Gabr. Albaſpinæus Obſerv. lib. 2. cap. 35. & ſeqq. item Joan. Morinus Oper. poſthum. de Catechumenorum expiatione cap. 9. Ex veteris igitur Eccleſiæ conſuetudine Catechumenis adultis in die Paſchatis Euchariſtiæ loco ſal dabatur confecratum, ad ſignificandum eos nondum capaces eſſe Euchariſtiæ, fed adhuc debere in ſapientia proficere. Hinc Ven. Beda in Eſdram lib. 2. cap. 9. Catechumenos initiari fale ſapientiæ diſcere, profiteri, & ante ipſum Hieronymus Epiſt. ad Ruſticum Narbon. *Sal propterea Catechumenis datur in myſterio, ut nos eſſe ſal terræ, ideſt Dei ſapientiam, noſcamus*: Sicque pedetentim nos ad percipiendam in baptiſmo divinam ſapientiam formari admoneamur, atque adjuvemur. Hæc enim per Eccleſiam benedicta elementa nequaquam myſterio vacua ſunt. Plura de hoc Ritu Iſidorus lib. 2. de Eccl. Offic. cap. 20. Alcuinus item de Div. Offic. Sabbati Sancti, Rhabanus Maurus de Inſtit. Cler. cap. 27. Petrus Damiani Epiſt. 15. aliique.

Idem ſal Catechumenis miniſtratum, in die Paſchatis Euchariſtiæ loco.

(6) *Mel, & lac ex ejus ore ſuſcepi*) Rurſum Hieronymus in Iſaiam cap. 55. illa Propheræ verba: *Emite abſque ulla commutatione vinum, & lac*, exponens, ſic tradit: *Mos, ac typus in Occidentis Eccleſiis hodie uſque ſervatur, ut renatis in Chriſto vinum, & lac tribuatur*: Quod quædam etiam Belgarum Eccleſiæ ſuis olim Neophytis præter lac, & mel propinarint, & dulce vinum, ſcribit in ſua Panoplia Guill. Lindanus Epiſc. Ruremondenſis. Uſitatius vero lac, & mel recens baptizatis dabatur, ſiquidem in Africano Codice hunc Canonem 40. legimus. *Primitiæ ſive lac, ſive mel* (de vino nihil) *offerantur die conſuetudinis* (ſcilicet Paſchali, in quo ſolemniter conferebatur baptiſmus) *ad infantium myſterium*: Hæc etiam innuit S. Petrus Apoſtolus in ſua Epiſt. *ſicut modo geniti infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcite*: Quare hunc ritum a primis uſque ſeculis obſervatum ex Apoſtolica traditione fluxiſſe Latina pie credit Eccleſia, quem in Eccleſia Romana adhuc ſeculo nono viguiſſe credibile apparet, ſi vera eſt Epiſtola Joannis Diaconi ad Senarium de ritibus Baptiſmi a Mabillonio vulgata in Muſeo Italico Tom. I. parte 2. pag. 96. ubi hic ritus obſervatus traditur.

Neophytis in Eccleſia Occidentali traditum vinum & lac, uſitatius tamen lac, & mel.

An autem hujuſmodi lactis, & mellis ſacra ſymbola etiam in Catechumenatu præberentur, diſputant Joſeph Vicecomes de Ritibus Baptiſmi, & Gabriel Albaſpinæus Sacr. Obſerv. lib. 2. cap. 36. Verum cum 5. Can. Synodi Carthaginenſis tertiæ non aliud dari Catechumenis præſcribat, niſi ſolitum ſal, ut jam dictum eſt, & lactis, ac mellis Sacramentum ſolis Neophytis datum ſtatim ad fontis egreſſum ſcribant Tertullianus, & Hieronymus, ita & non aliter fuiſſe exiſtimandum eſt. Præterea cum teneri infuntes olim lacte, & melle nutrirentur, uti & ex Callimachi hymno in Jovem patet; hinc quoniam baptiſmus quaſi altera nativitas eſt, baptizatis poſt

An autem idem in Catechumenatu iis datum diſputant Eruditi.

poſt lavacrum, & in Chriſto regeneratis veluti tenellis infantibus mel cum lacte degustandum porrectum fuit, non vero Catechumenis nondum Deo ſacro fonte renatis tributum fuiſſe credendum erit.

§. IV.

Quot fuerint Catechumenorum Claſſes.

POrro Catechumenos in varias olim claſſes diſtinctos reperio. Nam primo infideles declarabant ſe Chriſti fidem amplecti velle: tum privatim in aliqua domo (1) Paganiſmi falſitatem edocebantur: poſt hæc in Eccleſia admittebantur ad conciones audiendas: deinde in eadem Eccleſia precum, & orationum participes effecti poterant in genua procumbere: demum datis nominibus in albo eorum ſcribebantur, qui mox ſacro fonte abluendi erant. (1)

Quatuor Catechumenorum claſſes. Singularum Claſſium ordo & nomina Can. 7. Concilii primi Conſtantinopolitani ſic exprimuntur. *Primo die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deinde tertio exorcizamus ſive adjuramus ipſos, ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando; & ſic eos catechizamus ſive initiamus, & curamus, ut longo tempore verſentur in Eccleſia, & audiant Scripturas, & tunc eos baptizamus.* Idem ordo indicatur Can. 95. Concilii Trullani. Alii aliis nominibus utuntur: ſed in Latina Eccleſia omnes claſſes ad quatuor redactæ ſunt, quæ in ſermonibus & tractatibus Latinorum Patrum paſſim occurrunt. Quidam enim ab infidelitate ad fidem converti deſiderantes audiebant in Eccleſia verbum Dei, ſed nondum petebant baptiſmum, & ii dicebantur *Audientes*. (2) Alii audito ſermone procumbebant in genua, & orationum (2) Eccleſiæ aliquo modo participes erant, & vocabantur *Subſtrati*, ſive *Genua flectentes*. Alii in fide recte inſtituti baptiſmum petebant, & dicti ſunt *Competentes*. Qui vero ex iſtis in albo baptizandorum deſcripti erant, *Electi* nuncupari ſolebant. (3) Auguſtinus *ſerm. 116. de tempore* Competentium (3) nomen ex eo deducit, quod gratiam baptiſmi ſimul peterent. *Primum*, inquit, *Competentes iſti, quare hoc nomine vocentur, agnoſcat. Competentes dicuntur ſimul petentes*, (4) *quo modo confidentes nihil aliud eſt niſi ſimul ſedentes, & colloquentes nihil aliud eſt niſi ſimul loquentes, concurrentes ſine dubio non intelliguntur, niſi ſimul currentes: ita & competentes non poſſunt aliud intelligi, niſi ſimul petentes.* Idem ſentit Iſidorus lib. 2. de Eccl. off. cap. 21. *Competentes ſunt, qui jam poſt doctrinam fidei, poſt continentiam vitæ, ad gratiam Chriſti percipiendam feſtinant: ideoque appellantur competentes, id eſt, gratiam Chriſti petentes, nam Catechumeni tantum audiunt, nec dum petunt.* Hæ duæ claſſes Catechumenorum, & Competentium frequentius a Sanctis Patribus commemorantur: quia nomine Catechumeni Audientes, & Subſtratos intelligunt, & Electos a Competentibus ut plurimum non diſtinguunt. (5) In Codice M. S. Reginæ Suecorum *num.* 914. extat antiquiſ- (5) ſima collectio Canonum, & poſt ea ſermo ad Conjugatos ſine nomine Auctoris, in quo omnes compellans qui adeſſe concioni ſolebant Fideles, & pœnitentes ſine claſſium diſtinctione, Catechumenos autem, & Competentes diſtincte nominat. *Audite*, inquit, *Cariſſimi membra Chriſti, & matris Catholicæ filii. Quod dico Competentibus, audiant Fideles: quod dico Fidelibus audiant Competentes, quod dico Competentibus & Fidelibus, audiant pœnitentes: quod dico Fidelibus, & Competentibus, & pœnitentibus, audiant Catechumeni. Audiant omnes, omnes timeant, nemo contemnat.*

Scilicet Audientes, Subſtratorum, Competentes, & Electorum.

(1) *Privatim in aliqua domo*) Ita ex Euſebio Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 19. obſervat Valeſius (ut jam diximus ſupra §. 1. nota 4.) Hinc, inquit, colligitur Origenem, qui Catechetes fuerat Alexandriæ in privato auditorio, non autem in Eccleſia, Catechumenos inſtituiſſe, neque enim Alexandro Epiſcopo Hieroſolymitano, & Theoctiſto Cæſarienſi, qui

qui Origeni publice in Eccleſia concionandi facultatem impertierant, cum tamen nondum eſſet Presbyter, id objeciſſet Demetrius Alexandriæ Epiſcopus, ſi idem ibi ab Origene factum fuiſſet. Quod & confirmat Halſier de Hierach. Eccl. lib. 1. cap. 7. pag. 66.

Prima Claſſis Audientium; qui ſi

(2) *Et ii dicebantur Audientes.*) Sic antiquiſſimi inter Latinos Patres Catechumenos appellabant. Hoc nomine eoſdem Tertullianus vocat, lib. de Pœnitentia cap. 6., ut ſupra §. 1. dictum eſt, & ſemel *Auditores*, atque iterum cap. 7. Ita etiam S. Cyprianus Epiſt. 13. & 24. Edit. Pamel. Ex quibus apparet iis ſeculis Audientium nomine a Latinis Catechumenos vocari ſolitos. Non erat tamen illis ipſis inuſitata Catechumeni appellatio, ita ſiquidem eos vocat S. Cyprianus præfatus ibidem Epiſt. 13., atque ante ipſum Tertullianus lib. de corona militis cap. 2., & 41. libri de præſcript. Ex quibus item manifeſte colligitur olim a Latinis Patribus promiſcue dictos Audientes & Catechumenos. Sancti Auguſtini ævo nondum erat obſoleta Audientium pro Catechumenis uſurpatio, etenim ſerm. 46. de verbis Domini Catechumenos ſæpe Audientes appellat. Hinc ea ex ratione Iſidorus, aliique poſteriores idem crediderunt ſignificare ex etymo ſuo Catechumenum, & Audientem; Attamen cæteris medii ævi ſcriptoribus Latinis, & Græcis potiſſimum tam antiquis, quam recentioribus Audientes a Catechumenis longe diverſos fuiſſe comperitur; Audientes quippe pœnitentium genus erant, & auditio Pœnitentiæ ſtatio, de qua infra Emin. cap. ſequenti §. 4. ad quam ablegabantur graviſſimorum peccatorum rei, ſic dicta, quod qui ibi ſtarent, ſola Scripturarum, & Sermonum auditione fruerentur, nulla oratione, aut alio ſacro ritu imbuti. Catechumeni vero Audientes etiam nuncupati, de quibus Tertullianus cit. lib. de Pœnit. cap. 6. erant tyrones, & novitioli, ita ibi hoc nomine ab ipſo ſignati, qui Chriſtianæ legis prima elementa docebantur, uti notat Albaſpinæus ad dictum locum.

Olim a Latinis Patribus Audientes, & Catechumeni promiſcue dicti.

Eædem quatuor Catechumenorum Claſſes contra Baſnagium vindicatur.

(3) *Electi nuncupari ſolebant*) Ad hunc locum Samuel Baſnagius Calvinianus ſcriptor in ſuis Annalibus Politico-Eccl. Tom. II. Diſſert. XII. de Catechumenis, eorumque Baptiſmo pag. 564. poſt relatum Emin. Authoris textum, quo quatuor Catechumenorum claſſes deſcribit, ſic ipſum poſtea redarguens, fugillat, quaſi in *lubrico & inſtabili diſtinctionis ſuæ fundamenta collocavit, & Competentium nomina Eccleſiæ albo non inſcriberentur, aut Competentes orationes Eccleſiæ non participarent*, & pro ſuæ cenſuræ probatione hæc ſubdit „ Liturgicorum ſane ſcriptorum nullus eſt, qui harum„ ce quatuor Claſſium meminerit; Ad unam „ igitur eamdemque Claſſem pertinent electi, genua flectentes, quos Neocæſarien„ ſis Synodus can. 5. indicaſſe videtur: *ſi in „ Domini cum ingrediens in Catechumenorum or„ dine ſteterit &c.* Competentium orationes „ omnium prius in Eccleſia fundebantur, „ quam dimitterentur, qua de re inſignis eſt „ Laodicenorum Conſtitutio can. 19. *oportere ſeorſim primum poſt Epiſcoporum ſermones „ Catechumenorum orationem peragi &c.* ſed & „ Electi titulus Competenti imponebatur, „ quia ſuſcipiendi baptiſmi candidatum agebat „ Erat ergo non diverſæ, ſed ejuſdem rei nomen, ut monent verba Leonis Papæ Ep. „ 4. cap. 6. *In baptizandis electis, qui ſecundum Apoſtolicam regulam & exorciſmis ſcrutandi, & jejuniis ſanctificandi, & frequentibus ſunt præcidicationibus imbuendi*: Competentes quoque reperimus in electis, quorum in Ordine Romano pag. 34. mentio „ eſt: *Scrutinii dilectiſſimi fratres, quo electi „ noſtri divinitus inſtruantur &c. imminere co„ gnoſcatis* „. Hæc heterodoxus Annaliſta, cui nimium non immorandum foret in refponſione, utpote in re ſacræ antiquitatis ſtudioſis notiſſima, pro qua mille poſſem producere teſtes hujuſmodi ſententiæ a Purpurato noſtro prolatæ vindices, at ne fugere quæſtionem videar, paucula, quæ ſequuntur, adverſus ipſum reponam.

Veterum de Liturgicis vobis Scriptorum ſilentium non obſtat, cum ii ſcripſerint quando nulli amplius erant infideles.

Et primo, quod nullus Liturgicorum Authorum quatuor harumce Claſſium meminerit, mirum non eſt, qui enim de divinis officiis, & Eccleſiæ ritibus ſcripſere, Alcuinus, Strabo, Micrologus, Amalarius, item Ordo Romanus, ac veteres Miſſarum libri, cum ſeptimo, vel octavo Chriſti ſeculo lucem viderint, quo tempore jam nulli erant infideles, ac proinde nulli Catechumeni, & publici pœnitentes, qui a Synaxi arcerentur, & peracta concione dimitterentur (ut infra dicetur §. 6.) mirum, inquam, non eſt, ſi Catechumenorum, eorumque Claſſium, præcipue dimiſſionis mentio nulla, nullumque hujuſmodi veſtigium extet apud dictos veteres Officiorum Expoſitores, cum de iis tantum, quæ tunc in Eccleſia peragebantur, cæremoniis ſermonem fecerint. Temere igitur, ac falſo ex ipſorum ſilentio Baſnagius ad unam, eandemque Catechumenorum Claſſem pertinere aſſerit Electos, genua flectentes, & Competentes, quorum diſciplinam, & diſtinctionem jam eorum ævo obſoletam fuiſſe perhibetur; Hæc propterea altius, & ab antiquioribus Conciliorum, ac Patrum monumentis, quæ ante id tempus extiterunt, petenda eſt. At primum Emin. Author non negat, immo expreſſe fatetur duas Catechumenorum, & competentium Claſſes frequentius a Sanctis Patribus commemorari, quatuor tamen eorum ordines extitiſſe, atque item ſex in Eccleſia Orientali Chriſtianus Lupus ad can. 14. Concilii Nicæni oſtendit, & quidem ex dicto Canone, quo de *Catechumenis lapſis* ſtatuit Concilium, *ut tribus annis ſint inter Audientes tantummodo, poſt hæc autem cum Catechumenis orent*: inquit ille in Scholio ſuo „ Vox *Catechumenus* quan„ doque genus, quandoque ſpeciem ſignifi„ cat. Fuere ſex Catechumenorum Claſſes diſtinctæ ex diverſa rituum paratura, Chriſtiani, Audientes, Catechumeni, Initiati, „ Competentes, Electi. Quatuor primas habes partim in ſeptimo Conſtantinopolitano, partim in 95. Canone Trullano (quos „ etiam memorat Emin. Author) Compe„ tentes, & Electos paſſim reperis in San„ ctorum Patrum ſermonibus„. Hæc ille, qui & in idem plura ſubdit, ac ſingulos hos gradus dubitat in Latina etiam Eccleſia extiſſe

tiſſe, quorum quatuor tantum, uti Emin. noſter admittit, huicque ſententiæ plerique noſtratum Theologorum ſubſcribunt, quos recenſere ſupervacaneum eſt.

Has porro quatuor Catechumenorum ſtationes, ſeu diviſiones a Cardinali noſtro aſſertas faciles contra Baſnagium demonſtramus.

Ex variis Conciliorum, ac Patrum locis dictæ quatuor Catechumenorum Claſſes comprobantur.

Et quidem *Audientes* habes tum ex dicto Canone XIV. Concilii Nicæni, tum ex Synodo Neocæſarienſi, quæ Nicænam præceſſit, can. 5. *de Catechumenis peccantibus*, ubi ſic legitur: *Catechumenus, ideſt Audiens, qui ingreditur in Eccleſiam, & ſtat cum Catechumenis, ſi peccare fuerit viſus, ſigens genua audiat verbum, ut ſe abſtineat ab illo peccato, quod fecit; quod ſi in eo perduxat, abjici omnino debere*: vides hic iterum *Audientes*, ſeu Catechumenos, qui lapſi non ſunt, & Catechumenos lapſos, quos ita vocat Nicæna Synodus, peccantes vero, ſeu *genua flectentes* Neocæſarienſis; hos lapſos utique a non peccantibus diſtinguendos, iſti enim biennio, illi triennio morabantur inter audientes, ut infra §. ſeq. dicetur; Præterea *Genuflectentes* Nicænus Canon vult, ut poſt tres annos inter *Audientes* commorati cum Catechumenis orent, idque ab alio, & alio circa illos ritu, ut ait Lupus præfatus, facto enim poſt Evangelium Epiſcopi ſermone ſtatim ejiciebantur *Audientes*, reſtabant vero *Genuflectentes*, varieque pro ipſis, & ſupra ipſos orabatur, ut item infra Emin. Author capite ſequenti, ubi de ſubſtratis §. 4. *Competentes* autem, & *Electos* inter ſe diſtinctos, & diverſos eorum gradus fuiſſe ſatis ſuperque clamat adverſus Baſnagium, Decretum Concilii Carthaginenſis IV. can. 8. *Baptizandi nomen ſuum dent &c.* non poterant dici baptizandi, nec vocari ad danda nomina, niſi fuiſſent ex Competentibus electi.

Item Gregorius Nyſſenus in ſua Allocutione ad Competentes Electos Tom. II. p. 124. *Date mihi*, inquit, *nomina, ut ea imprimam libris ſenſibilibus, & ſcriban atramento*: ſic alloquitur non promiſcue Competentes, ſed ex ipſis ſolum electos, ubi clare vides hos ab illis diſtingui. Clarius id exprimit Siricius Papa Epiſt. ad Himerium Epiſc. Tarracon. cap. 2. *Generalia baptiſmatis . tradi convenit Sacramenta his dumtaxat electis, qui poſt 40. dies nomen dederint*: Notanda ſunt ea verba *dumtaxat Electis*, qui utique ex Competentibus ſegregati erant. Electi etiam hujuſmodi ſic vocati, quia ad baptiſmum deſignati, tum antequam nomen dederint, tum poſtea in Albo baptizandorum deſcripti, dicebantur adhuc Competentes, quia donec ſuſciperent baptiſmum, vere dicebantur illum petere, adeoque Electi ſimul erant ad diſtinctionem ſimpliciter Competentem, qui petebant quidem, ſed nondum electi, & ad baptiſmum admiſſi. Hinc Jeſſe Ambianenſis Epiſcopus, qui ſeculo octavo floruit, in ſua de antiquis baptiſmi ritibus Epiſtola, in Bibl. PP. Lugd. Tom. XIV. pag. 67. proxime baptizandos vocat electos. Vide item Joannem Morinum oper. poſth. de Catechum. expiat. ubi ad hanc rem plura reperies, quod eruditiſſimum opuſculum ad pleniorem iſtius antiquæ Catechumenorum diſciplinæ notitiam, hujus capitis illuſtrationem ac majus lectoris commodum, cui fortaſſe non ita facile idem obvium erit, dabimus in fine hujus Tomi. Atque hæc dicta ſint de quatuor Catechumenorum ordinibus ad Baſnagii duritiem infringendam, & vindicandum ab ejus dictériis Emin. ſcriptorem, qui & alia de iiſdem Catechumenis, ipſorumque veteri diſciplina nobis confideranda profert.

Competentes quare ſic dicti.

(4) *Non poſſunt aliud intelligi, niſi ſimul petentes*) Idem Auguſtinus in libro de Fide, & operibus cap. 6. *Cum ſontis illius Sacramenta peterentur, atque etiam ab hoc Competentes vocarentur*: S. Ambroſius Epiſt. 33. ad Marcellinam: *Poſt lectionem, & tractatum dimiſſis Catechumenis Symbolum aliquibus Competentibus tradebam*: & Synodus Agathenſis can. 13. *Symbolum placuit omnibus Eccleſiis una die, ideſt octo dies Dominicæ Reſurrectionis publice in Eccleſia Competentibus prædicari*, quod & tradunt Rhabanus Maurus de Inſtit. Cler. lib. 2. cap. 55. S. Iſidorus Hiſp. item lib. 2. cap. 17. de offic. Eccl. Hinc Alcuinus in ſimili opere agens de Dominica Palmarum, quo die Symbolum tradebatur, *de eadem*, inquit, *Paſcha petitum, ſeu Competentium dicitur, quia hodie Symbolum Competentibus tradebatur*: denique apud antiquos rerum Eccleſiæ ſcriptores, ubicumque quid legeris de traditione Symboli, Competentium memoriam paſſim additam videbis.

SS. Patres Electos a Competentibus ut plurimum diſtinguunt.

(5) *Electos a Competentibus ut plurimum non diſtinguunt*) Ita S. Auguſtinus præfatus ſerm. 216. alias de diverſis 8. Rhabanus lib. 1. de Inſtit. Cler. cap. 26. aliique. Cæterum Origenes lib. 3. contra Celſum circa med. Catechumenos in tres Claſſes diſtinguere videtur, ait enim ibi: *Chriſtiani quanta poſſunt diligentia experiuntur, & examinant animos eorum, qui ipſos audire cupiunt, & privatim dogmata ſua illis inculcant, ut cum ſufficienter eos audiviſſe, & in honeſtæ vitæ voluntate profeciſſe judicaverint, publicum poſtea cœtum ingredi permittant, tunc que demum in duos ordines ſeparatos introducant, unum vocens incipientium, & admiſſorum, qui nondum Symbolum, quo purificentur, acceperunt, alterum eorum, qui pro viriti demonſtraverunt voluntatem ſuam, ſeque nihil aliud velle, quam quæ Chriſtianis placent: apud quos nonnulli præpoſiti ſunt, qui vitam, moreſque accedentium inquirant*: his ab Origene indicatis Catechumenorum claſſibus, admiſſorum ſcilicet, five audientium, qui nondum Symbolum acceperunt, & eorum, qui idem acceperunt, five Competentium, ſi addas Catechumenos lapſos, ſeu pœnitentes, de quibus paulo ante dictum eſt, & Electos, qui ad baptiſmum datis nominibus admiſſi ſunt, de quibus nec meminit Origenes, qui de Catechumenis tantum quoad vitam, & mores examinandis agit, quatuor profecto eorum Claſſes ab Emin. noſtro deſcriptas habebis, novumque pro iiſdem argumentum.

Præditos quatuor Catechumenorum Claſſes per ſuos gradus diſcernuntur.

Et ſane ipſa ratio ſuadet, quod qui Chriſtiana profeſſione cenſeri vult, primum audiat verbum Dei, deinde ad baptiſmum admitti petat, poſtea admittatur ſufficienter inſtructus, nondum autem plene imburtus, aut fortaſſe lapſus expectet, donec plenius eruditur, aut pœnitentiam egerit. Quos omnes Catechumenorum gradus, & ordines diſtinctos vide-

videre eſt in antiquis veterum Eccleſiarum Baſilicis, & quidem Romæ in Eccleſia Sancti Clementis, in qua ſingulæ quatuor Catechumenorum ſtationes adhuc indicantur. Quibus omnibus ſuo pondere diſcuſſis liquido patet conſtat Religioſos Romæ Cenſores non temere, ac nova injuſta Natalem Alexandrum carpſiſſe, qui Hiſt. Eccl. Sæc. 3. differt. 8. art. 2. tres tantum Catechumenorum ordines olim extitiſſe hallucinatus affirmat. Neque illi ſuffragatur Emin. Author hoc loco, ut ipſe perperam putat; nam etſi ſcribat Purpuratus noſter, quod nomine Catechumeni Audientes, & Subſtratos Sancti Patres intelligant, & Electos à Competentibus ut plurimum non diſtinguant, expreſſe tamen circa hujus §. medium affert, quod in Latina Eccleſia omnes Catechumenorum Claſſes ad quatuor redactæ ſunt. Idque ſi obſervaſſet Natalis Alexander, non ita facile deceptus fuiſſet. Sed & magnis viris *in magnis labi generoſum peccatum eſt*; ut ex Dionyſio Longino Eminentiſſ. Scriptor in Præfatione ad Lectorem.

§. V.

De tempore Catecheſi conſtituto.

IN primordiis Eccleſiæ, & cum neceſſitas exigebat, nullum tempus Catecheſi præfinitum erat, ſed quoſcumque conſtabat de ſua ſalute ſolicitos eſſe, & in fide ſufficienter inſtructos, Apoſtoli, eorumque diſcipuli baptizabant, ut ex Actibus eorum diſcimus, poſtea viſum eſt Patribus, ut diu perſiſterent in ediſcendis fidei rudimentis, (1) certo tempore inſtructioni præfixo, diverſo tamen pro regionum, & perſonarum varietate, atque exigentia. Concilium Illiberitanum Flaminibus triennium præſcripſit cap. 4. Fœminis, quæ maritum ſine cauſa reliquiſſent, quinquennium, c. 11. reliquis biennium c. 42. Judæos octo menſibus inter Catechumenos retinendos eſſe ſtatuit Concilium Agathenſe c. 34. Ipſos vero Catechumenos lapſos tribus annis inter Audientes morari Nicæna Synodus ſancivit c. 14. Et cum ſæviente perſecutione hæc ſpatia coritracta fuiſſent, hæc ipſa Synodus c. 2. vetuit, ne id deinceps fieret, ſed ſtatuta tempora ſervarentur. Demum poſt aliquot ſecula redactum tempus eſt ad dies quadraginta (2), ad tempus ſcilicet Quadrageſimæ, in qua ſex ſcrutinia haberi ſolebant, & ſeptimum in vigilia Paſchæ, de quibus non eſt hic tractandi locus. Inquirebant autem Epiſcopi, & Presbyteri qui mores eſſent, quæ vita, quæ fides Catechumenorum, & ſi qui dyſcoli reperiebantur, ſeveriori diſciplinæ uſque ad ejectionem coercebantur, ut patet ex Can. 5. Concilii Neocæſarienſis (3). Præclare Juſtinus Martyr Apolog. 2. *Quicumque perſuaſum habuerint & crediderint eſſe ea vera, quæ a nobis docentur & dicuntur; ac vivere ſe ita poſſe polliciti fuerint, docentur orare jejunantes, & a Deo anteriorum peccatorum veniam poſtulare, nobis una cum illis orantibus, & jejunantibus. Deinde eo a nobis ducuntur, ubi aqua eſt, & eodem regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur.* Alludit ad hanc diſciplinam circa Catechumenos Arnobius lib. 2. adverſus gentes, cum ait *feritate atque inhumanitate depoſitis reſumere animas ingenia mitiora, ut ad illud quod dabitur, poſſint eſſe paratæ*, ad baptiſmum ſcilicet, & ad Euchariſtiam, de quibus Sacramentis obſcure loquitur, & timide propter infideles (4). Prius itaque docebantur, tum fidem profitebantur, deinde precibus ac jejuniis, aliiſque operibus pœnitentiæ incumbebant, feritatem atque inhumanitatem deponentes, ut Arnobius ait accommodate ad profanorum myſteriorum inſtitutiones; Chriſtiana vero phraſi, priori vitæ renunciantes ac peccatorum veniam poſtulantes. Mox lavacro abluti ſynaxi aderant, & ad communionem Corporis Chriſti admittebantur. In his autem gradatim procedebant ſervato ordine ſupra deſcripto, donec lotis ſalutaribus undis omnia myſteria pandebantur. Ab impiis etiam ſectis hoc olim obſervatum, ut profani procul a ſacris arcerentur, Jamblichus docet lib. 2. de Vita Pythagoræ cap. 32. *Cum externis, & ut ſic dicam, profanis, ſi quandoque uſus ferret congrediendum eſſe, nequaquam ſua ſacra enun-*

Catecheſis tempus varium pro diverſitate perſonarum, & regionum.

(1) (2) (3) (4)

enunciabant, ſed ſymbola & arcanas teſſeras obſcure, & latenter ſibi mutuo ſenſa mentis velut ænigmatibus ſignificabant. Et Plutarchus lib. de Garrulitate, *dicendi homines, tacendi Deos magiſtros habemus, in eorum ſacris, & myſteriis una nobiſcum accepto ſilentio.* Apulejus quoque *lib.* 11. *fabulæ Mileſiæ* poſtquam narravit ſe a Sacerdote, ſemotis procul profanis, ad ſacrarii penetralia deductum: *Quæras forſitan ſatis anxie quid deinde dictum, quid factum? Dicerem ſi dicere liceret, cognoſceres, ſi liceret audire. Sed parem noxam contraherent aures, & linguæ temeritatis curioſitatis.* Tum ænigmatice ſubdit. *Acceſſi confinium mortis, & calcato Proſerpinæ limine per omnia vectus elementa remeavi. Nocte media vidi ſolem candido coruſcantem lumine, Deos inferos, & Deos ſuperos. Acceſſi coram, & adoravi de proximo. Ecce tibi retuli, quæ quamvis audita, ignores tamen neceſſe eſt.* Eodem modo a ſacris Cereris ſubmotos impios, & ſceleratos voce præconis, eaque territum Neronem iis adſtare auſum non eſſe ſcribit Sueronius (5). (5)

Olim ordinarium Catecheſis tempus triennium erat.

(1) *Ut diu perſiſterent in addiſcendis, &c.*) Author Conſtitutionum Apoſtolicarum ſub nomine Clementis cap. 32. ſic habet: *Cui tradenda eſt Catecheſis, ſit tribus annis Catechumenus, ſi quis vero ſit virtutis ſtudioſus, & deſiderio baptiſmi teneatur, admittatur; non enim tempus, ſed mores judicantur:* Paulo ante monuerat nonnullos peccatores, ut comædos, aſtrologos, incantatores &c. diutius eſſe a baptiſmo retardandos, eo quod, inquit, malitiæ hujuſmodi difficillime eluuntur. Idem monet Origenes lib. 3. contra Celſum, ubi de iis, qui impure, & inique in Gentiliſmo vixerunt, comparans eos cum Chriſtianis peccantibus, dicit iſtorum converſionem longiori tempore, quam illorum probari; Ethnicis vero, quorum fuerit vita honeſta, Illiberitani Patres biennio Catechumenatum definiunt dicto Can. 42. cum hac tamen exceptione: *Niſi infirmiate compellente coegerit ratio velocius ſubvenire periclitanti, vel gratiam poſtulanti:* Biennium etiam Samaritanis ſtatuit Juſtinianus Novella 144. ut longo tyrocinio probati Chriſtianis non imponant. Manichæos ſimiliter ad Eccleſiam revertentes S. Auguſtinus non vult ad baptiſmum facile admitti, ut in ipſius Commonitorio ad univerſam Eccleſiam pro ſuſceptione Manichæorum deſtinato legere eſt, quod Operum ejus Tomo X. continetur: *Nec facile, inquit, admittantur ad baptiſmum, ſi Catechumeni ſint .... niſi periculo mortis urgente:* Varia igitur erat antiquitus apud Eccleſias circa catechumenatus tempus diſciplina; nonnullæ ſiquidem illud uſque ad ſeptennium, & amplius protrahebant; ſic S. Martinus Turonenſis Epiſcopus octo annis catechumenus fuit, ut teſtatur Severus Sulpitius in ejus vita lib. 1. cap. 2. In aliis octo menſium ſpatio idem contractum legitur, ac de S. Auguſtino ſolis octo menſibus catechumenatum fuiſſe ſcribunt nonnulli, inter quos Ludovicus de Angelis lib. 3. de Vita, & laudibus ejuſdem S. Doctoris. Itemque apud alias orbis partes aliter uſitatum, & longius, aut brevius catechumenatui tempus definitum pro regionum, ac perſonarum varietate, atque exigentia, ut optime Emin. Author, de qua re iterum nota ſequenti.

Deinde biennium.

In nonnullis etiam Eccleſiis ad ſeptennium, & ultra protractum.

Poſtea octo menſibus concluſum.

Demum poſt aliquot ſecula ad 40. dies redactum.

(2) *Redactum tempus eſt ad dies 40. &c.*) Hoc eſt de lege ordinaria, alias ſiquidem, nedum priſcis temporibus, ſed & poſteriori ævo extra dies Quadrageſimæ, ſicut & nunc, ſolemniter traditum fuiſſe baptiſma pluribus exemplis notum eſt. Et primo Pentecoſtes dies a primis Eccleſiæ ſeculis baptiſmo ſolemniter conſerendo conſecratos fuiſſe teſtatur Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 19. *Diem baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat:* Et poſt pauca: *Exinde Pentecoſtes ordinandis lavacris lætiſſimum ſpatium eſt.* De Natali Domini luculentum eſt Gregorii Magni teſtimonium lib. 8. Epiſt. 30. ind. 1. ad Eulogium ſcribentis: *in ſolemnitate autem Dominicæ Nativitatis, quæ hac prima indictione facta eſt, plus quam mille Angli ab eodem nuntiati ſunt fratre noſtro, & Coepiſcopo* (Auguſtino) *baptizati:* Eodem die Clodoveum Francorum Regem ſolemniter regeneratum fuiſſe memorat Avitus Viennenſis Epiſcopus in Epiſtola ad ipſum Principem; eumque morem in Galliis uſu receptum teſtatur Gregorius Turonenſis lib. de Gloria Confeſſ. cap. 69., & 76. necnon lib. 8. Hiſt. Franc. cap. 9. eamdemque conſuetudinem aliquando in Britannia, & baptiſmo dictos dies deputatos fuiſſe patet ex Synodo S. Patritii Can. 19. Pro Epiphaniorum die plura ſunt veterum teſtimonia. Gregorius Nyſſenus hac die orationem ad baptizandos habuit. Idem aſtruunt S. Gregorius Nazianzenus Orat. 40. Joannes Moſchus in Prato ſpirit. cap. 214., & Ratherius Veronenſis Serm. I. in Quadrageſima. Immo in feſto Dedicationis Eccleſiæ ſolemniter traditum fuiſſe baptiſma refert Sozomenus lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 24., ubi Hieroſolymitani Templi ſub Conſtantino Magno factam dedicationem deſcribens ſubjungit: *Ex eo tempore ſolemnem quotannis feſtivitatem admodum ſplendide Jeroſolymitana celebrat Eccleſia, adeout baptiſmi quoque Sacramenta eo die celebrentur.*

Et ſacri Papatus, Pentecoſtes, Natales Domini, ac Epiphaniorum dies Baptiſmo ſolemniter conferendo deſtinati.

Ex quibus inferre licet in quovis ſolemniſſimo die baptiſmum miniſtratum fuiſſe, ita ut hæc baptiſmi traditio, ut optime notat P. Couſtantius in Epiſt. Siricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem col. 626. ad ſolemnitatem pertineret. Denique quibuſque Martyrum feſtis diebus a multis expetitum eſſe baptiſmum teſtis eſt poſt Siricium, ubi ſupra, S. Leo Papa I. Epiſtola 156. ad Epiſcopos per

Item quivis ſolemniſſimus dies Baptiſmo miniſtrando obſervatus.

Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos, & ex Concilio Matiſconenſi II. an. 585. Can. 3. ubi queritur: *Chriſtianos non obſervantes legitimum diem baptiſmi pene per ſingulos dies, ac natales Martyrum filios ſuos baptizare, ita ut vix duo, vel tres reperiantur in ſanctio Paſcha, qui per aquam & ſpiritum regenerentur*: Hinc decernit: *Ut extra tempora conſtituta baptiſmi* (videlicet Paſchatis, aut Pentecoſtes) *nullus filios ſuos baptizet, niſi infirmitas nimia, vel dies extremus compulerit filios ſuos baptiſmum ſuſcipere*. Idem etiam ſtatuit Synodus Antiſſiodorenſis an. 586. Can. 18. quo ſolum Paſchatis diem ſolemni baptiſmo aſſignat. Qui mos ſola Paſchatis, vel Pentecoſtes vigilia frequentatus nedum Gregorii Turonenſis ævo, ut dictum eſt, ſed & ad Caroli Magni tempora viguit in Eccleſia Gallicana, immo uſque ad ſeculum XI. perduravit, nam in Concilio Rotomagenſi anno 1072. apud Ordericum Vitalem lib. 4. Hiſt. Eccl. pag. 529. ſtatuitur, *ne generale baptiſma, niſi Sabbato Paſchæ, & Pentecoſtes fiat*: Cæterum inquit Tertullianus lib. ſupracit. de Baptiſmo, dicto cap. 19. *Omnis hora, omne tempus habile baptiſmo: Si de ſolemnitate intereſt, de gratia nihil refert*. Sic & Auguſtinus Serm. 210. num. 2. edit. nov. Mon. S. Mauri, docet baptiſmum accipere *omni die* licere; quod & antea docuit S. Gregorius Nazianzenus dicta Orat. 40. in ſanctum Baptiſma poſt initium: *omne tempus ad baptiſmi ſuſceptionem tibi certum, & definitum eſſe exiſtima*. Aliique Patres bene multi idem ſenſere.

Sed tandem, & demum ad ſolos Paſchatis, ac Pentecoſtes dies idem Baptiſmi ordinarium tempus redactum.

Hinc univerſum id poſitum fuiſſe in Epiſcopi poteſtate, & prudentia deducit ex Concilio Conſtantinopolitano II. Oecumenico Canone 7. & ex Synodo Trullana Can. 95. Joannes Morinus lib. de Catechum. Expiat. cap. 8. pag. 57., & ſeqq. Item ex Baſilii actis, & apud Socratem lib. 7. cap. 4. ac 17. atque Nicephorum lib. 14. cap. 17. ubi pluribus exemplis ſatis ſuperque demonſtratur tyrocinii tempus Epiſcoporum arbitrio commiſſum fuiſſe, adeout pro urgente negotio in breviſſimum, & aliquando in momentaneum tempus jus haberent Catechumenatum contrahendi. Ita etiam ſuo exemplo nos docet S. Gregorius Magnus lib. 7. ind. 1. Epiſt. 24. ad Fauſtinum, ſeu, ut alii legunt, Fantinum Defenſorem Siciliæ ſcribens de Judæis ad fidem Chriſtianam converſis in Territorio Agrigentino: *quibus tamen*, inquit, *ſi longum, vel triſte videtur, ſolemnitatem ſuſtinere Paſchalem, & eos nunc ad baptiſma feſtinare cognoſcis, ne, quod abſit, longa dilatio eorum retro poſſit animos revocare, eum fratre noſtro Epiſcopo loci ipſius loquere, pœnitentia, ac abſtinentia quadraginta diebus indicta, aut die Dominico, aut ſi celeberrima feſtivitas forteſſe occurrerit, eos omnipotentis Dei miſericordia protegente baptizet*.

Quæ tamen ſit Epiſcopi poteſtas, & prudentia reſtrictum, ac le more intra 40. dies contractum.

Quamvis autem Catechiſmi tempus quadraginta dierum ſpatio, ut dictum eſt, ſolear definiri, experientia tamen docet, quæ & ſacris Canonibus conſona eſt (inquit Rituale Romanum juſſu Gregorii Papæ XIII. editum pag. 129.) „ diuturniorem Catechiſmum valde utilem eſſe ad Baptiſmum digne reciendum, & eo ſuſcepto poſtmodum in„ Chriſtiana diſciplina perſeverandum. Qua „ in re habenda eſt ratio perſonarum venientium ad fidem; nam illis, qui antea bene converſati fuerunt, & ab iis, qui foris ſunt, bonum teſtimonium habent, quique docilitatem, & pietatem præſeferunt, quadraginta dierum Catechiſmus ſufficiet, ac interdum brevior, ſi ipſi ante 40. dies ſatis idonei ſint, & juſta de cauſa id fieri expediat, de licentia tamen Ordinarii, aut alterius ſuperioris. Qui vero rudiores, & non adeo dociles, ſed tardioris ingenii fuerint ad rudimenta fidei addiſcenda, atque ad ea, quæ ipſos ſcire oportet, percipienda, ſimiliter, qui malis moribus prædicti fuerint, quamvis hebete ingenio non ſint, & bene omnia, quæ ad doctrinam Chriſtianam ſpectant, didicerint, ut ſi ſuperbi, elati, contentioſi &c. qui denique priſtinos mores, ac vitia adhuc retinent, hi non ſunt tam facile baptizandi, ſed expectandum donec priore vitæ conſuetudine derelicta, profectus in eis circa bonos mores, & doctrina evidentius dignoſcatur.

Quin & brevior quandoque juxta perſonarum rationem erat Competentis Catechiſmus.

(3) *Ut patet ex can. 5. Concilii Neocæſarienſis*) Ex hoc Canone (de quo jam dictum eſt §. antecedenti nota 3.) qui & in hunc modum legitur apud Labbeum Tom. I. Concil. col. 1481. *Catechumenus, qui ingreditur Eccleſiam, & in ordine eorum, qui inſtruuntur, adſiſtit, is autem peccat: ſi genu quidem flectens audiat, ut non peccet ulterius, ſi vero ut audiens peccaverit, tamquam extraneus expellatur*: Joſeph Binghamus Londinenſis orig. Eccl. lib. 10. cap. 2. §. 2. Competentes, & Electos uno, eodemque ordine perperam cum Baſnagio confundens ait: „ Hinc evidenter patet fuiſſe aliquem Catechumenorum ordinem, quibus Eccleſiam ingredi haud permiſſum fuerit, ad quos ii, qui ex ſuperioribus ordinibus peccaviſſent, redigendi fuerant ob ſua peccata puniti, quam pœnam Canon ille expulſionem ab Eccleſia vocat, per quam expulſionem non extrema aliqua eorum rejectio ad Gentiles, ſed tantum in iſtum eorum ſtatum relegatio intelligitur, in quo antea fuerunt, cum primam manus impoſitionem recipientes Catechumeni redderentur, qui privatæ inſtitutionis erat ſtatus ante quam ingrediendi Eccleſiam veniam acciperent„: Hæc hæterodoxus ſcriptor alias non ineruditus, ſed perſpicue fallitur, hos quippe non alio nomine, quam Catechumenos lapſos vocat Nicæna Synodus, ut ſupra adnotatum eſt, quos ſi pœnitentes fuerint, inter *Audientes* primum Catechumenorum ordinem triennio morari ſancivit, ſi non reſipuerint, ab Eccleſia expelli ſtatuit Neocæſarienſe Concilium. Verba Canonis hujus clariſſima ſunt, ex edit. Bartholomæi Caranzæ, *abjici omnino debere*, ex Labbeana, *tamquam extraneus expellatur*. Sic vel ad *Audientium* Claſſem admiſſi, ſi pœnitentes, vel ab Eccleſia penitus expulſi, ſi in peccato obſtinati; quapropter, ſi expulſi tamquam extranei, utique extra Eccleſiam, & extra Catechumenatum ſunt, ac tamquam Ethnici habiti, & publicani; cumque ita ſit, quid ad nos de iis, qui foris ſunt? Eccleſia de iis non judicat, qui ſui non ſunt, nec ad ſe pertinent.

Hinc inquiſitum ſuper eorum vitam, & mores atque ex iſtis illi, vel citius, aut tardius admiſſi, vel etiam expulſi.

(4)

(4) *Obscure loquitur, & timide propter infideles*) Ita etiam hunc Arnobii locum interpretatur Desiderius Heraldus: *his verbis*, ait, *regenerationem per baptismum significat Arnobius, sed itaut verba Gentilium ad Christianorum Sacramenta accommodet*: & sane id non admodum obscure indicant, quæ paulo superius dicit idem Arnobius de animarum immortalitate, atque æterna, si velint, felicitate: *posse tamen longævas summi Principis munere ac beneficio fieri, si modo illum tentent, ac meditentur agnoscere, ejus enim cognitio fermentum quoddam est vitæ*: his namque verbis Catechumenorum ordinem subindicat, circa quos peragebantur, quæ hic Emin. describit; & sane, qui vere, & ex animo velit, ac meditetur Deum agnoscere, ejusque munere longævus, & salvus in æternum fieri, ad baptismum utique confugiet, sine quo nulla salus; nulla est vita.

Arnobii Infideles cuique Catechumenos indicat, describitur.

(5) *Ausum non esse scribit Suetonius*) Narrat Livius lib. 3. duos juvenes, tamquam ob infandum scelus, misere trucidatos, quod cum initiati non essent, Templum Cereris ingressi, absurde quædam de sacris fuissent percunctati. Nota est & Penthæi laniatio propter curiosius inspecta mysteria; quo respiciebat Synesius lib. de Providentia sect. 2. ubi scribens de silentio mysteriis debito ait: *Tamis, qui offenderit, quam qui viderit, in offensionem Numinis incurrit; ac Beatorum narrationibus proditum est, eum, qui Bacchi Orgia temere irrumpens inspexerit, repente laniari*. His similia vide in Julii Cæsaris Commentariis de Bello Gallico lib. 6. cap. 4. Consonant & veteres Poetæ; Orpheus in Hymno Apollinis: *Fas quibus est audire laquar, vos turba profana — Obturate fores*.

Gentiles quoque sacris suis profanos arcere solebant.

Horatius in Odis:

Odi profanum vulgus, & arceo.

Virgilius lib. 6. Æneidum:

.... procul o procul este profani
Conclamat Vates, totoque abstinte luco.

Ovidius Metamorph. lib. 17.

Hinc procul Æsonidem, procul hinc jubet ire ministros,
Et monet arcanis oculos removere profanos.

Idem de Arte amandi lib. 2.

Quis Cereris ritus audet vulgare profanis,
Magnaque Threicia Sacra reperta Samo?

Claudianus de raptu Proserpinæ lib. 1.

..... gressus removete profani.

Vide & ipsum Emin. Authorem in lib. de Divina Psalmodia cap. 2. §. 1. num. 2. ubi & Silii Italici, Titi Calphurnii, Statii Papinii, aliorumque Poetarum, ac Gentilium scriptorum veterum testimonia in hanc rem bene multa refert; & ante ipsum lege Barnabam. Brissonium de Formulis vet. lib. 1.

Hanc porro commendatam consuetudinem ad disciplinam sacra mysteria nondum initiatis occultandi priscis fidelibus observatam initio Ecclesiæ ab ipsis Apostolis, & Apostolicis viris fluxisse, eruditissime ostendit sæpe laudatus Emmanuel Schelestratius in nota sua peculiari Dissertatione de Arcani disciplina quidquid in contrarium obganniant maligni Novatores, qui hac in re, sicut & in cæteris, sibi ipsis contradicunt. Hoc unum addam pro supplemento ad dictam Schelestratii Dissertationem contra Lutheranum impugnatorem Ernestum Tentzelium Lutherani alterius pro eadem testimonium, Matthæi nempe Scriveneri Presb. Anglicani, qui in responsione ad Jo. Dallæum Calvinistam de usu Patrum pag. 110. sic habet: „ De illo proxime dispiciendum „ (videlicet de eo, quod dicit Dallæus dicto „ lib. pag. 137.) quod interdum studeat vereres animi sui sensus penitus occultare, „ vel saltem ostendere non nuda, & aperta „ in clara luce, sed objecto, ut dicam, velo, „ & quidem aliquando satis denso, itaut non„ nisi synceis oculis sit pervium. Consulto „ factum hoc esse aio (respondet Scrivene„ rus) omnia enim religionis mysteria quo„ buslibet Christianis statim non esse proden„ da cum Seneca existimo, quia sanctiora „ Sacrorum, inquit Epist. 95. tantum initiati sciunt: ita in Philosophia arcana illa „ admissis, & receptis in sacra ostenduntur; „ Habuerunt enim Gentes λόγῳ ζητητικὰ, „ & ἀπορρητὰ teste Origene contra Celsum „ lib. 1. Rationem autem reddit Clemens Alexandrinus consilii tam Ethnicorum, quam „ fidelium removentium mysteria religionis a „ vulgi conspectu, quia tegumenta sunt impedimenta Laicæ incredulitatis, cui fustragatur Basilius Magnus de Spiritu Sancto. „ Recte utique Casaubonus exercit. 16. num. „ 43. hodiernos vulgi palpones Ministerculos „ ferit, qui officio suo numquam se satis „ fideliter defunctos putant, nisi gravissima „ quæque arcana sapientiæ Dei cuivis ex ima „ fæce populi exposuerint, nihil reveriti τὸ ὅσιον ἐδιδαχομένοις. *Quod ergo* (ut cum Comœdo loquar) *ille maledictum ochemens esse existimat, eam laudem hic ducit maximam*: Hæc Scrivenerus, ex quo perspicue vides Dallæum Calvinistam sibi ipsi adverfari, atque invitum licet hic Arcani disciplinam admittere, quam alibi ipse, & ex ipso Basnagius; aliique ejusdem pestiferæ sectæ gregales negant; Lutheranos item Casubonum, & Scrivenerum contra alios Symmistas suos Tentzelium, & novissime Binghamum Orig. Ecclesiast. lib. 10. cap. 5. §. 2. qui eamdem disciplinam primis Ecclesiæ seculis stricte observatam inficiantur, hoc loco recte scientes, insurgere. Annon ergo Schelestratio, Cardinali nostro, Pagio, aliisque Catholicis, qui juxta veteris Ecclesiæ sensum de servata antiquitus Arcani disciplina tam sancte, & juste opinantur, potius subscribendum erit? Cum omnes sanæ mentis maxime, atque ex ipsis extraneis doctiores apud suos visi, & bene suasi lubenter hac in sententia conspirent, quam nebulonibus istis, ac nugivendulis, quos nescis umquam, quid sentiant, quid velint, quid credant, & an saltem fero sapere valeant Phryges isti. At hac in re satis; iterum ad Catechumenos revertendum, ac de eorum dimissione differendum est.

Denuò vindicatur cum Card. nostro Emm. Schelestratius pro Arcani disciplina, ut supra §. 1 & seqq.

Et quidem ex ipsis Sectatoribus.

§ VI.

§. VI.

Expulſio Catechumenorum ab Eccleſia, quo ſeculo deſierit.

SEd redeo ad Miſſam, e qua habito poſt Evangelium ſermone tam Catechumeni, quam infideles, & alii immundi abire, ac e foribus templi egredi voce Diaconi jubebantur, ipſas fores cuſtodientibus Miniſtris, eaſque claudentibus poſtquam fuerant egreſſi. Erat olim hoc munus Diaconorum, ut notant Maximus, & Pachymeres ad cap. 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. *Nota*, inquit Maximus, *quod Diaconi fores tunc cuſtodierint, nunc vero Subdiaconi*. Clemens autem *lib.* 8. *Conſtitut. cap. XI.* ait Diaconos tunc ſtetiſſe ad portas, per quas viri, Subdiaconi ad eas, per quas mulieres ingrediebantur. Concilium vero Laodicenum ſtatuit Miniſtrum, ideſt Subdiaconum, ut Zonaras, Balſamon, & alii interpretes explicant, non oportere fores relinquere. A Subdiaconis tandem ad Oſtiarios hoc officium pervenit, quia ut obſervat S. Thomas in *ſupplem.* 3. *p. qu.* 37. *art.* 2. antiquis temporibus ob paucitatem miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconis committebantur, ſed ampliatus eſt poſtea cultus divinus, & Eccleſia alios ordines ſibi inſtituit. (1) At nunc abiit in deſuetudinem hic Ritus, & a foribus templorum diſceſſerunt Oſtiarii, ſublatiſque repagulis omnes indiſcriminatim ad ipſum Altare irrumpunt, ad quod nonniſi Sacerdotibus, eorumque miniſtris fas erat accedere. Qua ætate id fieri cœperit, incertum eſt: Ex his autem, quæ S. Thomas quæſtione præcitata ſcribit, colligunt nonnulli ante ipſius tempora hunc morem deſiiſſe; quæ conjectura certior redditur ex Joanne Zonara, qui in notis ad Concilium Laodicenum, ait ſuo tempore, centum ſcilicet & quinquaginta annis ante Thomam, a januæ cuſtodia miniſtros receſſiſſe. Mihi haud improbabile videtur Eccleſiæ fores cunctis introire volentibus tunc patuiſſe, cum jam nulli erant infideles, nulli catechumeni, & pœnitentes, qui a Synaxi arcerentur, & peracta concione dimitterentur. Id vero in Eccleſia Latina circa annum Chriſti ſeptingenteſimum contigiſſe, argumento eſſe multa poſſunt (2). Nam primo iſtius dimiſſionis nulla fit mentio in antiquis Miſſalibus, & Ritualibus: nec ullum ejus veſtigium extat apud veteres Officiorum expoſitores, Strabonem, Micrologum, Rhabanum, Amalarium, & his antiquiorem Alcuinum: licet alios quoſcumque ritus minutiſſime ſoleant explicare. Patres etiam, & Concilia poſt annum 700. nihil prorſus de hac re agunt, quamvis nonnunquam de Miſſa Catechumenorum, atque Fidelium ex priſco uſu ſermonem habeant. Neque obſtat Amalarius ita ſcribens lib. 3. cap. 36. *Conſuetudo noſtra eſt, ut Catechumenos repellamus ante Evangelium*: Nam de alio ritu loquitur, qui a media Quadrageſima uſque ad Sabbatum ſanctum ſuo tempore vigebat, & aliquot poſt ipſum ſeculis in uſu fuit; ejus enim meminit Joannes Beleth, qui vivebat anno 1190. *lib. de div. Off. cap.* 34. quia cum nemo eſſet qui baptiſmum peteret ex Ethniciſmo vel Judaiſmo converſus, ſed omnes baptizandi filii Chriſtianorum, & infantes eſſent, quidam ex illis ad ſolemne Paſchatis baptiſma reſervabantur (3). Et hi manebant in Eccleſia donec legeretur Epiſtola, & cantato Graduali Diaconus elata voce dicebat: *Catechumeni recedant: ſi quis Catechumenus eſt, recedat: omnes Catechumeni recedant foras*. Et egrediebantur expectantes præ foribus Eccleſiæ, uſque ad finem Miſſæ, ipſiſque egreſſis legebat Diaconus Evangelium. Hic mos erat primi & ſecundi ſcrutinii: in tertio vero quod aperitionis aurium dicebatur, tradito Symbolo, & explicata Domi-

(1)

(2)

(3)

Catechumenorum expulſio in Eccleſia Latina circa ſec. 7. obſolatia.

minica oratione, annuntiabat Diaconus ut diſcederent ; & egrediebantur parentes cum infantibus, eiſque relictis ſub cuſtodia, donec Miſſarum ſolemnia perficerentur, regreſſi in Eccleſiam tam ipſi parentes quam ſuſceptores cum oblationibus, eas pro illis offerebant : quæ omnia fuſius in Ordine Romano deſcribuntur. De hac igitur dimiſſione Amalarius, & Beleth intelligendi ſunt ; non de illa ſolemni, & quotidiana, a qua Miſſa Catechumenorum nomen accepit, licet hæc ab illa promanarit. Auguſtinus ſerm. 237. de Temp. *Ecce poſt ſermonem fit Miſſa Catechumenis, manebunt Fideles, venietur ad locum orationis* (4). (4)

(1) *Alios Ordines ſibi inſtituit*) Minores ſcilicet, de quorum inſtitutione, & antiquitate ſuo loco differemus infra ad Cap. XXV. §. 17. ubi Emin. noſtrum a cujuſdam recentioris Critici nota illi injuſte inflicta vindicabimus. Interim præſtat integrum Divi Thomæ textum adferre, quo locus ille magis dilucidetur. Verba Angelici Doctoris hæc ſunt : *in primitiva Eccleſia propter paucitatem miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconibus committebantur, ut patet per Dionyſium cap. 3. Eccleſ. Hierarchiæ, ubi dicit* : miniſtrorum alii ſtant ad portas templi claufas, alii aliud proprii ordinis operantur ; alii autem Sacerdotibus proponunt ſuper Altare ſacrum panem, & benedictionis calicem. *Nihilominus erant omnes præditæ poteſtates, ſed implicite in una Diaconi poteſtate. Sed poſtea ampliatus eſt cultus Divinus, & Eccleſia quod implicite habebat in uno Ordine, explicite tradidit in diverſis* : contigit nimirum Eccleſiæ (ſubdit Cardinalis noſter loco mox indicato) quod hominibus ſolet, qui dum tenue patrimonium habent, uno famulo contenti ſunt, qui ſolus omnia adminiſtrat. Si vero reditus augeantur, ſervorum etiam augetur numerus ; eoque magis creſcit familia, quo illi locupletiores, & ſpectabiliores evadunt. Sic Evangelicæ prædicationis initio parvula adhuc, & latitans Eccleſia paucis indiguit Eccleſiaſticarum functionum miniſtris. Creſcente autem credentium multitudine, & auctis facultatibus ex fidelium oblationibus, cum ſoli Diaconi non poſſent omnibus incumbere, diverſa onera, & officia diverſis perſonis diſtributa ſunt ; ex quo factum eſt ut ſplendidiori, & auguſtiori apparatu Eccleſiaſticarum functionum cæremoniæ peragerentur.

Hæc Card. & Morini ſententia contra Schelſtratii vindicatur.

(2) *Circa annum Chriſti 700. contigiſſe &c.*) Hanc ſententiam confirmat Joannes Morinus Oper. poſthum. de Catechumenorum expiatione cap. 16. pag. 118. quam tamen rejicit Emm. Schelſtratius in laudata ſua Diſſertatione de Diſcipl. Arcani cap. 6. pag. 10., ubi & ait Emin. Cardinalem non bene exiſtimaſſe circa annum 700. in Eccleſia Latina antiquam, quoad dimiſſionem Catechumenorum, diſciplinam deſiiſſe, idque in iis regionibus, ubi Paganiſmus ſerius extinctus eſt, in Gallia nimirum, & Germania locum non habuiſſe, conſtare dicit ex Theodulpho Aurelianenſi, qui in libello de Ordine Baptiſmi tempore Caroli Magni conſcripto cap. 8. (non 9. ut forte Typographi errore fallitur) agens de adultis, ait, *qui vero illius ſunt ætatis, ut rationem credulitatis ſuæ reddere poſſint, diligenti examine ſcrutandi ſunt, utrum veraciter credant &c.* Editum eſt hoc Opuſculum ab Hugone Menardo in notis ad Sacramentarium Gregorii Magni, ex quo apparet quoſdam ex non initiatis etiam tunc ſuperfuiſſe in Galliis, qui adulta ætate baptiſmum petebant ; unde Amalarius Fortunatus Trevirenſis Epiſcopus lib. 3. cap. 36. iiſdem temporibus : *Conſuetudo noſtra eſt*, inquit, *ut Catechumenos expellamus ante Evangelium* : Hæc Schelſtratius.

Verum primo hoc Theodulphi Opuſculum ediderat Sirmondus ; porro Theodulphum ante annum 824. obiiſſe compertum eſt, illo ſiquidem anno Jonas ejus in Aurelianenſi Cathedra ſucceſſor a Ludovico Pio poſt Synodum Pariſienſem ad Eugenium Papam miſſus eſt, ut laudatus ait Sirmondus. Tempore autem Caroli Magni vix aliquas extitiſſe Gentilitatis reliquias, eaſque penitus eliminatas fuiſſe conſtat ex ipſius Capitulari I. anno 769. cap. 6. & ex Capitulatione de partibus Saxoniæ cap. 8. cap. 21. 22. item ex cap. 63. Capitularis Aquiſgranenſis an. 789. Et Pagius ad an. 804. nu. 12. Saxones, qui reliqui erant de Paganis, abjecto dæmonum cultu Francis adunatos eſſe, & cum eis in unum populum coaluiſſe ſcribit. Quare dicendum eſt, quod Theodulphus loquens de adultis, vel ita ſcripſerit ex primævo uſu, & præxi antiqua Eccleſiæ, vel reſpexerit, non ad Paganos, ſed ad Judæos, & Saracenos, ſi qui forte ex eis aliqui ad fidem converſi fuerint, vel intelligendus eſt, ſicuti de Amalario illi coævo intelligi debere admonet Emin. Author. Denique ſi adhuc iſta non ſufficiant, dicendum erit peculiarem unius Eccleſiæ, aut Provinciæ praxim, ſi qua tunc fuerit, trahendam non eſſe ad communem univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem. Quomodocumque ſit, ſane Emin. noſtri ſententiam diſerte, & quaſi ipſiſſimis verbis confirmans expreſſerat Joannes Morinus ſupracit. Oper. Poſthum. noviſſ. edit. 1703. de Catechumenorum expiatione cap. 16. pag. 118. ubi ait : „ circa, aut paulo poſt annum ſeptingenteſimum fecundus ille ordo „ Catechumenorum ſublatus eſt. Illius tollendi, & extinguendi occaſio fuit adultorum penuria ; deficientibus enim Ethnicis, & differendi baptiſmatis conſuetudine prorſus ex hominum animis delera, contigit ad „ baptiſmum ſolos infantes offerri. Defuetudinem illam tempori aſſignato convenire „ efficax argumentum eſt Authorum, qui ab „ aliis prope nongentis de Ritibus Eccleſiæ „ ſcripſerunt, ſilentium, quamobrem enim „ hunc Ritum, ſi tum uſurpatus fuiſſet, non „ adno-

Expoſitur Theodulphi Aurelianenſis locus ex adverſo objectus.

„ adnotaſſent? Hæc Morinus, apud quem plura alia ibi in hanc ſententiam confirmandam inveniet Lector, cujus commodo & integrum de Catechumenis ejuſdem Morini Opuſculum dabimus.

(3) *Ad ſolemnem Paſchatis baptiſma reſervabantur*) Confirmatur id ex ipſo Ordine Romano, quem plerique cum Mabillonio octavo ſeculo compoſitum fuiſſe autumant, in quo hæc eadem verba leguntur: *Catechumeni recedant &c.* quam diſciplinam pro infantibus retentam ex alia circa adultos olim obſervata provenientem ſatis indicant illa verba, quæ ſubſequuntur apud Mabillonium præfatum Muſæi Ital. Tom. 2. pag. 79. num. 4. *Et ut venerint ad Eccleſiam die, quo eis fuerit adnunciatum, clamat Diaconus dicens: Catechumeni procedant: & vocantur infantes ab Acolytho per nomina &c.* Nota illa verba: *vocantur infantes*: quibus ſane pro certo habemus adultos tunc non extitiſſe baptizandos.

(4) *Manebunt fideles &c.*) Hinc eſt, quod hanc Miſſam Fidelium, Miſſam Fratrum vocat Juſtinus Martyr circa finem Apologiæ 2. pro Chriſtianis, ut ſupra indicatum eſt cap. 4. §. 4., & ab Ivone Carnotenſi Epiſt. 219. Miſſa Sacramentorum nuncupatur: *qui audiebat*, inquit, *Miſſam Catechumenorum, ſubterfugiebat Miſſam Sacramentorum.*

§. VII.

Expulſi cum Catechumenis etiam Pœnitentes, & Energumeni.

In Eccleſia Græca vetus Catechumenorum expulſionis formula, ejſi nulli eorum, nulli pœnitentes ſint, adhuc obſervata.

GRæci priſtinum morem adhuc retinent, & quamvis in eorum Eccleſiis nulli ſint Catechumeni, nulli pœnitentes, in ſingulis tamen Liturgiis ſolemni formula Diaconus ait, *Quotquot eſtis Catechumeni, recedite. Ne quis Catechumenus ſuperſit. Quicumque fideles in pace Dominum oremus.* Sive ut habetur in Liturgia Jacobi, *Nullus Catechumenus, nullus eorum qui nondum initiati ſunt: nullus eorum, qui nobiſcum orare non poſſunt, interſit. Recognoſcite vos invicem. Fores obſervate. Omnes recti.* Diſtinctio tamen expreſſa in Liturgiam Catechumenorum & Fidelium apud Græcos non reperitur; tametſi ſemper eadem fuerit actio Miſſæ apud illos, & apud Latinos: eademque apud utroſque circa Catechumenos, & pœnitentes diſciplina. Dionyſius *cap.* 3. *Eccl. Hierarchiæ* magnifice hunc Ritum & diffuſiſſime deſcribit, ex quo præcipua quædam excerpam. Exinde, inquit, ſacrarum literarum lectio recitatur, qua finita ſacro ambitu arcentur Catechumeni, & cum iis Energumeni ac pœnitentes, illis qui divinorum aſpectu & communione digni ſunt, remanentibus. Porro Catechumenos & Energumenos, eoſque qui pœnitentia ducuntur, ſacroſanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire ſacram Pſalmodiam, divinamque ſacrarum Scripturarum recitationem: verum ad ea quæ deinceps ſequuntur ſacrificia, & ſpectacula nequaquam hos convocat, ſed perfectos perfectorum oculos. Ac poſtremus quidem ordo Catechumenis tributus eſt, quod exortes ſint & ignari omnis hierarchicæ perfectionis, neque dum per divinam nativitatem divinum ſtatum aſſecuti, paternis eloquiis foveantur, vivificiſque formis ad beatum illum, qui ex divina generatione proficiſcitur, vitæ, luciſque principem progreſſum efformentur. Porro Energumenorum turba immunda quidem & ipſa eſt, verumtamen ſecundum locum ſuperiorem a Catechumenorum extremitate obtinet. Cæterum opinor, imo vero compertum habeo, ſinceriſſimum ſacrorum Ordinum judicium cenſere, præ iſtis deteſtabiliſſima obſidione teneri eos, qui deformem vitam deſerentes, ſententiis moribuſque perditis dæmonibus conſentiunt, dum ea quidem quæ & vere ſunt, & immortaliter poſſidentur, atque æternaliter delectant, per extremam ſibique perniciosam dementiam averſantur, materialem vero pluribuſque perturbationibus obnoxiam immutationem, perditaſque ac corruptrices voluptates, & inſtabilem, eamque alienam, neque vere exiſtentem, ſed apparentem delectationem ambiunt & conſectantur. Hi ergo primi, & quidem magis proprie quam illi, ſegregativa miniſtri voce arceantur: neque fas ſit eis cujuſlibet alterius rei ſacræ participes evadere, præterquam eloquiorum Dei,

Energumeni apud Dionyſium Areopagitam qui ſint.

quo-

quorum magiſterio ad meliorem frugem converti poſſint. Hæc Dionyſius, ex quo conſtat morem ejiciendi cum Catechumenis, Energumenos & pœnitentes antiquiſſimum eſſe. Nomen autem Energumeni ad eos extendit Dionyſius, qui carnalibus immunditiis ſervientes perverſis moribus cum dæmonibus conſentiunt, quod alibi me legiſſe non memini: nec puto veterem Eccleſiam Energumeni appellatione carnales homines vitioſis paſſionibus agitatos, ſed eos dumtaxat, qui corporaliter a Diabolo obſeſſi & poſſeſſi erant, intellexiſſe. (1) Agit de Energumenis, & de oratione ſuper illos effuſa in Eccleſia, antequam expellerentur, Chryſoſtomus *hom.* 3. & 4. *de Dei natura adverſus Anomœos*. Cæterum in his omnibus dimittendis certus ordo ſervabatur, qui vix percipi, aut explicari poterit, niſi de pœnitentibus, eorumque gradibus & claſſibus quædam ex veteris Eccleſiæ diſciplina breviter præmittantur. (1)

Energumeni proprie dicti qui corporaliter a diabolo poſſidentur.

(1) *Sed eos dumtaxat, qui corporaliter &c.*) Ita plane energumenos propterea arreptitios, demoniacos, aut poſſeſſos a dæmone nuncupamus, quia dæmon etiam illorum corpus obſidet, ingreditur, ac in illis operatur; energema autem, a quo ſumptum Energumeni nomen, ſive dæmonis operatio in homine, dupliciter fit, ut alibi docet Emin. Author, videlicet lib. de Diſcretione ſpirituum cap. XI. num. 14. ſpiritualiter nempe, vel corporaliter. Energema ſpirituale tunc fit, cum mentem, & cor hominis diabolus poſſidet, & in illis operatur, ut cum dicitur in Evangelio intraſſe in cor Judæ ſuggerens illi, ut Chriſtum traderet; corporale autem, vel fit extrinſecus per vexationes, & moleſtias, quæ homini forinſecus inferuntur, vel fit intrinſecus, quando hominem invadit, intuſque vexat, & exagitat, vimque incutit humana omni editiorem, qualis ea fuit illius Geraſeni, de quo apud Marcum cap. 5. v. 4. quem nec catenis quidem, aut compedibus quiſquam vincire poterat. Pro dæmoniaco quoque intus agitato is haberi interdum poteſt, qui vix vernaculæ ſuæ linguæ gnarus, expedite tamen alia lingua penitus ignota, latine ſcilicet, aut græce loquitur, aut etiam qui, quæ in locis valde diſſitis geruntur, ſubinde narrare poteſt. Talis Puella quæ Pythonis ſpiritu repleta erat Act. Apoſt. cap. 16. v. 16. & jubente Paulo ab eodem dæmone liberata fuit. Talis & homo ille, quem vexante diabolo filii Scævæ Judæi fruſtra ſuis exorciſmis liberare voluerunt, ibidem cap. 19. 14. Ut ergo aliquis vere dicatur Energumenus, non ſatis eſt, ut vexetur extrinſecus, ſicut Job, Antonius Abbas, aliique ſancti, ſed requiritur, ut diabolus ſit in illo intime præſens, ſicuti motor in mobili, & in eo aliquid operetur, ut dictum eſt. Atque de his Energumenis vere a diabolo poſſeſſis veterem Eccleſiam intelligi debere, non de iis, qui intus tantum vitioſis paſſionibus agitantur, perſpicuum eſt; Eccleſia enim non de internis, ſed externis communiter judicat, quidquid aliter ſentire videatur toties ſupra laudatus eruditiſſimus Albaſpinæus, qui lib. 1. de Euchariſtia cap. 15. Dionyſio Areopagitæ ab Emin. allato ſubſcribendum cenſet.

Eſſe autem revera quoſdam a dæmone poſſeſſos præter ſacras Litteras, & Eccleſiaſticam Hiſtoriam, omnium Doctorum conſenſus, ac ipſa experientia evincit, neque id diffiteri audebunt Hæretici; Lutherus enim, ut referunt Tilmannus Bredembachius lib. 7. collat. cap. 4. & Fridericus Staphylus teſtis ocularus Apolog. 2. cum aliquando coactus a ſuis nefarium aggredi ſpiritum, qui puellam in Miſnia invaſerat, omnia ſibi primo ſua ſcelera exprobrantem exhorruit Cacodæmonem; mox ab eodem ſibi viſcera lancinante fatum Arii formidans fruſtra e conclavi erumpere tentavit, quod validiſſimo munierat peſſulo Stygius Morio, nec ſine adſtantium ſtomacho, ac ſibilis per feneſtram exitum quærens, fugam arripere compulſus fuit. Non abſimile de quibuſdam dicti Hæreſiarchæ affectis narrant Surius in Hiſtoria ſui temporis, Genebrardus in Pio IV.; & ex ipſis Odoricus Rainaldus Contin. Annal. ad an. 1563. num. 225. Lutheranos ſcilicet miniſtros Auguſtæ Vindelicorum puellam item arreptitiam curare abacto dæmone fruſtra conatos fuiſſe, quæ quidem poſtea a Catholico Sacerdote immundo ſpiritu ex obſeſſo corpore depulſo liberata eſt. Rem variis circumſtantiis inſignibus inſtructam fuſe enarrat Surius, qui ipſam his verbis claudit: „ Hanc „ Hiſtoriam quiſquis ſincero perlegit animo, „ facile videt apud Sectarios nullam eſſe dæ„ monum expellendorum poteſtatem, eam„ que apud Catholicos in hanc uſque diem „ permanere, nec erit quiſquam tam impu„ dens, qui rei hujus veritatem negare auſus „ ſit, cum graves viri eamdem apud Auguſta„ nos compertiſſimam eſſe teſtentur „. Hæc Surius. Quibus novis obiter dictis ad Catholicam veritatem magis magiſque illuſtrandam, ad vetera, unde digreſſi ſumus, revertamur.

Lutherus Hæreſiarcha puellam a dæmone obſeſſam fruſtra liberare tentat.

In eamdem item in idem laboraverunt Lutherani miniſtri.

Quare nulla apud Sectarios, bene quidem & unice apud Catholicos expellendorum dæmonum poteſtas reſidet.

Er quidem antiquitus varia fuit circa Energumenos diſciplina. Prioribus ſeculis Energumeni ſimul cum Catechumenis, & pœnitentibus a ſacra communione, diviniſque myſteriis poſt Evangelii lectionem jubente Diacono foras emiſſi arcebantur, ut ex Dionyſio Areopagita Emin. Author, & ex Canonibus Apoſtolicis can. 78., quin etiam can. 29. Concilii Illiberitani ſtatuitur, *ne nomen Energumeni ad Altare cum oblatione recitetur*: quod tamen de Energumenis nondum baptizatis debere intelligi ſatis exprimunt illius Canonis Expoſitores, vel de iis, qui ob grave aliquod

Varia antiquitus circa Energumenos diſciplina.

crimen erant excommunicati, ſiquidem legitur in primitiva Eccleſia publice excommunicatos paſſim a dæmonibus poſſeſſos fuiſſe, idque conſtat ex alio ſequenti Can. 37. ejuſdem Concilii, ubi etiam prohibetur, *ne Energumeni publice lucernas accendant* : quod de excommunicatis intelligi debere perſpicuum eſt. Hinc quoad Energumenos baptizatos ſubdunt Macri fratres in Hierolexico verbo *Pax* hujuſmodi Energumenos, ac publicos pœnitentes in Miſſis Defunctorum excluſos non fuiſſe, quia non dabatur pax, nec communio porrigebatur, quæ ſemper cum pace conjuncta erat, ita ut olim apud veteres *dare pacem* ſignificaret porrigere communionem, quæ a S. Ignatio Mart. Epiſt. ad Epheſ. *Pax Chriſti* appellatur. Verum poſtea ex Can. 14. Concilii Arauſicani, quod an. 441. habitum fuit, Energumenis iſtis permiſſum, ut omnimode communicent, ſi ſe ſollicitudini Clericorum tradant, monitiſque obtemperent, virtute Sacramenti muniendi contra dæmonum aggreſſiones.

Quod pleriſque comprobatur exemplis.

Id autem pluribus exemplis comprobatum habemus. Inter cætera illud eſt, quod recitat Author Libri *de Promiſſionibus, & Prædicationibus Dei*, qui Proſpero Aquitano tribuitur; Is cap. 6. narrat, quod cum Carthagine Juvencula natione Araba *Ancillæ Dei habitum geſtans* in balneo Veneris impudicæ ſimulacrum aſpexiſſet, eique ſe ipſam aſſimilaſſet, ſtatim a dæmone correpta fuit, qui meatus gutturis invadens per 70. dies illam a cibo omni prohibuit. Ut poſtea ad Altare perducta eſt, *particulam Corporis Domini tinctam* percipit, quam ſemihora mandens trajicere non valuit: *Manu igitur faciem ejus ſuſtentante Sacerdote, ne ſanctum projiceret, a quodam Diacono ſuggeſtum eſt, ut Calicem ſalutarem gutturi ejus Pontifex applicaret; quod ut factum eſt, ſtatim ut locum illum, quem diabolus obſederat, Salvatoris imperio reliquit, Sacramentum, quod ore geſtabat, cum laude Redemptoris tranſglutiſſe puella clamavit*. Mitto alia hujuſmodi exempla, quibus id certum, exploratumque conſtat, & ea alibi apud alios veteres Scriptores legi poſſunt. Quare item patet quam ſcite, & prudenter communicandos decreverint Energumenos Arauſicani Patres, & ante ipſos Illiberitani Can. 37. ubi ajunt, *Eos qui a ſpiritibus immundis vexantur .... ſi fideles fuerint, dandam eis eſſe communionem*: Cæterum, ut optime notat Joan. Caſſianus in ſua notitia Eccleſiaſt. ad Can. 29. Concilii Illiberitani pag. 74. num. 16. edit. Lugdun. diſpiciendum eſt non modo quænam ſit animi diſpoſitio in Energumeno, verum etiam quantam Deus laxaverit poteſtatem in ipſum, quatenus poteſt experimento, & ejuſdem patientis relatione dignoſci; quandiu autem prudentia dictat periculum imminere, vel ſcandali, vel irreverentiæ divini Sacramenti, adhærendum eſt, tum temporis antiqui, tum præſentis Eccleſiæ ductui prohibentis communionem Euchariſticam quoties pertimeſcitur aut vomitus, aut excreatus divini Sacramenti.

Energumenis fidelibus quando ſit communio danda.

Quo vero ad Altaris Miniſtros hujuſmodi agitatos Can. 13. Concilii Toletani IX. vulgo XI. an. 775. tit. *de Sacerdotibus qui vexantur ab ſpiritu*: hæc habentur: *Bene ſiquidem majorum regulis definitum eſt, ut dæmonis, aliiſque paſſionibus irretitis myſteria ſacra tractare non liceat. Cum præcepto conſenſu rationis adhibito id communiter definimus, ut nullus de his, qui in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant miniſtrare Altaribus, vel indiſcuſſi ſe divinis ingerant Sacramentis: exceptis illis, qui variis corporum incommoditatibus dediti in hujuſmodi paſſionibus in terram approbantur eliſi, qui tamen & ipſi tandiu erunt ab officii ſui, & ordine, & loco ſuſpenſi, quouſque unius anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi inveniantur ab curſu dæmonum alieni*: Porro de Energumenis agunt Emin. Author ſupracitato Opere de Diſcretione ſpirituum cap. XI. num. 14., & infra cap. ſequenti §. 4. Gaſpar Suicerus in ſuo Lexico, Dufreſnius in Gloſſario mediæ, & infimæ latinitatis, aliique. Vide etiam nuperos Scriptores de variis Rituum, & Miſſarum Ordinibus.

Iidem, ſi Clerici, quamdiu ab altari arcendi.

CAP.

CAP. XVII.

Quibuſdam olim peccatis negata venia: tum omnibus conceſſa. Pœnitentium quatuor claſſes, Flentium, Audientium, Subſtratorum, & Conſiſtentium. De ſingulis Claſſibus, earumque origine, ſtatione, & diſciplina. De mulierum pœnitentia. Qui fuerint hyemantes. Pœnitentes, & alii, qui Miſſæ Fidelium adeſſe non poterant, quo ordine dimitterentur. De Sacramentali abſolutione.

§. I.

Quibuſdam olim peccatis negata venia.

IN exordio Chriſtianæ Religionis tantum erat pietatis ſtudium, tantum odium improbitatis, ut quibuſdam ſceleribus, quæ atrociora viſa ſunt, omnis prorſus veniæ ſpes, omnis pœnitentia denegaretur, adeo ut qui ea commiſiſſet, quamvis a divina miſericordia eorum remiſſionem veræ contritionis ſubſidio obtineret, nunquam tamen poſſet cum Eccleſia reconciliari. (1) Ea erant idololatria, homicidium, & adulterium. Conſtat ex Tertulliano *lib. de Pudicitia* (cap. 1. §. 10. & 12.) ubi jam factus Montani aſſecla acriter invehitur adverſus decretum Zephyrini Papæ, quo adulteros ad pœnitentiam admitti edixerat. (2) Idem liquet ex Concilio Illiberitano, (3) & ex Epiſtola Innocentii Primi ad Exuperium *cap.* 2. in qua ait duriorem fuiſſe obſervationem tempore perſecutionum, ne communionis conceſſa facilitas, homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu; reddita autem Eccleſiæ pace rigorem illum in miſericordiam commutatum eſſe. (4) An vero priori, ac ſeveriori vigente diſciplina prædictorum criminum reis in fine vitæ, ſive in periculo mortis conſtitutis reconciliatio conceſſa fuerit, dubiæ quæſtionis eſt. A Patribus enim Concilii Illiberitani ſancitum fuit, ut nec quidem in fine daretur eis communio; & ex nonnullis Epiſtolis Cypriani (5) patet hunc uſum tunc viguiſſe in Eccleſia Africana: (5) alii ex adverſo removere ab Eccleſia etiam illius temporis hunc feralem rigorem ſatagunt, (6) nec ullum unquam in fine vitæ vere pœnitentem excluſum fuiſſe aſſerunt a venia, & reconciliatione. Et quidem ſi veniæ nomine Sacramentalem dumtaxat a peccatis abſolutionem intelligant, non eſt hæc ſententia improbabilis: ſed plenam reconciliationem, quæ in publicarum precum participatione, & in jure offerendi munera in ſynaxi, ac percipiendæ Euchariſtiæ conſiſtebat, illis conceſſam nego, (7) & hic ſaltem eſt ſenſus antiquorum canonum ſtatuentium, ut nec in fine eis communio concederetur. Quod ſi aliquis abſolutionem ſub mortem conſecutus convaluiſſet, intra cœtum Fidelium non admittebatur, niſi prius peracta pœnitentia illorum conſortio dignus redderetur. (8)

(1) (2) (3) (4) (5) (6) (7) (8)

Hujus ſententiæ Doctores bene multi proferuntur.

(1) *Numquam tamen poſſet cum Eccleſia reconciliari*) Hanc ſententiam (ut ait Raimundus Card. Capizucchus in ſuis ſelectis Quæſt. Theolog. pag. 52.) primus inter Catholicos protulit Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus in lib. de frequenti Commun. par. 2. c. 15. pag. 357. Deinde Ægidius Gabrielis in ſuo Libello Specim. Moral. par. 2. Moralis tutioris §. 41. Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 3. par. 1. Differt. 7. art. unico; Joannes Morinus de Diſcipl. Sacram. Pœnit. lib. 10. cap. 1. Gabriel. Albaſpinæus Obſerv. Eccl. lib. 2. obſerv. 8. quæſt. 11. 13. 15. 17. Chriſtianus Lupus part. 5. Schol. in Can. Concil. Differt. de peccatorum ſatisfact. ac indulgentiis cap. 1. pag. 555. Contra quos dictus Cardinalis Capizucchus particularem Diſſertationem ſcripſit loco citato, ubi Eccleſiam Romanam criminum idololatriæ, homicidii, & mœchiæ reis pœnitentia functis numquam

veniam, seu absolutionem Sacramentalem, præsertim in extremo vitæ pœnitentibus, denegasse contendit. Verum priorem sententiam, cui, maxime quoad primam partem, adhæsit Ernst. Author, tuentur ultra præfatos Dionysius Petavius Animadv. ad Epiphanii lib. de Hæres. hær. 59. Tom. 2. pag. 227. Jacobus Sirmondus Hist. Pœnit. publ. Oper. Tom. 4. pag. 480. Edm. Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 2. lib. 1. cap. 6. art. 2. Gaspar. Ivenin Comment. Hist. dogm. de Sacram. quæst. 9. de Pœnitentia art. 1. concl. 2., & nuper Clarisius. Joseph. Augustinus Orsi Ord. Prædicat. peculiari edita Dissertatione Mediolani impressa an. 1730.

Qui tamen in duas classes dividi possunt, eorum scilicet qui pro severiori, & aliorum qui pro leniori in lapsos disciplina erant.

Sane in varias abeunt sententias Antiquitatis Ecclesiasticæ Consulti circa hanc veteris Ecclesiæ disciplinam erga pœnitentes; quæ licet inter se diversæ sint, in duas tamen classes revocari possunt. Nonnulli, e quibus Albaspinæus, Petavius, atque item Valesius in Eusebi Hist. Eccl. in ea versantur opinione, quod severissima disciplina, qua graviorum criminum rei a communione in perpetuum excludebantur, sub Apostolorum tempora, & ad Tertulliani fere seculum obtinuerit, quæ a Zephyrino Pontifice quoad mœchiam spectat paululum relaxata, Cypriani vero temporibus majores ad lenitatem progressus habuerit. Alii, inter quos Morinus lib. 3. de Pœnit. & seqq. ex adverso tuentur Ecclesiam, non a severissima disciplina in mitiorem progressu temporis declinasse, sed contra a lenitate ad majorem severitatem transiisse; mitioribus enim pœnis ab Apostolorum ævo ad Montanum usque, gravioribus a Montano ad Novatianos, gravissimis dein post Novatianum Schisma in lapsos animadvertisse. Cui quidem posteriori huic sententiæ clariss. Pater Orsi sum addidit calculum dicta Dissertatione pag. 84. Ejus enim instituti ratio est ostendere Catholicam Ecclesiam tribus primis Christianæ fidei seculis capitalium criminum reis pacem, & absolutionem neutiquam denegasse. Hinc contra Albaspinæum, Petavium, Lupum, Martene, & alios, quos in Præfatione nominat, disputationem suam dirigit, e quibus tamen Albaspinæum præcipue sibi in adversarium elegit, qui in integro propemodum lib. 2. Eccl. Observ. in eo versatur, ut severam, & inexorabilem disciplinam in veteris Ecclesiæ usu jam inde ab Apostolis fuisse demonstret, & omnem ab hac praxi inhumanitatis notam depellat. Et quidem doctissimus Scriptor pag. 86. solide propugnat duobus primis Ecclesiæ seculis Apostolicas Ecclesias ob gravissima scelera excommunicatis, quos commissorum delictorum serio pœnituit, aditum ad Ecclesiæ communionem non denegasse, quod ut probet, septem capitibus varia comparis ætatis Scriptorum testimonia exhibet, quibus de hujusmodi veteris Ecclesiæ disciplina circa Pœnitentes in Achaja, Macedonia, Galatia, Asia, Antiochia, Alexandria, Ponto Græcis; Latinis vero Ecclesiis Romana, Gallicanis, & Hispanis dedita opera agit. Quæ vero in hac tot illustrium virorum concertatione probabilior sententia amplectenda sit, infra dicemus.

Cui posteriori sententiæ nonnulli ex recentioribus clarissimi subscribunt.

(2) *Adulteros ad pœnitentiam admitti ediverat*) Decreti ipsius testem alium non habemus, nisi memoratum Tertullianum, qui libro de Pudicitia cap. 1. sic ait: *Audio editum esse propositum, & quidem peremptorium, Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus Episcoporum: Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*: Quibus verbis a Tertulliano Zephyrinum Papam connotari communis opinio est, sicuti & cap. 10. ejusdem libri. Nedum autem mœchis, verum & idololatris, ac homicidis pacem tunc temporis indultam fuisse conjicitur ex eodem Tertulliano dicto lib. de Pudicitia cap. 5. ubi adversus Psychicos, idest carnales, quo vocabulo Catholicis conviciatur Montanista, eos propterea redarguens quod a primæva severiori disciplina descivissent, sic ait: *Adsistit Idololatres, adsistit homicida, in medio eorum adsistit & mœchus, pariter de pœnitentiæ officio sedent in sacco, & cinere inhorrescunt, eodem fletu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eamdem invocant matrem.*

Christianus Lupus Card. Bona subscribit.

Quare Christianus Lupus Dissert. de Gallicanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus cap. 17. cum Emin. nostro sentiens pressius asserit, quod usque ad Zephyrini Pontificatum omnis sub cœlo Ecclesia tria crimina reservabat Christo Domino, idololatriam scilicet, homicidium, & mœchiam. Istorum patratores compellebat ad perpetuam totius vitæ pœnitentiam, & nec exeuntibus largiebatur Sacramentalis reconciliationis viaticum; eos suis commendatos suffragiis transmittebat ad Summum nostrum in Dei Patris dextera Pontificem ab ipso judicandos, solvendos, aut alligandos. Sanctus Zephyrinus est primus Author novæ tunc clementiæ, de qua, ut supra, scribit Montanista Tertullianus. Hæc forte ad excessum doctissimus Lupus; Zephyrinus enim etsi severiori disciplina, quæ sub Apostolorum, & ad Tertulliani fere seculum obtinuit, quoad mœchiam spectat, paululum relaxata hujusmodi reis vere pœnitentibus veniam esse dandam statuerit, non novam clementiæ legem condidit, neque hæc ab ipso incœpit, sed eam misericordiæ observantiam, & veterem Romanæ, immo & Catholicæ universalis Ecclesiæ in lapsis ad pœnitentiam non sine justitiæ districtione recipiendis disciplinam, quam plerisque in locis maxime persecutionum tempore, excedente forsan rigoris zelo a Christi mansuetudine alieno remissam noverat, suo revocavit edicto, & firmius in peccatores contritos exercendam decrevit.

Qui tamen non nihil ex cessit dicens Zephyrinum hujus clementiæ authorem primum fuisse.

Id autem antiquitus absque ulla controversia in Ecclesia Catholica factitatum plane declarant, quæ scribit Irenæus, (qui ante Zepyhrini Pontificatum scribebat) adversus hær. lib. 1. cap. 9. de Fœminis a Marco seductis, nec fornicationis tantum, sed & hæresis labe fœdatis ad Ecclesiam redeuntibus, ac in ea pœnitentibus, quæ misericordiam, & veniam consecutæ sunt. Quod & Pauli Apostoli facto comprobatur, qui non mœchum simpliciter, aut fornicarium, sed turpissimo incestu corruptum, mox pœnitentem in Ecclesiam recipi

Hæc etenim in lapsos pœnitentes clementia jam ab initio Ecclesiæ obtinuerat.

recipi præcepit Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 2. Et ex alio ſimili S. Joannis Evangeliſtæ, quod refert Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 17. & lib. 5. cap. 1. ubi a Martyribus Lugdunenſibus veniam lapſis impetratam ſcribit. Item ex Clemente Alex. qui vixit Zephyrino coævus Strom. lib. 2. Hermæ Paſtoris, mandato 4. ubi pœnitentia, & poſt ipſam venia ex Angeli præcepto quibuslibet peccatis, ac mœchiæ ſingillatim concedenda præſcribitur.

Quæ tamen in aliquibus Eccleſiis ad ſeverioris diſciplinæ redacta fuit.

Cæterum negari non poteſt, quod Chriſtianæ religionis exordio ea ſeverior diſciplina quoad lapſos ad pœnitentiam admittendos in aliquibus Catholici Orbis Eccleſiis Hiſpaniæ præſertim, & Africæ ita invaluerit, ut omnis ſpes veniæ, omnis reconciliatio cum Eccleſia denegaretur; at vero negata hujuſmodi venia tunc fuit, *non deſperatione indulgentiæ* (ut ait S. Auguſtinus Epiſt. 50. vet. edit. ad Bonifacium circa fin.) *ſed rigore diſciplinæ, alioquin contra Claves Eccleſiæ datas diſputabitur, de quibus dictum eſt: quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo*: Neque enim diverſam, ſed eamdem, ac prius, Eccleſia ſemper habuit poteſtatem ab ejus inſtitutore Chriſto Domino dimittendi in terra vere pœnitentibus quæcumque peccata, uti vel ipſe adhuc Catholicus Tertullianus pluries confeſſus eſt in libris de Pœnit., & Oratione, quos jam Presbyter factus poteſtatis ſibi conceſſæ, & de abſolvendis pœnitentibus, & de Sacrificiis offerendis haud immemor conſcripſit, quibus & pœnitendi modum tum Catechumenis, tum Chriſtianis lapſis, & quos ritus ſervare deberent Sacrificii tempore fideles, præſcribit.

Tertullianus antequam Montaniſta veniam lapſis dandam propugnat.

Ait itaque lib. de Pœnit. cap. 4. *Omnibus ergo delictis ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit*, & cap. 8. *Offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes, habes, cui ſatisfacias, & quidem volentem. Si id dubitas, evolve quæ ſpiritus Eccleſiæ dicat: deſertam dilectionem Epheſiis impatat, fluxum, & idolothytorum eſum Thyatirenis exprobat: Sardos non plenarum operum incuſat: Pergamenos docentes perverſa reprehendit &c. Et tamen omnes ad pœnitentiam commonet ſub comminationibus quidem: Non comminaretur autem non pœnitenti, ſi non ignoſceret pœnitenti &c.* Clarius in Scorpiace cap. 10. *Nam etſi adhuc clauſum putas cœlum, memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe*. Hinc eſt, quod libro ſupradicto de Pudicitia cap. 1. num. 9. dicit: *Adverſus meæ quoque ſententiæ retro penes illos* (ideſt Catholicos, quos, ut diximus, Pſychicos vocat) *ſocietatem*: Et haud abſimilibus verbis alibi non ſemel citatis S. Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, & quarti ſeculi Scriptor, ad Novatianos verba faciens: *Tertullianus*, inquit, *poſt hæreſim veſter eſt, nam multa inde fumpſiſtis. Ipſum Epiſtola ſua, & ea, quam Catholicus edidi, audieris confitentem poſſe Eccleſiam peccata dimittere*.

Et ſane cum juxta Regium Prophetam *ſit ſuavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus* Pſal. 144. *ipſe miſerator, & miſericors Dominus, patiens, & multum miſericors*, in veteri etiam Teſtamento non uni vere pœnitentium, quantumvis nefandis ſceleribus inquinato veniam pollicitus eſt, & contulit remiſſionem, uti pene innumera ſunt ſacræ Scripturæ loca, cujuſmodi ſunt quæ inter cætera leguntur Iſaiæ cap. 1. v. 16. 18. Jeremiæ 34. 3. Joelis 11. 12. & præcipue Ezech. 18. 21. ubi hæc habentur: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea .... vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum, quæ operatus eſt, non recordabor &c.* Ubi vides neminem lapſum pœnitentem a venia, nullum ipſius peccatum excludi. Hæc & alia proferunt laudati Patres, S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum, prima, ac tertia ad Sempronianum; S. Pacianus Barcinonenſis memorata Epiſt. 1. contra Novatianos, ubi hæc ait: *Nonne Davidi poſt cædis, & adulterii reatum pro Bethſabee pœnitenti Propheta reſpondit: Dominus a te abſtulit peccatum tuum? Nonne Babylonium Regem poſt tot Idololatriæ facinora damnatum exomologeſis liberavit?* &c. dein poſt pauca ſubdit: *Numquam enim Deus non pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret pœnitenti*. In eumdem ſenſum Ambroſius pariter lib. 1. de Pœnit. contra Novatianos cap. 1. num. 4. eoſdem redarguens ſic ait: *Quid autem durius, quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent, eum utique veniam negando incentivum auferant pœnitentiæ? nemo enim poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam*: & cap. 2. nu. 10. item dictos hæreticos exagitans, inquit: *In eo Patrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda a vobis putetis, & quæ ſine remedio arbitremini; ſed Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit*. Idem ante ipſum docuit S. Cyprianus præcitata Epiſt. 52. item Ambroſio coævus laudatus Pacianus, aliique, quos longum eſſet referre. Quare ex his non male concluditur veterem priorum trium ſeculorum Eccleſiam, priſcoſque Patres illi proximos, non ſecus ac præſens Eccleſia, eodem Dei ſpiritu ducta, in veniam hujuſmodi graviſſime lapſis vere pœnitentibus dandam potius, quam denegandam inclinatam fuiſſe, uti & nunc, quod mox plenius explicabitur.

Aſſignantur rationes cur hæc ſeverior diſciplina duraverit.

Cur autem initio naſcentis Eccleſiæ ad Zephyrinum uſque ſeverior, ut ſupra, in Africa præſertim, & Hiſpania diſciplina iſthæc quoad pœnitentes, tandiu duraverit, præter rationem ab Emin. Authore ex Innocentio allatam, ea eſſe poteſt, ut fideles firmius crederent eum, qui ſolvendi, & remittendi delicta poteſtatem Presbyteris fecit, ligandi ſimul, & retinendi facultatem tribuiſſe, ut etiam peccato majus odium conciperent, neve indulgentiæ facilitate Sacramenta quandoque iis vileſcerent; nonnumquam gravioribus maxime peccatis veniam omnem fundituſ denegandam cenſuerunt primi illi adoleſcentis Eccleſiæ Patres, adeo ut hujuſmodi peccatores nullam poſtmodum ab Eccleſia reconciliationem ſperare poſſent. Non deſunt tamen

tamen eruditiſſimi viri, qui & a primitiva Eccleſia nimium hunc rigorem excludant, & peccantibus dictis, vereque pœnitentibus veniam datam fuiſſe contendant, ut dictum eſt, inter quos Joannes Morinus de Pœnit. lib. 9. cap. 20., & ſeqq., ac nuper Card. Capiſucchus quæſt. ſelect. loco citato, aliique qui ex Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, Clemente Alexandrino, aliiſque ante Tertullianum, ſeu Zephyrinum Scriptoribus id probant, præ cæteris laudatus P. Orſi in dicta ſua Hiſtorica Diſſertatione, & ante ipſum Balthaſar Francolinus in ſuo Clerico Romano Parte I. Diſp. 2. Verum, ut optime notat Edm. Martenę de Antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 6. art. 2. num. 3. quæcumque hujus rei demonſtrandæ gratia illi adducunt authoritates, id unum evincunt dumtaxat, communem Eccleſiæ Catholicæ doctrinam fuiſſe penes ipſam reſidere authoritatem, & poteſtatem omnia omnino peccatorum genera vere contritis dimittendi, generalemque Eccleſiarum omnium praxim ita obtinuiſſe, quæ tamen non fuitulit exceptiones quaſdam, nec impedivit quominus Epiſcopi quidam Africani præſertim, & Hiſpani, aliarumque Provinciarum nonnulli gravioribus ſceleribus diſciplinæ ſeverioris cauſa ad peccatores intra Chriſtianæ legis limites continendos veniam denegarent, quam tamen omnibus concedere poſſe nuſquam dubitarunt cum ampliſſimæ poteſtatis, quam a Chriſto Domino ſuſceperant, uſum certis finibus circumſcribi voluerunt, ut etiam infra plenius oſtendetur.

(3) *Ex Concilio Illiberitano*) Can. 1. 2. 3. & 7. ad quos lege eruditas adnotationes Card. de Aguirre Concil. Hiſpaniæ Tom. I. pag. 333. & ſeqq. Hinc ſe multum Eruditorum ingenia torquent, ut Illiberitanos Patres hac in parte ab omnis inclementiæ nota, ut æquum eſt, quoquo modo liberent, ne auſteriori quodam ſpiritu propemodum Novatianorum limites attigiſſe iidem viderentur, dum lapſis nec in ſine communionem dandam eſſe ſtatuerunt; quod quidem factum fuiſſe non niſi ex urgentiſſima tunc temporis cauſa nobis incomperta, qua moti dictæ Illiberitanæ Synodi Præſules tam rigida in lapſos cenſura procedendum decreverint, & maxime ut reliquos omnes fideles ab his atrocioribus patrandis criminibus longius abſterrerent, profecto credendum erit. Præterea abſque dubio affirmandum cum Card. noſtro, aliiſque, memoratos Patres communionis nomine, quam hujuſmodi lapſis tam gravium criminum reis nec in vitæ finem dandam vetant, plenariam quidem, & publicam, quæ (ut paulo poſt explicat Emin. Author) in publicarum precum participatione, & in jure offerendi munera ad Altare, atque Euchariſtiæ cum cæteris fidelibus percipiendæ conſiſtebat, intelleXiſſe, non vero privatam reconciliationem, ſeu ſacramentalem a peccatis dumtaxat abſolutionem, quam utique iiſdem lapſis vere pœnitentibus ſaltem in fine vitæ conceſſam voluiſſe fateri nos cogunt dictorum Patrum probitas, pietas, ac doctrinæ excellentia, Oſii præcipue Cordubenſis, ac Valerii Cæſaraugustani Epiſcoporum fidei etiam confeſſione illuſtrium, qui eidem Concilio interfuere, niſi alias, quod abſit, illorum hujuſmodi famæ derogari velimus; idque factum, ut ſupra, ex Auguſtino *non deſperatione indulgentiæ, ſed vigore diſciplinæ, aliquin contra claves Eccleſiæ datas diſputabitur.*

(4) *In miſericordiam commutatum eſſe*) Rationem reddit Innocentius ibi — *Et propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici negantis veniam, aſperitatem, & duritiam ſubſequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio* &c. Vide doctas ad hunc locum notas Petri Couſtantii in Epiſt. Summ. Pontif. col. 792. num. 6.

(5) *Et ex nonnullis Epiſtolis Cypriani*) videlicet 52. 53. & 54. & quidem Epiſt. 52. ad Antonianum, quem in Novatiani partes propenſum ab errore revocare ſtudet Cyprianus, inter cætera hæc inquit; *Et quidem apud Anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſthic in Provincia noſtra dandam pacem mœchis non putarunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt &c.* & 54. ad Cornelium nomine Synodi Africanæ ſcripta de pace lapſis danda, in fine ait: *quod ſi de collegis aliquis exiterit, qui urgente certamine pacem fratribus, & ſororibus non putat dandam, reddet ille rationem in die judicii Domino, vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiæ ſuæ*: ubi vides nonnullos ex Africæ Epiſcopis extitiſſe, qui a Cypriani ſententia quoad lapſos in Eccleſiam ad poenitentiam recipiendos abſceſſerant, ſed de hac re iterum infra nota ſequenti.

(6) *Alii ex adverſo &c.*) Idem Cyprianus dicta Epiſt. ad Anton. *ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſepararetur*: quibus verbis ſatis perſpicue conſtat in Eccleſia Africana alios rigidioris, alios mitioris fuiſſe ſententiæ, ut bene notat Emin. Author: *neque illi ob hanc diverſitatem a Coepiſcoporum ſuorum Collegio receſſerunt, aut Catholicæ Eccleſiæ unitatem, vel duritiæ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt ..... manente concordiæ vinculo &c.* Sic idem ſubdit Cyprianus, quia ut erudite obſervat Fellus in notis ad hunc ejuſdem locum, per hanc Africæ Epiſcoporum libertatem non aliud intelligere videtur Cyprianus, quam quod ſuum ipſorum judicium ſequi potuerint, uſque dum Eccleſia hanc controverſiam publico decreto compoſuiſſet, quemadmodum expoſt fecit, uti mox infra videbimus.

In Africana Eccleſia alii rigidioris, alii mitioris ſententiæ.

(7) *Illis conceſſam nego*) Cohæret hæc Emin. ſententia ipſiſmet Innocentii verbis in laudata Epiſtola ad Exuperium, ubi ait: *conſuetudo prior tenuit, ut concederetur pœnitentia, ſed communio negaretur*: id & confirmat Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſeculo 3. Diſſert. 7. art. 1. prop. 3. ad probat. min. videlicet edit. Pariſ. in fol. pag. 861. col. 1. in fine, ubi abſolutionem Sacramentalem a communione pariter diſtinguens, illam, non hanc dictorum criminum reis poenitentibus in fine vitæ conceſſam aſſerit. Lege etiam Morinum Exercit. Eccl. lib. 2. exerc. 10. in fine.

(8) *Illorum confortio dignus redderetur*) Id conſtat primo ex S. Gregorii Nyſſeni Epiſtola

la Canonica ad Letojum Mitilenenſem Epiſcopum Can. 1. quo ubi Apoſtatæ a fide pœnitentiæ tempus vitam omnem præſcripſit, hæc ſubdit: *In hora autem ſui e vita exceſſus Sacramenti communionis erit particeps; ſin autem contigerit, ut præter ſpem vivat, in eodem rurſus vivet judicio, myſticorum Sacramentorum ad vitæ exitum uſque expers*: Et ante ipſum ex Concilio Carthaginenſi IV., quod an. 253. celebratum fuit Can. 76. quo decernitur, *ut is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate fuerit, vel in phrænefim verſus, fantibus teſtimonium, qui eum audierunt, accipiat pœnitentiam: & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, &c.* deinde poſt pauca addit: *Si ſupervixerit, admoneatur a ſupradictis teſtibus petitionis ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quandiu Sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.*

Varia quoad pœnitentes in mortis diſcrimine conſtitutos ante Concilium Nicænum diſciplina.

Cæterum ante Concilium Nicænum quoad hujuſmodi pœnitentes in mortis diſcrimine varia fuit diſciplina, atque inde inter Eruditos alii aliter ſentiunt, cum nimirum & a lapſis, & a peccatoribus reliquis illorum cauſa ſeparata fuerit, qui pœnitentiam ad inſtantis obitus periculum uſque diſtuliſſent, quibus etiam moribundis olim in Africa intercluſam fuiſſe communionem non obſcure ſignificat Cyprianus ſupra laudata Epiſtola 52. ad Antonianum, ubi adverſus Novatianos ita ſcripſit: *Miror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe, ut damnatam lapſis non putent pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment veniam eſſe denegandam: poſtea hæc ſubjicit. Et idcirco Frater, chariſſime pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communicationis, & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cæperint deprecari; quia vegave illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonito compellit, nec dignus eſt accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*: Hanc porro durioremCypriani diſciplinam erga eos, qui tantum in mortis articulo pœnitentiam, & pacem petebant, quam forte temporc perſecutionis ſic exigente, utpote in tanta Lapſorum copia, ad hanc minuendam ita dicto diſtrictiori judicio illam legem obſervari exiſtimarunt Africani Patres; hanc inquam poſtea Synodus Provincialis Arelatenſis prima ad ſolos Apoſtatas reſtrinxit Can. 23. Licuit iis hic in ſuo ſenſu abundare, cum nondum circa id quidquam alicujus Occumenici Concilii generali decreto ſtatutum fuerit; quinimmo primævum hujuſmodi rigorem ita mitigavit, & flexit magna Nicæna Synodus Can. 13., ut aucta in omnes morientes antiqua Eccleſiæ miſericordia, ac pietate decreverit, quod eorum nullus omnino ultimo, & neceſſario viatico privetur: *Quod ſi deſperatus, & confectus communionem, oblationiſque particeps factus iterum convaluerit, ſit inter eos, qui communionem orationis tantummodo conſequuntur*: ideſt inter Conſiſtentes.

Nicæni Patres ultimi, ac neceſſ.

Ultimi autem, & neceſſarii viatici nomine Nicæni Patres, ut optime notat Chriſtianus Lupus in Schol. ad hunc Canonem, & ad Conc. Sardicenſis Can. 1., ac Natalis Alexander loco ſupracit. pag. 660. col. 1. non aliud, quam ſimplicem abſolutionem ſacramentalem, & cum ipſa admiſſionem ad conſiſtentiam intelligunt. Eam fuiſſe olim vocis ſignificationem paſſim uſurpatam oſtendit prima Synodus Araufıcana Can. 3. (non 2. ut perperam ſcribit Lupus) ſtatuens, ut in extremis pœnitentiam accipienti detur non legitima communio cum reconciliatoria manus impoſitione; *ſed ſimpliciter communio, quod morientis ſufficit conſolationi ſecundum definitiones Patrum* (vid. Nicænorum) *qui ejuſmodi communionem congruenter viaticum nominarunt*: Et ſecunda Synodus Vaſenſis, necnon Arelatenſis ſecunda *Sacramentorum viaticum* opponunt *abſolutiſſimæ reconciliationi*, idelt reconciliationi, qua quis ad perfectam cum oblatione communionem admittebatur. Eapropter viaticum non idem fuiſſe olim quod Euchariſtia, manifeſtum eſt. Et ſane viaticum maxime neceſſarium, ut omnes norunt, eſt abſolutio a peccatis, non autem Euchariſtia, qua etiam non percepta in articulo mortis, cum ſola pœnitentia, & abſolutionis ſacramentalis beneficio, quis ſalvari poteſt, & de qua poſtmodum Nicæni Patres dicto Canone hæc decernunt: *generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debebit*.

Viatici nomine ſimplicem abſolutionem ſacramentalem intelligunt.

Hinc eſt, quod Araufıcana Synodus præfata, poſtquam ſanxit ſine manus impoſitione reconciliatoria dari poſſe communionem, quæ morientium ſufficiat conſolationi, ſive quæ ſit ad eorum ſalutem ſufficiens, abſolutionem ſcilicet a peccatis, ut diximus, addidit: *Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium, ut offenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem, ideſt Euchariſtiam, cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant*: Neque alicui fortaſſe fucum faciant quæ ſcribit doctiſſimus Petavius in ſuis Animadverſionibus ad Epiphanium Hær. 59. Novatianorum pag. 229. „ communionis nomi„ ne, ſunt qui Euchariſtiam dumtaxat intel„ ligant, quaſi a peccatis abſoluti fuerint illi „ quidem, ſed Dominici Corporis minime ſa„ cti participes, quibus nullo modo ab Eruditis conceditur; neque enim veteris Eccleſiæ „ ritu ambo illa ſejuncta fuiſſe putant, neque „ quiſquam pacem, ac reconciliationem cum „ Eccleſia, quam nos abſolutionem dicimus, „ obtinuiſſe videtur quin una participandorum „ myſteriorum jus, poteſtatemque ſit adeptus; Hæc Petavius; quæ utique intelligenda ſunt de publica, & legitima communione hujuſmodi pœnitentibus etiam in exitu negata, non de ſimplici, & privata illis conceſſa, de qua nos loquimur; atque hæc dicta ſint in confirmationem ſententiæ Emin. Authoris. Quæ autem fuerit pœnitentia hujuſmodi in privatam, publicam, & ſolemnem diſtincta, infra ſuo loco dicemus.

Moribundi pœnitentes, ſi conſalſeſcant denuo in ordine pœnitentium ſtabant.

Vetus pœnitentialis diſciplinæ vigor etiam poſt Zephyrinum in aliquibus locis adhuc obſervatus.

Viguit porro ſupradictæ diſciplinæ pœnitentialis rigor etiam poſt Zephyrinum ſaltem in quibuſdam Eccleſiis; nam, ut diximus, in Synodo Arelatenſi I. paulo ante Concilium Nicænum

cænum celebrata Can. 23. de Apoſtatis, qui tantum infirmitate correpti petuot communionem, ſtatutum eſt eis non dandam eſſe, niſi revaluerint, & egerint dignos pœnitentiæ fructus. Hanc poſtea praxim etiam quoad iſtos omnino ſuſtulit Nicænum Coocilium decerneos, ut item dictum eſt, quod cuicumque in exitu poſito, & poſcenti, communionis gratia ab Epiſcopo impertiatur. Id nihilominus nequaquam obſtitit, quin adhuc priſtinam ſeveritatem retinueriot noonulli rigidiores Epiſcopi, cujus rei exemplum habemus in Sardicenſi Concilio, quod non multo poſt Nicænum præfatum celebratum eſt, in cujus Can. 2. Prælatis Eccleſiarum, qui per ambitionem ſedem mutaveriot, nec io exitu communionem laicam conſequi permittitur; quod decretum ita mitigavit Damaſus Papa his verbis ſcribens in Epiſtola ad Paulinum Antiochenum apud Lucam Holſtenium in Collectionis Rom. parte I. pag. 183. *eos, qui de Eccleſiis ad Eccleſias migraverunt, tamdiu de communione noſtra habemus alienos, quandiu ad eas redierint Civitates, in quibus primum ſunt conſtituti*: Cujus Pontificiæ ſanctionis etiam meminit Theodoretus Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 11. Sed & ante Damaſum Julius Papa I. cujus tempore, & outu dictum Sardicenſe Coocilium habitum fuit, reum animarum dixit eſſe Presbyterum, qui pœniteotiam morientibus abnegat his verbis, ut refertur cauſa 26. quæſtiooe 6. *Si Presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum, quia Dominus dicit: quacumque die converſus fuerit peccator, vita vivet, & non morietur: vera enim confeſſio in ultimo tempore eſſe poteſt, quia Dominus non ſolum temporis, ſed etiam cordis inſpector eſt &c.*

Et demo per Summos Pontifices jam a ſeculo quinto in Gallia, aliiſque Provinciis repreſſus.

Adhuc tamen ſeculo quinto perſeverabat in Galliis vetus illa rigidior circa dictos pœnitentes diſciplina, etenim Cæleſtinus Papa I. qui anno 423. electus fuit, Epiſt. 2. ad Epiſcopos Provinciarum Viennenſis, & Narbonenſis cap. 2. ita Gallicanos hos Præſules redarguit: *Agnovimus enim pœnitentiam morientibus denegari, nec eorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & perielitantem ſub onere peccatorum hominem, pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere &c.* Tandem ſic coocludit: *quovis tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti*. Iiſdem verbis uſus, quibus Prædeceſſor ſuus Innocentius I. Epiſt. 2. cap. 2. eodemque ſenſu, quo Leo Magnus ſucceſſor Epiſt. 89. ubi ait: *In diſpenſandis Dei donis non debemus eſſe difficiles*: Hinc quemadmodum Tertullianum excommunicatione perculit, ejuſque nimiam ſeveritatem repreſſit Zephyrinus, Novatianum in lapſos irreconciliabilem Cornelius, & inde Innocentius, ita Gallicanum Epiſcoporum aliquot rigoriſmum Cæleſtinus, & poſtea Samniticum, Campanum, Picænum, iterumque Gallicanum eumdem nimium erga Pœnitentes rigorem confixit Leo ad harum Eccleſiarum Prælatos ambo ſcribentes, quos & alii Romani Pontifices ad hæc noſtra tempora ſecuti ſuot, ex recentioribus S. Pius V., Gregorius XIII., Urbanus VIII. Innoceotius X., Alexander VIII. & Clemens XI., qui veteres Montaniſtas, Novatianos, Encratitas, Euſthatianos, & Luciferianos in Michaele Bajo, Cornelio Janſenio, aliiſque hujuſmodi pravis hominibus redivivos rigidiſſimam in poenitentes ſeveritatem affectantes damnarunt, & rejecerunt, Chriſti Domini, cujus vices in terris exhibent, benignitatem, ac manſuetudinem imitati, qui noo venit vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam, hos vere contritos deouo in Eccleſiæ gremium admittendo, eiſque veniam, & delictorum remiſſionem per congruam pœnitentiam elargiendo.

Hinc ſingularis Eccleſiæ Romanæ prærogativa lapſis pœnitentibus miſereri ſemper & parcere.

Hæc benignitas, & miſericordia in lapſos vere ex animo doleotes ſingularis Romanæ Eccleſiæ prærogativa, & laus eſt, fuit, eritque ſemper, inde ſicut Dominus Deus ooſter omnipotentiam ſuam parcendo maxime, & miſerando manifeſtat, ſanans contritos corde, & alligans contritiones eorum; ita ejus imitatione ipſa pariter amplitudinem, & gloriam ſuam oſtendit, cum ex poteſtate ſibi ab eodem Domioo Deo tradita lapſis veniam ex corde petentibus indulget. At vero proprium Apoſtolicæ Sedis miſereri ſemper, & parcere, ſed ſubjectis quidem Fidelibus, & ſincere contritis, non hæreticis contumacibus, ac ſuperbis. Sic benigniſſimus quidem fuit Petrus Apoſtolorum Princeps, & Romaoorum Pontificum primus, ſed non cum Anania, & Saphira (inquit Balth. Francolinus ſupra laudatus in ſuo Clerico Rom. Præſ. p. X.) hypocritis, & deceptoribus; noo cum Simone Mago impoſtore, ſed cum Neophytis, cum Fidclibus, eum pœniteotibus. Duos illos coojuges ſimulatores duobus verbis tamquam telo non errante transfodit, impoſtorem vero volantem de cœlo detraxit, eique crura cnofregit. At Neophytos Hebræos quamvis judaizaotes toleravit, Neophytos gentiles onere antiquæ legis abſolvit, Antiochenos fideles magno numero præceptorum ooerari noluit, nulli pœnitentium veniam deocgavit. Hæc eadem fuit ſucceſſorum Petri benignitas, idem rigor, io Hæreticos; hos enim indulgentia audaeiores facit: rigor in impoſtores hypocritas, ne diurius decipiant; rigor in Rigoriſtas, ne ſuavem Evangelii legem in tyrannidem vertant animarum; benignitas vero in eos, quos recens ad fidem Eccleſia mater parturiit, quibus lac præberi voluere, facilem nempe diſciplinam, benignitas in ſibi ſubjectos populos, quos novis ſemper, nec penitus neceſſariis, urgeri præceptis noluere; benigoitas demum in pœnitentes, quorum fuit ſemper, & eſt Romana Eccleſia perfugium. Hæc Francolinus juſtæ ſeveritatis in malignantes, ac benignitatis in pœniteotes vindex. Sed hac de re nonnulla ab ipſo iotacta mox proferemus.

Concluditur denique neminem lapſum, & contritum, præcipue in fine vitæ a venia, & reconciliatione excluſum fuiſſe.

Conſtat igitur ex allatis hucuſque Eccleſiaſticæ antiquitatis mooumentis, & ex Sedis Apoſtolicæ decretis nullum umquam in fine vitæ, præcipue vere pœnitentem a venia, & reconciliatione excluſum fuiſſe, privata ſcilicet

cet peccatorum abſolutionem, non autem a publica, & plenaria Sacramentorum participatione, ut optime Emin. Author, in cujus ſententiæ confirmationem legendus Purpuratorum eruditiſſimus, (ut illum hoc nomine juremerito donat Guillelmus Cave in ſua Hiſtoria Literaria noviſs. edit. pag. 368.) Card. de Aguirre Concil. Hiſp. Tom. 1. Diſſert. 7. 8. & 9. in Canones XI. & XII. Concilii Toletani II. vulgo III. an. 589. pag. 358., & ſeqq. quarum prima in duos Excurſus, ſecunda in quinque, tertia in tres diſpertitur. In prima diſſerit quonam ſenſu peccatoribus poſt pœnitentiam lapſis in hoc Concilio negetur novus acceſſus ad pœnitentiam, ſive reconciliationem, putatque Canonem non de ſecreta, & ſacramentali pœnitentia, ſed de ſolemni exponendum eſſe, uti pluribus SS. Patrum teſtimoniis id invicte probat. Secunda agit de inſtauratione priſcorum Canonum circa pœnitentes tum lapſos poſt baptiſmum, tum relapſos poſt pœnitentiam, præſertim in Hiſpania, ubi oſtendit quænam fuerit illa vetus diſciplina, & quodnam tum pœnitentium, tum Confeſſariorum officium. Tertia Diſſertatio agit de pœnis relapſorum inſtauratis in hoc Concilio, & de vario genere, ac modo pœnitentiæ, ubi omnia ex antiquis Canonibus, Sanctiſque Patribus fuſe non minus, quam docte, illuſtrat, & confirmat.

§. II.

Tum omnibus peccatis venia conceſſa.

POſtquam autem rigidioris diſciplinæ emollita duritie omnibus criminibus, etiam tribus ſupradictis, indulgentiæ, & miſericordiæ janua aperta eſt; non tamen facile quibuslibet petentibus facultas concedi ſolebat agendi in Eccleſia pœnitentiam, niſi prius conſtaret admiſſa flagitia eos ſerio deteſtari, & vere optare dignos facere pœnitentiæ fructus, ac mores emendare. Ideo in area ultra omne Eccleſiæ tectum diu ante porticum permanebant, ubi ſacco induti, & cinere aſperſi omnium Fidelium Eccleſiam ingredientium pedibus provoluti rogabant, ut pro ipſis apud Epiſcopum, & Presbyteros, ac univerſam fraternitatem intercederent, & jus agendæ pœnitentiæ impetrarent; huc alludit Tertullianus lib. de Patientia cap. 12. *Hæc expectat, hæc exoptat, hæc exorat pœnitentiam quandoque inituris ſalutem.* Et de Pœnit. cap. 3. *Adſiſtit pro foribus, & de notæ ſuæ exemplo cæteros admonet, & lacrymas fratrum ſibi quoque advocat, & redit plus utique negotiata, confeſſionem ſcilicet, quam communicationem. Nec amittit, ſed præparat fructum.* Cyprianus quoque lib. de Lapſis, Caſti, & Aemilii, qui tormentis vexati lapſi erant, pœnitentiam commemorans ait: *Sic ſic Caſto, & Aemilio aliquando Dominus ignovit: ſic in prima congreſſione devictos, victores in ſecundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante ceſſiſſent, & unde ſuperati eſſent, inde ſuperarent. Deprecabantur illi non lacrymarum miſeratione, ſed vulnerum, nec ſola lamentabili voce, ſed laceratione corporis & dolore.* Eu-

Pœnitentiæ deſcriptio ex Tertulliano & Euſebio.

ſebius item in fine *libri 5. Hiſtoriarum* petitam & obtentam a Natali confeſſore, qui ab hæreticis deceptus Epiſcopatum apud illos acceperat, pœnitentiam enarrat dicens, ad pedes Zephyrini Epiſcopi ſeſe cum lacrymis indutum ſacco, & conſperſum cinere abjeciſſe; nec ſolum Cleri, ſed & ſecularium veſtigiis advolutum, multiſque precibus uſum, oſtenſis etiam vibicibus plagarum, quas pro Chriſti confeſſione pertulerat, Eccleſiam tandem ſuis fletibus commoviſſe. Ipſa vero pœnitentiæ opera Tertullianus elegantur commemorat lib. de Pœnit. cap. 9. *Exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem, de ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco, & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, triſti tractatione mutare: cæterum paſtum, & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominum Deum ſuum, Preſbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere.* Idem de pudicitia *cap.* 13. pœnitentem depingit

conciliciatum & concineratum, cum dedecore, & horrore compoſitum, omnium lacinias invadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem. Simili modo Cyprianus *lib. de Lapſis* hæc eſſe ait pœnitentium exercitia, impenſius orare, diem luctu tranſigere, vigiliis ac fletibus noctem ducere, ſtratos ſolo cineri adhærere, in cilicio, & ſordibus volutari. Sic Pacianus *Parenæſi de Pœnit.* dejicere mœroribus animum, ſacco corpus involvere, cinere perfundere, macerare jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvare (1). (1)

Perpetui pœnitentes fere numquam ad Confeſſionis gradum admiſſi.

(1) *Multorum precibus adjuvare*) Hæc publica pœnitentiæ opera, quæ ex Sanctis Patribus hoc loco Emin. Author deſcribit, nedum ii, qui olim proxime cum Eccleſia reconciliandi erant, verum & illi, qui tantum in mortis articulo, aut numquam publicæ communionis, & pacis beneficium accepturi, exercitabant. „ Non temere, (inquit Dion. „ Petavius in S. Epiphanium ad Her. 59. pag. „ 232.) quivis ad pœnitentiam admiſſus eſt, „ ut quamvis numquam in gratiam cum Ec„ cleſia rediturus eſſet, tamen cum aliquo „ delectu publicam ad ſatisfactionem, pœni„ tentiamque reciperetur, nam & in publica „ pœnitentiæ functione, vel citra abſolutionis „ ſpem ſuis quidam erat fructus, quod in„ primis fidelium precibus commendatiores „ eſſent; Quod ſi præterea perpetua illa pœ„ nitentia damnatis gradatim, ut cæteris ad „ quartum, ultimumque ordinem liceret eve„ hi, quem Syſtaſin vocabant, non contem„ nendum operæ pretium extitit, ſi minus ad „ pacem, & Eucharitiæ participationem, ad „ interiorem tamen orationis, cæterarumque „ rerum ſocietatem tranſferri. Quamquam„ vix eſt ut credam perpetuis illis pœniten„ tibus poſtremum illum gradum patuiſſe: „ quin potius tribus prioribus definitos illos „ eſſe ſuſpicor. Ita apud Baſilium can. 73. ad „ Amphil. qui Chriſtum negaverit, inter Flen„ tes in perpetuum relegatur, & Ancyranum „ Concil. can. 23. eos, qui voluntarium homici„ dium perpetraverint, toto vitæ tempore hy„ poroſi, ſeu ſubſtrationi ſubjicit: Hæc Peta„ vius, cui lubens hæc in parte ſubſcribam, perpe„ tuis nempe, & publicis pœnitentibus fere num„ quam ſyſtaſis, ſeu Confeſſionis gradum patuiſ„ ſe, ſed inter tres primos gradus, aut Flentium „ ſcilicet, aut Audientium, vel Subſtratorum, de „ quibus infra dicemus ſtationem, ipſis definitam, „ proinde juxta antiquos hujuſmodi Eccleſiæ Ca„ nones, quibus tamen per Epiſcopos diſpenſari „ poterant, cum cæteris Pœnitentibus, & Cate„ chumenis ante Sacrificii oblationem Diaconi „ voce expulſos fuiſſe.

Relapſi olim negatam omnem reconciliationem cum Eccleſia tum ſolemnem, tum privatam nonnulli affirmant.

An autem iis, qui acta publice pœnitentia vel eadem, vel nova crimina perpetrabant, omnes pœnitentiæ aditus ab Eccleſia olim præcluderentur, diſputant Eruditi. Negatam hujuſmodi relapſis nedum ſolemnem, verum etiam privatam pœnitentiam aſſirmant Gabriel Albaſpinæus lib. 2. Obſerv. 5. Joannes Morinus lib. 5. de adminiſtr. Sacram. Pœnit. cap. 27. Dionyſius Petavius præfatus loco cit. pag. 236., & ſeqq. aliique, hancque eorum opinionem nonnullis veterum Patrum documentis firmare conantur; ſolidioribus tamen rationibus contraria fulcitur ſententia, & diſtis peccatoribus relapſis privatæ pœnitentiæ ſubſidium, abſolutioniſque beneficium, præſertim imminente morte, antiquitus denegatum non fuiſſe oſtenditur ex Siricio Papa Epiſt. I. ad Himerium Taraconenſem, qui illum de hujuſmodi relapſis conſuluerat, cui Pontifex ita reſpondet cap. 5. *De quibus quia jam faſtigium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, facræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint, a Dominicæ autem Menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata faſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubveniri.* Scio hanc Siricii Epiſtolam, ſicut & aliam ejuſdem ad Epiſcopos Africæ a Dan. Papebrochio Propyl. ad acta Sanctorum Maii, ſeu in conatu Chronico-hiſtor. ad Catalogum vet. Pontif. pag. 78. in dubium revocari, ſed de earum ſinceritate ambigendi locum non eſſe luculenter oſtendit clar. Criticæ Baronianæ Author Tom. I. ad an. 398., cui ſubſcribunt Tillemontius Hiſt. Eccl. Tom. 10. ed. Ven. pag. 359., & in notis pag. 789. nota 3., ac Hiac. Amat. de Graveſon Hiſt. Eccl. Tom. I. pag. 164. aliique.

At verius ſolemnem quidem & publicam negatam fuiſſe, non autem ſimpliciter, ac privatam affirmandum eſt.

Licet itaque pœnitentiam ſolemnem, & publicam relapſis olim negatam fuiſſe faciles admittamus, privatam tamen ipſis, quoties reſipuerint, ſemper ab Eccleſia conceſſam conſtanter aſſerimus; pœnitentiam enim abſolute ſumtam, ſive cum eadem ab Eccleſia conceditur, ut Sacramentum, ſive cum a pœnitente exercetur ut virtus, iterari poſſe, nemo, niſi hæreticus, negat, ut ſapientiſſime advertit Divus Thomas 3. parte quæſt. 84. art. 10. Hinc idem Angelicus Doctor in 4. Sentent. Diſt. 14. quæſt. 1. art. 5. quæſtiunc. 2. de ſolemni, ſeu publica pœnitentia, atque etiam privata differens: *Solemnis*, inquit, *Pœnitentia iterari non debet propter tria*; *primo, nec ex iteratione vileſcat, ſecundo propter ſignificationem, quia eſt figura expulſionis hominis de Paradiſo, quæ eſt ſemel tantum facta. Tertio, quia ſolemnizatio eſt quaſi quædam profeſſio perpetuo pœnitentiam conſervandi, & ideo iteratio ſolemnitati refiſtit: ſi tamen poſtmodum peccaverit, non clauditur ei locus pœnitentiæ* (ſcilicet privatæ) *ſed pœnitentia ſolemnis iterum ei injungenda non eſt*. Ita Divus Thomas; jam enim ſuo tempore, & quidem inde a ſeculo definente duodecimo, vel obſolevit publica pœnitentia, vel cœpit eſſe rariſſima, uti obſervat Thomaſſinus vet. & nov. diſcipl. parte I.

te I. lib. 2. cap. 7. num. 14. eapropter Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de Reform. cap. 8. Epiſcopis indulget, ut publicæ pœnitentiæ genus in aliud ſecretum commutare poſſint, quando ita magis judicaverint expedire. Atque hæc ſatis, etſi raptim, de publicis pœnitentibus, nunc de ſingulis eorum gradibus diſſerendum.

§. III.

Pœnitentium quatuor Claſſes, ſcilicet Flentium, Audientium, Subſtratorum, & Conſiſtentium.

OBſervant Eruditi, in ſcriptis Tertulliani, Cypriani, & aliorum Patrum, qui ducentis & quinquaginta annis poſt Chriſtum floruerunt, nullam reperiri pœnitentium in varias Claſſes diſtinctionem, ſive Epiſcoporum prudentiæ commiſſa tunc fuerit, ſive revera poſt Novati hæreſim incœperit, quod probabilius exiſtimo (1). Cum enim Novatiani perpe- (1)
ram aſſererent non eſſe in Eccleſia poteſtatem peccata poſt baptiſmum dimittendi, in quo, teſte Paciano, eorum hæreſis ſita erat, non quod ſimpliciter negarent Lapſis pœnitentiam: viſum eſt Patribus modum, & ordinem pœnitendi certis legibus ſtabilire; atque ideo quatuor pœnitentium gradus, ſive ſtationes conſtituerunt, quarum prima dicebatur *Fletus*, ſecunda *Auditio*, tertia *Subſtratio*, quarta *Conſiſtentia*. Has Græci proprio idiomate vocant *Proclauſin*, *Acroaſin*, *Hypoptoſin*, & *Syſtaſin*.

(1) *Quod probabilius exiſtimo*) Hanc opinionem tuentur inter Catholicos Joannes Morinus de Pœnit. lib. 4. cap. 1. num. 3. Gabriel Albaſpinæus lib. 2. obſerv. 22., aliique & ex hæreticis Gaſpar Svicerus Theſaur. Eccleſ. Tom. I. pag. 171. voce *acroaſis*, ſive *Auditio*. Et ſane (ut optime obſervat nuperus, & eruditus ſcriptor P. Theodorus a Spiritu Sancto Carmelita excalceatus in ſuo Tractatu de Indulgent. Diſſert. Procem. Hiſt. Tom. I. pag. 4.) ab Eccleſiæ exordio ad hæreſim Novati, quantum ex veterum monumentis, quæ extant, colligere licet, nullum ab Eccleſia publica lege definitum fuiſſe pœnitentiæ tempus pro peccatis obeundæ reperiri; hoc tantum conſtat graviores, atque longiores impoſitas fuiſſe pœnitentias poſt Montani tempora uſque ad Novati hæreſim, quam toto eo tempore, quod Montanum præceſſit. Canones autem Pœnitentiales, quibus pro ſingulis peccatis pœnæ, earumque tempora ſtatuuntur, quotquot ſunt omnes, Novato ſunt recentiores; antea ſiquidem ad Epiſcopi arbitrium pro criminum gravitate pœnitentia injungebatur, poſtea vero tum pœnarum conditio, ac tempus certis canonibus, ſeu legibus fuerunt conſtituta, tum tempus illud omne publicæ pœnitentiæ in quatuor partes fuit diſtributum, quas totidem pœnitentiæ gradus, & ſtationes appellarunt Patres, qui a ſeculo tertio claruere. Cæterum Chriſtianus Lupus in Scholiis ad Canonem XI. Concilii Nicæni huic opinioni diſſentit, ait enim ibi pag. 57. primæ edit. in-4. „ Quidam exiſtimant illos (ſcilicet pœni-
„ tentium gradus) Novatiano non antiquio-
„ res, utpote ab Eccleſia inſtitutos adverſum
„ ejus errores, exiſtimo errare. Fateor non
„ eſſe inſtitutum Apoſtolicum, eorum tamen
„ non tantummodo S. Cyprianus, ſed & Ter-
„ tullianus meminit tamquam rei vetuſtæ „.

Ab Eccleſiæ exordio uſque ad hæreſim Novati, tertium ſcilicet ſecundum nullum publica lege definitum tempus pœnitentiæ.

Verum pace eruditiſſ., & clariſſ. viri S. Cyprianus, & ante ipſum Tertullianus pœnitentiæ quidem mentionem faciunt, ejuſque tunc eorum ævo obſervatam diſciplinam, & qualitates deſcribunt, ſed illius quatuor hujuſmodi gradus expreſſe non diſtinguunt, uti eorum Opera legentibus manifeſtum eſt, & nos infra §. ſequenti nota 6. ſuſius demonſtrabimus.

Primus qui illorum ſigillatim, & diſtincte *Primus, qui quatuor pœnitentium gradus memoret, Gregorius Thaumaturgus* ſeculo tertio (ut optime notat Natalis Alexander ſec. 3. Diſſert. 8. art. 1.) Cano- *memoret, Gregorius Thaumaturgus.*
ne ultimo Epiſtolæ ſuæ Canonicæ, etſi illum aſſutum, ac ſuppoſititium Morinus, & ex eo nonnulli ex Narthecis voce, quæ ſub finem quinti, aut ſexti ſeculi a Græcis uſurpari cœpit, ſuſpicentur; quem tamen antiquum, & venerandum fere omnes admittunt. Ait itaque ibi: *Fletus eſt extra portam Oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur. Auditio eſt intra portam in Narthece, ubi oportet eum, qui peccavit, flare uſque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim* (inquit) *ſcripturas, & doctrinam efficiatur, & precatione indignus cenſeatur. Subſtratio autem eſt, ut intra portam Templi ſtans cum Catechumenis egrediatur. Conſiſtentia eſt, ut cum fidelibus conſiſtat, & cum Catechumenis non egrediatur. Voſtremo eſt participatio Sacramentorum.* Vox *Narthecis* ſupradicta, ut diximus, nonnihil innuit, quo quis ſuſpicetur hunc Canonem a quoquam alio Patre, & Doctore aſſumtum fuiſſe, fortaſſe ex Sancto Baſilio Epiſt. Canon. ad Amphil., ibi enim ait can. 75. *Scripturas, & doctrinam Audiens ejiciatur, & nec oratione dignus habeatur.* At Narthecis vocabulum non fuiſſe uſurpari cœptum quinto, vel ſexto ſeculo, ſed tam antiquum eſſe, quam fint veteres in Eccleſia porticus, immo & Eccleſiæ ipſæ anti-

quæ Chriſtianorum, conſtabit ex dicendis infra ad Cap. XX. §. 6. Plura objiciunt Morinus, aliique contra hunc Canonem undecimum S. Gregorii Neocæſarienſis, at omnia in contrarium argumenta invicte diluit Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. III. Diſſert. 18., ubi eumdem vindicat.

Speciatim verba S. Baſilius, qui eoſdem deſcribens explicat.

Cæterum Gregorio ſignantius idem S. Baſilius per quatuor hoſce gradus peccatores pœnitentes traducendos eſſe decernit in dicta Epiſtola Canonica ad Amphilochium can. 22. 56. 57. 58. 59. 63. 74. 76. 77. 80. 81. 83. paſſimque explicat quid per hoſce gradus intelligendum ſit, maxime tamen can. 76., ubi clare, & diſtincte omnes pœnitentiæ claſſes enunciantur. Eoſdem recenſent Joannes Abbas Raithu in ſcholiis ad ſcalam Paradiſi Joannis Climaci, aliique Græci Patres, ac demum Synodus Trullana, ſeu quiniſexta Conſtantinopolitana ſeculo ſeptimo celebrata can. 87. de adulteris ſic decernit, & graphice quatuor pœnitentiæ gradus deſcribit: *a Patribus noſtris ſtatutum eſt, ut qui ſunt hujuſmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio ſubſternantur, & ſeptimo cum fidelibus conſiſtant, & ſic oblatione digni habeantur, ſi cum lacrymis pœnitentiam egerint*: quod ex Synodo Ancyrana, quæ multo ante præceſſit, ſumpſiſſe videtur, hæc enim. can. 6. 16. 17. aliiſque memoratos pœnitentium ordines fecernit. His veteribus Græcis adſtipulantur & recentiores, Harmenopolus in Epitome Canonum ſect. 5. tit. 3. Matthæus Blaſtares in Nomocanone, Ariſtæus in 21. Ancyranæ Synodi canonem, & Gabriel Severus Philadelphiæ Metropolita cap. 10. libelli, quem de pœnitentia ſcripſit, aliique bene multi.

Has poſtea pœnitentium Claſſes Latini a Græcis mutuarunt.

A Græcis autem Latinos has pœnitentium claſſes mutuaſſe valde probabile autumo; Primus enim Patrum in Occidentali Eccleſia, qui de hujuſmodi pœnitentium ordinibus mentionem faciat, ni fallor, eſt Sanctus Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus Gregorio Neocæſarienſi integro ferme ſeculo recentior, hic nempe de Pœnitentia lib. 2. cap. 7. hæc Domini verba de Lazaro, *ubi poſuiſtis eum*, exponens, ait: *hoc eſt, in quo eorum ſtatu eſt, in quo pœnitentium ordine*: poſt Ambroſium Felix Papa III. Epiſt. 7. ad univerſos Epiſcopos dictas pœnitentium ſtationes, & claſſes eodem fere modo quo, ut ſupra Gregorius, deſcribit; verum & multo ante Conſtantini Magni ævo in Eccleſia præcipue Romana has pœnitentium diviſiones extitiſſe fatis indicant Eccleſiæ tunc temporis extructæ, & præcipue antiquiſſima Sancti Clementis Baſilica, cujus veriſtatem memorat S. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſt. de Clemente I. Papa: *nominis ejus*, inquit, *memoriam uſque hodie Romæ extructa Eccleſia cuſtodit*; de qua Eccleſia videndi Joannes Ciampinus vet. monum. Muſ. parte I., & Philippus Rondininus, qui de eadem peculiarem librum compoſuit. Ipſe etiam Hieronymus Epiſt. 30. ad Oceanum diverſas pœnitentium ſtationes in Lateranenſi Baſilica fuiſſe indicat exemplo Fabiolæ Matronæ, de qua infra §. 5. Emin. Author. Hos etiam pœnitentium gradus, & ordines in reliquis veteribus urbis Baſilicis extiſſe, Vaticana ſcilicet, Sanctæ Crucis in Hieruſalem, Sanctæ Mariæ Majoris, aliiſque plurimis oſtendit laudatus Ciampinus loco citato. Porro eoſdem pœnitentium ordines poſt Morinum, & Albaſpinæum fuſe, & luculenter exponunt Chriſtianus Lupus, ubi ſupra pag. 37., & ſeqq. Natalis Alexander præfatus, Edmundus Martene de antiq. Eccleſiæ ritibus Tom. II. lib. 1. cap. 6. art. 4. aliique nuperi de ſacris Ritibus ſcriptores.

Et demum ſeculo quarto ineunte, ſcilicet Conſtantini ævo.

§. IV.

De ſingulis eorum Gradibus, & Claſſibus, ipſarum origine, ſtatione, & diſciplina.

Pœnitentium gradus primus Flentium.

PRimus itaque gradus, ſeu prima ſtatio Flentium erat, qui admiſſi ad pœnitentiam in porticu extra Eccleſiam commorabantur peccata ſua publice confitentes & deplorantes, lugubri veſte induti, neglecto capillitio cilicio & cinere ſordidati, & ad miſericordiam excitandam omni ex parte compoſiti (1). Nihil ad iſtos pertinebat Miſſa Catechumenorum, nullæ ſuper eos manuum impoſitiones erant, nullæ orationes recitabantur; ſed Fideles privatim Deum orabant, ut veram illis pœnitentiam largiretur. Hæc veluti fibula, ut Pacianus *in Paræneſi* ait, cum Eccleſia nectebantur: a templi enim veſtibulo excluſi ne prædicationem quidem audire poterant, pietatem dumtaxat ingredientium implorabant, ut pro ipſis apud Epiſcopum, & Clerum intercederent. In hac ſtatione manebant quidam per annum, alii per biennium, alii etiam per plures annos pro criminum varietate, & fervore pœnitentiæ. (1)

Secundus Audientium.

Secundus gradus Auditio eſt (2). Stabant Audientes intra fores Eccleſiæ in propylæo (3), ſive intra portam in Narthece (4), ubi lectionem Scripturarum, earumque interpretationem, & ſermonem audiebant, ab illa lugubri, & humili deprecatione abſoluti; ſed nullæ erant ſuper eos manuum (2) (3)(4)

nuum impoſitiones, nullæ orationes, eo quod iſtarum expiationum nondum capaces æſtimarentur. Statio autem, ſeu locus auditionis, præter hos pœnitentes (5), quinque hominum genera complectebatur, Ethnicos, (5) Judæos, Hæreticos, Schiſmaticos, & primi generis Catechumenos. Pro ratione autem contritionis, & humiliationis citius vel tardius tranſitus ab hac claſſe ad tertiam concedebatur.

Tertius Subſtratorum. In tertio gradu erant Subſtrati (6) manentes intra ambitum Eccleſiæ (6) uſque ad Ambonem, ultra quem progredi nefas illis erat. Hi jejuniis, precibus, humicubationibus, aliiſque operibus laborioſis affligebantur, atque in ſingulis ſynaxibus preces ſuper illos in genua procumbentes cum manuum impoſitione fundebantur; idque per longum tempus, & interdum per plures annos: atque interim in eorum mores diligens inquiſitio fiebat, an vere contriti eſſent, an ſincera eorum converſio. Stabant etiam in hac ſtatione Catechumeni ſecundi, & tertii generis, & energumeni. Hi poſtremi licet diſtincti eſſent a pœnitentibus, impuri tamen æſtimabantur, nec poterant cum Fidelibus permiſceri, eo quod eſſent dæmonis habitaculum. Curabantur autem extra Miſſarum ſolemnia ab Exorciſtis per exorciſmos, intra Miſſam ab Epiſcopo, ſive Presbytero per manuum impoſitionem, cui ſemper oratio adjungebatur.

Quartus Conſiſtentium. Quartus gradus dicitur Conſiſtentia (7), in quo conſtituti pœnitentes (7) Fidelium precibus, & ſacrificio uſque ad finem aſſiſtebant, offerre tamen numera ad Altare, & conſequenter communicare non poterant, quia jus offerendi juri communicandi annexum erat, atque his potiſſimum Fideles ab aliis diſcernebantur. Sedes Conſiſtentium erat ab Ambone verſus Sanctuarium, ſive permixti fuerint cum Fidelibus, ſive ab illis ſeparati, quæ res obſcura eſt: fuiſſe tamen ſejunctos probabili conjectura ex hoc deduco, quia alioquin potuiſſent cancellis appropinquare, quod illicitum erat non offerentibus, & excluſis a communione. In hac quoque ſtatione illi ſæpius collocabantur, qui ob aliquam leviorem culpam communione aliquando privabantur, nulla præter hanc pœna mulctati (8). Ita (8) Concilium Illiberitanum c. 21. *Si quis in Civitate poſitus tres Dominicas Eccleſiam non acceſſerit, pauco tempore abſtineat, ut correptus eſſe videatur.* Et cap. 50. *Si quis Clericus, ſive Fidelis cum Judæis cibum ſumpſerit, placuit eum a communione abſtinere.* Sunt & alii ejuſdem Concilii Canones huc referendi, ex quibus conſtat ſic abſtentos ſola communione privatos, in reliquis Fidelium commercio non caruiſſe. Quidam addunt quintum gradum perfectionis (9), & male; quia perfectio non gradus, (9) ſed finis erat, & fructus pœnitentiæ: cum ea plene perfuncti, & a peccatis abſoluti id quod perfectum eſt, Corpus ſcilicet, & Sanguinem Jeſu Chriſti percipiebant.

Pœnitentium habitus lugubris. (1) *Et ad miſericordiam excitandam omni ex parte compoſiti*) Ita ex S. Cypriano lib. de Lapſis, S. Cæſario hom. 1. S. Ambroſio de pœnit. lib. 1. cap. 16., & ad virginem lapſam cap. 8, Concilio Agathenſi can. 15. Barcinonenſi I. can. 6. Toletano III. can. 12., & ex antiquis Sacramentorum libris. Porro plurima extant in Eccleſiaſtica Hiſtoria hujuſmodi pœnitentium exempla. Apud Baſilium Epiſtola ad Amphilochium can. 56. de voluntario homicida, quem ſtationi ſletus per quadriennium adducit ſic decernens: *debet quatuor annis deflere ſtans extra fores Oratorii.* Et can. 75. de inceſtuoſo, qui propriam ſororem vitiavit, *triennio defleat ſtans ad fores domus Oratoriæ*, item apud Ambroſium ad virginem lapſam, ut ſupra cap. 8., ubi quemdam alloquens, qui virginem corruperat, ait: *Sanctorum petas auxilium, jaceas ſub pedibus electorum.* Sic de Natalio Confeſſore in Theodoti Coriarii errorem lapſo, ut ſupra lib. 5. cap. 27. narrat Euſebius, de Eccebolo Sophiſta Conſtantinopolitano lapſo ſub Juliano Apoſtata ſcribit Socrates lib. 3. cap. 11. *Ante portam Eccleſiæ ſe pronum abjiciens ſic vociferatus eſt: me quaſi ſalem inſipidum pedibus conculcate.*

Conſtituti in eodem ordine & Principes pœnitentes, Philippus Imperator. His accedunt non obſcuri qualiſcumque nominis perſonarum, ſed nobilitate generis in-

inſignium, ipſorumque Regum, & Imperatorum exempla. Sic Philippum primum inter Auguſtos Chriſtianum Principem criminibus nonnullis obnoxium Paſchalibus Sacramentis communicare volentem Fabianus Papa Eccleſiam intrare non permiſit, juſſum, uti ſcribit Euſebius Cæſarienſis Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 27. *ſua ſponte* inter poenitentes ſe collocare, quidquid aliter ſentiant Pagii, Senior in Critica Baronii, Junior in Breviar. Geſt. Pontif. de Fabiano; Philippum quippe Chriſtianum fuiſſe luculentiſſime evincunt Petrus Daniel Huetius Abrincenſis Epiſcopus lib. 1. Origenianorum cap. 3. Chriſtianus Lupus in Schol. ad Concil. Nicænum can. XI. Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 3. cap. ult. num. 10. & ante ipſos Card. Baronius ad an. 246., qui Euſebii teſtimonio addunt Epiſtolas Origenis ad iſtum Principem, & Severam Auguſtam ejus uxorem, quas idem Euſebius ſe legiſſe affirmat cap. 29. quod & teſtantur S. Hieronymus in Catalogo Scripr. Eccleſ. de Origene, Vincentius Lirinenſis in Commonitorio 1. adv. Hæreſes cap. 23. Paulus Oroſius lib. 7. cap. 13. Martyrologia, Romanum, Uſuardi, & Adonis ad diem 14. Maii S. Pontii mar. memoriam celebrantia, cujus prædicatione, & induſtria Philippos Cæſares patrem, & filium ad Chriſti fidem converſos aſſerunt. Fidem denique indubiam faciunt ipſius S. Martyris Pontii acta veruſtiſſima a Valerio ejus ſocio ſcripta, quæ ſincera Steph. Baluzius edidit Miſcellan. Tom. 2. pag. 124. num. 10., & ex antiquis, ac probatæ fidei MSS. denuo edita a Bollandianis Continuatoribus ad dictam diem 24. Maii. Item Paulus Diaconus lib. 10. Hiſtor., aliique; legendi Joannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius Act. SS. ad diem 20. Februarii in vita S. Fabiani Papæ, §. 3. 5., & 6. ubi plura in hanc rem veterum exhibent teſtimonia; quare hiſce conſpicuis, & eximiis teſtibus refragari piaculum eſſe oſtendit laudatus Natalis Alexander loco citato, & objectionibus, quæ in contrarium fieri poſſunt diſſertiſſime occurrit, eaſque diluit; neque propterea audiendi nonnulli intemperantiores Critici, qui vanis, ac futilibus argumentis aliter cenſendum de dictis Philippis putant, quos infra cap. 19. §. 1. refutabimus, ibique Emin. Authoris ſententiam tuebimur.

De Fabiola nobili Matrona Romana in poenitentium ordinem publice ablegata infra §. ſequenti ex Hieronymo dicemus. Nota eſt omnibus Theodoſii Imperatoris ob cædem Theſſalonicæ partam pœnitentia, de quo ſcribit Sozomenus Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 25. *Toto illo temporis ſpatio, quod ipſi ad pœnitentiam præſtitum fuerat, tanquam qui in luctu eſſet, imperiali cultu minime uſus eſt*: Ludovicus Pius Imperator publicam poenitentiam agens, armis ante Altare depoſitis *pulla veſte* indutus eſt, ut legitur in ejus vita apud Cheſnium Hiſtor. Franc. Tom. 2., & Pagium in Critica Baronii ad an. 833. num. 7. S. Dunſtanus Edgaro Anglorum Regi ob vim virgini Deo ſacræ illatam *ſeptennem pœnitentiam indixit, &c.* teſtante Osberno in ejus vita num. 35. apud Mabillon. Sec. 5. Bened. pag. 680. & in actis SS. Maii Bolland. Tom. 4. pag. 360. & alios; Extant & alia vetera, ac nova exempla quamplurima, quibus paſſim Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ refertæ ſunt, at pro omnibus relata ſufficiant.

Theodoſius Imperator.

Ludovicus Pius Imperator.

Edgarus Anglorum Rex, aliique.

Ex his porro prælibatis colligitur *Flentes* hujuſmodi in primo pœnitentium gradu conſtituros nedum ſacco, & cilicio indutos, cinere aſperſos, atque omni exteriori corporis habitu lugubri demiſſos inceſſiſſe, verum & a Templi veſtibulo excluſos in area ante Eccleſiam, ſeu Porticu extra fores ejuſdem conſtitiſſe, ubi pauperes pro eleemoſynis recipiendis conveniunt. Ex quo loco nec publicas conciones, aut ſcripturarum lectiones audire, nec ea, quæ intus in Eccleſia, præſertim januis clauſis, ad Miſſam fieri ſolebant, intueri poterant. Ibi ſic in pœnitentia degentes ſe ſuorum criminum reos palam confiteri, fletibus, ac lacrymis Eccleſiæ limen aſpergere, ingredientibus adgeniculari, ut apud Deum, Epiſcopum, Clerum, univerſamque Eccleſiam pro ſe intercederent, veniamque implorarent, ſoliti erant, quod omne ex ſupradicta Baſilii Epiſtola ad Amphilochium can. 56. pleniſſime conſtat: *qui ſua ſponte interficit* (ibi legitur inter cætera) *debet quatuor annis flere flans extra fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, ſuam iniquitatem enuncians*. Ex hac vero prima pœnitentium claſſe ad ſecundam Audientium dictam flentes tranſibant, de qua mox ſermo.

In primo pœnitentiæ gradu, ſcilicet Flentium conſtituti extra Eccleſiam in porticu, ſeu area ſtabant.

(2) *Secundus gradus Auditio eſt*) Hujus meminit S. Gregorius Thaumaturgus loco citato ſupra §. anteced. S. Baſilius can. 22. quo in mulierum raptores ita decernit: *Oportet eos anno primo a precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ, ſecundo autem ad auditionem admitti*: Concilium Nicænum can. II. ſtatuit, ut qui ſub Licinii tyrannide lapſi ſunt, *tribus annis inter Audientes habeantur*. Eamdem ſtationem memorat & Gregorius Nyſſenus in Epiſtola Canonica ad Letojum Epiſc. Mitilenenſem, ubi de homicida voluntario poſt novem annos in fletu exactos ita ſtatuit: *tot annos in auditione permaneat, ſola Doctorum, & ſcripturarum auditione dignus habitus*. Erant & aliqui *Audientes* in pœnitentium cenſu, qui ubi ſcripturas, atque didaſcaliam audiviſſent, e Synaxibus erant excludendi, & quidem illi Cypriano coævi ex Gregorii Thaumaturgi Epiſtola Canonica, attamen horum nullum in Eccleſia Africana extat, quod quidem ſciam, ea præſertim ætate, veſtigium, nec alios doctores habebant, quam fideles, erant enim omnium fidelium communes illæ, quibus hi intererant, auditiones, neque vero ex uſu Eccleſiæ Africanæ alii Audientes erant, quam Catechumeni, conſtatque etiam ex Tertulliano de Pœnit. cap. 6. 7. ubi *Audientes* Intinctis opponuntur, quo ſenſu tingi apud eumdem idem valet, ac baptizari: eoſdem Auditores appellat, quorum tyrocinia memorat, nequis dubitet alios eſſe, quam Catechumenos. Vivendi novam formam ſuſcipiebant initiandi, & quidem in ea totus eſt Clemens Alexandrinus in antiquiſſimo ejus, quod habemus hodie Opere Catechetico Pedagog. cap. 10. Obſervandum denique ad officium Hypodiaconatus ſpectaſſe illum Audientium doctoratum ex Cypriani Epiſtola 24. Audientes itaque

Audientes in ſecundo gradu ſtabant ad fores Eccleſiæ in propylæo, ſeu veſtibulo.

que pœnitentes, de quibus loquimur, ſtabant in extrema parte Eccleſiæ prope januas, quæ Narthex dicebatur, uti mox explicabimus, ibique Pſalmorum cantum, Sacrarum Scripturarum lectiones, atque Eccleſiaſticus ſermones cum Catechumenis, cæteriſque non initiatis, & infidelibus audiebant; cumque ipſis ante Miſſam fidelium dimittebantur, ut ſe a ſalutari baptiſmatis gratia excidiſſe cogitarent, & fidei Chriſtianæ principiis, cujus ſanctitatem malis operibus violaverant, quaſi ex integro imbui oportere, ſibimetipſis identidem inculcantes illud Apocalypſis cap. 2. *Memor eſto unde exciderís, & age pœnitentiam, & prima opera fac*: vide Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. ſec. 3. Differt. 8. art. 2.

(3) *Intra fores Eccleſiæ in Propylæo*) Nonnulla de hac Templi parte, ſicut & de Narthece, aliiſque refert Emin. Author infra cap. 20. §. 5. & ſequen. ubi de veterum Templorum ſtructura diſſerit; quia vero & iis ad pleniorem notitiam aliqua addenda forent, ideo ne ibi eodem in loco, deque eodem argumento nimia prolixitate lectorem faſtidire contingat, quæ nobis dicenda erunt huc, illucque ſparſim dividenda proferemus. Propylæum igitur frons eſt, ac veſtibulum Templi, quod ita appellat Photius in deſcriptione novæ Eccleſiæ a Baſilio Macedone extructæ in Palatio, ubi illius ſacræ ædis propylæi elegantiam deſcribit, uti Tyrenſis Euſebius lib. 10. cap. 4. Veſtibulum iſtud antiquitus arcubus, ſeu exceſſo fornice coopertum fuiſſe teſtantur Procopius lib. 1. de ædificiis Juſtiniani Imperatoris cap. 4., ubi de Templo SS. Sergii, & Bacchi, & lib. 5. cap. 6. de Templo Deiparæ Hieroſolymitano, ac Leo Oſtienſis lib. 3. Chron. Caſſinen. cap. 27. *Veſtibulum autem Eccleſiæ*, inquit, *ſuperne quidem fecit muſivo pulcherrimo cum arcubus decorari*: & infra: *Arcus ejuſdem veſtibuli deforis muſivo nihilominus veſtiens*: Sic non ſemel Anaſtaſius in libro Pontificali, Paulinus Epiſt. 22. ad Severum.

Deſcribitur quid veterum Eccleſiarum Propylæum, ſive veſtibulum fuerit.

Alma domus triplici patet ingredientibus arcu infra: *Tergeminis geminæ patuerunt Arcubus aulæ*. Porro quem arcum, ſeu fornicem Latini, abſidem Græci vocant, S. Hieronymus lib. 2. in Epiſt. ad Epheſios dixit: *in ſummo Cæli fornice, & ut ipſo verbo utar, abſide*: ita interpretantur Zonaras in can. 46. Conc. Carthaginen. unde cum in Synodo III. Carthaginenſi can. 32. ſtatuitur: *cujuſcumque autem pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit, ante abſidem ei manus imponatur*: id intelligendum videtur de abſide Narthecis, ubi pœnitentes conſiſtebant, ut dicetur infra, non vero de abſide, ſeu fornice Altaris, de qua cap. 20. §. 7. quem quidem Canonem laudant Capitularia Caroli Magni lib. 5. cap. 117. & ante ipſa S. Leo Papa I. Decr. cap. 47. Item Epiſt. 79. cap. 6., & 91. cap. 2.

(4) *Sive intra portam in Narthece*) Item de hac Templi parte plura Emin. loco ſupra indicato, quibus & alia nobis adjicienda ſunt, hic ſcilicet, quæ ad pœnitentium ſtationem pertinent, illic præcipue quæ ad loci deſcriptionem ſpectant, utrobique vero eadem ad uberiorem notitiam immixta dabimus. Narthex itaque, ut Leo Allatius in Epiſtola de Narthece erudite obſervat, a porta Eccleſiæ ad murum uſque intermedium, ſive Tabulatum pertingebat, & mediæ Navis pars erat, hujus altera pars a muro, ſive Tabulato Sanctuarium verſus accedebat, poſtrema demum marmoreum chorum, poſt quem erat Solea, inde Cancelli Sanctuarii, Tabernaculum, Paſtophoria, atque alia inſigniora ejuſdem Navis membra complectebatur. Idem Leo Allatius in Epiſtola prima de Templis Græcorum Narthecem animadvertit locum eſſe intra Eccleſiam, ibique arrepta occaſione Theorianum explicat, qui illam extra Eccleſiam locat, non quod ſcilicet extra ſit locus diviſus ita appellatus, ſed quod ab Eccleſia ſtrictiori ſenſu ſumpta, in qua Sacerdotes, exterique Clerici ſtationem habent, ſeparetur, qui idcirco Protempli nomine, hoc eſt ante Templum ab aliquibus nuncupatur, cum revera Templum non ſit, ſed extra circuitum, & ambitum Templi ſtricto vocabulo accepti; ſive ut Allatius itidem in Epiſtola de Narthece luculenter ſcribit, dicitur in Eccleſia Narthex, quando iiſdem, quibus Eccleſia, muris circumſcribitur, dicitur extra, quando piis dumtaxat fidelibus Eccleſia patet, nec in ea infideles, & improbi, niſi pœnitentia ſcelera ſua expiaverint, locum habent, & tamen extra Eccleſiæ reliquæ muros non collocatur. Quibus propterea conciliari poſſunt, Allatio duce, antiqui Scriptores, qui Narthecem extra Eccleſiam ſitam fuiſſe tradiderunt.

Quidve etiam Narthex apud Græcos.

Inſuper hac in ipſa Eccleſiæ parte, quam Propylæi potius, quam Narthecis nomine donat Em. Author, plerique Scriptores Audientium claſſem collocant, ubi & aliis quinque hominum generibus locus erat, Ethnicis videlicet, Judæis, Hæreticis, Schiſmaticis, at primi generis Catechumenis, de quibus infra; at Morinus hanc pœnitentium ſtationem, quam Eruditi fere omnes intra Eccleſiam communiter locant, in veſtibulo tantum Eccleſiæ ad limen uſque portarum conſtituit, quod tamen ita mathematice intelligendum non eſſe inquit, ut paulo amplius progredi ad facilius audiendum piaculare fuerit; in majoribus namque Eccleſiis, præſertim poſt Conſtantini tempora auditionis ſtatio interioris Eccleſiæ extremam partem portas ejus attingentem complectebatur; Narthecem enim ipſe vocat quidquid Eccleſiæ ſupererat ad portas uſque exteriores, quas etiam continebat: unde in illorum videtur venire ſententiam, qui duplicem aſſeruerunt Narthecem, interiorem videlicet, & exteriorem; in interiori Monachorum, Idiotarum, ſeu Laicorum fidelium, & in inferiori ejus parte uſque ad exteriorem Narthecem, Catechumenorum, ac pœnitentium Subſtratorum locum admittebant, quos tamen poſt chorum, ideſt in ea parte, quæ Græcis Naon dicitur, conſtitiſſe, acceptior fert opinio.

An intra Eccleſiam, vel ad ejus limen Audientes olim conſtituti fuerint, diſputant Eruditi.

Porro Narthecis appellatione vocantur a Græcis Porticus in Ædium ſacrarum veſtibulis excitatæ. Ita in Deſcriptione Templi S. Sophiæ Paulus Silentiarius parte 2., & Procopius de Ædif. Juſtin. locis ſupra in nota antecedenti indicatis, ubi & illius vocabuli, ſeu

Narthecis appellatione vocatæ a Græcis Porticus ſacrarum Ædium.

ſeu nuncupationis rationem innuit, ſicque dictus iſtiuſmodi porticus ante Templorum veſtibula, quod in majorem longitudinem, quam latitudinem porrigerentur, atque ita ſerulæ ſpeciem, quam Narthex ſignificat, quodammodo referrent, quæ oblongior eſt quam latior; unde non omnino hallucinatos illos evidens eſt, qui Narthecem Eccleſiæ porticum fuiſſe ſcripſerunt, ut vult Allatius Goarum innuens, quandoquidem id diſertis verbis tradunt Silentiarius, & Procopius præfati, quibus favet Codinus in Originibus Lambeecianis pag. 45. & Theorianus in Legatione ſua ad Armenos apud Frontonem Ducæum Auctar. Bibl. PP. Græc. Tom. I. Narthecem ſtatuens extra Eccleſiam, ex quo loco, inquit ille, divinas Scripturas audiebant, quæ ſcilicet in æde ſacra aut recitabantur, aut decantabantur: Unde ἐξαρχώμενοι, ideſt auſcultantes paſſim in Narthece extra Eccleſiam dicuntur conſiſtiſſe apud Gregorium Thaumaturgum can. 11. , & Zonaram ad can. 1. Conc. Nicæni I. Balſamonem ad Can. 14. ejuſdem Concilii.

Jure igitur Allatius hæc verba de Narthece infert: *Narthex vero extra Eccleſiam forte ab antiquis temporibus fuerit, non diſputo*: Nam, ut Nartheces, quod ex prædictis conſtat, olim extra Eccleſiam, ſeu potius extra Eccleſiæ ſepta, facre, etſi forte ut Pronai ſacri haberentur, ita vicißim pro certo haberi debet Narthecem, eam ædis ſacræ partem, quam hodie navim vocamus, appellatam, ut patet ex Euchologio, & cæteris Græcorum Ritualibus libris, & aliquot inferioris ævi Scriptoribus, quos idem Allatius laudat in Diſſertatione de recentiorum Græcorum templis pag. 110, & ſeqq. quare evincitur Narthecem in Eccleſia extiiſſe, ſiquidem infra Ambonem extitit, idque inde factum exiſtimatur, quod cum in pleriſque Templis, ac ædibus ſacris deeſſent capaciores porticus, & Nartheces ad eorum veſtibula, qui ex Canonum præcepto in iis conſiſtere tenebantur, intra ipſius Eccleſiæ claußra poſtmodum admiſſi ſint, ita tamen ut a reliqua fidelium plebe diſcernerentur, eaque omnia obirent, quæ olim in Narthece hoc loco, reliqua dabimus ad cap. XX. §. 6.

Ac proinde extra Eccleſiam, ſive Eccleſiæ ſepta.

Confirmatur authoritate... de Subſtratis affert Card. Bona.

(6) *In tertio gradu erant Subſtrati*) Ut quæ de Subſtratis affert Emin. Author amplius confirmentur, nonnulla de his veterum proferemus teſtimonia. Et primo ſubſtrationis meminiſſe videtur Tertullianus libro de Pudicitia cap. 13. ubi Montaniſta jam factus, ita Romanum Pontificem (Zephirinum) alloquitur: *Et tu quidem pœnitentiam machi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens conciliabatum, & concineratum cum dedecore, & horrore compoſitum proſternis in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacrymas ſuadentem, omnium lacinias invadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem*; Et in lib. de Pœnitentia cap. 9. Exomologeſim dicit eſſe *diſciplinam hominis proſternendi, & humiliſcandi*: & poſt pauca: *Sacco, & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit, triſti tractatione mutare*: itemque poſt nonnulla, *ingemiſcere, lacrymari, & mugire... dies, noctesque ad Dominum Deum ſuum, Preſbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere &c.* prout ſupra Card. noſter §. 2. Ex his, aliiſque ſimilibus Tertulliani textibus jam ipſius ævo extitiſſe arguit Chriſtianus Lupus ad can. XI. Concilii Nicæni hunc tertium, Subſtratorum ſcilicet, pœnitentiæ gradum, ejuſque tamquam rei vetuſtæ Cyprianum meminiſſe contendit; at uti ſupra adnotavimus, hallucinatum clariſſimum virum, & quandoque bonum dormitaſſe Homerum facile quiſque videt; Tertullianus enim locis citatis, & Cyprianus tum Epiſt. 10., quam indicat Lupus, tum etiam 14., ac libro de Lapſis, & alibi, non de ſubſtratione loquuntur, ut tertia pœnitentium claſſe a cæteris propria ſtatione diſtincta, de qua hic nobis ſermo,

Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 3. Diſſert. 8. art. 2. eodem modo cum pœnitentibus Audientibus agebatur, ac cum ignaris myſteriorum fidei, perinde ac ſi Eccleſia judicaret eos, qui ſeſe flagitiis mortiferis obſtrinxiſſent, divinorum præceptorum, atque myſteriorum cognitione aut non ſatis imbutos, aut eorumdem penitus obtuſos fuiſſe; ac proinde opus eſſe, ut iterum Chriſtianæ religionis elementis, ac Evangelicis præceptis enudirentur, ut illorum memoria non tam facile ex illorum animis evaneſceret; eapropter diutius in hoc gradu detinebantur, quam Catechumeni, tamquam magis ignari in fidei, moraliſque Evangelicæ documentis; hinc frequens apud veteres phraſis de Audientibus: *ſtent inter Catechumenos*; quibus etiam vetitum erat myſteriorum celebrationi, atque orationibus in Eccleſia a fidelibus fieri conſuetis aſſiſtere. Audientes denique Flentibus ſuperiores exempti erant ab illa humili fratrum ſupplicatione, quam Flentes obire debebant, immunes etiam ab operibus laboriosis, vigiliis, jejuniis, aliiſque hujuſmodi pœnalitatibus, quibus ſponte tantum, non juſſi, & ad ipſorum libitum, ſi vellent, ſe ſubjiciebant, ipſorumque onus erat intra fores Eccleſiæ, ubi conſiſtebant, ſacras lectiones, & conciones audire, ut diximus. Atque hæc de ſeeunda Pœnitentium ſtatione dicta ſufficiant.

Cum hic pœnitentibus Audientibus conſtituti Ethnici, Judæi, Hæretici, Schiſmatici, & primi generis Catechumeni.

(5) *Præter hos Pœnitentes quinque hominum &c.*) Id conſtat ex Concilio Carthaginenſi IV. can. 84. Valentino can. 1. de quibus cap. præcedenti §. 1. nota 4. & ex Ilerdenſi can. 4., ex quo colligitur excommunicatos etiam ad auditionem Verbi Dei admiſſos fuiſſe. Audientibus porro permiſſum erat, quod Flentibus negatum, ſacrarum Scripturarum lectiones audire, atque Epiſcoporum ſermonibus intereſſe, ut notat Emin. Author, & ex Patribus nota 2. allatis conſtat, præcipue ex Gregorii Neocæſarienſis Epiſt. Canonica can. 11. *Auditio*, inquit, *eſt introportam in porticu, ubi oportet eum, qui peccavit, ſtare uſque ad Catechumenos, & illinc egredi, poſtquam enim audivit Scripturam, & doctrinam, ejiciatur, & precatione indignus cenſeatur*: Hinc, ut optime obſervat Natalis

Chriſtianus Lupus notatur.

mo, ſed de exomologeſi, ſeu peccatorum confeſſione, ſive publica de publicis, vel ſecreta de ſecretis, quæ quidem exomologeſis actus profectò pœnitentiæ eſt, nec ſine hominis proſtratione, & humilificatione fit; ſive cum ab Eccleſia, ut jam diximus, fideles eam recipiunt ut Sacramentum, ſive cum in eadem ab ipſis ipſa exercetur, ut virtus; at hujuſmodi pœnitentia, reſpicere quamvis poſſit omnes quatuor pœnitentium gradus; proprie tamen, ac ſigillatim ad tertium, ſubſtratorum ordinem non pertinet, hanc quippe, & de venialibus, ac levioribus peccatis pii quippe fideles tum ſoli coram Deo, tum Sacerdotibus adgeniculati devote perficere conſueſcunt.

Africani ſiquidem Patres non de ſubſtratione, ut tertia pœnitentiæ claſſe loquuntur, ſed de ſimplici peccatorum confeſſione.

Atque ut hæc clariora fiant, præſtat integros dictorum Africæ Patrum textus adferre. Et quidem Tertullianus præfatus ubi ſupra de Pœnitentia cap. 8. 9. de actibus Pœnitentiæ loquens, qui ipſam confeſſionem ſequuntur. ait, *Tantum relevat confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exacerbat; Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt: diſſimulatio contumaciæ. Hujus igitur pœnitentiæ ſecundæ, & unius quanto in alto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo actu adminiſtretur. Is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem, ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur: confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt &c.* Deinde poſt non nulla de hujuſmodi pœnitentiæ exercitationibus, quas ſupra §. 2. recitat Emin. Author, demum concludit: *plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere, hæc omnia exomologeſis.*

Ex prædictis, inquit, Card. Baronius adan. 56. n. 6. & ſeqq. Annal. Tom. 1. edit. Vatic. pag. 415. conſtat non tantum ex ſententia Pamelii viri eruditiſſimi (in Tertull. de Pœnit. cap. 9. nota 52.) aliorumque diſertorum virorum, orthodoxorum, ſed & Rhenani, & aliorum complurium tres integras partes Eccleſiaſticæ pœnitentiæ, omnibus Chriſtianis in aliquod peccatum lapſis, communis, a Tertulliano expreſſas haberi, nimirum pœnitentiam illam, quæ confeſſionem delictorum præcedere ſolet, quam uſitatiori vocabulo contritionem appellamus, ac quæ ſubſequebatur, confeſſionem coram Sacerdotibus, publicam de publicis, & ſecretam de ſecretis, ut diximus, ac egregie idem obſervat Pamelius loco citato nota I. necnon actus illos pœnitentiæ, quos exomologeſim Tertullianus nominat, communi vero uſu ſatisfactionem dicimus. Eadem & habet lib. de Baptiſmo cap. 20. ad quæ vide notam 136. Pamelii.

Tres Eccleſiaſticæ pœnitentiæ partes a Tertulliano commemoratæ.

Itemque a Cypriano.

Tertulliano plenius hucuſque dicta confirmat Cyprianus plerique in locis ſcilicet lib. de Lapſis cap. 15. Epiſt. 10. 11. 15. 52. 62. & alibi, ad quæ item vide Pamelii notas. Sufficit pro omnibus hæc tantum adducere; dicto libro de Lapſis: *Tamen quoniam*, inquit, *hæc cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt*: id ipſum dicit Epiſt. 10. *Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant &c.* Videsitaque ex allatis Tertulliani, & Cypriani textibus, quæ ad exomologeſim, Chriſtianis omnibus, & leviter lapſis communem pertinent, perperam a Chriſtiano Lupo ad Subſtratos, uti tertium in Eccleſia pœnitentium ordinem, ſingulariter contra ipſorum ſenſum traduci, ac proinde conſtat dictam eorumdem ſtationem Novatiana hæreſi antiquiorem non eſſe, uti optime arbitratur Emin. Author. Nec refert, quod Chriſtiano Lupo conterraneo ſuo potius quam Emin. noſtro, ad-hæſerit Emmanuel Scheleſtratius in Concilium Antiochenum can. 2. cap. 10. art. 1. nu. 4. ſupradictis enim & ipſe refellitur, qui numquam in Irenæo, aut Tertulliano, quos affert, diſtinctam dictorum quatuor pœnitentium graduum, & ordinum mentionem ante Novati hæreſim inveniet, uti poſt hanc, illam cœpiſſe probabilius exiſtimat Purpuratus noſter ſupra §. 3.

Unde perpetuum a Chriſtiano Lupo traductuntur ad Subſtratos quæ dicti Patres ad ſimplicem exomologeſin referunt.

At vero altius ſeculo tertio dictorum pœnitentium ſtatio, ut a reliquis diſtincta, quærenda profecto non eſt; illius enim, & cæterarum hujuſmodi claſſium primus meminit, ut diximus, Gregorius Neocæſarienſis in ſupra laudata ſua Epiſtola Canonica can. ult., & poſt ipſum alii ſuperius indicati §. antecedenti. Subſtrationis porro meminit can. 16. Synodi Ancyranæ, quo de graviſſimi peccati reis juxta Gentiani Herveti interpretationem decernitur, ut *poſtquam quindecim Annis ſubſtrati, ac ſupplices fuerint, communionem ad preces aſſequantur .... Examinetur autem, & eorum in ſubſtratione vita, & ita humanitatem conſequantur*: Hinc plurium annorum ſubſtrationis tempus olim fuiſſe recte advertit Purpuratus Scriptor; Synodus enim generalis Nicæna, quæ Ancyranam præceſſit, can. XI. de Subſtratis loquens, *ſex annos*, inquit, *omni ſe contritione dejiciant*, & Felix Papa III. Epiſt. 7. laicis, qui ſe rebaptizari paſſi fuerant, hanc pœnam injungit: *Tribus annis inter audientes ſint: ſeptem autem annis ſubjaceant inter pœnitentes. manibus Sacerdotum*: ideſt inter ſubſtratos, toto enim ſubſtrationis tempore, ut optime notat idem Cardinalis noſter, in ſingulis ſynaxibus manus genuflexis pœnitentibus imponebantur, ita ex Concilio Carthaginenſi IV. can. 80. *omni tempore jejunii manus pœnitentibus a Sacerdotibus imponatur*, quod & ex Toletano III. can. II. confirmatur. Hæc autem manuum impoſitio nonnullis Eccleſiæ ritibus, & precibus fiebat, uti colligitur ex S. Auguſtino lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 16. ubi ait: *quid eſt aliud impoſitio manuum, quam oratio ſuper hominem?* Celebrabatur item ritus iſte poſt Miſſam Catechumenorum, & ante oblationem Sacrificii, uti ex Concilio Laodiceno can. 9., & infra §. 6. dicemus.

Pœnitentium ſubſtratorum mentio in Synodo Ancyrana initio ſec. IV.

Quibus genuflexis pœnitentibus manus a Sacerdotibus imponebantur.

Et quidem laïcis tantum non vero Eccleſiæ miniſtris ſacræ ordinationis manum habentibus, qui detruncantur in Monaſteriis, aut alio in loco Epiſcopi juſſu.

Obſervat Chriſtianus Lupus ad can. XI. Concilii Nicæni primæ edit. pag. 62. ſubſtratis laïcis tantum, & Clericis minoribus, non vero Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconis ſacræ Ordinationis manum impoſitam habentibus, hujuſmodi pœnitentialem Ritum adhibitum fuiſſe; iis nempe ſacris Altaris miniſtris denuo manus imponi non poterant, quod veteres ex traditione Apoſtolica ſcribit S. Leo Papa Epiſt. 92. c. 2. ad Ruſticum Narbonenſem, & ante ipſum Siricius in ſupra laudata Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſc. cap. 14. in hæc verba: *Illud quoque par fuit nos providere, ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum &c.* Quod & confirmat Innocentius I. Epiſt. 6. ad Agapitum. Cauſam aſſignat S. Auguſtinus lib. 1. contra Parmenianum c. 13. *Ne non homini*, inquit, *ſed ipſi Sacramento fieret injuria*. Hinc Optatus Milevitanus de Schiſm. Donat. lib. 1. ſcribit damnatum a Melchiade Papa Donatum in Caſis nigris Epiſcopum, quod convictus fateur ſe rebaptizaſſe, ac Epiſcopus lapſis manum impoſuiſſe. Pluribus id ipſum confirmant Joannes Morinus Exercit. Eccl. lib. 2. Exerc. 14. Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 3. Differt. XI. prop. 2. & 4. ubi ex SS. Hieronymo Epiſt. 48. ad Sabinianum Diaconum, qui plures virgines corruperat, & alteri ſtuprum condixerat, item Auguſtino lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas, ex Concilio Carthaginenſi V. an. 398. celebrato can. 2. aliiſque luculenter oſtendit majoribus Clericis pœnitentiam publice agendam ex Eccleſiæ diſciplina impoſitam non fuiſſe, ſed in Monaſteriis, aliove ſecreto in loco a fidelium conſpectu remoto Epiſcopi, aut Prælatorum juſſu pœnas ſibi impoſitas ſubiiſſe.

Quid autem circa mulieres peccantes olim factum fuerit, an iis publica impoſita pœnitentia, videbimus §. ſequenti. Ubi autem in Eccleſia conſiſteret hi tertii Ordinis Pœnitentes Subſtrati dicti, indicandum eſt; Locus ſtationis hujus erat intra Templi ambitum inter Audientes, cæteroſque fideles poſitus; qui ad Ambonem uſque extendebatur, (uti ex variis colligit Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. III. Differt. 8. art. 3.) ideſt ad locum illum, ex quo legebantur Epiſtolæ, & Evangelium, Diptycha recitabantur, Hymni, Pſalmique canebantur, & conciones ad populum habebantur. Erat autem Ambo altius quoddam in Templo ædificiolum, orbicularis figuræ, ut plurimum, ad quod nonnullis gradibus aſcendebatur. Adhuc Romæ ſuperſunt quidam veruſti Ambones, unus in Eccleſia S. Clementis ad Amphitheatrum, alter in Eccleſia SS. Martyrum Nerei, & Achillei. Plura de Ambone congeſſit Clariſs. Ducangius in notis ad Pauli Silentiarii deſcriptionem Templi S. Sophiæ num. 75. , & ſeqq. ac in Gloſſario med. , & inf. latin. verbo *Ambo*, & poſt ipſum Joannes Baptiſta Thiers in ſuis Differt. Eccleſiaſt. num. 2. ubi quæ de eo dici poſſunt, ſolide excuſſit. Videndus item Philippus Rondininus de Eccleſia S. Clementis pag. 295. , ubi plura de ejuſdem Ambonibus differit, ſed & de Ambone nos infra ſuo loco, & tempore ad lib. II. cap. 6. §. 3.

Indicatur locus ſtationis hujus tertii Ordinis Pœnitentium ſubſtratorum.

(7) *Quartus gradus dicitur Conſiſtentia.* De hac ſtatione paucis item agit Emin. , quibus pariter , & nonnulla ex veterum penu adjiciemus. Conſiſtentiæ nomen inde fluxit , huicque ſtationi deſcriptum eſt , quod qui in ea erant , ſimul cum fidelibus in Eccleſia conſiſterent, neque cum Catechumenis, aliiſque pœnitentibus ejicierentur. Conſiſtentes hi dicti erant, quia poſt ſubſtrationem publice cum Eccleſia reconciliati , in eadem una cum fidelibus ſimul ſtantes orabant erecto corpore, erectam a peccati lapſu , & ſubſtrationis ſordibus mentem , Dominicæque Reſurrectionis participem profitentes . Fideles autem integros ad differentiam lapſorum antiquitus ſtantes dictos pleriſque in locis teſtatur Cyprianus , eoſque & ſtantes in Eccleſia orare conſueviſſe ſuo loco dicemus; propterea ſtationem hanc periphraſibus iſtis Patres expreſſerunt : *Precum eſſe participem* , vel *orationibus communicare* . Sic Nicænum Concilium can. 12. , & Ancyranum can. 4. indeque hujuſmodi Pœnitentes , uti ex dictis Conciliis Nicæno can. 11. , & Ancyrano can. 5. etſi publicis precibus , & Sacrificio intereſſent , jus tamen oblationis non habebant , neque eorum munera ad Altare recipiebantur , & conſequenter neque Chriſti Corpori communicabant , cum qui non offerret , non ſumeret , & de alieno participare illicitum eſſet , ac ſordidum , uti ex Sancto Cypriano in Serm. de Eleemoſyna , ac Hieronymo Epiſt. I. ad Heliodorum plane conſtat.

Conſiſtentes ita dicti quod ſimul cum fidelibus in Eccleſia conſiſterent .

Non tamen ſuo offerentes , & Chriſti Corpori communicandi habebant .

Hujus rei adhuc ſupereſt memoria in Miſſæ Canone ; oramus enim ibi Deum pro illis omnibus , qui ipſi offerunt hoc Sacrificium laudis , ideſt , qui huic Sacrificio panem, & vinum miniſtrarunt . Item hodie uſurarii, aliique publici peccatores Miſſam quidem audire, ſed ad ipſam offerre , nec de ipſa ſumere poſſunt , quod ex antiqua diſciplina eſt orationibus fine oblatione communicare , uti ex dictis Canonibus Niczeno 2. , & Ancyrano 5. Neque etiam Conſiſtentium nomen ad Altare recitari poterat ; cujus enim perſona arcebatur ab oblatione , arcebatur & nomen . Quinimmo vigente in Eccleſia primæ vo horum Canonum pœnitentialium rigore , ita fideles cum mortuis communicabant quemadmodum cum viventibus communicaverant , adeoque qui vivens inter *Flentes* erat , ſive inter *Audientes* , aut *Subſtratos*, vel *Conſiſtentes* , defunctus etiam ſimilem gradum habebat , ejuſque corpus in eodem Eccleſiæ loco collocabatur , in quo vivens ſtare conſueverat , atque inde ad ſepeliendum efferebatur . Vide infra Emin. lib. 2. cap. 8. §. 6. mitigavit deinde rigorem hunc poſterior diſciplina , adeo ut & Synodus Aurelianenſis II. ſeculo ſexto celebrata can. 14. illorum etiam defunctorum oblationes recipi conceſſerit , qui in aliquo crimine fuerint interempti , iis tantum exceptis , qui propriis ſibi manibus necem intuliſſent . Unde autem Conſiſtentes dicti hi quarti gradus pœnitentes indicat S. Gregorius Neocæſarienſis , ſeu Thaumaturgus in ſua Epiſtola Canonica toties ſuperius laudata : *Conſiſtentia* , inquit , *eſt , ut cum fidelibus conſiſtat , & cum Catechumenis non egrediatur* : Sic

Qui pœnitentes defuncti eumdem , etiam ſimilem gradum & locum habebant .

apud

apud veteres proprium Conſiſtentium erat, & a reliquis pœnitentibus diſtinctum, *communicare* quidem fidelium *precibus*, ſed *ſine oblatione*, *& non communicare Corpori Chriſti*: uti ex dictis Concilio Ancyrano can. 5., & Nicæno can. 11. & ex Felicis III. Papæ Epiſt. 7. Hujus porro ſtationis locus erat in Eccleſia ab Ambone uſque ad Sanctuarium, ubi etiam fidelium locus.

Conſiſtentium ordinem quatuor hominum genera implebant, qui deſcribuntur.

(8) *Nulla præter hanc pœna multati*) Nedum hujuſmodi leviorum criminum rei in hac ſtatione collocabantur, ſed & alios Pœnitentes purgandos hæc claſſis continebat; Quatuor hominum genera Conſiſtentium ordinem implebant. Primum erat illorum, qui vel leviter peccaverant, vel qui grave quidem crimen aliquod commiſerant, ſed ſeſe ſponte ad Epiſcopum detulerant, de ſuo delicto contritionem maximam exhibentes. Hi poſteriores nonnumquam ad conſiſtentiam recta redigebantur, condonata aliarum ſtationum ſeveritate, ſic ex laudata ſuperius Gregorii Thaumaturgi Epiſtola Canonica can. 9. ubi de prædonibus ſic decernit: *Si accuſati convicti fuerint, ſint ſimiliter in iis, qui ſubſternuntur; ſi autem ſe ipſos enunciaverint, & reſtituerint, etiam precibus digni habeantur*: Idem conſtat ex S. Baſilio pariter in ſua Canonica ad Amphil. can. 61. ubi & illis pœnitentiæ tempus deſignat: *Qui furatus eſt*, inquit, *ſi ſponte pœnitentia motus ſe ipſum accuſaverit, per annum a ſola Sacramentorum communione arcebitur; ſin autem convictus fuerit, per annos duos. Dividetur autem illi hoc tempus in ſubſtrationem, & confeſſionem, & tunc communione dignus habeatur*: Quo vero ad levius peccantes, de quibus tantum loquitur Emin. Author, pluresſunt Illiberitani Concilii Canones, qui eoſdem ſic lapſos ſola dumtaxat communione privatos eſſe declarant, ita can. 79. hujuſmodi pœnitentia expiari jubentur, qui alea, few tabula luſerint. Sunt & alii huic fere ſimiles, quos tantum indicare ſufficiat, videlicet can. 9. 16. 34. 37. 40. 55. 56. 57. 61. 67. 73. 74., & 78. ad quos lectorem remitto, qui etiam, & in aliis veteris Eccleſiæ Synodis hujus diſciplinæ veſtigia inveniet.

Secundum hominum genus, qui ad hanc Conſiſtentium claſſem pertinebant, eorum erat qui inferiores pœnitentiæ ſtationes decurrerant. Propter illos ſane inſtituta fuit hæc ſtatio, ut experirentur Patres, an luctuoſæ pœnitentiæ laboribus liberati vitam ducerent Chriſtiano dignam, atque ita illos tuto admittere poſſent ad Sacroſanctæ Euchariſtiæ communionem.

Tertium hominum genus eorum erat, qui in hoc pœnitentium ordine per accidens tantum collocabantur; hos inter ii recenſebantur, qui ignoranter, vel ex inadvertentia peccaverant, vel ſenes ætate provecti, aut debiles, & infirmi, qui ex corporis imbecillitate laborioſa pœnitentiæ opera adimplere, ac Flentium geniculationes, Subſtratorum humicubationes, aliaque hujuſmodi onera & luctuoſa exercitia ſuſtinere non poterant; hi enim ad hanc ſtationem, inferioribus prætermiſſis, ex Epiſcoporum miſericordia canonum ſeveritatem ob eorum contritionem, & pœnitentiæ deſiderium mitigante interdum aſcendebant, uti ex Conciliis Nicæno can. 12., & Ancyrano can. 6. deprehenditur. Mulieres quoque nuptæ, quæ adulterio pollutæ erant, ad hanc ſtationem ablegabantur, ne ſi ad ſubſtrationem detruſæ fuiſſent, mariti earum aliquid criminis perpetrati ſuſpicari poſſent, necemque zelotypia abrepti uxoribus fortaſſe intentaſſent. Conſtat id ex S. Baſilio dicta Epiſt. can. 34. *Adulterio*, inquit, *pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convidis mortis cauſam præbeamus, eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleatur tempus pœnitentiæ*: Sed & de fœminis peccantibus, earumque pœnitentia §. ſequenti uberius dicemus.

Quartum denique hominum genus, qui Conſiſtentibus accenſebantur, eorum erat, qui poſt actam publice pœnitentiam in nova iterum peccata prolapſi erant, ob quæ pœnitentiam denuo publice agere debuiſſent. Hi ex decreto Siricii Papæ Epiſt. ad Himerium data, de qua ſupra §. 2. nota unica in fine, ad Conſiſtentiæ pœnam reliquo vitæ ſuæ tempore amandabantur, atque de iis erant, *qui alta pœnitentia tamquam canes, ac ſuos ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & lubricas voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus*: Quos omnes a Dominicæ menſæ convivio ſegregatos ſtatuit dictus Pontifex. Pro coronide ad has ſupradictas Flentium, Audientium, Subſtratorum, & Conſiſtentium claſſes adnotandum eſt ex can. 12. Concilii Nicæni auditionis tempus ab omnibus indiſpenſabiliter impletum fuiſſe, ſubſtrationis vero, & conſiſtentiæ tempora Epiſcopis breviari permiſſa, in ſolos tamen ob pœnitentiæ fervorem hac gratia dignos. Ita dictus canon: *In his omnibus*, inquit, *propoſitum, & ſpeciem pœnitentiæ convenit explorare; quotquot enim metu, & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, vebus ipſis converſionem ſuam, non ſimulatione, demonſtrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in orationem communicent, poſtmodum vero licebit Epiſcopo de his aliquid humaniùs cogitare. Quicumque vero indifferenter tulerunt, & aditum introeundi Eccleſiam ſibi arbitrati ſunt ad converſionem poſſe ſufficere, hi definitum magis omnibus tempus impleant.*

Quatuor hiſce pœnitentium claſſibus nonnulli, ſed perperam, adiunt gradum perfectionis.

(9) *Quidam adjunt quintum gradum, perfectionis*) Ita Joannes Abbas de Raithu in ſcholiis ad ſcalam Joannis Climaci, ſed male ponit quinque pœnitentium claſſes, ut item inquit Chriſtianus Lupus ad can. XI. Concilii Nicæni; perfectio quippe non claſſis erat, ſed fructus pœnitentiæ; antiqui enim Canones, præcipue Nicænus XI. præfatus, quoad lapſos in eorum conſiſtentia ſiſtere videntur, nihil penitus ſtatuentes de hujuſmodi eorum perfectione, ſeu admiſſione ad ſacram Euchariſtiam. Secunda Synodus Arelatenſis, & ante ipſam Ancyrana can. 6. juxta verſionem Dionyſii Exigui, quin & Nicæna can. XII. in poteſtate, & arbitrio Epiſcopi ſtatuunt quidem quos ex animo deflere, & agere pœnitentiam viderit, eos ad commu-

nionem cum oblatione, ideſt ad Sacramentorum participationem pro Eccleſiaſtica humanitate ſuſcipere, ſed præter id nihil aliud dicunt, fidelibus quippe ſic per oblationem, & communionem adjuncti, in eorum ſtatu, & ordine reſtituti erant, non amplius in gradu, quo ad ipſos perveniretur. Macri fratres in ſuo Hierolexico verbo *Hyemantes* quintum nihilominus, & ultimum pœnitentium ordinem fuiſſe affirmant, illorum ſcilicet, qui peracta jam pœnitentia participes fiebant Sacramentorum, ſed a cæteris fidelibus aliquatenus diſtinguebantur; non enim, inquiunt, omnibus privilegiis reliquis non Ipſis conceſſis fruebantur, & ideo humiliori loco in Eccleſia ſedebant. Hæc illi, at unde id hauſerint, ignoro.

Pro pleniori autem hucuſque dictorum notitia obſervandum eſt cum Edm. Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 2. lib. 1. cap. 6. art. 4. num. 2. quod quamvis omnes publice pœnitentes per quatuor hoſce gradus tranſire cogerentur, nonnullos tamen aliquando tranſgredi permittebantur, uti ex pleriſque Canonibus Conciliorum, ac Patrum ſtatutis ſuperius a nobis allatis dignoſci poteſt, ſic Concilium Nicænum can. 11. Ipſos in perſecutione Licinii tribus annis inter Audientes, ſeptem in proſtratione, duobus in orationum fidelium participatione tranſigere jubet nulla fletus facta mentione. Eodem fere modo ſtatuit Canone ſequenti in eos, qui depoſito cingulo, militiæ rurſus adſcripti fuerant, uti nota præcedenti dictum eſt. Sic S. Baſilius Epiſtola ad Amphilochium can. 13. cædem in bello commiſſam communionis privatione per tres annos plectit, prætermiſſis ſcilicet tribus primis pœnitentiæ gradibus. Can. 01. fures ad ſubſtrationem dumtaxat, & conſiſtentiam redigit. Can. 73. Chriſtum negantes toto vitæ ſuæ tempore deflere, & pœnitentiam agere decernit, quos proinde nec ad auditionem, nec ad conſiſtentiam admittit. Can. 80. polygamiam fornicatione majus peccatum eſſe aſſerens, ei unum fletus, tres ſubſtrationis annos adſcribit, nullum auditionis, aut conſiſtentiæ. Can. 81. qui tormentorum acerbitate devicti in perfectione fidem negaverant duobus annis audire, tribus ſubſterni coguntur, & ſic ad communionem, auditione, & conſiſtentia tranſgreſſis, admittuntur. Denique Can. 81. perjuros duobus annis deflere, duobus audire, duobus ſine oblatione in orationis communionem ſuſcipi decernit, prætermiſſa ſcilicet ſubſtratione. Similiter & S. Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Letojum ſupramemorata fornicatores, & homicidas per tres dumtaxat pœnitentiæ gradus deducit, quartoque tranſgreſſo, eos ad communionem admittit; e contra vero Felix Papa III. Epiſt. 7. rebaptizatos omiſſo primo gradu, ſcilicet fletus, per tres ſequentes diſcurrere jubet. Ita etiam in Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii lib. 5. cap. 136. dictus primus pœnitentiæ gradus ſiletur; pariter Nicolaus Papa I. in Epiſtolis, de quibus infra §. 6. nota 5. circa finem tres tantum ex iis enumerat videlicet fletus, auditionis, & conſiſtentiæ, omiſſo tertio ſubſtrationis.

Iſtorum etiam pœnitentiæ graduum aliquem nonnulli tranſgredi conceſſum.

Cæterum etſi tres dumtaxat recenſeantur, fletum tamen, aut ſubſtrationem non omitti certiſſimum eſt, cum pœnitentes, *quando populus intrat Eccleſiam perfuſi lacrymis veniam poſtulare, precarique eum humiliter, ut pro eis dignetur orare*: uti legitur dicto capitulari 136. quod proprium Flentium, & Subſtratorum munus cenſetur. Quibus omnibus plane conſtat, quod & ſupra indicatum eſt, in Epiſcoporum arbitrio penes fuiſſe, ut per omnes, aut pauciores tranſigerentur pœnitentiæ gradus, ejuſque tempus ipſi, vel protraherent, vel arctiori ſpatio definirent. *Penes autem Epiſcopos erit poteſtas* (habetur ex can. 16. Synodi Ancyranæ) *modum converſationis eorum pœnitentium, probantes, vel humanius ergà eos agere, vel amplius tempus adjicere &c.* Item evincitur ex Can. 31. Conc. Carthag. III., & ex can. 7. Epiſtolæ Canonicæ Baſilii ad Amphilochium, ac demum ex paulo ante citato Concilii Nicæni can. 12. ubi expreſſe dicitur: *poſtmodum vero licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare*: Hinc S. Gregorius Thaumaturgus in ſua Epiſtola Canonica can. 9. ſtatuit, *quod ſi ſeipſos enunciaverint, & reſtituerint* (pœnitentes) *etiam precibus digni habeantur*: Sic ſpontaneos nullo delatore confitentes ſtatim ad conſiſtentiam admittit.

Idque ex Epiſcoporum arbitrio pendebat ut per omnes, aut pauciores, per longum, aut brevè tempus tranſigerentur pœnitentiæ gradus.

Præterea animadvertendum quatuor pœnitentium generibus veniam, ſeu reconciliationem facile fuiſſe conceſſam, primo moribundis, & omni ſenſu deſtitutis, qui eam ante hujuſmodi diſcrimen petiiſſe probatis teſtibus comperiebantur, uti ſupra indicavimus §. 1. nota 8. ex Gregorio Nyſſeno, Concilio Carthaginenſi IV., & Concilio Nicæno; Hinc Concilium Toletanum XII. quod an. 655. celebratum eſt, id vocat *pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur*, quo etiam a peccato excommunicationis ſubjecto abſolvebantur. Secundum genus erat eorum, qui in mortis articulo ſana mente, & ſenſibus beneficium pœnitentiæ, ſeu reconciliationis, abſque tamen communione accipiebant, de quibus item ſupra loco citato. Tertium eorum eſt, quibus pœnitentia imponebatur uſque ad mortem, in qua tantum communionem accipiebant, uti etiam ibi dictum eſt. Quartum denique eorum erat, qui accepta, & plene conſummata pœnitentia perfecte reconciliabantur Eccleſiæ, & ad omnia ejus bona, & Sacramenta eum cæteris fidelibus participanda admittebantur, quam *reconciliationem abſolutiſſimam* vocant Synodus Vaſenſis, & Arelatenſis ſecunda. Sic autem obſervandum inſuper eſt quod pœnitentes cujuſcumque fuerint gradus, & ordinis, dummodo ad pœnitentiam publice ab Eccleſia admiſſi, medium quemdam ſtatum obtinebant inter preciſe excommunicatos, & fideles, nam licet a communione fidelium arcerentur, hoc eſt orationes, ſacra, Sacrificia, oblationes, Agapas, ſtationes, vigilias, & jejunia cum ipſis communia non haberent, impoſitione tamen manuum per Sacerdotes ſuper ipſos facta, de qua infra §. ſequenti, ab iis excommunicationis vinculum tollebatur, & per illam abſolutionem cum Eccleſiæ precibus conjunctam educe-

Quatuor item pœnitentium generibus veniam, ſeu reconciliationem facile conceſſa.

Hujuſmodi publice pœnitentes, etſi in Eccleſia a fidelibus ſejuncti, cum iis tamen extra Eccleſiam communicabant.

educebantur a poteſtate Sathanæ, & ſpem habebant redeundi ad gratiam Dei per pœnitentiæ meritum; deinde eis licebat, quod non permittebatur excommunicatis, in omnibus humanitatis officiis cum cæteris fidelibus verſari, iiſque extra Eccleſiam aſſociari, ut cibum ſumere, iter agere &c. Quod ſi forte ante expletam pœnitentiam necdum Eccleſiæ reconciliati decederent, oblationes tamen pro eis fiebant ad altare ab eorum parentibus, & conſanguineis, ut ex dicta Synodo Arelatenſi can. 12. Carthaginenſi IV. can. 79. Epaonenſi can. ultimo.

Obſervat ex his inſuper Joannes alter doctiſſimus Cardinalis Gropperus in ſuo Tractatu de Diſciplina Eccleſiæ Catholicæ, præſertim in Praxi Pœnitentiali Eccleſiæ primitivæ Gandavi impreſſa an. 1673. pag. 37. quod inter pœnitentes quidam cum Plebe ſancta tantum in oratione, non autem in Euchariſtia, vel oſculo communicabant; quidam in oſculo, & Euchariſtia; ſed tamen adhuc ſine oblatione. Quidam denique cum oblatione, qua communione oblationis reſtituta pœnitentes plenariam reconciliationem conſequebantur. Qualis autem hæc communio oblationis, quæ & *perfecta* dicitur, fuerit, in Concilio Eliberitino ſive Illiberitano declaratur. Nam olim omnes Chriſtiani ad Miſſarum ſolemnia aliquid, & in primis panem, & vinum offerebant, ex quibus conficerentur Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, & offerentium nomina cum oblatione ad Altare ſuo loco recitabantur, qui & eatenus ſimul cum Sacerdote Sacrificium Altaris offerre Deo cenſebantur. Unde adhuc dicitur in Canone Miſſæ: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum N. N. pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis* (Item. in oratione quam Sacerdos dicit: *Orate fratres, ut meum, ac veſtrum Sacrificium acceptabile fiat &c.* quod & ex pleriſque aliis orationibus Eccleſiæ in Miſſa dictis conſtat, atque uberius ſuo loco patebit) Hæc igitur oblationis, & nominum recitationis communione cenſebantur indigni pœnitentes, qui nondum hanc pœnitentiæ perfectionem eſſent aſſecuti. Quare qui pœnitentiæ ob graviſſima crimina addicebantur, prioribus annis graviori afflictatione, & humiliatione gravabantur. Nam primum relegabantur extra Eccleſiam, ut tempore ſacrorum ſtarent extra Eccleſiæ fores, & orarent, ingredientemque populum ſua humiliatione ad precandum pro eis Dominum flecterent; deinde admittebantur in Eccleſiam communicaturi tantum in oratione cum Catechumenis, qui ante oblationem Sacerdotis, ut dictum eſt, Eccleſia excedere cogebantur, vel cum Energumenis poſtea admittebantur ad orationem cum Plebe ſancta, ſed præter communionem in Euchariſtia, & oſculo poſt hæc reſtituebatur eis communio in Euchariſtia, demum plena communio cum oblatione.

Quin & in Eccleſia inter ipſos varia cum fidelibus communio.

Cæterum quod de Pœnitentibus relegatis extra Eccleſiæ fores jam dictum eſt, ita habebat, ut tamen iſti ſemel in anno ad diem Cœnæ Dominicæ (qui dies reconciliationis dicebatur) reciperentur intra Eccleſiæ januas, inter quas tantum ſtarent ab eo die uſque ad octavas Paſchæ, non tamen communicabant cum aliis in oſculo, & Euchariſtia; Octava vero Paſchæ exacta rurſus Eccleſiam exibant, uſque ad memoratum Cœnæ Dominicæ diem anni ſequentis; idque fiebat tantiſper per annos ſequentes, donec redderetur ipſi Eccleſiæ ingreſſus, & communio, vel orationis tantum, vel oſculi, & Euchariſtiæ, vel denique plenaria cum oblatione. Hæc de veteris Eccleſiæ more circa pœnitentes Anglus Cardinalis eruditiſſimus, qui & plura in id argumenti ſubdit, quæ nobis prætermittere, ac apud ipſum legenda relinquere in animo erat; aſt cum multa ſcitu digna, ibi extent, quæ Lectori ingrata fortaſſe non erunt, ideo integram hujuſce eximii Cardinalis Diſſertationem, ut ipſa etiam non facile omnibus obvia caput iſtud de veteri praxi pœnitentiali amplius illuſtretur, ſubjiciemus cum nonnullis aliis in Appendice referendis, qui de hac eadem materia ſcripſere, dum interim ad alia ab eodem intacta, itemque a paucis quoad hanc rem diſquirenda procedimus.

Pœnitentes ob graviſſima crimina relegati extra Eccleſiam ſemel in anno intra ejuſdem fores admittebantur.

Non autem in oblatione, aut nominum recitatione cum dictis ſolebant fidelibus publici pœnitentes communicabant.

§. V.

De Mulierum Pœnitentia. Qui fuerint Hyemantes.

(1) MUlieribus numquam publica pœnitentia, (1) ſaltem primis Eccleſiæ ſeculis imponi ſolebat; ſed privatim flebant, jejunabant, & alia pœnitentiæ opera exercebant. Id poſtea permiſſum Viduis, quia ceſſabat metus, ne a viris vexarentur. Exemplum habemus nobiliſſimæ matronæ Fabiolæ, quæ repudiato viro ob adulterium, alteri incauta nupſit, in ſe autem reverſa poſt obitum ſecundi, errorem publice confeſſa eſt, *Et tota Urbe Romana ſpectante*, ut in ejus Epitaphio Epiſt. 30. ad Oceanum (in noviſſ. edit. Monach. S. Mauri num. 84.) Hieronymus ſcribit, *ante diem Paſchæ in Baſilica Laterani ſtetit in ordine Pœnitentium, Epiſcopo, Preſbyteris, & omni populo collacrymante, ſparſum crimen, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmittens*. Erant & aliqui Pœnitentes, qui *Hyemanses* dicti ſunt. Nam Synodus Ancyrana cap. 17. leproſos, & eos qui

eum

eum brutis rem habuerunt. inter Hyemantes orare præcepit. At qui fuerint iſti, dubiæ quæſtionis eſt. (2) Quidam putant fuiſſe *Arrentitios*, quos S. Maximus *in Scholiis ad cap. 6. Eccleſ. Hier.* ita vocari arbitratur, quod veluti tempeſtatibus agitati in continua quaſi hyeme verſentur. Horum vero ſententiam reprobat Zonaras in notis ad citatum canonem Ancyranum: *Sed qui ſint*, inquit, *haud facile dixerim*. Alii collocant eos in primo ordine pœnitentium, nullumque agnoſcunt diſcrimen inter hyemantes & lugentes. Quibuſdam magis placet hyemantium nomine illos intelligi, qui ſub dio extra omne Eccleſiæ tectum manebant; (3) cujuſmodi erant majori excommunicatione percuſſi, ab Eccleſia prorſus præciſi: quo etiam in loco procul ſcilicet a porticu, juſſi ſunt ſtare leproſi, ne cæteros inficerent; & qui cum brutis atque contra naturam luxuriabantur, quos monſtra, & furias nuncupabant. Horum autem conjecturam ideo cenſeo probabiliorem, quod illi favere videatur Tertullianus *lib. de Pudicitia*, apud quem aliud eſt limine Eccleſiæ, aliud toto tecto ſubmoveri (4). Fornicatores enim & adulteros ad limen ſeu fores Eccleſiæ inter pœnitentes admiſſos ait *cap.* 3. quamvis fruſtra, ut bene notat Pamelius *num.* 30., ſi Eccleſia eis veniam dare non poterat, ut ipſe perperam aſſeruit: *Reliquas autem*, inquit cap. 4. *libidinum furias impias & in corpora, & in ſenſus ultra jura naturæ, non modo limine, verum omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra*. Hi ergo, qui in area, & flentes qui in porticu morabantur, divini Sacrificii nullo modo conſortes erant: cæteri omnes qui Eccleſiam ingrediebantur, ſed Miſſæ Fidelium intereſſe non poterant, hoc ordine, prævia Miniſtri juſſione e Templo excedebant (5).

(2)

(3)

(4)

(5)

Exceptiones tia &c. quædam contra Cardinalis Bona ſententiam de numquam impoſita mulieribus publica pœnitentia.

(1) *Mulieribus numquam publica pœnitentia &c.*) Id nimis confidenter aſſertum ab Emin. Authore exiſtimabunt fortaſſe quidam noſtri temporis Critici, eorum quippe unus mihi amiciſſimus, ut ab hac ſententia recederem, nonnulla in contrarium objicit veterum teſtimonia. Et primo opponit exemplum, quod exhibet S. Cyprianus Epiſt. 61. edit. Pamel. ad Pomponium. Virgines quædam Deo ſacratæ deprehenſæ fuerunt in eodem tecto cum maſculis, delatæ fuerunt ad Pomponium Epiſcopum, pœnitentiæ canonicæ ſubjiciendæ. Opponunt illæ ſe minime fuiſſe corruptas, poſtulantque ut ab obtrectribus inſpiciantur. Pomponius Cyprianum conſuluit, a quo hoc accepit reſponſum: *Si virgines inventæ fuerint, accepta communicatione ad Eccleſiam admittantur, hac tamen intermixtione, ut ſi ad exſtent maſculos reverſæ fuerint, aut ſi cum iſdem in uno domo, & ſub eodem tecto ſimul habitaverint, graviore cenſura ejiciantur, nec in Eccleſiam ſecundum facile recipiantur, ſi autem deinde aliqua corrupta fuerit deprehenſa, agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admiſit, non maritî ſed Chriſti adultera eſt, & ideo æſtimato juſto tempore poſtea Exomologeſi facta ad Eccleſiam redeat*: nihil etiam clarius (ſubdit Adverſarius noſter) ad eam rem comprobandam can. 11. valde memorabilis Toletani Concilii III., quod æra Hiſpanica 627., ideſt anno Chriſti 589. habitum eſt. Dicto igitur Canone ſtatuitur, quod *Quicumque ab Epiſcopo ſanus pœnitentiam poſtulat, id ante omnia... Epiſcopus ſervet, & Presbyter; ut ſi vir eſt, prius eum tondeat, aut in cinere, & cilicio habitum mutare faciat, ſi vero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, niſi prius aut velata fuerit, aut mutaverit habitum*: Toletana item longe antiquior Synodus Eliberitana can. 64. *Si qua mulier*, inquit, *uſque in finem mortis ſuæ cum alieno viro fuerit mœchata, placuit nec in fine dandam ei eſſe communionem. Si vero cum reliquerit, poſt decem annos accipiat communionem alia legitima pœnitentia*: Videantur & alii ejuſdem Synodi Canones 57. 63. 69. 70., & 72. Hæc eruditus Cenſor, cujus argumenta quamvis contemnenda non ſint, ea tamen facile diluemus.

Quoad virgines incontinentes, de quibus querela apud Cyprianum, an quod ipſe deiis faciendum ſtatuit, revera factum fuerit, exeque præſcriptam pœnitentiam exequioni mandaverint, nec Cyprianus ipſe, neque Pomponius ſcribunt; cum itaque non conſtet de peracta ab illis pœnitentia, neque in contrarium conſtabit de ejuſdem exemplo. Non item conſtat an illa pœnitentia publica debuerit eſſe, vel privata; alteruter enim pœnitentia plena dici poteſt, quam ſubeundam vult Cyprianus: hanc vero ipſe deſcribit libro de Lapſis circa finem: *Agite*, inquit, *pœnitentiam plenam dolentis, ac lamentantis animi probatæ... mœſtitiam*: quibus modis? paulo ante id explicat, utique de fœmina lapſa loquens, ubi poſt plura de abjecto pœnitentium fœminarum cultu dicta, ſubdit: *Siquem de tuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter, & fleres facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris oſtenderes. Animam tuam miſera-*

Quibus refpondetur, & vindicatur Liturgicus Scriptor.

per-

perdidiſti, ſpiritualiter mortua ſupervivere hic tibi, & ipſa ambulas funus tuum portare cæpiſti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiſcis? Non te pudore criminis, vel continuatione lamentationis abſcondis? Hæc ultima verba ſatis indicant Cyprianum in fœminis peccantibus pœnitentiam privatam potius, quam publicam intellexiſſe, dum ea omnia, quæ dolentis, ac lamentantis animi mœſtitiam produnt, privatim etiam fieri poſſunt, atque apud Sacerdotes tantum innoteſcere, quorum arbitrio ſacri Canones ejuſdem pœnitentiæ tempus remittunt, uti inter cæteros patet ex Can. 27. Concilii Aurelianenſis IV. *de mulieribus in adulterio cum Clericis deprehenſis*: Vide etiam Canonem antecedentem, item perſpicue id Innocentius I. ſtatuit Epiſt. 1. ad Decentium Eugubinum cap. 7., & Toletanum III. Can. II.

Cyprianus enim in ejus objecto textu de fœminis peccantibus privatam potius, quam publicam pœnitentiam intellexit.

Et ſane ſi ex Concilio Agathenſi, quod an. 505. celebratum fuit Can. II. juvenibus non facile pœnitentia (ſcilicet publica) committenda eſt propter ætatis fragilitatem, quinimmo ſi Concilio Romano II. quod multo ante Agathenſe ſub Silveſtro an. 324. habitum fuit, ſtare velimus, cum pleriſque ſuppoſititium ſit, Can. 12. prohibetur quod *nemo det pœnitentiam niſi quadraginta annorum petenti*: Ad quem Canonem (inquit Ferdinandus Mendoza in Can. 14. Concil. Illiber. cap. 31.) non agit Concilium de Pœnitentia, ut eſt Eccleſiæ Sacramentum, ſed de publica pœnitentia, ut pœna ad correctionem delictorum publicorum, & exemplum Fidelium ab Eccleſia inſtituta; ea enim afficiendos homines, niſi quadraginta eſſent annorum, prohibet, ne juvenes a concubitu ductarum, vel ducendarum uxorum (ut pœnitentiæ lex poſtulabat) prohibiti laberentur in deteriora. Eo reſpexit Concilium Aurelianenſe III. an. 452. dum juvenibus dandam pœnitentiam inhibuit; de publica enim id intelligendum eſt, quæ non ſolum perſonis liberis, & conjugii lege ſolutis interdicta erat ob continentiæ legem, ſi jam provectioris non eſſent ætatis, ne a carnalibus deſideriis, deliciiſque diſtracti aliis forſan implicarentur, uti in dicto Concilio conſtitutum eſt. Hæc Mendoza. Itaque ſi ante 40. annorum ætatem nemini publica imponebatur pœnitentia, a fortiori non ita facile credendum dictis virginibus corruptis ipſam a Cypriano indictam fuiſſe, cum & expreſſe id antiquitus a Patribus eautum aſtruat Baſilius Can. 34. *de Fœminis adulteris*, de quo ſupra, *Adulterio*, inquit, *pollutas mulieres, & confitentes ob pictatem, vel quomodocumque convitias publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus: eas autem flare ſine communione juſſerunt, donec impleatur tempus pœnitentiæ.*

Hinc neque juvenibus maſculis olim publica pœnitentia impoſita.

Quod de hujuſmodi fœminis olim ſervandum decreverunt Patres ante Baſilium, primis videlicet Eccleſiæ ſeculis, idem profecto decretum, & obſervarum fuiſſe quoad ſupra dictas virgines deflorata dicendum eſt, parem quippe mortis cauſam iis præberi, ſi publicentur, quis non videt? In quas ob infamiam contractam earum parentes, & eognati ſævire poſſunt; hinc ſubdit Balſamon in ſcholiis ad dictum Baſilii Canonem: „ Non oportet „ eam publicare, ideſt eam in dictarum pœnarum locis ſtatuere, qui enim eam vide„ rit extra divinos Eccleſiæ ambitus ſtantem, „ vel etiam cum catechumenis exeuntem, „ primo aſpectu omnino intelliget, propter „ adulterii crimen eſſe eam illi pœnam in„ junctam, & fiet punitio cauſa mortis poſt „ futurum ſorte viri reditum, qui id animad„ vertit. Permittitur ergo conſiſtere, & cum „ Fidelibus comprecari, a Sacramentorum „ autem communione abſtinere, donec pœni„ tentiæ tempus completum fuerit. Hac au„ tem humanitate in mulieres uti oportere„ Sanctus definivit propter eam, quam di„ ximus rationem; viri enim adulterium con„ fitentes immiſericorditer dictis pœnis ſubji„ ciuntur, quia non eſt timor in eis, qui de „ mulieribus dictus eſt, qui præſumuntur eſſe „ etiam aliis ſortaſſe criminibus obnoxii, & „ jure puniri: Hæc Balſamon, cui conſonat alter hujus Baſiliani Canonis Græcus Interpres Alexius Ariſtenus apud Beveregium in Pandectis Tom. II. parte 1. pag. 47. atque inde ob dictam rationem ne ob publicam pœnitentiam fœminæ a viris moleſtarentur, Arelatenſe Concilium II., quod an. 353. celebratum eſt can. 22. ſtatuit *pœnitentiam conjugatis nonniſi ex conſenſu dandam*.

Quinimmo atque conjugatis publica pœnitentia niſi ex conſenſu data.

Præterea ſi quis Canon, aut aliqua lex tunc extitiſſet, qua fœminæ lapſæ ad publicam pœnitentiam adigerentur, id profecto Pomponium Epiſcopum non latuiſſet, aut certe eam ipſe, aut Cyprianus ab eo conſultus indicaſſet; cum itaque de eadem ex ipſorum ſilentio non conſtet, credendum erit id negotii Epiſcoporum prudentiæ remiſſum, quapropter eo deſuper Pomponius Cyprianum conſulere ſtatuit. Ad Conſiſtentiam igitur (inquit Morinus de Pœnit. lib. 5. cap. 10. num. 9.) relegantur adulteræ mulieres, ne ſcelus reveletur, eo quod in eo ordine pœnitentes promiſcue ſubſiſtant cum fidelibus, & eum iis, qui privatim pœnitentiam ſive a Sacerdote injunctam, ſive ſponteam agebant, & cum iis, qui jam publicam egerant. Manifeſtum itaque eſt SS. Patrum prudentia ita diſpenſatum fuiſſe cum mulieribus, ne crimen ſecreto confeſſum detegeretur.

Hujuſmodi proinde pœnitentes ad conſiſtentiam relegati, ne ſcelus reveletur.

Eadem reſponſione occurrimus ad objecta ex Synodis duabus Hiſpaniæ. Præterea Toletana can. 12. loquitur de pœnitentia voluntaria, & ex devotione potius quæſita, quam ex delicto inflicta, cum de cauſa criminis nihil loquatur, neque etiam conſtat an eadem publica, aut privata fuerit, velatam enim eſſe fœminam caſtitatis propoſitum, aut habitum mutare, animi ſimplicitatem exterius indicare potius, quam pœnitentiam ſumere videntur, & ad utrumque indifferenter ſe habent. Deinde nemo niſi pro delicto, atque hoc graviori, quod palam conſtaret, ad publicam pœnitentiam admittebatur, uti ex S. Auguſtino homil. ultima libri 50. Homiliarum: *Neminem*, inquit, *a communione removere poſſumus, niſi vel ſponte confeſſum, vel in aliquo judicio ſive ſæculari, ſive Eccleſiaſtico convictum*: Item ex Concilio Carthaginenſi III. an. Chriſti 397. celebrato, cui ipſe S. Auguſtinus interfuit, can. 32. cujuſcumque pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa

Quod Synodum Toletanum, hæc loquitur de pœnitentia voluntaria, non de inflicta ob delictum.

Ligue cautum antiquis, ne in eos, vel eas ob infamiam contractam parentes, & cognati ſæviant.

Ec-

Eccleſia noverit, ante abſidem ei manus imponatur: multo minus mulieres, quarum famæ præ cæteris ſemper conſuluit Eccleſia.

Quoad Synodum Illiberitanam, ejuſque Canones, quibus hujuſmodi mulieres pollutæ a communione arcentur, neque eam accipere, niſi acta legitima pœnitentia poterant, quamquam prohibere a communione juxta phraſim Auguſtini in dicto libro quinquaginta Homiliarum hom. 50. mox citata videtur idem eſſe ac pœnitentiam publicam injungere, nihilominus hæc prohibitio alicui perſonæ particulari injuncta eſſe poterat, quin aliis præter Epiſcopum, aut Sacerdotem innoteſceret, ſicque non publicam, ſed privatam eſſe, idque a fortiori, ſi non omnes, etiam fideles communicent, uti jam ante dictum Concilium Illiberitanum uſum communicandi, quoties quis ſacris intererat, in deſuetudinem tranſire cœpiſſe ſupra oſtenſum eſt cap. 14. §. 5. Poterant itaque privatim ſtare ſine communione, ut loquitur Baſilius, donec implerent tempus pœnitentiæ, quo expleto legitima dicebatur, & interim domi flere, jejunare, & alia luctuoſa pœnitentiæ opera exercere. Quodque hoc verum ſit, ex alio ejuſdem Illiberitanæ Synodi Canone antecedenti 14. quo ſequentis 64. ſenſus, ut diximus, intelligi debet, manifeſte declaratur. Legitur ibi: *Virgines, quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem, qui eas violaverint, duxerint, & tenuerint maritos eoquod ſolas nuptias violaverint, poſt annum ſine pœnitentia reconciliari debebunt*: Audiendus in hunc Canonem doctiſſimus Albaſpinæus. Non hoc ita accipiendum affirmat, quaſi velint eas abſque Sacramento pœnitentiæ abſolvendas eſſe, aut ſtatuant Patres ejuſmodi peccatum non eſſe aliqua pœna coercendum, vel denique eis non eſſe dolendum de ſtupro, *ſed pœnitentia*, inquit, *hoc loco intelliguntur pœnæ, & ærumnæ, quæ in gradibus pœnitentiæ palam, & publice caperentur, quæ cum pudorem aliquem fugillarent, non erant ejuſmodi virginibus infligendæ*. Sicque, ut diximus, privata tantum, non publica, hæ virgines lapſæ afficiebantur pœnitentia.

Ita pariter Synodi Illiberitanæ Canones non de publica, ſed de privata pœnitentia intelligendi.

Idque ulterius, & evidenter confirmatur ex judicio Chrodeberti Turonenſis Epiſcopi, qui ſeculo octavo claruiſſe videtur de muliere, quæ poſtquam conſecrata, & profeſſa caſtitatem Deo fuerat, adulterium perpetravit, quod primo editum ex MS. Codice Bibliothecæ Thuaneæ vulgavit Paſchaſius Queſnellus in notis ad Epiſtolam 83. S. Leonis Magni Tom. II. pag. 489. ubi juxta can. 19. Concilii Aurelianenſis V. anno 549. illi privatam potius, quam publicam pœnitentiam ſubeundam indicit, præſertim illis verbis circa finem: *qui vigilias multas duxit occultas, & noxias, in luxuria multipliciter corpus ſuum eodem modo excitari de ſomno, levare, & in angulo Eccleſiæ, vel Monaſterii occulte in orationibus fatigare, atque affligere, ut dolores, quos memorat quantos, & quales ſuſtinuit pro amore carnali, ſecundum Pauli Apoſtoli mandatum, eoſdem ſuſtineat pro amore ſpirituali, &c.* deinde alia refert, quæ occultam pœnitentiam indicant, & ibi lector conſiderare poteſt. Denique etiamſi gratis concedamus ex iis Canonibus unum, aut alterum exemplum in contrarium legitime deduci poſſe, non tamen dici poterit publicam pœnitentiam imponi ſolitam fuiſſe, uti negat Emin. noſter, quod enim fieri aſſolet, aut lege ordinaria in ſuo vigore obſervata conſuetum eſt, non ex uno, aut altero, ſed ex pluribus frequentatis actibus ex ſui natura conſurgit. Hinc ſcite admodum, & prudenter dixit Purpuratus Author mulieribus numquam imponi ſolitam pœnitentiam publicam, non vero impoſitam fuiſſe, quod utique ex caſu aliquo ſequuto anſam adverſario juſte dubitandi præbuiſſet, quem tamen ipſe proferre deberet.

Confirmatur aſſertum iſtud novis rationibus, & argumentis.

Cæterum hæc non de ſingulis quibuſcumque lubricis mulieribus dicta eſſe quis arbitretur; ea quippe de iis lapſis tantum intelligenda affirmamus, quæ ex ſexus mollitie, animi inconſtantia, & carnis fragilitate potius, quam ex obſtinata malitiæ perverſitate peccaverunt, in quas vere contritas, & non contumaces, de quibus item ſuſpicio, quod a ſuis vexarentur, eſſe poterat ſi publicentur, mitius, ut ſupra, ſemper egit Eccleſia. In eas vero mulierculas, quæ propudioſa libidine cum publica infamiæ nota, & aliorum ſcandalo ſeipſas proſtituentes fœdiſſime converſatæ ſunt, etiamſi reſipuerint, quia vulgatum eſt crimen, nec ulla vexationis ſuſpicio eſſe poterat, diſtrictiorem omnem pœnitentialis diſciplinæ regulam, & rigorem Sacerdotes Dei ſemper exercuiſſe non inficiamur. Ita Balſamon præfatus ad dictum Baſilii Canonem: „ ſi enim „ (inquit) dixeris publice factam eſſe pro„ bationem, & veluti in triumphum eſſe du„ ctum adulterium, recte omnes pœnæ in„ eam congererentur, neque enim Canon„ in ea locum habet, quoniam ſemel publi„ cata eſt &c. Plurima poſſent ad id adſtruendum veterum exempla proferri, ac pro omnibus ex mulieres ſint jampridem a Marco Hæreſiarcha ſeductæ, de quibus Irenæus lib. 1. adv. hær. cap. 9. ſic ait: *Multæ ex illis converſæ ad Eccleſiam Dei confeſſæ ſunt, & ſecundum corpus exterminatas ſe ab eo &c.* poſtea de quadam Diaconi uxore a dicto nequiſſimo homine ſententia, & corpore corrupta loquens: *cum magno labore*, inquit, *fratres eam convertiſſent, omne tempus in exomologeſi conſummavit plangens, & lamentans ob hanc, quam paſſa eſt a Mago iſto corruptelam*: ibi etiam, & quaſdam aliis mulieres in regionibus Rhodano finitimis a Marci ſectatoribus deceptas in manifeſto *exomologeſim feciſſe* narrat. Quod autem de Fabiola matrona ex Hieronymo Epiſt. ad Oceanum alias 30. nunc in noviſſ. edit. Monach. S. Mauri num. 84. Emin. refert, atque inde dicit id poſtea permiſſum viduis, publice ſcilicet pœnitere, id quidem permiſſum, ſed quoad privatam pœnitentiam nonnullis Synodorum decretis firmatum fuit. Concilium Illiberitanum can. 9. de fœminis, quæ adulteros maritos reliquerunt, ſic habet: *Item fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur ne ducat; ſi autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de ſeculo exierit, niſi neceſſitas infirmitatis dare compulerit.* Idem & ſtatutum fuit in Concilio Toletano I. an.

Quod de lapſis mulieribus dictum de iis tantum, quæ privatim ex fragilitate, non de illis, quæ ex propudioſa libidine cum publica infamiæ nota peccarunt, intelligendum.

an. 405. can. 16. prohiberi a communione, ut supra diximus, maxime quoad fœminas, est privata pœnitentia mulctari, quam porro Fabiola publicam ex majori compunctione voluit facere, & inde admirati omnes; atque hæc de fœminarum pœnitentia satis.

(2) *At qui fuerint isti, dubiæ quæstionis est*) Et sane cum laudati Canonis Ancyrani multiplex versio sit, ex ejusdem varietate plerique in diversas abiere opiniones circa hoscce Hyemantes. Disputandi iis desuper occasionem Eruditis præbuit tertia recentior dicti Canonis versio per Gentianum Hervetum, qui sic illum ex græco latinum reddidit: *eos, qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leprosi sunt, vel fuerunt, justit Sancta Synodus inter Hyemantes orare.* Ita etiam habetur apud Theodorum Balsamonem. Hyemantium nomine, ut vox ipsa præfefert, intelligi debere, qui extra tectum, & sub dio orare tenebantur, videlicet pluviis, aliisque aeris injuriis expositi, uti etiam mox innuit Emin. Author, ex eo constat, quod Flentes arcebantur quidem aditu Ecclesiæ, sed omni tecto non submovebantur, nam ut supra dictum est, sub tecto quodam præ foribus Ecclesiæ, seu sub porticu ante januas, pœnitentiam agebant; qui autem Hyemantes isti fuerint a leprosis, aliisve brutalium criminum reis distincti, quemadmodum indicat Canon iste ex dicta versione, incompertum est.

Quinam fuerint Hyemantes dicti inter Eruditos controvertitur.

Dionysius Exiguus, cujus antiquiorem versionem habet Crescioniana collectio, Hyemantium nomine Energumenos intelligit, & lepram spiritualem interpretatur, itaut sit ille Canonis sensus: ii, qui detestandi vitii contagio, seu lepra alios infecerint, non inter pœnitentes, sed cum Energumenis orent loco a Pœnitentibus, & Catechumenis separato; unde sic eumdem Canonem vertit: *eos, qui irrationabiliter vixerint, & lepra injusti criminis alios polluerint, præcepit Sancta Synodus inter eos orare, qui spiritu pericli tantur immundo*: huic interpretationi consonat alia versio antiqua, & incerta, quam exhibet collectio Isidori Mercatoris, quem & sequitur Bartholomæus Caranza in sua summa Conciliorum pag. 15. *Hos ecclesiam sane*, inquit, *non solum leprosos crimine hujusmodi fallos, sed & alios ipso suo morbo replentes placuit inter eos orare, qui temptati, fallantur, qui a nobis Energumeni appellantur.* Martinus etiam Bracarensis can. 81. Epitome Canonum Adriani Papæ in Concil. Labbei Tom. VI. pag. 1800. item Ferrandi Breviarium tit. 27. inter Hyemantes orare interpretantur inter Dæmoniacos. Verum planior est Canonis sensus, ac Græco textui convenientior, si Hyemantium nomine intelligantur illi, qui extra tectum Ecclesiæ pulsi pœnitentiam agere sub dio cogebantur; esi leprosi nomen ibi sumatur in propria significatione, ut iste sit sensus: illi, qui rationis experti animantia inierint, vel alia quavis irrationabili copula fuerint fœdati, si leprosi sint, vel exiterint, & suspicio sit eos nondum esse plene sanatos, non conveniant in eumdem cum aliis Pœnitentibus locum, ne ipsos inficiant; cum enim hujusmodi criminum reos Ancyrani Patres ex Gentiani Herveti versione ad

Dionysius Exiguus Hyemantium nomine Energumenos intelligit, cumque ipso alii.

Verior autem Ancyrani Canonis sensus videtur de iis qui propter fœtidissima fœdera extra tectum Ecclesiæ pulsi pœnitentiam agunt.

Substrationem damnatos in tertio pœnitentiæ gradu ad longum tempus dejecissent Canone 16. antecedenti, ubi sic legitur: *Postquam quindecim annis substrati, ac supplices fuerint &c.* deinde. *Examinatur autem & eorum in substratione vita &c.* quæ statio erat, ut diximus, sub Ecclesiæ tecto, non est verisimile, quod eos sub aperto Cœlo pœnitentiam agere voluerint, nisi nova causa emergeret, quæ lepra erat; non animæ tantum, sed & corporis. Porro de Hyemantibus vide etiam infra in notis sequentibus.

(3) *Qui sub dio extra omne Ecclesiæ tectum manebant*) Et hujus sententiæ est Natalis Alexander Histor. Eccles. sec. 3. Dissert. 8. art. 1., ex quo plura hausimus dicta in præcedenti nota. Item ante ipsum eidem opinioni subscripsere Gabr. Albaspinæus observ. in can. 17. Conc. Ancyrani, & Gaspar Sviceras in suo Thesauro Ecclesiastico voce χαμαιζηλοι, sive Hyemantes; porro Hyemantium aliquot meminit Joannes Climacus de Pœnitentiæ gradu 5. *Ex his alii*, inquit, *sub ardentissimo solis æstu se ipsos cruciabant, alii acerrimo frigore se affligebant.*

(4) *Toto tecto submoveri*) Hinc item post Tertullianum ejus magistrum alludere videtur S. Cyprianus, & in eumdem sensum subscribere libro de Lapsis circa finem, ubi de horum pœnitentia inter cætera hæc dicit: *Stratos solo adhærere cineri, in cilicio, & fordibus volutari*: neque enim intra Ecclesiam, aut sub ejus tecto pulverem, aut fordes esse permittebant fideles, qui omnia in ea munda custodiebant, quare extra Ecclesiæ limen hos pœnitentes stratos adhærere cineri, ac fordibus volutari intelligit S. Martyr. Nefcio an in idem intenderit S. Pacianus Barcinonensis Episcopus Paræneti ad Pœnitentiam, ubi enormium hujusmodi criminum reos, veluti basilifci halitu infectos, aut venenatum calicem propinatos, vel læthali arundine, sive lepra percussos ait, qui utique ab omni confortio arcendi sunt, & toto tecto submovendi.

In eumdem sensum alludere etiam videntur Tertullianus, ac SS. Cyprianus, & Pacianus.

(5) *Prævia Ministri justione e templo excedebant*) Præter hos Hyemantes alii Subsequestrantes, seu verius Subsequestrati dicti leguntur, de quibus Joannes Raithu in scholiis ad Scalam Joannis Climaci cap. 13. Bibl. PP. noviss. edit Tom. X. pag. 511. ubi quinque adstrui Poenitentium classes, hanc scilicet Subsequestrantium dictis quatuor adjungens, quam tamen Morinus de Sacr. Pœnit. lib. 6. cap. 6. unam, eamdemque cum Substratorum classe confundit. De hac etiam agit Rondininius de Basilica S. Clementis pag. 282. Ita de eadem dictus Joannes Raithu: *Subsequestratio est statio Ecclesiæ intra ambitum Ecclesiæ in posteriori parte Ambonis; unde & qui ibi est in exclamatione, quæ fit ad egressuros, & ipse cum eis egreditur.* Hinc aliquam Substratorum speciem hanc fuisse non male colligit Morinus. Perperam vero idem Morinus ibidem confundit cum Hyemantibus & Flentes, quos etiam ad aream sub dio vult omnino ablegatos; id quidem quoad Hyemantes verum esse non inficiamur; Flentium vero classem in casu tantum gravissimi delicti sub porticum Ecclesiæ non recipi, sed ante illam consistere in atrio

Inter Pœnitentium ordinem recentiori quidam ad Joannem Climacum subsequestrati dicti.

aperto Cœlo, quo in loco non Flentes tantum, ſed Hyemantes vocati ſunt, cum Em. Authore tradunt Joannes Cabaſſutius Notitiæ Eccleſ. Differt. 10. pag. 39. n. 2. edit. Lugd. ubi id pluribus confirmat exemplis, Pompæus Sarnellus Epiſc. Vigilienſis in ſua Baſilicographia cap. 8. aliique. Et ſane ex his, quæ ſupra diximus ad §. 4. nota 1. ſatis ſuperque conſtat reum ordinis Flentium a Patribus ibi allatis non amandari procul extra Oratorii valvas ad aream aliquam ſub dio, ſed ſtationem ad fores Eccleſiæ illi aſſignari. Sub dio pariter & inter Hyemantes collocati olim erant majori excommunicatione percuſſi, & ab Eccleſia prorſus præciſi, quos ab omni fidelium etiam pœnitentium conſortio, & communione ſejunxit antiquitas.

§. VI.

Pœnitentes, & alii, qui Miſſæ Fidelium adeſſe non poterant, quo ordine dimitterentur. De ſacramentali abſolutione.

PRimi omnium voce Diaconi poſt Evangelium, & ſermonem admoniti exibant Infideles, & poſt illos Catechumeni primi generis., & Pœnitentes ſecundi. His egreſſis monebat Diaconus populum, quid peteret a Deo pro Catechumenis ſecundæ Claſſis, qui Subſtrati dicebantur, quibus etiam indicebat, ut capita inclinarent orationibus Sacerdotum, quibus ſuper illos recitatis, & ipſi exibant. Idem ritus his egreſſis erga Energumenos ſervabatur: & his poſt preces dimiſſis, vocati aderant Competentes & Electi, & poſtquam iſti oratione item ſuper eos peracta receſſerant, idem Diaconus Pœnitentes tertiæ claſſis ad orationem advocabat, iiſque procumbentibus manus imponebantur ab Epiſcopo, & Presbyteris, recitatis orationibus, quarum formulæ prolixæ, & diſtinctæ ſuper omnes ab Eccleſia emittendos legi poſſunt lib. 8. Apoſtolicarum Conſtitutionum; ac demum his dimiſſis fores Eccleſiæ claudebantur, quas Miniſtri cuſtodiebant, ne quis a ſacris excluſus denuo ingrederetur, aut aliquis Fidelium abſcederet; ſtatimque Miſſa Fidelium, quam Ivo Carnotenſis *Epiſt.* 219. (ut ſupra dictum eſt) Miſſam Sacramentorum vocat, inchoabatur. Hunc ipſum ritum apud Syros viguiſſe liber de Expoſitione Liturgiæ S. Maronio adſcriptus, quem Latinum fecit D. Fauſtus Naironus Maronita cap. 4. teſtatur. *Poſt lectionem*, inquit, *ſanctorum librorum novi, ac veteris Teſtamenti oportet fieri tres Orationes. Prima Oratio ad Auditores, dum miniſter clamat*, ite in pace Auditores, *ut tranſeant ſub manu Epiſcopi, vel Presbyteri recipientes manuum impoſitionem, & egredientes. Poſtea fit alia Oratio ſuper Energumenos, & tranſeunt ſub manu Epiſcopi, vel Presbyteri, & exeunt. Similiter & tertia Oratio ſuper Pœnitentes, & hos vocat miniſter, & exeunt. Et poſt hæc dicit miniſter, ut claudantur januæ Eccleſiæ.* Sancitus eſt hic ordo expulſionis *Can.* 19. Concilii Laodiceni, deque eo agit Theodorus Antiochenus ad *Can.* 5. Concilii Neocæſarienſis (1). Pœnitentes vero quartæ claſſis uſque ad finem Miſſæ, ut ſupra diximus, cum Fidelibus morabantur communionis expertes. Quod autem ſpectat ad ſacramentalem abſolutionem, an eam Epiſcopi ſeu Sacerdotes ſub finem Conſiſtentiæ, an in fine Subſtrationis impertirentur, cum ab ea ad Conſiſtentiam tranſibant, diverſæ ſunt Eruditorum ſententiæ, quas non eſt hujus loci examinare (2). Quod ſi ſpecialiter ſermo ſit de conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, ex Sozomeno *lib.* 7. *Cap.* 16. & ex Nicephoro *lib.* 12. *cap.* 28. manifeſte colligitur dilatam Romæ abſolutionem uſque ad finem quarti gradus. De hac enim Eccleſia tractantes, pœnitentes commemorant, qui Miſſæ intereant, nec tamen Euchariſtiæ participes erant: & eos ajunt peracta Miſſa in terram cum fletu corruiſſe, quibus occurrens Pontifex ſimiliter cum la-

(1)

(2)

Abſolutio ſacramentalis reconciliandi Pœnitentibus data ab Epiſcopo vel Sacerdote, an ea fuerit ſub finem Conſiſtentiæ, ſeu Subſtrationis diſputata Eruditi.

lacrymis collabebatur, & eos erigens pro illis orabat, ac deinde dimittebat. Illi vero privatim jejuniis, & alii pœnis ſe affligebant, ac poſtea elapſo tempore ab Epiſcopo conſtituto a peccatis abſolvebantur. Non ergo Subſtratis, qui cum Catechumenis exibant, ſed Conſiſtentibus, qui uſque ad finem Miſſæ manebant in Eccleſia, abſolutio dari ſolebat. Eumdem morem ſervatum in Africa, ut intra Miſſarum ſolemnia abſolverentur pœnitentes proxime ante Orationem Dominicam, non obſcure docet Optatus Milevitanus lib. 22. *Etenim inter vicina momenta dum manus imponitis, & delicta donatis, mox ad Altare converſi Dominicam Orationem prætermittere non poteſtis* (3). Manuum autem impoſitio ſuper Subſtratos quædam tantum Oratio, & Benedictio erat, quam in terram procumbentes a Sacerdotibus accipiebant (4). A qua proſtratione probabile eſt ortam adverſus Chriſtianos Paganorum calumniam aſſerentium apud Minutium Felicem, *eos Antiſtitis ac Sacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam*; eo quod Pœnitentes Presbyteris advolvi ſolerent, & charis Dei adgeniculari, ut loquitur Tertullianus (5). (3) (4) (5)

Expulſionis Pœnitentium qui meminerunt.

(1) *Ad Can. 5. Concilii Neocæſarienſis*) Hujus expulſionis Pœnitentium meminere etiam Concilium Agathenſe Can. 60. Epaonenſe Can. 29. Sozomenus, ac Nicephorus, ut infra, & S. Joannes Chryſoſtomus hom. 3. in Epiſt. ad Epheſios, ubi invehitur in Fideles, qui cum adeſſent myſteriis, eis participare nolebant, dicitque eos a Pœnitentibus & Catechumenis, qui Diaconi voce a Sacrificio adigebantur, non differre. Porro hunc ordinem expulſionis, & Orationum ſuper pœnitentes graphice ita deſcribit laudatus Canon Laodicenus, cujus hæc verba ſunt juxta verſionem Dionyſii Exigui: *Quod oporteat primum ſuper Catechumenos poſt allocutiones Epiſcoporum orationes celebrari, & poſtquam Catechumeni egreſſi fuerint, ſuper eos, qui ſunt in pœnitentia, precem fieri. His etiam accedentibus ad manum Sacerdotis, & diſcedentibus, tres orationes conſummari Fidelium, ita ut prima quidem ſub ſilentio, ſecunda vero, & tertia per exclamationes ſolitas expleantur, & ita demum pacem ſibi invicem dabunt*: Huc item alludit Felix III. Papa Epiſt. 7. ubi hanc pœnam laicis, qui ſe rebaptizari paſſi fuerant, imponens ait: *Tribus annis inter Audientes ſint, ſeptem autem annis ſubjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum*: quod, ut alibi dictum, ex Auguſtino lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 16. nihil aliud eſt, quam eorum orationibus adjuvari.

Vel etiam Sacerdotis fuerit Pœnitentiæ publice ſacramentaliter reconciliare.

(2) *Non eſt hujus loci examinare.*) Qui de iis velit fuſius Authores conſulere, adeat Joannem Morinum de Sacram. Pœnitentiæ, ubi prolixe de hac materia agit, præſertim lib. 9. item Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. ſec. 3. Differt: 7. & 9. Gabrielem Albaſpineum Obſerv. Eccl. lib. 2. præclpue Obſerv. 33. Thomaſin. Vet. Diſcipl. parte I. lib. 2. cap. 23. num. 5. 17. Card. de Aguirre in notis ad Concil. Illiberit. Can. 64. Edmundum Martene de Antiq. Eccl. Rit. Tom. 2. lib. 1. art. 2. & 2., aliſque, & noviſſime P. Joſeph Auguſtinum Orſi in ſua hac de re edita Diſſertatione Hiſtorica, de qua ſupra meminimus §. 1. nota I. Cæterum an Epiſcopi tantum, vel etiam Sacerdotis (qui ſoli a Chriſto derivatam abſolvendi a peccatis potestatem habent) munus fuerit pœnitentibus reconciliandis ſacramentalem abſolutionem impertiri, & an hæc in fine Subſtrationis, vel Conſiſtentiæ concederetur, quam controverſiam aliis examinandam reliquit Cardinalis noſter, fortaſſe conſuetæ brevitatis gratia, abs re non erit, neque lectori injucundum poſt indicatos Authores, qui de his quæſtionibus agunt, nonnulla ex iis ſummatim excerpere; & quidem primo certum eſt ex veteris Eccleſiæ more reconciliatoriam abſolutionem ſacramentalem pœnitentibus impertiendam ad Epiſcopos præcipue, & principaliter ſpectaſſe, ipſiſque reſervatam fuiſſe, ac Presbyteris ex eorum indulto, & commiſſione delatam, unde illa ab initio Eccleſiæ poteſtas juriſdictionis dicta ſuam ducit originem. Probatur id ex S. Ignatio Mart. Epiſt. ad Smyrnæos, Tertulliano lib. de Baptiſmo cap. 17. atque ex S. Cyprjano lib. de Lapſis, ubi abſolutionem a Presbyteris datam abſque ipſius conſenſu vocat *contumeliam Epiſcopatus ſui*, tum ex Concilio Carthaginenſi II. de quo idem Cyprianus Epiſt. 43. 45. 55. 59. edit. Oxon. ubi Can. 3. expreſſe ſtatuitur *reconciliare quemquam in publica Miſſa Presbyteris non licere*; ſcilicet non indulgente Epiſcopo, uti ex Can. 4. ſequenti, quo iiſdem ipſo inconſulto prohibetur pœnitentes abſolvere; verba Canonis hæc ſunt: *Si quiſquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari divinis Altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet utique Presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem ejus præcepto reconciliare*: Idem etiam ſtatuit Conc. Carthaginenſe III. Can. 31. & 32. atque Eliberitanum Can. 32.

Quive ex recentioribus de iiſdem Pœnitentibus, eorumque ordinibus, ac diſciplina ſcripſerint.

An Epiſcopi tantum.

Plura in idem argumentum congerunt memorati præſtantes viri, quæ omittenda cenſemus, & aliqui ipſos videri poſſunt. Et ſane cum ex Conciliis Ancyrano Can. 6. ac Nicæno Can. 12. item ex Can. 7. Epiſtolæ Canonicæ S. Baſilii ad Amphilochium in Epiſcoporum arbitrio fuerit pœnitentibus quibuſcumque juxta illorum contritionem, ac in agenda pœnitentia fervorem injuncta pœnalia opera laboriosa moderari, augere, minuere, vel

etiam in toto, aut in parte, ut ipſis videbitur, relaxare, ad eoſdem profecto pertinuiſſe, & plenariam reconciliationem cum manuum impoſitione largiri, eamdemque, ſi voluerint, a Presbyteris impertiendam concedere „ id „ tam certum, & exploratum (ait Hono„ ratus Tournelly de Sacram. Pœnit. quæſt. 9. „ art. 2.) ut cuique in veteri Eccleſiæ diſci„ plina vel tantiſper verſato notum ſit ſine „ Epiſcopi licentia Sacerdotes non potuiſſe „ aut pœnitentiam imponere, aut abſolutio„ nem impertiri, vel alia etiam ſui miniſte„ rii officia exercere: uti ex mox allatis Patribus & Conciliis conſtat, quibus & addi poteſt Concilium Agathenſe cap. 15. ut alia hujuſmodi veterum documenta ſileamus.

Et an hujuſmodi ſacramentalis abſolutio ſub finem ſubſtrationis, vel Conſiſtentiæ tribueretur.

Quoad alteram quæſtionis partem, an ſcilicet hujuſmodi ſacramentalis abſolutio ſub finem Subſtrationis, aut Conſiſtentiæ dictis publicis pœnitentibus tribueretur, Cardinalis noſter hac de re diverſas eſſe Eruditorum ſententias affirmans, quas aliis examinandas relinquit, nihilominus mox ſubdit ex conſuetudine Eccleſiæ Romanæ dilatam fuiſſe reconciliatoriam præfatam abſolutionem uſque ad finem quarti gradus, idque etiam in Africa obſervatum elicit ex Optato Milevitano; at de aliis particularium Eccleſiarum moribus ſilet. In iis, & præſertim quæ in Oriente ſunt, de ipſarum more videtur dictam peccatorum remiſſionem Subſtratis cum e tertio gradu ad quartum Conſiſtentiæ aſcenderent, tributam fuiſſe; nam ex laudatæ Synodi Ancyranæ Canone 16. quo de graviſſimi peccati reis decernitur ſecundum Gentiani Herveti verſionem, ut *poſquam quindecim annis ſubſtrati, ac ſupplices fuerint, communionem ad preces aſſequantur, deinde & cum in communione quinque annis perſeveraverint, oblationem attingant &c.* Quid autem ſit hæc communio pœnitentibus ſub finem Subſtrationis data, antea explicaverant iidem Ancyrani Patres can. 5. *cum duobus annis ſupplices, ſubſtratique fuerint, tertio anno communicent ſine, oblatione, ut id quod perfectum eſt, triennio accipiant*: ideſt Euchariſtiam. Sic Nicænum Concilium can. 11. & Felix III. Papa Epiſt. 7. qui Patres de Subſtratis ad Conſiſtentiam tranſeuntibus loquentes, ſtatuunt ut illi *ſine oblatione populo in oratione communicent*.

Hujus autem communionis nomine putat Albaſpinæus loco citato ſacramentalem abſolutionem, & admiſſionem ad Conſiſtentiam intelligi debere, quod non diffitetur Purpuratus Scriptor lib. 2. cap. 19. §. 4. circa finem, dicens quod communio idem ſit ac participatio cum Fidelibus, & abſolutio, ſine qua illorum conſortio frui non poterant. Et ſane, ut concludit Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 3. Differt. 9. propoſ. I. „ Ex Epiſtolis, in„ quit, Canonicis Sanctorum Petri Alexan„ drini, Gregorii Thaumaturgi, Gregorii „ Nyſſeni, Baſilii, & priorum Conciliorum „ Canonibus, quibus conſtat pluribus annis „ peccatores in Fletu, Auditione, & Subſtra„ tione (de Conſiſtentia tacet) permanſiſſe; „ cum ne quidem liceret eis cum Fidelibus „ in Eccleſia conſiſtere. Porro non eſt ve„ riſimile hominis per abſolutionem ſacra„ mentalem juſtificati tam duram conditio„ nem futuram ut Chriſto adhærens per cha„ ritatem ne quidem communione precum „ Fidelibus jungeretur. Hæc Ordinis Præd. Magiſter, & Sorbonicus Doctor, cui & alium addo ejuſdem inclytæ Nationis Gallicæ Scriptorem Petrum Annatum Congr. Doctrinæ Chriſt. Præpoſitum Generalem Appar. ad Theol. Poſit. lib. 3. act. 7. ubi de manuum impoſitione ſuper pœnitentes „ Tertia, inquit, „ erat illa, quam a tertio gradu ad quartum „ aſcendentes recipiebant, qua dabatur eis „ ſimplex reconciliatio, ſeu abſolutio a pec„ catis, & minor communio, qua reddeba„ tur eis jus communicandi cum cæteris Fi„ delibus in omnibus, excepto jure ad obla„ tiones, & Euchariſtiam; & hæc reconci„ liatio ſimplex, ſeu prima hæc a peccatis „ abſolutio, hæc minor communio eſt ea, „ quam Concilii Nicæni Patres vocant *via„ ticum maxime neceſſarium* Can. 13. & de„ qua abſolutione, & minori reconciliatione, „ ac communione loquens pariter Concilium „ Arauſicanum primum, ait Can. 3. *Qui re„ cedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit „ ſine reconciliatoria manus impoſitione eis com„ municari ſecundum definitiones Patrum, qui „ hujuſmodi communionem congruenter viaticum „ nominarunt*; hoc eſt ſine majori, & abſo„ luta communione, quæ eſt Euchariſtica, „ placuit dari minorem, ſeu abſolutionem a „ peccatis, quam Nicæni Patres vocarunt „ *viaticum maxime neceſſarium* „: Hæc ex antiqua Eccleſiæ praxi Annatus. Quibus omnibus vides Subſtratis Pœnitentibus impertitam abſolutionem ſacramentalem antequam ad quartum Conſiſtentiæ gradum aſcenderent Fidelium communioni aſſociandi.

Ante Dominicam Orationem Miſſæ abſoluti in Africa Pœnitentes.

(3) *Dominicam Orationem præterмittere non poteſtis*) Et quidem quoad pœnitentes, qui poterant cum cæteris ad Eccleſiam convenire, ut notat Albaſpinæus ad Canones Eccl. Afric. tit. 6. ſive Concil. Carthag. Can. 3. etenim quoad alios, ſi urgebat mortis periculum, aut in alio quovis diſcrimine verſaretur eorum ſalus, reconciliabantur iſti etiam domi, aut intra privatos parietes, ubi detinerentur, nondum expleto pœnitentiæ tempore, nondum plene exacta ſatisfactione in Eccleſia, uti etiam advertit Natalis Alexander loco ſupra citato Diſſert. 9. prop. 2. & 3.

Manuum Impoſitio ſuper publicos Pœnitentes non una, ſed triplex, & ſingulæ deſcribuntur.

(4) *Oratio & Benedictio, quam in terram procumbentes &c.*) Hæc manuum impoſitio ſuper publicos pœnitentes non una, ſed triplex erat, & cum oratione, ac Sacerdotis benedictione conjuncta, una in pœnitentiæ ingreſſu, altera in decurſu, tertia denique in exitu, ſeu plenaria reconciliatione. Prima ut de ſingulis dicamus, illa fuit, per quam publicorum criminum rei ad agendam publicam pœnitentiam ab Epiſcopo, cui ſoli id incumbebat (uti ex tribus Canonibus Concil. Carthag. II. Can. 3. & III. Can. 27. ac 31. poſtremo ex Synodi Agathen. Can. 44. aliiſque) admittebantur, qui pro cujuſque delictorum pondere ſtata ſingulis pœnitendi tempora, modumque decernebat, quibus exactis communionem, a qua interim prohibebantur, acciperent. Quod illi dum cum Epiſcopo tranſigebant

ſigebant, actionem, copiam, ac locum pœnitentiæ ipſi petere, Epiſcopus dare, & concedere dicebatur. Hæc enim erat veluti publicæ pœnitentiæ janua, de qua loqui videtur Auguſtinus Epiſt. ad Honoratum Epiſcopum vet. edit. num. 180. noviſſ. 228. num. 8. cum alios ad Eccleſiam venire ait: *baptiſmum flagitantes, alios reconciliationem, alios etiam pœnitentiæ ipſius actionem*, & quia publice pœnitentiæ actioni adnexa erat excommunicatio, ut dictum eſt, qui illam ſuſciperet, hunc excommunicari, removerique dicebatur ab Altari; unde idem Auguſtinus Epiſt. ad Seleucianum nov. edit. 265., alias 108. num. 7. *agunt*, inquit, *homines pœnitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur*, & in Epiſt. ad Januarium alias 118. nunc 54. *Si tanta eſt plaga peccati, authoritate Antiſtitis debet quiſque ab Altario removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem authoritate reconciliari*: quo vero ritu, ac legibus ad hanc primam pœnitentiæ actionem accederent pœnitentes, Synodus Agathenſis indicat can. 15. *Pœnitentes*, inquit, *tempore, quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput a Sacerdote, ſicut ubique conſtitutum, conſequantur*. Ubi obſervandum eſt impoſitionem manuum a Synodo eam dici, quæ prima omnium pœnitentiam petentibus tribuebatur.

Altera porro non ſimplex, nec una fuit, ſed multiplex, ac diuturna, tamdiu durans, quamdiu pœnitentes a communi Fidelium Miſſa excludebantur, toties iteranda, ac repetenda, quoties ab Eccleſia ejiciendi poſt Catechumenos, manibus prius Epiſcopi capita ſubmittebant, uti ex ſupra allato Canone Laodiceno, quem exſcripſimus nota 1. De hac autem ſecunda manuum impoſitione procul dubio accipiendus S. Auguſtinus ſerm. 144. de Tempore, ubi ait: *Abundant hic pœnitentes, quando illis manus imponitur, ſit ordo longiſſimus*: De eadem & Patres Synodi Toletanæ III. Can. II. dum præcipiunt: *ut ſecundum formam Canonum antiquorum dentur pœnitentiæ, hoc eſt, ut prius eum, quem ſui pœnitet facti, a communione ſuſpenſum faciant inter reliquos pœnitentes, ad manus impoſitionem crebro recurrere*: Ad hanc item & referendum eſt quod habet Concilium Carthaginenſe IV. Can. 80. *omni tempore jejunii manus pœtentibus a Sacerdotibus imponantur*: Nam Epiſcopus una cum Presbyteris manibus expanſis ad eos accedens aliquot orationes ſuper eos recitabat, poſt quas illi e templo diſcedebant: Hæ autem preces ideo ſuper ipſos fundebantur, quia cum pœnitentia non tantum ut pœna iis infligeretur, ſed etiam, ut diximus, ex Concilio Toletano XII. Can. 2. ut donum magnum petentibus concederetur, per illas preces ab excommunicatione, five a peccatis, quibus excommunicationis vinculo conſtricti erant, abſolvebantur; ſpecialis item gratia per benedictionem pœnitentiæ eorum animis infundebatur, qua ad ejuſdem pœnitentiæ exercitia ferventer amplexanda movebantur, & amarius de peccatis ſuis conterebantur, atque ex impoſita pœnitentiæ gravitate criminum quoque exceſſum melius ponderabant. Quam gratiam, etſi non ſacramentalem, realem tamen fuiſſe tum ex dicto Concilio Toletano deducitur, tum ex Valentino I. in Gallia celebrato an. 374. Can. 3. ubi hæc leguntur: *Ut his juxta Synodum Nicænam ſatisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis, vel ſolatii janua deſperatione claudatur: afturi vero pœnitentiam uſque in diem mortis, non ſine ſpe tamen remiſſionis, quam ab eo plene ſperare debebunt, qui ejus largitatem, & ſolus obtinet, & tam dives miſericordia eſt, ut nemo deſperet; Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*: Sicque hujuſmodi pœnitentes publici per pœnitentiæ locum ab Eccleſia ſibi ſolemniter conceſſum ſperabant ſe poſſe Deo ſatisfacere, & veniam obtinere.

Tertia demum, & poſtrema ea fuit, in qua pœnitentes exactis omnibus, & rite perſolutis pœnalibus exercitiis ſibi impoſitis pœnitentiæ fructum, ideſt reconciliationem cum Eccleſia conſequebantur, unde hæc reconciliatoria manuum impoſitio dicebatur, ut in Concilii Arauſicani I. Can. 3. ubi de pœnitentibus in infirmitate abſolutis ſtatuit: *Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant*: de qua etiam intelligendus eſt Can. 78. Concilii IV. Carthagin. Hanc porro reconciliationem duplicem fuiſſe putat Gabriel Albaſpinæus in ſuis obſervationibus Eccl. minorem ſcilicet, quæ in fine tertii gradus ſeu Subſtrationis, & majorem, quæ in fine quarti, ſeu Conſiſtentiæ concedebatur, illa abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente a Presbyteris fieri poterat ex Epiſcopi tamen directione; hæc autem numquam a Presbyteris, ſed ab ipſo tantum Epiſcopo fiebat, qua in publica Miſſa pœnitentes communioni, & Altaris Sacramentis reſtituebantur, quam majorem reconciliationem Concilium Ancyranum Can. 7. *perfectionem communionis* vocat, Can. 16. *plenam communionem*; Concilium Vaſenſe Can. 2. *reconciliationem abſolutiſſimam*, & Barcinonenſe Can. 9. *beaticam communionem*.

Hanc item reconciliationem per manuum impoſitionem diverſos ad effectus datam, ut diximus, ſcite, ac diſtincte paucis verbis exprimit Leo Magnus Epiſt. ad Theodorum Epiſcopum: *Chriſtus*, inquit, *hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*.

In dictorum confirmationem præſtat adducere quæ clar. vir Lucas Holſtenius affert Diſſert. 2. de forma Sacramen. Confirmationis apud Græcos circa finem, ubi de impoſitione manuum, qua pœnitentes reconciliabantur, hæc habet: „ De antiqua Eccleſiæ diſci„ plina circa pœnitentium reconciliationem „ tres doctiſſimi viri ante annos non ita mul„ tos in Galliis ſcripſerunt, Gabriel Albaſpi„ næus Epiſcopus Aurelianenſis Obſerv. ſac. „ lib. 2. cap. 24. Joannes Dartis Profeſſor Re„ gius Pariſienſis libro ſingulari de Canonica

„ di-

„ diſciplina circa Pœnitentiam, & Joannes „ Morinus Exercit. Eccl. lib. 2. cap. 23. & „ 24. Hi de manuum impoſitione, quæ pœ„ nitentibus impendebatur ex antiquis Cano„ nibus, Patrumque dictis minutiſſime agen„ tes nullum antiquitatis angulum inexcuſ„ ſum reliquerunt. Obſervant illi, licet to„ to pœnitentiæ decurſu frequentiſſime eſſent „ manus impoſitiones, tres tamen ſolemnio„ res, & præcipuas fuiſſe: Primam in ipſa „ admiſſione ad pœnitentiam, ubi pœniten„ tes cum impoſitione manus ab Epiſcopo ci„ licium, & cinerem accipiebant. Secundam „ cum ad tertium pœnitentiæ gradum acce„ derent, quæ hypoptoſis, vel Proſtratio di„ cebatur, in quo ad principium Miſſæ, & „ Apoſtolicas, atque Evangelicas lectiones „ audiendas cum Catechumenis admiſſi, mox „ dimiſſis Catechumenis pœnitentes humi ſe „ proſternebant Epiſcopo interim manu ſu„ per eos extenſa orationes quaſdam recitan„ te: quibus finitis & ipſi ante Miſſam fide„ lium dimittebantur. Tertiam cum abſolu„ ta jam, & completa pœnitentia per ma„ nus impoſitionem Epiſcopi plene reconci„ liarentur, ad communionem fidelium dein„ ceps libere admittendi; & hanc reconcilia„ toriam manus impoſitionem Arauſicanus „ Canon 3. abſolutam vocat. Non opus eſt „ hæc prolixius a me repeti &c. Ita ex tri„ bus Gallis clariſſimis ſcriptoribus non impar Lucas Holſtenius Hamburgenſis, & Vaticanæ Bibliothecæ primarius Cuſtos.

Porro ex dictis tribus manuum impoſitio„ nibus olim ſuper pœnitentes adhibitis, quæ duæ ſunt extremæ, prima ſcilicet, & tertia, nunc etiam in privata hujus Sacramenti adminiſtratione locum habent, nam & manum initio imponens pœnitenti Sacerdos illi bene precatur ad confeſſionem recte obeundam, & eadem expleta manum iterum, ut eum abſolvat, imponit. Media tantum illa, quæ tunc antiquitus uſurpabatur, cum luctuoſa, & aſpera illa fiebant a pœnitentibus, quæ ſupra adſcripta vidimus a Tertulliano de Pœnitentia, & Cypriano de Lapſis, quorumque ſpecimen quoddam in Ambroſio lib. 1. de Pœnit. cap. 16. contra Novatianos conſpicitur, poſtquam pœnitentia publica nonnihil in deſuetudinem abiit, & ipſa pariter in uſu perquam raro defecit.

Hæc publica Pœnitentium reconciliatio in Eccleſia Romana fiebat feria quinta in Cœna Domini.

Hujus denique publicæ reconcillationis pœnitentium, quæ in Eccleſia Romana feria quinta in Coena Domini ſolemniter fiebat, mentio eſt apud Innocentium Papam I. in nota Epiſtola ad Decentium Eugubinum: *De Pœnitentibus*, inquit, *qui ſive ex graviori bus commiſſis, ſive ex leviori bus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat*: quam vero Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem vocat, non omnium Occidentis Eccleſiarum hanc fuiſſe ſignificat, ſed earum tantum, quæ Romanos ritus hac in parte ſuſceperant, uti quoad Galliæ Eccleſias idem obſervatum fuiſſe oſtendit Sirmondus Hiſt. publ. Pœnit. cap. 9. ex Concilii Cabilonenſis XI. can. 4. ex Herardi Turonenſis capitul. 45. aliiſque monumentis, etſi ibi in aliquibus Monaſteriis aliter factitatum indicet Martenius de antiq. Eccl. Rit. Tom. 2. lib. 1. cap. 6. art. 5. num. 30. videlicet non feria quinta, ſed ſexta majoris Hebdomadæ publice reconciliatos fuiſſe pœnitentes, quæ etiam conſuetudo ita pro dicta die in Eccleſia Mediolanenſi obtinuit, uti colligitur ex S. Ambroſii Epiſt. ad Marcellinam nov. edit. ordine 20., in cujus num. 26. aſſerit Sanctus Doctor eo die in Eccleſia relaxari pœnitentiam, quo ſe ſe Dominus pro nobis tradidit, idemque non obſcure docet lib. 5. in Hexameron ferm. ult. Eumdem pariter uſum in Hiſpania fuiſſe diſcimus ex Concilii Toletani IV. can. 7. quo decernitur ea die *indulgentiam criminum clara voce omnem populum* poſtulare debere. Datam porro ſuper ipſos pœnitentes Proſtratos orationem indicat S. Leo Papa I. Epiſt. ad Timotheum Alexandrinum nov. edit. 139. ſic ſcribens: *Eos, qui veritati aliquatenus reſtiterunt, reconciliandos Deo per preces Eccleſiæ inflanter acquiras*: Has item preces, quarum tres extant in ordine Romano, exprimit Sacramentarium Gelaſianum apud Thomaſium pag. 63., ubi etiam conſpicitur juxta conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ ante Miſſam reconciliatos fuiſſe pœnitentes.

Exiſtimat Joannes Morinus de Poenit. lib. 6. cap. 27. ab annis circiter mille ſolemnem pœnitentium in Miſſa dimiſſionem ceſſaſſe, „ Uti demonſtrant, inquit, antiqua omnia „ Miſſalia, & Ritualia, in quibus nulla fit „ iſtius dimiſſionis mentio. Illius non memi„ nit Ordo Romanus editus, nec quem ha„ bemus ex antiquo MS. pluſquam 700. an„ nec antiquum S. Gregorii Sacramentarium „ Romæ ex antiquis membranis evulgatum, „ nec his omnibus antiquius a Menardo edi„ tum, nec alia duo ad illius, quod edidit, „ ætatem proxime accedentia, quorum fæ„ pe mentionem facit. Eruditiſſimum virum refellere nititur Emmanuel Scheleſtratius de Concilio Antiocheno ad can. 2. cap. 10. art. 2. pag. 327. ubi plura a ſeculo ſeptimo exinde vetera monumenta profert, quibus uſque ad ſeculum decimum, & ultra dictam pœnitentium dimiſſionem viguiſſe contendit; aſt irrito fortaſſe conatu, nam eadem ab ipſo allata in contrarium documenta, præcipue Nicolai I., & Adriani II. Rom. Pontif., & Concilii Wormaticnſis, probant quidem illo ævo adhuc pœnitentium claſſes aliquot extitiſſe, eoſque fuo tempore reconciliatos; at neutiquam eorum in publica Miſſa dimiſſionem antiquitus fieri ſolitam, de qua nec ullum verbum, uti apud ipſum videre eſt loco citato, & nos item infra nota ſequenti oſtendemus.

Joannes Morinus exiſtimans ab annis circiter mille ſolemnem in Miſſa Pœnitentium dimiſſionem ceſſaſſe ab Emm. Scheleſtratio fruſtra impugnatur.

Et ſane ipſæ orationes ad reconciliandum pœnitentem, quæ extant, ut diximus, in Ordine Romano, de quibus vide Menardum in Sacram. Gregorii nota 677. & quarum plures refert Edm. Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. II. cap. 6. art. 7. ad privatam potius Sacramentalem ejuſdem pœnitentis abſolutionem, quam ad publicam ſpectare videntur; & licet nonnulli ibi legantur Ordines ad ſolemnem pœnitentium reconciliationem in

Vindicatur, & Clar. virum hallucinatum fuiſſe demonſtratur.

Cœna

Cœna Domini, cum iſti prius ex antiqua Eccleſiæ Romanæ conſuetudine in capite jejunii *vecluderentur tamquam in carcerem in ſecretaria, ſacrorumque vaſorum armaria conjecti, in Eccleſiæ Diaconia, & in Catechumena abtegati*, uti ſcribit Gregorius Papa II. in Epiſtola ſua ad Leonem Iſauricum Imperatorem Iconoclaſtam, & conſonat antiquus Ordo annorum 800. & ultra agentibus publicam pœnitentiam apud Martene loco cit. pag. 76. ubi hæc leguntur: *Suſcipe eum quarta feria mane in capite Quadrageſimæ, & cooperies eum cilicio, & oret pro eo, & inclauſus uſque ad Cœnam Domini &c.* quod & innuit S. Eligius Noviomenſis Epiſc. qui ſeculo ſeptimo floruit, ſerm. 10. & 11. in Bibl. PP. Lugdun. Tom. XII. Eo toto tempore Quadrageſimæ, quo non permittebantur Eccleſiam ingredi, ab illa utique dimitti non poterant; præcaeca eorum ſolemnis reconciliatio in dicta feria quinta mane ante Miſſam fiebat, nam in Ordine Romano, & in aliis quibuſdam Sacramentorum libris Pœnitentium abſolutio hora tertia ante Miſſam inſtituitur. Quare perperam hac in parte Morinum vellicat Scheleſtratius. His tamen non obſtantibus utrumque ſic conciliare poſſemus, ſi dixerimus id non æque obſervatum per omnes Occidentis Eccleſias, neque enim una fuit omnium Eccleſiarum ea in re conſuetudo; nonnulli quippe diverſarum Provinciarum ſunt Ordines apud dictum Martene, præcipue in Gallia, in quibus dicta pœnitentium ab Eccleſia dimiſſio, & expulſio connotatur, veluti in Ordine 2. ibi, *& ſi in gravibus deliciis præoccupatus fuerit, expelli debet ab Eccleſia &c.* modum autem hujuſmodi expulſionis accurate deſcribit Ordo 8. ibi pag. 67. quod & recipere eſt in Ordinibus XVI. pag. 92., & XIX. pag. 99., qui pariter extat in Codice Ratoldi apud Menardum loco citato nota 661. parte 1. funtque ibi alii Ordines, & quidem plures, in quibus eadem pœnitentium dimiſſio non memoratur.

Conciliantur Morinus, & Scheleſtratius.

Compendiariam vero illam Quadrageſimæ unius pœnitentiam, inquit laudatus Sirmondus loco ſupra indicato, apud majores noſtros frequentatam oſtendunt antiqua Pontificalia, quæ ritus, ac formulas continent, quibus ii, qui pœnitentiam ineunte Quadrageſima ſuſceperant, in die Cœnæ Domini abſolvebantur. Omnium ſit inſtar Mimatenſe, cujus hæc ſunt in ordine dictæ diei: *Secundo loco lotis pauperum pedibus reconcilientur pœnitentes, quibus ab Eccleſia ſolemnem agere pœnitentiam injunctum eſt, qui in capite jejuniorum de Eccleſia ejecti fuerant*: Quin etiam manet hodieque multis locis in Gallia priſci hujus moris exemplum in illis, qui oppreſſis per incuriam parvulis ſuis publicæ pœnitentiæ addicuntur, ejectique ex Eccleſia die cinerum, eidem in Cœna Domini reſtituuntur; quos quidem ut pœnitentia publica reipſa ſungentes ambigat nemo. Alia vero noſtrum omnium eſt ratio, eum recepto tota Eccleſia nunc more ſacris cineribus primo jejuniorum die capita ſubmittimus, Epiſcopique abſolutionem adventante Cœna Domini ſuſcipimus. Quamquam enim publice fiat utrumque, & ex publicæ pœnitentiæ ritibus profluxiſſe utrumque, ac imaginem ejus aliquam referre perſpicuum ſit; certum eſt tamen ad pœnitentiam publicam, de qua hic ſermo eſt, neutrum pertinere. Hæc Sirmondus, qui ſuccinit nuperus alter Galliæ ſcriptor Liturgicus Joannes Grancolas; qui in ſuo Commentario hiſtorico in Breviarium Rom. cap. 43., & 57. plura in hanc rem notatu digna profert.

Publicæ Pœnitentiæ veſtigium plerisque locis hodie obſervatum.

Redeo ad publicam Pœnitentium dimiſſionem, de cujus ſolemnis obſervantiæ duratione contendunt Morinus, & Scheleſtratius præfati. Sane & adhuc ſeculo decimo ipſam in uſu fuiſſe fidem nobis indubiam facit Regino Prumienſis Abbas lib. 1. de Eccl. diſcipl. quod opus, ut notat Baluzius pag. 527. juſſu Rathodi Archiepiſcopi Trevirenſis ad uſum ſuæ Diœceſis elaboravit circa an. 906. ibi itaque cap. 291. ex Concilio Agathenſi can. 15. ita legitur: *In capite Quadrageſimæ omnes Pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo . . . . . Poſt hæc eos in Eccleſiam introducant, & cum omni Clero ſeptem pœnitentiæ Pſalmos in terram proſtratus cum lacrymis pro eorum abſolutione decantet. Tum conſurgens ab oratione juxta id, quod Canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam ſuper eos ſpargat, cinerem prius mittat, dein cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu, ac crebris ſuſpiriis eis denuntiet, quod ſicut Adam projectus eſt de Paradiſo, ita & ipſi de Eccleſia ob peccata ejiciantur; poſt hæc jubeat miniſtris, ut eos extra januas Eccleſiæ expellant . . . . . In ſacra autem Domini Cœna rurſus Eccleſiæ limitibus ſe præſentent*: Hæc Regino, ex quo Ivo, Burchardus, & Gratianus, aliique poſteri veterum Canonum collectores excripſerunt; quibus etiam adde Abbonem Monachum Pariſienſem ſerm. 3. & Joannem Abrincenſem primo, dein Rotomagenſem Epiſcopum lib. de Offic. Eccl. pag. 38. qui ſec. XI. floruit, & eadem, ut ſupra teſtatur, quin & ſeculo XIII. eamdem ſolemnem Pœnitentium dimiſſionem adhuc in uſu fuiſſe tradit Mabillonius Præf. I. in ſec. 3. Bened. num. 99. ex præceptis ad hanc rem conditis in Synodo Rotomagenſi an. 1245., quorum unum idem ibi refert non plane diverſum ab eo, quod mox ex Reginone recitatum eſt. Item aliqua pœnitentiæ publicæ veſtigia in Eccleſia Romana ſuo adhuc tempore remanſiſſe author eſt Desiderius Eraſmus in Exomologeſi. Satis itaque exploratum eſt dictam pœnitentium ſolemnem dimiſſionem ultra ſeculum decimum. in Eccleſia viguiſſe, ut ſcite quidem Scheleſtratius; at eamdem in Miſſa peractam fuiſſe non conſtat, dum hæc, ut diximus, Pœnitentium expulſio, & abſolutio mane hora tertia ante Miſſam fiebat; hinc non male Morinus aſſerit quotidianam illam manuum impoſitionem, & orationem publice in media Synaxi fieri ſolitam a ſeculo ſeptimo abrogari cœpiſſe, nam uti mox obſervavimus, vetera poſt illud tempus ſcripta Ritualia, & Cæremonialia hac de re ſilent, quod & infra denuo oſtendemus. Et licet de eadem loqui fortaſſe ſkeniantur, id parum refert, ſermo enim eſt de univerſali, non de particulari alicujus Eccleſiæ conſuetudine.

Quo tempore publica Pœnitentium dimiſſio deſierit iterum contendunt Morinus, & Scheleſtratius.

Eadem adhuc ſec. XIII. obſervata.

(5) *Et charis Dei algeniculari, ut loquitur Tertullianus*) Charis Dei, illis ſcilicet, qui in tormentis fidem Chriſtianam confeſſi fuerant, & tamquam martyres habebantur, de quibus S. Cyprianus ad Demetrianum. Africæ Proconſulem ſcribens, inquit, *innocentios, juſtos, Deo charos domo privat, patrimonio ſpolias &c.* Ex quo liquet non omnibus utcumque fidelibus, ſed iis tantum, qui fidei confeſſione, vel virtutum merito præ cæteris excellebant, pœnitentes adgeniculari ſolitos fuiſſe. Neque tantum criminum rei veniam poſtulantes Presbyteris, & Epiſcopis præſertim advolvebantur, ſed & pii quique fideles id obſequii officium illis devote præſtabant, & quidem a primis Eccleſiæ ſeculis. In actis S. Sufannæ Virg. & Mart. antiquiſſimis, quæ recitat Card. Baronius ad an. 294. ſub Caji Papæ an. II. num. 8. & 12. hæc leguntur: *Claudius vero cum gaudio oſculabatur Pedes Gabinii Sacerdotis.* Paulo ante de Cajo Papa hæc adfunt, ubi de Præpediga Claudii uxore dicitur, quod *audita viri tanta a Deo facta mutatione, repente ad Cajum Papam ſe contulit, ad pedeſque procidens, eos ex more oſculata æque ſe ad fidem recipi poſtulavit*: Notanda ſunt ea verba *ex more*, quibus id ab initio Eccleſiæ conſuetum fuiſſe deſcribitur, quod & paulo poſt confirmatur in iiſdem actis, ubi de eodem Cajo Pontifice: *Ad cujus adventum, qui erant congregati in domo Gabinii, in terram proſtraverunt ſe omnes ex more*: Deinde ubi de Maximo legitur: *qui oſculatis Caji pedibus de Sufanna aperuit Diocletiani conſilium: mox elapſis vero diebus quinque ad Cajum rediens, ad pedes accidens &c.* Sed ad quid in id probandum immoramur? Oſculari pedes Epiſcoporum quorumcumque olim pervagatiſſimum fuit, inquit Thomaſſinus vet. & nov. Eccl. Diſcipl. parte 2. lib. 3. cap. 65. num. 1. Audi Hieronymum de S. Epiphanio Conſtantiæ in Inſula, Cypro Epiſcopo diſſerentem, & de turba pedes ejus lambente: *cum ad Epiphanium omnis ætatis, & ſexus turba conſueret, offerens parvulos, pedes deoſculans, fimbriam vellens, eumque non poſſe promovere gradum &c.* Hinc ecce quam infima ſit Sectariorum noſtri temporis ſubſannatio, qui noſtras adgeniculationes, ſeu genuflexiones ad Romani Pontificis Chriſti in Terris Vicarii pedes derident, ſi tam ab antiquo hæc reverentia ſacris, & charis Dei miniſtris omnibus, Presbyteris ſcilicet, & Epiſcopis quibuſcumque præſtita fuit, ut oſtenſum eſt. Legendus doctiſſimus Pater Dominicus a SS. Trinitate in ſua Biblioth. Theol. Tom. 5. parte 2. lib. 4. ſect. XI. cap. 42., ubi plura in hanc rem ex veterum monumentis affert, ſed unde digreſſi, revertamur.

Pœnitentes, ac pii fideles Sacris Dei Miniſtris, aliiſque virtutum laude præſtantibus adgeniculari ſoliti.

Item Epiſcoporum pedes deoſculari priſcis Chriſtianis paſſim vulgatiſſimum.

Publicæ pœnitentiæ diſciplina pro peccatis, ſive publicis, ſive occultis quibuſdam viguit in Oriente uſque ad Nectarii Patriarchæ Conſtantinopolitani tempora, ineunte ſcilicet ſeculo quinto, quo ab eodem abrogata fuit occaſione cujuſdam imprudentis fœminæ, quæ poſt factam apud Pœnitentiarium Presbyterum ſuorum peccatorum confeſſionem ipſo inconſulto ultra poſitos, ſive ab eo limites progreſſa graviſſimum crimen quidem, ſed occultum non ſine audientium ſcandalo publice confeſſa eſt, ſe nempe Diaconiſſam, (ut ſignificare videtur Sozomenus lib. 7. cap. 16.) a quodam Diacono corruptam fuiſſe, vel ut alii malunt, id eam revelaſſe confeſio, & ſuadente Sacerdote, cujus rei cauſa ille merito a Nectario depoſitus officio fuit, ipſaque theatralis ac publica occultorum peccatorum confeſſio ob ſcandalum inde exortum dimiſſa, & exoleta. Factum expendunt ex Socrate, & Sozomeno Baronius, ac Spondanus ad an. 56. num. 9. & ſeqq. Card. Perronius in Reſp. ad Reg. Mag. Brit. lib. 2. cap. 3. Jac. Sirmondus Hiſt. Pœnit. publ. cap. 8. Dion. Petavius Animadv. in Epiphanii Opera Tom. 2. ad Hær. 59. Novatianorum pag. 240., & præ omnibus fuſe, & eruditiſſime Hadrianus Valeſius in notis ad Socratis Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 19. Gaſpar Ivenin de Sacram. Differt. 6. quæſt. 5. art. 3. ac Lud. Thomaſſinus vet. & nov. Eccl. Diſcipl. Tom. 1. lib. 2. cap. 7. n. 16. aliique.

Publicæ pœnitentiæ Diſciplina in Oriente invalidis uſque ad ſeculum V. quando occulta quædam fecera.

Porro quoad Nectarii factum, licet Socrati & Sozomeno non admodum ſit adhibenda fides, utpote Novatianis, qui *in peccatum prolapſis* (ut ait S. Cyprianus lib. de Lapſis) *& ad Eccleſiam lacrymis, gemitu & dolore cordis pulſantibus divinæ pietatis, & paternæ lenitatis ſolatia clauſebant &c.* negantes a Chriſto traditam Eccleſiæ poteſtatem omnia vere contritis peccata dimittendi; nihilominus, ut & confeſſioni publicæ, privatæque ſua vis ſarta tecta ſervetur, ac dictis Scriptoribus fuæ narrationis fides conſtet, animadvertendum eſt cum Card. Perronio laudato ex antiquorum Patrum authoritate, tria olim in Eccleſia fuiſſe pœnitentiarum genera, de quibus diſtincte infra, unam publicam publicorum criminum, alteram ſecretam occultorum, tertiam item publicam occultorum peccatorum, cum videlicet Presbyter Pœnitentiarius audita ſecreto confeſſione pœnitentis, e peccatis ejus dijudicabat quæ publice ad Eccleſiæ ædificationem, & ipſius pœnitentis profectum abſque ullo ſcandalo, & aliorum læſione propalanda eſſent, quæque ei publicæ pœnæ imponendæ, & quando demum iis plene, ac rite adimpletis foret pœnitens in ſacrorum myſteriorum participationem, & in publicam cæterorum fidelium communionem, a quibus interim ſegregabatur, admittendus; de hoc igitur tertio pœnitentiæ genere, deque Presbytero Pœnitentiario in ſingulis Eccleſiis, occaſione Novatianorum Sacramentalem pœnitentiam impugnantium, ejus directioni præpoſito intelligi debere Hiſtoriam Nectarii, qui ob publicum ſcandalum propalati ſtupri a fœmina pœnitente, tam ejuſmodi Presbyteri pœnitentiarii officium abrogavit, quam ipſam publicam occultorum peccatorum confeſſionem, liberumque reliquit iis, qui poſt ſecretam peccatorum ſuorum confeſſionem Sacerdoti factam, pœnitentiam publicam agere vellent, pro ſua quiſque conſcientia ad myſteria participanda accederet, nec amplius eſſet ei neceſſitas peccata, pro quibus pœnitentiam ageret, propalare, vel teſtimonium peractæ ſuſceptæ

Expenditur Nectarii Patriarchæ Conſtantinop. factum quoad Presbyterum Pœnitentiarium.

ſceptæ pœnitentiæ exquirere. Hæc ex Perronio Spondanus ſupracit. Cæterum circa hoc idem Nectarii factum vide Honoratum Tournelly de Sacram. Pœnit. qnæſt. 6. art. 1. in reſp. ad object. 1. ubi illud clariſſime dilucidatur.

In Occidente vero multo ſerius deſiit hujuſmodi Pœnitentialis diſciplina, quoad obſervantiam ſtationum, & claſſium.

In Occidente vero deſiit publica occultorum quorumdam criminum pœnitentia ſeculo ſeptimo; publicorum autem ſeculo decimo exeunte vel ſublata eſt, ut jam diximus, vel cæpit eſſe rariſſima circa obſervantiam ſcilicet omnium dictarum ſtationum, & claſſium, earumque diviſionem, quæ ſolemnis Pœnitentium in quatuor ordines diſtributio jam ex eo tempore antiquari viſa eſt, uti quoad primum probat Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 3. Diſſert. 6. art. 1. prop. 2. quoad ſecundum Edmundus Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 2. cap. 6. art. 4. num. 15. & ſeqq., & nos item infra dicemus. Hinc ſapientiſſime Concilii Tridentini Patres inquiunt Seſſ. 14. cap. 5. *Cæterum quoad modum confitendi ſecreto apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob alterum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem delicta ſua publice confiteri poſſit: non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præſertim ſecreta publica eſſent confeſſione aperienda.*

Eapropter etſi prudentiſſimo Eccleſiæ conſulto a quinto circiter ejuſdem ſeculo hucuſque pœnitentia publica pro peccatis occultis quibuſcumque impoſita non fuerit apud Græcos, & a ſeculo ſeptimo apud Latinos, ut mox innuimus; Canones tamen pœnitentiales in ſubeundis ſatisfactionibus occulte ſervatos fuiſſe, & nunc etiam obſervari faciles quoad utrumque demonſtramus. Et quidem apud Græcos nullam a dicto ſeculo quarto exeunte, ſeu ineunte quinto ad hæc uſque tempora pro peccatis occultis pœnitentiam publicam impoſitam fuiſſe ex eo primum conſtat quod nullo in canone, qui ab eo tempore editus ſit, dictarum ut ſupra Claſſium, ſeu pœnitentiæ graduum, aut ordinum mentio fiat, nullo item in monumento reperire eſt hunc, vel huic ſimilem loquendi modum, qui tamen antea apud Orientales ubique obtinebat; *qui hoc, vel illo crimine ſe inquinaverit, tot annis in Auditione, in Subſtratione, in Conſiſtentia ſubſiſtet, deinde quod perfectum eſt conſequetur*: ſed ſimpliciter decernitur: *Non communicet: ſegregetur*, uti videre eſt in Concilio Epheſino can. 6. & Chalcedonenſi can. 4. necnon in pleriſque Synodi Trullanæ; quod & colligitur ex ipſis Liturgiis, quibus Græci, aliique Orientales a mille, & amplius annis utuntur, in quibus ſit nulla mentio illius orationis, quæ ante Nectarium Conſtantinopolitanum dicebatur ſupra pœnitentes, nec manuum impoſitionis ſuper eorum capita, neque etiam ſolemnis ipſorum dimiſſionis, quæ poſt Miſſam Catechumenorum dictam fiebat, uti videre eſt apud Morinum de Pœnit. Goarium in Euchologio, & nuper apud Euſebium Renaudotium in ſua Liturgiarum Orientalium Collectione, & præcipue ex libro Pœnitentiali Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi ante an. 690. exarato, in quo ipſæ Eccleſiæ ſuæ Græcæ (erat enim natione Cilix, patria Tarſenſis) morem, qui diu ante ejus ætatem invaluerat, ſecutus, publicam publicis criminibus pœnitentiam, occultis vero privatam imponit. Ex quo pœnitentiali hujuſmodi diſciplina in Eccleſiam Anglicanam introducta eſt.

Quæ licet obſoleta quoad Stationes, & Claſſes publicas, tamen quoad Canones pœnitentiales adhuc obſervata.

Ita quod Græcos oſtendatur.

Quod vero Græci, licet quoad multa capita a veteri ſatisfactionis peragendæ praxi, uſuque diſceſſerint, ſecreto tamen Canones pœnitentiales tum Sanctorum Gregorii Thaumaturgi, Baſilii, & Gregorii Nyſſeni, ac Conciliorum veterum, quos ſummæ ſemper authoritatis fuiſſe, & eſſe profitentur, his etiam temporibus adhuc exequi non recuſent, id pluribus comprobatur, nam Sacerdotes apud ipſos ea lege Clericorum confeſſiones excipiunt, ut ſi rei ſint criminum, in quæ Canones per ſuſpenſionem, aut depoſitionem animadvertunt, ipſi ſeſe ad eorumdem Canonum normam abdicent a clericali officio. Conſtat id ex libello Pœnitentiali Joannis Neuſtetæ, ſive Jejunatoris dicti Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui ſexto ſeculo floruit, quem librum, ejuſque Canones ibi collectos in praxi ſequuntur Græci; eoſdem inter hic extat: *Preſbyteros, & Epiſcopos, & Diaconos admittere non oportet ad confeſſionem, donec ſecuritatem ſecundum Deum dederint, ſi alicujus criminis conſcii fuerint, quod eos a ſacro miniſterio abdicet, non amplius auſuros ſacrificare, hujuſmodi autem non datur ulla quæcumque ſit, pœnitentia*: Sat enim gravis eſt publica illa, ac perpetua a ſacro miniſterio abdicatio. Librum hunc pœnitentialem Joannis Neuſtetæ exhibet Morinus in Appendice ad ſuos libros de Pœnit. pag. 77. Conſonat huic & memorati Theodori Pœnitentiale cap. 29. 44. 60. 88., & 101. qui Laicorum confeſſiones audiunt Græci Sacerdotes, gerunt præ manibus libellum pœnitentialem, ad cujus normam eorum peccata vindicant: *Si lethifera crimina* (Pœnitentes) *detegunt*, (inquit Jacobus Goar Ord. Præd. Græcorum Rituum peritiſſimus in notis, quibus Euchologium latine verſum illuſtravit pag. 678.) *illa in Nomocanone juxta ſe poſito examinant*; Confeſſarii, *cenſurarumque diſtributioni prout legunt, cuncta ſubjiciunt, & tandem pœnitenti bene precantur*: Idem paulo ante ipſum refert Gabriel Philadelphienſis Metropolita Latinorum hoſtis apud Morinum de Pœnit. pag. 142. eamdemque diſciplinam apud Orientales obſervari teſtantur Petrus Arcudius in ſua celebri Concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis in Sacramentorum adminiſtratione lib. 4. cap. 1., & 2., ac Euſebius Renaudotius additam. ad tres Tomos de Perpetuitate fidei Tom. 3. lib. 3., & 4. ubi hi duo clariſſimi Scriptores, & Orientalis Eccleſiæ rerum inſtructiſſimi de hujuſmodi apud Græcos praxi luculenter agunt.

Apud ipſos enim nec Epiſcopis Pœnitentialium Canonum rigorem emollire permiſſum.

Quinimmo nec Epiſcopis ipſis apud illos plus æquo, & nimia commiſeratione hanc diſciplinam emollire permiſſum. Narrat Conſtantinus Harmenopulus XII. ſeculi Scriptor in ſua Epitome Canonum, quam Græcola-

tinam vulgavit Leunclavius Tom. I. Juris Orient. ſeu Græco-Rom. ſect. 4. tit. 3. Mi-litem voluntarii homicidii reum leviore pœ-nitentia perfunctum & brevi, ita ab Epiſco-po ſuo abſolutum fuiſſe quidem illum, at mox habita Synodo ſub Patriarcha Conſtan-tinopolitano Luca Chryſoberge an. 1166. re-miſſum fuiſſe ad Canonicarum pœnitentiarum curriculum, Epiſcopum autem ab officio ſuſ-penſum, diligenter admonitum, etſi Cano-nes poteſtatem faciant Epiſcopo aliquid tem-perandi, demendique ex pœnarum rigore, provida quidem, & modeſta indulgentia, non tamen per eos fas eſſe aſſentatoriis de-linimentis vim Canonicis legibus emollire, ac vigorem diſciplinæ prorſus enervare; *An-ciſtitibus quidem* (verba dictæ Synodi ſunt ibi-dem pag. 225.) *licet Canonicas pœnas auge-re, vel minuere, aranearum autem filis ligare, quæ tribus rudentibus alligari debent, conceſſum non eſt*: Et ipſe quoque Balſamon quamquam Canonum, legumque obſervantiæ addictus præ cæteris viſus eſſet, nonnullis tamen diſ-plicuit, quandoque indulgentiora, & remiſſa ejus reſponſa incuſantibus; Ita de eo ſenſit Joannes Citri Epiſcopus in ſuis ad Cabaſilam reſponſionibus loco citato pag. 333. Vides hic Græcos rigidioris diſciplinæ ſectatores, etſi inter ipſos nonnihil diſſonantiæ ſit quo ad legum obſervantiam benignius interpre-tandam.

Ita etiam ob-ſervant Syri, & Maroni-tæ.

Non ſecus ac Græci eumdem ferme or-dinem in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacra-mento ſervant Syri, & Maronitæ, qui & juxta Canones peccatis pœnas, & abſolutionem impendunt. Id excerpere ex ipſis Jacobitis viſum eſt; nam Dionyſius Barſalibi Epiſco-pus Amidæ inter eoſdem celebris, qui ſeculo vergente XII. floruit, & ordinem *de Pœni-tentibus, qui a peccatis ſuis converentur*, ſcripſit apud Clariſs. noſtrum Bibl. Vatic. Cuſtodem Joſ. Sim. Aſſemanum Bibl. Orient. Tom. 2. pag. 172. ita effatur: *mos pergit* (Sacerdos) *ad preces pro ſingulis peccatis, & impoſita ca-piti ejus dextera recitat orationem illius peccati propriam, deinde congregum peccatis ejus Cano-nem ipſi injungit*: Præterea quamvis Græci ſæpius poſt editam a pœnitente confeſſionem, illum a peccatis abſolvant; eumdem tamen plerumque ab Euchariſtiæ communione ſuſ-pendunt, eamque nedum in unum, ſed & in plures annos differri interdum præcipiunt, ita Goarius loco citato, *publica pœnitentia*, inquit, *nulli licet amplius imponatur* (pro pec-catis ſcilicet occultis) *aliquos tamen confeſſio-ne expiatos a ſacra communione per annum, vel plures quandoque arcent*. Hæc Græci, aliique Orientales circa veterem pœnitentiæ diſci-plinam aliquatenus adhuc apud ipſos obſer-vatam.

Item Græci licet pœniten-tes gravibus peccatis one-ratos poſt au-ditam confeſ-ſionem abſol-vant; eos ta-men plerum-que a ſacra communione ſuſpendunt.

Latinos porro noſtrates cæteris omnibus, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, antiquæ Pœnitentialis obſervantiæ tenaciores ſemper extitiſſe demonſtrabimus. Eo primo ab ea-dem ſerius in Eccleſia Occidentali quoad ve-terem diſciplinam in publica pœnitentia pro peccatis quibuſdam etiam occultis imponenda deſcitum fuiſſe, & hujuſmodi Pœnitentium publicorum in quatuor gradus, ſeu claſſes diſtinctorum ſtationes nedum ſeculo ſeptimo, ſed & octavo, atque etiam nono perduraſſe, quod jamdiu in Eccleſia Orientali a ſeculo circiter quinto, ut innuimus, obſolevit, vel ex eo dignoſcitur quod eorumdem Pœniten-tium gradum apud Latinos in veteribus il-lius temporis monumentis expreſſa mentio fiat. Et quidem in Capitulari Caroli Magni Benedicti Levitæ opera edito lib. 5. tit. 135. & 136. dicti gradus a lapſis pœnitentibus diſ-currendi ſpeciatim decernuntur. Perſpicue hos ſtatuit ſubeundos a quodam Wimaro, qui tres ſuos diſcipulos peremerat, pro publica ipſi impoſita pœnitentia Nicolaus Papa I. Epiſt. ad Rivoaldrum Epiſcopum, quæ in-Appendice eſt 17. apud Labbeum Concil. Tom. 8. col. 503. ubi inter cætera hæc le-guntur: *Ut triennio ante fores Eccleſiæ pro peccatis ſuis oraturus conſiſtat, & deinde inter Auditores permaneat quadriennio, ut ſeptem annorum curricula abſque communione Dominici Corporis, & Sanguinis ducat*: Sedit Nicolaus ab anno 858., qui & alia Epiſtola ibi 24. ad Hincmarum Rhemenſem apud dictum Lab-beum loco cit. pag. 513., in qua de pœni-tentia duodecim annorum impoſita cuidam, qui Monachum Presbyterum occiderat, ſic ait: *quorum tribus prioribus ante fores Eccleſiæ lugendo, ſingultus edendo miſericordiam a Do-mino conſequi feſtinare procuret. Quarto deinde, atque quinto inter Auditores Omnipotentem exo-rare ſtudeat, abſque Corporis, & Sanguinis Dominici ſuſceptione. Reſtibus præterea ſeptem annorum curriculis communionem Dominici Sacra-menti ſuſcipere liceat celeberrimis feſtivitatum diebus, oblationes quidem nullatenus offerendo &c.*

Et quidem fere omnes publicæ pœ-nitentiæ gra-dus apud ip-ſos obſervati ſeculo nono.

Sed & eodem ſeculo nono anno 868. aliud hujus obſervantiæ teſtimonium habemus in Concilio Wormatienſi can. 30., ubi ita in-Patricidas, & fratricidas animadvertitur: *Sta-tuimus* (ajunt congregati Patres) *ut Patri-cidæ, & Fratricidæ per unius anni curriculum ante fores Baſilicæ orantes Domini clementiam perſeverent. Completo autem anni curriculo in-troducantur in Eccleſiam, tamen inter Audientes eſſque dum unius anni ſpatium finiatur, ſtent, cum ab Miſſarum ſolemnia, vel alia ſacra au-dire officia venerint &c.* Prædictos autem ho-micidas non admodum publicos & notorios fuiſſe conjicitur, tum quod non adhuc eſſent ulla partis delatione apud forum civile accu-ſati, alias capitali ſupplicio per ſeculi leges damnati fuiſſent; tum quod eadem homici-dia abſque ullo fortaſſe teſte patraverint, qui illa denunciare potuerit; præterea nonnihil ex ejuſdem Nicolai Papæ Epiſtolarum initio id deprehenditur, inibi enim dicit ipſos pœ-nitentes *ad Apoſtolorum limina veniſſe ſuorum facinorum proditores indulgentiam poſtulando ſu-per eam, quam incurrerunt homicidii noxam*, quod vel apud ipſum Pontificem, aut ejus Pœnitentiarios privata confeſſione peracta eſſe, ſicuti etiam nunc fit in Pœnitentiaria Apoſtolica, credendum eſt.

Latinos an-tiquæ pœni-tentialis de-ſervantiæ te-naciores ex-titiſſe demon-ſtratur.

Utcumque fuerit, ex iis conſtat ſeculo adhuc vergente nono fere omnes publicæ pœ-nitentiæ gradus, & ordines, Flentium ſcili-cet, Audientium, & Conſitentium, Subſtra-tis exceptis, qui fortaſſe iiidem cum Flentibus

com-

computabantur, in pleriſque Occidentis Eccleſiis ſigillatim obſervatos fuiſſe. Ex iis etiam evincitur, quod poſt medium ſeculum nonum tertius pœnitentiæ gradus, ſcilicet Subſtratorum, antiquari cœperit, ut ex variis aliorum Summorum Pontificum Epiſtolis, & illius temporis Conciliorum decretis patet, in quibus ubi de publica pœnitentia agitur, Fletus tantum, Auditio, & Conſiſtentia, Subſtratione omiſſa, commemorantur; quinimmo & quartus extunc nonnihil relaxatus, conceſſa ſolemnibus ſaltem diebus Pœnitentibus communione. Et certe cum rari eſſent illo ævo Catechumeni adulti, quibus manus imponerentur, omiſſis in Miſſa precibus, quæ ſuper eos antequam dimitterentur, dici conſueverant, cœperunt & prætermitti illæ, quæ ſuper proſtratis Pœnitentibus recitabantur, uti videre eſt tum in Liturgiis, tum in divinorum Officiorum Codicibus eo tempore conſcriptis, in quibus ſilentur ſolemnis Pœnitentium dimiſſio, quotidiana manuum impoſitio ſuper eorum capita, Epiſcoporum, Presbyterorum, & plebis publica pro Pœnitentibus ſupplicatio; neque enim eorum veſtigium reperire eſt aut in Ordine Romano, aut in Alcuino, Amalario Fortunato, & cæteris, qui de divinis Officiis ab octavo deſinente ſeculo, & nono ſcripſerunt, neque in iis etiam Authoribus, qui undecimo, & duodecimo collectiones Canonum adornarunt, in quibus ea tantum memoratur Pœnitentium reconciliatio, & dimiſſio, quæ ſolemniter fiebat feria quinta in Cœna Domini, de qua ſupra diximus, in nota præcedenti, in cujus item titulo obſervandum, quod ſic inſcribitur: *Ordo agentibus publicam pœnitentiam*: quaſi indicetur alio tempore extra Quadrageſimam publicam pœnitentiam de more, ut antea, actam non fuiſſe, & pro privata, quæ fieri contingebat, alium eſſe ritum obſervandum, prout in pleriſque antiquis pœnitentialibus Ordinibus, quos refert laudatus Martene loco ſupracitato idem in diverſis Eccleſiis obſervatus exprimitur, qui Ordines plerique ſunt circa confeſſionem peccatorum Sacerdoti ſecreto faciendam, & ejuſdem Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem ab ipſo exhibendam veluti 3. 4. 5. ac 6. & quidem in tertio hic habetur titulus: *Incipit Ordo qualiter confiteri debeat homo reatum ſuum*: Sequitur deinde: *Confeſſio omnimoda, per quam confiteri poteſt peccator peccata ſua Deo, & Sacerdoti ſuo*: Horum antiquior eſt, qui legitur in Sacramentario Gregoriano apud Hugonem Menardum pag. 225. cujus hic titulus: *Orationes, & preces ſuper pœnitentem confitentem peccata ſua more ſolito*. Morem autem ſolitum fidelium Gregorii ævo eum fuiſſe, ut ſecreto Sacerdoti peccata ſua confiterentur, teſtatur idem S. Pontifex hom. 26. in Evang. ad cap. 20. Joannis: *Culpam*, inquit, *confiteatur peccator, ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere*.

Privata igitur, ut diximus, occultorum criminum, graviorum etiam quorumcumque, erat confeſſio, & licet pro iis enormibus publica quandoque infligeretur pœnitentia, ea tamen non erat, quæ ita reum patrati illius criminis proferret; adeout cuique liceret judicare ipſum homicidii, aut adulterii, alteriuſque determinati ſceleris labe pollutum eſſe; cum enim cuique pio fideli ſemper ab initio licitum fuerit, tum ob ſui humiliationem, ſive ad aliorum exemplum, & ædificationem, ab Epiſcopo, vel Sacerdote rectore ſuo publicam pœnitentiam petere, eamque ab ipſis ex ſua voluntate impoſitam, de eorum conſenſu peragere, uti pluribus ex Auguſtino, aliiſque Patribus oſtendit ſupra laudatus Sirmondus Hiſt. Pœnit. publ. cap. 5. ex eo quod aliquis luctuoſa pœnitentiæ opera exerceat, non proinde certo colligi poteſt hunc graviorem criminum reum eſſe, dum ignoratur an fortaſſe pietatis, & ſui humiliationis cauſa eam pœnitentiam adimplendam ſuſceperit. Enimvero quot videmus etiam nunc in publicis ſupplicationibus ſe publicis flagellis cædere, ponderoſas cruces ferre, aliaque onera pœnitentialia ſubire; an omnes iſtos dicemus homicidas, adulteros, aut enormium hujuſmodi criminum reos eſſe? Sed de hac re iterum infra. Revertamur ad primæva tempora.

Quo vero ad publicam occultorum etiam quorumdam peccatorum manifeſtationem, olim per ſex priora ſecula in Eccleſia admiſſam, & publicam item de iis pœnitentiam ſuſceptam, ut mox indicavimus, hæc intelligenda non ſunt de iis peccatis, quæ ſic occulta erant, ut omnes omnino præter reum laterent, ita enim ſtatuit S. Leo Papa ad Epiſcopos Campaniæ ſcribens Epiſt. 130. edit. Queſnell. alias 80. cap. 2. *Ne videlicet de ſingulorum peccatorum genere libello ſcripta profeſſio publicetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta*: Et ante ipſum S. Cyprianus lib. de Lapſis: *Quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentur, exomologeſim conſcientiæ faciunt*: ut alibi diximus. Neque etiam de illis, in quæ leges civiles capite, aut alia gravi pœna corporali animadverterent, ut eſt homicidium, vel aliud proximo magnum illatum damnum; idem namque Sanctus Pontifex ſubdit ibi: *Quia non omnium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea, qui pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi a pœnitentiæ remedio arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua falta referari, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio &c.* Et ante ipſum S. Baſilius Magnus, ut ſupra dictum eſt §. 5. nota 1. de conjugatis mulieribus adulteris, *quas* (inquit) *publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convitiis cauſam mortis præbeamus &c.* Nec denique eorum occultorum criminum publica admittebatur confeſſio, quæ toti Eccleſiæ, & audientium populo ſummo fuiſſent ſcandalo, veluti paulo ante memoratum Diaconiſſæ Conſtantinopolitanæ Sacrilegum ſtuprum a Diacono perpetratum, quo utique tota Civitas commota, & turbata fuit. De illis propterea occultis reatibus tantum publica exomologeſis indulta erat, quæ ex prudenti Sacerdotis conſilio in aliorum exemplum, & fidelis populi ædificationem eſſe poterat: *Si intellexerit,*

Quo tamen tempore tertius præcipue pœnitentiæ publicæ gradus, ſcilicet ſubſtratorum antiquaricapit. Item & alii.

Publica quippe pro pœnitentibus ſupplicatio, quæ antea fiebat, ſiletur ab illius ſeculi noni ſacrorum Rituum Scriptoribus.

Et pœnitentia quidem, quæ publice acta erat liberea quovis admittebatur, nec reum determinati criminis declarabat.

Ea vero publica pœnitentia ſequiori ævo illa tantum indulta, quæ in aliorum exemplum, & ædificationem eſſe poterat.

tellexerit, & præviderit (Sacerdos) *languorem tuum* (inquit Origenes homil. 2. in Pſal. 37.) *qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito medici illius Conſilio procurandum eſt* : Ejuſmodi publicæ confeſſionis exemplum habetur in Fabiola Matrona Romana, de qua ſupra §. antecedenti.

Publica item de occultis confeſſio, de quibus ſuſpicio, vel ex alicujus delatione, vel fama ſemipublica.

De illis item occultis publica erat confeſſio, in quorum ſuſpicionem lapſi venerant, aut ex alicujus teſtis delatione, aut ex fama aliquantum publica, ſed quæ probationibus deficeret, uti mulieres illæ a Marco hæreſiarcha ſeductæ, de quibus item ſupra locuti ſumus ex Irenæo, quæ *non ſine magno labore* (inquit ille) *a fratribus converſæ cum ad Dei Eccleſiam rediiſſent, confeſſæ ſunt ſe corpore ab eo contaminatas fuiſſe, miroque ipſius amore exarſiſſe*: Et de hiſce peccatis publice confitendis, quamquam occultis, ita ait S. Auguſtinus ab Origene quodammodo verba mutuatus homil. ult. libri 50. Homiliarum, ubi loquens de hujuſmodi pœnitente hæc habet: *Ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ, videatur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam, non recuſet, non refugiat* : Agere pœnitentiam, ut ſupra diximus, ex phraſi Auguſtini eſt communione privari, de qua idem ſubdit loco citato: *Nos vero a communione prohibere quemquam non poſſumus, quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, niſi aut ſponte confeſſum &c.* Ubi vides quod pœnitentiam publicam præcedebat confeſſio publica. Nolo in re antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſis nota alios SS. PP. textus ad ejuſdem confirmationem adferre, ſed ipſam clarius elucidare ſufficiat.

Occultorum criminum, ſicut & publicorum varii gradus.

Occultorum criminum, ſicut & publicorum varii ſunt gradus; occultum enim non modo dicitur, quod nemo novit, verum etiam quod duo, vel tres, atque his plures juxta populi numerum cognoſcunt. Occultum etiam dicitur, quod a multis ſcitur, ſed tamen probari non poteſt, vel quia admodum difficile, & nemo hanc experientiam inſtituere vult, vel quia nullus reperitur teſtis de viſu, aut de auditu criminis ab ipſo reo perpetrati, ſed ſolum fama quadam denunciatum eſſe conſtet, cui fides a multis adhibetur, eo quod ita ſe gerit reus, ut ſuſpicioni admodum probabili, & ſuis indiciis fundatæ credulitati occaſionem præbeat; quod in quotidianis hominum moribus, commerciis, & converſationibus hoc deprehendi manifeſtum eſt. Occultorum duo poſteriora genera, præſertim ultimum reſpiciunt Patres, qui publicam confeſſionem peccati occulti ſuadent; ea enim eſt, de qua, ut ait Origenes, cæteri ædificati poſſunt, quæ, ut inquit Auguſtinus, non prodeſt tantum confitenti ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum. Hæc igitur ſecundi, & tertii generis occulta ea erant, quæ Patres publice fateri conſulebant, ut ſic poſtea publica de iis ageretur pœnitentia, cunctaque Eccleſia ex hac humilitatis confeſſione, & luctuoſæ pœnitentiæ ardore ædificaretur, quæ ædificatio potiſſimum in tertio genere locum habebat; primum enim occulti peccati genus, quia plane occultum, ad ædificationem Eccleſiæ parum facere videtur, quinimmo illius publicatio potius Eccleſiæ ſcandalo eſſe poteſt, quam ædificationi, hinc ſufficit iſtud ſoli Sacerdoti fateri confeſſione ſecreta, & pœnitentiam ab ipſo impoſitam ſecreto agere, ut omnes antiqui Patres in hac traditione conveniunt.

Publicam occultorum criminum graviorum confeſſionem antiquitus uſitatam plerique teſtantur.

Hanc porro publicam iſtiuſmodi occultorum criminum expoſitionem antiquitus, & aliquibus in locis ab Eccleſia uſitatam fuiſſe veteres plerique teſtantur, & nuper Catechiſmus Romanus ex Decreto Sactoſanctı Concilii Tridentini juſſu S. Pii V. Pont. Max. editus Parte 2. de ſatisfactione num. 67. ubi de pœnitentia publica pro peccatis publicis in Eccleſia dari conſueta loquens, hæc ſubdit: *Quod etiam in occultis criminibus, quæ graviora eſſent, interdum fieri ſolitum erat, ſed in publicis, ut diximus, hoc perpetuum fuit &c.* Expreſſe autem de iſthac publica ſecretorum criminum exomologeſi ſupra memoratus S. Leo Papa I. in dicta Epiſtola ad Epiſcopos Campaniæ aliosque Piceni, & Samnii, ubi non de publica publicorum confeſſione agere videtur; ut perpetam nonnulli, præſertim Sectarii, arbitrantur, ſed de occultorum omnibus manifeſtatione, illaque illicite obſervata agit; non enim in peccatis publicis locum habere poteſt duplex illa ratio, qua Sanctus Pontifex utitur ad eam conſuetudinem abrogandam, quod ſcilicet plerique peccata ſua publicare aut erubeſcant, aut timeant, ne veniant in inimicorum ſuorum notitiam, ſicque pœnitentiæ remediis fruſtrentur, quod utique de occultis tantum criminibus intelligi poteſt, dum id confirmat ſic ſtatuens: *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovi a quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri, de pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus poſtulatur, ut de ſingulorum peccatorum genere libello ſcripta profeſſio publicetur, cum reatus conſcientiarum &c.*

Quam poſtea vetuit S. Leo Magnus, ex cujus Decretali nonnulla colliguntur.

Vetat igitur S. Leo, ne deinceps fideles cogantur quælibet occulta peccata publice confiteri, ex quo patet quædam ſaltem, ut diximus, graviora antea fuiſſe confeſſa; prohibitio enim factum antecedens reſpicit, ne amplius fiat, quin & hanc conſuetudinem non ſolum ab Eccleſia numquam præceptam, ut fortaſſe aliqui id falſo exiſtimabant, ſed etiam *contra Apoſtolicam regulam præſumptionem* eſſe declarat, & non approbabilem: *removeatur tam improbabilis conſuetudo*: Ex quo pariter eviocitur, quod ſi publica occultorum ſcelerum confeſſio contra *Apoſtolicam regulam*, & præſumptio eſt, eorumdem ſecreta confeſſio Sacerdoti facta juxta Apoſtolicam regulam, & antiquam Eccleſiæ traditionem abſque dubio erit. Ex hac inſuper Decretali Sancti Leonis Epiſtola nonnulla item colliguntur. Primo Eccleſiæ conſuetudinem numquam fuiſſe peccatores ad criminum ſuorum publicam confeſſionem, ex qua periculum imminere poſſit, adigere. Secundo eam conſuetudi-

ſuetudinem, ſi obtineret, plurimum Sacramento Pœnitentiæ nocituram. Tertio, ſi quis tamen eam, quamvis nulla Eccleſiaſtica lege præceptam, nihilominus *in vindictam ſuorum ſcelerum, ſui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem*, ut item docet ſupra ex Sanctis Patribus Concilium Tridentinum, præſtare vellet, id laudabiliter poſſe, ſed propter rationes, quas ibi affert S. Leo neminem ad hujuſmodi publicæ occultorum confeſſionis editionem eſſe cogendum: quamquam enim vocalis, & diſtincta peccatorum omnium Sacerdoti facienda confeſſio quoad ſubſtantiam ſit de jure divino, quoad modum tamen, quatenus determinate aut publica, aut auricularis eſt, & ſecreta, non eſt de jure divino, ut infra indicati Theologi docent; Chriſtus ſiquidem Dominus noſter modum hunc prudenti Eccleſiæ ſuæ ſponſæ diſpoſitioni, prout ſalubrius viderit expedire, reliquit, rituſque hic eſt ab Eccleſiaſtica diſciplina, uſuque dependens, uti idem docet Concilium Tridentinum ſupra laudata ſeſſ. 14. cap. 5. iis verbis: *Non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præſertim ſecreta publica eſſent confeſſione aperienda. Unde cum a ſanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus magno, unanimique conſenſu ſecreta confeſſio Sacramentalis, qua ab initio Sancta Eccleſia uſa eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata, manifeſte refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque a Patribus Concilii Lateranenſis initium habuiſſe docere non verentur.* Hæc magna Synodus Tridentina, ex cujus ſententia, inquit Eſtius in 4. Diſtinct. 17. §. 8. colligitur non pertinere ad eſſentiam Confeſſionis Sacramentalis, ut ſit ſecreta, nec præcepti divini eſſe, ut ſecreto fiat; non enim vetuit Chriſtus quin publice aliquando fieri poſſit, quod & Concilium laudabiliter, & cum fructu fieri poſſe declarat. Hanc vero confeſſionem publicam neque a Chriſto Domino præceptam, aut humana lege præcipiendam eſſe, ſecretam denique tamquam a Patribus commendatam, ac perpetuo Eccleſiæ uſu comprobatam omnino retinendam, utpote Chriſti præcepto, & inſtitutioni maxime conſentaneam.

Peccatorum Confeſſio Sacerdoti facienda de jure divino eſt, quod vero publica, aut ſecreta, id Eccleſiæ diſpoſitioni relictum.

Vocalis Confeſſio delictorum ſive publica, ſive privata, dumodo Sacerdoti diſtincte facta, ad Pœnitentiæ Sacramenti ſubſtantiam pertinet.

Vocalis itaque, ut diximus, peccatorum quorumcumque præſertim læthalium coram Sacerdote confeſſio, eorumque eidem ſincera, & diſtincta expoſitio ad pœnitentiam, & veniam, quæ illius fructus eſt, impetrandam divino hujuſmodi præcepto adimplendo eſſentialis, & neceſſaria demonſtratur. Quod autem ſecreta ſit, & uni in aurem Sacerdoti fiat, vel publica coram toto Presbyterio præſentibus etiam laicis edatur, ad Confeſſionis Sacramentalis ſubſtantiam non pertinet, ſed modum ſpectat, qui ipſi accidentarius eſt, & mutari ſubinde poteſt ſalva illius eſſentia, ut ſapienter Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. XIII., & XIV. Diſſert. 14. §. 4. in reſponſione ad Dallæum Calviniſtam, qui inter recentiores ſuæ ſectæ homines amplam texuit Diſſertationem quatuor libris comprehenſam adverſus eamdem Sacramentalem Confeſſionem jure divino inſtitutam & præceptam Sacerdoti faciendam, Genevæ an. 1661. editam, in qua multa arte conatur dictam veritatem impugnare, tum infirmare, ac elevare toto niſu omnia Catholicorum argumenta, tum oppoſitum errorem ſuum defendere, at irrito ſtudio; nam ſi luxuriantem verborum copiam, ſi pompam & apparatum detraxeris ab hujus heterodoxi Calvinianæ Cathedræ magiſtri objectionibus, eas vix caſſa nuce dignas invenies, & pauca ſane ſupereſſe intelliges, quæ vim aliquam habeant. Ad dicta porro ſubdit Honoratus Tournely de Sacram. Pœnit. quæſt. 6. art. 2. Confeſſio, vel publica, vel ſecreta eſt præcepti divini, non enim eſt alius ordinarius confitendi modus, cum autem ex Concilio ipſo Tridentino publica non ſit a Chriſto præſcripta, conſequenter erit privata, & ſecreta; tum quia id videtur eſſe in mente Concilii ſecretam confeſſionem eſſe præcepti divini, atque ab eodem præcepto non alienam, quin & maxime conſentaneam. Ex dictis hucuſque plane, & perſpicue conſtat non eſſe hac in parte audiendos nonnullos, etſi celebres ſuperioris ævi Theologos, ac ſeculi XIV. Scriptores apud Morinum de Pœnitentia lib. 5. cap. 8., qui nedum pœnitentiam publicam de criminibus occultis apud antiquos frequentiſſimam, non modo commendatam a Patribus, ſed & præceptam, quin & certorum criminum ſecretorum confeſſionem publice juſſam fuiſſe pertendunt, quos juremerito refellit Card. Bellarminus in Controv. de Pœnit. lib. 3. cap. 14. & Jac. Sirmondus Hiſt. Pœnit. pub. cap. 2., & 3. Oper. Tom. 4. pag. 480. & ſeqq.

Plerique ſuperioris ævi Theologi publicam de occultis criminibus pœnitentiam nedum a Patribus commendatam, ſed & præceptam ſcribunt.

Et ſane Patres negare morem fuiſſe Eccleſiæ decreto ſancitum de peccatis occultis publica exomologeſi publice pœnitendi, eoſdemque affirmare pro illis confeſſionem, & pœnitentiam ſecreto factam ſufficere, atque de iis morem Eccleſiæ fuiſſe ſecreto pœnitendi, itemque ipſos teſtari pœnitentiam publicam publicis tantum criminibus canonice ſtatutam eſſe, plerique recentiores Theologi celebres, & Eruditi viri affirmant, Sirmondus præfatus Hiſt. Pœnit. publ. cap. 2., & ſeqq. aliique, quos Morinus ipſe de Pœnit. lib. 5. cap. 8. num. 18., & præ cæteris Jacobus Petit ad Theodori Cantuar. Archiepiſcopi Pœnitentiale, quod edidit, Tom. 2. ad calcem pag. 61, & ſeqq. ubi nedum prædicta viriliter probat, ſed & cap. 4. ac ſeqq. omnium in contrarium producta, præcipue Joannis Morini, argumenta invicte refellit. Scio pleroſque aliter ſenſiſſe, atque ex iis Antonium Arnaldum de freq. Communione, præſertim vero Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. ſec. 3. Diſſert. 6. art. 1. prop. 2. calamum contra dictum Petit, quem translato in latinum gallico cognomine, Parvum vocat, non leviter ſtrinxiſſe; at illius reſponſa iſtius argumenta non infirmant, uti luculenter oſtendit P. Conſtantinus Roncaglia Animadv. ad dictum Natalem Alexandrum loco citato, qui & id evincit, quod ſi aliquis contendat Patres voluiſſe ex Canonum præſcripto etiam ſecreta peccata antiquitus publicæ pœnitentiæ ſuiſſe obnoxia, nullum profecto reperire erit peccatum,

Inter quos & nonnulli recentiores.

tum, quod ab eadem fuiſſet immune, quod tamen falſum eſſe, vel ipſi contrariæ ſententiæ aſſertores Arnaldus, Morinus, Natalis, aliique ultro fatentur.

Exponitur hac de re Patrum mens, & ſententia.

Patres itaque etiam ex adverſariorum argumentis nil aliud volunt niſi de peccatis fincere, & ex toto corde pœnitendum eſſe, eaque omnia clavibus Eccleſiæ ſubjicienda fore, & quamvis tam vehementer peccatores adhortentur, ut pudore depoſito in conſpectum Eccleſiæ prodeant, non tamen proinde ſequitur ex jure Canonum publicam pœnitentiam ab occultis prorſus peccatoribus fuiſſe ſubeundam; nam primo bene hortari potuerunt ad verecundiam excutiendam, licet ſecreta eſſet Confeſſio, & ſecreta etiam futura pœnitentia, quemadmodum & nunc facti Concionatores hortari non deſinunt ad eamdem. Præterea hujuſmodi exhortatio eo ab ipſis Patribus dirigi potuit, ut Fideles excitarent ad id, quod ex Eccleſiæ præcepto faciendum quidem non erat ſtatutum, verumtamen quod efficaçius eſſet ad Deo ſatisfaciendum, cum tunc etiam publicam ſponte ſubirent pœnitentiam. Poterant inſuper exhortari ad dictam dimittendam verecundiam, quamvis ageretur de peccatis per Canonum leges, & Eccleſiæ ſanctiones publicæ pœnitentiæ addictis; cum enim ad hanc pœnam imponendam ſufficerit, ut non amplius ſecreta dici poſſent, quia nempe non complici tantum, ſed & aliis innoteſcebant, vel quia ex facto ipſo apparebant, uti de Concubinario mulierem apud ſe retinente, quod quidem crimen ita occultum eſſe non poteſt, quin a vicinis ſaltem non ſciatur, adhuc reſtabat gravem illum vincere pudorem, quo pœnitentes ſuffundendi erant, dum ex publica pœnitentia coram omnibus graviſſimi criminis reos ſe prodere tenebantur. Cæterum his non obſtantibus, diffitendum non eſt, quandoque Patres eodem modo loqui de pœnitentia pro peccatis publicis, ac de occultis, quia eadem pro iis imponi poterat dempta ſolemnitate. Hæc ex Conſtantino Roncaglia, quibus addo nedum Eccleſiæ decreto ſanctum non fuiſſe publice de peccatis occultis pœnitendi, verum & ob occulta delicta publicam imponi confeſſionem, & pœnitentiam Canones vetare, uti pluribus evidenter oſtendunt laudati Sirmondus Hiſt. Pœnit. publ. cap. 4. & Jacobus Petit loco citato cap. 1. 2. 3. & ſeqq. ubi id aſſertum contra Morinum eximie probat.

Hinc & Canones vetare publicam de occultis criminibus pœnitentiam oſtendunt Sirmondus, aliique.

Quinimmo quamvis Patres, quod & ultro concedimus, peccatores etiam occultos ad publicam pœnitentiam amplectendam vehementer hortentur, eamque adimpleri conſulant, *ubi conſilium datur* (inquit Hieronymus lib. I. adverſus Jovinianum) *Offerentis arbitrium eſt, ubi præceptum, neceſſitas eſt ſervientis*: Cumque id conſilium a Patribus datum publice pœnitendi, ſolummodo ſit in caſu ſingulari, quo, ut ajunt ſupracitati Origenes, & Auguſtinus *Medicus ſpiritualis intellexerit, & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis, & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari*, ſicut exceptio firmat regulam in aliis caſibus non exceptis,

Et licet Patres ad id hortentur, conſilium quidem eſt, non præceptum.

ita morem Eccleſiæ ſecreto pœnitendi in reliquis occultis criminibus, quæ non indigent hujuſmodi publicatione, demonſtrat caſus iſte ſingularis; quod & confirmatur ex Can. 4. Concilii Neocæſarienſis anno 315. quo pœnis Canonicis obnoxios non eſſe decernitur eos, qui fornicandi propoſitum habuerint, ſi criminis cogitationem, & conſilium ad opus non perducant, uti vel ipſe ſic eum Canonem refert Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 4. cap. 4. art. 2. Verba Canonis hæc ſunt: *Si quis propoſuerit concupiſcere mulierem ad dormiendum cum ipſa, ejus autem deſiderium ad opus non venerit, videtur eſſe a gratia liberatus*: Grave crimen eſt adulterium in corde commiſſum, & tamen Patres declarant de ipſo pœnitentiam ſecreto factam ſufficere, & peccatorem a publica confeſſione liberatum, quod & Canone 9. iidem Patres affirmant.

Cum igitur nulla Eccleſiaſtica lege ſtatutum fuerit de peccatis occultis publice pœnitendi, hujuſmodi ſeverior diſciplina, quæ initio magis ſervente Fidelium lapſorum veræ contritionis ardore diu in Eccleſia uſque ad ſeculum ſextum obtinuit, eodem poſtmodum in dies frigeſcente facile potuit tum ex ingenita Eccleſiæ miſericordia, & manſuetudine, tum ex Præſulum indulgenti conniventia ſenſim eadem emollita evaneſcere, atque in deſuetudinem abire, reſervata publica publicis tantum criminibus pœnitentia, & retenta ſecretis ſecreta. Cœpit hæc immutata pœnitentialis diſciplina ſub Theodoro Græco Cantuarienſi Archiepiſcopo, qui, ut diximus, edito circa ſeculum ſeptimum Pœnitentiali libro, Græcorum conſuetudinem jamdiu in Oriente obſervatam in Occidentem invexit. Eo autem in Libro nationis ſuæ morem ſecutus peccata publica ab occultis diſtinguens, in illa tantum, non autem in iſta pœnitentia publica animadvertit. Non multo poſt ex Anglia in reliquas Occidentis Eccleſias ſenſim ſine ſenſu eadem diſciplina prævaluit, perduravitque ad undecimum uſque ſeculum, quantum ad obſervationem Canonum, qui licet quoad pœnitentias publicas pro peccatis occultis iis ſeculis non obtinuerint, viguerunt tamen ſecundum tempus, & rigorem, quem habent in veteribus Conciliis, id nempe ſecreto peccatores occulte exequuti ſunt, quod publice nonnunquam exequebantur ante Theodorum Cantuarienſem.

Nulla extat Eccleſiaſtica lege ſancitum eſſe de peccatis occultis publice pœnitere.

Occulte tamen abſque publica confeſſione ſed ſecreta tantum gravium occultorum criminum rea juxta Canonum rigorem pœnitentiam impoſitam exequebantur.

Uſum hunc demonſtrant nedum quæ ſupra attulimus ex Nicolao Papa I., & Synodo Wormatienſi, verum & id conſtat ex pluribus Alexandri II. Papæ decretis, quorum varia in Panormiam ſuam, ſeu Decretorum ſummam transfudit Ivo Carnotenſis undecimi ſeculi Scriptor, quæ vota, pœnitentias, aliaſque hujuſmodi mulctas, & remiſſiones ſpectant, quæ etiam videre eſt apud Labbeum Concil. tom. 9. circa finem col. 1136. & ſeqq. inter cætera Epiſt. 29. Presbyterum alterius Sacerdotis occiſorem quatuordecim annorum pœnitentia in Monaſterio peragenda damnavit. Epiſt. 30. cuidam, qui Presbyterum armatum in ſe irruentem occiderat, decennem pœnitentiam injunxit. Epiſt. 31. cuidam Abbati Sacerdoti, cujus ſervus ira ſtimulante ab ipſo uno fuſtis ictu in dorſo percuſſus poſt

Quod pluribus demonſtratur exemplis.

ſex

ſex menſes obierat, & quem propterea Rumoldus Conſtantienſis Epiſcopus gradu, & dignitate veluti homicidam privaverat, pœnam, ac ſententiam duriorem temperavit, & poſt annum pœnitentiæ tranſactum ſacris Altaribus, ac dignitati reſtituit. Epiſt. 33. cuidam, qui etſi præter voluntatem fraternæ cædis cauſa fuerat, imperavit feceſſum in Monaſterium per annum, ſeptennem pœnitentiam, eidemque alia peragenda juſſit, ac nonnulla interdixit, ut plenius ibi, conceſſa etiam poteſtate dictas pœnas moderandi Epiſcopis Petragoricenſi, & Tolofano, atque Hugoni Abbati, quibus Epiſtolam direxit. Septennem item pœnitentiam indixit Epiſt. 37. Theodorico, qui filium non ſponte occiderat. Denique Berengario Baſileenſi Epiſcopo ſcribens de quodam, qui filiam patrui ſui corruperat, ibi col. 1153. hæc de ejus pœnitentia profert: *Iſte pœnitens*, inquit, *venit ad nos confeſſuſque eſt ſe filiam patrui ſui corrupiſſe, cui quatuordecim annorum pœnitentiam imponimus, ut jejunet quidem tribus quadrageſimis. In quadrageſima poſt Pentecoſtem duobus diebus in pane, & aqua in ſeptimana, & in Adventu tribus, & in majori quadrageſima tribus, & abſtineat ſe ab ingreſſu Eccleſiæ, & a communione duobus annis.*

Hæc autem enormia delicta, pro quibus veniam, & pœnitentiam præſcripſit Pontifex, non publica fuiſſe, ſed potius occulta præter rationes jam ſupra allatas, vel ex eo deprehenditur, quod fecretæ de iis Confeſſioni Sacramentali, eorumdem publicam pœnalem exomologeſim coram omnibus faciendam non indixerit, quam utique præceſſiſſet, ſi crimina publica fuiſſent; ſemper enim in Eccleſia, ut vidimus, obſervatum eſt, publica flagitia publica etiam confeſſione expiari, quod & nunc in uſu eſſe, in publico maxime, & notorio Presbytericidio teſtatur Praxis Sac. Pœnitentiariæ Apoſtolicæ apud Marcum Paulum Leonem Soc. Jeſu in ſuis ad eamdem Commentariis pag. 277. & ſeqq. Vides inſuper in prænarratis Nicolai, & Alexandri Rom. Pontificum pœnitentialibus Reſcriptis ſtrictæ obſervatum, & ſeculo undecimo quoad occulta peccata veterem Sacrorum Canonum diſciplinam, eademque non publica, ſed ſecreta ſatisfactione vindicata, impoſita quippe Presbytericidæ quatuordecim annorum privatim in Monaſterio, & fratricidæ ſeptennis ibidem peragenda pœnitentia; Nec quemquam moveat mandatum inceſtuoſo, ut *abſtineat ſe ab ingreſſu Eccleſiæ, & a communione duobus annis*, quaſi id publicum quid eſſet, non enim id dictum Epiſcopo, ut illum removeat, aut ipſi pœnitenti *arceatur*, *ſegregetur*, quod ab alio eidem imperandum eſſe videtur, ſed *abſtineat ſe*, quod ſponte, & ex propria voluntate exequendum erat, idque profecto clam, & occulte fieri poteſt conſcio tantum Epiſcopo, aut Sacerdote ſuo, abſque eo quod aliis innoteſcat. Sed antequam ab undecimo ſeculo ad noſtra uſque tempora progrediamur, nos iterum ad ſeculum ſeptimum revocat Pœnitentialis Theodori Cantuarienſis diſciplina ab ipſo cirea id tempus e Græcia in Eccleſiam Anglicanam, & Occidentalem invecta.

Quæ enormia delicta non publica fuiſſe, ſed occulta fuiſſe deprehenditur, quia non publica de iis indicta confeſſio.

Exiſtimant Eruditorum plerique dictum Angliæ Primatem primum etiam fuiſſe, qui cum id pœnitentiæ pro ſatisfactione peccatorum injungenda agendum foret, inter publica, & occulta crimina, ut innuimus, diſtinxerit, ſicque illis publicam, his ſecretam pœnitentiam indixerit, eamque diſtinctionem inter clanculo, & palam patrata delicta Patres, qui præceſſerunt, non recenſuiſſe, publicamque propterea de quibuſdam occultis confeſſionem tunc deinceps ceſſaſſe, veteremque hujuſmodi, ut ajunt, diſciplinam aboleri cœpiſſe. At hos, etſi doctos viros, hallucinari luculenter oſtendit ſupra laudatus Jacobus Petitus in ſua Theodori Doctrina vindicata, Pœnitent. Tom. II. circa finem cap. 1. 2. & 3. Sane Auguſtinus, qui tribus ferme ſeculis ante Theodorum floruit, publicum peccatum ab occulto clariſſime diſtinguit ſerm. aliis 15. de verbis Domini: *Si peccatum*, inquit, *in ſecreto eſt, ſecreto corripe, ſi peccatum publicum eſt, & apertum, publice corripe &c.* atque in Sermone ſequenti nunc 32. cap. 7.: *ergo ipſa corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur ſecretius*: manifeſtiſſime etiam occultum crimen a publico ſecernunt Patres Concilii Neocæſarienſis an. 315. can. 4., ubi peccatum adulterii, ut jam diximus, in corde commiſſum nullo publicæ pœnitentiæ genere diluendum, ſed privata tantum affirmant. Ita pariter Synodus Vaſenſis II. an. 519. can. 8. prohibet ne quis Epiſcopus reum, cui crimen occultum detectum eſt, ab Eccleſia ejiciat, & publice puniat, ſed ſecretis, ut ajunt Patres, correptionibus, ſtudeat emendare. Præterea, ut veteres alios Conciliorum Canones omittam, Sanctus Leo Papa, qui ut dictum eſt, publicam de occultis criminibus propitationem, *quia contra Apoſtolicam*, ut inquit, *regulam illicita uſurpatione* in aliquibus locis introducta, ab Eccleſia ſubmoveri ſancivit, idem Epiſt. 92. ad Rufticum Narbonenſem Epiſcopum cap. 8. Monachum, qui relicta profeſſione ad militiam, vel conjugium tranſiit, quia id occultum eſſe non poteſt, publicæ pœnitentiæ ſatisfactione dicit eſſe purgandum, ubi cum publicam pœnitentiam hic nominet, aliam profecto ſignificat eſſe pœnitentiam privatam pro occultis ſubeundam, quam in ſuprædicta Epiſtola ad Epiſcopos Campaniæ diſerte exprimit, ſicque unam ab altera manifeſte diſtinguit.

Theodorus Cantuarienſis plerique creditus primus qui pœnitentias pro peccatis publicis & occultis diſcreverit.

At multo ante Theodorum Auguſtinus, aliique Patres ſtatuerunt.

Non itaque primus Theodorus, qui hanc inter publica, & occulta peccata diſtinctionem invexerit, uti ex Morino de Pœnitentia lib. 7. cap. 1. num. 16., aliiſque pœnitentiæ publicæ de occultis apud veteres, ſex priorum ſeculorum patronis ſupra indicatis noviſſime autumat Gaſpar Ivenin de Sacram. quæſt. 6. de Pœnit. cap. 4. art. 1. §. 3. fed quam Patres invenerant, neque adeo frequenti uſu firmatam ipſe Græcus Cantuarienſis Præſul edito Pœnitentiali libro, quem laudant Hiſtoriæ Pontificalis Author in Vitaliano Papa, & Ven. Beda Hiſt. Anglic. lib. 4. cap. 1, & 2. ſtabili obſervantia in Anglia cuſtodiendam mandavit. Hinc idem Beda in libello de Remediis peccatorum, quem edidit circa annum 725. cap. 1. *Non omnibus*, inquit, *in una*

Eamque differentiam a Patribus inventam, Theodorus edito Pœnitentiali libro obſervandam firmavit.

una eademque libra penſandum eſt, licet in uno conſtringantur vitio, -- ſed diſcretio ſit in unoquoque eorum, hoc eſt ..... an voluntate, vel caſu, in publico, vel in abſcondito &c. Idem habet in ſuo pariter Pœnitentiali Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus an. 731. inde pariter & obſervatum in Gallia; Iſaac item Lingonenſis Epiſcopus, qui ſeculo nono floruit, in ſua Collectione ex antiquis Canonibus, & Regum Francorum Capitularibus conſarcinata tit. 6. cap. 2., ubi de raptoribus bonorum proximi hanc pœnitentiæ legem latam deſcribit: *Si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta Sanctorum Canonum ſanctionem, ſi vero occulte, Sacerdotum conſilio ex hoc agat pœnitentiam*: denique id actum in Germania, ac reliquis Occidentalis Eccleſiæ partibus conſtat ex S. Burchardo Vvormatienſi Epiſcopo, qui lib. 19. magnæ ſuæ Decretorum Collectionis cap. 36. a ſe ſeculo undecimo ex Conciliis, Sanctis Patribus, ac Romanorum Pontificum Epiſtolis conſtatæ, ſic habet: *Si quis inceſtum occulte commiſerit, & Sacerdoti occulte confeſſionem egerit, indicetur ei remedium canonicum, quod ſubire debuiſſet, ſi ejus facinus publicatum fuiſſet. Verum, quia latet commiſſum, detur ei a Sacerdote conſilium, ut ſaluti animæ ſuæ pro occulta ſua pœnitentia proficiat*: Hæc quoad praxim pœnitentialem de more ordinario uſque ad ſeculum undecimum obſervata ſunt.

Deinde Egbertus Eboracenſis, Iſaac Lingonenſis, aliique comprobarunt.

Exinde poſtmodum eadem hæc diſciplina nonnihil mitigata fuit, atque emollita rigoris antiqui ſeveritas, tum quoad modum, tum quoad pœnitentiæ tempus, ex frequentiori Indulgentiarum, & remiſſionum pœnalium largitione, quam peccantibus contritis fidelibus identidem pia Mater Eccleſia benigne concedere dignata eſt. Quamvis enim concedendarum Indulgentiarum poteſtas Eccleſiæ a Chriſto relicta ſit, quamquam etiam ab ipſis Chriſtiani nominis exordiis viguerit, qualis fuit ea relaxatio excommunicationis inceſto illi Corinthio inflictæ per Apoſtolum Paulum, de qua Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 2. illis verbis: *cui autem aliquid donaſtis, & ego; nam & ego, quod donavi, propter vos ex perſona Chriſti donavi*: uti hunc locum de plenaria indulgentia explicant SS. Patres Ambroſius, Chryſoſtomus, Anſelmus, Thomas, aliique apud Cornelium a Lapide; varia tamen in iis concedendis fuit Eccleſiæ diſciplina, & rarior retroactis ſeculis earum uſus. Fervente perſecutionum tyrannide lapſis ad Martyrum preces canonicæ pœnitentiæ remiſſio indulgebatur, uti ex Tertulliano ad Martyres cap. 1. conſtat, & ex Cypriano Epiſt. 11. 21. 22. 23. & alibi, præcipue libro de Lapſis. Reddita deinde Eccleſiæ pace, erat in Epiſcoporum poteſtate pœnitentibus, qui maximo cum fervore ſtadium pœnitentiæ decurrebant, ejuſdem tempus contrahere, & *de ipſis aliquid humanius cogitare*, ut ſupra dictum eſt ex Nicæna Synodo. Item ex Ancyrana, quæ Nicænam præceſſit can. 2. & 5. ſeptimo ſeculo, & deinceps redemptio pœnitentiarum eleemoſynis, ſive in pauperum ſubſidium, ſive in Eccleſiarum conſtructionem, aut reparationem erogatis invaluit, quæ etiam ſeculo nono, vel Miſſarum Sacrificiis, aliiſque ſuffragiis, vel ſacris peregrinationibus, aut piis operibus ab Eccleſiarum Prælatis impoſitis obtineri poterat.

Poſtmodum hæc Pœnitentialis diſciplina fuit nonnihil mitigata ex frequentiori Indulgentiarum conceſſione.

Hujuſmodi pœnarum redemptiones memorat Concilium Triburienſe an. 895. celebratum can. 56. Undecimo ſeculo eadem Indulgentiæ concedebantur ad certum tempus, vel in perpetuum, & quidem paſſim occaſione Dedicationis Eccleſiarum. Benedictus IX. (ut tradit Mabillonius Præf. in ſec. v. Bened. num. 109.) anno 1040. indulget; *ut omnis pœnitens*, qui ad limina Eccleſiæ S. Victoris Maſſilienſis recens dedicatæ, *tritis paſſibus* venerit, Eccleſiæ fores ſibi pateant, & *indultis facinoribus peccaminum, omnium criminum ſqualloribus abſolutus*, libere ad propria lætus redeat, *eo ſcilicet tenore, ut tranſacta peccata Sacerdotibus confiteatur, & de reliquo emendetur*. Eadem Indulgentia, & præ cæteris plena ab Alexandro II. impertita fuit in Dedicatione Caſſinenſis Eccleſiæ, tam iis nempe, qui tunc præſentes erant, quam omnibus, qui per octo continuos dies eo convenerint, *confeſſorum peccatorum abſolutione* conceſſa, ut ex Chron. Caſſin. lib. 3. cap. 31. Item ſimilis indulta venia ab Urbano II. an. 1098. viſitantibus Eccleſiam S. Nicolai Andegavenſis, quam ipſe Pontifex dedicaverat; eo pariter modo indultum a Calixto II. an. 1120., qui dedicata Maurinianenſi prope Stampas Eccleſia, ut narrat Duchenius Hiſt. Franc. Tom. IV. pag. 369. *Annuam peccatorum remiſſionem in Dedicationis Anniverſario conſtituit*: quod & ſubſequuti poſtea in aliis ſimilibus frequenter Romani præſtitere Pontifices.

Dictæ indulgentiæ conceſſæ paſſim occaſione Dedicationis aliorum, cujus Eccleſiæ ſeculo XI.

Labente ſeculo XI. eadem plenariæ Indulgentiæ, ſeu adæquata canonicæ ſatisfactionis relaxatio conceſſa eſt iis, qui tum expeditionem Hieroſolymitanam, vel peregrinationes ad Apoſtolorum limina aggrederentur. Ita contra infideles pugnantibus an. 1063. Alexander Papa II. ut refert Malaterra de Rebus geſtis a Roberto Guiſcardo Calabriæ Duce, aliiſque lib. 2. cap. 33. in Schotti Hiſp. illuſtr. Tom. III. *benedictione Apoſtolica, & poteſtate, qua utebatur, abſolutionem de offenſis, ſi reſipiſcentes in futurum caveant, comiti, & omnibus, qui in lucranda de Paganis Sicilia, & lucratam in perpetuum ad Chriſti fidem retinendo auxiliaventur*, conceſſit. Deinde Urbanus II. in Concilio Clarmontano an. 1096. can. 2. indulſit, *ut quicumque pro ſola devotione non pro honoris, aut pecuniæ adeptione ad liberandam Eccleſiam Dei Hieruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur*. Similem Indulgentiam, quam S. P. Bernardus Epiſt. alias 364. nunc 426. largiſſimam appellat, Eugenius III. iisdem Crucefignatis impertiit, uti ex ejus Epiſtola alias 322. nunc 363. num. 4. quæ poſtea ab aliis Pontificibus conceſſa, & confirmata fuit.

Item in expeditione Hieroſolymitana, vel peregrinatione ad Apoſtolorum limina.

Denique Bonifacius VIII. (ut ſcribit Guillelmus Nangius in vita S. Ludovici Francorum Regis, aliiſque coævi ſcriptores teſtantur) anno 1300. *Indultum faciens concedit plenam... Indulgentiam peccatorum omnium cunctis vere pœnitentibus, & confeſſis accedentibus per annum præſentis ſpatium, & per quemlibet affuturum annum centeſimum ad Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilicas urbis Romæ voto peregrina-*

Dein ſecuto XIII. Bonifacius VIII. plenariam... hujuſmodi indulgentiam... conceſſit per quemlibet annum 100. Romam accedentibus ad eadem Apoſt. limina.

grinationis humiliter, & devote. Centenariam hanc Indulgentiam Jubilæi nomine nuncupatam primum a dicto Papa Bonifacio inſtitutam plerique arbitrati ſunt, at eodem longe antiquiorem eſſe, luculenter oſtendit Jacobus Cajetanus Diac. Card. S. Georgii ad velum aureum in ſuo, quem edidit, Tractatu de *Centeſimo*, ſeu Jubilæo anno in Biblioth. PP. Lug. Tom. XXV. pag. 936. poſt ipſum Franciſcus Maria Phœbeus in libro, quem de eodem ſcripſit an. 1675. aliique. Hoc poſtea ſpatium ſæculare remiſſionis peccatorum plenariæ ad minus tempus contrahere mortalium commodo vitæ brevitas ſuaſit, & ex Eccleſiæ benignitate pia Pontificum munificentia cenſuit. Quod itaque Jubilæum centeſimo quoque anno lucrandum adſcripſit Bonifacius more fortaſſis antiquo Romano, cum fierent Ludi ſæculares, *quos aſpicit ætas una ſemel*, quinquageſimo ſtatuit Clemens VI. an. 1350. veteris legis exemplo, ut vere eſſet nomine, ac re annus Jubilæus, uti teſtatur Nangii Continuator; Idem poſtea Urbanus VI. an. 1389., ut ſcribit Gobelinus Perſona in ſuo Coſmodromio ætate 6. cap. 81. inter Scriptores Germanicos Meimbonii Tom. I. pag. 52., ob myſterium annorum vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui omnis jubili, & lætitiæ fons, & a quo omnis Indulgentiarum origo eſt, trigeſimum tertium annum pro Jubilæo aſſignavit, ſicque, quod mirum eſt, ter uno, eodemque ſeculo Jubilæum variatum fuit.

Qual ſecolare ſpatium indulgentiæ, ſeu Jubilæi ad quemque an 25 redactum. Eademque plenaria Indulgentia item ex gravi cauſa conceſſa

Cæteris demum Pontificibus hi anni minus probati fuere, donec Sixtus IV., ex decreto Pauli II. prædeceſſoris ſui, qui annum 1475. ordinaverat, ſed morte præventus non celebravit, vigintiquinque annorum ſpatio illud definivit, ut ita omnis ætas, immo & unius hominis vita eo ſæpius frui poſſet, iſque annorum numerus communi dein approbatione receptus uſque nunc obtinet. Plenariæ id genus Indulgentiæ conceſſæ item poſtea fuere pro felici promotione cujuſque Romani Pontificis, & qualibet gravi cauſa, ſed addita jejunii, eleemoſynæ, & ſacræ Communionis conditione. Porro de hiſce Indulgentiis, ac peccatorum remiſſionibus, de quibus nonnulli ſcripſere, inter quos ſupra laudatus Balthaſar Francolinus in ſuo Clerico Romano contra nimium rigorem munito parte I., & poſt ipſum plura diſſerit A. R. P. Theodorus a Spiritu Sancto Carmelita excalceatus in ſuo, quem nuperrime edidit, Tractatu de Indulgentiis dogmatico-morali, præcipue Diſſert. procem. §. 3. & ſeqq.

Hæc autem Indulta in foro tantum interno, & quoad peccata dumtaxat occulta conceſſa.

Hæc autem hucuſque dicta de pœnarum indultis in foro tantum interno, & quoad occulta dumtaxat peccata conceſſa intelliguntur, ac nonniſi ſatisfacta parte, ſi opus fuerit; publica enim peccata publica ſatisfactione, & pœnitentia puniri, ac expiari, niſi forte in certis caſibus aliter expedire videretur, ſemper cenſuit, & intendit Eccleſia; quare publica pro publicis criminibus numquam intermiſſa fuit, ſed inviolata ſemper vigilt, & adhuc in Eccleſia perſevetat eadem antiqua lege obſervata, etſi mitiori quandoque diſtrictionis diſciplina, uti pluribus exemplis illuſtrium etiam, ac ſublimium Perſonarum, poſt annum item milleſimum ad noſtra uſque tempora luculenter oſtendit Ludovicus Thomaſſinus vet., & nov. Eccl. Diſcipl. Tom. I. parte I. lib. 2. cap. 16. ſupra laudatum Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. jam citata cap. 8. *Apoſtolus*, inquit, *monet publice peccantes palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam. Epiſcopus tamen publice hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire*. Conſonat Rituale Romanum de Sacram. Pœnit. ubi Sacerdoti prohibetur: *ne abſolvat eos, qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant*.

Publica quippe peccata, publica ſemper pœnitentia expiata

Sic interdum videre eſt publice blaſphemos ad Eccleſiarum fores cum cereis accenſis manu geſtandis conſtituti, hæreticos ibidem publice errorem abjurare, notorios concubinarios palam excommunicari, hoſque omnes, alioſque hujusmodi publicos peccatores, ſi impœnitentes deceſſerint, Eccleſiaſtica ſepultura privari. Ex quo vides numquam immutatam hac in parte primævam pœnitentialem Eccleſiæ diſciplinam, ut ſicut culpa publica publicam ſemper exigit pœnam, ſic privatam occulta, utrique autem ſecundum criminis rationem inflicta fuerit. Sic etiam ex Pœnitentiaria Apoſtolica hujuſmodi, aut aliorum enormium ſcelerum reos, neque omnibus quoad delicti qualitatem notos pleroſque publicæ pœnitentiæ deſignatos, vel in Baſilicarum verrendis ſordibus, Altarium utenſilibus deferendis, aliiſque operibus ſervilibus laborioſis juxta cujuſque vires aut in publicis Xenodochiis infirmorum miniſterio occupari conſpicimus. Neque propterea, ut jam monuimus, eorum revelatur confeſſio, nam ex S. Thoma in 4. ſent. diſt. 14. quæſt. 1. art. 5. quæſtiunc. 1. ad 1. *Sacerdos non revelat confeſſionem talem pœnitentiam injungendo, quamvis ſuſpicio oriatur illum* (pœnitentem) *aliquod enorme peccatum commiſiſſe; non enim culpa pro certo ſcitur ex pœna, quia quandoque aliquis pœnitentiam pro alio facit, ſicut legitur in vitis Patrum de quodam, qui ut ſuum ſocium ad pœnitentiam provocaret, ipſe cum eo pœnitentiam egit*: quæ omnia profecto ex antiqua Eccleſiæ diſciplina derivari, nemo ſanæ mentis negabit.

Publica de occultis criminibus pœnitentia quoque tempore voluntaria ſumpta aut a Sacerdotibus conſulta.

Etſi vero poſtquam mos ille imponendi publicam pro peccatis occultis pœnitentiam ſexto, ut ſupra diximus, aut ſeptimo ſeculo exoleverit, non deſiit tamen quoquo tempore de ipſis etiam non vulgatis publica pœnitentia, ſive voluntarie ſumpta, ſive a Sacerdotibus conſulta in vindictam ſuorum cujuſque criminum, ut Deo ſatisfieret, tum ob ſui humiliationem, aliorum exemplum, & Eccleſiæ offenſæ ædificationem. Sexcentis id exemplis per omnia hucuſque elapſa ſecula probari poſſet, his enim plena ſunt acta Sanctorum Bollandiana, plura ſuppeditant vitæ Patrum apud Roſuveidum, Card. Baronius, ejuſque Continuatores in Annalibus Eccleſiaſticis, ſacræque

cræque Ordinum Religioſorum Hiſtoriæ. Sed & antiquiores Theologi, & Canoniſtæ id, quod ſuo ſeculo fieri quandoque videbant, teſtati ſunt. Ita D. Thomas mox cit. in 4. Sen. diſt. 14. qu. 1. art. 5. ad 1. & in corp. Silveſter verbo *Pœnitentia* num. 2. aliique. Nec ubique fequiori ævo morem illum de occultis criminibus publice pœnitendi inſolitum, & abrogarum fuiſſe fatentur Theologi Colonienſes in Enchiridio Chriſtianæ inſtitutionis in Synodo Provinciali edito, cap. de Confeſſione: *Hodie*, inquiunt, *pro crimine quantumlibet enormi occulto volenti non imponitur pœnitentia publica, nam volenti adhuc eam imponi poſſe vetus Eccleſiæ, præſertim Romanæ, conſuetudo teſtis eſt. Nudantur enim etiam hoc tempore quibuſdam ſcapulæ, & extra templum cæduntur interdum uſque ad ſanguinem, idque numeroſiſſima populi multitudine ſpectante, ſolus tamen Pœnitentiarius novit quid admiſſum ſit, niſi quod omnes facinus admiſſum ſuſpicantur.*

Hinc publicæ flagellationes inductæ ex cujuſque devotione.

Hujuſmodi flagellationes in pœnam ſcelerum, five ex Sacerdotis conſilio, five voluntarie, & ex ſua cujuſque devotione aſſumptas interdum fieri, præſertim in publicis ad Deum ſupplicationibus plerifque in locis etiamnunc videre eſt. Quas quidem pœnitentiales verberationes, licet nonnulli nimis audaćter improbent, præſertim Jacobus Boyleau vir cætera eruditione clarus, qui nuper in ſua, quam edidit Flagellantium Hiſtoria, contra hunc Diſciplinarum uſum acriter invehitur; illum nihilominus, etſi amicum, refellit: primo Jo. Mabillonius Præf. I. in ſec. 6. Bened. num. 41., & ſeqq. deinde Ignatius Hiac. Amat de Graveſon Hiſt. Eccleſ. ſec. 11. Tom. IV. edit. Ven. pag. 122. & Tom. V. pag. 78. Fateor ſane præcavendos eſſe, & tollendos quoſdam abuſus, qui in exercitio earumdem Diſciplinarum propria manu inflićtarum irrepſerunt, vel irrepere quoquo modo poſſunt, præſertim in his locis, ubi flagellantes per vicos, & plateas ſanguine conſperſi curſitant cum oſtentatione, nec forraſſe ſine ſcandalo, non vili facco, ut pœnitentes decet, ſed eleganter potius, ac nobili lineo induti procedentes coram omnibus ludunt de corio ſuo; ubi vero id modeſte, cum diſcretione, prudentis item animæ Directoris conſilio, necnon ex corde contrito, & humiliato, femotis omnibus pravis circumſtantiis vanæ gloriæ, aut erroris alicujus, abſque ullo Chriſtianæ ſimplicitatis præjudicio, & cum moderatione juxta proprias vires, ac ſuſceptæ fatisfactionis exigentiam fiat, idipſum laudabile opus, pium, refrenandis concupiſcentiæ inordinatis motibus apprime utile, & ad peccatorum pœnitentiam peragendam fructuoſum profećto exiſtimo, ſive illud in publico ad aliorum exemplum, & Eccleſiæ ædificationem, ſive in occulto ad ſui mortificationem agatur, dummodo prædićta omnia utrobique obſervata, cum recta intentione Deo placendi ſint, quidquid alias nonnulli intemperantiores, ac delicatuli ex adverſo arbitrentur.

Diſcrete tamen & moderate ex prudenti Sacerdotis Directoris conſilio inſtigendæ.

Etenim hujuſmodi flagellationes ſaltem a ſeculo XI. non improbarunt plerique Ordinum Regularium Fundatores, aliique viri ſanctitate conſpicui.

Quidquid ex adverſo ſentiat Jacobus Boileau ſupra & hic confutatur.

Quod enim Scriptura Sacra pueris ad correptionem, quod libri pœnitentiales peccatoribus ad expiationem, quod antiquiores regulæ Monaſticæ ad fatisfactionem inſtigendum ſtatuunt, id ſponte aſſumi non licere, aut decere, haudquaquam dubitandum eſt. At mortem, inquient, nocentibus leges civiles inſtigunt, quam ſibi ſponte conſciſcere nemini licet; Verum hic non agitur de pœnis in criminali foro, ſed in Eccleſiaſtico tribunali impoſitis, non ad mortem, ſed ad ſalutem, quas quidem ſi ex obedientia ſubire Deo gratum eſt, certe ex charitate, & pœnitentiæ ſtudio ſponte ſuſcipere non erit ipſi ingratum, ut optime infert laudatus Mabillonius.

Et ſane id ſaltem ab XI. ſeculo non improbarunt, immo ſuis diſcipulis præſcripſerunt plurimi flagrorum uſum viri ſanctitate, & purioris obſervantiæ celebres Dominicus Loricatus dictus, & Petrus Damiani, quos ejuſdem non Authores, ut vulgo creduntur, ſed rećtius propagatores dixeris; Bruno Carthuſianorum inſtitutor, Bernardus noſter Clarævallenſis Abbas, & Dominicus Ord. Præd. Fundator, denique ſuperiori ævo S. Carolus Borromæus, ut de aliis Sanctis ſileam, hoc ipſum Pœnitentiæ genus ſibi frequenter impoſuit, & propria manu inſtixit, quod ex ejus vita manifeſtum eſt. Hos imitari, hos duces ſequi non inverecundum, aut deſpectum, immo perquam honorificum, & tutum eſſe nemo jure negaverit. At hæc miſſa ſint, quive de hoc diſciplinarum Ritu plura velit, adeat Theoph. Raynaudum de Appriat. Sacram. quæſt. I. Oper. Tom. VI. pag. 389. & de malevolis erga Religioſos fećt. I. puncto 2. Oper. Tom. 17. pag. 317. & ſeqq. Dadinum Altaſerra de Orig. Monaſt. lib. 6. cap. 15. Hæftenum Diſquiſit. Monaſt. lib. 8. tract. 5. Edm. Martene de Monach. Rit. lib. 2. cap. 11. a num. 8., ac præ cæteris Jacobum Gretſerum integro Tract. de Diſcipl. Sed venio ad perpetuam pœnitentiam profitentes in religioſi habitus ſuſceptione, qua æquivalenter, & publici, ac voluntarii pœnitentes dićti ſunt.

Mirum converſionem publice profitentis in Religioſi Habitus ſuſceptione, publici, ac voluntarii pœnitentes dicti.

Notum itaque pene omnibus eſt, quot utriuſque ſexus Fideles ex quavis gente, omniſque ætatis, conditionis, & gradus, ordiniſque etiam ſublimioris, Monaſticum cucullum, qui & pœnitentiæ Habitus eſt, non tantum perfectionis ſtudio, quam ipſius pœnitentiæ cauſa, libere, & ſponte ſuſceperint. Legendus hac de re laudatus doctiſſimus Joan. Mabillonius Præf. in ſec. 1. Bened. num. 105. in ſec. 2. num. 41. præcipue Præf. 2. in ſec. 4. num. 192., & ſeqq. ubi plura in id monumenta refert, & quidem inſignium etiam perſonarum quarumcumque ex utraque Eccleſia Occidentali, & Orientali. Quamvis autem S. Petrus Damiani opuſc. 13. cap. 6., & 7. quoſdam arguat Monaſteriorum Rectores, qui *quibuſlibet e ſeculo venientibus, etiamſi graviter lapſi eſſent, aliam pœnitentiam non imponebant, niſi ut communem Manaſterii Ordinem ſervarent*: id tamen, quod in illis improbat Sanctus, & Purpuratus Eremita, communi uſu receptum fuiſſe in noſtro Ordine Ciſtercienſi teſtatur Cæſarius Heiſterbacenſis Monachus in Dial. diſt. 4. cap. 1. *Venientibus ad Ordinem noſtrum etiamſi innumera, & graviſſima commiſerint peccata, nihil eis aliud injungitur pro ſatisfactione, niſi ut ordinem ſervent; hinc eſt, quod S. Bernardus cum tempore quodam quemdam Regem Francorum in ordine recepiſſet; illi*

illi ſolummodo poſt confeſſionem Dominicam orationem injunxit, quo turbato putans ſibi a Sancto illudi, reſpondit Beatus Abbas: in tantum orationem hanc dicito, & ordinem cuſtodi, & ego pro peccatis tuis rationem reddam in die judicii: Hæc Cæſarius, qui quoad factum vera exponit, attamen quoad perſonam hallucinatur; non enim quidam Rex Franciæ fuit, a Divo Bernardo converſus, & ad ordinem receptus, ſed nobilis vir ex Flandria Arnulphus de Majorca dictus, de quo magnum Exordium Ciſterc. diſt. 2. lib. de viris illuſtrib. diſt. 3. cap. 7. Herbertus Abbas Morenſis, dein Turritanus in Sardinia Archiepiſcopus de miraculis Divi Bernardi lib. 1. cap. 11. in Biblioth. Ciſterc. Teiſſerii Tom. I. pag. 247. aliique vitæ Melliſſui Abbatis Scriptores.

Et ſane, ſubdit Mabillonius laudatus Analect. vet. Tom. II. pag. 348. Si omnibus Monaſteriis ita eſſet vita inſtituta quemadmodum eo tempore apud Clarævallenſes, quibuſvis pœnitentibus quantumvis graviter lapſis, juſtus eſſet is pœnitentiæ modus. Neque vero alia quondam a Sacerdotibus, aliiſque perſonis in graviora crimina lapſis pœnitentia exigebatur, quam in Monaſterium retruſio. Etſi enim alii nocentes ſint in Cœnobiis, alii innocentes; utriſque tamen idem pœnitentiæ modus competere poteſt: ſiquidem quod illi ex debito, hi præſtant ex ſolo amore juſtitiæ. Ita Mabillonius, cui præivit S. Hugo Cluniacenſis Abbas in ea, quam ad Philippum Franciæ Regem ſcripſit Epiſtola apud Dacherium Spicil. Tom. II. pag. 401. *quam vilelicet pœnitentiam*, inquit, *vel converſionem perfectam, nec faciliori, ut credimus, nec certiori via poteſtis apprehendere, quam quod multum volumus, & optamus Monachica profeſſione, quam propterea Patres noſtri, ait, aſylum Pœnitentium nominaverunt.*

Et Mabillonius, & ante ipſum Hugo Cluniacenſis, aliique confirmant, qui Monaſticam vitam aſylum Pœnitentium vocant.

Legendus item quoad Monachos Orientales, eorumque Pœnitentium mores Joannes Climacus de Pœnitentia gradu 5. ubi mira, & ad ſtuporem uſque pœnitentiæ exercitia ab iiſdem ſponte, & libera voluntate peracta refert, & poſt plura ſic concludit: *Vidi & feliciores exiſtimavi, qui poſt lapſum ita lugent, quam qui numquam lapſi ſunt, & ſe ipſos non ſic deſent.* Hinc eſt, quod S. Abbo Floriacenſis Abbas, & Martyr, de quo Spondanus in Epitome Annal. ad an. 1003. num. 5. in ſua Collectione Canonum, quam edidit præfatus Mabillonius loco cit. ex S. Eucherio Lugdunenſi Monaſticam profeſſionem publicam pœnitentiam ſupplere optime aſſerit; hujus enim pœna, etſi durior, brevitate fit levis, illius autem, etſi levior, diuturnitate tamen moleſtior eſt. Videndus hac de re Melliſſuus noſter Abbas Bernardus Serm. 30. in Cant. num. 11. ubi Monaſticam profeſſionem martyrio comparat. Quare licet *perrari ſint hodie in Eccleſia, qui talem agant pœnitentiam, qualem antiquorum Patrum pœnitentium exempla, & authoritas canonica ſancit*; uti ea de re ſic queritur Jonas Aurelianenſis Epiſc. ſeculo nono in ſua Inſtitutione Laicali lib. 1. cap. 10. apud Dacherium Spicilegii Tom. I. pag. 9. & ſeqq. ubi plura in idem proferens, hæc ſubinfert: *unde colligitur, quia religionis noſtræ priſcis temporibus dum quis ſecundum ſibi a Sacerdote, uſque ad ſatisfactionem cilicio indutus & cinere conſperſus, Habitu incultus, humique proſtratus, lacrymiſque profuſus videbatur, ſtatim Pœnitens agnoſcebatur*: Et poſt pauca: *Nunc autem in cœtu Chriſtiano idcirco vix Pœnitens agnoſcitur, quia pene nihil horum erga Pœnitentes agitur. Quapropter credibile eſt, ut ſicut alia multa in Religione Chriſtiana viluerunt, ita quoque præmiſſus Pœnitentiæ modus ab uſu, quod formidoloſum eſt, receſſerit.*

Atque eandem publicam pœnitentiam ſupplere affirmant.

Hoc Jonæ teſtimonio manifeſtum profecto fit, quantum ſeculo nono jam intepuerit publicæ Pœnitentiæ vigor, ut vix ullum ejus ſupereſſet veſtigium; quin & multo ante octavo ineunte ſeculo jam inde ſuadente experientia paulatim invaluit, ut exceptis graviſſimis delictis, reliqua omnia fuerint Statim data reconciliatione remiſſa, neque ità longa pœnitentia purgata. Conſtat id ex ſtatutis S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini, inter quæ hoc habetur: *Quia varia neceſſitate præpedimur Canonum ſtatuta de reconciliandis Pœnitentibus pleniter obſervare, propterea omnino non dimittatur, curet unuſquiſque Presbyter ſtatim poſt acceptam Confeſſionem Pœnitentium, ſingulos data oratione reconciliari*: Forte reſpexit Bonifacius ad ea, quæ S. Leo Papa dixerat ſcribens ad Ruſticum Narbonenſem Epiſt. 90. *Multa ſunt, quæ, aut pro neceſſitate temporum, aut pro conſideratione ætatum oportet temperari*; Proinde neque his diſſentitur Morinus ipſe, qui a communi regula tam longæ, & ſeveræ pœnitentiæ priſcis etiam temporibus, quamplures excipit lib. 5. de Pœnit. cap. 6. *Cum urgebat*, inquit, *periculum mortis, aut reformidabatur ſalutis animæ pernicies, veluti cum periculum erat, ne capitalium peccatorum rei ad Hæreticos, aut etiam Gentiles tranſfugerent, aut grave aliquod incommodum Eccleſiæ crearetur, abſolutio ſtatim poſt confeſſionem peccati, & veræ reſipiſcentiæ demonſtrationem, aut brevi exacta pœnitentia concedebatur.*

Publicæ pœnitentiæ vigor jam a ſeculo IX. imminutus.

Hujuſque latitatis rationes affert Morinus.

Cæterum imminutis licet hiſce Pœnitentibus canonice convictis, quorum non omnium Pœnitentia ſemper vera, quia non ſemper ex corde, ſed interdum ex lege tantum adſtricta, ii nihilominus vere Pœnitentes dicendi a ſeculo inde ſeptimo, & præſertim nono magis, magiſque creverunt, eodem ſcilicet ævo, quo Jonas floruit, qui ſponte ſcientes, volenteſque non ad tempus per Canones ſtatutum, ſed perpetuam uſque ad finem vitæ pœnitentiam per tria regularis obſervantiæ vota profeſſi in Clauſtris Deo famulantur, & proprio virtutum exemplo Eccleſiam non minus, ac publici Pœnitentes ædificant; hinc quemadmodum illi induebantur cilicio, quod idcirco apud Optatum de Schiſ. Donat. lib. 2. nuncupatur nomine *velaminis Pœnitentiæ*, dicebatur item *velamen mortiferum, & funus dignitatis*, quia Pœnitentes publici habebantur civiliter mortui, & omni dignitate exeidebant, iſti pariter detonſi, monaſticó cucullo, atra ſcilicet, ſeu funebri veſte induti Mundo

Imminuti tamen publicis pœnitentibus de peccato convicti jam a ſeculo ſeptimo, & ſeqq. creverunt regulatis obſervantiæ vota profeſſi voluntarii pœnitentes dicti.

mortui sunt, & eorum vita abscondita cum Christo in Deo.

Utriusque hujusmodi Canonicæ & religiosæ pœnitentiæ comparatio jam a seculo VI.

Utriusque hujusmodi pœnitentiæ comparatio habetur in Conciliis Toletanis tertio, & quarto, quibus duo sancti Præsules, & Monachi Benedictini primario subscripserunt, Leander Hispalensis, & Isidorus frater ejusdem successor, & in tertio quidem an. 589. can. 12. ita statuitur: *Quicumque ab Episcopo, vel Presbytero sanus, vel infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia Episcopus observet, vel Presbyter, ut si vir est, sive sanus, sive infirmus, prius eum tondeat, aut* (quod alia lectio addit) *in cinere, & cilicio habitum mutare faciat, & sic pœnitentiam ei tradat. Si vero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi prius mutaverit habitum; sæpius enim laicis tribuendo delictosæ pœnitentiam, ad lamentanda rursus facinora post acceptam pœnitentiam relabuntur.* Qui sic accepta tonsura, & veste pœnitentiam profitebantur, ei perpetuo addicti erant, ut docet Concilii IV. Toletani can. 55. *Quicumque ex secularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se, & rursus prævaricantes laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo suo ad pœnitentiam, ex qua recesserant, revocentur. Quod si aliqui per potentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertantur, vere ut Apostatæ coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur. Non aliter & hi, qui detonsi collaudantibus parentibus fuerint, aut sponte sua amissis parentibus se ipsos religioni dovoverunt, & postea habitum secularem sumpserunt, & iidem a Sacerdote comprehensi ad cultum religionis, alla prius pœnitentia, revocentur. Quod si reverti non possunt, vere ut apostatæ, Anathematis sententiæ subjiciantur.*

Quod & de fœminis statutum subditur: idemque jam antea decretum in Concilio Barcinonensi an. 540. can. 6. iis verbis apud Card. de Aguirre Concil. Hispan. Tom. 2. pag. 279. *Pœnitentes viri tonso capite, & religioso habitu utentes, jejuniis, & obsecrationibus vitæ tempus impendant*: Vides hic pœnitentiam publicam

Pœnitentiam publicam nedum religiosæ professioni coæquatam, sed, & illam in hac omnino consistere, asserium aliorumque.

nedum religiosæ professioni cœquatam, verum & illam in hac omnino consistere. Olim autem pœnitentia (inquit laudatus Card. Aguirrius in notis ad dicti Concilii can. 8. ibidem pag. 280.) non peccatorum erat tantum antitodum quoddam, sed & expressa quædam, non adumbrata modo, vitæ religiosæ species ad imitandum proposita, quam se fecuturos voverent, fuisque eam votis peculiari quodam habitu, legibusque constringerent: Hæc Purpuratus doctissimus, cum hac tamen differentia, quod religiosæ Cænobiticam vitam profitentes, non in domibus suis, sed in Monasteriis communi observantia vivere tenentur, pœnitentes vero *tantum in suis domibus vitam frugalem agere debeant*: uti ex can. 7. dictæ Synodi Barcinonensis. Sicque laici erant in seculo religiosæ quoad mores, habitumque viventes.

Peculiares proinde institutiones in Ecclesia nonnulli Pœnitentium Ordines Regulares.

In hanc deinde vivendi formam sequiori ævo exorti, & inducti postea, in Ecclesia maxime Latina nonnulli Pœnitentium Ordines Regulares ex peculiari habitu pœnitentiali ab aliis distincto, atque ex Apostolicæ Sedis indulto constituti, ac fundati fuere. Et quidem horum primus occurrit seculo ineunte duodecimo tertius Humiliatorum Ordo dictus, quem a Sancto Patre nostro Bernardo institutum refert ex aliquot Mediolanensium Scriptorum testimonio Clar. Franciscus Pagius Antonii Nepos in Brev. Gest. Pontif. Rom. in Innocentio III. n. 25. ex quo nuperus Author Anonymus Gallus Ordinum Regularium descriptor, id quod tamen silent Merlonus Horstius, & Mabillonius in recensione ac Notis Operum Mellistui Doctoris; Angelus Manriquez in Annal. Ord. Cisterc. ac noster Abbas D. Gaspar Antonius Petrina in Historia Chronologica Bernardina. Præstat exscribere quæ idem illustris Historicus Pontificius ibidem profert „ Cum Sanctus, inquit, Bernardus Clarævallensis anno 1135. ab Innocentio II. ad Concilium Pisanum vocatus fuisset, Mediolani aliquo tempore versatus est, ibique tertio Ordini Humiliatorum initium dedit; nam licet ab anno 1119. initia Ordinis hujus repetat Tristanus Chalcus; Sanctus tamen Bernardus ejus institutor dicitur, quia Humiliati ante eum religioſi non erant, eo quod formam vivendi religioſo habitu non haberent. Puricellus in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ num. 375. asserit eos vocatos fuisse *Fratres de Convenio* & postea addit: *Ejusmodi Ordo Fratrum de Convenio in hanc usque diem appellatur, quive in suo ipsius flemmate tutelarem gestat hunc Sanctum Abbatem*, nempe Sanctum Bernardum. Ibidem subdit in Bibliotheca Basilicæ Mediolanensis asservari Codicem MSS. continentem Humiliatorum Privilegia, cujus initio legitur: *S. Bernardus venit Mediolanum, & ibi multis miraculis claruit . . . . a quo quidam magnates & nobiles Cives Mediolani Divino spiritu inebriati formam vivendi in habitu religioso cum suis familiis habitando sumpserunt. Erat ergo Sanctus Bernardus Ordinis hujus primus fundator; unde Fratres tertii Ordinis hujus vocantur hodie alicubi Fratres S. Bernardi*: Hæc Pagius, qui & alia subdit de eorum Regula ab Innocentio III. approbata. Hos licet insequatur Conradus Ufpergensis Abbas in suo Chronico, ipsos tamen summis laudibus prosequitur Card. Jacobus de Vitriaco lib. 2. cap. 28. Historiæ Occidentalis. Porro de Humiliatis legendi Philippus Bergomas in Supplem. Histor. ad an. 1189. S. Antonius in Chronico tit. 15. cap. 23. Demum hunc Ordinem, ut fertur, propter infidias S. Carolo Borromæo Archiepisc. Mediolanensi patratas an 1570. peculiari Bulla S. Pontifex Pius V. extinxit. Cui Regulari Congregationi & alter Ordo addi potest Pauperum Pœnitentium Catholicorum dictus in Provincia Tarraconensi institutus, & ab eodem Innoc. III. approbatus an. 1215. qui tamen & ipse diu non stetit.

Inter quos tertius Humiliatorum Ordo dictus a S. Bernardo fundatus.

Et Pauperum Pœnitentium in Provincia Tarraconensi.

Missis itaque his antiquatis Pœnitentium Ordinibus, eos qui adhuc extant eodem tempore ortos, & a dicto Pontifice confirmatos referam; quos inter primo exhibetur tertius Ordo a S. Dominico Magno Fr. Prædicatorum parente institutus, cui *de Pœnitentia* nomen inditum, eo quod contra cupiditates

Deinde tertius Ordo S. Dominici de Pœnitentia nuncupatus.

tates & poteſtates tenebrarum ſolis pœnitentiæ, & orationis armis pugnare proiterentur; De quo tertio S. Domnici Ordine legendi Malvenda in Annal. Ord. Prædicatorum ad ann. 1221. atque Bandelli, & Juſtiniani Commentarius in Conſtitutionum volumine editus. Huic conſimilis eſt tertius Ordo, quem S. Franciſcus Fratrum Minorum fundator inſtituit pro Secularibus utriuſque ſexus, ex quo Religioſa *Pœnitentium* Congregatio emerſit. Vide Chronica S. Franciſci Parte I. lib. 9. & ejuſdem tertii Ordinis Deſeoſorium inter Opera S. Joannis de Capiſtrano. De hoc Ordine Pœnitentium dicto ita Pagius mox laudatus ibi in Nicolao IV. num. XXIII. „ Cum „ tertius Ordo, inquit, Pœnitentium a S. „ Franciſco inſtitutus mirum in modum hoc „ tempore floreret, compluresque Patricii „ viri, ac Principes eum habitum induerent, „ Nicolaus Pontifex Regulam iiſdem Pœnitentibus traditam a S. Franciſco quibuſdam „ pro temporis, & perſonarum conditione „ additis Apoſtolico confirmavit diplomate „ eodem anno 1289. quod communiter circumfertur, & habetur in Regeſto Vaticano Epiſtola 405. data 15. Kal. Septembris. „ Regulam hanc publici juris fecit, & aſceticis commentariis illuſtravit Lucas Wadingus inter cætera S. Franciſci Opuſcula, & „ Dionyſius Carthuſianus vir doctus, & pius „ eam dignam judicavit, cui ſuas adderet „ lucubrationes: Hucuſque Pagius.

Et tertius Pœnitentium S. Franciſci.

Neve alios hujuſmodi Pœnitentium Ordines Regulares referam, qui apud eos de Regularium Ordinum inſtitutione, ac fundatione agentes, veluti Azorium Inſtit. Mor. Tom. 1. lib. 12. Menenium, Rotarium Theol. Reg. Tom. 1. Bonannum, alioſque peti poſſunt, his accenſendas adjungam illas omnes pias, ac religioſas Societates, ſeu Confraternitates Clericorum ſimul, & Laicorum, qui peculiari quodam habitu, ſeu pœnitentiæ ſacco uniformi induti, fune præcincti lumbis, nudis pedibus incedentes, certiſque orationum, ac pœnitentiarum legibus adſtricti propriam habentes Eccleſiam, ſeu ſacram Orationis ædem, ad quam ſtatis diebus, temporibuſque convenientes, in eadem dicto vili ſacco induti divina perſolvunt Officia; ſicque etiam in publicis ſupplicationibus bini, & bini procedentes conſpiciuntur, in ſuis item domibus vitam frugalem agentes, laici quidem in ſeculo ſunt, ſed religioſe quoad mores, habitumque viventes, ut ſupra dictum eſt.

His accenſendæ piæ ſæcularium Confraternitates Pœnitentium dictæ.

Harum Congregationum Pœnitentium plures videre eſt ferme in ſingulis Europæ Catholicorum Urbibus, Oppidis, viciſque inſignibus. Et quidem harum Confraternitatum Diſciplinatorum, ſeu Diſciplinantium plerumque dictarum Inſtitutiones, & Regulæ extant in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis Parte 5. Præ cæteris ex ſpecialibus pœnitentiæ actibus ad omnium ædificationem inſignes ſunt Romæ Archiconfraternitas dicta ſub invocatione Sacrorum Stigmatum S. Franciſci, ibi omnibus notiſſima, ac nuperrime in Eccleſia S. Theodori Martiris a B. Hyacintha Mareſcotti Viterbii primum, deinde in Alma Urbe fundata Societas Confratrum Pœnitentium, qui viliſſimo, ac craſſiori amicti induſio ad talos uſque, vultu eodem cooperto, diſcalceati, nudis ſuper terram pedibus, & offendiculo expoſitis, rudenti ad renes cincti, defuncti hominis cranium in manibus geſtantes procedunt, vere exactiſſimam publice quidem, ſed voluntarie pœnitentium imaginem juxta antiquam Eccleſiæ praxim præſeferentes. Sunt & aliæ alibi, in præcipuis maxime Italiæ Urbibus piæ hujuſmodi Chriſtifidelium publice Pœnitentium Societates, vario quidem habitu, ac ſub diverſis invocationibus nuncupatæ, ſed fere conſimili diſciplinæ pœnitentialis inſtitutione fundatæ, quarum notitiam apud eos, qui de illis peculiares libros, aut tractatus ſcripſere amicus Lector ioveniet, cum id nobis indicare non vacet.

Inter quas Romæ præcipuæ Archiconfraternitas Sac. Stigmatum S. Franciſci, & S. Theodori M.

Pro pleniori denique hujus Pœnitentialis diſciplinæ diſquiſitione poſt laborioſa opera, ſive exercitia pœnitentiæ, quæ deſcripſimus, cum inde pluries ex ſupradictis diverſis Conciliorum Canonibus conſtet ſtatutum quod *Pœnitentes tonſo capite, & religioſo habitu utentes jejuniis, & obſecrationibus vitæ tempus impendant*: ſupereſt ut quæ fuerint iſtæ obſecrationes, & quomodo ad reconciliationem dicti Pœnitentes admitterentur, indicemus. Orationes itaque, ſeu preces, quibus interim illi pœnitentiæ tempore incumbebant, inter cæteras præcipuas fuiſſe Pſalmos Davidicos, & ex his ſeptem Pœnitentiales, quos recitarent qui legere ſciverint, ex pluribus conjicio; Cum enim Spiritus Sanctus, (ut inquit Card. noſter de Div. Pſalm. cap. 14. §. 2. num. 2.) arguens mundum de peccato ſponſæ ſuæ Eccleſiæ inſpiraverit ut præter aliarum orationum penſum, Pſalmos etiam Pœnitentiales, quos David pœnitentiæ Præſul, (ſic eum vocat S. Laurentius Novarienſis Epiſc. hom. 1.) compoſuit, certis diebus pro venia delictorum impetranda recitaret, uſumque hujuſmodi ſeptenarii Pſalmorum numeri vetuſtiſſimum eſſe ex eo colligatur, quod de Sancto Doctorum Principe Auguſtino narrat Poſſidius in ejus vita; nam cum Hippone a Wandalis obſeſſa morti proximus decumberet, hos tamquam ab omni jam antiquitate ſuſceptos in tabella deſcribi, ſibique ob oculos in pariete affigi juſſit, ut aſſidua eorum lectione magis magiſque ſe ad finalem pœnitentiam promerendam diſponeret cumque crebra fiat eorum mentio in antiquis libris Pœnitentialibus, & præcipue Romano; ipſi denique etiam veteres Canones ex illorum ſortaſſe myſterio, ac numero ſeptennem pœnitentiam pro gravioribus culpis imponere conſueverint, abſque dubio non erit a veritate alienum, ſi eoſdem Pſalmos a Pœnitentibus pro eorum precibus toto pœnitentiæ tempore recitatos fuiſſe dixerimus.

Quæ denique fuerint Pœnitentium preces, & obſecrationes. Ex his præcipuæ Pſalmi Pœnitentiales.

Quo vero ad dictorum Pœnitentium reconciliationem, modum ejuſdem ex pleriſque antiquis Ordinibus Pœnitentialibus refert Edmundus Martene de Antiquis Eccl. Rit. Tom. 2. lib. 1. cap. 6. art. 7. p. 43. præcipue Ord. 2. & 10. nongentorum circ. annorum; Sic itaque ibi deſcribitur „ qualiter ſuſcipere debeant Pœnitentes Epiſcopi, vel Presbyteri. *Quotieſcumque*,

Quomodo dicti Pœnitentes ad reconciliationem admittebantur.

„ *tiesſumque*, inquit, *Chriſtiani ad Pœniten-*
„ *tiam accedunt, jejunia damus, & nos com-*
„ *municare cum eis debemus jejuniis unam, aut*
„ *duas ſeptimanas, aut quantum poſſumus, ut*
„ *non dicatur nobis quod Judæorum Sacerdoti-*
„ *bus dictum eſt a Domino Salvatore*: Væ vo-
„ bis Legiſperiti qui aggravatis homines, & imponitis ſuper humeros eorum onera gravia: ipſi autem uno digito veſtro non tangitis farcinas ipſas. *Nemo autem poteſt ſublevare cadentem ſub pondere, niſi inclina-verit ſe, ut porrigat manum*; Neque ullus medicorum vulnera infirmantium poteſt curare, niſi factoribus particeps fuerit; Ita quoque nullus Sacerdotum, vel Pontifex peccatorum vulnera curare poteſt, aut animabus peccata auferre, niſi præſtante ſollicitudine, & oratione lacrymarum. Neceſſe eſt ergo nobis &c. Plura in hunc ſenſum ibi proferuntur, quibus plane conſtat quantum erga Pœnitentes Deo reconciliandos ſollicitus eſſe debeat Sacerdos, & in ipſos mitis, benignus, & miſericors, ut eos facile ad priſtinam gratiam reducat, quæ etiam apud Jo. Morinum de Pœnit. & alios videri poſſunt.

Præparatio & animæ præ nitentis ad Deum adſpiratio.

Atque hic fuſe de Pœnitentiali Diſciplina veteri & nova, ſed numquam de pœnitentia ſatis locutus huic capiti, atque in idem Animadverſionibus, notiſque colophonem imponens ſiſto, & ad Te, Domine unica ſpes pœnitentium & ſalus, levans oculos meos, unde veniat auxilium mihi, in ſpiritu humiliatis, & in animo contrito Divinam majeſtatem tuam deprecor, ut pœnitens cor tribuens, tandem ad veram pœnitentiam me miſerum peccatorem perducere, ejuſque dignos fructus facere, reddere tibi vota mea, quæ in Monaſtica profeſſione dixerunt labia mea, quæque in his, aliiſque deliqui, condonare, & veniam indulgere digneris benigniſſime, ac miſericordiſſime Jeſu Chriſte Fili Dei Unigenite. *Inclina tibi, Deus* (utar verbis dilecti tui Melliſtui Eccleſiæ Sponſæ tuæ Doctoris, & parentis mei Bernardi Abbatis Clarævallenſis Serm. 20. in Cantica, quem digne ſequi, ac denique imitari per te valeam) *inclina modicum id, quod me dignatus es eſſe, atque de mea miſera vita ſuſcipe, obſecro, reſiduum annorum meorum: pro his vero, quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum, & humiliatum, Deus, non deſpicies. Dies mei ſicut umbra declinaverunt, & præterierunt ſine fructu; impoſſibile eſt ut revocem: placeat ut recogitem tibi eos in amaritudine animæ meæ.* Interim ut aliquem pœnitentiæ fructum facere incipiam, quæcumque errata, quæcumque fortaſſe non juxta fidem, ac mores (quod Deus avertat) hactenus ſcripta, quæcumque minus ſcite, aut imprudenter excurſa, Sacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ, cui Deus collatis clavibus Regni Cœleſtis ſupremum in terris ligandi, atque ſolvendi Pontificium dedit, corrigenda, emendanda, atque etiam expungenda lubens corde magno, & animo volenti, uti filium decet obſequentiſſimum, humillime ad Petri Sedem denuo provolutus exhibeo, offero, ac ſubjicio. Atque immortali, & inviſibili ejuſdem Eccleſiæ Sponſo Opt. Max. Jeſu Chriſto Domino noſtro, qui cum Patre, & Sancto Spiritu vivit, ac regnat Deus benedictus in ſecula ſit ſempiterna laus honor, virtus, & gloria. Amen.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

AP-

APPENDICES, ET SUPPLEMENTA

SIVE

COLLECTANEA ARGUMENTORUM, AC PROBATIONUM, VEL OPUSCULORUM ALIQUOT

Ex nonnullis ſelectis Authoribus deprompta

QUIBUS

Quæcumque hactenus dicta ſunt ad quædam Capita tum in Textu, tum in Notis

Roborantur, illuſtrantur, & vindicantur.

PRÆFATIO.

SOLENT plerique doctiſſimi Viri, ac noſtri temporis illuſtriores Eruditi eorum, de quibus fuſe in Operibus ſuis diſſerunt, vel particularium aliquot rerum, quæ a paucis agitatæ, vel maxime antiquæ, aut penitus obſoletæ, ſive etiam non omnibus admodum notæ ſunt, veterum de illis prolixa teſtimonia, ſi quæ extant, & præ manibus habent, in dictorum ſuorum confirmationem adferre, aut ſaltem iis de argumentis celebrium Scriptorum lucubrationes integras, quæ raræ ſint, operibus ſuis adjicere, ut ſic eadem ex aliena item luce comprobari, & uberiori tum doctrinæ, tum authoritatis fundamento muniri, ac locupletari conſpiciantur. In id conſilii, cæteros pertranſiens, domeſticos (ita dicam) ex Bibliotheca Vaticana mihi in exemplum aſſumo, Henricum ſcilicet Cardinalem Noriſium S. R. E. Bibliothecarium, quem præclarum Familiæ, & Scholæ Auguſtinianæ decus, atque ornamentum, Theologum abſolutiſſimum, Criticum, Hiſtoricum ſui ſeculi primum, omnique diſciplinarum genere cumulatiſſime inſtructum nuncupat Clar. Graveſonus Hiſt. Eccl. Tom. 8. Colloquio 5., qui ſummus Vir Epochas ſuas Syro-Macedonum in Syriæ nummis expoſitas cum Faſtis Conſularibus Anonymi Diſſertatione illuſtratis evulgavit, atque inter alios inſuper Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtodes, ſeu Præfectos Leonem Allatium, Lucam Holſtenium, cujus Diſſertationes duas jam editas de Miniſtro, & forma Sacramenti Confirmationis apud Græcos Petrus Moretus Congr. Oratorii Domini Jeſu nuper in edit. Operum poſthumorum conſodalis ſui Joannis Morini Viri Clariſſimi, denuo publici juris fecit anno 1703., & ejuſdem ſecundæ de hac ipſa ſacra re Diſſertationi, ut amplius illuſtraretur, adjecit. Mitto reliquos ibidem, & alibi præſtantiſſimos Scriptores

tores, qui ſtudioſis ſuis exercitationibus, & aliorum ſelectas nonnullas ad illarum majus ornamentum, & confirmationem attexere non dedignati ſunt.

Horum itaque motus exemplo, nemo mihi vitio vertet, ſi pro opportuno hujus Tomi ſupplemento, ac veluti decora Appendice ad nonnulla Liturgici iſtius Operis capita inſignium aliquot Scriptorum, veluti ad Cap. V. ubi de prima Miſſa ab Apoſtolis celebrata, quo apparatu, veſtibus, ac lingua Clar. P. Honorati a S. Maria Carmelitæ diſcalceati, inter noſtri temporis criticos magni ſubſellii viri Diſſertationes hac de eadem re editas in ipſius animadverſionibus ad Reg. & uſum critices ex Tomo 2. & 3. depromptas, ſeu earum fragmenta, atque excerpta, necnon ad duo poſtrema XVI. & XVII. de Cathecumenorum, & Pœnitentium Claſſibus, eorumque diſciplina, duo item opuſcula jam pariter excuſa, quorum primum, etſi authoris Cardinali noſtro cogniti; cum tamen editum multo tempore poſt ejus deceſſum fuerit, ipſe videre non potuit, & ſecundum fortaſſe non vidit, quandoquidem ipſius nuſquam meminit: quæque etiam non omnibus obvia, ac nonnullis forte haud admodum nota, neque enim omnia (*inquit*) *S. Auguſtinus de Trinitate lib. 1. cap. 3.* quæ ab omnibus conſcribuntur in omnium manus veniunt. *Duorum, inquam, illuſtrium virorum laudati Emin. Bonæ cognominum, ſcilicet Joannis Morini mox dicti librum de Cathecumenorum expiatione, & Joannis Gropperi pariter S. R. E. Cardinalis Praxim pœnitentialem Eccleſiæ primitivæ compendioſe deſcriptam ex ejus Tractatu de Diſciplina Eccleſiæ Catholicæ deſumptam, denuo in lucem producere, atque hic ad calcem inmittere propoſitum fuit, quibus etiam adjungitur Edmundus Martene, ut infra dicetur, ut veluti multiplici coronide adauctus, tamquam honorifico circunſtipatus cultu, & quaſi rotis quatuor ductus, non ſecus ac triumphali curru glorioſe utcumque Tomus iſte procederet, ſicque tantorum teſtium authoritate prædicta Capita, ac noſtræ ad ipſa qualeſcumque Commentationes, & notæ ſolidiori firmitate roborarentur, quemadmodum nos hortatur Melliſluus Pater Claravallenſis Abbas Bernardus Epiſt. 77. ad Hugonem de Sancto Victore ſcribens:* ibi unuſquiſque in ſenſu ſuo ſecurus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ authoritati, quod ſentitur, non obviat*: In id etiam nos vehementer impulit ipſe noſter Purpuratus Author, qui circa dicta Cathecumenorum, & Pœnitentium claſſes, eorumque veterem diſciplinam exprimendam, paucis de more ſe expediens nonnulla de iiſdem intacta reliquit, quæ alias a prædictis clariſſimis Viris, Morino præcipue obſervata, notatu digna viſa ſunt.*

Hinc ne quidquam, quantum in nobis eſt, hujus venerabilis antiquitatis memoriæ magis, magiſque illuſtranda deeſſet, atque ut ii, qui priſcos mores præſentis temporis conſuetudine metientes (ut inquit idem Card. noſter cap. 18.) omnem veterem diſciplinam ad hujus ævi praxim expendunt, ideam ſaltem, & imaginem aliquam veteris hujuſmodi conſuetudinis, abundantius haberent, eapropter magnum operæ pretium, ac pene neceſſarium duximus, hac etiam ratione duo iſta illuſtria additamenta proferre. Quin, & ad pleniorem horum primi decorationem mens erat tertium inſuper ſubdere vetuſtius monumentum; cum enim Liturgicus Scriptor hoc Capite XVI. §. 2. Symboli competentibus Cathecumenis traditionem, addita præfatione paranetica, & ſubjuncta appendice in ejuſdem Symboli commendationem memoret, atque expreſſe Morinus libro iſto de Cathecumenoram expiatione cap. 10. circa finem pag. 79. hæc habeat de peculiari more Eccleſiæ Romanæ circa Symbolum a Cathecumenis redditum. „ Competenti, inquit, baptiſmati admovendo præter Fidei Symbolum „ quod ubique gentium, ut jam demonſtratum eſt, recitari ſolebat, amplior „ Fidei profeſſio præſcriptis verbis conceptæ tradebatur ediſcenda, memori- „ terque e loco editiore in omnium Fidelium conſpectu pronuncianda: „ & poſt

nonnulla

nonnulla in hujus conſuetudinis probationem allata ex Rufino, præcipue autem ex Auguſtino lib. 8. Confeſſ. cap. 2. num. 5. ubi Victorini, cujuſdam celeberrimi Romæ Rethoris, ac Philoſophi converſionem, & ab ipſo publice recitatam Fidei profeſſionem narrat, quæ certis, *inquit*, verbis conceptis, retentiſque memoriter de loco eminentiore in conſpectu Populi Fidelis Romæ reddi ſolebat ab eis, qui acceſſuri ſunt ad gratiam tuam: *ſcilicet Baptiſmi; Quod autem memoriter, non ex ſcripto, dictum Symbolum a Competentibus recitaretur, idem expreſſius affirmat Auguſtinus de Symbolo ad Cathecum. Oper. Tom. 6. pag. 548. eoſdem Competentes alloquens*: Symbolum, *ait*, nemo ſcribit, ut legi poſſit, ſed ad recenſendum, ne forte deleat oblivio, quod tradidit diligentia, ſit vobis codex veſtra memoria. *Item ſerm. 7. in Tradit. Symb.* Nec ut eadem verba Symboli teneatis, ullo modo debetis ſcribere, ſed memoria ſemper tenere, atque recolere .... nec in tabulis, vel in aliqua materia, ſed in corde ſcribitur. *Quod & confirmat Hyeronimus Epiſt. 61. apud Card. noſtrum loco citato. Subdit deinde* „ *Morinus: In plebejorum hominum profeſſione fidei, ſimplici Symboli recitatione in omnium conſpectu edita contentam fuiſſe Eccleſiam; in profeſ-* „ *ſione vero hominum doctorum, qualis erat Victorinus, aut alias inſignium,* „ *præter Symbolum, explicationem, & Myſteriorum preſſiorem verbis certis* „ *profeſſionem conceptam præſcripſiſſe.*

Unam itaque ex iſtiuſmodi profeſſionibus Fidei vetuſtiſſimam, quam antehac ineditam nuper an. 1732. ex Codice manuſcripto Capituli Veronenſis publica luce donatam, fuſiſque notis eruditiſſimis illuſtratam evulgavit Clar. Joſeph Blanchinus, nunc Congregationis Oratorii Romæ Presbyter, hic adjungere, ut diximus, propoſitum erat; quia vero nimium fortaſſe excreſceret Tomus iſte, ideo eamdem alibi deſcribendam reſervamus. Interim obſervandum occurrit Symbolum Competentibus traditum, ut primum memoriæ mandatum poſtea publice recitaretur, non aliud, quam Apoſtolicum fuiſſe; ſic enim habet titulus in Codice: Enarratio in Symbolum Apoſtolorum &c. *& Ordo Romanus in Præfatione Symboli hujus recitationi præmiſſa ante adminiſtrationem Baptiſmi Cathecumenis conferendi;* Audite ſuſcipientes, *ait*, Evangelici Symboli Sacramentum a Domino inſpiratum, ab Apoſtolis inſtitutum, cujus pauca quidem verba ſunt, ſed magna myſteria: *Et quidem in Eccleſia Romana*: mos inibi (*inquit Rufinus Aquilejenſis*) ſervatur antiquus, eos qui gratiam Baptiſmi ſuſcepturi ſunt, publice, ideſt Fidelium populo audiente, Symbolum reddere: *Idem confirmat Vigilius Tapſenſis lib. 4. contra Eutychetem*: Romæ, & antequam Nicæna Synodus conveniret a temporibus Apoſtolorum uſque ad nunc, & ſub Beatæ memoriæ Cæleſtino ..... ita Fidelibus Symbolum traditur: *hoc autem Apoſtolicum fuiſſe teſtatur Ambroſius lib. 1. Epiſt. olim 7. nunc 18. ad Siricium;* Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſervat; *ac proinde Romanum dictum eſt; hinc Card. noſter lib. 2. cap. 8. ſecurus affirmat, quod trecentis & amplius annis ſolo Apoſtolico Symbolo uſa eſt Eccleſia; hoc tamen loci cap. 16. tam ipſe, quam Morinus, quale Symbolum, an Apoſtolicum, aut aliud ſimile Competentibus traditum fuerit, ſilent; Quod autem iſtud fuerit, & vere ab Apoſtolis conditum, Inculenter oſtendunt Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. I. Diſſert. 12. & Ceillierius infra citandus contra Calvinum, Chamierum, Voſſium, alioſque Sectarios, qui illud Apoſtolicum eſſe negant, atque Eraſmum, ejuſque catapodem, ſautoremque Dupinium, & alios hujus intemperantioris ſcholæ hypercriticos Scriptores, qui an ab Apoſtolis idem proditum ſit, aperte dubitant. Verum iſtorum temerariam dicacitatem præ cæteris retundunt anti-*

quiſſimi Veterum Irenæus lib. 1. adverſus hær. cap. 2. & 10.: Eccleſia enim, *inquit*, per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & a Diſcipulis eorum accepit eam Fidem, quæ eſt in unum Deum Patrem Omnipotentem &c. *Tertullianus pleriſque locis, & primo lib. de præſcript. Hæret. cap. 31.* Supereſt ergo, ut demonſtremus an hæc noſtra doctrina, cujus regulam ſupra edidimus, de Apoſtolorum traditione recenſeatur, & *cap. 37.* in ea regula, *ait*, incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo tradidit. *Nomine autem regulæ Symbolum iſtud, de quo agimus, intelligi debere conſtat tum ex eo, quod nullum aliud tunc primis tribus, ut diximus, ſeculis Symbolum erat, præter Apoſtolicum, tum ex iis, quæ idem Tertullianus initio libri de velandis Virginibus ait:* Regula Fidei una omnino eſt, ſola, immobilis, & irreformabilis, credendi ſcilicet in unicum Deum Omnipotentem Mundi conditorem, & Filium ejus Jeſum Chriſtum, natum ex Virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertia die reſuſcitatum a mortuis, receptum in Cœlis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos, & mortuos per carnis etiam reſurrectionem.

Vides hic expreſſum, ſummatim licet, ac quibusdam articulis prætermiſſis (qui tamen implicite in aliis includuntur, & infra etiam eorum exprimuntur nonnulli) Symbolum Apoſtolorum. Item libro adverſus Praxeam idem paullo fuſius recitat. Unum, *inquit*, Deum credimus, ſub hac tamen diſpenſatione, quam œconomiam dicimus, ut unici Dei ſit, & Filius ſermo ipſius, qui ex ipſo proceſſerit, per quem omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Hunc miſſum a Patre in Virginem, & ex ea natum hominem, & Deum, filium hominis, & Filium Dei, cognominatum Jeſum Chriſtum. Hunc paſſum, hunc mortuum, ac ſepultum ſecundum Scripturas, & reſuſcitatum a Patre, & in Cœlos reſumptum, ſedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos, & mortuos; Qui exinde miſerit ſecundum promiſſionem ſuam a Patre Spiritum Sanctum Paracletum, ſanctificatorem Fidei eorum, qui credunt in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. *Demum lib. de Præſcript. hæret. cap. 13. extenſius idem Symbolum per ſumma capita recenſitum proponitur:* Regula, *inquit*, eſt autem Fidei, ut jam hinc quid defendamus profiteamur, illa ſcilicet, qua creditur unum omnino Deum eſſe, nec alium præter Mundi conditorem, qui univerſa de nihilo produxerit, per Verbum ſuum primo omnium demiſſum: Id Verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei varie viſum a Patriarchis, in Prophetis ſemper auditum, poſtremo delatum ex Spiritu Dei, & virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum egiſſe Jeſum Chriſtum: Exinde prædicaſſe novam legem, & novam promiſſionem Regni Cœlorum, virtutes feciſſe, fixum Cruci, tertia die reſurrexiſſe; in cœlos ereptum, ſediſſe ad dexteram Patris, miſiſſe vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat: venturum cum claritate, ad ſumendos Sanctos in vitæ æternæ, & promiſſorum cœleſtium fructum, & ad profanos adjudicandos igni perpetuo facta utriuſque partis reſuſcitatione cum carnis reſtitutione.

Nec aliquem moveat Tertullianum (qui ſolus ex omnibus Scriptoribus ante Conſtantinum magnum diſtincte Fidei articulos in Symbolo Apoſtolico contentos per ſumma tantum capita recenſens ſuis libris inſerere auſus eſt) in eodem Symbolo recitando, non obſtante tunc ſervanda Arcani diſciplina variaſſe, & nonnullos ipſius articulos prætermiſiſſe; His enim libris Tertullianus jam in Montani hæreſim lapſus Symbolum integrum, prout Competentibus tradebatur, & ab ipſis reddebatur, non ſibi ſumit repræſentandum, atque exponendum;

nendum; ſed paucis omiſſis, præcipua duntaxat ejuſdem Symboli capita refert, quibus tunc in Africa vigentes errores, ſcilicet Praxeæ Patripaſſianorum ducis, Valentinianorum, Marcionitarum, & Apellitarum confodiebantur, quos ipſe, Montaniſta licet, averſabatur; præterea in articulis expreſſis & alios paucos prætermiſſos comprehendi non difficile dignoſcitur; nam in confeſſione Spiritus Sancti, quem Filius miſit, ut vicariam vim, quæ credentes agat, & ut Sanctificatorem Fidei eorum, qui credunt *involvi implicite articulum de Eccleſia, quæ credentium congregatio eſt, quiſque conjicit; item communionem Sanctorum, qui Spiritu Sancto adunantur, & moventur, remiſſionem denique peccatorum, quæ ſanctificationis præcipua pars eſt, contineri non obſcure dignoſcitur. Deſcenſum vero Chriſti Domini ad inferos edicere videntur illa verba* mortuum, ac ſepultum ſecundum Scripturas; *Nam, ut inquit Natalis Alexander loco ſupra indicato „ Sicut Corpus Chriſti Do- „ mini deſcendit ad ſuum locum, nempe terram, quæ eſt locus corporum, ita „ & anima ad locum animarum deſcendit, videlicet ad eam inferorum partem „ in qua captivæ tunc detinebantur Sanctorum animæ, ut eas inde educeret, „ atque ita captivam ducens captivitatem triumphator in Cœlum aſcenderet. Quam interpretationem fortaſſe deſumpſit Alexander ex Epiphanio, qui in Expoſitione Fidei edita a Cardinali Thomaſio Tom. 3. Inſtit. Theolog. pag.* 463. *Divinam Chriſti naturam animam ejus ſuiſſe comitatam, ſuaque virtute ejus dolores ſolviſſe affirmat, & paullo infra poſt mortem, & ſepulturam ſubdit:* Sanctiſſima ejus anima ad inferos deſcendit, indidem captivatas animas eripuit, ſtimulum mortis infregit &c. *Hinc patet reſponſio ad nonnullos malignantis ingenii homines, ſcepticos potius, quam Chriſtianos, qui vel de iis, quæ ad Fidei articulos proxime accedere videntur, diſputare audentes, id Symbolum ab Apoſtolis conditum eſſe negant, aut dubitant; videndus præ cæteris ex recentioribus Clar. D. Remigius Ceillierius Monachus Ord. S. Benedicti Congr. SS. Vanni, & Hydulphi Tom. 1. Hiſt. Gen. Sac. & Eccl. Authorum lib. 3. cap. 3. pag. 513. & ſeqq. ubi contra prædictos nimium audaces criticos, Dupinium præcipue, idem Symbolum ſtrenue, & invicte Apoſtolis, uti vere ipſius conditoribus vindicat. Satis huc uſque de laudato Apoſtolorum Symbolo Catechumenis competentibus tradito, cujus varias Patrum expoſitiones jam ſupra indicavimus ad dictum cap.* 16. §. 2. *nota* 3.

Supereſt ut te monitum dicam, benigne Lector, in hac ſecunda laudati Moriniani Opuſculi editione græcam Græcorum Patrum verſionem, quæ extat in Pariſienſi, prætermiſſam fuiſſe, latina tantum ſervata, tum quia illa non univerſis, ac ſingulis, quemadmodum & mihi, ingenue fateor, haud ſatis ad ſufficientiam nota, etſi non penitus ignorata, tum etiam quod in omnibus, ac per omnia Liturgicum Magiſtrum Eminentiſſimum imitari & ſequi mens animuſque fuit, qui undequaque ſpectabilis Scriptor in iſto, aliiſque operibus ſuis Græcos pariter Patres, quos affert, latine dumtaxat loquentes adducit. An id æqui, bonique conſultum, & ad præſens ſeculi genium, videat, ac judicet, ſin minus, veniam indulgeat benevolus cenſor. Utcumque factum ſit, an bene aut male, his interim monumentis, qualia tibi exhibentur, fruere, humaniſſime Lector, quem inſuper monitum velim pauca nonnulla, quæ ſuperflua aut aliena hac in parte viſa ſunt, omiſſa item, & expuncta fuiſſe, ne longiori forſan tædio te afficerem, nimiumque etiam, ac plus juſto Tomus excreſceret. Studium denique meum erga te qualecumque lubens excipe, dum ut commodis, ſtudiiſque tuis magis, ac magis conferrem, vetera ſimul, & nova producens priſcis ſuperioris ætatis Clariſſimis Scriptoribus Joanni Groppero, & Morino antiquis alios duos recentiores quidem, ſed iis eruditionis fama non longe diſſimiles, haud omnium fortaſſe manibus

facile obvios addere cenſui dictos, ſcilicet Honoratum a S. Maria, & Edmundum Martene Monachum Ord. S. Benedicti Congr. S. Mauri in Gallia, & quæ poſterior iſte de eodem duplici argumento veteris Eccleſiaſticæ praxis erga Catechumenos, & Pœnitentes perdocte ſcripſit Tom. 1. & 2. de antiquis Eccleſiæ Ritibus tibi præſertim legenda refero. Quare & hunc celebrem Liturgiographum Authorem gratanter ſuſcipe Catecheticæ, ac Pœnitentialis antiquæ Diſciplinæ, ſtudioſiſſime Candidate, ut ex his omnibus, pœnitentiæ clavis infixus amplius diſcas amare, & exequi quod Deo per baptiſmum promiſiſti, ac quæ poſtea in ipſum deliquiſti, corpus per pœnitentiam affligens, odiſſe, & perſequi. Sic itaque in æternum vale, meque benigne tuum, Lector, defende clientem.

A D

AD CAPUT V.

Quo tempore, & quo loco prima Miſſa celebrata ſit &c.

EX DISSERTATIONE III.

R. P. HONORATI A S. MARIA

Carmelitæ Diſcalceati Provinc. Aquit.

Animadv. in Reg. & uſum Critices.

Tom. III. Lib. V.

QUm Jeſus Chriſtus poſtremam Cœnam fecit, atque in illa ſumma veneratione dignum Altaris Sacramentum inſtituit; tum Apoſtolis ſuis facultatem contulit conſecrandi, eoſque Presbyteros inauguravit; addito præcepto, ut id facerent in ſui commemorationem. Apoſtoli Jeſu Chriſti juſſa non neglexerunt, ut pluribus in locis adnotarunt S. Lucas in actis, & S. Paulus in Epiſtolis. Non tamen compertum eſt, utrum Apoſtoli cœperint facultatem a Chriſto traditam exercere ſtatim ab inſtitutione Euchariſtiæ, vel poſt Reſurrectionem, an vero Spiritus Sancti adventum expectaverint.

Act. cap. 2. 42. 46. Item 20. v. 6. 7 11. 1. ad Cor. cap. 11. v. 24. & 23.

1. ad Cor. cap. 11. 24.

ARTICULUS PRIMUS.

Apoſtoli Myſterio Sancto non celebrarunt, antequam in die Pentecoſtes Spiritus Sanctus ſuper illos deſcenderet.

QUamquam Apoſtoli collata ſibi conſecrandi facultate uti ſtatim potuiſſent, non tamen certum eſt, quo primum tempore officium Sacerdotum novæ legis cœperint exercere. Communis ſententia fert, eos ſacra non feciſſe ab Inſtitutione Sacramenti Euchariſtici adusque Salvatoris Reſurrectionem; cum etenim poſt mortem Præceptoris ſui amantiſſimi, & jacturam ſupremi Paſtoris, inſtar ovium diſperſarum, ingenti triſtitia, atque acerrimo dolore affecti fuerint (uti hiſce ipſis verbis pridem Card. noſter) non eſt ſimile vero, eos ſacra tum Myſteria celebraſſe. Poſtquam autem Chriſtus a mortuis ſurrexit, inquiunt nonnulli Theologi, Sacrificium incruentum. Apoſtoli Deo obtulerunt; ſed multo probabilius eſt eos id non feciſſe, niſi poſt adventum Spiritus Sancti.

Tametſi vero hæc de re in ſacris litteris nullum indicium ſit, & Patres ſuper ea mentem ſuam fere non explicaverint; nos tamen manent tot Antiquitatis teſtimonia, ut hanc traditionem ſtatuamus. S. Joannes Chryſoſtomus in hæc verba loquitur. Decimo ab hinc die natura noſtra in Cœlum evecta eſt, atque hodie ad nos mittitur Spiritus Sanctus, ut conſtet quid apud Patrem pro nobis ſecerit Chriſtus. *Cum enim uniti ſunt, & reconciliati inter ſe inimici, poſt reconciliationem ſequuntur invitationes, convivia, & munera.*

S. Joann. Chryſ. ſerm. 36.

Sanctus igitur iſte Doctor conjungit adventum Spiritus Sancti cum myſtico convivio, ut nos doceat Apoſtolos non paraſſe ſacras Epulas, antequam ſuper illos deſcendiſſet Spiritus Sanctus, per quem Deo reconciliandi erant. Idem Pater addit ſub finem ſermonis, Adventum Spiritus Sancti cognitum fuiſſe ex *myſtico Sacrificio*, quod Apoſtoli eo die celebrarunt primo, poſtquam Spiritus Sanctus eorum corda accendit, ut ad auguſtum Sacramentum ſuſcipiendum diſponerentur.

Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus pulcherrimam ſubjicit animadverſionem in ea verba, quæ diſcipulis ſuis protulit Chriſtus Dominus: *Hoc facite in meam commemorationem. Non ſane, ait, id facere juſſiſſet, niſi vim induturus fuiſſet, ut id facere liceret. Et quæ eſt poteſtas? Spiritus Sancti virtus ex alto, quæ Apoſtolos armavit.* Quibus verbis videtur S. Germanus innuere, in die Pentecoſtes Apoſtolos virtutem cœleſtem receſſiſſe, per quam cognoverunt quomodo ſacra myſteria celebranda eſſent.

Germ const. Theoria rerum Eccleſ.

Heſychius: *Tunc*, inquit, *Sacrificium ſuum Chriſtus immoleſcere capit, ex quo ſpiritus adveniens Parthos, & Medos, Elamitas, & omnium gentium primitias ad Apoſtolorum cœnaculi ſuperiora collegit.*

Heſych. l. 2. in Levit. 9.

Ven. Beda fermonem habens de die Pentecoſtes hæc habet: *Novum in ea Sacrificium Domino ipſi quoque Apoſtoli, non accepto dono ſpiritus, obtulerunt ..... & hos fonte Baptiſmatis renatos, ac Spiritus Sancti gratia ſanctificatos, vivas utique novi Teſtamenti primitias ad communionem Dominici Altaris obtulerunt.*

Beda Hom. de Pentec. & in cap. 2. Act. Apoſt.

Alius autem Scriptor ſatis diſerte ſuper hac re aperit mentem ſuam. Poſtquam Apoſtoli ex deſcenſu Spiritus Sancti renovati ſunt, & divinæ charitatis vino inebriati: *Ex eo ſane credimus, hunc Calicem in Eccleſia conſecratum.* Urbanus IV., & Clemens V. Feriam quintam

Paſchaſ. Ratherius lib de Corp. & Sang. Dom. c. 22.

quintam poſt Feſtum Pentecoſtes deſignarunt, qua inſtitutionis Euchariſtiæ memoria celebraretur, quod pariter Concilium Viennenſe Decreto ſuo confirmavit. Divus Thomas in Clem. unic. de Relig. & vener. Sanct. Offic. SS. Sacramenti iccirco, ait, Eccleſiam ſe legiſſe tempus illud, ut ſolemnitatem iſtam recoleret: *quia in eodem tempore cæpit hoc Sacramentum a Fidelibus frequentari.*

Quibus verbis indicavit S. Thomas ante Pentecoſten Diſcipulos Jeſu Chriſti, alioſque Fideles, qui perſeverabant orantes in cœnaculo poſt Salvatoris Reſurrectionem uſque ad Adventum Spiritus Sancti, nondum cœleſti Pane enutritos fuiſſe, & Pentecoſtes tantum die hac felicitate gaviſos, quod fieri non poterat, quin ſacrum peragerent. Atqui non fit credibile, neminem e Chriſtianis Sacramenti hujus participem fuiſſe, ſi modo ante illud tempus Apoſtoli rem divinam confecraſſent. Quapropter ſi Fideles, ex animadverſione D. Thomæ Euchariſtiam frequentare Pentecoſtes tempore cœperunt, neceſſe eſt Apoſtolos quoque per id tempus cœpiſſe uti facultate ſibi a Chriſto Domino collata, tamquam Sacerdotibus novæ legis. Act. 1. 14.

Ipſe etiam Divus Lucas videtur ſignificare voluiſſe, primam Euchariſtiæ communionem ante Pentecoſten peractam minime fuiſſe. Primo namque capite Actorum Apoſtolorum memorat Evangeliſta, *perſeveraſſe omnes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jeſu, & Fratribus ejus.* Capite vero Act. 2. v. 42. ſecundo eorundem Actorum eamdem ferme ſententiam inculcat: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quo in loco animadverte, priora verba referri ad Chriſtianos congregatos in Cœnaculo ante Pentecoſten; poſteriora autem intelligenda de iis, quæ contigerunt poſt deſcenſum Spiritus Sancti, & tum non dicit Lucas tantum, Apoſtolos cæteroſque perſeveraſſe orantes; ſed perſeveraſſe *in communicatione fractionis panis, & oratiombus.* Atque adeo fortaſſe S. Lucas monere voluit his verbis *in communicatione fractionis panis*, poſt Pentecoſten fideles non perſeveraſſe tantummodo in orationibus, ut antea, ſed panem quoque ſanctum fregiſſe, nimirum poſt rem divinam celebratam ſacrorum Myſteriorum participes fuiſſe. Quod ejus rei adjunctum animadverſione dignum eſt, cum illud ante Pentecoſten Lucas non memoret.

Tandem ſi fides Theologis habenda eſt, lex vetus non ceſſavit, niſi Pentecoſtes die, quia nova lex hac tantum die promulgata eſt. Non decebat itaque, conficere Sacrificium legis Evangelicæ, donec Sacerdotium ſecundum Aaron traduceretur ad Miniſtros Pontificis magni ſecundum ordinem Melchiſedech, ſcilicet Jeſu Chriſti. Quidquid autem adverſus hanc traditionem objiciunt, probat quidem, Apoſtolis fuiſſe ante adventum Spiritus Sancti poteſtatem confecrandi, eaque uti potuiſſe, ſed ex eo non poſſumus colligere illos hanc poteſtatem revera adhibuiſſe. Bona Rer. Litur. l. 1. cap. 5. §. 1. Theoph. Rain. lib. de prima Miſſ. ſect. 1. c. 2.

ARTICULUS II.

De Liturgiis, quibus uſi ſunt Apoſtoli in primi Sacri celebratione cum ante, tum poſtquam diviſi ſunt; & de iis, quæ adhibitæ ſunt ad quartum uſque ſeculum.

QUotquot de Rebus Liturgicis opus aliquod in vulgus ediderunt * ii omnes in hoc conveniunt, Sacrificium Miſſæ primis temporibus celebrari conſueviſſe paucis ritibus, ſummaque ſimplicitate. Faullatim vero addita ipſi ſunt precationes, & cæremoniæ, ut auguſto huic Sacrificio majorem populorum exiſtimationem compararent. Denique Eccleſiæ in ordinem redegerunt, & ſcripto tradiderunt rationem Miſſæ celebrandæ; quod vocant Liturgiam. Intereſt igitur in præſenti cognoſcere, quænam ſint hæ Liturgiæ, quæ obtinuerunt tribus, aut quatuor primis ævis.

§. I.

In ortu primo Religionis Chriſtianæ Liturgia nihil aliud præter Orationem Dominicalem, & Verba Divina compleſtebatur.

A Sancto Gregorio Magno didicimus: Morem Apoſtolorum fuiſſe, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis Hoſtiam confecrarent: Dominus, ait Honoratus Auguſtodunenſis in hæc Gregorii verba, *inſtituit Miſſam, cum panem & vinum in Corpus, & Sanguinem ſuum tranſmutavit, juſſitque Apoſtolis, ut id in memoriam ſui facerent. Hanc Apoſtoli auxerunt, dum ſuper panem, & vinum verba, quæ Dominus dicit, & Orationem Dominicam dixerunt.* Walfridus Strabo addit: Greg. lib. 7. epiſt 63. ad Joan. Syrac. Honor. Auguſt. in Gemma animæ c. 86. Valf. Strab. de Rebus Eccl. l. 1. c. 2.

Et relatio majorum eſt, ita primis temporibus Miſſas fieri ſolitas.

Ex hiſtorum igitur Scriptorum teſtimonio certum eſt, Apoſtolos ſacrum primum in die Pentecoſtes confecientes, nihil addidiſſe verbis, a Chriſto in confecratione prolatis, præter Orationem Dominicam. Immo veriſimillimum eſt, nullam aliam ab exordio Eccleſiæ Liturgiam fuiſſe, vel ſaltem uſque ad Apoſtolorum ſeparationem. Cave autem ne ſecundum litteram accipias illud *ſolummodo*, quod

* Vvalfridus Strabo *de rebus Eccl.* c. 22. Honoratus Auguſtodun. *Gemma animæ* l. 1. c. 86. S. Remigius Antiſſiodorenſis *de celebr. Miſſæ* l. 1. Durandus Andevidenſis, Paulus Tungrenſis, Rupertus, Caſſander, Polidorus Virgilius, aliique, qui de Eccleſiæ ritibus, & cæremoniis diſſeruerunt.

quod eſt in loco S. Gregorii Magni, aliorumque Scriptorum a nobis laudatorum.; neque tibi perſuadeas, in cœtibus fidelium, in quibus ſacra Myſteria celebrabantur, nihil aliud præſtitum fuiſſe, quam Orationem Dominicam recitare; Panem, & Vinum conſecrare, atque aditantibus præbere. Conſtat namque, Apoſtolos non oblitos fuiſſe verborum; quæ Chriſtus uſurpavit, neque aliorum: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Verum quidem eſt, Miſſæ Sacrificium tum conſtitutum fuiſſe dumtaxat his duobus: ſed ante, & poſt confectionem hujus auguſti Myſterii, Pſalmi, Hymni, & Cantica ſacra ad Dei gloriam canebantur. Hoc eſt Chryſoſtomi cogitatum in rem hanc. *Cum ſacras illas cænas accipiebant Apoſtoli, quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur, & Hymnos? Nonne in ſanctas Vigilias? Nonne in longam illam doctrinam, & multæ Philoſophiæ plenam?*

Chryſ. hom. 27. in Ep. 1. ad Corinth.

S. Proclus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus eadem ferme habet: *Fuſiſſime*, air de Apoſtolis loquens, *longoque verborum ambitu Miſſam decantabant ..... quo circa & contrito Spiritu multas preces decantabant, impenſe divinum implorantes Numen.* Quod ſi Miſſa componebatur ſolum Oratione Dominica, & verbis conſecrationis, quis affirmare potuit Sanctus hic Pater Apoſtolos ſacrum peragentes, verba multa recitaſſe, precariones prolixas, atque impenſe numen Divinum imploraſſe? Ut inquam nos doceret, Apoſtolos præter Orationem Dominicam, & verba Divina, addidiſſe precationes multas, aliaſque ſanctas exercitationes, quæ aliquando longiores erant, aliquando pro remporum, atque opportunitatis ratione breviores.

Proc. conſt. lib. de Trad. Div. Liturg.

§. II.

Sanctus Paulus primum nobis Liturgiæ Sacræ ſpeciem propoſuit.

EGo equidem ſum neſcius, an æquiſſima conjectura eſſet, aſſerere, primos Chriſtianos nulla alia Liturgia uſos præter illam, quæ ſacro Pentecoſtes die adhibita fuit, donec Apoſtoli in omnem terram diſtributi ſunt. Id ſane colligere commode poſſumus ex Epiphanii verbis, ubi ait: *Petrus, & Andreas, Jacobus, Joannes, & Matthias in complementum duodecim electus, hi omnes electi ſunt Apoſtoli, per Orbem ſacram Evangelii functionem adminiſtrantes una cum Paulo, & Barnaba, ac reliquis Myſteriorum inſtitutoribus.* Quibus poſtremis verbis, *ac reliquis Myſteriorum inſtitutoribus*, S. Epiphanius exprimere intelligit celebrationem ſancti Sacrificii Miſſæ, quod Apoſtoli, atque Epiſcopi primi inſtituerunt, videlicet ejus ritus digeſſerunt, & cæremonias auxerunt.

Epiph. Hæreſ. 79. 1. ad Timoth. c. 20. 1. & 2.

Quamquam vero Doctor Sanctus non recenſeat ſingillatim, quid quiſque Apoſtolus addiderit formulæ, quam ſectata eſt Eccleſia primitiva, locus tamen præſumendi eſt, omnia, quæ in Liturgiam ſacram invecta ſunt, redigi ad quatuor res poſſe, comprehenſas in verbis Pauli Apoſtoli in Epiſtola prima ad Timotheum: *Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Quæ Apoſtoli verba haberi poſſunt inſtar primæ Liturgiæ, qua uſi ſint Apoſtoli, & ſectatores ad inirium uſque alterius ſeculi, quæque continent quidquid ſpectat ad auguſti Altaris Sacrificii naturam.

Paulinus certe percontatus Auguſtinum quid ſibi vellent hæc Pauli verba, ab eo reſponſum tulit, commodiorem *obſecrationum, orationum, poſtulationum, gratiarum actionum* interpretationem eſſe, quæ illas refert ad conſuetudinem Eccleſiæ in ſanctis Myſteriis: *Eligo in his verbis intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Eccleſia; ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici: Orationes, cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur; quam totam petitionem fere omnis Eccleſia Dominica Oratione concludit ... Interpellationes autem, ſive ut veſtri Codices habent, poſtulationes, ſunt, cum populus benedicitur. Tunc etenim Antiſtites, velut advocati, ſuſceptos ſuos per manuum impoſitionem miſericordiſſimæ offerunt poteſtati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.*

Auguſt. Ep 59 ad Paulinum qu. 5. vel Ep. 149 num. 15. 16. Proſper l. 1. de vocat. Gentium. c. 47.

Per ſe liquet, Auguſtinum in his Pauli verbis inſpicere Liturgiæ ritum, *quem omnis, vel pene omnis frequentat Eccleſia*, quandoquidem præferunt quatuor res pertinentes ad naturam cujuſque Liturgiæ, quas Apoſtoli inſtituerunt in Eccleſiis ab ipſis erectis, vel in morem ſeculorum inſequentium venerunt. Neque etenim ulla eſt, quæ non afferat precationes ante conſecrationem, alias pro conſecratione, alias ad benedicendum populum, & poſtremo loco gratiarum actiones. Quare ſi Liturgia, quam Apoſtolus veluti adumbravit in his verbis, prima eſt omnium editarum; & aliquanto latior ea, qua initio ipſo Apoſtoli uſi ſunt, cum addat multa illa haud relata, affirmare quoque commode poſſumus, eam eſſe normam omnium Liturgiarum hactenus emiſſarum, vel in Eccleſia adhibitarum. Quidquid etenim in ſe ſe continent, concluditur randem quatuor hiſce exercitationibus, quas memorat Paulus, atque Auguſtinus magis nominatim explicavit.

Vide Card. lib 1. c 9. nota 4. in fine.

Tametſi Divus Paulus primus, atque unus Apoſtolorum ſit, qui ſcripto tradiderit primam Liturgiæ ſacræ ſpeciem, quæque revera complectitur ex Auguſtino quatuor præcipuas Miſſæ partes, quæ religioſe in unaquaque Liturgia, deinceps prodita in Eccleſia, ſervatæ ſunt, nihilominus conſtans ſeculorum omnium rraditio nos docet, Sanctos Petrum, & Jacobum, ore ſaltem tenus, atque exemplo normam dediſſe Liturgiarum omnium, quæ ab Eccleſiis græca, & latina uſurpatæ ſuerunt. Quo intellecto S. Petrus habendus eſt, tanquam primus inſtitutor Sanctæ Miſſæ Romanæ, & S. Jacobus

Vide Card. cap. 7. §. 5. nota 2. pag. 115.

cobus Hieroſolymitanæ, quæ deinde propagatæ ſunt, prior in omnibus Occidentis, altera in Orientis Eccleſiis. Antequam rei hujus argumenta proferam, quædam §. inſequenti animadvertenda ſunt.

§. III.

Animadverſiones ad cognoſcendam originem Liturgiarum omnium, quæ ab Apoſtolicis temporibus in Orientis, atque Occidentis Eccleſiis obtinuerunt.

SUper hac re ego libentius quidem aliorum placita audirem, quam meum proferrem; idque eo magis, quo nullum Authoris ejuſdem temporis teſtimonium habemus, quo veluti Duce, viam inire poſſimus, vel lucem haurire ſuper obſcuriſſimo facto iſto, licet duorum, vel trium ſeculorum ſpatio verſatum ſit in conſpectu totius Eccleſiæ Orientis atque Occidentis. Res itaque deducta eſt ad ſolas conjecturas; quæ tamen videbuntur eſſe alicujus momenti ad factum iſtud veruſtiſſimum extricandum; quoniam eas roboro inſequentibus animadverſionibus, quas nemo unus, niſi fallor, in controverſiam vocare poterit.

1. Illud ſtatim pro certo pono, ab Apoſtolorum ætate ad noſtra tempora nunquam deſitum in Eccleſia fuiſſe, Sacra Myſteria celebrari, ubicumque Chriſtiana Religio radices egerat: niſi ſi forſaſſe alicubi, & aliquando propter gravitatem infectationis.

2. Quandoquidem Liturgia Sacra ſaltem a ſecundo ſeculo redundabat quamplurimis precationibus, orationibus, obſecrationibus, gratiarum actionibus, Epiſtola, Evangelio, aliiſque multis Miſſæ partibus, e Sacris literis depromtis; nemo ſibi perſuadere poterit, rem divinam celebratam fuiſſe ſine Liturgiis conſcriptis in uſum Miniſtrorum, atque Officii publici exemplar. Item neceſſariæ erant ad ſervandam æquabilitatem in ſanctis iſtis Conventibus, atque removendos malos uſus, qui nullo negotio irrepſiſſent, ſi Sacerdotum, vel Adſtantium pietati liberum fuiſſet tempus in iis inſumendum: cum quidam longius æquo Sacrum protraxiſſent, alii brevius, quam par erat, abſolviſſent. Denique neceſſitatem habebat Liturgiam deſcribere, ut univerſa Eccleſia ritus eoſdem, quod attinet ſaltem ad eorum naturam, ſervaret.

3. Ex omnibus Libris Eccleſiaſticis, tributis trium priorum ſeculorum authoribus, qui in divinis Myſteriis celebrandis uſum habere potuiſſent, ætatem evaſerunt dumtaxat Liturgiæ Sanctorum Petri, Matthæi, Marci, Barnabæ, duodecim Apoſtolorum, queis addere potes illas, quæ circumferuntur nominibus Sancti Jacobi, Sancti Clementis, vel Authoris Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Sancti Dionyſii Areopagitæ, quæque reperitur capite tertio de Hierarchia Eccleſiaſtica, ipſi adjudicata.

4. Conſtans res eſt, & Sapientum omnium judicio confirmata, Liturgias Sanctorum Petri, Matthæi, Marci, Barnabæ, & duodecim Apoſtolorum certo ipſis ſuppoſitas fuiſſe, nullam in Eccleſia Catholica authoritatem habuiſſe, neque ab ullo uſurpatas fuiſſe, præterquam a Schiſmaticis, vel Hæreticis.

5. Quamquam Sapientes multi conatus omnes ſuos eo contulerint, ut probarent, Libros, qui extant nomine S. Dionyſii Areopagitæ, confectos fuiſſe a diſcipulo S. Pauli, cui erat hoc nomen, ejuſque opera legitima eſſe: nihilo tamen minus, cum animus non ſit id facti hoc loco examinare, atque aliorum interſit, principia jacere omnibus probata, do libens, & concedo, Scriptorem hunc non vixiſſe ante quartum ſeculum; atque adeo jactatam ejus Liturgiam non potuiſſe tribus prioribus ævis adhiberi.

6. Inter viros doctiſſimos receptum eſſe debet, ſive Liturgiam Jacobi huic Apoſtolo adjudicent, vel ab eo abjudicent, eam tamen in more fuiſſe primorum ſeculorum, quamvis ei identidem non pauca adjuncta ſint. Convenit pariter inter omnes poſt S. Epiphanium, S. Clementem Authorem non eſſe Conſtitutionum Apoſtolicarum; has ab ignoto ſcriptore fuiſſe exaratas, atque incertum eſſe tempus, quo confectæ fuerunt; licet multa utiliſſima, atque excellentiſſima complectantur. *Qui Liber tametſi dubiæ fidei ſit, non eſt tamen improbandus. Nam in eo, quæ ad Eccleſiæ diſciplinam attinent, omnia comprehenduntur, neque quidquam, aut in Fide, ac Catholica profeſſione depravatum, aut Eccleſiæ adminiſtrationi ac Decretis contrarium continent.* Hæc Epiphanius. Et vero omnia in illis concinunt egregiæ quatuor primorum ſeculorum Eccleſiaſticæ diſciplinæ; ut Aubeſpinus non dubitet affirmare, Librum hunc fuiſſe olim Eccleſiæ inſtar Ritualis, Pontificalis, & Codicis, & collectionem eſſe variorum morum, qui paullatim in Eccleſia invaluerunt, atque a Clemente, qui illos ab Apoſtolis audierat, ſcripto traditi ſunt.

Epiphan hæreſ. 70. num. 10.

Aubeſp Obſerv. l. 1. c. 3.

Conſtitutiones illas, inquit Morinus, *quæ vulgo Clementis nomine feruntur, cenſeo diſciplinam eſſe Eccleſiaſticam, qua Orientalis Eccleſia ante Conſtantinum primum ſub Ethnicis Imperatoribus regebatur. Primus eas in ordinem ex ore, mandatiſque Apoſtolorum exceptas redegit, & edidit Clemens; deinde ſucceſſu temporis a Synodis Orientis aullæ, primi Authoris nomen conſtanter retinuerunt.*

Morinus de Sacris Ordinat. p. 2. in Præf.

Quibus poſitis animadverſionibus, dicendum eſt, ſi Sacrificium Miſſæ ab Eccleſiæ primordiis ſine intermiſſione celebratum fuit; ſi numerus ingens precationum, & cæremoniarum ipſi diverſis temporibus additarum, poſtulabat Liturgiam literis conſignatam eſſe; ſi quæ tribuuntur Sanctis Petro, Matthæo, Marco, & Barnabæ, duodecimque Apoſtolis, ignotæ ſunt, atque authoritate carent: conſequens neceſſario eſſe, inter omnes Liturgias, quæ ferun-tur conſcriptæ primis ævis, atque ad noſtram notitiam traductæ ſunt, eas tantummodo, quæ le-

leguntur nomine S. Jacobi, & S. Clementis, potuiſſe uſum habere temporibus Apoſtolicis ad quartum ſeculum uſque, atque exiſtimari poſſe fontes primos cæterarum cum Eccleſiæ Græcæ, tum etiam Latinæ. Conſecutio hæc habenda eſt, tamquam certa, ſi animadverſiones hactenus conſtitutæ ab æqua ratione non abhorrent.

Poſt argumentum hoc veluti generale, efficiamus pariter ſingillatim, Eccleſiam Græcam non habuiſſe aliam Liturgiam, niſi S. Jacobi, a qua partæ ſunt cæteræ ab Orientalibus adhibitæ; necnon Liturgiam, quæ Clementis nomine inſignitur, invaluiſſe ab ævis primis in Eccleſia Romana, cui Pontifices plura addiderunt, atque adeo ad omnes Occidentis Eccleſias propagata eſt, vel fortaſſe ab utraque Liturgia iſta univerſas alias utriuſque Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ deſcendiſſe.

Quod ſi additiones, & mutationes in eas, inductæ duas haſce Liturgias flocci faciendas eſſe declarant, ſique priſtinæ vetuſtatis rationem pene omnem amiſerunt; illud tamen ſemper verum erit, ſummam harum Liturgiarum naturam veluti conſtituere cæterarum, quæ uſitatæ fuerunt in univerſo Oriente, atque Occidente.

EX EJUSDEM TOM. II. LIB. IV.

DISSERTATIO VI.

De uſu ſanctarum Veſtium, in myſteriorum divinorum adminiſtratione.

ARTICULUS PRIMUS.

In contrarias opiniones diſtracti Authores ſunt de origine Veſtimentorum ſacrorum in Sancti Miſſæ Sacrificii celebratione.

ANIMADVERSIONES PRO HAC CONTROVERSIA DIRIMENDA.

Baron. ad art. 34. n. 39.

CUM Joannes dicit, Salvatorem a Cœna ſurrexiſſe, & veſtimenta ſua depoſuiſſe, exiſtimavit Baronius, Veſtimentorum iſtorum nomine intelligendum eſſe ſolemnem habitum, quo Patres familias, vel Domini domus veſtiebantur, dum Paſchalem Agnum manducabant. Hic erat ſine manicis & quatuor angulis conſtabat, ſub quibus fimbriæ hyacinthinæ, quas præceperat Dominus Num. 15. Præter habitum Paterſamilias magnifica zona cinctus erat, præclare calceatus, inſigni faſcia frontem redimitus, atque alio quodam ornamento, lævo brachio ſuſpenſo inſignitus. Jeſus Chriſtus, inquiunt, depoſuit hæc omnia Domini ſigna, cum ſervi officium ſubire voluit. Ex quo Jeſu Chriſti exemplo Authores non pauci conſtituerunt uſum ornatuum ſacrorum in Miſſæ celebratione.

Genеb. Chron. anno mundi 4114. Amelot. notatione in c. 13. S. Joan. Gall.

Quamquam Cardinalis Bona fateatur, Servatorem noſtrum non immutaſſe veſtes, cum Euchariſtiam inſtituit, perſuaſum tamen habet, Scriptoribus aliis multis annuentibus, Apoſtolos, homineſque Apoſtolicos in ſacris myſteriis uſos fuiſſe veſtibus ſanctis, & peculiaribus. Thomaſſino item placet, Jeſum Chriſtum haud inſtituiſſe Euchariſtiam ſingulari quadam veſte amictum, & *conſtat*, inquit, *in hoc Chriſtum ſecutos Apoſtolos, quamdiu ſaltem Sacra Menſa communi ſuit conjuncta.*

Bona Rerum Liturg. l. 1. c. 5. Valeſius Demochares, Baron. Stapletonius, Duſaulai & Thomaſſ. vetus & nova diſcipl. Tom. I. p. 1. l. 2. c. 45.

Simonvillius contra propugnat, ſententias haſce omnes ratione carere; Walafridumque Strabonem laudat, quod docuerit in primitiva Eccleſia Miſſam celebrari conſueviſſe in Veſte communi, non ea quidem de cauſſa, quam affert Joſephus Vicecomes: nimirum, quia rum remporis Eccleſia non poterat ſumtus facere in veſtibus pretioſis, atque his Ri-

Simonvillius in interpr. Lemmi Matthiensis in præf. Honorii in Gemma Animæ c. 89. Vicecom. Obſerv. Eccl. Tom. 4. l. 2.

tibus accommodatis; ſed quia primi Chriſtiani, quorum plerique Judæi fuerant, in Conventibus ſuis Myſteria recolebant eadem veſte, qua in Synagogis verſati fuerant: Hæc ratio, quam citra probationem ullam attulit Simonvillius, nihili pene facienda eſt; & quamvis id, quod intendit, colligere ex ea poſſet, defeciſſet prorſus gentibus ad Jeſu Chriſti Fidem converſis. Nicolaus vero Alemannius non modo affirmavit, Apoſtolos haud adhibuiſſe veſtes ſacras; ſed quidquid de his Scriptores ferunt, ridendum ipſi videtur eſſe & fabuloſum.

Nicolaus Alemann. Diſſert. de Parietinis Lateran. c. 9.

Ex mente pariter Boucquillotii, & nonnullorum aliorum, Apoſtoli, eiſque proximi Diſcipuli, induti ſunt in Sacris Myſteriis veſte communi, quæ tum in Imperio Romano paſſim gerebatur. Qui mos per illum pluſquam ſexcentis annis perſeveravit; etſi Sancti Hieronymi ætate inciperent ad Altare deferre veſtimenta ornatiora, & fortaſſe pretioſiora, iis, quæ in reliquo vitæ cultu induebant non tamen forma diſtincta. Jactata Conſtantini donatio, ſecundum Pelleterii doctrinam, monumentum primum eſt, quod extet de uſu ornamentorum Pontificalium. Ut autem controverſiam hanc decidamus, ſunt quædam in anteceſſum animadvertenda.

Bocquillot. Tract. Hiſt. de Liturg. c. 7. Gall. Hugo victor. l. 2. de Offic. Eccl. c. 21.

Primum ſit, quinque aut ſex prioribus ſeculis Epiſcopos, cæteroſque Eccleſiaſticos homines non habuiſſe peculiaria veſtimenta; ut demum ab Ethnicis non diſtinguerentur habitu, ſed modeſtia, virtutis exercitatione, & morum caſtitate, ut legere eſt in Epiſtola, quam dedit Cœleſtinus Pontifex anno 428. ad Epiſcopos Viennenſem, & Narbonnenſem *. Quod nobis oſtendit, nullum fuiſſe Eccleſiaſticorum

Animadverſio prima, pro controverſia decidenda: *Pelleterius Diſſ. de Error. Pictor. Gall. Monumenta Trevolt. Sept. 1705. pag. 163.*

* *Diſcernendi a Plebe, vel cæteris ſumus Doctrina, non veſte, mentis puritate, non cultu.* Cœleſti. Epiſt. ad Epiſcopos Viennæ, & Narb.

ſticorum a laicis hominibus diſcrimen tonſura capitis, aut veſte corporis. In Concilio IV. Carthaginenſi decretum fuit, ut Clerici modeſtiam habitu præferant *; videlicet ne viri in ſortem Domini vocati diſcriminentur a laicis colore, pretio, aut forma veſtium, ſed ſingulari, & inaffectata moderatione. Julianus Pomerius, S. Hieronymus, aliique ſcriptores Eccleſiaſtici eadem ſenſerunt.

Julianus Pomær. de Vita contempl. l. 2. c. 4. Hieron. in Mich. c. 3. in Epiſt. ad Euſtoch. & in Epitaph. Nepotiani.

Excipias tamen ab hac regula eos, quos e Monaſteriis ad Epiſcopatum aſſumebant, plerumque etenim inſtituti ſui veſtes ſervabant, quæ ſine ulla dubitatione a vulgi indumentis diſſimillimæ erant; ut facile eſt oſtendere exemplis S. Martini, S. Germani Epiſcopi Antiſſiodorenſis, S. Faufti, S. Fulgentii, aliorumque multorum.

Animadverſio ſecunda. Apud Thom. ubi ſupra. Tomo 1. p. 1. l. 2. c. 43.

Clerici a cæteris ſecreti veſte non ſunt, niſi ad ſecuium ſextum, vel ſeptimum, in quibus Concilia ſanxerunt, ut deferrent Tonſuram, & habitus peculiares; quod apparet in Canonibus V. & XX. Concilii Agathenſis; in Canone V. Concilii I. Matiſconenſis; in Narbonenſi, celebrato anno 589. aliiſque non paucis.

Animadverſio tertia.

Tertiæ animadverſionis loco ſit, non extare memoriam apud Hiſtoricos, neque probari ullo poſſe teſtimonio perſpicuo Conciliorum, aut Patrum, veſtimenta, quæ nos vocamus Sacerdotalia, quæque ſepoſita erant pro Altaris miniſterio, alio nomine appellata fuiſſe, vel forma conſuta ab iis, quibus reliqui homines in Romana ditione induebantur. Talaris veſtis erat omnibus uſitata. Tunica, ſive Alba, cum linea, tum lanea paſſim uſurpabatur. Caſula, tum *Planeta* nuncupata, Dalmatica, Stola, & cætera veſtimenta, Sacris Miniſteriis nunc addicta, olim tum ad laicos, tum etiam ad Clericos ſpectabant.

Exeunte igitur dumtaxat ſeculo VI., vel ineunte VII. cœptum eſt diſcrimen aliquod admittere in veſtibus, Sanctis Miſteriis adhibitis, aliiſque uſu communi probatis. Quibus paullatim alia forma aptata fuit, ut Miniſtris Altaris eſſent accommodatiores, & aptius muneribus ſuis fungi poſſent: deinde additum aurum, argentum, gemmæ; uno verbo nihil præterium, quo magnificæ, & præclaræ redderentur.

Uſus vetuſtum ſacrarum a ſeculis primis.

His animadverſis, perſuaſum nobis eſt, Apoſtolos, eorumque ſucceſſores, ſex priorum Eccleſiæ ſeculorum ſpatio, non obtuliſſe Sanctum Miſſæ Sacrificium iiſdem veſtibus, quibus reliquo tempore amicti erant, & quamvis ſingulares eſſent, & diverſæ, iiſdem tamen vocatas eſſe nominibus, eadem fuiſſe forma, qua cæteræ vulgares veſtes &c.

* *Clericos profeſſionem ſuam, & in habitu, & in incęſſu probet; & nec veſtibus, nec calceamentis decorem quæ-* | *rat.* Conc. Carth. IV. Can. 45.

ARTICULUS II.

Apoſtoli ad Altare detulerunt Veſtes alias ab iis, quibus uſu communi induebantur.

S. Joannes Laminam auream in fronte geſtabat.

TRaditio hæc optime innititur Scriptorum Eccleſiaſticorum authoritati. Euſebius ad nos protulit fragmentum Epiſtolæ, a Polycrate Epheſino Epiſcopo ad Papam Victorem miſſæ, in qua ſcribit, S. Joannem, tali honore dignatum, ut ſupra pectus Domini recubuerit, eumdemque Sacerdotem, geſtare ſolitum in fronte laminam auream *. Idemque perhibet S. Hieronymus, atque edifferit Myſteria, hac dignitatis nota comprehenſa.

Hieronym. de Scrip. Eccl.

S. Jacobus aliam huic ſimilem deferebat.

Epiphanius ex teſtimonio Clementis Alexandrini, Euſebii, aliorumque ingenua fide, ſcriptorum, rem eamdem affirmat de S. Jacobo Epiſcopo Hieroſolymitano, Fratre Domini nuncupato **. Adeoque uterque Apoſtolus iſte laminam auream in fronte gerebat, tamquam ſignum Sacerdotii, & Regni Spiritalis Jeſu Chriſti, quæ Apoſtolis, atque Eccleſiæ ſuæ commendavit. Hæc autem teſtimonia eo ſunt probabiliora, quo Polycrates, & Clemens Alexandrinus ſub finem ſecundi, initiumque tertii ſeculi floruerunt; & quæ narrant, ab iis ipſis, qui Apoſtolos iſtos conſpexerant, haurire potuerunt.

Satis igitur ſimile vero fit, Apoſtolos perſpectam habentes Sacerdotii Jeſu Chriſti præſtantiam; cognoſcentesque, cautum fuiſſe veteris legis Sacerdotibus, ne ad Altare accederent ſine veſtibus peculiaribus, conſuetudinem inſtituiſſe veſtimentorum Sacerdotalium, ut Myſteria noſtra Majeſtate ampliori celebrarentur, & majorem a fidelibus venerationem compararent. Sunt porro, qui credunt, Epiſcopos a primis ſeculis redimitos fuiſſe, utriuſque hujus Apoſtoli exemplo, corona quadam, ſive mitra. Tameſi etenim mitræ nomen, pervagatum ſit apud Authores priſcos, cum Sacros, tum Profanos; ſumaturque pro quodam capitis tegumento, quod varium pro ætate fuit, hominibus, & fœminis commune, Regibuſque ipſis Orientis ſimul cum Diademate *** uſitatum: interim tamen extra controverſiam eſt, Mitras Eccleſiaſticas nihil planè habere ſimilitudinis cum iis, quarum veteſti Scriptores meminerunt. Immo nos quoque latet, quanam ratione Epiſcopi, & Presbyteri tegerent capita in Eccleſiis ante decimum ſeculum, a quo deinceps de Mitra loquuntur, tamquam de Eccleſiaſtico ornamento

Vide ſupra Caſd. cap. 5. §. 2. & not. 2.

An Epiſcopi mitram gererent primis Eccleſiæ ſeculis.

Thomaſſ. ubi ſupra pag. 1. lib. 2. cap. 45. Sautſi. lib. Panoplia. Epiſc.

* *Supra pectus Domini reculbuit, & Pontifex ejus fuit, auream laminam in fronte portans.* Euſeb. l. 3. Hiſtor. cap. 31.

** *Sed & Braſſiam eidem in capite geſtare licuiſſe, Euſebius, Clemens, & alii idonei Scriptores Commentariis ſuis teſtatum reliquerunt.* Epiph. Hær. 29. & 78. Hieron. de Scrip. & in Ep. ad Gal. 2.

*** Xenophon de Cyro loquens, ait: *Cyrus habuit Diadema circa Thiaram*, lib. 8. Quintus Curtius apertius rem explicat, ſcribens de Mitra Darii: *Cydarim Perſæ Regum capitis vocabant inſigne: Hoc cærulea faſcia alba diſtincta circumdat.* Lib. 3.

mento. Sacramentaria certe Gelaſii, & Sancti Gregorii, Ordo Romanus & antiquæ Liturgiæ nihil de illis referunt, neque ullum extat earum veſtigium apud Scriptores Eccleſiaſticos, qui de Ritibus differuerunt ante decimum ſeculum, quo tantummodo elapſo de illis mentio fieri cœpit. Præſumendum itaque eſt, Mitram Sancti Jacobi, & Sancti Johannis nihil prætuliſſe commune cum Thiara, & Cydari, Mitra, vel capitis ornamento, quod impoſterum Epiſcopi geſtarunt, ſed veroſimillimum eſt, eam non parum imitatam fuiſſe imaginem illius, quam ſummus Judæorum Pontifex deferebat, hancque fuiſſe genus quoddam pilei, in cujus extremitate conſuta erat faſcia, ſive diadema candidum, cæruleo evanido virgulatum, quod frontem claudebat, & nodis adſtringebatur retro caput, ut pileum firmaret, atque media hac faſcia ſuſpenſum fuiſſe laminam auream, duos circiter digitos latam, quæ tribus teniis devincita e fronte pendebat, duabus quidem utroque extremo poſitis, tertia in medio ſita, quæ ſupra caput protenſa, deſinebat retro, & cum aliis duabus ibidem occurrentibus vinciebatur, itaut aream laminam ſuſtineret, & pileum in capite ſtabiliret. Num autem Mitra ab Apoſtolis delata hujuſmodi eſſet, vel alterius, minimum intereſt conſilii noſtri. Id unum ſatis eſt, antiquos auctores Eccleſiaſticos nobis tradidiſſe SS. Apoſtolos Joannem, & Jacobum (quod ſane aliis quoque commune fuit) ſingularia ornamenta pro Sanctorum Myſteriorum celebratione penes ſe habuiſſe; neque enim apparet eos paſſim Thiaram laminam auream exornatam deferre voluiſſe.

Species, & forma mitræ SS. Joannis & Jacobi.

De mitra Epiſcoporum videquæ dicenſur parte 2. ſeu Tom. 2. ad lib. 1. Rer. Liturg. cap 24. §. 14 Joſephus de Bello c. 6. Hyeron. Ep. ad Fabiolam.

S Paulus ad Thimot. 2. c. 4. 13.

Sanctus Paulus ad Timotheum hæc habet: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum veniens, affer tecum, & libros, maxime autem membranas*: Vox hæc *penula*, quam plerumque interpretamur nomine Pallii, maxime ambigua eſt. Quidam accipiunt pro habitu Romano, ſive paludamento Conſulari; alii pro arcula libris plena, non pauci pro chartis convolutis. Priſci quidem Scriptores nobis aperiunt, Penulam ſignificare Pallium hyemale, vel rurale, ſive lacernam: quamvis de hujus habitus forma inter eos non conveniat. Atque hæc vulgatiſſima interpretatio hujus vocis eſt, ut conſulere poſſumus apud ſcriptores de re veſtiaria *.

Quid ſit *Penula*, de qua Divus Paulus.

De Penula vide item quæ afferentur loco indicato §. 8.

Penula ſæcer habitus erat.

Quod ſi Penula eſſet Caſula, ſive veſtis pluvialis, ut quibuſdam ſcriptoribus placitum fuit, non eſſet multi operis probare veſtimentorum ſacrorum D. Pauli tempore conſuetudinem. Non me quidem præterit, Amelotium affirmare, opinionem hanc paucos habere literatis hominibus ſectatores, & Greteſerum contendere, *Penulam* nunquam veſtibus ſacris annumeratam fuiſſe. Interea Ferrarius, qui ab hac ſententia fuerat in prima editione operis ſui Palinodiam cecinit in ſecunda. Alias, inquit, credidimus, Eruditorum auctoritate decepti, id quod *Penulam* vocant, non fuiſſe ſacram veſtem, *ſed poſtquam non una Penulæ imago in manus venit, mutare opinionem cogimur; veſtemque ſacrificantium Penulam fuiſſe fatemur.*

Notat ſuper hæc loco Pauli Gall. Gret. lib. 1. Comment in Cod. cap 16.

Ferr. de R Veſt. lib. 1. c. 36. & ſeq.

Joſephus Vicecomes, Cardinalis Bona aliique Sapientes multi animadvertunt quod Græci appellant φαινόλιον, aut φαινόλαν, idem nos *Penulam* nuncupare, vel Caſulam, vel Planetam, aut Tunicam, atque hoc plane ſenſu verbum hoc Auctores non pauci explicarunt **.

Vicecomes Tom 4. Obſ. Eccl. l. 2. c. 28 Bona Rerum Liturg c.24. §. 8.

Cæſar Bulengerus allatis in medium variis interpretationibus, veterum Græcorum, & Latinorum ad vocem *Penula* addit hanc veſtem ſacram fuiſſe latam, & rotundam, totum Sacerdotis corpus a collo ad pedes cooperientem, & propterea vocari *Planetam* a verbo πλάνω. Philotheus Patriarcha Conſtantinopolitanus nomen φαινόλιον ſumit pro caſula, quæ a Planeta non differt, demiſſam portans caſulam, demiſſum Phenolium geſtans.

Bul engerus de Veſte Pontif. Epiſc. l. 1. c. 20.

Philot. lib. 6. de Sacris Officiis quæ habetur Tom. 4. Biblioth. PP.

S. Nicephorus hujus nominis primus, qui Conſtantinopolitanam Eccleſiam rexit anno 806. ad Leonem III. Pontificem ſcribens ait, ſe quædam ipſi dono mittere, inter quæ *Tunicam candidam, & Penulam caſtaneam inconſutilem, & ſemicinctia auro variegata.*

Niceph. Ep. ad Leon. III. apud Baron. ad ann. 58. num. 69.

Legimus in vita S. Marciani, magni Eccleſiæ Byzantinæ adminiſtratoris, qui medio circiter ſeculo V. floruit, eum, pietate erga pauperem commotum, eleemoſynam ab ipſo petentem in Sacrario receſſiſſe in angulum quemdam, ut latenter unico, quo induebatur habitu ſe ſpoliaret, deinde amictum veſte ſacra nuditatem ſuam penitus occulente, hoc pacto ad Altare aſcendiſſe. Animadvertit autem hiſtoricus, *habuiſſe illum ſolam veſtem Sacerdotalem, & Penulam, quæ corpus contegebat. Illi quidem Penulam ſimiliter contrahebat, & complicabat cupiens rem latere.*

Codinus de Offic Palatii Conſtant. adnotavit Penulam eſſe Veſtem ſacram,

Apud Boll. Tom. 1. 10. Joan. in vita San Marciani c. 3.

Si vero teſtimonia hæc, quibus alia multa attexere poſſem, certe non probant, *Penulam* non fuiſſe habitum ſacrum a primis ſeculis, maximam tamen veritatis ſpeciem habet, cum D. Paulus Timotheo commendavit, ut id veſtimenti genus ſecum ferret, indicare habitum voluiſſe, quo in ſacrorum myſteriorum celebratione utebatur, quamquam eadem fortaſſe forma elaboratus eſſet, atque ille, qui apud veteres *Penula* dicebatur.

Ac ſi omnem adhibere poſſemus fidem quibuſdam, quæ narrantur hiſtoriis, haud ægre coſiceremus ab ætate Apoſtolica obtinuiſſe morem veſtium peculiarium pro Miſſarum ſolemniis. In Vita S. Hugonis V. Abbatis Cluniacenſis mentio fit cujuſdam indumenti S. Petri, Antiochia Pariſios delati, & poſiti in Eccleſia S. Genovefæ, quo idem S. Hugo coram urbe univerſa paraliticum ſanavit. ***

Hiſtoriæ de veſtium ſacrarū antiquitate.

Joannes Diaconus narrat in vita S. Gregorii

* Nonius *in Adriano*. Spartianus, Quintilianus lib. 6. c. 4. Martialis *lib.* 14 *Epigramm.* 130. Juvenalis, *Satyra* 5. Sveronius, *in Caligula c.* 52. aliique profani Scriptores. Bulengerus *de Veſte Pontif. Epiſc. l.* 1. c. 20. Albertus Rubenus *lib* 1. *de Re Veſtiaria* c. 6. Baronius *anno* 58. *num.* 67. *& alii.*

** Iſidorus Hiſpalenſis *Orig. lib.* 19. *cap.* 24. Rabanus Maurus *de Inſtitut. Cler lib.* 1. *cap.* 2. Ivo Carthuſianus *ſerm.* 3. *de Sign Indumentorum Sacerd.* aliique plures

*** Hugo Monachus Cluniac. *in Vita S Hugonis*. Surius 29 Aprilis, *pag* 355. Card. Bona, *Rer Liturg. lib.* 1. *c.* 5. *art.* 2. Tillem. *de D. Petro art.* 38.

rii, Miſſam fuiſſe ad Magnum Pontificem hunc Tunicam, ſive veſtem ſacram adhibitam a S. Joanne Evangeliſta, eandemque ſummo cultu Romæ ſervari *. P. Combefiſius poſteritati tradidit Acta S. Sylveſtri, in quibus memoratur quidam Euphroſinus Epiſcopus Pamphiliæ, qui ad Altare Tunicam ſine manicis adhibebat *καλόριον* adhibitam olim, ut dicitabat, eodem uſu a S. Jacobo, Fratre Domini. Auctores pariter recenſent alios habitus ſacros; uti ſtolam S. Jacobi, aliamque S. Stephani Protomartyris, quarum primam, inquiunt S. Theodoſium Patriarcham Hieroſolymitanum ad S. Ignatium Patriarcham Byſantinum miſiſſe; alteram vero Sanctum Macarium Epiſcopum Hieroſolymorum dono dediſſe S. Helenæ Matri Conſtantini Imperatoris.

Card. Bona ibid. c. 24. §. 6.

Itaque ſi Acta S. Sylveſtri, aliaque hiſtorica facta, a nobis producta, adeo explorata, vel authentica non ſunt, ut argumentum certum, & concluſum efficiant: tanti tamen facienda eſſe videntur, ut veroſimillimam traditionem reddant, qua dicuntur Apoſtoli, rem divinam peregiſſe ſingulari veſte, atque ab uſu communi diſtincta. *Bona ibid. c. 24. §. 8.*

* Joannes Diaconus l. 3 c. 59 Thomaſſ. de Diſcipl. Tom. 1. p. 1. l. 2. cap 45. Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 5. §. 2.

ARTICULUS III.

Argumenta hujus Traditionis petita a ſeculis III. IV. & V.

Decretum Stephani Pontificis.

Nihil reperitur, quod ſciam ſeculo tertio pro hac Traditione, præter Decretum Stephani Papæ, qui martyrio interemtus fuit an 260. Quamquam etenim veſtes ſacræ non differrent ſecundum formam a veſtibus vulgatis; nihilo ſecius cum veſtimentum aliquod adhibitum fuerat ad Altare, Sacrum continuo evadebat, & nefas erat cuilibet, illud extra Sacrorum Myſteriorum rempus geſtare. Ætate porro Stephani Pontificis cum quidam Clerici ſacros habitus veluti polluerint, eis inſtar vulgarium veſtium utentes, Pontifex hic, quo pravum hunc morem exterminaret, interdixit Sacerdotibus, & Levitis, ne veſtibus ſacris extra Eccleſiam uterentur *.

Uſus Sacerorum indumentorũ Seculo IV.

Euſebio docente comperimus, initio ſeculi IV. Epiſcopis fuiſſe veſtitus aliquos, uſu communi minime receptos. In ſermone namque, quem pronunciavit in conſecratione Eccleſiæ Tyri coram Epiſcopis multis: *Amici Dei, & Sacerdotes*, inquit, *qui ſacra Judaica talari, & cæleſti gloriæ corona decorati, & Sacerdotali S. Spiritus veſte amicti eſtis*. Porro non mihi facile perſuadeo futurum fuiſſe, ut hoc pacto Euſebius loqueretur coram tam auguſto virorum cœtu, niſi ornamenta ab ipſis delata quidpiam ſingulare præferrent, ut indicat manifeſto, cum vocat *Tunicam talarem, & veſtem Sacerdotalem*.

Euſebius l. 10. Hiſt. cap. 4.

Stola uſurpabatur in divinis Myſteriis Seculo IV.

Quamquam Scriptores, cum Eccleſiaſtici, tum profani, idemque contextus ſacer ſæpenumero de Stola loquantur, idque veſtimenti genus deferrent Reges, Summi Sacerdotes, & vulgus, præſertim vero Matronæ Romanæ: non convenit tamen, utrum Stola genus eſſet ad quoſcumque habitus ſignificandos, & quænam eſſet ejus forma, & uſus apud antiquos. Si judicium ferendum ſit ex ratione, qua eam deſcribunt Authores iſti, veſtis erat longa, ex anteriore parte aperta, totumque corpus aperiens. Habemus ex Theodoreto, Conſtantinum Imperatorem donaſſe Macarium Epiſcopum Hieroſolymorum Stolam filis aureis contexta; utque innueret, Stolam hanc veſtem eſſe Eccleſiæ miniſteriis tantummodo addictam, non tantum eam appellaſſe Stolam ſacram; ſed ideo Macario largitum fuiſſe, ut illa in Sacramento Baptiſmatis miniſtrando uterentur. Quæ Stola cum amiſſa fuiſſet, S. Cyrillo Sedem Hieroſolymitanam tenente, ejuſque adverſarii illum perinde accuſarent, ac ſi eam vendidiſſet; caſu incidit in manu Comitis cujuſdam, nomine Thymelii, qui auſus illam in theatrum deferre, repentina morte intercidit, quod nimirum ſacram veſtem violaſſet. Victor Uticenſis refert prodigium huic non abſimile cujuſdam Proculi Ariani, qui cum Altaris Lintea accepiſſet, ut ex eis induſia, & interiora ſubligacula conficeret, rabidus continuo effectus eſt, ſibique linguam præcidit.

Theodor Hiſt l. 2. cap 27

Pœna eorum, qui ſacras Veſtes polluerunt.

Victor lib. 1. de Perſec. Vandal.

Hiſtoria quoque ab Ammiano Marcellino recitata, conſtanti argumento eſt, ſeculo IV. ſacros habitus a profanis fuiſſe diverſos, Imperator ſiquidem Theodoſius, devicto Maſcizelo Tyranno, eum adegit, ut omnia ab ipſo uſurpata reſtitueret, & præ cæteris, inquit Hiſtoricus hic, repertum eſt quoddam Capitis ornamentum, ab aliquo Epiſcopo delatum, quandoquidem illud appellat *Coronam Sacerdotalem*. Nihil vero enucleatius hac de re ſupereſt nobis, quam locus S. Gregorii Nazianzeni, qui exequitur narrando ea, quæ geſta ſunt in die inunctionis ſuæ. Ait namque: *Iccirco me Pontificem ungis, ac poderæ cingis, capitique Citharim imponis*. Quæ omnia explicatum non haberent, niſi diſcrimen aliquod inter veſtes populi, & Miniſtrorum Altaris intereſſe crederemus.

Ammian. Marcel. lib. 29. Baron. ad an. 34. num. 298.

Senſa Patrũ & Conciliorum.

Inter omnes Eccleſiæ Patres ſeculi IV. nullus fortaſſe eſt, qui dilucidius, aut ſæpius meminerit de Veſtimentorum ſacrorum diſtinctione, ac S. Hieronymus, cujus tamen non referam, niſi quod ait in capite 44. Ezechielis, in quo expoſitis indumentis Sacerdotum, & Levitarum, ad Templum aſcendentium, ſubjungit: Per quæ diſcimus, non quotidianis, & quibuslibet pro uſu vitæ communis pollutis veſtibus non ingredi debere in

Item contra Pelag. lib. 1. item Epiſtol. ad Heliod.

* Hic conſtituit Sacerdotes, & Levitas veſtibus ſacratis in uſu quotidiano uti, & niſi in Eccleſia tantum, *Bar. ad ann. 260 num. 6 Thomaſſ. ubi ſupra.*

in Sancta Sanctorum; ſed munda conſcientia, & mundis veſtibus tenere Domini Sacramenta. Ne autem diutius, quam par eſt, immoror huic rei, mitto loca S. Joannis Chryſoſtomi, *Hom.* 84. *in Matth.* Sancti Gregorii Nazianzeni, S. Ambroſii, S. Auguſtini, aliorumque ejuſdem ævi Patrum; non ſecus atque verba quædam Conciliorum, quemadmodum IV. Carthaginenſis, celebrati anno 398. & Laodiceni anno 360. Neque pariter recitabo teſtimonia Scriptorum Eccleſiaſticorum e V. & VI. ſeculis, cum tot ſint, & tam perſpicua æque ac illa Conciliorum; Summorum Pontificum, aliorumque de Ritibus Eccleſiaſticis Authorum, ut nullius frugis ſit ea colligere, quæ nemo ignorare poteſt, atque in omnibus hujus argumenti Operibus paſſim reperiuntur.

Mos hic manare non potuit, præterquam ab Apoſtolis.

Quæ cum ita ſint, videtur uſus veſtium ſingularium in ſanctorum myſteriorum celebratione, quippe haud inſtitutus a Conciliis, vel Summis Pontificibus, & tamen in Eccleſia univerſa a ſeculis multis receptus; referendus neceſſario eſſe ad illud Traditionum genus, de quo Auguſtinus putat, aliunde manare non potuiſſe, niſi vel ab exemplo, vel ab inſtitutione Apoſtolorum: ut ſanctum quoque Tridentinum Concilium recognovit, quod

Conc. Trident. ſeſſ 22. cap. 5.

ait: *ut majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, Eccleſiam caremonias adhibere, ut myſticas benedictiones, lumina, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina, & Traditione.*

Quod ſi his omnibus teſtimoniis addere quoque par eſſet quaſdam congruentiæ rationes, quæ cogere Apoſtolos potuerunt, ut ſacrorum veſtimentorum uſum conſtituerent; ſufficiet tantum in vetus Teſtamentum oculos intendere. Deus namque Moyſi imperavit,

Exod. 28. 31.

ut pararet Aaroni, & filiis ejus veſtimenta ſacra, quibus miniſterium ſuum majore cum dignitate exequerentur, neve accederent ad Altare illoti, & ſacris veſtibus non induti. Quo indicare voluit Deus populo Chriſtiano,

Epiſt. 124.

inquit Ivo Carnotenſis, ſi in Sacrificiis, quibus caro tantummodo mundabatur, oportebat religioſe adeo ſanctorum veſtimentorum uſum cuſtodire, quanto magis cuſtodiendus ſit in confectratione Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti, quibus animus, & corpus expurgantur. Quis ſibi perſuadeat, in Sacrificiis veteris Legis, quæ novi fœderis myſteriorum ſpeciem unam, atque imaginem exprimebant, neceſſum fuiſſe induere ſanctos habitus, & ſingulares, antequam aſcenderent ad Altare: Apoſtolos vero, iiſque proximos, perfecte callentes vidimæ, quam offerebant, præſtantiam, non veritos fuiſſe ſiſtere ſe ante Aras cum veſtitu profano, & exteriorem hanc venerationem, religioſiſſime a Judæis præſtitam neglexiſſe?

Sacerdotes ipſi Gentilium iiſdé veſtibus non carebant. *Virg. lib.* 12. *Æneid.*

Quid, quod ipſi Gentilium Sacerdotes mendacibus Diis ſuis ſacra non faciebant, niſi ſacris, mundiſque indumentis amicti?

Paraque in veſte Sacerdos.

Qua ratione appellabant habitus adhibitos ab Immolatoribus, in die feſto myſteria ſua celebrantibus? Et veri Dei Sacerdotes aſſitabunt coram ipſo iiſdem veſtibus, in reliquo vitæ cultu uſitatis? Conſule omnes profecto Gentilitatis Nationes; nullamque reperies, quæ Idolis obtulerit Sacrificia ſine veſtitu ſolemni.

Author eſt Philoſtratus, Sacerdotes Brachmanorum caput ornare conſueviſſe Mitra gemmis intexta, atque indui veſte linea, baculumque atque annulum geſtare. Alicubi Sacerdotes mendacium Deorum veſtem purpuream, aureamque Thiaram deferebant; ſique fides Luciano eſt, hoc pacto Sacerdotes Deæ Syriæ amiciebantur. Svetonio teſte Ægypii peculiares veſtes ſuppoſitas habebant, quibus in ſacrificiis ſolum uterentur. Animadvertit Apulejus, Ethnicos Sacerdotes in more habuiſſe, linea tunica cooperiri, cujus candore magnopere fulgebant. Carmina quoque Ovidii animadverſione digna ſunt, in quibus de Deæ Iſidis Sacerdotibus verba facit:

Philoſt. in Thyan. lib. 2. & 3.

Lucianus in Dea Syria. Suetonius in Tiberio Apulejus Fabulæ Miletiæ lib. 2.

Nec tu linigeram fieri qui poſſit ab Iſim
Quæſieris . . . . .
Nunc Deo linigeræ colitur celeberrima turba,

Ovid 1. Metam.

Hæc ſane ratione Ethnici homines, a natura certe inſtituti, menteſque lumine illuſtrati, judicarunt, non aſcendendum eſſe ſibi ad Altare, quin profanos habitus exuerint; novoſque paraverunt, & peculiares, vel ipſos vulgatos confecraverunt; ut decentius, & reverentius falſis numinibus ſuis aſſiſterent. Et poſt hæc erit qui credat, Eccleſiam primitivam, ab ipſo Spiritu Divino fundatam, Fidei ſplendore illuſtratam, Deique magnitudine, & majeſtate repletam, hoc exterius obſequii ſpecimen neglexiſſe, & non dediſſe operam, ut alios a quotidianis, & vulgatis, habitus ad Altare deferret?

ARTICULUS IV.

Studium impendimus omne, ut quæ Traditioni huic adverſantur, convellamus.

Pelleterius parte ultima Animadv. in errores Pii. Cal. Monum. Trevolt. Sep. 1715. artic. 144. pagina 633.

QUamquam recitata a nobis de Lamina aurea, de Mitra, vel Vitta Epiſcopali Sanctorum Joannis, & Jacobi, multis gravium, veterumque Scriptorum teſtimoniis confirmentur; Pelleterius tamen ſe ſe ab his omnibus expedit nullo negotio: „ Narrationes, inquit, iſtæ „ non magis faciendæ ſunt, quam alia ab „ Epiphanio recitata, cum dicit in ſuo tra„ ctatu de Gemmis pectoralis, populum „ agnoviſſe Zachariam in Templo cœleſtium „ viſis dignatum, propterea quod Lamina „ aurea, in ejus fronte ſita, ſplendidius re„ fulgebat: & quam alia item ab Euſebio, „ Egeſippi fide producta, de S. Jacobo fra„ tre Domini, cui ſoli integrum erat in„ gredi in Sanctum Sanctorum. Ecce quo pacto SS. Patrum teſtimoniis ſolide reſpondent. Alicubi decepti ſunt; non magis faciendum eſt, quod alibi dixerunt? Et tamen reſponſum hoc in Criticorum libris familiare eſt: eccur itaque non erit hactenus cum dignitate recipiendum? Nunquid Joſephus, Philo, Rabbini, & Thalmudiſtæ, qui ſunt om-

omnium ferme a Pelleterio dictorum in Diſſertatione ſua ſponſores, & vades, nullum unquam ſuppoſititium attulere factum, vel adulterinum? Sive ut melius dicam, quot fabulis opera ipſorum conſerta ſunt? Licebit ne igitur ad Eruditi hujus Pictorum Critici momenta evertenda, affirmare non magis facienda eſſe facta, quæ ipſorum teſtimonio profert, quam ea, in quibus manifeſto capti ſunt?

Aliud ejuſdem Authoris objectum

Aliud quoque objicit Pelleterius adverſus veſtimentorum ſacrorum antiquitatem „ Convenit inter omnes, ait, vetuſtius, quod extet, de ornamentorum Pontificalium uſu teſtimonium, jactatam eſſe Conſtantini Donationem, quam Criticorum peritiſſimi ad mendaces fabellas detrudunt. Nullum itaque momentum erit in tot aliis antiquorum teſtimoniis, qui Conſtantinum ætate præceſſerunt? Euſebius, qui perſpicue de veſtium ſacrarum conſuetudine verba facit, erat ſane ejuſdem ætatis, ac Conſtantinus. Quot authorum Eccleſiaſticorum eodem ſeculo floruerunt, qui nihil minus pro hac traditione ſuffragium tulere? Quamobrem non eſt opus nobis Donatione Conſtantini, ut eam tueremur.

Argumen. 1. Bocquill

Bocquillotius pariter omni ſtudio, & labore contendit, ut a prioribus Eccleſiæ ſeculis veſtium ſanctarum morem alienum eſſe probaret. „ Quidam, ait, putarunt, Penulam, „ quam S. Paulus apud Carpum Troade reliquerat, veſtimentum fuiſſe pro Altaris miniſterio, haud abſimile illi, quod Caſulam nunc vocamus. Verum quoniam id ſine argumentis aſſerunt, atque in hoc adverſantur communi ſententiæ præſtantiſſimorum Interpretum cum veterum, tum recentium, qui indumentum illud interpretantur pallium rurale; nos in illis refutandis haud immorabimur. Atqui ſi ea omnia, quæ attulimus, ut efficeremus, vocem *Penula* veſtitum ſacrum ſignificare, quo Apoſtolus ad Aram uteretur; ſi hæc inquam, omnia dicenda ſunt, *ſine argumentis aſſerere*, eſt quidem cur vereamur, pauciſſima repertum iri facta in Canonici hujus Aballonenſis Opere, quæ ſatis probata cenſenda ſint.

Bocquill Trad. Hiſt de Liturg. l. 1. c. 7. pag 137. Gall.

Quamquam vero Interpretes Sapientiſſimi veſtimentum hoc ſumerent pro pallio rurali, vel hyemali, atque hæc eſſet vulgata ſententia, nihil tamen faceret contra nos. Cum etenim apud veteres, ut plane monſtravimus, non liqueat de hujus vocis poteſtate, vel forma veſtis; quare non poſſemus propugnare, etſi indumentum Sancti Pauli eadem fuerit forma, atque aliud *Penula* nuncupatum, potuiſſe nihilominus veſtimentum hoc Altaris miniſterio deſignari; quandoquidem primis illis temporibus habitus ſacri nihil fortaſſis habebant, in quo exterius ab aliis cultus Civilis vitæ differrent? Demum ii, quibus placuit, vocem *Penula* uſurpari poſſe pro veſte alicujus ſimilitudinis cum illa, quam Caſulam appellamus, tanti eſſe videntur, ut mereantur, Juris utriuſque Doctorem nonnihil in illis refutandis immorari.

II. Argumentum.

Porro Lectoris erit judicium ferre, an id, quod hic Author addit, magis ab illis refutari mereatur. Audi ejus verba „ Ferunt pariter, Sanctum Joannem Evangeliſtam detuliſſe Mitram; ſed argumentum, quo id „ fulciunt, non ſatis eſt ad fidem inducendam „ accommodatum. Locus, inquam, eſt Polycratis Epheſini Epiſcopi, ab Euſebio laudati ..... Equidem fateor, me neſcire, „ quid rei ſit hæc lamina, quam S. Joannes „ in fronte gerebat. Illud tamen accidit perincommode, antiquum adeo factum, a Polycrate, Euſebio, Hieronymo, aliiſque Sapientibus memoratum, argumenti loco non eſſe ad faciendam fidem idonei: & propterea quod Authores iſti Eccleſiaſtici referunt, in ſuppoſititiis collocandum eſſe, quod ſcilicet fateatur Bocquillotius ſe neſcire, quid rei ſit hæc lamina, quam S. Joannes in fronte gerebat.

Nemo igitur præſtoletur ab hoc Canonico Aballonenſi firmiora contra priſcam traditionem iſtam argumenta. „ Fatendum eſt ingenue, proſequitur, nullum eſſe ex tribus „ prioribus ſeculis Authorem, qui perſuadeat, Miniſtros in obeundis officiis ſuis peculiares habitus induiſſe. At unde probat, quæ in medium affert? Quantumvis nihil extaret præter Stephani Papæ decretum, verum tamen eſſet aſſerere, *aliquem eſſe ex tribus prioribus ſeculis Authorem, qui perſuadeat, Miniſtros in obeundis officiis ſuis peculiares habitus induiſſe*.

Euſebii locus a nobis prolatus ex ſermone in Templi Tyrii Dedicatione diſertis adeo verbis loquitur, ut Author noſter profiteatur, has voces Sanctam Tunicam, Veſtem Sacerdotalem, quaſdam diſtinctionis notas indicare. At, quandoquidem hæc ſenſa Euſebii, III. ſeculo proximi ſunditus Bocquillotii opinionem evertunt, cum ſcribit in Præfatione pag. XVII. & cap. VII. pag. 137. veſtium vulgarium uſum ſexcentis plus annis perſeveraſſe, etſi quarto ſeculo alius mos induci cœperit: ideo ut loci Euſebiani authoritatem imminuat: „ Non inficior tamen, inquit, „ Eruditos homines multos Hiſtorici hujus „ verba allegorico intellectu interpretari. Verum quidnam colligere poteſt a ſenſu allegorico hujus loci; quando per ipſum Criticum literæ ſenſus contrariam ſententiam enunciat?

Cum autem probe animadverterit Bocquillotius, opinionem ſuam, ut tria priora præteream IV. V. & VI. ſeculi conſtanti traditioni repugnare, & magnum Patrum, Conciliorum, & Summorum Pontificum numerum pro veſtimentorum Sanctorum conſuetudine ſtetiſſe; excogitavit ingenioſiſſima Critice ſua egregium circuitum ad eludendas omnes authoritates iſtas, & propugnandum, promiſcuum fuiſſe tribus ſeculis primis uſum veſtium cum peculiarium, tum communium.

Recitato namque S. Hieronymi loco, audi quid ſubjungat: „ Uſus, quem diſcimus a „ S. Hieronymo, mutandi ſcilicet habitus ad „ Altare, non erat admodum ætate ejus pervagatus, neque ducentis poſt annis. Cujus rei præſto nobis argumentum eſt in vita S. Fulgentii, qui in fungendo munus ſuum, nunquam veſtium immutabat, eamdemque Tunicam, in qua cubabat, ad Sacrificium aſſe-

rebat

„rebat. Ex quibus diſſimillimis utriuſque San-
„cti hujus moribus percipimus primo: ſeculo
„IV. extitiſſe Sacerdotes, qui pro Altaris mi-
„niſterio ſepoſita habebant veſtimenta cultio-
„ra iis, quæ paſſim gerebant. 2. Hanc indu-
„mentorum mutationem nondum VI. ſeculo
„ubique obtinuiſſe.

Verum tamen illud eſt initio conſideran-
dum hoc loci, Canonicum noſtrum Aballo-
nenſem nullum alium Fulgentio præter Hie-
ronymum opponere; quaſi vero privati ali-
cujus hominis uſus poſſit communem ſeculo-
rum multorum traditionem exæquare; vel
conſuetudo ab ipſo tributa S. Fulgentio tam
communis eſſet, quam illa, de qua loquitur D.
Hieronymus. Ita namque rem nobis ante
oculos ponere videtur. Deinde Scriptorem
vitæ S. Fulgentii tradere, eum eamdem, in
qua cubabat, Tunicam ad Sacrificium attuliſ-
ſe; anne monet, Fulgentium cum ad Altare
procedebat, nullam aliam veſtem tunicæ ſuæ
Bocquillo- ſuperinduiſſe? Bocquillotius perſpicue verbo-
tii error de rum ambiguitate ludit. Idem etenim eſſet,
Tunica San- ac dicere: Bocquillotius aſcendit ad Altare
cti Fulgen- eadem amictus Talari Tunica, qua prandet,
tii. & cœnat. Ex quo recte ne quis concluderet,
eum ſine Sacerdotalibus ornamentis, unaque
indutum Talari Tunica facere rem Divinam?

Ut autem liquido compertum ſit, hoc S.
Fulgentii exemplum tantum abeſſe, ut Au-
thoris noſtri ſententiæ faveat, ut potius habi-
tuum Sacrorum uſum confirmet, recitemus
hoc loco integrum rei contextum, ex quo
Bocquillotius voculas tantum aliquas decer-
pſit, quæ adverſam omnino partem confir-
Cap. 18. mant, ubi ad ſedem ſuam revocentur. Fer-
randus Diaconus, Author Geſtorum S. Fulgen-
tii, ut magni hujus Epiſcopi paupertatem,
& moderationem oſtendat, ſcribit eum habuiſ-
ſe nunquam Cafulam, ideſt Talarem Tuni-
cam alicujus pretii, vel coloris micantis, ne-
que Monachis ſuis conceſſiſſe, ut haberent:
unico pallio nigro contentum fuiſſe, vel al-
terius coloris ſupra Cafulam, & temperatiſ-
ſimo anni tempore, in Monaſterio unicum
pallium geſtaſſe. Hæc erant communia San-
cti Fulgentii veſtimenta. Sed alia quoque pe-
nes ſe habebat, quibus ad Altare utereturi
ſiquidem addit Ferrandus Diaconus, S. Ful-
gentium non confuevisſe Tunicam mutare,
ut inquam, ait P. Thomaſſinus *, præclaram
S. Viri munditiem nobis innueret.

Si etenim Sanctus Fulgentius ut plurimum
Tunica ſolummodo, & pallio coopertus erat,
quis concipiat illum, ut Sacra Myſteria per-
ageret, ſolam Tunicam retinuiſſe? Ea de re
verba iſta, *in qua Tunica dormiebat, in ipſa
ſacrificabat*, nos docent, ſingulari adeo præ-
ſtitiſſe Fulgentium caſtitate, ut ipſi neceſſe
non eſſet Tunicam immutare, antequam Sa-
cerdotis veſtibus induretur: atque adeo Tho-
maſſino locus idem ſuppeditat argumentum,
ut probet, Sacerdotes non caruiſſe indumen-
tis pro ratione Miniſterii ſui. Donec igitur
Bocquillotius haud offendat apud ſex priorum
ſeculorum Scriptores teſtimonium aliud cla-
rius, quam ſit hoc S. Fulgentii, pro opinione
ſua; videmur nos cogi ad aſſentiendum, ab om-
ni vetuſtate Sacerdotes habuiſſe veſtitus mun-
diores, & peculiares, licet hi a vulgaribus aliis
vel diſſimiles non eſſent, vel parum differrent.

Denique ab ævis primis, non repugnante
Bocquillotio, erant Altaria in Jeſu Chriſti ho-
norem erecta, quæ conſtici poterant ex tabu-
lis ligneis, ut facilius alio transferrentur. Ea-
dem, ſcribit pariter, tela, vel panno pro rei
dignitate cooperiebantur; atque ab Anaſtaſio
Bibliothecario certiores effecti ſumus, Con-
ſtantinum Imperatorem *obtuliſſe* Eccleſiæ San-
cti Petri *ſuper Altare illius pallium auro tex-* In vita
tile, atque in eo Miſſas celebratas eſſe. Vitaliani
Papæ.

Non diſſentit idem Bocquillotius, priori-
bus ſeculis; atque in ipſo Ethnicarum infe-
ctationum tempore, extitiſſe in Eccleſia Ca-
lices, Patenas aureas, atque argenteas, va-
ſa atque ornamenta ſacra pretioſiſſima. Et ve-
ro oportebat, Vaſa Sacra, quæ vendidit Lau-
rentius, & quorum pretium pauperibus elar-
gitus eſt, magno æſtimari; quandoquidem
ad ea Tyrannus inſtar thefauri inhiabat. Nar-
rante infuper S. Optato, Eccleſia Carthagi-
nenſis Vaſorum, Sacrorumque Ornamento-
rum ditiſſima erat. Quod ſi hæc omnia ab
ineunte Chriſtiana Religione in more poſita
erant, ut Canonicus hic Aballonenſis diffiteri
non poterit; quanam ratione perſuaſum ip-
ſi erit, homines Apoſtolicos, primoſque Epi-
ſcopos peperciſſe ſibi, ne omni conatu cura-
rent, ut quæ Sanctorum Myſteriorum uſui
eſſe debebant, non modo eximia eſſent, &
pretioſa, ſed Altaris uſibus etiam addicta,
& conſecrata, adeo ut nefas eſſet, illa ad alios
uſus convertere: & tum Miniſtros Domini,
ad Altare accedentes, nullam plane ſingula-
rem Veſtem habuiſſe; atque in ſacris faci-
dis uſos iiſdem fuiſſe, quibus in reliquo vi-
tæ cultu utebantur? Seculis pri-
mis erant
vaſa ſacra.

Num difficilius erat, Imperatoribus Eccle-
ſiam divexantibus, parare indumenta pro Sa-
cerdotibus, quam Altaria, Calices, Patenas, Uſus va-
vaſa, ornamentaque alia pretioſa, uni tan- forum ſa-
tummodo Miſſæ Sacrificio deſignata? Nulla crorum pro-
profecto urget difficultas in uſum ſacrarum- bat conſue-
veſtium pro miniſtris Domini, munera ſua tudinem or-
exercentibus, quæ in cætera vaſa ſacra intor- namentorum
queri æquius non poſſit. Immo parabilia ma- ad Altare.
gis erant veſtimenta peculiaria, quippe cum
eadem forma, eodemque colore confecta eſſent, atque alia communia, non poterant Ethnici hac ratione Chriſtianos dignoſcere. E contra vero tot vaſa pretioſa ægre huc atque illuc transferri potuiſſent, atque ab Infidelibus deprehendi, quin cognoſcerent pariter, vaſa hæc Chriſtianorum Myſteriorum celebrationi conſecrata eſſe.

AD

* *Ejus Caſtimoniæ fuiſſe Fulgentium, ut etiam a nocturnis per ſomnum immundiciis liber eſſet. Quibus vero id donatum non erat, antequam celebrandis Myſteriis Sacerdotales veſtes induerent, ipſum etiam Tunicam mutabant.* Thomaſſin. de diſcipl. Tom. I. pag. 2. l. 2. cap. 45.

AD CAP. V. RERUM LITURGICARUM EJUSDEM HONORATI A SANCTA MARIA

EX TOMO III.

Animadverſionum in regulas & uſum Critices

LIB. V. DISSERT. IV. ART. II.

Eccleſia quacumque ætate linguis uſa dumtaxat eſt in ſacris perficiendis Hebraica, Græca, & Latina, quæ in Crucis titulo deſcriptæ fuerunt.

QUandoquidem quæſtio hæc aliis bene multis affinis eſt, operæ pretium ante omnia duco, id perſpicue explicare, quod aggredior ad dijudicandum. Non eſt hic ſermo de Literarum Sanctarum verſionibus; cum nulla ferme gens ſit earum, quæ ad Evangelium pervenerunt, deſtituta, vel ex parte, vel in univerſum Divinis libris, in linguam ſuam, vel olim, vel nunc importatis. Rem quoque ab inſtituto meo alienam ſuſciperem diſcutiendam, ſi hoc loci perpenderem, anne deceat cuilibet promiſcue largiri facultatem legendi Sacrum Textum lingua Populis nota; non ſecus atque, utrum liceat Miſſarum, & Divinorum Officiorum libros in linguas vernaculas convertere: denique an eſſet utile preces publicas fundere eo ſermone, quem plebs Aſtantium calleret.

Conſilium itaque meum eſt, conſtantem hanc Eccleſiæ traditionem roborare: nimirum ætate Apoſtolorum, & ſeculis inſequentibus, rem divinam peractam ſemper fuiſſe Hebraice, vel Syriace, Græce & Latine: ſive linguæ iſtæ vulgatæ eſſent, videlicet a populis intelligerentur, ſive non. Poſtquam vero Eccleſiaſticorum Scriptorum teſtimoniis, & conjecturis ſolidiſſimis Factum hoc hiſtoricum conſtituero, ad illud me conferam, ut Simonii, & Boequillotii adverſus hanc Traditionem argumenta refutem.

§. I.

Ætate tum Apoſtolorum, tum hominum Apoſtolicorum, tum denique ad undecimum circiter uſque ſeculum Myſteria ſancta nunquam celebrata fuere niſi Hebraice, vel Syriace, Græce, & Latine.

UT ambiguitatem, in quam hac de re impingere doctiſſimi ſolent, evitemus, ante omnia animadvertere oportet, ætate apoſtolica, & non paucis etiam ab illorum obitu annis quatuor in Fidelium cœtibus fieri conſueviſſe. I. Scripturas divinas legere, II. ſermonem habere, ea, quæ lecta fuerant, ediſſerentem. III. Sacrum facere. IV. Simul conferre, ſeque invicem ſolari.

Meminiſſe quoque neceſſe eſt, quatuor hæc exercitationum genera in duplici temporum differentia conſiderari poſſe. Primo a die Pentecoſtes, quo Spiritus Sanctus in Apoſtolos lapſus eſt uſque ad illud tempus, quo Matthæus, Marcus, Lucas, cæterique Apoſtoli Libros Canonicos conſcripſerint. Deinde ab eo tempore ad primi ſeculi finem.

Quæ duo cum animadverterim, do ultro, & concedo Exhortationes, Inſtructiones, Explicationes Scripturarum ad populum inſtituendum, nec non colloquia Fidelium poſt myſteriorum celebrationem, hæc omnia in quam præſtita fuiſſe ſermone cuilibet vulgari in iis locis, in quibus Syriacum, Græcum, aut Latinum ab omnibus non percipiebatur. Quod attinet vero ad alia duo ſcilicet lectionem divinorum Bibliorum, & ſanctum Miſſæ Sacrificium, neque illa legebantur, neque iſtud recolebatur, niſi adhibitis altera ex tribus linguis, de quibus diſputamus.

Antequam Apoſtoli libros Canonicos ederent, nulla alia ſcriptura extabat, præter Hebraicum textum, Pentateucum, Sammaritanum, & verſionem Septuaginta: neque enim memorare libet Paraphraſes Caldaicas, vel interpretationes Literarum ſanctarum, confectas a Judæis, quos vixiſſe putant, vel ætate Chriſti, vel Religionis noſtræ naſcentis, vel ante hac. I. Quia opus eſt, hanc Scriptoribus iſtis antiquitatem vindicare. Cum in vetuſtiſſima iſtarum omnium Paraphraſum Jonataoo tributa, legamus Turcarum nomen, quod niſi, poſt ſexcentos a Chriſto annos, emerſit. 2. Non carent fabulis e Talmude depromptis. 3. Non eſt ſimile vero Origeoem, & Hieronymum tamdiu cum Judæis verſatos, & tot laborum pro Scripturarum Divinarum interpretatione patientiſſimos nunquam de Paraphraſibus Chaldaicis locutos fuiſſe, ſiquidem illæ temporibus eorum fuiſſent exploratæ. Morinus exerc. Bibl. l. 4. exer. 2. c. 2. p. 32.

Igitur ſecundum hanc Animadverſionem Textus facer legi non poterat eo tempore, niſi altera ex his linguis; cumque myſteria ſacra conficerentur ex Oratione Dominica, & verbis conſecrationis, non eſt cur dubitemus Apoſtolos iiſdem verbis uſos, quæ adhibuerat ipſe Chriſtus in præſcribenda orandi ratione, atque in Euchariſtia inſtituenda.

Apoſtolis autem in univerſum orbem diſtractis in Conventibus Chriſtianorum veteris Teſtamenti libri, & ſcripta Apoſtolica legebantur

bantur, cum Biblia tum converſa nondum fuerint; atque adeo vel Syriace, vel Græce aut Latine legere neceſſe eſt. Quod vero pertinet ad Rem Divinam, quæ ſita erat in verbis conſecrationis, atque in Dominica Oratione, & quam pluribus precibus, quas paullatim addiderant, e Scripturis veteris, & novi teſtamenti depromtas, hæc omnia in ea lingua recitare par erat, in qua tum temporis exarata fuerant.

Quis etenim ſibi perſuadeat, Apoſtolos, Epiſcopos, alioſque Miniſtros, qui coram Chriſti fidelibus Myſteria Divina peragebant, vulgatam regionis linguam adhibuiſſe, ut in ea orationem Domini recitarent, Epiſtolaſque atque Evangelium legerent? Quis crediderit ſummos hoſce viros prætuliſſe barbarum ſermonem, & diſſimillima tot gentium verba textui archetypo Bibliorum, quem Spiritus Sanctus dictaverat, atque ipſi e Jeſu Chriſti ore perceperant? Non eſt itaque vero conſentaneum Apoſtolos, eorumque Diſcipulos, vel Sacras Literas legendas juſſiſſe, vel Divina Myſteria celebraſſe, niſi Hæbraice, vel Syriace, Græce, & Latine.

Apoſtoli, ut communis opinio fert, Evangelii veritatem diſſitis inter ſe regionibus annunciarunt. Sanctus Johannes Epheſinam condidit Eccleſiam: Matthæus Æthiopes imbuit: Andreas in Achajam ſe contulit: Judas Moſopotamiæ Chriſtum prædicavit: Philippus Scythiam peragravit: Barnabas tandem in Inſula Cypri, Marcuſque Alexandriæ functi ſunt munere ſuo. Quamvis igitur Evangelium ſinguli nunciaverint populis iſtis ſermone ipſis haud ignoto; non eſt tamen ulla ratione probabile eos ſingulari tot regionum linguæ, vel Biblia reddidiſſe, vel ſacra Miſſarum ſolemnia accommodaſſe.

Sanctus Irenæus deſcripta ſeptuaginta Interpretum Hiſtoria, ſubjungit. *Etenim Petrus, & Johannes, Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum ſectatores, Prophetica omnia ita annunciaverunt, quemadmodum ſeniorum interpretatio continet.* Irenæus l. 3. cap. 25.

§. II.

Ab initio ſecundi ſeculi ad quartum uſque Eccleſia cum Græca, tum Latina non uſurpavit in ſacris alias linguas præter e tribus aliquam, quæ in Crucis titulo exaratæ fuerunt.

EXordium faciamus ab Eccleſia Græca. Poſt Apoſtolorum interitum, immo ipſis adhuc inter nos agentibus ſcripta Prophetarum, Apoſtolorumque, ut Juſtinus tradit, legebantur, & lectione abſoluta, Antiſtes hortationis verba faciebat, & propterea cum S. Martyris hujus ætate, nulla alia Biblia cum veteris, tum novi Teſtamenti extarent, quæ in aliqua ex tribus memoratis linguis conſcripta non eſſent: ideo in cœtibus Fidelium Orientis, de quibus Juſtinus, neque illa legi poterant, neque recoli Miſſæ Sacrificium, præterquam Græce, vel Syriace. Ut autem rei claritatem afferamus, illud attende, pervagatum apud omnes eſſe verſionem Syriacam ex veteri Orientalium traditione ab Apoſtolis lucubratam fuiſſe, vel ab eorum Diſcipulis paullo poſt ipſorum interitum: *Interim veritati eſt prorſus conſentaneum intra ipſa Eccleſiæ Chriſti initia, vel ab ipſis Apoſtolis, vel eorum Diſcipulis perfectam.* Quamvis autem deſint argumenta ſatis firma, quibus magnam hanc quantitatem fulcire poſſis, nihilominus extra omnem dubitationem eſt, illam vetuſtiſſimam eſſe, necnon Schiſmata omnia anteceſſiſſe, quæ in varias ſectas Orientis populos diviſerunt: demum primam haberi cæterarum verſionum omnium, quæ a Chriſto nato confectæ fuerunt; ſi fortaſſe Latinorum Italicam excipias.

Juſtinus Apol. 2.

Tremel. in Epiſt. delic. N.T. ad Reg. Eliſ. Walterus Pro. leg. vet pag. 34 col. 2.

Jacob. mar. Præf. in N. T. Syriace. Troſtii fine Simonius Hiſtor. Critic. verſ. vet Teſtam. cap. 13.

Sententia paſſim apud omnes recepta eſt poſt Eccleſiaſticos Scriptores, Apoſtolos Lingua Syriaca locutos fuiſſe, atque uſos in ſermonibus, atque inſtitutionibus Judæorum; & licet hæc Lingua *Siro-Chaldaica* appelletur propter Linguarum Chaldaicæ, atque Hebraicæ commixtionem; tamen non deſunt Critici, qui parum intereſſe credant inter Linguam Chaldaicam, qua Jeſu Chriſti, atque Apoſtolorum ætate loquebantur, & Linguam, quam proprie Syriacam nuncupamus. Simonius ibid.

Quidquid igitur ſit diſcriminis hujus leviſſimi, conſtat, verſionem hanc Syriacam maximo obſequio cultam, ſummaque auctoritate inter pleroſque Orientis populos fuiſſe præditam. Publice eam legebant omnes priſcæ Eccleſiæ, erectæ in Syria, in Meſopotamia, in Chaldæa, in Ægypto, atque in Oriente fere univerſo. Qua de re factum eſt, ut Lingua Syriaca regionibus, quibus uſitata fuit, pluribus, etiam nominibus donaretur: continuo *Chaldaica* vocata eſt a Chaldæa, cui primum vulgaris fuit; poſt Linguarum confuſionem *Babylonicæ* nomen accepit a Babylone, urbe Chaldææ capite. Deinde dicta eſt *Aramæa*, aut Syriaca, ab Aram, vel Syria; immo *Aſſiriaca* etiam ab Aſſyria, quoniam in his quoque locis percrebuit. *Quare mirum eſſe non debet*, inquit Author quidam, *ſi Lingua Chaldaica, Syriaca, & Aſſiriaca, una eademque ſit; quandoquidem & nomina, quæ ei indita ſunt, pro eodem uſurpantur.* Præter hæc nomina alia quoque ſortita eſt *Hebraicæ, Comagenicæ, & Maroniticæ*. Chriſtiani Orientis hanc Linguam tamquam ſibi propriam uſurparunt, ut in ea ſcripturas legerent, & Rem Divinam peragerent, quippe quæ prioribus Eccleſiæ ſeculis ab univerſo populo intelligebatur; ſed nunc etiam licet diverſæ nationes iſtæ Syriacam Linguam non amplius teneant, perſeverant tamen in ea ſacros libros legere, & Liturgias celebrare. *Greg. Al. mira Prælud. Gramm. Syriacæ ſive Chaldaicæ.*

Quæ cum dico eccur non liceret mihi hanc conjecturam augurari, videlicet, in hac Lingua ſacrum coli ſolitum, antequam Origenes, Lucianus, atque Heſichius ſeptuaginta ver-

verſionem emendaſſent? Cum etenim verſio hæc Syriaca petita ſit ex Hebraico veteris Teſtamenti, & Græco novi, videri ſane debuit populis iſtis correctior, quam verſio ſeptuaginta: quæ non parum corrupta erat, prius quam Origenes eam retractaret. Quapropter primis ævis fortaſſe in publicis conventibus uſus fuit Syriacæ verſionis apud fere omnes Orientis Eccleſias, idque eo magis, quo lingua hæc Provinciis bene multis erat vernacula. Quod certo liquet, eſt, non potuiſſe, ab Apoſtolorum ad Origenis tempora, Chriſtianos adhibere niſi verſionem Græcam veteris Teſtamenti, adornatam a Septuaginta Interpretibus, & teſtum Græcum novi, vel demum verſionem Syriacam; quoniam nulla omnino ratione probari poteſt, ante tempora Origenis in Oriente Scripturas ſacras aliis linguis redditas fuiſſe, præterquam Hebraica, vel Syriaca, & Græca.

Hieronymus Præf in Paralip.

Præſto eſt nobis conceptum S. Hieronymi teſtimonium: *Alexandria, & Ægyptus in Septuaginta ſuis Heſichium laudat Authorem. Conſtantinopolis uſque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Mediæ inter has Provinciæ Paleſtinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius, & Pamphilus vulgaverunt.* Quamquam vero in his omnibus regionibus tot eſſent peculiares dialecti, ut vix inter ſe Populi illi ſe intelligerent, tamen univerſæ Orientis Eccleſiæ Græcis tantummodo Bibliis utebantur; ſive alicujus Provinciæ vulgata eſſet ea lingua, ſive non. Poſſumus itaque inde concludere ætate D. Hieronymi nullam fuiſſe in Oriente Eccleſiam, in qua ſacra fierent linguis vernaculis, ab Syriaca, vel Græca diverſis. Ad Eccleſiam latinam tranſitum faciamus.

S. Auguſtinus tradit quamplures fuiſſe verſiones Latinas, quoniam in ipſa Religionis conſtitutione, cum primum homini, utriuſque linguæ non prorſus ignaro, occurrebat exemplar Græcum ſtatim liberum ſibi putabat, eſſe illud Latine vertere. Quarum tamen interpretationum celeberrima *Italica* fuit appellata. *Auguſt. de Doctr. Chriſt. lib. 2. c. 11.*

Non eſt dubitandum, Eccleſias Occidentis præcipue Italicas legiſſe in publicis Cœtibus a Chriſtianæ Religionis exordio Scripturas Sacras. Quod locum dedit latinæ librorum omnium Sanctorum, qui prius græce legebantur, interpretationi. Cum etenim Religio Chriſtiana in Italia, atque in Occidente univerſo radices ageret, neceſſum fuit in promptu habere verſionem ea lingua exaratam, quæ a Provinciis iſtis paſſim intelligeretur. Verſio hæc nomen ſubivit *Italice* quod revera videatur originem ab Italia ducere, ex qua deinceps cum Religione ipſa ad cæteras Occidentis partes propagata eſt; Baropius, Serrarius, aliique putant eam elaboratam fuiſſe ab Apoſtolorum Diſcipulis, & primis Eccleſiæ conditoribus probatam.

Neſcimus aliam in Occidente uſque ad Hieronymi ætatem uſui communi Scripturam deſignatam fuiſſe, neque in ſacris faciendis aliam ibi adhibitam præter veterem hanc Italicam, ſiquidem, ut animadvertit Auguſtinus: *In ipſius interpretationibus Italæ cæteris præfertur; nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ.* Qua de re licet dare mus id, quod ait Simonius, videri ſimile vero in Occidente ſacras litteras initio lectas Græce fuiſſe, cum lingua hæc præſertim Romæ communis eſſet: illud tamen ſemper verium erit ab Apoſtolorum ætate ad uſque quintum ævum Sacras Scripturas in Divinis Myſteriis Syriace tantum, Græce, & Latine uſurpari conſeviſſe. *Aug. l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 15.* *Simon Hiſt. Crit. verſ. Novi Teſt. cap. 3.*

§. III.

A quinto ſeculo ad noſtra tempora Eccleſiæ Chriſtianorum, quæ cum Romana communicant, ſacra non confecerunt, ſive in Oriente, ſive in Occidente, niſi Syriace, Græce & Latinæ.

NUllum veſtigium eſt, Græcos a primævis Eccleſiæ temporibus ad nos uſque, Divina Myſteria in aliis linguis, præterquam in ſua celebraſſe, ſive Romanæ Eccleſiæ adhæxerent, ſive ab ea diſſociarentur. Neminem latet eos ſemper in more poſitas habuiſſe, ut narrat Petrus Diaconus Fulgentio, Liturgias S. Baſilii, Joannis Chryſoſtomi, & quorumdam aliorum, quæ certo certius eſt Græce conſcriptas fuiſſe. Tametſi autem lingua hæc mutationem ſubierit, & pleræque Græciæ totius Provinciæ Græcum ſermonem minime intelligant, qui modo vulgatus ipſis non eſt, non tamen deſinunt Rem divinam recolere lingua earum Liturgiarum, quas perpetuo ſervaverunt. *Concil. Trul. c. 2. Concil. Nicen. can 2. Seſſ. 6 S. Damaſ. l. 4 de Fide c. 14.*

Bona Rerum Liturg. lib. 1. c. 9. num. 5

Quam plurimi ſunt Græci per Orientem univerſum longe lateque diſperſi, quos alii vocant *Græcos Arabes*. alii, & frequentius, *Melchitas*, qui Myſteria ſanctæ celebrant lingua Græca, quamvis Arabica utantur tanquam vernacula.

Ex quo ſchiſmata Eccleſiam Orientalem diſtraxerant, major Sectarum illarum pars ſacrum Syriace facit, quamvis ipſis lingua nullo modo cognita vulgo ſit. In quarum numero ponere licet Neſtorianos, qui nonnodicam Orientis partem occupant: videlicet ſuburbia Babylonis, Aſſyriam, Meſopotamiam, & Parthorum, Medorumque regiones. Quibus adde Jacobitas, qui frequentiſſimi ſunt in Syria, in Inſula Cypri, in Meſopotamia, in Palæſtina, atque alibi. Copti quoque linguam Syriacam adhibent ad divinas res peragendas, ſed poſtquam Evangelium Syriace legerunt, Arabice, lingua ſcilicet ipſis vernacula, rurſus recitant. *Walton Prolog. XIII. de Liturg. Syriac. pag. 91. & ſeqq.*

Indi, ſive Chriſtiani, ut ajunt, D. Thomæ Liturgiam ſuam Syriaco fermone ſcriptam habent, non ſecus atque Maroniræ Montis Libani, etiam poſtquam Pontifici noſtro obtemperant, ipſique ſe dediderunt. Hæc porro lingua olim populis Montis Libani vulgata erat, quemadmodum quibuſdam regionis *Walton. ibid.*

Sionis illius pagis in præſenti eſt. Unde facile eſt colligere a V. ſeculo deinceps in Oriente rem divinam Syriace, vel Græce celebratam fuiſſe.

S. Cyprianus Serm. de Orat Dom. Multo vero magis paratum habemus palam facere, Eccleſiam Occidentalem nunquam ſacra feciſſe, niſi latine. S. Cyprianus nos docet in Africa dici olim in Miſſa: *Surſum corda*. S. Auguſtinus ait poſt hæc verba, *Habemus ad Dominum*, Sacerdotem adjeciſſe: *Gratias agamus &c.* & populum reſpondiſſe, *dignum, & juſtum eſt*. Et quoniam Patrum iſtorum ætate Præfatio Miſſæ latina erat, non eſt ambigendum, Epiſtolam, Evangelium, reliquamque Miſſam latine digeſtam fuiſſe.

Auguſt. de bono Perſ. c. 13. *Auguſt. de Doctr. Chriſt. lib. 2 cap. 13.*

Idem Divus Auguſtinus ſcribit, peritiam trium dumtaxat linguarum, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ ad ſcripturarum intelligentiam neceſſariam eſſe; neque publice eas legi, niſi his tribus linguis: additque ætate ſua cœptum eſſe, Pſalmos quoque latine canere. Porro nullus Author eſt, qui perhibeat, ſacra Myſteria in Africa Punico vulgari ſermone celebrata fuiſſe: ſive lingua hæc teſte Auguſtino, Dialectus eſſet, quæ ad Hebraicum, vel Syriacum proxime accederet: vel Afrorum lingua, tradente Hieronymo, Phœniſſa eſſet aliquantulum immutata.

Auguſt. ſerm. 33 de verb. Domini. Hieron Præf lib. 2 in epiſt. ad Gal.

Quæ lingua Punica ibi tantum uſurpabatur, ubi non erant Coloniæ Romanorum: in Chartagine namque atque in aliis urbibus Latinum vernaculum habebatur. Teſtantur Authores præclari, cum Maumetani Barbariæ, ſive Africæ Septentionalis oras invaſerunt, ſeptimo nimirum ævo, tum Afros uſos fuiſſe Romanis caracteribus, Romani namque Africa in ditionem ſuam redacta, veteres inſcriptiones omnes deleverunt, ut celeberrimorum Afrorum facinora ex hominum memoria abolerent, & propterea latina elementa induxerunt; lingua licet latina nequaquam Africæ vulgaris eſſet.

Idem Divus Auguſtinus adnotavit in expoſitione Epiſtolæ ad Romanos non paucos in Africa fuiſſe, qui linguas ſimul Punicam, & Latinam callerent; ſed ruſticos Punicam dumtaxat loqui. Eodem prorſus modo, quo inter nos videmus Latinam linguam ſatis communem eſſe inter Gallos Hiſpanos, Italos, & Germanos, & tamen nemo affirmare auderet, linguam hanc regionibus iſtis vulgatam eſſe. Sed fuerit, nec ne lingua Latina Africa vernacula, non tamen reperies ab Auguſtini ætate myſteria ſancta alii unquam linguæ, præterquam Latinæ commendata fuiſſe, quamdiu catholica religio ibidem perſeveravit.

Ante annos centum & mille, ex quo Gothi, & Mauri in Hiſpaniis dominati ſunt, res ſemper lingua Latina celebratæ ſunt. *Concil. Toletan. IV. cap. 2.* Concilium Toletanum IV. decrevit, eumdem Ordinem ſervandum eſſe cum, Pſalmi canuntur, Miſſa recolitur, & Lectiones fiunt. Porro uſu venerat apud eos hæc omnia latine legere, neque id unquam prætermiſſum fuit, poſtquam Hiſpani Romanos Ritus admiſerunt.

Ante Caroli Magni tempora nulla in Galliis vigebat Liturgia, niſi vetus illa, quæ latina erat, atque a recepto Romano Ordine, deinceps nunquam ea uti deſiterunt. Rabanus animadvertit, ſemper in Germania latine ſacra peracta fuiſſe. Idem dicendum eſt de Bohemis. Cum etenim Chriſtiani Regni hujus priſcum morem latine celebrandi Miſſas deſerere cogitarent, ut lingua Illyrica uterentur, Gregorius VII. P. M. ad Bohemiæ Ducem ſcripſit, ſe multis iiſdemque juſtis de cauſis concedere nullo modo poſſe, ut myſteria Divina ea lingua celebrarentur. *Rabanus lib. 2. Inſtit. Clericor.*

In Anglia quatuor diverſi ſermones obtinuerant, ſed latinus frequentior erat, quia ut ait Ven. Beda, omnes latine ſcripturas legebant: quod firmiſſimam ſuppeditat conjecturam, nulla alia lingua ſacra tum perfecta fuiſſe.

Supervacaneum eſſet oſtendere poſt ſeculum ſextum cum Longobardi in Italiam deſcenderunt, nunquam niſi Latinam linguam in myſteriis uſum habuiſſe; licet jam tum vulgata non eſſet. Non modo ante illud tempus Scripturæ latinis verbis legebantur, ſed deinceps quoque nunquam id intermiſſum eſt. Nunc etenim ſacra recoluntur eadem prorſus ratione, qua ante annos plus mille, quod colligere poſſumus ex Decreto Gelaſii Papæ, in quo Romanus Ordo corrigitur, atque augetur. Idem præſtitit S. Gregorius Papa, ut videre eſt in ejus Sacramentario; atque ipſum ſecuti ſunt Gregorius VII., Pius V., Clemens VIII., Urbanus VIII., qui ut expedire cenſuerunt, veterem Liturgiam intacto ſermone retractarunt. *Salell. Ennead. 8. l. 5.* *Diſt. 15 Can. Sancta Rom.*

In univerſum aſſerere poſſumus, verſionem italicam ætate D. Hieronymi uſum habuiſſe in Eccleſia latina, atque adeo uſque ad tempus D. Gregorii Papæ; quandoquidem Pater iſte nos docet Eccleſiam Romanam ab utraque verſione non receſſiſſe. *Sedes Apoſtolica, cui auctore Deo præſideo, utraque nititur, mei quoque labor ſtudii & utraque ſuſciatur.* *Greg. Epiſt. ad Leand. Epiſc. in Epiſt. Dalic. in Lib Job.*

Quamquam autem verſio hæc conſuetudine Eccleſiæ atque unanimi Patrum ſuffragio confirmata eſſet; non tamen propterea Hieronymus de ſententia receſſit, ut novam interpretationem aggrederetur, quæ ſtatim recepta non fuit: atque idem D. Auguſtinus facultatem dare recuſavit, ut in publicis fidelim cœtibus legeretur. Ducentis vero poſt S. Hieronymum annis cum vetus vulgata, tum nova Sancti hujus Doctoris verſio in multis Eccleſiis ad myſteria divina invectæ fuerant; donec omnes uni dumtaxat Hieronymi interpretationi adhæſerunt. Porro, ſi fides eſt quibuſdam literatis viris; ex his duabus vulgatis una dumtaxat effecta fuit, ſed quo tempore, atque Authore, inquiunt, incertum eſt. *Greg Magni Epiſt ad Leandrum. Item Mor. l. 20 cap 23. Simonius Hiſt. Crit. verſ novi Teſtam. cap. 7.*

Quare poſtquam Eccleſiæ latinæ præſto fuit verſio ſua, & vulgatam adoptavit, nunquam ab illa abſtinuit in divinis myſteriis celebrandis, ſeu vulgatæ latinæ nomine veterem Italicam, vel Hieronymianam, vel ex utraque, ut ferunt, coaleſcentem intelligamus. Tametſi vero verus hæc Italica obſolverit, *Introitus* tamen Miſſarum pene omnes de-

promi ſunt e Pſalmis ſecundum verſionem iſtam ; neque alii ſunt ex animadverſione Durandi, præter ſequentes, qui ad verſionem priſcam Italicam accommodati non ſint ; videlicet : *Puer qui natus eſt nobis &c.* in die Nativitatis : *Viri Galilei &c.* in die Aſcenſionis : *Spiritus Domini &c.* in die Penteceſtes : *Nunc ſcio vere &c.* in feſto S. Petri, & nonnulli alii. Quidam ſunt, qui e ſacris litteris non proficiſcuntur, uti : *Salve Sancta Parens. Gaudeamus omnes in Domino &c. Benedicta ſit ſancta Trinitas &c.* quorum author D. Gregorius Papa non adhibuit Pſalmorum interpretationem, quæ nunc in more eſt Divininorum Officiorum, ſed vereretur Italicam, qua utebatur Eccleſia ſuperſtite D. Hieronymo. *Reſponſoria* item Miſſæ, *Tractus*, *offertoria*, *& poſtcommuniones* ab hac vetere Italica exſcripta ſunt.

Durandus l. 4. Rational. c. 5.

§. IV.

Multa, eaque vetuſta in cauſa fuerunt, cur Eccleſia noluerit rem divinam facere linguis aliis præter iſtas tres. Quo in loco repetitur origo mutationum, quæ ſubrepſerunt.

SI Eccleſia in Myſteriorum divinorum celebratione æquabilitatem minime ſervaſſet, atque illa non ſemper Græce, vel Syriace in Oriente, latine in Occidente pereginſſet ; magna inde incommoda exorta eſſent. Ut etenim æquabilitas hæc prorſus neceſſaria eſſe videtur ad pacem inter fideles ſervandam, & ne tolleretur ab Eccleſiis nexus ille communicationis, quo in divinis Rebus ſociari debent : ita uſus ſacrorum linguis vernaculis adverſari videtur unitati fidei, Religionis, charitatis, & ſocietatis, quas Chriſtianos, & Catholicas Eccleſias omnes profiteri neceſſe eſt.

Unitas fidei, & Religionis idcirco intacta per tot ſecula in Eccleſia latina perſeveravit, quia eundem ſermonem in ſacris faciendis uſurpat : & frangi fortaſſe poſſet, ſi Galli, Hiſpani, Itali, & Germani, aliique Chriſtiani populi ſua quiſque lingua Myſteria ſancta adminiſtrarent ; quod ſane contigit in Orientis Schiſmaticis Eccleſiis, & quotidie conſpicimus inter poſtremorum temporum hæreticos, qui in cætibus ſuis Biblicos Libros lingua populorum legere affectarunt.

Ad hæc, cum vulgares linguæ conſtitutæ firmiter non ſint, & in ſingulas fere ætates mutationem ſubeant, neceſſum eſſet, novo quoque ævo novas interpretationes adoriri, ſi introduceretur uſus legendi Scripturas lingua vernacula in conventibus Chriſtianorum. Ex qua mutatione in illud conſilium venit Eccleſia, ut in ſacra Liturgia Hebraicum tantummodo, vel Syriacum, Græcum, & Latinum uſurparet.

Tres linguæ iſtæ non extant modo, niſi in Codicibus MSS. & in Libris ; atque eadem temporum viciſſitudo multa invertit in verborum cadentium ſonitu, pronunciatione, & ſignificatione, necnon in caracterum figura, & nexu, ut in linguis primigeniis animadvertere poſſumus.

Hebraicæ linguæ pulchritudo non parum diminuta fuit ſeptuaginta captivitatis Babylonicæ annis, atque hactenus cum lingua Chaldaica commixta eſt, ut poſt captivitatem vulgatæ natura defecerit, neque uſpiam in Libris vetus Hebraica lingua reperiatur. Poſtquam autem Judæi a Græcis, & Latinis ſubacti, atque huc, & illuc diſperſi ſunt, ita Hebraicus ſermo corruptus eſt ex multarum alienarum vocum permixtione, ut in Chaos horrendum abierit, ſi de eo pronunciandum ſit ex lingua Rabinica, & præſertim ex Talmude, cujus ſtylus horribilis, & monſtruoſus omnes pene linguas alias in ſe ſe recepit.

Lingua pariter Græca veterem elegantiam ſuam non parum amiſit, ut hodierna die plerique Græcorum nihil prorſus ex iis intelligant, quæ leguntur in Liturgiis S. Baſilii, & S. Joannis Chryſoſtomi ; e contra vero Eruditi, qui priſcam Græcam linguam tenent, vulgatam non aſſequantur. Ipſi caracteres Scripturæ veteris differunt a recentioribus ; quæ tamen mutationes non partæ ſunt ab irruptione Gothorum in Græciam, qui quidem parum in illis regionibus commorati ſunt ; ſed potius a tranſlatione Imperii, qua factum eſt, ut multa Romana verba Græcis admiſcerentur. Negligentia pariter Græcorum, affectatio in verbis contrahendis, permiſcendis aliter vocalibus, & diphthongis pronunciandis, atque accentibus transferendis, non parum contulit ad elegantiam, puritatemque Græci ſermonis vitiandam.

Lingua ipſa Latina eamdem, ac duo ſuperiores, aleam ſubivit. * Ferunt nonnulli, Sacerdotes ferme nihil amplius intellexiſſe verſus Saliares a Numa Pompilio confectos. Leges XII. Tabularum a Fulvio Urſino collectæ, atque ab ipſo relatæ iiſdem decemvirum, regumque conditorum verbis, aperte demonſtrant, quam vetus latinum differat a moderno. Polybius quoque ait, conditiones pacis inter Romanos, & Pœnos pactas paulo ante Regum expulſionem, vix ab Eruditiſſimis ævi ſui intellectas fuiſſe : cum tamen trecenti

Polyb. Hiſt. lib. 3.

* Extat etiam nunc in Capitolio Columna, erecta in honorem Druſilli Conſulis Romani, qui in primo bello Punico navalem victoriam reportavit adverſos Pœnos, centum quinquaginta annis ante tempus Ciceronis, quo ſonuit lingua Latina. Ex verbis in hac Columna ſculptis conſpicitur, quantum eſſet hujus a Sermone Tulliano diſcrimen. Affero quædam ſenſa, a Breeraodio recitata.

Exemit. Leciones. Maciſtratos Caſtris exſociunt. Exemit Legiones Magiſtratus, Caſtris effugiunt. Pugnandit. Cepet. inque. Navibos. Maria. Conſol, Pugnando cepit inque Navibus Mari Conſul. Primos. ornavit Navibos. Claſſibi. pœnicas ſunas. Primus ornavit Navibus Claſſes Punicas ſummas. Carthacinenſes. Dictatored. Alted. Socias. Trireſmos. Carthaginenſes Dictatori alto, Sociis Triremes.

trecenti dumtaxat, & quinquaginta anni interceſſiſſent.

Iſidorus Orig. lib. 9. c. 5. Hæc Latinæ linguæ converſio repetenda eſt a magno captivorum numero, qui cives exceſſerant; populorumque innumerabilium, qui ex aliis Provinciis Romam confluebant. In cauſa quoque eius partim fuit admixtio linguarum Provinciarum cum Romana: præſertim vero Gothorum, qui torrentis inſtar a Septentrione crumpentis in Italiam, aliaſque Septentrionales Imperii Provincias ſe projecerunt. Quæ confuſio Latinæ linguæ nitorem admodum deturpavit.

Idem quod paſſæ ſunt linguæ iſtæ, cognoſcitur vehementius in Germanica, Gallicana, atque aliis, trecentorum namque, vel ad ſummam quadringentorum annorum intervallo extenus immutatæ ſunt, ut vix, quæ in libris ſuperſunt, intelligamus. Qui ætate iſta loqui vellet, ut ducentis ab hinc annis Galli loquebantur, riſum in audientibus excitaret; cujus rei non exiguum argumentum eſt verſio Pſalmorum Marotii, quæ præteriti ſeculi plauſibus excepta, nunc dictionem barbaram redolet, vixque percipitur.

Quamobrem ex hac perpetua linguarum mutatione inducta Eccleſia eſt, ut Religioſe, atque inviolate alii ex tribus antiquis linguis adhæreret, quæ olim vulgatiſſimæ omnium fuerunt, ut ſacra recoleret, & divinarum litterarum integritatem cuſtodiret. Textus namque facer, qui generalis eſt regula, doctrinæ mutationi alicui obnoxius fuiſſet, ſi in vulgatam linguam, & unicuique Provinciæ uſitatam illum verſiſſent. Qua autem ratione Eccleſiaſticæ Judices doctrinæ tot diverſas immo abhorrentes quoque, linguas addiſcere potuiſſent, ut diſſimiles interpretationes iſtas pro rei neceſſitate examinarent, & de ipſarum præſtantia vel vitiis judicium ferrent?

Intereſt aliquando concilia œcumenica celebrare. Si Patres univerſi, qui illa conſtituunt, Scripturas ſanctas haberent Provinciarum ſuarum ſermone vulgato conſcriptas, non poſſet ullo modo inter eos convenire de verbi divini ſenſu. Neceſſe fuit itaque, divinas literas Eccleſiæ relinquere iis linguis uſitatioribus redditas, quæ paſſim a pluribus cujuſque regionis hominibus intelliguntur: atque adeo commune Eccleſiæ bonum poſtulabat, ut ad habenda in Conciliis hæc de re decreta, atque ad fovendam Eccleſiarum Catholicarum ſocietatem, editio Bibliorum extaret, in qua Epiſcopi ſtaturere poſſent Canones ſuos, & literati totius Eccleſiæ viri cognoſcerent, quid, & quo pacto ſancitum ſit. Apoſtolorum ætate lingua Græca, utpote vulgatiſſima, exhibebat verbis ſuis totum vetus Teſtamentum, & majorem novi partem. Sed Romanis Imperium ſuum propagantibus Græca lingua contracta eſt, & præſtante Latina prodiit Italica verſio, ſucceſſu diuturno temporum vulgata, & univerſæ Latinæ Eccleſiæ uſitata; ut hoc pacto incommoda illa, quibus patebat, removeret, ſi ſacra peracta fuiſſent, & Divina Biblia recitata in Fidelium Conventibus vulgari ſermone, cuique Provinciæ, vel nationi proprio. Tandem neſas eſt Liturgiæ ſacræ majeſtatem, & myſteriorum noſtrorum amplitudinem obnoxiam eſſe tot mutationibus, quæ vulgatas linguas neceſſario ſequuntur: ex quo minus auguſta redderentur, ſi eam linguam uſurparent, cujus dictio quantumvis aliquando elegans, & in pretio habita, non multo poſt injucunda eſſet, & flocci facta.

AD CAPUT XVI.

JOANNIS MORINI ORAT. DOM. JESU PRESBYTERI

LIBER

De diſciplina a Patribus obſervata in expiatione Catechumenorum, & eorum ad Baptiſmi ſuſceptionem præparatione.

CAPUT PRIMUM.

Varia referuntur SS. Patrum teſtimonia, quibus probari videtur baptizandis, etiam in Vigilia Pentecoſtes pœnitentiam, & laboriosa Opera eſſe imponenda, eoſque ratione peccatorum ab Eccleſia puniendos.

Eccleſiam nullos labores, nulla opera pœnalia baptizandis impoſuiſſe, dogma eſt, quod toto libro 3. noſtri de pœnitentia commentarii aſſerimus, & a quo pleraque emanant, quæ ibidem aſſerta ſunt. Hujus antiquæ obſervationis præcipua cauſa fuit, peccatorum quæcumque illa ſint, ante Baptiſmum perpetratorum levitas a Patribus judicata, ſi cum peccatis poſt Baptiſmum perpetratis comparentur: quod argumentum multis quoque eodem libro perſecuti ſumus. Verum plurima Sanctorum Patrum teſtimonia huic doctrinæ videntur opponi, quæ non modo hoc in libro recenſere, ſed etiam explicare, non abs re viſum eſt. Eorum enim explicatio rationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ circa pœnitentiam non parum illuſtrabit. Antiqui enim Patres mira quadam Analogia, & conformitate, Catechumenos, & pœnitentes

tentes expiarunt, & illos ad Baptiſmum, hos vero ad reconciliationem præparârunt. Quapropter poſterius expiationis genus cum priore comparatum, lumen ab eo non obſcurum mutuabitur. Præterea cum Catechumenos, qui nomen dederant, peccantes caſtigaverit, licet leviſſime, a propoſito noſtro minime aliena eſt hujus rei tractatio, cum Eccleſiæ diſciplinam, auctoritatem, & regimen complectatur. Quidquid ſit, quem tædebit antiquitatis tam illuſtris, & ad intimam pœnitentiæ cognitionem meo judicio utiliſſimæ, ſruatur ſuo judicio, huncque librum tranſiliat, & ſequentem in manus ſumat: eum ideo a præcedente diſtinximus, quamquam utriuſque materia cohæreat. Quod igitur initio libri præcedentis nobis quinto loco propoſuimus, aggredimur.

Teſtimoniorum duo genera nobis hoc capite opponemus. Prius ea ſpectat, quæ baptizandos, five Catechumenos jubent pœnitentiam agere, aut pœnitentiæ nomine præterito, iis injugunt opera laboriosa. Poſterius Catechumenos peccantes pœnis afficit. Si punit Eccleſia; ergo pœnitentiam imponit. Nam omnis infligendæ pœnæ authoritas, quæ Eccleſiæ per ſe convenit, & illi extrinſecus non advenit, in pœnitentiæ, five pœnæ ſatisfactoriæ, & medicinalis impoſitione conſiſtit. Tertium teſtimoniorum genus, quod in eumdem finem conſpirat, capite ſequenti enarrabimus.

Opponi primum poteſt ſolemne iſtud D. Auguſtini effatum, triplicem eſſe pœnitentiam: unam ante Baptiſmum baptizandorum propriam; duplicem poſt Baptiſmum, quotidianam peccatorum ſcilicet levium, quæ oratione, & eleemoſynis potiſſimum agitur, & luctuoſam, quæ gravium eſt, & mortalium peccatorum. Cum autem pœnitentia nominatur (ſi vera ſit, non fucata) non modo reſipiſcentia, ſed etiam animi dolor, & tædium rei perperam actæ ſignificatur, quod tantum eſſe debet, & tam ſolicitum, ut propoſitum illud non amplius iterandi complectatur. Tres iſtas pœnitentias multis explicat S. Auguſtinus Homil. 27. lib. 50. homiliarum: *Triplex conſideratio agendæ pœnitentiæ in ſacra Scriptura invenitur. Nam neque ad Baptiſmum Chriſti, in quo omnia peccata delentur, quiſquam bene accedit, niſi agendo pœnitentiam de vita priſtina. Nemo enim eligit vitam novam, niſi quem veteris pœnitet. Hoc autem etiam authoritate divinorum librorum probare debemus, utrum baptizandi egerint pœnitentiam:* Probat hoc multo ſermone multiſque allatis Scripturæ teſtimoniis, quæ quiſque legere poteſt. Homilia 50. ejuſdem libri eleganter hanc pœnitentiam, illiuſque neceſſitatem deſcribit. *Tres ſunt actiones pœnitentiæ, quas mecum veſtra eruditio recognoſcit; ſunt enim ujitatæ in Eccleſia Dei, & diligenter attendentibus notæ. Una eſt, quæ novum hominem parturit, donec per baptiſmum ſalutare omnium præteritorum ſiat ablutio peccatorum, ut tamquam puero nato dolores tranſeant, quibus viſcera ungebantur ad partum, & triſtitiam lætitia conſequatur; Omnis enim qui jam arbiter voluntatis ſuæ conſtitutus eſt, cum accedit ad Sacramenta fidelium, niſi cum pœniteat vitæ veteris, novam non poteſt inchoare. Ab hac pœnitentia, cum baptizantur, ſoli parvuli ſunt immunes; nondum enim uti poſſunt libero arbitrio &c.* Eadem variis datis occaſionibus ſæpius repetit S. Auguſtinus ut Epiſtola 108. lib. de Utilitate pœnitentiæ, lib. de Medicina pœnitentiæ, cap. 2. & aliis locis. Pœnitentiam autem ante Baptiſmum ſolemniter primam nuncupatam fuiſſe, aliam vero ſecundam ex Paſtoris lib. 2. mandato 4. Clementis Alexand. lib. 2. Strom. ante medium, & Tertul. lib. de Pœnitentia, atque aliis authoribus evidenter conſtat. Denique S. Auguſtinus nihil agit aliud totis tredecim primis capitibus libri de Fide, & Operibus, quam ut probet adverſus nonnullos, qui id negabant, pœnitentiam ante Baptiſmum agendam eſſe, nec alicui ſine baptiſmum conferendum eſſe, qui pœnitentiam non egerit.

Quid videtur hoc ejuſdem ſancti teſtimonio dilucidius, quod legitur initio lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos? *Quid eſt, dilectiſſimi, quod in vobis celebratum eſt? Quid eſt, quod hac nocte circa vos actum eſt, quod præteritis noctibus actum non eſt, ut ex locis ſecretis ſinguli produceremini in conſpectu totius Eccleſiæ, ibique cervice humiliata, quæ male antea fuerat exaltata, in humiliata pectora, cilicio ſubſtrato, in vobis celebraretur examen, atque ex vobis exturparetur Diabolus?* Similia, & ad hoc probandum non minus efficacia leguntur initio lib. 4. ejuſdem Symboli ad Catechumenos, & cap. 10. Serm. 8. de diverſis, qui ad competentes habitus, ſic illos hortatur: *Manducate nunc panem doloris; veniat tempus, quando poſt panem triſtitiæ, panis vobis lætitiæ miniſtretur; ſed meritum illius, hujus eſt tolerantia. Averſio, & fuga tua panem luctus commeruit convertere, compungere, & vedi ad Dominum tuum. Paratus eſt ille compunctio, & redeunti panem gaudii erogare, ſi non diſſimules, nec differas pro fuga tua flebiliter ærumnoſus orare; in tantis ergo cæcorum moleſtantium indulte vos cilicio, & humiliamini in jejunio animarum veſtrarum.* Concil. Carthag. 4. c. 85. idem decernit quod fieri ſolere ſcribit S. Aug. Hunc Canonem repetunt in decretis ſuis Ivo, Burchard., & alii: *Baptizandi nomen, ſum dent, & dies ſub abſtinentia vini, & carnium, ac manus impoſitione crebra examinatione baptiſmum percipiant.*

Adeo vigebat in Europa iſtius abſtinentiæ obſervatio, ut ab ea etiam immunes non eſſent infantes, ut colligitur ex eo die, qui Capitilavium vulgo dicebatur: Erat ille dies Palmarum. Appellationis iſtius rationem reddit cauſæ præſenti convenientem S. Iſidorus lib. 1. de offic. Eccleſ. Cap. 27. *Vulgus ideo eum diem Capitilavium vocat, quia tunc moris eſt lavandi capita infantium, qui ungendi ſunt; ne forte obſervatione quadrageſimæ fordidata, ad unctionem accederent.*

Alcuinus eadem habet in officio ejuſdem Dominicæ. Argumenta hæc ſunt certiſſima abſtinentiæ ſaltem quadrageſimalis baptizandis imperatæ. Evidens inſuper eſt hujus rei teſtimonium, quod ſcribit idem Aug. in fine Epiſt. 48. *Nec quemquam putes ab errore ad veri-*

veritatem, vel a quocumque, ſeu magno, ſeu parvo peccato ad correctionem, ſine correctione, ſine pœnitentia poſſe tranſire. Sed nimis impudens error eſt, hinc velle calumniari Eccleſiam, quam tot divinis teſtimoniis conſtat eſſe Eccleſiam Chriſti, quod aliter tractat illos, qui eam deſerunt, ſi hoc ipſum pœnitendo corrigant, aliter illos, qui in ea nondum fuerunt, & tunc primum ejus pacem accipiunt; illos amplius humiliando, iſtos lenius ſuſcipiendo. Exploratum ergo viderur peccatorum, & ante, & poſt baptiſmum commiſſorum pœnitentiam ſerio agendam eſſe, ſed illa clementius ab Eccleſia vindicari, hæc ſeverius. Quidquid ſit peccata in vetere homine commiſſa, contra quam ſcripſimus, gratuito, & ſine labore per baptiſmum non donari.

Sanctus Gregorius Nazianz. Oratione 40., quæ eſt de Baptiſmo verſus finem de præparatione ad Baptiſmum differens, ita Catechumenum affatur: *Magnum tibi ad ea, quæ cupis aſſequenda, & retinenda, ſubſidium afferent Vigiliæ, jejunia, Chameuniæ, orationes, lacrymæ, commiſeratio, pauperum largitio.* Illis præterea injungit varia miſericordiæ opera, ut Baptiſmi fructum conſequantur. Idem ab Apoſtolis præceptum fuiſſe, & uſitatum præter præceptum Sancti Petri Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Et tam frequenter allatam illius præcepti eo ſenſu a S. Auguſtino interpretationem evidenter demonſtratur ex initio c. 6. Epiſtolæ ad Hebræos: *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti Sermonem ad perfectiora feramur, non rurſum jacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum.* S. enim Chryſoſtomus, Theodoretus Oecumenius, & Theophilactus in hunc locum; atque ex latinis S. Ambroſius, & Beda eumdem locum commentantes, & S. Auguſt. lib. de Fide, & Operibus cap. 11., & ad finem expoſitionis Epiſt. ad Romanos pœnitentiam interpretantur, quæ ante Baptiſmum agitur, & aliter intelligere, ſi antecedentibus conſequentia reſpondere velimus, admodum difficile videtur; illa enim omnia, quæ ibi conjungunrur ab Apoſtolo, in Baptiſmo fiunt, ut teſtatur S. Auguſtinus. Nullus igitur dubitare poſſe videtur, quin Apoſtoli, ſanctique Patres ad pœnitentiam agendam baptizandos adegerint. Hoc adeo verum eſt, ut Tertullianus ex prioribus Capitibus lib. de Pœnitentia, nihil aliud tractaverit, quam audientium, ſive Catechumenorum pœnitentiam ſeptimoque demum cap. Baptizatorum pœnitentiam, expreſſa tranſitione facta, explicare aggreſſus fuerit. Ante Tertullianum quid hac in cauſa obſervaret Eccleſia nos docet Juſtinus Martyr Apolog. 2. *Quicumque a nobis perſuaſi fuerint, & crediderint vera eſſe, quæ a nobis traduntur, ac vivere ſe ita poſſe receperint, orare jejunantes, & petere a Deo priorum peccatorum remiſſionem docentur, nobis una cum illis orantibus, & jejunantibus, deinde eo ducuntur a nobis, ubi eſt aqua, & regenerantur ad eum modum, quo & nos regenerati ſumus.* Hinc denique emanaſſe videtur frequens iſtud antiquorum axioma, pœnitentiam ſecundam eſſe poſt naufragium tabulam. Prima tabula Baptiſmus eſt, quo poſt pœnitentiam in vetere homine actam Deo reconciliamur; ſecunda abſolutio, qua ſimiliter poſt actam de novo homine amiſſo pœnitentiam in gratiam cum Deo redimus. Idem præterea colligitur ex antiqua Eccleſiæ praxi, quæ lucet in variis Gentilium baptizationibus; fere enim ſemper opera laborioſa ipſis ante baptiſmum injuncta commemorantur, ut in actis S. Silveſtri de Conſtantino baptizando, in Clementis recognitionibus ad finem lib. 7. & 10. cum Clementis Mater, & Pater baptizandi eſſent: in orationibus funebribus Greg. Nazianz. in Patrem, & Sororem, atque in omnibus fere baptiſmi celebrationibus, quæ infra referentur. Vix enim tanta unquam diſciplinæ Eccleſiaſticæ propter graves cauſas relaxatio, & remiſſio deprehendirur, quin aliquot jejuniorum dies ante Baptiſmum ipſis præſcribantur.

Poſterioris teſtimoniorum generis, quod pœnarum propter crimina inflictionem ſpectat, antiqua nonnulla ſunt exempla. Magnum Concilium Nicænum c. 14. Catechumenos Idololatras hac cenſura ferit: *De Catechumenis, qui lapſi ſunt, viſum eſt ſanctæ, & magnæ Synodo, ut tribus annis ſint tantum Audientes, poſtea cum Catechumenis orent.* Non modo tribus annis eorum Baptiſmus differtur, quod pœnæ magnæ genus eſt: verum etiam, cum Eccleſiam ingrederentur, orationis cauſa ab ea pelluntur, & ad portam ſubſiſtere jubentur. Ut hoc pœnæ genus veram eſſe pœnitentiam perſpicue videas, comparandus ille Canon cum iis, qui ex omnium confeſſione baptizatis pœnitentiam indicunt, quales ſunt in eodem Concilio Can. 11., & 12., & in aliis Græcorum Conciliis innumeri. Eadem enim formula in citeriores pœnitentiæ ſtationes regradantur. Concilii Neocæſar. Can. 5. idem demonſtrat, & Nicæno adhuc evidentius: *Catechumenus ſi in Dominicum ingrediens, in Catechumenorum ordine fleterit, is autem peccat, ſi genu quidem flectens, audiat, non amplius peccans: Sin autem etiam audiens adhuc peccet, extrudatur.* Quid clarius? a loco Catechumenorum ad Audientes relegatur. Iterum peccans ab Eccleſia eliminatur: eo modo, & ordine in omnibus antiquis Canonibus ob peccata puniuntur laici baptizati. Infra, qua ratione hæc fiant, docebimus, cum Catechumenorum varias ſpecies diſtinguemus.

Utrumque nos docet Canon unicus Eliberitanus 73. *Delator ſi quis extiterit fidelis, & per ejus delationem aliquis fuerit proſcriptus, vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere Communionem; ſi levior cauſa fuerit, intra quinquennium accipere poterit Communionem:* Ita punitur baptizatus: ſi Catechumenus idem crimen perpetraverit, audi qua pœna multabatur: *Si Catechumenus fuerit, poſt quinquennii tempora admittatur ad Baptiſmum.* Eadem pœnæ forma, ſed mitior. Verum Canone 68. gravis admodum pœna Catechumenæ peccanti infligitur: *Catechumena, ſi per adulterium conceperit, & conceptum negaverit, placuit in fine baptizari.* Si mulier fidelis idem crimen perpetraſſet, ne in fine quidem Communio illi

conce-

concedebatur, ut decernitur Can. 63. Pœnitentiam igitur Catechumenus peccans, ut fidelis agebat: hoc ſolum intereſſe videbatur, quod Catechumenus fideli peccante longe mitius excipiatur.

Idem fieri ſolere non obſcure innuit Sanctus Auguſtinus in fine lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos: *Vos autem dilectiſſimi, qui ab initio uberibus Sanctæ Matris Eccleſiæ nutriti uſque ad ſolidum cibum eſtis ab ea perduſti, manete in ea. Si quis ejus vel diſciplinam, vel quamlibet admonitionem aſpere tulit, & iratus abſceſſit, agnoſcat Matrem, redeat ad eam libenter, & hæc ſuſcipit, quæ requirit, gaudebit filium perditum fuiſſe converſum.* Occurrunt nonnulla alia Sanctorum Patrum teſtimonia, quibus opera laborioſa baptizandis ante baptiſmi ſuſceptionem præcipiuntur, quæ infra locis ſuis referentur, cum ſcilicet, quo ſenſu hæc omnia intelligenda ſint, explicabitur.

Interim quæri poteſt an jejunia cæteraque opera laborioſa, baptizandis in ſolemnitate Pentecoſtes inperarentur, ut baptizandis in vigilia Paſchatis imponi ſolebant. Difficultatis cauſa eſt Paſchale tempus, quo jejuniis univerſa Eccleſia abſtinet. Intempeſtivum igitur videri poteſt eo tempore Competentes ad jejunium cogere; id tamen docet S. Chryſoſtomus homil. 1. in Act. cum enim demonſtraſſet hominem ante gratiam baptiſmatis aliquo tempore purgandum eſſe: Paulo non ſtatim datam eſſe gratiam, ſed triduum interceſſiſſe, nec Apoſtolis ſtatim Spiritum Sanctum datum poſt Chriſti Aſcenſionem, objicit: *Si quis dixerit, quare non & nos eodem tempore baptizamus? illud ſane reſpondere poſſumus, quod gratia quidem tum eſſet eadem, quæ nunc eſt, cæterum animus nunc ſit ſublimior, & excelſior, dum jejunio præparatur. Quamquam, & Penteceſtes tempus habet aliquam rationem, haudquaquam abſurdam. Quam tandem dicis? Exiſtimaverunt Patres ſatis idoneum malæ cupiditati frænum magnamque doctrinam baptiſmum eſſe ad hoc ut etiam tempore deliciarum ſobrietatem tuerentur.* In eamdem ſententiam referri poſſunt rationes omnes, quæ antiquos Patres moverunt, ut abſtinentias illas baptizandis ante Paſcha imperarent, quarum aliquas Sanctus Chryſoſtomus loco citato explicat, & urget: par eſt enim utrobique ratio.

CAPUT SECUNDUM.

Baptizandos non modo generaliter confiteri ſolitos ſe eſſe Peccatores, ſed etiam ſpecialem Peccatorum omnium Confeſſionem ante Baptiſmum edidiſſe.

NON modo pœnitentia Catechumenis ab Eccleſia præſcripta fuiſſe videtur, verum etiam ſpecialis peccatorum omnium Confeſſio, ut multis antiquorum Patrum teſtimoniis demonſtravit Joſephus Vicecomes Obſervationum Eccleſiaſticarum de Baptiſmo lib. 3. cap. 5. ſigillatim autem κατ' ἄκμας peccata ſua confiteri, nemo eſt qui diffiteatur pœnitentiæ genus eſſe, non qualiſcumque, ſed gravis admodum, & laborioſæ; Quapropter in tertiam teſtimoniorum claſſem, quæ pœnitentiam Catechumenis impoſitam fuiſſe demonſtrant, ea retulimus, quæ confeſſionem illis ante baptiſmum aliquando præſcriptam fuiſſe probare videntur. Confeſſionis autem hujuſmodi neceſſitas, vel ex his, quæ capite præcedente demonſtrata ſunt, conſequitur; Nam ſi pro peccatorum genere pœnitentia illis imponitur, puniuntur, regradantur, ab Eccleſia pelluntur peccatorum confeſſionem ante Baptiſmum eos aliquando edidiſſe conſequens videtur. Neque dictis ſatisfacit, qui aſſerit eos generaliter in omnium conſpectu ſe eſſe peccatores confiteri ſolitos, aut idololatras, vel hæreticos fuiſſe, quod nemo ignorabat. Talis enim confeſſio, ut omnibus Catechumenis communis, generalem, & omnibus communem pœnitentiam exigebat, non autem ſingulis criminibus reſpondebat. Contra tamen uſurpatum fuiſſe ex Capite antecedente colligi videtur. Deinde ſpecialem criminum confeſſionem expoſtulare videntur, quæ ſequuntur teſtimonia.

Apoſtolicum fuiſſe præceptum non obſcure colligitur ex verſu 18. c. 19. Act. *Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos*; nam id de Catechumenis, non de baptizatis dictum fuiſſe, duo evidenter demonſtrant. Prius omnino eſſe improbabile baptizatos illos ſtatim e baptiſmo ea crimina commiſiſſe, quæ pœnitentia publica, & exomologeſi purgari neceſſe eſſet. Quod ſi forſan unus, aut alter id perpetravit, de multitudine verum eſſe non potuit. Deinde actio illa ut laudabilis a Luca enarratur. At quæ laus referre Neophitorum multitudinem vix aquis baptiſmalibus ablutam in peccatorum cœno ſe ſe volutaſſe? Apud Corinthios inceſtuoſus unus inventus eſt: Conſidera quibus lamentis hoc deploret S. Paulus, quam ſevera vindicta ſcelus puniat. Quid hic intanta lapſorum multitudine conſentaneum erat illi facere? Hoc autem ad baptizandos refer, vix erit aliquid laudabilius atque ad religionis Chriſtianæ virtutem demonſtrandam efficacius, Judæos, Gentileſque aquis ſalutaribus expiandos ſcelerum confeſſionem non exhorruiſſe. Poſterius argumentum ex verſu ſequenti deſumitur: *Multi autem qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus, & computatis pretiis illorum invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Quis credat Neophitos adſtante, & vidente S. Paulo in tanta crimina lapſos? Deinde eadem recurrit ratio S. Lucam hæc Neophitorum laudi tribuiſſe: Ita igitur ante Baptiſmum contigerant, alias laudanda non fuiſſent, ſed deploranda, ut ſemper cum apud Chriſtianos contigerunt, a Sancto Paulo, & Apoſtolis deplorata ſunt. Objici poteſt confeſſionem iſtam a multis Chriſtianis editam fuiſſe, non ab omnibus, quod factum oportuit, ſi fuit ad baptiſmum præparatio legitima, aut ſaltem fatendum confeſſionem illam ex traditione Apoſtolica tribuendam eſſe voluntati, non neceſſitati.

Di-

Diſtinguenda Confeſſio: alia fuit privata alia publica. Hæc conſilii fuit, illa præcepti: hæc illam ſequitur, & ſupponit. Confeſſio publica tribus primis ſeculis frequentiſſima fuit. De duplici iſta Confeſſione, quæ ad baptizatos ſpectat, multis lib. 2. de Pœnit. diſſeruimus.

Duplex illa Confeſſio a baptizandis uſurpata fuit, ut ex ſequentibus demonſtrabitur. Ideo igitur multis Chriſtianis non omnibus hanc Confeſſionem tribuit S. Lucas, quod publicam, non privatam intelligat.

Hæc omnia nos evidenter docet Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 20. *Ingreſſuros baptiſmum orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum Confeſſione omnium retro delictorum, ut exponant etiam Baptiſmum Joannis* : tingebantur, inquit, *confitentes delicta ſua. Nobis gratulandum eſt, ſi non publice confitemur iniquitates, & turpitudines noſtras: ſimul enim & de priſtinis ſatisfacimus confitentibus carnis, & ſpiritus, & ſubſecuturis tentationibus munimenta præſtruimus.* Omnia, quæ diximus, pauca hæc verba complectuntur 1. laborioſi opera ante baptiſmum ſuſcipienda. 2. omnium delictorum Confeſſionem ſpecialem edendam eſſe, 3. publicam Confeſſionem non eſſe neceſſariam. *Nobis*, inquit, *gratulandum eſt, ſi non publice confitemur* &c. denique, confeſſionem ſecretam ex Eccleſiæ conſuetudine, & præcepto tum fuiſſe neceſſariam. Nam ſi confeſſio omnium retro delictorum neceſſaria eſt, & cum ea publice non confitemur, nobis gratulandum, ſecretam ſemper adhibendam eſſe colligitur.

Tertullianus libri de Pœnitentia plus quam mediam partem in eo probando conſumit; tandem enim urgente Capitis 3. fine de Baptizandorum pœnitentia diſputare incipiens: primum peccata diſtinguit in ſpiritalia, & corporalia, ſive interna, & externa, *quod*, ut ait, *delictum omne aut agitur, aut cogitatur, &c.* quæ poſtquam multis explicavit, concludit tandem pro utriſque pœnitentiam eſſe agendam: *Per quod oſtenditur non ſatis ſolum, verum & voluntatis delicta vitanda, & pœnitentiæ purganda eſſe; Neque enim ſi mediocritas humana ſatis ſolum judicat, quia voluntatis latebris par non eſt; ideo crimina ejus etiam ſub Deo negligamus, Deus in omnia ſufficit*, & paulo poſt initio Cap. 4. *Omnibus ergo delictis, ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & ventam per pœnitentiam ſpopondit.* Sed quomodo illa pœnitentia agenda eſt? An unicuique pro libitu? an ex Eccleſiæ imponentis juſſu, & præſcripto, & conſequenter revelatione peccatorum antecedente? Ex verbis jam allegatis clarum eſt diſtinctionem peccatorum propter eorum confeſſionem tam ſtudioſe explicatam fuiſſe. Quamobrem enim dixit homines facta tantum, Deum autem voluntatem ipſam judicare, ſi de Confeſſione, quæ ſoli Deo fit, verba faceret? præter Deum enim nemo voluntatis proprix motus, arcanaque ſcrutatur. Itaque fruſtra eſt illa oppoſitio, niſi alterum reſpiciat, cui, nobis tantum revelantibus cordis noſtri ſecreta pateſcunt, & quo dictante pœnitentia ſuſcipiatur. Verba Tertulliani ſequentia initio Cap. 5. hunc ſenſum definiunt, & confirmant: *Hoc enim dico, pœnitentiam quæ per Dei gratiam offenſa, & indicta nobis in gratiam nos Domino revocat, ſemel cognitam, atque ſuſceptam nunquam poſt hac iteratione delicti refignari oportere*, & Cap. 6. ubi ſic objicit, & reſpondet: *Tunc opinor emendatos liquebit, cum abſolvimur. Nullo pacto; ſed cum pendente venia, pœna proſpicitur, cum adhuc liberari non meremur, ut poſſimus mereri: cum Deus comminatur, non cum ignoſcit.* De pœnitentia igitur Confeſſionem peccatorum ſubſequente diſputare videtur, cum ea Catechumenis pro ratione peccatorum, quæ commiſerunt, indicatur, & præſcribatur, & ea peracta abſolvantur, hoc eſt baptizentur: baptiſmus enim, ut abſolutio peccatorum, remiſſionem operatur.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 40. ita Catechumenos hortatur: *Ne peccatum tuum confiteri grave ducas, ſciens quo pacto Joannes baptizaverit, ut per hujus vitæ pudorem, futuri ſeculi pudorem, ignominiamque fugias* (*Nam hoc quoque ſempiterni illius ſupplicii pars eſt*) *ac perſpicuum facias te ferio atque ex animo peccatum odiſſe, ac deteſtari, dum illud tamquam contumelia dignum traducis, ac ludibrio exponis, atque de eo triumphum agis. Ne exorciſmi medicinam reſpuas &c.* Confeſſionem vix expreſſius delineare poterat.

Sanctus Joannes Chryſoſtomus homilia 10. in Cap. 3. Matt. Confeſſionem ante, & poſt baptiſmum diſtinguit, & utriuſque neceſſitatem docet: *Tempus Confeſſionis adſque, & lotis baptiſmate, & illotis profanifque incumbit. Illis quidem ut poſt parentia criminum vulnera pœnitentia interveniente curentur, & ad ſacra myſteria redire mereantur; His vero, ut abluvis in baptiſmo maculis ad Dominicam menſam munda jam conſcientia accedant.* Et operis Imperfecti in Matth. homil. 3. adhuc evidentius, cum de Baptiſmo Joannis verba facit: *Qui timet judicium Dei, peccata ſua non erubeſcit confiteri, qui autem erubeſcit, non timet. Perfectus enim timor ſolvit pudorem omnem &c. ideo magis nos jubet Deus confiteri peccata noſtra, ut verecundiam patiamur pro pœna. Nam & hoc ipſum pars eſt judicii. O miſericordia Dei, quem toties ad iracundiam excitavimus! ſufficit ei ſolus pudor pro pœna.* Transfert ad Catechumenos baptizandos, quæ dicit Scriptura de Confeſſione Peccatorum ante Baptiſmum Joannis, & paulo poſt: *Quantum eſt in una hora erubeſcere? juſtitias a nobis non quærit, nullum laborem nobis imponit, baptizamur, & conſequimur indulgentiam peccatorum.* Hæc de ſpeciali Confeſſione neceſſario ſunt intelligenda, quis enim generaliter ſe peccatorem erubeſcit confiteri? Poſtea ſubjicit: *Confeſſionem puta eſſe egeſtionem impuritatis, & ſpurcitiæ, quæ intus erat incluſa, Baptiſmum eſſe lotionem ſordium egreſſarum. Numquid ſatis egeſtione impuritatis jam ſtatim ſanus factus eſt, &c. Sic multa diligentia neceſſaria eſt homini poſt Confeſſionem, ut vulnus ejus peccatorum, & confeſſionis apertura ſanetur.* In textu pro egeſtione legitur digeſtio, ſed legendum

eſſe egeſtio, contextus evidentiſſime convincit S. Ambroſ. lib. 2. de Sacram. Cap. 2. *Quando dediſti nomen tuum, tulit lutum, & linivit ſuper oculos tuos. Quod ſignificat, ut peccatum tuum fatereris, ut conſcientiam tuam recognoſceres, ut pœnitentiam ageres delictorum.* Et in cap. 6. Apocal. ante medium. *Per duos hœdos Confeſſionem peccatorum populi Gentilis, & pœnitentiam intelligere debemus. Duos ergo hœdos optimos Jacob Matri obtulit, quia per Confeſſionem peccatorum, & pœnitentiam, quæ via eſt ad fidem euntibus, populus Gentilis ad eamdem fidem properavit percipiendam. Qui hœdi optimi dicuntur fuiſſe, quia valde acceptabilis Deo eſt pœnitentia peccatoris cum abrenunciatione vitiorum, ſicut ipſe Dominus noſter dicit in Evangelio, gaudium eſt in Cœlo &c. Per unum peccatorem, populum gentium; per nonaginta vero novem juſtos, Judæos intelligi volens.*

Zeno Veronenſis Epiſcopus Author antiquus, & eloquens eidem Eccleſiaſticæ conſuetudini teſtimonium perhibet in ſermonibus, quos diebus Paſchalibus ad Neophitos habuit: Sermone enim 2. explicatis conſcientiæ peccatricis ſtimulis addit. *In hoc reatu fratres uſque nunc fuiſtis: ſed ſortiter examinati eſtis, ſed ut indulgentiam perciperetis, pro vobis bene vigilaſtis, optime eſtis auditi. Novum judicii genus, in quo reus ſi excuſaverit crimen, damnatur, abſolvitur, ſi fatetur.* Et Serm. ſeq. *At vero noſtræ (Claves) acervatim abſolvunt quidquid invenerint, nec aliquid ſubceſſivi eſſe patiuntur, ſed pectorum aperiunt cuncta penetralia, diligenter univerſa crimina expellunt, ac rurſus diligenter occludunt, ne quid illo vel frivolum, inde quod excluditur, revertatur. Mira ratio, mira beatitudo. Salvo reo punitur reatus in eo, integroque ſtatu moritur in homine, propter quod homo fuerat moriturus. Inde eſt, quod noſtra non habet neceſſaria tormenta confeſſio, quod ſine ſudore tortoris facinora ſua ſponte reus, ut ſiat innocens, confitetur.* Eadem Serm. 7. repetuntur. Iſta de Confeſſione tantum intelligi poſſunt, quam paulo ante Baptiſmum ediderant. Habitæ ſunt enim Conciones illæ unum, aut alterum diem poſt Neophitorum Baptiſmum. Verum hæc omnia evidentiſſime non modo docet, ſed inculcat Sanctus Cyrillus Patriarcha Hieroſolymitanus: ſic ille Catecheſi 1. ad illuminandos. *Tempus præſens eſt tempus Confeſſionis. Confitere, quæ perpetraſti ſive verbo, ſive opere, ſive noctu, ſive interdiu. Confitere tempore acceptabili, & in die ſalutis. Suſcipe cœleſtem theſaurum, & in exorciſmis ſtudioſe verſeris, aſſiſtas Catecheſibus, &c.* In hujus rei faciendæ exhortatione tota conſiſtit Catecheſis ſecunda: paucula excerpemus: *Benignus eſt Deus, & non parum benignus, non ergo dixeris ſcortationem, & adulterium commiſi, gravia patravi ſcelera, idque non ſemel, ſed frequentiſſime, numquid condonabit? Numquid obliviſcetur? non vincunt tua peccata multitudinem miſerationum Dei &c.* Multis hoc probat exemplis; deinde ad mulieres tranſit. *Verum enimvero & ex mulieribus, ſi forte aliqua dicat, ſcortatione, & adulterio polluta ſum, fœdavi corpus meum omni genere luxuriæ, numquid erit ſalus? aſpice Raab o mulier, & ſpera tu quoque ſalutem: nam ſi ea, quæ aperto publiceque ſcortata eſt, ſalvata eſt per pœnitentiam; numquid quæ ſemel tantum fornicata eſt ante gratiam, per pœnitentiam, & jejunium non ſervatur?* Si viri, mulieresque potiſſimum hæc peccata ante Baptiſmum confitentur, eaque pœnitentia, & jejunio purgant, quanto magis cætera, quæcumque ſint. Et poſt multa. *Vis cognoſcere quantam vim habeat pœnitentia, vis noſſe hæc fortia ſalutis arma, & diſcere, quam multis prævaleat Confeſſio?* Exemplo Ezechiæ hoc docet; deinde concludit: *Convertere, & de te ipſo ingemiſce, claude januam, & ſupplica, ut tibi remittatur, ut flammas te urentes auferat. Poterit enim Confeſſio etiam ignem extinguere, poterit & Leones cicurare &c.* Tandem propoſito, & enarrato Nabuchodonoſoris exemplo, infert: *Quid igitur? Nabuchodonoſori tantis obnoxio ſceleribus, quam primum confeſſus eſt, peccata remiſit, regnumque reſtituit; tibi vero agenti pœnitentiam, non remittet?* Vides pœnitentiam cum Confeſſione conjungere, unumque altero propter neceſſariam conjunctionem permutare. Plura ex hoc authore afferri poſſunt, ſed hæc cum ſint evidentiſſima, ſuffeciunt.

Philo S. Epiphanii Diaconus, & poſtea Carpathiorum Epiſcopus, Commentario in Cantica hæc verba interpretans, Dentes tui ſicut greges Lotarum: *Hæc*, inquit, *Salomon addit, ut ex vera confeſſione ſcelerum in ipſo lavacro regenerationis toti mundati ſint, & nive candidiores ſacti, veterem hominem cum maleſactis ſuis omnibus exuti, atque cupiditatibus, jamque interiori mentis cogitatu, atque acie divinarum rerum ſalutares cibos, & arcana myſteriorum pabula ſibi metipſis conterunt, ac mandunt.* Et paulo poſt: *Vere duplici fœtu omnis Fidelis anima decoratur a ſponſo, poſtquam omnium delictorum labe per ſalutarem Confeſſionem, atque Baptiſma, vel pœnitentiam purgata eſt, & lota.* Peccatorum Confeſſionem in baptizandis urget, ut ex vulgata Eccleſiæ praxi, neceſſariam, & baptiſmati, & pœnitentiæ præmittendam. Anaſtaſius Nicænus Epiſcopus q. 6. idem docet, reſpondenſque quæſtioni propoſitæ, an ſit bonum confiteri peccata viris ſpiritualibus, promiſcue, & de peccatis ante Baptiſmum verba facit: *Neceſſe eſt ergo confiteri peccata his, quibus credita fuit diſpenſatio. Scriptum eſt enim in Evangelio, quod qui baptizabantur baptiſmo Joannis, confitebantur peccata ſua. In actibus autem Apoſtolorum, quod qui ab eis baptizabantur, confitebantur actus ſuos.* Idem aſſerit Sanctus Iſidorus ab eodem Anaſtaſio citatus: *maxime quidem demus operam, ut non peccemus, ſi autem peccavtrimus, ne per negationem, & morbi occultationem, cauſam noſtram reddamus graviorem: Ne dedigneris confiteri peccatum tuum, ſciens quemadmodum baptizavit Joannes &c.*

Hujus Confeſſionis, utpote apud omnes Eccleſias uſitatæ, plura occurrunt exempla, ut Hiſtoriæ ripartitæ lib. 9. cap. 29. *in Alexandrina Civitate plurimi ad Baptiſmum feſtinabant, & peccata confitentes, baptizabantur.* In vita Sanctæ Pelagiæ Nonnus Epiſcopus Baptiſmum ſuſcepturæ præcipit, *prius confitere omnia peccata tua.* Vitæ S. Silveſtri Auctor ſic inducit hunc Pontificem narrantem infortunia,

tunia, differentibus baptiſmum contingere ſolent, hoc enumerat, quod vix confiteri poſſint: *Quid expellas beneficio febris baptizari, quando nec ſalutaria verba loqui, nec item audire commode poteris &c. non ſevure confiteri* ἐκ ἐμπλεγέσι ἀσφαλὲς ἐχι ἐυδιδὰς ϑεῷ *non cum Deo paciſci &c.*

CAPUT TERTIUM.

Quid ſignificent Ethnicis, & Chriſtianis κατηχεῖν κατηχᾶσθαι κατηχούμενοι *Chriſtiana Cathecumenorum &* κατηχᾶσθαι *ſignificatio Ethnicis inſolita ab Apoſtolis primum uſurpata, & quamobrem? quid* μυεῖν μυεῖσθαι, μύεσι, ἐπόπται, *& quid in diſciplina Chriſtiana his reſpondeat. Tirones Religionis Chriſtianæ antiquis Latini Catechumeni promiſcue, & Audientes dicti, ſed Græcis audientes ſive* ἀκροώμενοι *a Catechumenis ſemper, & qua ratione diſtincti.*

QUÆ duobus præcedentibus Capitibus de Pœnitentia, & Confeſſione Catechumenorum demonſtrata ſunt, funditus evertere videntur quæcumque diximus de differentia peccatorum ante, & poſt Baptiſmum conſeſſorum lib. 3. de Pœnit. Cap. 1. & ſeq. Nam ſi Baptiſmo rite ſuſcipiendo neceſſaria eſt adultis Pœnitentia ſimul, & Confeſſio, concidit quidquid a nobis baptiſmatis virtuti ex antiquorum Patrum mente adſtructum eſt, omnia ſcilicet peccata, omnemque pœnam remittere, nullam baptizandis ab Eccleſia pœnam, nullos labores injungi. Concidit quidquid dictum eſt de præclaris illis, & religioſis rationibus, quibus commoti ſeveriſſima pœnitentia vindicarunt peccata poſt Baptiſmum commiſſa, nulla vero, quæ ante Baptiſmum. Quid enim ſeverius immo durius, quam Baptiſmi candidatos ad minutam peccatorum Confeſſionem, & longam de iſtis peccatis pœnitentiam eogere? itaque nullo diſcrimine habito peccata ſive ante, ſive poſt baptiſmum perpetrata ex æquo puniendaerant; quo nihil fingi poteſt SS. Patrumenti, & Eccleſiæ praxi magis contrarium. Neque difficultati ſatisfacit ſi quis dicat peccata poſt Baptiſmum graviori pœnitentia, ante baptiſmum leviore puniri. Capite enim ſpeciali 3. lib. 3. de Pœnit. nulla puniri demonſtratum eſt. Deinde cum tot rationibus, quas adducunt Patres diſcriminis inter iſta peccata, non conveniunt, quæ de Pœnitentia, & Confeſſione Catechumenorum diximus: ita enim utramque teſtimonia citata deſcribunt, ut illis rationibus aut nullus locus, aut certe vix locus eſſe videatur.

Difficultas iſta penitus diſcuti, & explicari non poteſt, niſi antiquam Eccleſiæ diſciplinam in Catechumenis non modo purgandis, ſed etiam erudiendis, & caſtigandis enarraverimus, illius fundamenta, rationes, ordinem, & ſcopum aperuerimus, quod initio hujus libri primo loco inquirendum, & explicandum ſuſcepimus: Propoſito noſtro apprime convenit iſte ſermo non tantum ex eo, quod pœnitentiæ natura, viſque penitus introſpicitur, & aperitur, ſed etiam quod ad inſtitutum noſtrum peculiariter pertinet, quidquid Eccleſiæ diſciplinam, & auctoritatem in criminum expiatione, & caſtigatione ſpectat: Quapropter longius hanc de Eccleſiæ in Catechumenos authoritate, & diſciplina Diſſertationem non duximus differendam. Quæcumque reſpiciunt Baptiſmi formam & materiam, Cæremonias quoque, quibus & nunc, & antiquitus celebrabatur, prætermittimus; Ea enim alii occuparunt, & ab inſtituto noſtro prorſus aliena ſunt, nulloque eum antecedentibus neceſſitatis vinculo connectuntur. His igitur omiſſis diſciplioam, & juriſdictionem ab Eccleſia in Catechumenos exercitam explicare aggrediamur. Catechumenorum tria genera, ſive gradus apud antiquos commemorantur, de quibus ſigillatim differemus, ſi prius de nominis notione aliqua delibaverimus.

Catechumenus græca dictio eſt κατὰ τὸ χωχᾶν formata, quod ſonare ſignificat, μυκᾶσθαι quoque ſumitur pro inſonare aliquid, unde Chriſtianis familiare fuit; κατηχεῖν κατηχᾶσθαι, atque etiam κατηχεῖσθαι uſurpare pro docere rudimenta Religionis Chriſtianæ, & Catechumeni, qui Religionis Chriſtianæ elementa docentur; metaphora ſumpta a frequenti repetitione documentorum ſcientiæ tyronibus fieri ſolita; κατηχεῖν igitur eſt docere, quaſi diceres aliquid inſonare: κατηχούμενος, cui aliquid inſonatur, qui eruditur; ſcientiarum enim elementa tyronibus ſæpius ingeminanda ſunt, & repetenda, ideo Clemens Alexandrinus initio libri 6. Stromatum inſtitutionem, quæ pueris datur, Catecheſim vocat. Sic quoque Catecheſim definit Gregorius Nazianzenus in fine jambici 15. Hoc docent nonnulli Patres præclara lactis metaphora; ut S. Cyrillus in Iſaiæ verba: Lærare Jeruſalem, & conventum facite &c. & ad finem Commentarii, ubi hæc Canticorum verba interpretatur, meliora ſunt ubera tua vino: *Primus*, inquit, *cibus infantibus conveniens, admittentibus fidem in Deum myſtrum Jeſum Chriſtum porrigitur, ideſt tener, & ſimplex ſermo Catecheſeos. Sic enim Paulus quoſdam alloquens, ait, lac vobis ad potandum dedi, non cibum. Nondum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis; Quod autem non ſemper infantes & eſſe, & videri conveniat eos, qui ſemel Catecheſeos ſermonem imbibunt &c. Ita quoque Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4. patienter ferant ii, qui in hoc cœtu perfectiores ſunt, & doctiores jam exercitatos habentes, & animi habitum, & ſenſus ad boni, malique diſcretionem, ſi puerilorem audiant, & quaſi lacteam inſtitutionem, ut ſimul & qui Catecheſi opus habent, proficiant, & qui notionem habent, de quibus jam ante ſunt inſtructi, memoriam renovent.* Eodem prorſus argumento fideles hortatur Chryſologus Serm. 62. Symbolum baptizandis explicaturus, ſed eamdem metaphoram

phoram late proſequitur Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 1. cap. 6. atque de Catecheſi interpretatur, quod ſcribit S. Paulus I. Cor. 3. Lac vobis potum dedi tamquam infantibus, carnaleſque ibidem intelligi τοὺς πω κατηχουμένους, ἢ ἀπίστους ἔτι τῷ χριστῷ: eodem ſpectat quod docet lib. 6. Stromatum poſt medium, ubi quatuor explicat inſitiorum genera, quorum primum Catecheſi comparat: *Ajunt*, inquit, *inſitionem fieri quatuor modis. Uno quidem, quo inter lignum, & corticem oportet id adaptare, quod inſeritur; quo quidem modo Catechiſmum ſuſcipiunt, qui ſunt ex gentibus idiotæ, qui verbum accipiunt in ſuperficie &c.* Eodem ſenſu ſcribit Hieronymus ad Domnionem Epiſt. 51. ſe in Scripturis ſanctis addiſcendis Gregorium Nazianzenum, Didymum Alexandrinum Catechiſtas habuiſſe. Commentarius in Marcum S. Hieronymo tributus Cap. 1. Catechumenum interpretatur inſtructum, ut & Eucherius Lugdunenſis. Magis appoſite interpretati fuiſſent, qui inſtruitur, nam in præterito Neophitum, & fidelem ſonat. Fruſtra in re clara exponenda, & perpetua Eccleſiæ in hunc uſque diem conſuetudine notiſſima diutius immoramur.

Vix dictio iſta eo ſenſu apud Authores Ethnicos antiquos deprehendetur, eam quidem uſurpat Lucianus in Dialogo Philopatris, ſed a Chriſtianis mutuatus, quorum ibi Cæremonias ridet. Affertur ex Porphirio κατηχεῖσθαι pro rudimentorum alicujus ſcientiæ traditione; verum hoc ex Chriſtiana diſciplina, & familiaritate deſumptum. Ethnici rem eamdem dicebant uſitatiſſima dictione μυεῖν, ut ἱερὰ τελούμενος βαρβάροις ἀπορρήτοις, ὄργια μυούμενος, ἱεροῖς οἷς Ἕλληνες, & innumera ejuſmodi, quæ ſignificant res ſacras docere, aut paſſive ab aliis edoceri. Qui Myſteria illa diſcebant μύστας appellabant, qui edocti erant ἐπόπτας. Suidas in voce ἐπόπτης ſcribit οἱ τὰ μυστήρια παρὰ μάντεσι λέγοντες ἢ ἀρχὴ μὲν μύστης μετ' ὀλίγον δὲ ἐπόπτης ἢ ἱεροφάντης. Itaque Myſtæ iidem Ethnicis erant, qui Chriſtianis κατηχούμενοι, & ἐπόπται, qui πιστοὶ Fideles Myſteriorum inſpectores, & μυεῖν, quod κατηχεῖν, ſive κατηχεῖσθαι fere enim ſemper paſſiva forma active ſumpta utuntur. Myſtæ, ut ſcribit Suidas, annum integrum erant, quo elapſo velut acto tyrocinio aperta myſteria conſpiciebant, dicebanturque ἐπόπται. Hujus rei inſigne exemplum legitur apud Plutarchum in Demetrio: Athenas, inquit, proficiſcens Demetrius *ſcripſit ſe velle cum primum adventaret, myſteriis initiari, & ſacros ritus omnes a parvis ad uſque Epoptica ſibi tradi*. Quod timore perculſi Athenienſes permiſere. Quod inquit Plutarchus: *Nefas erat, & antea factum non fuerat, ſed parva Anteſterione menſe perficiebantur; magna vero Boemedrione. Anni igitur ſpatio minimorum, & magnorum inſpectores erant* (a). Itaque eorum myſtagogia, ſive Catechumenatus anni ſpatio definiebatur.

Primis Religionis Chriſtianæ fundatoribus Idololatrarum nomen alio commutare viſum eſt, ne myſteriis ſuis aliquid Idololatricum ſubeſſe ſuſpicio ſuboriretur. Primis, dico, cum hujus commutationis Authores fuerint Apoſtoli. Primi enim in ea ſignificatione hoc verbo uſi ſunt S. Paulus manifeſtiſſime cap. 6. Epiſtola ad Galatas verſic. 9. quod antiquus Ioxerpres optime ex uſu Eccleſiæ vertit: *Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui ſe catechizat in omnibus bonis*. S. Lucas initio Evangelii ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν. Reſte iterum Interpres: *ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem*, legit ἐδιδάχθης: Sed hoc nihil ad rem noſtram, ex quo loco colligi poteſt, de quibus rebus erudiri, & informari debebant Catechumeni, ſed de hoc capite ſequenti. Iterum Actuum 18. verſ. 25. ἦν οὗτος κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου. Interpres: *hic erat edoctus viam Domini*. S. Paulus denique 1. Cor. 14. ἵνα καὶ οἱ ἄλλοι κατηχῶ: *ut & alios inſtruam*. Cum igitur Apoſtoli Græcorum primi hanc dictionem inſtructioni conſecraverint Chriſtianæ Religionis Candidatorum, quid mirum, ſi univerſæ eos ſequutæ ſunt Eccleſiæ, Orientemque, & Occidentem pervaſit hæc ſacra dictio? Ideo nonnihil miror cur voce hac nunquam fuerit uſus Dionyſius, ſed frequentiſſime τὸ μυεῖν, & ejus derivata uſurpaverit; Ter vero, aut quater tantum in uno Capite κατηχουμένους dixerit, quia tum aliter a lectoribus Chriſtianis intelligi non potuiſſet.

Quæſtio enim erat de his, qui a ſacra Synaxi pelluntur, Catechumenis, Energumenis, & pœnitentibus ſi τοῖς ὑπερχομένοις ἢ ἐν μετανοίᾳ οὖσιν ἐμπνέουσι junxiſſet, quis e vulgo Chriſtianus iſtius nominis ſenſum intellexiſſet, quem vero intelligentem ea novitas non perculiſſet? Iſidorus Alcuinus, Amalarius, & alii Catechumenos interpretantur Audientes, & nonnulli auditores, ſed authoribus iſtis in his, quæ Grammaticam Græcam ſpectant, parva fides adhibenda. Multo ſane melius vim dictionis intellexit Tertullianus cum Cap. 41. lib. de Præſcriptionibus exprobravit, *omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur, ante ſunt perfecti Catechumeni, quam edocti*.

Antiquiſſimi Latini Catechumenos vocabant quoque Audientes, ita Tertullianus eos ter vocat cap. 6. lib. de Pœnitentia, & ſemel Auditores, atque iterum ſemel cap. 7. S. quoque Cyprianus Epiſtola 13. & 24. ex quibus apparet his ſeculis Audientium nomine a Latinis Catechumenos vocari ſolitos. Non erat tamen illis ipſis Catechumeni appellatio inuſitata. Ita enim eos vocat Cyprianus Epiſtola 13., & Tertullianus lib. de Corona Militis cap. 2. *omnes ita obſervant a Catechumenis uſque ad Confeſſores, & Martyres*, & cap. 41. libri de Præſcriptionibus, *in primis quis Catechumenus, quis Fidelis incertum eſt, pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant*. Ex quibus manifeſte colligitur vulgatam quoque fuiſſe eo tempore Catechumeni appellationem, & conſequenter antiquitus a Latinis promiſcue dictos Audientes, & Catechumenos. Sancti Auguſtini ſeculo nundum erat obſoleta Audientium pro Catechu-

(a) Melius vertit Xylander: recondita inſpiciebant interjecto a magnis ut minimum, anno uno anni unius ut minimum ſpatio. Sæpe enim ſpatium illud anno longius erat.

techumenis uſurpatio, ſermone enim 46. de Verbis Domini, Catechumenos ſæpius Audientes appellat. Ea forte ratio Iſidorum, & alios poſteriores induxit, ut crederent, idem ſignificare ex etymo ſuo Catechumenum, & Audientem.

Obiter notabit Lector Audientes poſterioribus Latinis, ſed Græcis potiſſimum tam poſterioribus, quam antiquioribus a Catechumenis fuiſſe longe diverſos. Audientes enim ἀκροώμενοι Pœnitentium genus erant, & Auditio ἀκρόασις pœnitentiæ ſtatio, ad quam ablegabantur graviſſimorum peccatorum rei, ſic dicta, quod qui ibi ſtarent, ſola ſcripturarum & prædicationum auditione fruerentur, nulla oratione, aut alio ſacro ritu imbuti. Statio iſta cum pœnitentibus illis continebat quoſvis Ethnicos, & Judæos, atque etiam primos Catechumenos. Itaque cum paſſim ἀκροώμενοι, & Audientes in Canonibus legis, cave ne Catechumenos intelligas, aut ἀκρόασιν Catechumenarum, ſemper enim Pœnitentes intelliguntur; ante tamen pœnitentiæ gradus conſtitutos Audientes promiſcue ſignificabant, quotquot non erant Sacrorum participes, ſed de his poſtea. Notabis inſuper Catechumenos a Tertulliano cap. 6. de Pœnitentia vocari novitiolos, & catulos infantiæ adhuc recentis, qui nondum perfectis luminibus incerta reptant, Catechumenatum vocari Auditorum tyrocinium, & tyrocinium abſolute a S. Hieronymo Epiſtola 1. Sed hæc fuerunt epitheta ingenioſe, & eleganter a Tertulliano excogitata, non ordinariæ, & Eccleſiaſticæ Catechumenorum denominationes. Hæc de nominis notione delibata ſunto.

CAPUT QUARTUM.

Prima Catechumenorum Claſſis, ſeu ſtatio explicatur.

CAtechumenorum ſtationes, & quibus pietatis officiis unaquæque luſtrabatur, nobis nunc eſt explicandum. Prima Catechumenorum ſtatio duo hominum genera in ſinu ſuo complectebatur. Prius eorum erat, qui Epiſcoporum, & Presbyterorum ſermones cum aliquo erga Religionem Chriſtianam affectu frequentabant, & verbis eam profiteri, vitamque Chriſtiano more agere, ſe velle teſtabantur; id tamen nondum Eccleſiæ promiſerant, quia de Baptiſmo aliquando ſuſcipiendo nondum apud ſe decreverant, ſe velle inſtrui tantum præferebant, atque ideo Chriſtianorum Synaxes audiendi cauſa ſæpe adibant, cum iis libenter verſabantur, & de religionis myſteriis diſcendi cauſa colloquebantur, Idolorumque cultum ſe horrere palam profitebantur. Talis Catechumenus erat Sanctus Auguſtinus, cum Manichæorum Secta illi vileſcere cœpit, atque hanc inter, & Religionem Chriſtianam fluctuare, ut ex illius verbis colligitur in fine lib. 5. Confeſſionum: *Statui ergo tamdiu eſſe Catechumenus in Catholica Eccleſia mihi a Parentibus commendata, donec certi aliquid eluceret.* Frequentabat Eccleſiam, Sanctique Ambroſii ſermones, ſed de his varie, & humanitus judicans, ut ex his, quæ antecedunt, elucet. Tales erant primis quatuor ſeculis pene innumeri: quotquot ſcilicet Baptiſmum ad finem uſque vitæ differebant, ut libere voluptatibus indulgerent, veniæ integræ per Baptiſmum obtinendæ ſecuri; qui ut ſcribit Tertullianus: *Certi indubitatæ veniæ delictorum medium tempus interim furantur, & commeatum ſibi faciunt delinquendi, quam eruditionem non delinquendi.* Homines iſti, ut ab Ethnicis, Hæreticis, & Judæis diſtinguerentur, vocabantur Audientes, atque etiam Catechumeni, eo quod ſe rudimenta Fidei Chriſtianæ edoceri non gravate ferebant, immo ſæpius maximo ſtudio iis ediſcendis incumbebant.

Ejuſmodi Catechumeni caduco, & fragili admodum vinculo cum Eccleſia devinciebantur, ut res ipſa, Sanctique Auguſtini verba demonſtrant. Idem enim, quod licebat ipſis, licebat & Gentilibus, & Judæis, & Hæreticis, ut ſtatuit Concil. Carthagin. IV. cap. 84. *Epiſcopus nullum prohibeat Eccleſiam ingredi, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſſam Catechumenorum.* Hoc decretum renovat Concilium Valentinum Hiſpaniæ cap. 1. rationibus additis, quas Lector eo loco conſulere poterit. Ideo nullis precibus, nulla Sacra expiatione ejuſmodi Catechumenos dignabatur Eccleſia, ſed auditis Sacrarum Scripturarum lectionibus, & Epiſcoporum, ſeu Presbyterorum ſermonibus, ſi qui habebantur, antequam Miſſa, ſeu Officium Catechumenorum proprium celebraretur, non ſecus ac Gentiles, & Judæi, foras mittebantur. Eodem modo erga eos ſe ſe gerebat Eccleſia, quo circa pœnitentes a Græcis potiſſimum Audientes dictos, de quibus Concilium Ilerdenſe cap. 4. *Qui ſe inceſtus pollutione commaculant, & in peccato perſeverant, uſque ad Miſſam tantum Catechumenorum in Eccleſia admittantur.* Canonem hunc repetunt Rabanus cap. 2. de Pœnitentia, & Burchard. lib. 7. cap. 3. Ideo in iſtos Catechumenos nullam ſibi Eccleſia arrogabat authoritatem: nihil enim Eccleſiæ promiſerant, nulloque Sacro ritu, quo privari poſſent, ab ea purgabantur. Omnis pœna Eccleſiaſtica in aliqua excommunicatione, ſeu ἀφορισμῷ conſiſtit, hoc eſt in privatione alicujus rei, quam cum aliis communicat. Sed cum his Catechumenis nihildum communicar, quod cum puris putis Ethnicis non communicaret. Quapropter eorum vita, moreſque nec Eccleſiaſticæ admonitioni, nec cenſuræ obnoxii ſunt. Dicebantur tamen ex uſu Eccleſiæ Catechumeni; ita enim ſe talem profitetur S. Auguſtinus cum in eo ſtatu eſſet, quem deſcripſimus. Sic & Pollentius, atque ipſe Auguſtinus in fine libri primi de adulterin. conjugiis, Catechumenum vocant eum Ethnicum, qui non modo adulter eſt publicus, ſed concubinam ſæpius monitus deſerere non vult. Suadet morientem baptizari, quia Catechumenus eſt, licet concubinam non deſeruerit, & propter morbi violentiam, qua obſtu-

obſtupuit, ſe deſerturum promittere non poſſit. Tales erant eorum plerique, qui Baptiſmum differrebant, adverſus quos agunt Tertullianus, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, & alii. Ideo enim differebant, ut ajunt illi Patres, ut ſecuri integræ per Baptiſmum ſaluris adipiſcendæ, voluptatibus liberius ſe ſe dederent.

Origenes lib. 3. in Celſum poſt medium, non invidenter mihi videtur tres illos Catechumenorum Ordines indicare. Ita ſcribit, ut hæc ipſius verba interpretati ſumus. *Chriſtiani quanta poſſunt diligentia experiuntur, & examinant animos eorum, qui ipſos audire cupiunt, & privatim dogmata ſua illis prius inculcant, ut, cum ſufficienter eos audiiſſe, & in honeſtæ vitæ voluntate profeciſſe judicaverint, publicum poſtea cœtum ingredi permittant, tunc que demum in duos ordines ſeparatos introducant; unum recens Incipientium, & Admiſſorum, qui nondum Symbolum, quo purificentur, acceperant. Alterum eorum, qui pro virili demonſtraverunt voluntatem ſuam, ſeque nihil aliud velle, quam quæ Chriſtianis placent: apud quos nonnulli præpoſiti ſunt, qui vitam, moreſque accedentium inquirant, ut qui vituperanda committunt, aditu ad cœtum communem prohibeant, eos vero, qui tales non ſunt, amplectentes, ut meliores quotidie evadant, procurent.* Perſpicue mihi videtur tres Catechumanorum Ordines deſcripſiſſe. Primus eorum eſt, quos hic enarramus, qui privatim eruduntur, nondum tamen Catechumenorum Miſſæ, hoc eſt, orationibus, manuumque impoſitionibus adſunt, ſed non ſecus ac Gentiles, & Judæi ſolis Epiſcoporum ſermonibus, & homiliis, donec voluntate eorum per varias Catecheſes privatas confirmata, ſecundo ordini adſcribantur. Difficile forſan alicui videbitur, quod eruditi in primo ordine auditores, in duas Claſſes diſtribuantur, cum omnes ad ſecundum ordinem mitti debeant, ut per ſecundum ad tertium perveniant. Sed diligenter attendenti nihil eſt in hac diſciplina ſingulare. Non enim omnium eſt idem in eodem ordine profectus. Deinde voluntas, & Religionis propoſitum maxime ſpectantur. Ideo quibus eſt conſtans Religionem Chriſtianam ampleſtendi voluntas, facile a primo ordine, tranſulto ſecundo, ad tertium evehuntur. Alii vero in ſecundo aut etiam in tertio tamdiu detinentur, quamdiu vitæ priſtinæ ſerio deſerendæ, & in religionem ſinceræ propenſionis, & affectus argumenta non dederint.

Poſterius hominum genus, quod Catechumenica illa ſtatio continet, Catechumenorum eſt ſecundæ ſtationis, qui propter peccata ad hanc ſtationem pulſi ſunt. Ex quo inſuper colligitur iſtius ſtationis a ſecunda diſtinctio. Hoc nos docet Canon 5. Concil. Neocæſarienſis. *Catechumenus ſi in Dominicum ingrediens, in Catechumenorum ordine ſteterit; is autem peccat, ſi genu quidem flectens, audiat non amplius peccans. Sin autem etiam audiens adhuc peccet, extrudatur.* Duo Catechumenorum gradus, five ſtationes evidentiſſime commemorantur: Audientium ſimpliciter, & Genuflectentium. Priores illi ſunt, de quibus nunc agimus, qui ad Dominici, five Eccleſiæ portam ſubſiſtunt, hoc eſt, cum Audientibus, & conſequenter nulla oratione ſuper eos facta, ante omnem expiationis ritum dimittebantur: hinc eſt quod a genuflectentibus diſtinguantur. Poſteriores, ſi peccant, jubet Concilium ad priorum claſſem ablegari, atque inter Audientes tolerari; quod ſi iterum peccent, ab Eccleſia prorſus expelli. Catechumenorum igitur ſecundam ſpeciem continebat prima ſtatio, ſed qui propter crimina ſecunda ſtatione exciderant.

Zonaræ Commentarius in hunc Canonem hanc doctrinam, conſuetudinemque egregie explicat, & utroſque Catechumenos a ſe invicem diſtinguit. *Duo Catechumenorum olim erant ordines; alii quidem amplexi fidem, ſed qui baptiſmum differrent, cum Catechumenis adſtabant, dumque preces ſuper Catechumenos recitabantur, genua flectebant, & poſtquam illud,* Catechumeni procedite, *de more pronunciatum eſſet, ingrediebantur.* Alii primum accedentes, minuſque perfecti, Scripturas audiebant, Evangelioque recitato dimittebantur. Eadem & evidentius Balſamon, & Ariſtænus in hunc Canonem. Catechumenos enim in Perfectiores diſtinguunt, & Imperfectiores: Imperfectiores audiiſſe ſolas Scripturas, iis lectis, ad preces, quæ ſuper Catechumenos fundebantur, non eſſe admiſſos, ſed ab Eccleſia ſecedere juſſos; Perfectiores autem iis omnibus communicaſſe, nec ſeceſſiſſe, niſi Miſſa Catechumenorum peracta; atque equidem merito, cum propter ipſos hæc omnia peragerentur.

Hoc confirmat Concilii Nicæni Can. 13. Jubet enim Catechumenos lapſos, hoc eſt Idololatria contaminatos, tribus annis audire, poſtea cum Catechumenis orare. *De Catechumenis lapſis ſancto, & magno Concilio placuit, ut tribus annis ſint inter Audientes tantummodo: poſt hæc autem cum Catechumenis orent.* Erant igitur Catechumeni illi Audientibus mixti, quibus cum orationes non communicabat Eccleſia. Appoſitiſſime in hunc Canonem ſic commentatur Ariſtænus: *Duæ ſunt Catechumenorum ſpecies, alii enim recens advenerunt, alii perfectiores evaſerunt, quantum fieri potuit fidei myſteriis initiati. Perfectior igitur Catechumenus in peccatum incidens, non dimittitur impunitus, licet ſanctum Baptiſma omnes animæ ſordes poſſit eluere, ſed cum Audientibus collocatur. Trienniove exacto iterum cum Catechumenis precatur.*

CA-

CAPUT QUINTUM.

Secunda Catechumenorum Statio explicatur. Examen prævium, solemneſque ritus tam Græcorum, quam Latinorum, quibus huic Stationi primum adſcribebantur, & Catechumenatui initiabantur, ex antiquis monumentis editis, & nondum editis eruuntur. Per ſignum Crucis in utero Eccleſiæ concipiuntur; Salis traditio Latinorum, non Græcorum ritus. Cur per manus impoſitionem Chriſtiani aliquando fieri dicuntur.

EX ſecundæ Catechumenorum ſtationis deſcriptione, qualis prima fuerit, innoteſcet. Secundæ huic ſtationi non quilibet adſcribebantur, ſed ii tantum, quos diligenti examine facto, conſtabat velle eſſe Chriſtianos, & ſincero initiationis deſiderio teneri, quocumque tandem modo pius ille animi motus in eos illapſus fuiſſet, ſive Chriſtiani alicujus admonitionibus, ſive ipſi ſola Librorum Chriſtianorum lectione commoti fuiſſent, ſive præſens, & immediata Spiritus Sancti inſpiratio eorum animum pupugiſſet, eique Idolatriæ, & vitiorum odium inſudiſſet. Hoc capite duo deſcribemus, examen petentium Catechumenatum, & ritum, quo in Catechumenos initiabantur. Deſcribit hoc Sanctus Clemens lib. 8. Conſtitut. c. 32. *Qui primo ad myſterium pietatis adveniunt, adducant eos Diaconi ad Epiſcopum, aut ad Presbyteros, & cauſas exquirant, cur ad verbum Domini acceſſerunt. Et qui adduxerunt eos, tribuant eis teſtimonium. Excuſſis, & examinatis diligenter his omnibus, quæ ad eos pertinent, inquiratur in eorum mores, & vitam, & utrum ſervi ſint an liberi. Si fuerit ſervus Chriſtiani, interrogetur Dominus ejus, an præbeat ei teſtimonium; ſi non præbeat, repellatur, quòd ſe probet Domino, &c. Si quis leno, aut definat lenonem agere, aut repellatur. Meretrix ſi accedat, aut definat eſſe meretrix, aut repellatur. Illorum opifex ſi accedat, aut definat, aut repellatur, &c.* Perſequitur fere ſingula vitia, & obſcœnas artes, ſemper hoc inculcans, aut definat, aut repellatur. Libri præcedentis c. 40. multis docuerat, quibus doctrinæ myſteriis erant ante Baptiſmum imbuendi.

De ratione iſtius examinis, & interrogationibus in eo faciendis librum integrum ſcripſit Sanctus Auguſtinus, quem de Catechizandis Rudibus inſcripſit: Pericopen tantum unam aut alteram exſcribemus. Cap. 16. initio petentem Catechumenatum interrogari vult, *utrum propter vitæ præſentis aliquod commodum, an propter requiem, quæ poſt hanc vitam ſperatur, Chriſtianus eſſe deſiderat.* Deinde pro reſponſi ratione monendum eſſe jubet. Conſiderari quoque vult perſonæ dignitatem, doctrinam, ſimplicitatem, aliaſque conditiones, ut juxta uniuſcujuſque conditionem ſermonem ſuum temperet. Alios quoque fines cap. 17. explicat, quos initiari cupiens ſibi proponere poteſt, ad quorum rationem Catechiſtam vult ſermonem ſuum inflectere, aliamque, & aliam perſonam induere. Deinde cap. 25. multis eum exhortandum docet, ut priſtinos mores deſerat, malos Chriſtianos non imitetur, virtuti ſtudeat, bonis operibus incumbat. Denique cap. 26. *His dictis interrogandus eſt, an hæc credat, atque obſervare deſideret, quod cum reſponderit, ſolemniter utique ſignandus eſt, & Eccleſiæ more tractandus.* Vides quomodo diligenti examine facto tandem initietur. Idem argumentum multis quoque perſequitur, in Libro de Fide, & operibus toto capite 6. & aliis antecedentibus, & conſequentibus; unde tamen hoc tantum depromemus. *Quod autem ſit per omne tempus, quod in Eccleſia ſalubriter conſtitutum eſt, ut ad nomen Chriſti accedentes, Catechumenorum gradus accipiant. Hoc ſit multo diligentius, & inſtantius his diebus, quibus Competentes vocantur, cum ad percipiendum Baptiſma ſua nomina jam dederunt.* His verbis tria Lectori notanda ſunt: Primum non eſſe in cujuslibet poteſtate Catechumenum ſe ſe facere, ſed gradum eſſe quemdam Ephnico ab Eccleſia ſuſcipiendum. Secundum, poſtquam gradum illum ſuſceperint, ab Eccleſia ſemper doceri, & purgari, ſed potiſſimum poſtquam Competentium numero ſunt adſcripti. Tertium ſemper Catechumenis aliquem poſſe allegi, Competentibus vero nequaquam. Infra hæc tempora diſtinguemus. Eadem examinis conſuetudo, & forma ex pleriſque teſtimoniis etiam hoc capite referendis colligetur.

Examine igitur facto, & vitæ melioris, & ſecundum Chriſtianam diſciplinam agendæ pollicitatione data, ſtatim in Catechumenum ſigno Crucis ſolemniter inauguratur, & Eccleſiæ more tractatur, ut ex Auguſtino jam oſtendimus, & ex multis aliis locis colligitur, ſerm. 3. cap. 4. de diverſis. Et tract. 11. in Joan. *Crucis charaƈterem accipit Chriſtianus, etiam cum ſit Catechumenus, portatque in fronte, & non erubeſcit de Cruce Domini ſui.* Et in Pſal. 141. parte 2. ferm. 1. *Ne dubitares, ne erubeſceres, quando primum creditiſti, ſignum Crucis in fronte, tamquam in domo puduris acceptiſti, vecole frontem tuam, ne ſigna expaveſcas aliena.* Ideo Sanctus Auguſtinus cap. 20. de Catechizandis rudibus, in exhortatione ad Catechumenum faciendum prævia ſic loquitur: *Tamquam ovis ad immolandum duƈtus eſt, cujus Paſſionis, & Crucis ſigno in fronte hodie, tamquam in poſte ſignandus es, omneſque Chriſtiani ſignantur.* Sanctus Ambroſius cap. 4. de iis, qui initiantur; *Credit etiam Catechumenus in Crucem Domini Jeſu, qua & ipſe ſignatur.* Juſtus Orgelitanus in Cantica num. 18. Chriſtum ſic loquentem inducit. *In odorifero Crucis patibulo, ubi ego occubui, illic te a peccatorum interitu ſuſcitavi, quando te credentem ſigno Crucis prænotari præcipio:* Et in actis S. Porphyrii apud Surium 26. Junii, legitur, quod cum mulier quædam Porphyrii precibus cenixa fuiſſet, parentes ejus ſtatim ſigno Crucis

eis facti fuerint Catechumeni. Prima igitur Sacræ initiationis actio poſt promiſſionem fidei in Chriſtum habendæ, & vitæ juxta ipſius præcepta ducendæ, Crucis eſt in fronte ſignatio, qua fit Catechumenus.

Cruci autem ſuper Catechumenum efformatæ quanta vis ab antiquis tributa fuerit, operæ pretium videtur explicare. S. Auguſtinus hoc nos docet initio Libri 4. ad Catechumenos. *Per Sacratiſſimum Crucis ſignum vos ſuſcepit in utero Sancta Mater Eccleſia.* Et initio Libri ſecundi ejuſdem operis. *Nondum quidem per Sanctum Baptiſma renati eſtis, ſed per Crucis ſignum in utero Sanctæ Matris Eccleſiæ jam concepti eſtis.* Ita loquitur Sanctus Auguſtinus, non quod ſolo hoc ſigno Catechumenus in utero concipiatur, ſed quod ab hoc ſigno ipſius conceptio, & ſanctificatio inchoetur. Nam, ut ipſe docet lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiſſione cap. 26. *Non unius modi eſt ſanctificatio. Nam & Catechumenos ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari.* Aliis etiam cæremoniis eumdem effectum tribui initio capitis ſequentis demonſtrabimus.

Eodem tempore, quo primum Cruce ſignabantur, manus etiam illis imponebantur, ut videtur ibi Sanctus Auguſtinus indicare, ſed clarius Dionyſius lib. 1. de Hierarchia Eccleſiaſtica (*a*) de Baptiſmo. *Explanata eidem divina vita, & ut ita dicam, converſatione, ex eo præterea quærit, num ita conſtituat vivere, cum promiſit manus ejus capiti admovet, eoque ſigno Crucis ſignato, Sacerdotibus imperat, ut viri atque ſponſoris nomina præſcribat.* (*b*) S. Clemens lib. 7. cap. 40. enarratis præcipuis doctrinæ Capitibus, quibus ad Religionem Chriſtianam accedens erat ante Baptiſmum informandus, ſubdit: *Hæc & alia conſequentia diſcat in Catecheſi, qui accedit, qui vero manus imponit Catechumeno, gratias agat Omnipotenti verum Domino &c. poſt hanc actionem gratiarum doceat Catechumenum de Incarnatione Domini, de Paſſione ejus &c. cum autem advenerit tempus baptiſmi, diſcat, qui catechizatus eſt, quæ de renunciando Diabolo, & adſcribendo ſe Chriſto &c.* poſtea perfequitur recitationem Symboli, Olei benedictionem &c. unde manifeſtum eſt illam manus impoſitionem, & Crucis ſignationem non modo in decurſu Catechumenatus, ſed etiam in ipſo inſtitutionis, ſeu Catechiſmi initio, ut vult Sanctus Auguſtinus, factam fuiſſe. Sulpitius Severus cap. 11. Vitæ S. Martini de Paganorum multitudine ob miraculum a Sancto Martino factum obſtupeſcente ſic ſcribit: *Nemo fere ex illa immani multitudine Gentilium fuit, qui non impoſitione manus deſiderata Dominum Jeſum relicto impietatis errore crediderit.* Impoſitionem manus ſuſcipere pro Chatechumenatum inire poſuit. Clarius adhuc in lib. de Virtutibus S. Martini, explicato enim Gentilium de Vita Chriſtiana amplectenda propoſito, addit: *Nec cunctatus in medio, ut erat, Campo, cunctos impoſita univerſis manu Catechumenos fecit, cum quidam ad nos converſus diceret, non irrationabiliter Catechumenos in Campo fieri, ubi ſolerent Martyres confecrari.* In Vita quoque S. (*c*) Alexandri Papæ exhortatione ab eo facta legitur: *Cum autem omnes ſe credere affirmarent, præcepit eventio, & Theodulo, ut eis manus imponerent, facerentque Chriſtianos;* Ita legitur S. Amandum Ultrajectenſe Epiſcopum Dagoberti Regis filium dies 40. vix natum in manibus accepiſſe, benedixiſſe, & Catechumenum feciſſe; & in Paſſione S. Pauli apud (*d*) Linum ſpiculatoribus a Sanctis Luca, & Timotheo Baptiſmum petentibus manus impoſitio facta eſt, ſed Baptiſmus dilatus, licet ſigni Crucis mentionem non faciant Authores illi, adhibitum tamen fuiſſe dubitandum non eſt, ſicut nec apud S. Auguſtinum manus impoſitionem, licet eam non commemoret; reliquas autem Cæremonias propter hominum multitudinem, & loci circumſtantias omiſſas fuiſſe videtur probabile. Solemnem fuiſſe ad Catechumenatum initiationem docet Gregorius l. 7. Regiſtri indict. 1. Epiſt. 24.: monitus enim Judæos multos converti velle, mandat monitori, quod ſi longum nimis, & tædioſum illis eſt exſpectare Paſcha, ut Epiſcopo conſulto quadraginta dierum obſervata abſtinentia occurrente aliqua feſtivitate baptizentur: *Si vero*, inquit, *Sanctum Paſcha elegerint expectare, iterum cum Epiſcopo loquere, ut modo quidem Catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque ſolicitudinem &c.* Ritus initiationis non enarrat; hoc enim ibi præpoſterum fuiſſet, ſed omnes paucis verbis in Sacramentario ſuo refert titulo *ad Catechumenum ex Pagano faciendum* his verbis: *Gentilem hominem cum ſuſceperis, primo Catechiſes eum divinis Sermonibus, & des ei monita quemadmodum poſt cognitam veritatem vivere debeat. Poſt hæc facies eum Catechumenum, & exſufflies in faciem ejus, & facias ei Crucem in fronte, & ponas manum ſuper caput ejus his verbis: accipe ſignum Crucis tam in fronte, quam in corde, ſume fidem Cœleſtium Præceptorum. Talis eſto moribus, ut templum Dei eſſe jam poſſis, & ingreſſus Eccleſiam Dei evaſiſſe te laqueos mortis lætus agnoſce: horreſce Idola, reſpue ſimulachra, cole Deum Patrem omnipotentem, & Jeſum Chriſtum filium ejus, qui vivit &c.* Poſtea ſuper ipſum funditur oratio, qua finita textus habet: *Inde vero poſtquam guſtaverit medicinam ſalis, & ipſe ſe ſignaverit benedices eum his verbis: Domine Sancte Pater &c.* Quinque igitur præcipuis partibus conſtat ritus faciendi Catechumenum. Explicantur illi nonnulla fidei myſteria, & vitæ perperam actæ corrigendæ neceſſitas illi indicatur, creditur um ſe & vitam mutaturum promirit. Secundo in faciem ejus exſufflatur. Tertio ſigno Crucis in fronte ſignatur. Quarto manus imponitur capiti, & ſolemnia verba proferuntur. Quinto Sal illi deguſtandum præ-

a Probat alibi Morinus ipſe Librum hunc de Hierarchia S. Dionyſii Areopagitæ non eſſe.

b S. Clemenris non ſunt Libri Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſed alicujus fortaſſe, qui privatis cujuſdam Eccleſiæ ritibus Apoſtolicam voluit addere authoritatem quinto fere ſeculo.

c Nec certa, nec vetuſti Authoris eſt vita Alexandri Papæ.

d Apocryphus eſt Linus iſte.

præbetur, & ſe ipſum ſignare jubetur. Denique benedictione ab Epiſcopo accepta dimittitur. Eadem leguntur in antiquo Rituali MS. Eccleſiæ Rhemenſis, qui nunc in Archiviis Eccleſiæ Rotomagenſis conſervatur. Eadem fere enarrat Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, qui ante annos nongentos ſcribebat, in libello de ordine Baptiſmi, quem inter adnotationes in Sacramentarium Sancti Gregorii edidit Claudius Menardus Congregationis Sancti Mauri Monachus vir doctus, & antiquitatis ſtudioſus. Citat & aliquot Ritualia antiqua, in quibus eadem leguntur, aut quæ eodem prorſus referuntur. Certe pleraque in antiquis Bibliothecis legimus, quæ cum vulgatiſſima ſint, non eſt tanti in ea animadvertere, ſed prætereundum non eſt eadem omnia, & eodem modo ad Sabbatum Pentecoſtes ſub eodem titulo legi in antiquiſſimo MS. literis majoribus ante annos mille circiter deſcripto, qui inſcribitur liber (*a*) Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ, qui officia Miſſarum Eccleſiæ Romanæ continet, qualia erant ante Sanctum Gregorium, quamquam aliquo poſt eum tempore, ſed in Gallia ſcriptus fuerit.

Aliud eſt præ manibus meis antiquum (*b*) Sacramentarium, ſed Gallicum, ejuſdem cum priore ætatis, aut paulo poſterioris ex eadem ampliſſimi viri Petavii inſtructiſſima Bibliotheca mutuo acceptum, in quo ordo, formaque Chriſtiani faciendi hæc traditur; agitur autem de infante; titulus eſt: *Ad Chriſtianum faciendum Domine dignare benedicere hujus infantiam famuli tui N. quoniam nec conditione quicquam, nec ætate depellitur dicente dilectiſſimo Filio tuo Domino noſtro: Nolite prohibere infantes venire ad me; hi enim, Domine, antequam bonum, aut malum faciant, Crucis tuæ ſigillo ſignantur, & quæ indiget dictatem ad ſacri nominis tui Baptiſmum percipere mereantur per Dominum..... Item cott. accipe ſignaculum Chriſti, ſuſcipe verba divina, in luminare verbum Domini, quia hodie confeſſus es a Chriſto; per Dominum. Item cott. ſigno te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut ſis Chriſtianus; oculos, ut videas claritatem Dei, aures, ut audias vocem Domini: nares, ut odores ſuavitatem Chriſti; converſus, ut confiteris Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: Cor, ut credas Trinitatem inſeparabilem. Pax tecum per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Amanuenſis ut ſæpe omiſit aliquid in oratione, & aliud perverſe ſcripſit; ſic forſan reſtitui poſſet, *& qui indigent ætate, ad Sacri nominis tui cognitionem baptiſmum percipere mereantur.* Inſtructionis nulla mentio, quia infans illius non eſt capax: nec impoſitionis manuum expreſſa eſt mentio, quia in oratione contineri ſolet, & in exemplo Chriſti allato intelligitur, quod ad guſtationem ſalis attinet, non fuit illa cæremonia ubique obſervata, ouſquam apud Græcos. Deinde hic agitur de Catechumeno faciendo, non de Electo ſive Competente, qui ſolemniter intra Miſſarum ſolemnia primordia ſale, ut infra dicemus, imbuebatur; Omnes illæ cæremoniæ ad faciendum Catechumenum referuntur ab Iſidoro l. b. 2. de Officiis cap. 20. Alcuino lib. de Officiis Divinis cap. de Sabbato Sancto, & Rabaoo Mauro lib. 1. de Inſtitutione Clericorum cap. 27. ut apud eos legi poſſunt; ſed notabit Lector Auctores illos uno Capitulo omnes Baptiſmi cæremonias una ſerie enumerare, quæ variis temporibus, & vicibus adminiſtrabantur. Nec erat opus ab iis iſta diſtingui, cum illis ſæculis ex earum vulgata obſervantia uniuſcujuſque tempus nemini non eſſet cognitum.

In Græcorum Euchologio ordo eſt ad Catechumenum faciendum ab ordine Baptiſmi ſeparatus, in quo ritus ſupradicti obſervantur omnes, excepta ſalis cæremonia, cujus nulla eſt apud Græcos memoria. Multæ etiam memorantur ſpeciales cæremoniæ. *Solvit Sacerdos zonam baptizandi, expoliat, & diſcalceat eum, & ſiſtit ad Orientem ſola tunica indutum, diſcinctum, diſcoopertum, & diſcalceatum, manus inferne habentem, terque inſufflat in faciem ejus, & ter ſignat frontem ejus, & pectus, manuque ſuper caput ejus impoſita, dicit: In nomine tuo Deus veritatis, & Unigeniti Filii tui, & Spiritus tui Sancti impono manum meam ſuper ſervum tuum N. qui dignus factus eſt, qui confugeret ad nomen ſanctum tuum, & conſervaretur ſub umbraculo alarum tuarum: averte ab eo antiquum hunc errorem, & adimple eum fide, quæ eſt in te, & charitate, &c.* Longior eſt hæc Oratio. Orationem ſequitur triplex exorciſmus, deinde longa Oratio, & abrenunciationes Satanæ, & operibus ejus ſæpius iteratæ, & inſufflationes, quas claudit brevis Oratio. In antiquis Ritualibus Græcis ſimilem Catechumeni faciendi formam legiſſe me memini.

Antiquitus tameo iſta videotur apud Græcos tribus diebus facta fuiſſe, non una, & continua oratione. Sic enim Concilium Conſtantinopolit. 1. cap. 7. de quibuſdam Hæreticis, quorum nullum erat baptiſma, atque adeo ad Eccleſiam revertentes, ut Ethnici recipiebantur. *Eos*, inquit, *ut Græcos admittimus, & primo quidem die Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos: deinde tertio exorcizamus, five adjuramus eos, ter ſimul in faciem eorum, & aures inſufflando; & ſic catechizamus eos, & curamus, ut longo tempore verſentur in Eccleſiis, & audiant Scripturas, & tunc ipſos baptizamus.* Eadem repetivit, & confirmavit ducentis poſt annis Concilium ſextum in Trullo cap. 95. Negotium faceſcere poteſt, quod dicitur, *primo die facimus eos Chriſtianos, ſecundo Catechumenos.* Baptiſmus enim Chriſtianum facit, ſed hoc tribuitur virtuti crucis. Cum enim in Catechumeni initiatione alias cæremonias præcedat ſignum crucis, ſitque ſignum exterius, cujus expreſſione Chriſtianus ab Ethnico diſtinguitur, ubi in

a Liber ille e Bibliotheca Petaviana translatus in Bibliothecam Reginæ Sveciæ, quæ Romæ eſt, Joſephi Mariæ Thomaſii Cler. Regul. opera in lucem editus eſt in 4. anno 1680.

b Miſſale ſeu Sacramentarium, quod Gallicum appellat Morinus, ab eadem Regina Romam translatum, idem edidit Thomaſius ad calcem ſuperioris Sacramentarii. Videtur autem Miſſale iſtud Gothicum, ſeu Gotico-Gallicanum ad uſum Narbonenſium.

Catechumeni conſecratione actiones tempore ſeparantur, primo dici Chriſtianum a ſigno crucis conveniens eſt, deinde Catechumenica initiatione completa, Catechumenos. In antiquiſſimo Gallico rituali vidimus totam illam actionem inſcribi ad Chriſtianum faciendum, quæ in aliis ritualibus editis, & manuſcriptis dicitur *facere Catechumenum*. Modus eſt iſte loquendi regionum, & temporum, quo nomen rei perfectæ communicatur cum inchoatæ. Ita Concilium Eliberitanum cap. 39. locutum eſt, *Gentiles ſi in infirmitate deſiderauerint ſibi manus imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte honeſta vita, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos*, id eſt Catechumenos, ad quam initiationem fecit infirmitas, ut facilius admitterentur. Eodem referendus eſt Canon. 6. Concilii Arelat. 1. *de his, qui in infirmitate credere volunt, debere his manum imponi*. Ex quibus inſuper ad rem noſtram colligitur contingente infirmitate, ſi Ethnicus baptizari deſiderat, examen & fidei & bonæ voluntatis, ut Catechumenatui initietur, multo minus ſevere faciendum eſſe.

CAPUT SEXTUM.

Catechumenos, in Catechumenatu velut in utero Eccleſiæ per Oraculorum divinorum explicationem, & traditionem a Patribus concipi dictos. Hac metaphora uſos eſſe Platonicos. Quæ doctrinæ myſteria, quove ordine illis tradebantur, quæ obſcondebantur.

NEmo ut opinor dubitare poteſt Catechumenos ante Baptiſmi ſuſceptionem myſteria fidei eſſe docendos, ipſa *Catechumeni* dictio id demonſtrat *ὁτι κατηχούμενοι κατηχοῦνται, βαπτίζονται*. *Catechumenos religionis Chriſtianæ fundamenta edoctos Baptizate*, inquit Sanctus Clemens lib. 6. cap. 18. ſed ante omnes Dominus noſter Apoſtolis ſuis præceperat, *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos &c.* Et Philippus ad Eunuchum, *Si credis ex toto corde, licet*. Catechumenatus erat tyrocinium, in quo & fidei Chriſtianæ myſteria, & vitæ ſecundum Evangelium componendæ ratio tradebantur, & diſcebantur. Ut enim ex S. Auguſtino didicimus, ſigno Crucis in utero Matris Eccleſiæ Catechumeni concipiebantur, ſic & oraculorum divinorum intelligentia, & myſteriorum fidei prædicatione, & meditatione, hoc nos quoque ſanctiſſimi Patres docent ſæpius. S. Dionyſius cap. 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. *Nullis ſacris*, inquit, *initiati ſunt, ſed adhuc paternis oraculis obſtetricantur vitalibuſque figurationibus, & lineamentis finguntur ad beatum illum progreſſum vitæ, lucique Principem, qui a divino ortu proficiſcitur*, & paullo poſt divina oracula vocat *μόρφωσιν, & ζώπυρα formandi, & vivificandi vim habentia*. De hac ſpiritali hominis per doctrinam, & inſtitutionem formatione, & generatione multis differit Origenes homilia 10. in Exodum. *Formatus infans, poteſt videri ſermo fidei in corde illius animæ, quæ gratiam baptiſmi conſecuta eſt, vel quæ evidentius, & clarius Verbum Dei concepit*. Dilucide admodum hoc explicat (*a*) S. Ambroſius in c. 12. Apocalyp. *quando infans in utero coagulatur, humanamque formam accipit, & ſpiramentum; ſimiliter & Eccleſia infideles quoſque in utero geſtat, dum eos prædicando tamdiu nutrit, uſque dum humanam formam accipiant, ideſt uſque dum in Chriſtum credant, & animam ſpiritalem accipiant, quæ in baptiſmo datur, dum efficiuntur filii Dei &c.* Nec minus evidenter Chryſoſtomus ſive author operis imperfecti in Matth. hom. 49. *Quando prædicant verbum veritatis, credentes in fide concipiunt, & habent eos in gremio ſuo quaſi in utero, donec formentur catechizati per ſingula membra pietatis, & fidei, ut cum formati fuerint, a fonte tamquam utero Eccleſiæ in lucem edantur*. Fons ille ſive uterus, e quo pariuntur Catechumeni per variorum myſteriorum traditionem tandem concepti, Baptiſmus eſt, ut expreſſe docet Sanctus Ambroſius, & unicuique Chriſtiano perſpicuum eſt. Ideo Bachiarius antiquus author in Epiſt. de recipiendis lapſis Tom. 3. Biblioth. Patrum, hanc metaphoram continuans recte dixit de baptizatis: *quos Eccleſiaſtici fontis uterus, & ſecreti ac perplexi vulva myſterii parturivit, quos natos Crucis cuna ſuſcepit, Evangelii mammilla lactavit*.

Præclare ſane, & ad rem acute S. Auguſtinus hac doctrina fretus Competentes ad vitam ſancte agendam hortatur ſerm. 116. de (*b*) tempore, ut digne baptiſmum in proximo Paſcate ſuſcipiant: *Quia omnes Competentes uterus Matris Eccleſiæ Chriſto inſpirante concepit, nihil injuſtum, aut inhoneſtum exerceant, ne forte male agendo viſcera materna concutiant, & ante legitimum partum velut abortum eos Mater Sancta projiciat. Sed magis omnes Competentes benigni ſint, & humiles &c.* Ivo quoque Carnutenſis antiquorum veſtigia premens Sermo. 4. ad Neophitos, hanc doctrinam illos docet: *Tria ſunt, quibus uſque ad indumentum novitatis baptizandus concipitur, alitur, & uſque ad novitatis integritatem provehitur, Catechiſmi ſcilicet, exorciſmi, & orationes*. Eadem poſt Ivonem docet Hugo a Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis fidei parte 6. c. 10. hujus metaphoræ magnifice rationem ex Platonis Theæteto reddit Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum non longe ab initio: *Alios enim ſecundum corpus concipere, alios vero ſecundum animam, eum apud Barbaros philoſophos catechizare, & illuminare, regenerare ſit. Hinc ego genui vos in Chriſto, dicit alicubi præclarus Apoſtolus*. Cum igitur Catechumeni documentis fidei, prædicationibus & frequentibus Catecheſibus in utero Matris Eccleſiæ conciperentur, & efformarentur, ut tandem eos per baptiſmum Chriſto generaret,

(*a*) S. Ambroſii opus non eſt, ſed recentioris cujuſdam Scriptoris. Vid. Sixtum Senen.

(*b*) Dubii ſunt Sermones de tempore.

ret, operæ pretium aliquod facturi nobis videmur, ſi quæ myſteria illis explicarentur, dum Catechumenatus tyrociniis eos exercebat Eccleſia, aperiamus. Non enim ſolebant antiqui Patres omnia ſtatim myſteriorum adyta pandere; difficiliora, & abſtruſiora fidei myſteria in finem Catechumenatus cum competentium ordini allecti erant, differebantur. Quæ igitur toto illo tyrocinio edoceri ſolerent, inquiramus. S. Auguſtinus dilucide hoc explicat toto libro de Catechizandis rudibus, nec ſolum multa hujus inſtitutionis præcepta Diacono Carthaginenſi tradit, ſed & hujus inſtructionis formulas. Paucis omnis illa inſtructio concipi poteſt, ſi ſeparatim ſumma capita eorum, quæ docebantur, & quæ non docebantur, expreſſerimus. Quid docebantur, his verbis enarrat S. Auguſtinus cap. 3. libri jam citati: *Narratio plena eſt, cum quiſque primo Catechizatur ab eo, quod ſcriptum eſt: In principio fecit Deus Cœlum, & Terram, uſque ad preſentia tempora Eccleſiæ, non tamen propterea debemus totum Pentateuchum, totoſque Judicum, & Regum, & Eſdræ libros, totumque Evangelium, & Actus Apoſtolorum, vel ſi ad verbum ea didicimus, memoriter reddere &c. Sed cunctа ſummatim, generatimque complelli, ita ut eligantur quædam mirabiliora, quæ ſuavius audiuntur, atque in ipſis articulis conſtituta ſunt, & ea tamquam in involucris oſtendere, ſtatimque a conſpectu abripere non oportet, ſed aliquantulum immorando, quaſi reſolvere, & expandere &c.* quæ multis profequuturi, ut omnia, quæ in veteri Teſtamento contingebant, in figura propter nos fieri, Dei amorem erga genus humanum adventus Jeſu Chriſti in Carne cauſam eſſe. Hinc colligi quantum nos Deus amaverit, quantum proximum diligere debeamus c. 7. *Narratione finita ſpes reſurrectionis intimanda eſt, & pro capacitate, ac viribus audientis, proque ipſius temporis modulo adverſus vanas irriſiones infidelium de Corporis reſurrectione tractandum, & futuri ultimi judicii bonitate in bonos ſeveritate in malos &c. prædicandum eſt.* Conſequenter cum ad vitam religioſe agendam hortabatur, ut inferorum pœnas evitaret, & æternis gaudiis frueretur, hæc & ſimilia faciendus Catechumenus docebatur, quibus cum credere, vitamque, ut initruebatur, agere, ſe velle pollicebatur, in Catechumenum ritu jam enarrato initiabatur. S. Auguſtinum imitati ſunt Ivo ſermone ad Neophitos, Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacram. fidei p. 6. c. 8. & alii.

Similia leguntur apud Clementem lib. 7. cap. 40., & ſequentibus, ubi docet Sacerdotes, quibus doctrinæ myſteriis imbuendi ſint, qui primum ad fidem veniunt, quibuſve, cum aliquos fecerint progreſſus. Sed Sancti Ambroſii brevem methodum utile erit hic adtexere. Sic illam explicat lib. 6. Commentar. in Lucam: *Cum aliqui ex Gentibus vocantur ad Eccleſiam, ita præceptorum ſeriem formare debemus, ut primus unum Deum authorem Mundi, omnisque eſſe doceamus, in quo vivimus, & ſumus, & movemur &c., deinde opinionem illam, quæ eſt de Idolis, deſtruamus, ut non poſſit æsti, argentique, vel ligni materia vim in ſe habere divinam. Cum unum Deum eſſe perſuaſeris, tunc indicio ejus adſtrues per Chriſtum nobis ſalutem datam, incipiens ab illis, quæ geſſit in corpore, & ea divina deſcribens, ut pluſquam homo fuiſſe videatur &c. ut cum ſupra homines fuiſſe videatur, Deus eſſe credatur.* Sic eſſe procedendum Apoſtoli exemplo probat, deinde ſubdit. *Qui tractat, debet audientium conſiderare perſonas, ne prius irrideatur, quam audiatur, &c. non in principiis perfecta quæruntur, ſed de principiis ad ea, quæ perfecta ſunt, perventur.* Aliter poſtea docet cum Judæis eſſe agendum, atque ejuſdem Apoſtoli teſtimonio comprobat. His explicatis breviter quoque docet, qua ratione Catechumeni non quilibet, ſed ii, qui ad Sacramenta fidelium tendunt, inſtruendi ſint, verba ipſius infra referemus.

Inſtitutionis iſtius Catechumenicæ cognitio erat adeo vulgata, ut Lucianum philoſophum non latuerit. Sic ille in Dialogo Philopatris inducit Chriſtianum S. Pauli diſcipulum inſtruentem Catechumenum. Primum docet gentium Deos homines fuiſſe impios, & fabulas, quæ de ipſis feruntur, irridet. Pergit poſtea Triephon Chriſtianus Critiam imbuere: *Legiſti ne aliquando Ariſtophanis Comici Poetæ fabulam, Aves? Critias, atque admodum. Tri. Scriptum ab eo talè quippiam eſt, a principio Chaos, & nox, & tenebræ nigræ, & Tartarus altus: nulla autem Terra, nec aer, aut polus adhuc. Cri. velle dicis, quid autem poſtea? Tri. erat luxe incorruptibilis, inviſibilis, incomprenſibilis, quæ diſſolvit tenebras, & informitatem ipſam abegit verbo ſolo dicto ab ipſa, quemadmodum tardilinguis iſte deſcripſit. Terram formavit ſuper aquas, Cœlum explanavit, ſtellas formavit &c. eſſque in Cœlo aſpiciens juſtos pariter, & injuſtos &c. rependet autem omnibus*, & poſt multa, *bona verba, Critia, neque quicquam contemptum, aut vile de Deo dextero loquaris, ſed Catechumenus exiſtens perſuaderi a me tibi ſine, ſi modo vivere cupis in ævum &c.* Ex iſtius Epicurei philoſophi verbis evidens eſt hanc informandi, & inſtituendi Catechumeni formulam apud omnes Chriſtianos vulgatiſſimam fuiſſe.

Interrogabis, ſi Catechumeni in ipſo Confeſcationis ſuæ initio ita docebantur, quid in progreſſu? paſſim enim annum unum, aut duos in Catechumenatu detinebantur, nonnunquam plurimos annos, etiam ad finem uſque vitæ. Reſpondeo, aliis Myſteriis, quam generalibus illis jam enarratis eos toto Catechumenatus tempore non fuiſſe imbutos, ſed diu in Catechumenatu detentos, ut clarius, & firmius ea diſceret, atque etiam, ut vita eorum, & in fide propoſitum probaretur. Erat enim Catechumenatus verum religionis Chriſtianæ tyrocinium, & Monachorum probationi, ſeu Novitiatui ſimillimus, quo durante religionis elementa docebantur, illiſque inculcabantur, morumque futurorum experimentum capiebatur. Diſtinctius, & expreſſius definierur, quæ myſteria hic tradebantur, ſi quæ non traderentur, explicuerimus. Symbolum fidei, myſterium Trinitatis, Oratio Dominica, magna Eccleſia Sacramenta illis non tradebantur. Hæc fidei noſtræ

Sacramenta Competentium erant propria, & ſingulis annis tradebantur, & explicabantur initio Quadrageſimæ, vel in medio Competentibus, hoc eſt, Catechumenis ad Baptiſmum in Paſchate ſuſcipiendum electis, & continuabatur hæc explicatio ad finem uſque Quadrageſimæ, certo quodam ordine, quem infra explicabimus, donec baptiſmum ſuſciperent. Cæteri Catechumeni ab his myſteriis audiendis arcebantur, immo tractatus, & homilias de his myſteriis ſcriptas, ne Catechumenis legendas quis exhibeat, ſevere prohibet S. Cyrillus Hieroſolymitanus in fine præfationis Catecheſium ad Competentes habitarum.

Utriuſque doctrinæ differentiam nos præclare docet S. Baſilius in exhortatione ad baptiſmum, appetente Paſchate facta; *Reſurrectionis ergo gratiam in die Reſurrectionis excipiamus. Quamobrem Eccleſia ſuos procul alta voce convocat alumnos ὅ ἐστι τέκνα ἐξ ὠδίνων ἐστιν, ut quos olim cum dolore parturivit, tunc demum pariat, eiſque Catechiſtica doctrina ablactatis ſolidum dogmatum cibum præbeat deguſtandum.* Priores Catecheſes ante Quadrageſimam factas lacti comparat, poſteriores ſolido cibo. Priores conceptui mulierum, poſteriores partui. Metaphoram a verbis S. Pauli cap. 5., & 6. Epiſtolæ ad Hebræos mutuatus videtur, qui diſerte, & ſigillatim diſtinguit tyronum, & incipientium doctrinam ab ea, quæ perfectis, & magiſterio donatis inſtillatur: *Cum deberetis Magiſtri eſſe propter tempus, rurſus indigetis, ut vos doceamini, quæ ſint elementa exordii Sermonum Dei, & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, & non ſolido cibo &c.* Deinde explicat, quæ ſit inchoantium, ſive Catechumenorum doctrina: *Non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptiſmatum, doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni*: Hinc exemplum diſciplinæ ſuæ erga Catechumenos deſumpſit Eccleſia, & ea, quæ inchoantium eſſe ſcribit Sanctus Paulus, ediſcenda Religionis Chriſtianæ tyronibus propoſuit.

Antiquæ iſtius conſuetudinis ſpecialia argumenta, & materiarum hypotheſes demonſtrantia, cum de Competentibus, ſive tertia Catechumenorum Claſſe nobis erit agendum, referemus; ad eos enim iſta pertinent. Nunc pauca alia, quæ hæc in genere, vel in ſpecie probant, præcedentibus addemus. S. Auguſtinus tract. 11. in Joannem interpretans hæc verba: *Chriſtus non credebat ſe eis*, elegante exprimit, quid Catechumenis occultaretur: *Ipſis ergo ſe credebat Jeſus, qui nati fuerant denuo. Ecce illi crediderunt in eum, & Jeſus non ſe credebat eis. Tales ſunt omnes Catechumeni: Ipſi jam crediderunt in nomine Chriſti; ſed Jeſus non ſe credit eis. Intendat, & intelligat charitas veſtra. Si dixerimus Catechumeno, credis in Chriſto? Reſpondet, Credo: & ſignat ſe Cruce Chriſti, portat in fronte, & non erubeſcis de Cruce Domini ſui. Ecce credit in nomine ejus. Interrogemus eum, manducas Carnem filii hominis, & bibis Sanguinem Filii hominis? Neſcit, quid dicimus, quia Jeſus non ſe credidit eis.* Evidentiſſimum eſt, altiora fidei myſteria toto Catechumenatus tempore de induſtria fuiſſe illis occultata. Similia concionatur ad Populum S. Chryſoſt. Homil. 2. in 2. ad Corinth. ſed non cum tanta verborum alluſione, & gratia: *Oratio*, inquit, *ſit pro Catechumenis, ut aperiantur aures cordium eorum, clauſæ enim ſunt, & obturatæ &c. Non enim audierunt inefſabilia myſteria, ſed procul, & longe ab eis ſunt, & licet ea audirent, non tamen intelligerent: Egent enim intelligentia multa, non ſola auditione.* Cavebant igitur diligenter Catechumenorum Doctores, ne in Catecheſibus ſuis abſtruſa fidei myſteria illis quoquomodo revelarent. Hoc ut apud Chriſtianos tritiſſimum ludit quoque Lucianus in eodem dialogo. Cum enim induxiſſet Chriſtianum per Trinitatem jurare docentem, & Catechumenum de hoc myſterio interrogantem, ſtatim Catechumenum compeſcit Chriſtianus: *Tace ea, quæ infra ſunt, quæque ſilentio digna. Non licet hoc paſto metiri pulicum veſtigia. Ego vero docebo te, quid ſit univerſum, & quis fuerit ante omnia &c.* Ex dictis hactenus manifeſtum eſt, quibus doctrinæ Chriſtianæ capitibus Catechumeni, & initio Catechumenatus, & toto ipſius curſu imbuerentur, quod nobis hoc capite enarrare propoſitum fuit; unde ſimiliter conſequitur illud Sancti Auguſtini, & aliorum Patrum, *norunt fideles*; cum inter prædicandum Religionis Chriſtianæ myſteria revelare formidant, non tantum Ethnicos ſpectare, ſed etiam Catechumenos. Ideo Sanctus Cyrillus præfationem in Catecheſes ſuas finiens, ut Catecheſeon lectionem Competentibus, & Chriſtianis permittit, ita Catechumenis, & Ethnicis prohibet.

CAPUT SEPTIMUM.

Catecheſis duplex genus fuiſſe, unum Catechumenorum proprium, alterum Competentium. Doctores ſpeciales Catechumenis datos. Quando, & qua ratione hic mos deſuevit, & quid ex eo recentum. Hoc munus erga mulieres cum Diaconiſſis, & ſanctimonialibus communicatum eſt. Idem quibuslibet Mulieribus erga viros privatim, & domeſtice licet.

TAnto ſtudio tantaque ſolicitudine in Catechumenorum inſtitutionem incumbebat Eccleſia, ut communibus & ordinariis Epiſcoporum, & Presbyterorum Sermonibus, quibus Catechumeni ſimul cum fidelibus inſtruebantur, non contenta, peculiares Catechumenis Magiſtros, & Doctores deputaret, qui eos ſingulari cura erudirent, & myſteriis Chriſtianis toto Catechumenatus tempore imbuerent. Cum autem Catechumenorum

rum duæ eſſent Claſſes, duæ quoque Catecheſium fuere ſpecies. Una Catechumenis ſic vulgo dictis facta fuit, ad quam primis Catechumenis, atque etiam Ethnicis patebat adytus: Altera Competentibus peculiaris, quam auſcultare ſecundis Catechumenis, nedum primis, & Ethnicis nefas erat. Illa generalia principia Religionis; hæc præcipua myſteria fidei docebat. Poſterioris Catecheſis exemplum habes omnes Sancti Cyrilli Catecheſes, & quatuor Sancti Auguſtini libro de Symbolo ad Catechumenos, in quibus variæ Symboli explicationes variis annis ad Competentes factæ continentur. Prioris Catecheſis varias formulas variaque præcepta tradit S. Auguſtinus toto libro de catechizandis rudibus, atque eo ſpectat, quod ex S. Ambroſii commentariorum in Lucam lib. 6. cap. ult. retulimus. Nihil opus eſt utriuſque objectum pluribus definire, quum ex his quæ initio capitis dicta ſunt, evidenter ſit definitum, ſpecialiuſque, cum de Competentibus ὑ φωτιζομένοις agemus; ſecundæ Catecheſis objectum, & materiam definituri ſimus. Hoc igitur Sermone prætermiſſo, ne bis, terve idem repetamus, ad peculiares Catechumenorum Doctores, qui utramque Catecheſim ſub diverſo tempore inſtituebant, tranſitum faciemus.

Speciales Catechumenis inſtituendis Doctores ab ipſiſſimis Eccleſiæ naſcentis incunabulis deputatos fuiſſe, in Eccleſiis potiſſimum celebrioribus, ad quas magna Catechumenorum copia confluebat, ambigere non ſinunt varia, quæ de hac re apud antiquiſſimos Authores leguntur, teſtimonia, ut omittam ipſum Catechumeni nomen, quod ad Doctorem, & Catechiſtam relationem neceſſariam habet, idem enim eſt, quod qui docetur, & eruditur. Euſebius hiſtoriæ lib. 6. cap. 5. refert Clementem Alexandrinum poſt Pantænum Alexandriæ Catecheſibus præfuiſſe Πάνταινου δὲ Κλήμης διαδεξάμενος τὸν κατ' Ἀλεξάνδρειαν κατηχήσεως ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ χαθηγεῖτο, & cap. 3. ſcribit Origenem annum agentem decimum octavum τὸν κατηχήσεως προύχοντα διδασκαλεῖον, *Scholæ Catecheſium præfuiſſe*. Et paulo antequam hoc munus aggrederetur, nullum fuiſſe Alexandriæ, qui propter perſecutiones hoc munere fungeretur: *Cum nullus eſſet, qui Catecheſibus operam daret, omnibus propter perſecutionis minas fugatis, nonnulli ex Gentibus Dei verbum audituri ad eum commeabant*. Poſtea refert graves moleſtias ab hoſtibus tuliſſe διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐ ἱερᾶς τύχης κατηχημένων παρ' αὐτῷ, *propter multitudinem eorum, qui myſteria ſacra fidei ab eo edocebantur*, ſive qui catechizabantur. Cum autem videret Demetrius illius urbis Epiſcopus multos illi eſſe diſcipulos, ipſi ſoli, ſcribit Euſebius, catechizandi provinciam detulit cap. 12. Cum videret Origenes diſcipulorum multitudine ſe opprimi, Heraclam Catecheſi præfecit eorum, qui ad prima fidei rudimenta introducendi erant, ſibi vero inſtituendos reſervavit, qui jam in ea doctrina progreſſum fecerant. Aliquot poſt annis eidem Heraclæ, τῶν τὰς κατηχήσεως διδασκαλείου, Catecheſeos, inquit, ſcholam reliquit, Alexandriaque Cæſaream feceſſit, ibid. cap. 20. Poſt hæc Heraclas Alexandriæ Epiſcopus creatus eidem Catecheſis ſcholæ Dionyſium Origenis ſimiliter diſcipulum præfecit c. 23. Officium hoc lungo poſt tempore in Eccleſia Alexandrina viguiſſe colligitur ex S. Cyrillo Alexandrino in fine commentarii in Joelem. Ibi enim per Montes excellentiſſimos intelligit Doctores, per Colles vero, *illorum præſtantiæ paulum cedentes &c. qui recens fide initiatorum animis rationabile, & ſine dolo lac infundunt, alimentumque infantibus conveniens præbent*. S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Clemente Alexandrino: *Clemens Alexandrinus Eccleſiæ Preſbyter Pantæni auditor poſt ejus mortem Alexandriæ Eccleſiaſticam ſcholam tenuit*, & Χαιρήμονα magiſter fuit. S. Cyprianus Epiſt. 24. *Optatum inter lectores Doctorem Audientium conſtituimus*. Quid aliud ſibi vult Tertullianus, cum eos vocat novitiolos, & Tyrones, & cum iis admitti, inter auditorum tyrocinia deputari? Sed ante hos omnes ita obſervatum fuiſſe nos docet S. Clemens l. 8. Conſtitut. cap. 32. ὁ διδάσκων, εἰ ἐ λαϊκὸς ᾖ ἐμπειρος δὲ τοῦ λόγου, ἐ τῶν τρόπων σεμνὸς διδασκέτω. *Qui docet* (ſubaudiendum ex materia ſubjecta Catechumenos) *etſi laicus ſit, modo ſit peritus in verbo, & honeſtis moribus doceat*. Jubet quoque fideles εἰ δέ τις λόγου κατηχεῖσθαι γίνεται. *ſi aliqua verbi fiat Catecheſis, ſermonem* pietatis anteponi operi. Atque ante ipſum S. Paulus Epiſt. ad Gal. cap. 6. v. 6. *communicet is, qui catechizatur, verbo τῷ κατηχοῦντι catechizanti*; Erat igitur quidam ad hoc ſpecialiter deputatus. Hoc enim munere ſi defuncti fuiſſent Epiſcopi, & Presbyteri nemine ſpecialiter ad hoc conſtituto, ut quid catechizatum ſpecialiter juberet cum catechizante bona ſua communicare? Cum catechizantibus dicendum fuiſſet non ſingulariter, & cum articulo τῷ κατηχοῦντι.

Hoc ita ſe habuiſſe ex neceſſaria conſequentia demonſtrari videtur. Cum enim trecentis aut etiam quadringentis annis magna quotidie Ethnicorum copia ad Eccleſiam, ut Chriſtianam Religionem profiterentur, confluereret, non potuit Epiſcopus omnium curam gerere, imo nec Presbyter, cui parœcia, ſive titulus erat creditus: Variis enim uterque diſtinebatur operibus, & functionibus. Deinde non ſemper Presbyteri omnium ſunt doctiſſimi, catechizandi autem veniunt omnis generis homines, docti, indocteque, & mediocres. Quapropter huic operi præficiendus eſt, qui de quibuslibet quæſtionibus Religionem Chriſtianam ſpectantibus ſolide reſpondere poſſit, ne Gentilium ludibrio fides exponatur. Quid factum ſit, velut ex unque Leonem, collige ex Eccleſia Alexandina, in qua homines toto orbe celeberrimi Pantænus, Clemens, & Origenes huic Officio commiſſi ſunt. Denique homiliæ, & conciones publicæ ad plebem Chriſtianam habitæ, licet ad eas adytus Catechumenis pateret, iis tamen ſatisfacere non poterant, eo quod tyronibus, & novitiis artis uniuſcujuſque rudimenta ſæpius inculcanda ſint, primaque Elementa ſint ſigillatim explicanda, &. ingeminanda. Itaque neceſſe fuit aliquem, aut aliquos pro diſcipulorum multitudine

tudine illis præfici, quorum curæ, & inſtitutioni committerentur, quique poſſent uniuſcujuſque captui ſeſe accommodare, & fidei rudimenta pro ingenii ſubilitate, & ruditate explicare, & auribus inculcare.

Circiter annum a Chriſto quadringenteſimum Catechumenorum Doctores conſtituere deſitum eſt, catecheſeſque ſeparatas illis faeere; ex antiquo Ritu duo tantum tetenta-ſunt. Prius, fidem quum primum ſeſe amplecti teſtabantur, qui hujuſce rei conſcius erat, Ethnicum ad Epiſcopum, vel aliquem Presbyterum, aut Diaconum deducebat, qui generalia fidei myſteria eum docebat longa aliqua oratione, aſſentientemque, & Chriſtiano more vivere pollicentem in Catechumenum modo jam explicato conſecrabat. Poſterius ineunte Quadrageſima, & poſtea mediante Quadrageſima diligentiſſime inſtituebantur in fide, & variis expiationibus purgabantur, ut in Paſchate baptizarentur. Sed his tantum hæc cura impendebatur, qui Electi, & Competentes ab eo tempore dicebantur, de quibus infra. Intermedio autem illo tempore nulla peculiari, & publica doctrinæ inſtitutione leguntur imbuti. Peculiari, dico, quia Epiſcoporum, & Presbyterorum Sermonibus cum fidelibus aderant, qui præter ea quæ ipſis, & fidelibus poterant eſſe communia, in ea, quæ ad Catechumenos ſigillatim ſpectabant, nonnunquam digrediebantur. Illos autem toto illo intermedio tempore ſacra doctrina imbuere Doctorum Catechiſtarum munus erat.

Hoc autem ita contigiſſe facile probatur primum ex eo, quod ab eo tempore nulli ejuſmodi Doctores commemorantur. Deinde, quod eorum neceſſitas, aut nulla amplius fuit, aut valde imminuta; univerſus enim orbis tum cœpit eſſe Chriſtianus, & Gentilis nomen ludibrio, Chriſtianiſque Gentiles eſſe multo pauciores. Tum libere Gentilis quiſque a Chriſtiano quolibet familiariter inter colloquendum inſtitui potuit. Præterea Catechumenorum maxima pars, aut infantium erat, aut adultorum, qui ab utroque parente, vel ab altero Chriſtiano nati erant, atque ideo ab infantia Chriſtianis dogmatis innutriti, & aſſueti. Itaque ab eo tempore Catechumenorum minima pars eorum ſemper fuit, qui puri puti erant Ethnici, ac Judæi. Hinc factum fuit, ut paulatim deſueſceret mos ille Doctorum Catechumenis conſtituendorum, contentaque eſſet Eccleſia ea Catecheſi, quæ illis fit, cum Catechumeni ſolemniter creantur, & ea ſolemni, quæ ſæpius repetitur in Quadrageſima poſt eorum in Competentes promotionem.

Denique id evidenter ex Sancto Auguſtino colligitur in libro de Catechizandis rudibus; ubi nec iſtorum Doctorum mentionem facit, nec ullius ordinariæ Catecheſis, ſed toto libro illam tantum explicat, qua peracta Ethnicus ſe Chriſtiane victurum promittit, & Catechumenus inauguratur. Initio libri ſcribendi hanc occaſionem refert, Deogratiam Carthaginenſem Diaconum alloquens: *Dixiſti, quod ſæpe apud Carthaginem, ubi Diaconus es, ad te ſæpe adducantur, qui fide Chriſtiana primitus imbuendi ſunt, eo quod exiſtimeris habere catechizandi uberem facultatem, & doctrinam fidei, & ſuavitatem ſermonis &c.* Cum quis igitur Chriſtianus Ethnicum offenderat ad amplectendam fidem paratum, liberum ei erat, ad quem volebat, deducere, ut rudimentis fidei imbueretur, & Catechumenus conſecraretur. Idem non minus evidens eſt ex iis, quæ ſcribit cap. 10. *Nonnunquam etiam cum avertimur ab aliqua re, quam deſideramus agere, & cujus actio aut delectabat nos, aut magis neceſſaria nobis videbatur, & cogimur, aut juſſu ejus, quem offendere nolumus, aut aliquorum inevitabili inſtantia catechizare aliquem, jam conturbati accedimus ad negotium &c. aliquando item ex aliquo ſcandalo mœror pectus obſidet, & tunc nobis dicitur, veni, loquere huic, Chriſtianus vult fieri &c.* Catecheſi illa facta ſtatim commemorat c. 26. ſigno crucis ſolemniter conſignari. Toto vero illo libro, qui longus eſt, ordinariæ alicujus Catecheſis per annum ab aliquo factæ nulla mentio. Primam iſtam Catecheſim ſolam agnoviſſe videtur Hierarchiæ Eccleſiaſticæ auctor nonnullaque ei affingere, quæ ab uſu antiquiſſimo nonnihil aberrant. Non eſt tamen hoc ita ſevere, & preſſe intelligendum, ut Epiſcopi admonitionibus, & inſtructionibus generalibus ex ambone factis contenti ſemper eſſent, nec unquam eos docendi, & exhortandi ſpecialiorem curam haberent; ſæpe enim ab Ethnicis, Judæis, & Hæreticis ad catholicam Fidem venientes durante catechumenatu, antequam Competentes fierent, privatim inſtituebantur, ut conſtat ex his, quæ ſcribit Sanctus Gregorius Epiſt. 24. l. 7. Indict. 1. de Judæis chriſtianiſmum amplecti deſiderantibus: *Si vero ſanctum Paſcha elegerint expectare, iterum cum Epiſcopo loquere, ut modo quidem Catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque ſolicitudinem, & animos eorum admonitione ſua adhortationis accendat.* Diutius quoque Catechiſtarum munus in his urbibus viguit, in quibus vel propter Emporii celebritatem, vel Ethnicorum viciniam e Gentibus ad fidem multi confluebant. Hinc Epiphanius ad Hormiſdam Pontificem de electione ſua in Patriarcham Conſtantinopolitanum reſcribens, ait, ſe in ea Eccleſia ſæpius præpoſitum iis edocendis, *qui per ſacratiſſimum, & ineffabile Baptiſma ſua exuunt peccata.*

Non eſt hic omittendum nonnunquam catechizandarum mulierum munus Diaconiſſis, & ſanctimonialibus fuiſſe impoſitum non quidem univerſe, ſed certis occaſionibus occurrentibus. Hoc explicat Clemens lib. 3. Conſt. cap. 15. *eliges quoque Diaconiſſam fidelem, & ſanctam ad miniſtrandum mulieribus; evenire enim ſolet aliquando in quibuſdam domibus, ut non poſſis propter infideles mittere Diaconum ad mulieres, mittere vero poſſis Diaconiſſam propter cogitationes improborum.* Eamdem conſuetudinem commemorat Origenes homilia 6. in Iſaiam interpretans illud Sancti Pauli de Viduis eligendis, ſi Sanctorum pedes lavit: *Iſtæ viduæ dignæ ſunt Eccleſiaſtico honore, quæcumque Sanctorum pedes lavant, Sermone ſpiritalis doctrinæ, ſanctorum vero, non maſculorum*

lorum, ſed mulierum &c. Et commentarius Sancto Hieronymo tributus in Epiſtola ad Romanos cap. 16., & in 1. Cor. cap. 14. Concilium quoque Carthaginenſe quartum. cap. 12. ſic edicit: *Viduæ, vel ſanctimoniales, quæ ad miniſterium baptizandorum mulierum eliguntur, tam inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint apto & ſano ſermone docere imperitas, & ruſticas mulieres tempore, quo baptizandæ ſunt, qualiter baptizatori interrogatæ reſpondeant, & qualiter accepto baptiſmate vivant.* Promiſcue tamen, & ordinariæ mulieres non ſecus ac viri rudimenta fidei a Presbyteris, Diaconis, & Catechumenorum Doctoribus in imminente actione baptiſmi edocebantur. Verum mulieres quaslibet multis occaſionibus occurrentibus alias mulieres, necnon & viros rudimenta fidei domeſticæ, & privatim docuiſſe ambigere, ut opinor, nemo poteſt; hoc enim & ratio poſtulat, & docent antiqui Patres, Chryſoſt. homil. 31. in Ep. ad Rom. in hæc verba, ſalutatæ Mariam, quæ multum laboravit erga vos; *Quomodo alibi dicit, mulieri docere non permitto? Reſpondet, præſidentiam, quæ ſit in medio Eccleſiæ, illi prohibet, ſedemque in Pulpito, non doctrinæ verbum; niſi enim hoc eſſet, quomodo virum infidelem habenti diceret, qui enim noſti, mulier, num virum ſalvaturus ſis? Quomodo commiſiſſet, ut pueros admoneret, dicens, ſalvabitur autem per liberorum generationem, ſi manſerit in fide &c. Non itaque eam diſputationem doctrinæ, quæ ad privatum uſum pertinet, amputando hoc dicit, ſed eam, quæ in medio ſit, & in communi Theatro, quæ ipſis congruit Doctoribus &c.* Eadem, ſed paucioribus verbis, tradit Homilia 4. ad Titum. S. quoque Hieronymus in cap. 2. ejuſdem Epiſtolæ & in 1. ad Timoth. cap. 2. S. Iſidorus lib. 2 de Officiis divinis cap. 18. Denique Carthag. Concil. IV. cap. 99. ſimiliter edixit: *Mulier quamvis docta, & ſancta, viros in conventu docere non præſumat.* Privatim enim, & domi viros etiam docere, modo id modeſte, & verecunde fiat, quid prohibet? Mulierem juſſit S. Paulus in Eccleſia tacere, non alibi.

CAPUT OCTAVUM.

Ubi, qua hora, quibuſve diebus Catecheſes factæ ſint. In Africa Epiſcopus ſtans prædicabat, & Populus ſtans audiebat. Catechumenatus duratio varia fuit, pendebat ut plurimum ab Epiſcoporum prudentia. Varia iſtius varietatis exempla. Prohibent tamen Patres, ne temere contrahatur.

HOc capite tria explicabimus, quæ legentium animum ſubire poſſunt. Primum, ubi nam Catecheſes habebantur. Secundum quo tempore. Tertium quandiu Catechumenatus ille durabat; habebantur Catecheſes illæ in Eccleſia. Id manifeſte docet S. Auguſtinus cap. 13. libri de Catechizandis rudibus, de illa Catecheſi, qua Catechumenis aggregabatur Ethnicus. Ergo multo magis de iis Catecheſibus, quæ publice multis Catechumenis congregatis erudiendis inſerviebant, ſcribit, Catechumenos, dum catechizabantur, in Eccleſia ſtetiſſe, catechizantemque hortatur, ſi videat eos diuturnitate temporis audiendo deſeſſos, aut languentes, aut hiantes, ſedere jubeat, moremque quamdam Eccleſiarum tranſmarinarum, quæ Populum ſedere in Eccleſia permittebant, præfert conſuetudini Eccleſiæ Africanæ, quæ id prohibebat: *Longeque conſultius in quibuſdam Eccleſiis tranſmarinis non ſolum Antiſtites ſedentes ad Populum loquuntur, ſed ipſi etiam ſedilia Populo ſubjacent, ne quiſquam infirmior ſtando laſſatus a ſalubertima intentione avertatur &c.* Quod dicit magis eſſe factu neceſſarium iis, qui primis Sacramentis imbuendi ſunt, quam iis, qui jam Sacramentorum ſocietate devincti ſunt. Idem præterea colligitur ex initio cap. 26. ejuſdem libri, ubi dicit finita Catecheſi ſtatim interrogandum eſſe, *an hæc credat, atque obſervare deſideret? Quod cum reſponderit, ſolemniter utique ſignandus.* Solemnis illa conſignatio alibi, quam in Eccleſia fieri non debuit. Lib. quoque 8. Confeſſionum cap. 2. evidenter innuit hanc fuiſſe ſolemnem Eccleſiæ conſuetudinem. Refert enim Victorinum famoſiſſimum Romæ Rectorem, & philoſophum ſæpius Simplicianæ indicaſſe ſe Chriſtianum, tandemque: *Subito, & inopinatum Simpliciano dixiſſe. Eamus in Eccleſiam, Chriſtianus volo fieri. At ille non capiens ſe lætitia perrexit cum eo &c.*

S. Dionyſius cap. 2. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſcribit, cum Catecheſis illa habenda, Pontificem omnem Clerum convocare, certum hymnum publice ab eo cantari; Deinde inquit: *Pontifex ſacrum Altare deoſculatus ad virum, qui adeſt, venit, eumque interrogat, cur veneriti? &c.* dato reſponſo ei exponit rationem perfectam, qua ad Deum, qui perfectus integerque ſit, accedendum eſt &c. Socrates lib. 5. c. 22. ſcribit, Origenem, qui celeberrimus fuit Catechumenum Doctor, feria quarta, & ſexta in Eccleſia ſolitum docere, atque ab eo tempore ſynaxes Alexandriæ fieri ſolitas, in quibus Scripturæ Sacræ explicantur: *omniaque, quæ ad ſynaxim pertinent, adminiſtrantur præter myſteriorum celebrationem.* Deinde id neceſſario convincit, quod ſcribit Clemens Conſtitut. lib. 8. cap. 32. cum fit Catecheſis, fideles adeſſe debere, & alia quoque huic poſtponenda. An alium in locum, quam in Eccleſiam frequentes occurrere potuerunt Chriſtiani?

Hæc de Catecheſibus ordinariis intelligantur; Catecheſes enim extraordinarias in privatis domibus factas fuiſſe nemo ambigere poteſt, cum in Hiſtoriis ſanctorumque vitis, id ſæpe legatur: Neque tantum id Apoſtolorum tempore contigit, eo quod nundum eſſent Eccleſiæ conſtitutæ, & Parœciæ diſtinctæ, ut in actis Apoſtolorum legere eſt, verum

verum etiam poſt eorum tempora propter eaſdem rationes idem ſæpius contigit, ut omittam occaſiones extraordinarias, quæ Parœciis diſtinctis, & Eccleſiis conſtitutis nonnunquam occurrerunt. Deinde Catecheſes omnes a Diaconiſſis factæ mulieribus, in privatis domibus fiebant; mulieribus enim in Eccleſia loqui nunquam licuit. Verum nos de ordinariis, & ſolemnibus Catecheſibus verba fecimus. Denique id expreſſiſſime docet Origenes lib. 3. contra Celſum, cujus verba ſuſe relata ſunt ſupra cap. 4. eo quoque ſpectare videtur Apoſtolus cap. 6. Epiſt. ad Galatas verſ. 6. cum ait: *Communicet autem is, qui catechizatur, verbo ei, qui ſe catechizat in omnibus bonis*. De privato quodam homine hæc verba ſunt intelligenda, alioquin Catechiſtes ille Catecheſi ſua ditiſſimus evaderet, ſi omnium bonorum, quæ ad Catechumenos ſpectant, particeps eſſet. Hinc etiam antiqua ſuſceptorum τῶν ἀναδόχων conſuetudo emanavit; Suſceptores enim ſunt hi, qui Catechumenum privatim inſtituerunt, & amplius inſtituendum, Sacramentiſque imbuendum ad Sacerdotes deducunt.

Secundo quæritur, quo tempore Catecheſes illæ ad Catechumenos habebantur, an tempore Synaxeos an vero extra tempus Synaxeos. Tempore Synaxeos hoc eſt ante, vel poſt Sacrificii celebrationem factas non fuiſſe certum omnino videtur. Faſtidium enim Audientibus creaſſet nimia longitudo Miſſæ; Miſſæ enim ſeu Liturgiæ decantabantur, multiplices erant cæremoniæ, multæ thurificationes; multi viri mulieresque ſub utraque ſpecie Euchariſtiam ſumebant. Sermo ab Epiſcopo perorabatur, preces ſuper Catechumenos, & Pœnitentes ſeparatim fundebantur, denique hora tertia Synaxis incohabatur; de feſtialibus enim diebus non agimus. Catecheſes igitur illæ in Synaxibus Eccleſiaſticis factæ non ſunt. Deinde Sermones Epiſcoporum audiebant cum cæteris Catechumeni. Rationi ſane, & recte docendi methodo minime conſentaneum videtur, ut eodem tempore & Catecheſes, & Sermones audirent. Hæc fieri debuerunt aut diverſis diebus, aut diverſis diei partibus. Denique hoc evidenter docent ea, quæ de Catecheſibus illis in Eccleſia factis teſtimonia citavimus, Sancti ſcilicet Auguſtini in lib. de Catechizandis rudibus, Sancti Clementis, & Euſebii de Origene: feriis enim 4., & 6. docebat, quibus nulla tradebatur Synaxis, quod Alexandriæ longiſſimo poſt ipſum tempore continuatum eſt, ut illis diebus Sacræ Scripturæ legerentur, & explicarentur, nullum tamen Sacrificium celebraretur. Alia ratio eſt de ſecundi generis Catecheſibus, quæ Quadrageſimali tempore ad Competentes habebantur, de quibus poſtea.

Poſtremo quæſitum eſt, quantæ durationis erat Catechumenatus, ſive Catechumenorum tyrocinium: hoc definiri non poteſt, quum eſſet apud eos indefinitum; ſtudioſius enim attendebant baptizandi mores, & fidei zelum, quam tyrocinii tempus; itaque tempus illud ſæpe plurimum differebant, ſæpe contrahebant, nonnunquam inſigni data occaſione catechizato pauciſſimis diebus Ethnico baptiſmum ſtatim conferebant. Omnis illa baptiſmi adminiſtratio, & diſpenſatio ab Epiſcoporum prudentia fere pendebat.

Clemens lib. 8. Conſtitutionum cap. 32.: *cui tradenda eſt Catecheſis, ſit tribus annis Catechumenus*. En ordinarium tyrocinii tempus, ſed ſtatim ſubdit: *ſi quis vero ſit virtutis ſtudioſus, & deſiderio Baptiſmi teneatur, admittatur. Non enim tempus, ſed mores judicantur*. Paulo ante monuerat nonnullos Peccatores, ut Comœdos, Aſtrologos, Incantatores &c. diutius eſſe a Baptiſmo retardandos, eo quod, inquit, malitiæ ejuſmodi difficillime eluuntur; idem admonet Origenes lib. 3. contra Celſum poſt medium generaliter de iis, qui impure, & inique in Gentiliſmo vixerunt, dicit eos, quanta fieri poteſt diligentia, examinari, nec prius admitti, quam judicati fuerint ſufficienter audiiſſe, & in vita recte inſtituenda profeciſſe. Deinde comparans eos cum Chriſtianis peccantibus, dicit iſtorum converſionem longiori tempore quam illorum probari. Illiberitani Patres, qui ſemper ſeveriſſimi ſunt, biennio definiunt Catechumenatum Ethnicorum, quorum fuerit vita honeſta cap. 42. *eos, qui ad fidem primam credulitatis accedunt, ſi bonæ fuerint converſationis, intra biennium placuit ad Baptiſmi gratiam admitti debere*.

Infirmitatis neceſſitatem excipiunt, cujus occaſione duobus modis gratiam apud eos fieri concedunt. Uno, cum mortis urget periculum, & ſtatim confertur Baptiſmus, ne ſi tantillum differretur, nemo eſſet, cui conferretur; altero, cum ægrotus mente ſanus hanc gratiam ſibi fieri deprecatur; verbis enim citatis addunt: *niſi infirmitate compellente coegerit ratio velocius ſubvenire periclitanti, vel gratiam poſtulanti*. Si Catechumenatus biennium exigunt in Ethnicis, quorum vita fuit honeſta, quid in aliis? a Flaminibus cap. 4. requirunt, præter abſtinentiam a Sacrificiis triennii Catechumenatum; eſt enim probabile ejuſmodi homines præ cæteris purgationis opus habere. Juſtinianus Novella 144. Samaritanis biennium Catechiſmi ſtatuit, ut longo tyrocinio probati, Chriſtianis non imponant. Manichæos ſimiliter ad Eccleſiam revertentes non vult Sanctus Auguſtinus ad Baptiſmum facile admitti, ut in ipſius Commonitorio legere eſt, ad univerſam Eccleſiam pro ſuſceptione Manichæorum deſtinato, quod operum ejus Tom. 10. continetur: *Nec facile*, inquit, *admittantur ad Baptiſmum, ſi Catechumeni ſint, nec ad reconciliationem, ſi pœnitentiæ locum acceperint, niſi periculo mortis urgente*: Agathenſes Patres fere eodem tempore Judæis 8. menſes tribuerunt, ut eorum in fide Chriſtiana ſinceram voluntatem experirentur, ea tamen conditione, ut ſi intra illud tempus morbus urgeret, baptizarentur cap. 34. Hoc autem univerſum in Epiſcopi poſitum fuiſſe poteſtate, & prudentia docet nos exemplo ſuo Sanctus Gregorius lib. 7. indict. 1. Epiſt. 24. Admonitus fuerat a D. Abbatiſſa multos Judæos in Territorio Agrigentino converſionem ad fidem Chriſtianam meditari, ſtatim ad Fauſtinum defenſorem ſcribit, ut eos admonitionibus ſuis adjuvet: *Quibus tamen ſi longum*

vel

vel triſte videtur ſolemnitatem ſuſtinere Paſchalem, & eos nunc ad Baptiſma feſtinare cognoſcis ne, quod abſit, longa dilatio eorum retro poſſit animos revocare, cum fratre noſtro Epiſcopo loci ipſius loquere, pœnitentia ac abſtinentia quadraginta diebus indicta, aut die Dominico, aut ſi celeberrimæ feſtivitas fortaſſe occurrerit, eos omnipotentis Dei miſericordia protegente baptizet &c. Si vero Sanctum Paſcha elegerint expectare, iterum cum Epiſcopo loquere, & modo quidem Catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat &c. Refert Clemens Alexandrinus Strom. lib. 6. longe ante medium ſinceram admodum D. Noſtri de Judæis pœnitentibus ſententiam ex Sancti Petri traditione, Judæos ſcilicet ſi credere velint, poſt actam duodecim annorum pœnitentiam remiſſionem peccatorum conſecuturos.

Concilium Conſtantinopolitanum univerſale II. cap. 7. nullum certum tempus definit, totum hoc Epiſcoporum prudentiæ committit. Monet tantum in genere, ut poſt Catechumenatus initiationem diu differatur Baptiſmus. Quæſtio eſt de Hæreticis, qui Ethnicorum more in Eccleſiam recipiuntur.

Quicumque ex his rectè fidei aſcribi volunt, ut Græcos admittimus, & primo quidem dicimus ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deinde tertio exorcizamus, & ſimul in faciem eorum, & aures inſufflando, & ſic eos Catechizamus, & curamus, ut longo tempore verſentur in Eccleſiis, & audiant Scripturas, & tunc ipſos baptizamus. Eadem repetit VI. Synodus in Trullo can. 95.

Diſpenſationis in hac cauſa, ſive œconomiæ, ut Patres loquuntur, multa paſſim occurrunt exempla, quibus demonſtratur tyrocinii iſtud tempus Epiſcoporum prudentiæ commiſſum fuiſſe, ita ut pro urgente negotio in breviſſimum, & aliquando in momentaneum tempus jus haberent Catechumenatus contrahendi. In ſola Sancti Baſilii vita quatuor animadvertas, & primum ipſum Baſilium, Hieroſolymam enim appellens, ut loca Sancta viſitaret, Maximo Epiſcopo innoteſcit, petitque ab eo in Jordane baptizari. Petitioni acquieſcit Maximus, Sanctumque Baſilium eum ſocio Eubulo baptizat. Virorum iſtorum doctrinam & pietatem admiratur Maximus, utrumque nulla interpoſita Catechumenatus mora ſtatim baptizat, licet longinquæ Provinciæ incolæ eſſent, & tum primum Jeroſolymitanam Provinciam prætereuntes appuliſſent; Baſilius quoque Libavium quemdam Juliani Imperatoris quæſtorem morte Juliani, & viſione quadam admonitum Baptiſma petentem, ſtatim baptizat, ut & nonnullos Ethnicos in fide inſtrui vehementer efflagitantes; ſed in primis mirabile eſt, quod ibidem refertur de quodam Joſepho medico Sancti Baſilii familiari, ſed Judæo pertinaciſſimo, cum ille viſitaret Sanctum ægrotantem, & moribundum, juſſit circumſtantibus, ut omnia Pompæ funebri neceſſaria pararent, affirmans eo die moriturum. Hæc audiens Sanctus regerit, neſcis quid loquaris. Contra Joſephus. Tandem Sanctus, quid facies, inquit, ſi cras hora ſexta vixero? moriar, reſpondet Joſephus. Morere peccato, inquit Sanctus: vis Sanctum Baptiſma, & Spiritus Sancti gratiam recipere, hoc ſi fiat? Sacramento ad id ſe obligat Judæus. Deum orat Baſilius, ut vitam ſibi tantiſper proroget, exauditur. Craſtino die redit Judæus oriente Sole; vivum reperit Sanctum Baſilium, tum miraculo obſtupefactus exclamat: *abjuro jam Chriſto inviſum Judæorum religionem, & fideliter accedo veritati, jube ergo ſine dilatione conferri Chriſti ſignum, Sacrumque Baptiſma & mihi, & univerſæ familiæ meæ. Ait ille Vir Sanctus, ego meis manibus & te, & omnem familiam tuam baptizabo.* Sic factum eſt: Joſephum cum tota familia non modo baptizavit, ſed Corpore Chriſti pavit, atque in fide inſtituit, tandemque Baſilius eodem die migravit ad Dominum.

Occurrunt paſſim hujuſmodi exempla, ut apud Socratem l. 7. cap. 4. Judæus quidam legitur paraliticus, tentatis fruſtra omnibus remediis, Baptiſmum poſtulaſſe, confiſus Baptiſmo ſanitatem ſe recuperaturum; audit hoc Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, eum adit, fidem docet; atque in lecto decumbentem baptizat, quo facto priſtinæ ſanitati reſtituitur; ejuſdem lib. cap. 17., & apud Nicephorum lib. 14. cap. 17. Judæus alius ſimulate, & cum dolo initiari baptiſmo ſolitus, Paulum Epiſcopum adit, Baptiſmi deſiderio ſe premi poſtulans: *Paulus ejus probat inſtitutum, verum ſe non prius Baptiſmum illi daturum, ait, quam ſit fidei articulis inſtitutus, dieſque complures jejuniis vacaverit.* Hæc ex Eccleſiæ diſciplina, ſed cum Paulus videret tum ægre diſciplinam iſtam poſſe obſervari, ne ſervandi hominis occaſionem ſineret elabi, ſe ſe prudenter, & œconomice gerit: *Judæus contra voluntatem jejunare coactus, acriter inflare, uti Baptiſmo donaretur, Paulus quoniam illum, tam obnixe petentem, mora nolebat offendere, parat res ad Baptiſmum neceſſarias.* Cum baptizaretur, aquæ miraculo evaneſcunt, ut ibi legitur.

Verum hac in cauſa memorabilis eſt reſponſio Timothei Alexandrini Epiſcopi, qui Concilio ſecundo generali adfuit; interrogatur: *ſi puellus Catechumenus utpote annorum ſeptem, vel homo etiam perfectus, dum fieret oblatio, opportune adfuit, ejuſque neſcius particeps factus ſit, quid debet de eo fieri? Reſpondet Timotheus, debet illuminari, a Deo enim vocatus eſt.* En cauſæ accelerandi Baptiſmi ſufficientes non modo in pueris, verum etiam in adultis. Hujus reſponſi rationem petit Balſamon ex eo, quod in actis dicitur de Cornelio, & domeſticis ejus, numquid aquam prohibuerit quiſpiam, quominus hi baptizentur, qui Sanctum Spiritum ſicut nos acceperunt? Hoc propemodum etiam dixit Timotheus, quod a Deo vocatus, & Sacramentis dignus exiſtimatus debet illuminari(a). Concilii 7. act. 4. refertur ex ſermone Sancti Athanaſii miraculum imaginis a Judæis percuſſæ ſanguinemque e vulnere manantis, cujus unctione permulti ægroti ſanati ſunt. Scribit Athanaſius

a Convenit jam inter Eruditos opuſculum hoc S. Athanaſii non eſſe, quamvis ſub ejus nomine lectum ſit in Concilio Niczno.

ille Judæos omnes miraculo commotos, agminatim ad Epiſcopum Baptiſmi petendi cauſa concurriſſe: *Quos ſuſcipiens Epiſcopus cum Clero ſuo multis diebus catechizans baptizavit, & eorum Synagogam in Chriſti Servatoris noſtri Eccleſiam dedicavit.* Tam inſignis Judæorum zelus miraculo incenſus longam dilationem non ferebat. (*i*) Author vitæ Sanctorum Anthimi, Siſinii, & Sociorum refert eos poſt Catechumenatum ſeptem dierum fuiſſe baptizatos, & in vita S. Pancratii legitur, quod Pontifex ipſum, & Patrem ejus Dionyſium poſt viginti dierum inſtitutionum baptizavit. Refert de Sancto Avito Arvernenſi Epiſcopo Gregorius Turonenſis Hiſt. lib. 5. cap. 11. octiduo quingentos Judæos Catechiſmo imbuiſſe, & baptizaſſe, eo quod longiorem moram Pentecoſtes feſtivitas illi ferre non videbatur. Varie igitur pro variis occaſionibus, & varia accedentium ad fidem animi præparatione tempus Catechumenatus diſpenſatum eſt; non fuit tamen Epiſcoporum libidini expoſita iſta diſpenſatio. Graves oportuit eos habere cauſas diſciplinæ laxandæ, ni vellent apud Collegas in Concilio vigoris Eccleſiaſtici temere remiſſi pœnas luere. Hoc nos docet in iſta hypotheſi Concilium Nicænum primum cap. 2. *Quoniam plura aut per neceſſitatem, aut alias cogentibus hominibus adverſus Eccleſiaſticam ſatta ſunt regulam, ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, & inſtructos brevi tempore, mox ad lavacrum ſpiritale perducerent &c. Elacuit nihil tale de reliquo fieri, nam tempore opus eſt ei, qui catechizatur &c.* Graviter omnes Epiſcopos admonet Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Joan. lib. 2. cap. 2. in verſic. 24., ne Eccleſiæ Canonem hac in cauſa temere relaxent. *Diſcant omnes, quibus Myſteria Chriſti credita ſunt, non nimium cito Neophitos ad divinam menſam accipere, nec antequam firmiores Catechumeni ſint, Chriſtum eis, priuſquam oporteat, Baptiſmi Myſterio commendare.* Habemus exemplar Chriſti, qui recipit quidem credentes, nondum autem penitus ſe ipſum illis tradit: *ut tu non dubites parvo tempore in Catechumenorum ſtatu nuper ad fidem venientes eſſe retinendos. Sic enim vix longa exercitatione in noſtris firmati, tutius poſſunt recipi.*

(*i*) Dubiæ ſunt vitæ illæ Sanctorum Anthimi, & Pancratii.

CAPUT NONUM.

Explicantur, & demonſtrantur Ritus, & actiones myſticæ, quibus Catechumeni poſt initiationem ſuam toto Catechumenatus tempore imbuebantur, & ſanctificabantur. Quære Orationis ſuper Catechumenos, non autem impoſitionis manuum in Liturgiis ſit mentio? Sal Catechumenorum eſſe Sacramentum, quo ſæpius condiebantur. Eulogiis non participabant Catechumeni.

INfantem in utero matris concipi non ſufficit, in eodem foveri, & nutriri neceſſe eſt. Signo Crucis, atque etiam verbi divini prædicatione Catechumenus concipitur, ut jam ex Sanctorum dictis demonſtratum eſt, verum in eodem utero foveri, & nutriri oportet. Ideo cum dixiſſet Catechumenis S. Auguſtinus initio lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos eos per ſignum Crucis in utero Eccleſiæ conceptos eſſe, ſtatim colligit: *Agat itaque hæc mater congruis alimentis prius paſcere quos portat.* Et initio libri 4. *Quoſque per lavacrum Sanctum regeneratos veræ luci reſtituat, congruis alimentis eos, quos portat, paſcat in utero, & ad diem partus ſui lætos læta perducat.* Quæritur nunc quibus alimentis, ſive quibus myſticis operationibus Eccleſia Catechumenos modo explicato conceptos toto catechumenatus tempore imbuit, & paſcit, donec ad Competentium gradum evehantur. Toto illo tempore verbi prædicatione imbui, & quatenus imbuerentur, explicatum eſt Cap. præcedente, ſed hoc alimenti genus non modo Catechumenis, ſed etiam Chriſtianis, & magna ex parte primis Catechumenis, & profanis commune fuit, licet per ſignum Crucis in Eccleſiæ utero hi duo poſteriores non conciperentur. Peculiare alimentum, & conſequenter continuo exhibitum; peculiarem Eccleſiæ in eos, & continuam operationem inveſtigamus. Tres fuiſſe ejuſmodi myſticas operationes deprehendo, precem myſticam, manus impoſitionem, & ſalis traditionem, quibus toto Catechumenatus tempore Catechumeni imbuebantur, ſingulas ſeparatim explicabimus.

Primum notandum eſt, hæc omnia facta fuiſſe pulſis ab Eccleſia audientibus omnibus, & conſequenter prioribus Catechumenis; ut quid enim ſubſtitiſſent ea myſteria conſpecturi, quorum non erant capaces? Scitum enim erat apud antiquos, unumquemque ab eo myſterio eliminari, cujus ſuſcipiendi incapax erat; ſed hypotheſim iſtam expreſſiſſime nos docet S. Clemens lib. 8. Conſtitut. cap. 5. *Statuo ego Andreas frater Petri, ut cunctis conſurgentibus edicat Diaconus ex loco alto, ne quis adſit audientium, ne quis infidelium, ſilentio facto dicat, orate Catechumeni &c.* An profani, & a Catechumenatu extorres orationum Catechumenicarum participes eſſe poſſent? Hæc nunc ſufficiant: Pluribus enim hac de re diſſeremus lib. 6. cap. 4., & ſequentibus, cum de auditione, & ſubſtratione pœnitentiæ ſtationibus diſſeremus, nam in hac cauſa pœnitentes, & Catechumeni eodem modo ab audientibus differunt.

Super Catechumenos orationem fieri ſolitam antiquitus, quoties Synaxes habebantur, plurima demonſtrant, Concil. Laod. cap. 19. *Oportet ſeorſum primum poſt Epiſcoporum ſermones Catechumenorum orationem peragi, & poſtquam exierint Catechumeni, eorum, qui pœnitentiam agunt*

agunt, fieri orationem. Clemens loco jam citato longam habet orationem ſupra Catechumenos recitatam, quam ibi quiſque legere poteſt. S. Chryſoſtomus homilia 2. in Epiſtol. 2. ad Corinthios: *Jubent Eccleſiæ leges preces fieri non modo pro Fidelibus, ſed etiam pro Catechumenis; Lex enim Fideles incitat ad ſupplicandum pro nondum initiatis: Nam cum Diaconus dicit: pro Catechumenis inſtanter oremus, nihil aliud quam excitat univerſos Fideles ad preces pro his fundendas*. Poſtea fuſe ipſam pro Catechumenis orationem explicat. Deinde hactenus omnes Græcorum, & Orientalium Liturgiæ hanc nobis repræſentant orationem, quæ etiam nunc, quoties Liturgia celebratur, a Sacerdote, licet nullus adſit Catechumenus, recitatur. Denique idem probant tot Canones Græci, & Latini, quibus Fideles peccantes ab Euchariſticis precibus pelluntur, & cum Catechumenis orare jubentur, de quibus, cum de pœnitentia verba faciemus, erit diſſerendum.

Manus illis imponi, cum fiunt Catechumeni cap. 5. probatum eſt: in decurſu Catechumenatus id fieri quis ambigat? Orabant enim Catechumeni illi, & genu flexo, ut jam demonſtratum ex Canone Nicæno 13. & Neocæſarienſi 5. caput inclinabant, ut jubet Clemens lib. 8. cap. 6. Cur manus impoſitionem illis denegabimus? Præterea lege in antiquo ordine Romano ſcrutiniorum ordinem in unoquoque baptizandorum ſcrutinio, ſæpius manus baptizandis impoſitas conſpicies, id etiam diſerte præcipit Concilium Matiſconenſe 2. cap. 3. In ſcrutiniis autem ſuper baptizandos fiunt, ut in ordine illo referuntur, ſimul & eodem tempore omnia, quæ ante ordinem compoſitum ſæpius longo tempore reiterabantur; Ordo enim iſte compoſitus eſt poſt ritus orationis, & manus impoſitionis ſingulis celebribus Synaxibus ceſſationem, ut infra dicemus. Similiter etiam Græci, & cum faciunt Catechumenum, frequentem manus impoſitionem uſurpant, ut in eorum Euchologio legitur, jamque ex eo teſtimonium allegavimus. Itaque quod manus impoſitio non amplius legatur in eorum Liturgiis, ſed ſola ſuper Catechumenos oratio, id fecit Catechumenorum adultorum infrequens occaſio; cujus cauſa fuit gentium in orbe Romano univerſa ad fidem convertio, & baptiſmi dilatio ex Fidelium animis tandem avulſa. Cum igitur vix quot annis, aut etiam multis annis adultus baptizandus accurreret, tandem in Liturgiis manus impoſitionis mentio fieri deſiit.

Tertia myſtica operatio in ſtadio Catechumenatus fieri ſolita erat Salis in os traditio. Jam ut dictum eſt ſæpius, non agimus de Cæremoniis iſtis quatenus in baptizando exercentur ſimul & eodem tempore, cum tingitur: illa enim baptizandi forma licet omnibus ſeculis etiam extra mortis periculum nonnunquam uſurparetur, erat tamen extraordinaria, & a Lege Eccleſiaſtica propter inſignem quamdam occaſionem diſpenſatio. Sal igitur baptizando ſemel traditum fuiſſe notius eſt, quam ut probatione indigeat: Quis de hoc ritu Catholicus unquam dubitavit? verum nunc contendimus Sal Catechumenis in Sacramentum ordinarium traditum fuiſſe, illiſque in Synaxibus ſaltem ſolemnioribus Euchariſtiæ vicem, quæ baptizatis tradebatur, ſuſtinuiſſe, ita ut non ſecus ac Sacroſancta Euchariſtia baptizatorum peculiare erat Sacramentum, ſic Sal baptizandorum, atque ideo illis in Catechumenatus ſtadio ſæpiſſime præbitum. Hoc eſt igitur nobis demonſtrandum.

Hoc nos docet evidentiſſime Concilium Carthaginenſe 3. cap. 5. *Placuit, ut etiam per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum Sal: Quia & Fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari*. Ex quibus verbis tria, quæ contendimus, ut cætera omittam, manifeſtiſſime colliguntur, Sal eſſe Catechumenorum Sacramentum; ſæpiſſime etiam extra feſta ſolemnia illis dari ſolitum: denique illis Euchariſtiæ vicem ſuſtinuiſſe; ut quid enim cum Sacramento Fidelium, quo ſolemnibus diebus potiuntur, Sal illud comparat? Eo reſpexit S. Auguſtinus lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiſſione cap. 26. ubi de Catechumenis ſic ſcribit: *Quod accipiunt, quamvis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quam cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt*.

Recte mihi contendere videtur vir antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiſſimus Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus, eo loco apud Auguſtinum, Eulogias ſive panem benedictum Fidelibus diſtribui ſolitum intelligi non poſſe, & huc referre Canonem 7. Teophili Patriarchæ Alexandrini: *Quæ in ſacrificii ratione offeruntur, poſt ea, quæ in Sanctorum uſum conſumuntur, Clerici dividant, at nec Catechumenus ex his bibat, vel comedat, ſed ſolum Clerici, & qui cum eis ſunt, Fideles fratres*. Oblationes iſtius participandæ jus non habuiſſent Catechumeni: *Quia*, ut ait Balſamon, *Altari oblata ſunt, & ad divina bona ex illis partes ſumptæ ſunt, & ſanctificatæ, quomodo iis, qui ſunt imperfectiores, dabuntur conſumenda?*

Deinde ſi jus habuiſſent ex ea oblatione comedendi, jus habuiſſent eam offerendi; at jus hoc nullis pœnitentibus concedebatur, ne quidem Conſiſtentibus, quibus Sacrificio adeſſe licebat, multo minus Catechumenis, qui primi ante Sacrificii celebrationem ab Eccleſia pellebantur. Deinde qua ratione illius participes eſſe potuiſſent, cum ab Eccleſia antequam offerretur, & benediceretur, ſolemniter ejicerentur? Cum igitur Eulogiæ panis benedicti Catechumenis traditi nuſquam fiat mentio, rituſque hic conſuetudini Eccleſiaſticæ repugnet, quid opportunius, quam Sancti Auguſtini mentem referre (*a*), ad mentem verbaque diſertiſſima Concilii in Provincia ſua, paulo antequam fieret Epiſcopus, celebrati? Manifeſtum eſt igitur Sal fuiſſe in Eccleſia Latina ordinarium Catechumenorum Sacramentum.

(*a*) Qui circumferuntur Canones ſub nomine Concilii III. Carthaginenſis a variis Synodis, variis temporibus ſancti; non omnes Auguſtino antiquiores ſunt immo plerique recentiores.

Ad idem ſalis Sacramentum referendum eſt, quod ſcribit S. Auguſtinus cap. 26. de catechizandis rudibus: *De Sacramento ſane, quod accepit, cum ei bene commendatum fuerit, ſignacula quidem rerum divinarum eſſe viſibilia, ſed res ipſas inviſibiles in eis honorari: nec ſic habendam illam ſpeciem benedictione ſanctificatam, quemadmodum habetur in uſu quolibet. Dicendum etiam quid ſignifices & ſermo ille, quem audivit, quid in illo condatur, cujus illa res ſimilitudinem gerit.* Evidens eſt verba iſta de ſigno Crucis, quod catechizato Ethnico, ut fiat Catechumenus, imprimitur, intelligi non poſſe, de quo loquutus eſt Sanctus Auguſtinus verbis præcedentibus ea, quæ citamus. Quomodo enim ad ſignum Crucis referetur: *non ſic habendam ſpeciem benedictione ſanctificatam, quemadmodum habetur in uſu quolibet?* Ad ſal igitur alludit Catechumenis cum ſigno Crucis tradi ſolitum, quod ſolemni benedictione ſanctificabatur, quæ in Sacramentario Sancti Gregorii, & in antiquo Ordine Romano legitur; verba autem, quæ Sacerdos illud tradens Catechumeno, proferebat, ex iiſdem antiquis Ritualibus hæc ſunt: *Accipe Salem ſapientiæ in vitam æternam.*

Quæ autem contendimus, non inevidenter ex Sancti Gregorii Sacramentario, & Ordine Romano demonſtrantur, ubi in ſalis benedictione hæc leguntur. *Rogamus te Domine Deus noſter, ut hæc creatura ſalis in nomine Sanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum*, & in oratione traditionem ſequente: *Reſpicere digneris propitius, ut hoc primum pabulum ſalis guſtantes non diutius exurire permittas, quo minus cibo expleare cæleſti &c.* Sal illud Benedictum, & Sacramentum vocatur, & pabulum quo nutriuntur Catechumeni, quæ optime conveniunt cum iis, quæ ex Concilio, & Sancto Auguſtino retulimus.

Eo reſpexit Deusdedit Papa in Epiſtola ad Gordianum Epiſcopum Hiſpalenſem, cum ſcripſit: *Scitis quia quamodo ſunt ſeptem dona Spiritus Sancti, ita ſunt dona Baptiſmi a primo pabulo ſacrati ſalis, & ingreſſus Sanctæ Eccleſiæ uſque ad Confirmationem Spiritus Sancti per Chriſma*: a primo pabulo ſacrati ſalis non dixiſſet, ni ſæpius in Catechumenatu Sacrum illud pabulum repetitum fuiſſet. Idem ex modo loquendi Bedæ Lib. in Eſdram cap. 9. Sal Cœleſtis Sapientiæ, quo initiantur Catechumeni, in cunctis operum noſtrorum Sacrificiis jubemur offerre.

Lib. 7. Capitularium cap. 190. Can. 5. Concilii Carthaginenſis 3. repetitur, ſed cum additione quorumdam verborum, quæ illum explicant: *Per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nec eis, qui a luminibus Eccleſiæ ſunt excluſi, neque eis ante Canonicam reconciliationem, qui publicam gerunt pœnitentiam, ſed tantum benedictum ſal a Sacerdotibus pro communione tribuatur; & quia fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec Catechumenos, vel publice pœnitentes oportet mutare.* Apparet igitur ſalis traditionem fuiſſe ordinariam, atque vice Euchariſtiæ, & communionis fuiſſe Catechumenis; Canonis enim ſpecies iſta ponitur, ut ex Canone, & ipſius titulo colligitur, an propter Paſchalem feſtivitatem Sacramentum Corporis Dominici Catechumenis ante Baptiſmum eſſet tradendum. Quidam enim videntur hoc obſervaſſe. Reſponderunt Patres hoc non licere, ſed non obſtante feſtivitate ſolitum ſalis Sacramentum illis eſſe præſtandum. Non puto autem propter verborum in hoc Canone ambiguitatem ſalis traditionem ad pœnitentes eſſe extendendam. Hoc eſt enim prorſus inauditum.

Idem denique demonſtratur ex formula loquendi a Sancto Auguſtino uſurpata cap. 11. lib. 1. Confeſſionum: *Audieram ego adhuc puer de vita æterna nobis promiſſa per humilitatem Domini Dei noſtri deſcendentis ad ſuperbiam noſtram, & ſignabar jam ſigno Crucis, & condiebar ejus ſale.* Proculdubio iſta loquendi formula per præteritum imperfectum continuatam actionis reiterationem ſignificat. Præterea ſi ſemel tantum ſale conditi fuiſſent Catechumeni, ut dixerat, *audieram*, ſic dixiſſet, conditus fueram, ut ea loquendi forma actionis unitati non contradiceret. Denique eodem modo de ſalis condimento loquitur, ut de Crucis ſigno, quod ſæpiſſime repetebatur.

Cum igitur myſtica Catechumenorum luſtratio ita ſe habuerit, mirum merito alicui videbitur, cur San. Dionyſius cap. 3. Hierarch. Eccleſiaſt. eos dixerit ἐμυεῖσθαι ἐ ἀμύητοι πατρὸς ἱερουργικῶ σκευασμῶν, deinde cur ſolam illis tribuerit Pſalmorum, & Scripturarum auditionem: *Ad ſacra*, inquit, *opera, & contemplationes, quæ deinceps ſequuntur, non eos convocat, ſed perfectos*, & paulo ante in myſterii traditione Pſalmodia facta; *deinceps*, inquit, *a Miniſtris Sanctorum librorum lectio ordine recitatur. Ea recitata extra Templi ambitum collocantur Catechumeni, & una cum eis Energumeni, & Pœnitentes*; atqui certum eſt poſt Scripturarum lectionem ea, quæ narrata ſunt, in Catechumeno myſtice acta fuiſſe. Deinde quid notius quam lectis Scripturis, & Homilia facta manus cum oratione pœnitentibus impoſitas fuiſſe? Denique certum eſt Catechumenos, Energumenos, & Pœnitentes ſimul dimiſſos non fuiſſe, ſed ſeparatim expiatos, & unumquemque ordinem poſt expiationem ſibi peculiarem dimiſſum fuiſſe. Videtur Catechumenos primi ordinis tantum agnoviſſe; ſecundi vero ordinis, quibus ἐξομύστας Catechumeni nomen conveniebat præterminiſſe, vel ignoraſſe, eo quod forſan jam obſoleviſſet in Eccleſiis, in quibus verſabatur antiqua circa Catechumenos diſciplina. Objicietur, cap. 2., ubi de Baptiſmo agit, omnes baptizandi expiationes enarrare. Id equidem vero proxime accedit, ſed aliud eſt de baptizando, ſive φωτιζομένω tractare, aliud de Catechumenis, qui ad hanc Baptiſmi actionem duobus, aut tribus annis diſponebantur.

CA-

CAPUT DECIMUM.

Tertia Catechumenorum Claſſis explicatur. Græcis φωτιζόμενοι dicti ἢ βαπτιζόμενοι; Latinis Competentes, & Electi. Titulorum iſtorum ratio. Quæ myſteria docebantur, ipſis non aliis tradebantur Religionis Sacramenta, Symbolum fidei, & poſtremum oratio Dominica. Pauciſſima de Sacramento Pœnitentiæ edocebantur, quamobrem Competentes aliquando per κατήχησιν Fideles dicti. Catechumenis pulſis eorum Myſteria peragebantur. Competentibus, multo minus Catechumenis non licebat dicere Orationem Dominicam. Soli baptizati ſtatim a baptiſmo eam publice recitabant.

TErtius Catechumenorum gradus ſupereſt explicandus, de quo nobis multa ſunt inquirenda. A ſpeciali eorum nomine ordiemur. Græcis ab omni ævo dicti ſunt, φωτιζόμενοι ἢ βαπτιζόμενοι qui illuminantur, qui baptizantur, ſicut & baptiſmus φώτισμα, illuminatio. Latine propter linguæ inopiam una dictione enuntiari non poteſt dictio; caret enim participio paſſivo præſentis temporis: Sic igitur dicti ſunt, eo quod ad Baptiſmum diſpoſiti, & electi eſſent, jam jam illum conſecuturi, ſic. eos vocant SS. Clemens, Cyrillus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Nyſſenus, & Græcorum Eucologia, eoſque a Catechumenis diſtinguunt, quamquam cum univerſalis de Catechumenis ſermo eſt, Catechumenorum nomine & ipſi contineantur. Poſtquam vero baptizati ſunt φωτισθέντες ἢ πεφωτισμένοι, illuminati, & Neophiti vocantur, poſtea nullo amplius a Fidelibus diſcrimine facto πιστοί Fideles abſolute dicuntur. S. Chryſoſtomus in duobus ſermonibus Catechiſticis vocat οἱ μέλλοντες φωτίζεσθαι qui baptizandi ſunt, & apud eum legere eſt μυσταγωγούμενοι, qui initiantur. Aliis epithetis paſſim deſcribuntur; ſed nos ea, quæ nominis proprii vice funguntur, adnotamus. Nominis apud Græcos frequentiſſimi ratio nota eſt. φωτίζειν enim illuſtrare, & illuminare ſignificat. Dictio eſt ab Apoſtolis eo ſenſu ſæpe uſurpata, ut Joan. 1. v. 9. *Lux, quæ illuminat omnem hominem*, & ad Eph. 3. verſ. 9. *illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi a ſeculis in Deo*, & 2. Cor. 4. verſ. 4. 6. *illuminatio Evangelii, & Scientiæ*. Metaphora uſitatiſſima, qua, quæ ad corpoream lucem pertinent, ad animi cognitionem transferuntur. Illuminare igitur eſt docere, animum vera Dei cognitione imbuere; Baptiſmus autem illuminatio dictus eſt a vera Dei cognitione, qua Catechumeni ante baptiſmum inbuebantur. Hoc præ cæteris recte explicat Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 1. c. 6. *Statim regenerati reperimus perfectionem, cujus cauſa feſtinabamus; ſumus enim illuminati ἐφωτίσμεθα γὰρ id autem eſt Deum agnoſcere*. Et paulo poſt: *multis modis vocatur hoc opus gratia, illuminatio φώτισμα perfectum, & lavacrum: Lavacrum quidem, per quod peccata abſtergimus; gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur; illuminatio autem, per quam ſanctam illam, & ſalutarem lucem intuemur, hoc eſt per quam id, quod eſt divinum, acute perſpicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deeſt; quid enim ei deſit, qui Deum novit?* Antiquiſſima autem eſt, & Apoſtolica iſtius ſignificationis ad baptiſmum tranſlatio. Ea enim uſus eſt Apoſtolus c. 6. Epiſtol. ad Hæbreos verſ. 4. cum dixit: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati &c. & prolapſi ſunt, rurſus revocari ad pœnitentiam*; & poſt Apoſtolum Græci omnes antiquiſſimi, & recentiores.

Latini Competentes eos vocant, & Electos alia nominis ratione, quam Græci: *Competentes dicuntur*, inquit S. Auguſtinus ſerm. 116. de tempore, & 8. de diverſis *ſimul petentes, quomodo conſedentes, nihil aliud eſt, quam ſimul ſedentes &c. ita & competentes non poſſunt aliud intelligi, quam ſimul petentes*. Dicebantur igitur Competentes, quod ſimul baptiſmum peterent. In lib. de Fide & Operibus c. 6. *Cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque etiam ob hoc Competentes vocaremur*. Alibi eamdem nominis notationem non ſemel reddit. Apud Latinos uſitatiſſimum fuit nomen in eo ſenſu, ſeculo Sancti Auguſtini; & præcedente: Eo tamen uſi non leguntur Tertullianus, & Cyprianus, nec ullius ſeculi, aut præcedentium authores, licet res ipſa perpetuo viguerit. Electi dicti ſunt in Romana potiſſimum Eccleſia: ita enim eos vocant Syricius Pontifex, & S. Leo locis infra citandis, & in antiquo ordine Romano ſic ſemper vocantur; Electi autem dicuntur, quod ex Catechumenorum turba ad ſuſcipiendum baptiſmum, ut eo digni, eligerentur, reliqui vero ut nondum fidem ſatis edocti, & vitæ ſanctitatem amplexi, differrentur. S. Chryſoſtomus initio homiliæ ſecundæ de Symbolo vocat eos electos, & initio homiliæ primæ ad utramque Latinorum appellationem alludit: *vos autem genus electum, grex novellus Dei, qui competitis a Rege Regum, a Domino Dominorum munus gratiæ, qui baptiſmum ſalutarem ſperatis vobis affuturum, audite profeſſionis veſtræ verba &c.* Sanctus Auguſtinus ſerm. 8. de diverſis eos variis ornat nominibus; non enim tantum Competentes vocat, ſed etiam electos, dilectos, præſcitos, vocatos, juſtificandos, glorificandos. Verum iſta ad eorum laudem; nomina autem Electorum, & Competentium illis fuere propria.

Nunc nobis inquirendum, quibus rebus; ſive prærogativis Competentes a cæteris Catechumenis diſtinguantur. Unam hoc capite enarrabimus, cæteras capite ſequenti. Jam oſtendimus duplicem fuiſſe Catecheſim. Qualis prior fuerit, & quorum fidei articulorum, multis jam demonſtratum eſt; præterea oſtenſum ex SS. Auguſtino, & Chryſoſtomo, & aliis, magna Eccleſiæ Myſteria, & Sacramenta non fuiſſe illis prodita: Catechume-

nos

nos, quum de his ſermo eſt, quid diceretur, neſciviſſe, Chriſtum ſe eis non credidiſſe. Nunc, quæ fuerint illa Myſteria, ſpecialius explicandum, ſive quod poſterioris Catecheſis obje&um. Myſteria illa ad tria præcipua capita revocantur, Symbolum Apoſtolorum, quo potiſſimum intelligitur Trinitatis, & Incarnationis Myſterium, Eccleſiæ Sacramenta, & Oratio Dominica; cum primum enim electi fuerant, non antea Symbolum, & Oratio Dominica illis tradebantur, nec modo tradebantur, & eorum explicatio incohabatur, ſed etiam ab iis, ut iſta memoriter ſcirent, & memoriter ante baptiſma repeterent, exigebatur. Sacramentorum quoque Eccleſiæ, Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ virtus, & dignitas ſigillatim, & dilucide illis edifferebantur; ſed de Pœnitentia pauca docebant, idque data opera, ne ad peccata eos provocare viderentur. Sanctus Chryſoſtomus in Homilia 60. ad baptizandos: *Sed non nunc tempus eſt de Pœnitentia… nobis proferre ſermonem; immo nunquam neceſſe ſit talia vobis remedia demonſtrare, ſed contingat ſemper vos pulcritudinem, quam eſtis accepturi, intactam, inviolabilemque ſervare, ſed ut ſemper tales durare poſſitis, de converſatione vobis pauca narremus.* Ita Tertullianus c. 7. libri de Pœnitentia, cum de Pœnitentia ante baptiſmum agenda ſermonem confeciſſet, de Pœnitentia poſt baptiſmum, quæ novæ legis eſt Sacramentum, dicere aggreſſurus, ſic præfatur: *Hucuſque… Chriſte Domine de Pœnitentiæ diſciplina ſervis tuis dicere, vel audire contingat, quo uſque… etiam delinquere non oportet Audientibus, vel nihil jam de Pœnitentia noverint, nihil ejus requiram. Piget ſecundæ, imo jam ultimæ ſpei ſubtexere mentionem; ne retrallantes de reſiduo auxilio pœnitendi, ſpatium adhuc delinquendi demonſtrare videamus &c.*

S. Iſidorus lib. 2. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 20. necnon lib. 1. cap. 27., & Origen. lib. 7. cap. 14. nos docet, quæ fuerint myſteria utriuſque Claſſis propria, & ſimul quam ob rem Competentes dicti ſint. Ita lib. 2. cap. 21. *Poſt Catechumenos ſecundus Competentium gradus eſt: Competentes autem ſunt, qui jam poſt doctrinam fidei, poſt continentiam… vitæ, ad gratiam Chriſti percipiendam feſtinant; ideoque appellantur Competentes, ideſt gratiam Chriſti petentes: Nam Catechumeni tantum audiunt, nec dum petunt; ſunt enim quaſi hoſpites, & vicini Fidelium: de foris audiunt myſteria, audiunt gratiam, ſed adhuc non appellantur Fideles; Competentes autem jam petunt, jam accipiunt, jam catechizantur, ideſt imbuuntur inſtructione Fidei, & Sacramentorum. Iſtis enim ſalutare Symbolum traditur quaſi commonitorium fidei, & ſanctæ Confeſſionis indicium, quo inſtructi agnoſcant, quales jam ad gratiam Chriſti exhibere ſe debeant.* Alcuinus, Rabanus Maurus, & alii poſteriores ex Iſidoro idem docuerunt. De Catechumenis dicit, *adhuc non appellantur Fideles*; Competentes enim licet Fideles non ſint, nonnunquam tamen ſic appellantur. Sanctus Chryſoſtomus ſic eos appellat initio Catecheſis primæ ad illuminandos: *Quam deſiderabilis eſt nobis, & amabilis noverum fratrum cœtus! Fratres enim vos ego licet ante partus dolores, voco, conſanguinitatemque vobiſcum, antequam geniti ſitis, amplector, & ſaluto. Novi enim certiſſime in quantum evehendi ſitis honorem &c.* Recte equidem, cum ipſis, non autem Catechumenis tradatur ſymbolum, quod incipit, Credo in Deum… Patrem omnipotentem, & Oratio Dominica, in qua cum Fidelibus dicunt, Pater noſter; qui es in Cœlis: ſed de his infra.

S. Ambroſius Epiſtola 33. *ſequenti die, erat autem Dominica, poſt lectiones atque tractatum… dimiſſis Catechumenis, ſymbolum aliquibus Competentibus in baptiſteriis tradebam* Baſilicæ. Tria ex pauciſſimis verbis evidentiſſime colliguntur, primum Competentium a Catechumenis diſtinctio. Secundum, cum fiebat Competentium Catecheſis, expulſos fuiſſe Catechumenos. Denique Symbolum Competentibus ſpecialiter traditum fuiſſe, & explicatum, cujus explicationi Catechumenis intereſſe non licebat, & cap. ultimo lib. 6. Commentarii in Lucam, cum docuiſſet exemplo S. Pauli Actuum 17., quæ Gentiles docendi eſſent, addit, *quod ſi ad Sacramenta Fidelium tendens Catechumenus imbuendus ſit, dicendum, quia unus eſt Deus, ex quo omnia, & unus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, non duos Deos eſſe dicendos &c. quibus docet tum Catechumenes myſterio Trinitatis eſſe informandos.*

Sed antiquorum authorum nullus diſertius, & explicatius. Competentis ὁ φωτιζόμενος, a Catechumeno differentiam, illiuſque ſupra præzogativam enarrat, quam S. Cyrillus Hieroſolymitanus in procatecheſi ad illuminandos; prohibet enim τοῖς φωτιζομένοις, non ſecus ac Fidelibus Fidei myſteria Catechumenis evulgare, arcetque a Catecheſibus ſuis Catechumenos, præclaraſque hujus rei tradit rationes; ſed ipſum præſtat audire: perſpicue enim admodum mentem ſuam explicat, ſeu potius Eccleſiæ conſuetudinem: *Cum Catecheſis recitatur, ſi Catechumenus ex te quæſierit, quid dicebant Doctores, nihil dicas externo; myſteria enim tibi, & ſpem futuri ſeculi tradidimus. Caſtodi hoc myſterium retributori, nec unquam… dicentem audi, quid obeſt, ſi & ego didicero? Etiam ægroti vinum quandoque poſtulant; quod ſi intempeſtive illis detur, phrenetim conciliat, & duo hinc naſcuntur mala, nam & æger interit, & medicus male audit. Sic & Catechumenus, ſi audiat myſteria Fidei, phrenetim patitur; neſcit enim quid audiverit, & tamen… arguit rem ignotam, dictaque irridet; Fidelis vero tamquam proditor condemnatur. Jam ergo tu in ſinibus noſtris conſtitutus, cave ne quid effutias. Non quod digna non ſint narratione… ea, quæ tibi dicuntur, ſed quod indignus eſt ille… audire, quæ referres. Fueras & tu aliquando Catechumenus, neque tamen propoſita tibi enarrabantur. Quando autem ſublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientia didiceris, tunc plane intelliges dignos non eſſe Catechumenos, qui ea audiant.* Eodem ſpectat, nec minus evidenter admonitio, ſive admonitio procatecheſis fini adjuncta: *Has tis, qui illuminantur, faltas Catecheſes accedentibus quidem ad baptiſmum, & his, qui hoc lavacrum habent, Fidelibus exhibeas. Catechumenis vero, & aliis, qui non ſunt, Chriſtiani, ve deberis, aliaquin red-*

ditu-

iturus es Domino rationem. Nihil clarius & evidentius ad id, quod demonſtrandum ſuſcepimus, animo concipi poteſt. Si vero interroges, quid in Catecheſibus ſuis explicet Competentibus S. Cyrillus, reſpondeo Catecheſes octodecim poſteritati reliquiſſe, quarum quatuordecim poſteriores in eo tantum verſantur, ut Symbolum Apoſtolicum articulatim explicent, quarta vero, quæ quatuordecim illas præcedit, Articulorum Symboli brevis eſt, & ſummaria explicatio, cui conjungit nonnulla præcepta vitæ, & morum, quæ Chriſtiani ſervare tenentur. Tertia baptiſmum explicat, ſecunda Pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum; prima eſt procatecheſis, ſive præfatio ipſa. Duo autem illa poſteriora ita traduntur, atque ex Doctrinæ Chriſtianæ penetralibus eruuntur, ut ea nefas ſit Catechumenis aperire.

Antiquiſſimam Competentium illam eſſe a Catechumenis diſtinctionem, myſteriaque Competentibus tradi, quæ Catechumenis audire nefas erat, ex eodem Cyrillo colligitur in Catecheſi 6., in qua refert Archelai in Meſopotamia Epiſcopi cum Manichæo publicam diſputationem. *Hæc myſteria*, inquit Archelaus, *nunc pateſacit Eccleſia, ei, qui ex Catechumenis excedit, nec moris eſt Gentilibus exponere; nec enim Genetili cuiquam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto arcana myſteria declaramus; neque palam apud Catechumenos de myſteriis verba facimus, ſed multa ſæpe loquimur occulte*, ut Fideles, qui rem tenent, intelligant, *& qui non tenent, ne lædantur*. Idem, qui hos omnes præceſſit, nos quoque evidenter docet S. Clemens lib. 8. Conſtitutionum, ubi Synaxis ordinem refert. Primum lectis Scripturis Sacris, & Evangelio edicit in fine cap. 5. Diaconus: *Ne quis Audientium, ne quis Infidelium*. Ejectis Audientibus, qui duplices eſſe poterant, Pœnitentes, & Catechumeni, jubet Diaconus cap. 6., ut pro Catechumenis orent Fideles, & quando ſit orandum, præit. Deinde ſuper Catechumenos inclinatos precatur Epiſcopus, oratione finita exire jubentur Catechumeni. Vocantur poſtea Energumeni, orationeque pro iis facta, & poſtmodum dimiſſis cap. 7. & 8. clamat Diaconus ὑμεῖς οἱ φωτιζόμενοι, *orate qui baptizandi eſtis*; Tum ſe crucis ſigno muniunt, capitaque benedictioni Epiſcopali ſupponunt, qua finita Diaconus προελθέτω οἱ φωτιζόμενοι, exite, qui baptizamini. His foras deſcedentibus ſuccedunt Pœnitentes, quorum oratione completa, iiſque ſimiliter ejectis Fidelium orationes inchoantur. Hæc ſigillatim delineata quivis legere poteſt apud Clementem. Catechumeni igitur a Competentibus ſive φωτιζόμενοι diſtinctiſſimi ſunt, illiſque non licebat Competentium orationibus intereſſe. Idem ex Liturgia Præſanctificatorum cap. ſequente demonſtrabitur.

Denique aliud evidens ejuſdem rei argumentum deſumitur ex variis S. Auguſtini locis, in quibus Fidei Symbolum explicat; ubique enim ad Competentes, & brevi baptizandos ſermonem dirigit. Sermone 119. de tempore Symbolum integrum articulatim explicat, ſed ſermo ille ad Competentes habetur: *Ideo cum credideritis, oportet & ut confiteamini, quando Symbolum redditis, accipite modo, quod teneatis, & poſtea reddatis, & nunquam obliviſcamini*. Et in fine ſermonis dicit eos poſt octo dies Orationem Dominicam accepturos. Idem habetur initio Homiliæ 42. ex quinquaginta, in qua tota oratio Dominica explicatur, ſed de hac Homilia infra pluribus. Scripſit S. Auguſtinus quatuor libros, quibus quater Symbolum Catechumenis explicat; ſed ſemper eos Catechumenos intelligit, quos nunc Competentes dicimus, ut diſertiſſime colligitur ex ipſiſſimo libri primi initio, ejuſque fine. Item ex initiis lib. 2., & 4., quorum verba nunc referemus, cum alibi ſit nobis id faciendum. Verum quid opus hoc pluribus probare, cum ipſe teſtetur lib. 1. Retractationum cap. 17. ſe in Competentium gratiam illos ſcripſiſſe? Explicat S. Chryſoſtomus Homilia ſpeciali Symbolum, ſed quibus? φωτιζομένοις Competentibus, ut vel ex initio liquet, quod ſupra hoc capite exhibuimus. Idem facit Petrus Chryſologus ſeptem ſermonibus brevi baptizandis, cum Paſcha inſtaret, & cuique legenti eſt in promptu colligere. Ex his omnibus manifeſte colligitur Symbolum, præcipuaque Fidei myſteria Competentibus, non Catechumenis fuiſſe tradita. Longe plura ſunt ejuſdem rei teſtimonia, ſed quoniam ea ſimul probant, quo die illis tradebantur iſta myſteria, nonnullaque alia complectuntur ſcitu digniſſima, ea in Caput ſequens remittimus.

Idem de Oratione Dominica dicendum, quod de Symbolo fidei. Oratio Dominica Catechumenis non tradebatur, ſed tantum Competentibus; quia hi, ut ita loquar, in proxima ad Baptiſmum, & fidelium ordinem diſpoſitione verſabantur. Attamen non eam reddebant, ſive publice recitabant, niſi Baptiſmo ſuſcepto. Ante Baptiſmum iis tradebatur, ut eam memoriter diſcerent, baptizatique ſic Deum orarent, quod ante Baptiſmum præſtare nefas erat. Catechumenorum & Competentium non erat dicere Pater noſter, ſed Baptizatorum. *Vis ſcire*, inquit Dachiarius in fine Epiſt. de recipiendis lapſis, *quia Baptizati, non autem Catechumeni, filii appellantur. Aſpice, quod ipſe Apoſtolis ſuis dicit, jam non dicam vos ſervos ſed filios &c.* Sic Sanctus Auguſtinus ſermone 29. de verbis Apoſtoli cap. 5. adverſus Pelagianos inſurgens: *Interrogo te homo juſte, &c. Oratio iſta ex Deo eſt, Eccleſiæ eſt, fidelium eſt, an Catechumenorum? Certe utique regeneratorum eſt, ideſt Baptizatorum; poſtremo, quod totum ſuperat, filiorum eſt*. Et poſt Sanctum Auguſtinum Toletani Patres Concil. 4. cap. 10. *Eorum enim eſt dicere, Pater noſter, qui es in Cœlis, qui jam Patri tali regenerati ſunt ex aqua, & Spiritu*. Hujus obſervationis cauſam reddit Sanctus Chryſoſtomus hom. 20. in cap. 6. Matth. ubi explicat Orationis Dominicæ hæc verba: dimitte nobis debita noſtra, ſic ſcribit: *poſt tantorum quippe ablutionem malorum, & ineffabilem gratiæ largitatem iterum peccantibus dignatur ignoſcere; quod enim fidelibus oratio iſta conveniat, & Eccleſiæ regula ipſa teſtatur, & ipſius orationis exordium;*

non-

endum quippe initiatus Sacramento Baptiſmatis non poteſt Patrem vocare. Idem poſt Chryſoſtomum, & a Chryſoſtomo mutuatus ſcribit Theodoretus lib. 5. de hæret. fabul. cap. 28. Eadem ratione, ſed eleganter deducta utitur Sanctus Auguſtinus in fine lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos, ut idem probet; *nam quomodo*, inquit, *dicunt Pater noſter, qui nondum nati ſunt?* Probat Competentes, nedum Catechumenos dicere non poſſe: dimitte nobis debita noſtra &c., quia hæc verba ad orationem Dominicam pertinent, quam recitare non poſſunt; incipit enim Pater noſter, &c. At qui nondum nati ſunt, Deum vocare non poſſunt Patrem. Naſcimur autem per Baptiſmum. Ante igitur Baptiſmum ſuſceptum Competentes orationem Dominicam recitare non poſſunt.

Notant antiqui Patres, quod ſcire non eſt ſupervacaneum, primam vocem, quam proferre jubebantur poſt Baptiſmum ſuſceptum Neophiti, hanc eſſe, Pater noſter, qui es in Cœlis &c. Sanctus Chryſoſtomus homilia 14. in Epiſtolam ad Romanos interpretans hæc verba, per quem clamamus Abba Pater: *hoc autem quale, quantumque ſit, ſciunt myſtæ ipſi, qui rite jubentur hoc primum in prece myſtica verbum effari.* Et paulo poſt. *Nos autem Sacerdotes, & Privati, Principes, & Subditi, ita precari juſſi ſumus, & hanc primam vocem edimus poſt admirabiles illas parturigines, poſt veram, ac mirificam enitendi legem.* S. Hieronymus ad finem lib. 3. contra Pelagium ſpecialius locum, & tempus notat: *de Baptiſmatis fonte ſurgentes, & regenerati in Dominum Salvatorem, impleto illo, quod de ſe ſcriptum eſt: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, ſtatim in prima Communione Corporis Chriſti dicunt, dimitte nobis debita noſtra, &c.* poſt Baptizatos Competentes ſtatim decantabatur ille verſiculus, Beati quorum, &c. ut ex antiquis Ritualibus, & Euchologiis apparet, deinde orationem Dominicam recitare jubebantur, qua finita Sacra Communione reficiebantur.

Cum igitur antiquiſſima, & Apoſtolica traditio non permitteret Competentibus, nedum Catechumenis Deum vocare Patrem ſuum, ideo oratio Dominica, quæ ab hac appellatione incipit, poſt Symbolum, & omnium myſteriorum poſtremum ipſis tradebatur, ut ratio ipſa convincit, & ſæpius κατηχῆς docet S. Auguſtinus, ut ſermone 48. de diverſis: *quia ergo dixit, quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? ideo non accepiſtis prius orationem, & poſtea Symbolum, ſed prius Symbolum, ubi ſciretis, quid credaretis, & poſtea orationem, ubi noſſetis, quem invocaretis.* Similia ſermone 9. ubi ſatis ſuſe orationem Dominicam explicat, præfatur ſimiliter initio ſermonis 135. de tempore, ubi breviter eam orationem explicat: *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Ideo prius Symbolum didiciſtis, ubi eſt fidei veſtræ regula brevis, & grandis. Brevis numero verborum, grandis pondere ſententiarum. Oratio autem, quam hodie accepiſtis tenendam, & ad octo dies reddendam, ſicut auditis, cum Evangelium legeretur, ab ipſo Domino dicta eſt Diſcipulis &c.* idem leges apud eumdem Authorem homilia 42. in lib. quinquaginta homiliarum, ubi quoque eamdem orationem explicat; ſed non videntur hic omittenda quæ in hac cauſa ſcribit ſerm. 119. de tempore: *quoniam viſuri ſumus in iſto ſæculo, ubi quis non vivit ſine peccato, ideo remiſſio peccatorum non eſt in ſola ablutione Sacri Baptiſmatis, ſed etiam in oratione Dominica, & quotidiana, quam poſt octo dies accepturi eſtis, in illa invenietis quaſi quotidianum Baptiſmum veſtrum, ut agatis Deo gratias, qui donavit hoc munus Eccleſiæ, quod confiteamur in Symbolo.* Idem colligitur ex Sancti Chryſologi homilia 67. & ſequentibus, quas de oratione Dominica poſt Symboli explicationem ad Baptizatos habuit. Morem illum tradendæ orationis Dominicæ iis, qui baptizantur, aut Baptiſmo ſuſcipiendo proximi ſunt, eſſe antiquiſſimum, & Apoſtolicum, ex S. Clemente colligitur lib. 3. Conſt. cap. 18. *Qui baptizatur*, inquit, *ſit alienus ab omni impietate &c. Dei Filius, qui tamquam filius his verbis Patrem precetur, velut nomine communis cœtus Fidelium, Pater noſter &c.* Quo tempore, & die traditum fuerit Competentibus Symbolum, & conſequenter Oratio Dominica, infra cap. 13. inquiretur.

Antequam huic capiti finem imponam mos peculiaris Eccleſiæ Romanæ ſilentio non eſt prætereundus. Competenti Baptiſmati admovendo præter Fidei Symbolum, quod ubique gentium, ut jam demonſtratum eſt, recitari ſolebat, amplior Fidei profeſſio præſcriptis verbis conceptæ tradebatur edifcenda, mèmoriterque e loco editore in omnium Fidelium conſpectu pronuntianda. Erat autem hujuſmodi, ut nunquam pudore, ac verecundia ab ea publice pronuncianda retinerentur, atque ideo cum nonnullis, ut ſecretiore loco eam pronunciarent, diſpenſabatur. Hunc morem breviter attingit S. Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 2. de Victorino famoſiſſimo Rhetore, & Philoſopho verba faciens: *Denique ut ventum eſt ad horam profitendæ Fidei, quæ verbis certis conceptis, retentiſque memoriter de loco eminentiore in conſpectu Populi fidelis Romæ reddi ſolebat ab eis, qui acceſſuri ſunt ad gratiam tuam, oblatum eſſe dicebat Victorino* (Simplicianus) *a Presbytero, ut ſecretius redderet, ſicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur offerri, mos erat: illum autem maluiſſe ſalutem ſuam in conſpectu ſanctæ multitudinis profiteri &c.* Videtur hoc Ruffinus puræ putæ Symboli recitationi tribuere, cum ſcribit in Symboli explicationem initio: *Mos Romæ ſervatur antiquus, eos, qui baptiſmatis gratiam ſuſcepturi ſunt, publice, ideſt Fidelium populo audiente, recitare Symbolum.* Facile hæc conciliabuntur, ſi dixerimus in plebejorum hominum profeſſione Fidei ſimplici Symboli recitatione in omnium conſpectu edita contentam fuiſſe Eccleſiam, in profeſſione vero hominum doctorum, qualis erat Victorinus, aut alias inſignium, præter Symbolum explicationem, & myſteriorum preſſiorem verbis certis profeſſionem conceptam præſcripſiſſe. Eumdem morem in Eccleſia Conſtantinopolitana viguiſſe ex Sancto Chryſoſtomo colligitur Homil. in verba Pſalm. 118. Bonitatem feciſti

cum

cum ſervo tuo, ubi de ſymbolo verba faciens ſcribit: Cognoſcant homines charitatem, ac inſigne illud militiæ veſtræ, quod profeſſi eſtis in eminentiore loco Eccleſiæ.

CAPUT UNDECIMUM.

Tempus inquiritur, quo Competentes, ſeu φωτιζόμενοι eligebantur, & eorum nomina in tabulas Eccleſiaſticas ad baptiſmum ſuſcipiendum referebantur.

INquirendum nobis eſt, quo tempore inciperent, quæ capite præcedente dicta ſunt. Ab ipſa ſtatione, quæ expiationis fundamentum eſt, exordium faciemus. Primum ea argumenta proferemus, quæ quadrageſimali tempore eam ſtationem incipere, & conſtitui demonſtrant; Ea deinde, quæ diem adnotant: denique quid lapſu temporis immutatum fuit, adſcribemus. Illa autem teſtimonia docent, quoque Catechumenos, cum in Competentes ſive φωτιζομένους eligebantur, & evehebantur, nomina ſua dediſſe, ut tabulis Eccleſiaſticis inſcriberentur; quapropter una, & eadem opera utrumque demonſtratum erit. S. Auguſtinus cap. 12. libri de cura pro mortuis, ita loquitur de quodam, cui in ſomnis juſſum fuerat, ut ſe baptizari curaret: *Poſt iſta convaluit, perrexit Hypponem: Paſcha jam appropinquabat, dedit nomen inter alios Competentes.* Eodem temporis reſpiciebat idem ſanctus confeſſionum l. 9. cap. 6. cum ſcribit: *Inde ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure Mediolanum remeavimus.* Circumſtantiæ temporis ibi deſcriptæ quadrageſimali tantum conveniunt. Idem Sanctus in Sermone ad Competentes, qui habitus eſt in Dominica Palmarum, poſtquam eo Sermone nominis rationem reddit, ſubdit: *Nunc vero iſti, qui ſimul petunt, debent ſcire, quid petunt. Quid ergo petunt, qui baptiſmi Sacramentum deſiderant? Quid utique niſi, ut qui erant vaſa Diaboli, mœreantur eſſici vaſa Chriſti &c. Ideo rogo vos, & commoneo omnes petentes, & conteſtor ſimul, & adnuntio, ut cum Dei adjutorio in iſtis diebus uſque ad Paſcha diligenter perſeverentemini in conſcientias veſtras &c.* in fine ejuſdem Sermonis nonnulla habet, quæ ejuſdem rei poſſunt eſſe argumentum.

S. Auguſtinus iterum ſimilia ſcribit lib. de fide, & operibus cap. 6. *Quod autem ſit per omne tempus, quod in Eccleſia ſalubriter conſtitutum eſt, ut ad nomen Chriſti accedentes Catechumenorum gradus accipiant: hoc fit multo diligentius, & inſtantius his diebus, quibus Competentes vocantur, cum ad percipiendum baptiſma ſua nomina jam dederunt.* Dixerat eodem capite: *non recordamur, quam ſuerimus attenti, atque ſoliciti, quid nobis præciperent, a quibus catechizabamur, cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur.* Evidenter docet omni tempore Catechumenos factos, & dictos fuiſſe; Competentes vero, cum nomina ſua dederant ad ſuſcipiendum baptiſma, atque ideo Competentes vocatos. Idem arguit ipſa nominum Græcorum notatio, quæ ſemper in præſentis temporis participio paſſivo, ut diximus, enunciatur: loqui autem Sanctum Auguſtinum de ſolemni baptiſmo, cum ex univerſo Sermonis contextu, tum ex his verbis apparet: *Intueamur alios, qui per annos ſingulos ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales ſint ipſis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, ſcrutantur &c.* Solempem autem fieri baptiſmum in Paſchate, aut Pentecoſte, notius eſt omnibus, quam ut probatione indigeat.

Sed ponamus, quod factum eſt, S. Auguſtinum de ſolemnibus illis diebus verba non facere: Eos ſane hortatur, qui in procinctu erant ad baptiſmum ſuſcipiendum; hoc eſt autem, quod contendimus, Catechumenos nomina dediſſe, pœnitentiam egiſſe, Competentesque dictos, cum ad baptiſmum deſtinati eo abluendi ſunt. In ordinario Baptiſmo, id fiebat quadrageſimali tempore. In extraordinario autem aliquot ante baptiſmum diebus prout expedire definiebat Epiſcopus. Sic in vita Sancti Sebaſtiani apud Surium 20. Januarii refertur finita Polycarpi exhortatione: *Et utriuſquiſque nomen ſuum etiam priuſquam interrogatus eſſet, feſtinabat offerre.* Et paulo poſt, *cumque clamaret Claudius, credere ſe, & deſiderare fieri Chriſtianum, juſſit S. Polycarpus Presbyter, ut darent univerſi nomina ſua. Primus itaque omnium dedit nomen ſuum Tranquillinus &c. Igitur omnes iſti ſimul animæ 64. a Polycarpo baptizati, & a Sancto Sebaſtiano ſuſcepti ſunt.* Ita intelligendum, quod ſcribit S. Auguſtinus Confeſſionum lib. 8. cap. 2. de Victorino Rethore famoſiſſimo: *ubi imbutus eſt primis inſtitutionum Sacramentis, non multo poſt etiam nomen dedit, ut per baptiſmum regeneraretur mirante Roma, gaudente Eccleſia.* Ex ſequentibus enim apparet extra ſolemnitatem Paſchatis, & Pentecoſtes baptizatum fuiſſe. Idem colligitur ex interrogatione facta Timotheo Alexandrino Patriarchæ apud Balſamonem, *ſi mulier Catechumena dedit nomen ſuum, ut illuminaretur, & die baptiſmatis illi accidit, quod ſolet mulieribus, debet ne eo die baptizari, an differre, & quantum differre? debet differre, donec purgata fuerit.* Sic quoque Baſilius in exhortatione ad baptiſmum, quam totam in eos compoſuit, qui baptiſmum ad finem vitæ differebant: *Cave, ne tu (Aucupi) ſimilia patiaris, certa pro incertis relinquens, ſpem firmam vana commutans. Trade itaque te Chriſto totum, da nomen tuum, & adſcribere Eccleſiæ. Nam & miles legitimus Catalogo adſcribitur: Athleta conſcriptus pugnat &c.* Nulla diei, aut feſtivitatis mentio, eo quod cum ſegnes ad baptiſmum urgeret, quælibet dies erat illi accepta. Eodem referri debent, quæ docet Sanctus Dionyſius cap. 2. de Hierarch. Eccleſiaſt., nuſquam enim Paſchatis, aut Pentecoſtes mentionem facit. Ex eo præterea quærit num ita inſtituat vivere: *Cum promiſit, manum ejus capiti admo-*

Dubiæ fidei eſt hæc vita.

admovet; eoque ſigno Crucis conſignato Sacerdotibus imperat, ut viri atque ſponſoris nomina perſcribant, iis ſcriptis, ſacras preces perficit.

Manifeſtum eſt igitur Competentes, creatos in ordinario baptiſmo tempore quadrageſimali. In extraordinario aliquot diebus antequam baptiſmo confecrarentur; certus dies nunc eſt nobis inveſtigandus. In eo aſſignando traditionem variaſſe deprehendimus. Stabilis tamen, & uniformis fuit in iis, quæ creationis diem concomitabantur. Quo die enim in competentes ἐ φωτιζομένους eligebantur, non modo nomina eorum in tabulas Eccleſiaſticas referebantur; verum etiam pœnitentia illis indicebatur, cui antea non erant obnoxii, exorciſmiſque, & exſufflationibus, atque aliis ritibus expiabantur, donec baptiſmo tingerentur. Communiſſima Eccleſiæ tam Græcæ, quàm Latinæ traditio fuit, quadraginta diebus ante Paſcha ex Catechumenis eos eligere in Competentes, qui in doctrina fidei boniſque moribus magis profecerant. S. Syrius Pontifex Epiſtola 1. cap. 2. *in Paſchate tantum, & Penteceſte ad fidem confluentibus generalia baptiſmatis tradi convenit Sacramenta, his dumtaxat electis, qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint, & exorciſmis quotidianiſque orationibus, & jejuniis fuerint expiati.* Idem teſtatur non modo de Eccleſia Romana, ſed etiam de Orientali S. Hieronymus Epiſt. 61. ad Pammachium de erroribus Joannis Hieroſolymitani longe ante medium: *Conſuetudo eſt apud nos iſtiuſmodi, ut iis qui baptizandi ſunt, per quadraginta dies, publice tradamus ſanctam, & adorandam Trinitatem. Si te præſens lectio provocavit, ut de cunctis dogmatibus una hora diceres, quid neceſſe fuit quadraginta dierum replicare doctrinam?* Et paulo poſt, *ſed & hic ambigue loquitur. Poteſt enim fieri, ut quæ per quadraginta dies tradere ſolebat in Eccleſia baptizandis, hæc ſub unius lectionis occaſione perſtrinxerit.*

S. Ambroſius eodem alludit Sermone 23. com ſcribit, *quadraginta duorum dierum numero Iſrael ad fluenta Jordanis pervenit, eodemque... diem circulo Chriſtianus Populus pervenit ad fluenta baptiſmatis*, & Sermone 38. *Elias reſeravit jejuniis ſuis cœlum, & terram orationibus ſecundavit &c. Nos eadem, quæ Elias, obſervantes jejunia adhibitis precibus, clauſum Cœlum noſtris Competentibus referamus, quatenus illos lavacri ſalutaris imber illuminet.* Idem Eliæ exemplum in eundem finem edifſerit ad finem Sermonis 27. Petrus Chryſologus Sermone 166. *Attendite fratres, quantus ſit quadragenarius numerus iſte, qui & tunc Cœlum Terris aperuit abluendis, & nunc fontem baptiſmatis per orbem totum pandit Gentibus innovandis. Merito nos quadraginta diebus per jejunium currimus, ut perveniamus ad fontem... baptiſmatis & ſalutis.* S. Auguſtinus Sermone 71. de tempore diſertiſſime docet eumdem fuiſſe ſuo tempore in Eccleſia Africana morem. *Rogo vos fratres, ut quicumque aut filium ſuum, aut vernaculum baptizari deſiderat, jam nunc eum Eccleſiæ offerre non differat: quia non eſt juſtum, ut res, quæ tam præclara creditur, negligenter aut tardius, quam expedit, requiratur. Timeo enim, ne aliquæ mulieres ideo tardius infantulos ſuos offerant, quia cum ipſis venire ad vigilias diſſimulant. Certiſſime enim credimus, quod qui ſtatim incipiente quadrageſima, eos qui baptizandi ſunt, offerre voluerint, & cum ipſis ad vigilias fideliter venerint, & filii eorum legitimo ordine accipient baptiſmi Sacramentum, & ipſi acquirent indulgentiam peccatorum.* In vita Sancti Sebaſtiani apud Surium die 20. Januarii Polycarpus Presbyter Chromatio & Tiburtio pompis Diaboli abrenuntiantibus, cum jam eſſent in baptiſterio mergendi, triduano jejunio ipſis imperato perfunctis, iſtam Eccleſiæ conſuetudinem declarat, Tiburtium alloquens. *Beatiorem te cœleſtis unda perfundet, cum Quadrageſimæ tempus ideo baptizandis injungitur, ut omnibus illis diebus diſcant renuntiaturos ſe eſſe omnibus artibus inimici.* Statimque poſtea baptizatus eſt Tiburtius, & paucis poſtea diebus pater ipſius Chromatius. Sic in vita Sanctæ Genovefæ de puero dicitur, quem ſuſcitaverat. *Erat tum quadrageſimæ dies, & puer adhuc Catechumenus de fide inſtituebatur, ut in Paſchatis vigilia baptiſmatis undis expiaretur.* Vita S. Genovefæ apochrypha.

Sæpe ejuſdem temporis mentionem facit S. Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſibus ſuis. Sic in procatecheſi illuminandos ad novæ vitæ inſtitutа capeſſenda hortatur. *Intrafti eo loco, dignus habitus es, nomen tuum... inſcriptum eſt &c. Ego te admoneo priuſquam Jeſus animarum ſponſus ingrediatur, & amittum tuum videat, longum tibi tempus lege definitum eſt. Quadraginta dierum pœnitentiam habes. Adeſt tibi exuendi, ac rurſus induendi atque intrandi magna opportunitas.* Catecheſi vero prima φωτιζομένοις, ſic alloquitur. *Conſitere tempore acceptabili, & in die ſalutis. Suſcipe cœleſtem theſaurum, & in exorciſmis ſtudioſe verſeris. Aſſiſtas Catecheſibus, & quæ in illis dicuntur, memineris &c. Tot annorum circulos tranſegiſti, mundo fruſtra operam navans, & quadraginta diebus non vacabis orationi pro anima tua?* Et initio Catech. tertiæ. *Abſit, ut aliquis eorum, qui nomina dederunt, audiat, Amice quomodo huc intraſti &c.* Catecheſis quartæ initio: *Ante vero fidei traditionem præclare mecum allum videtur, ſi nunc ſummatim dogmatum neceſſariorum capita repetant, ne dicendorum multitudo, & intercepturum dierum ſanctæ quadrageſimæ totius intervallum oblivionem inducat rerum earum, quæ ſunt ad cogitandum ſolidiores.*

Videtur tamen S. Chryſoſtomus in homilia ad baptizandos, quæ prima in Græco textu inſcribitur, tempus iſtud triginta dierum conſtituere. *Joſeph*, inquit, *ad Archioenum dicebat, adhuc triduum, & reſtituet te Pharao ad Archioeniam. Ego autem non dico, poſt triduum ad officium tyrannici myſterii venietis, ſed poſt triginta dies non vos Pharao, ſed Cœlorum Dominus ad priſtinam Patriam revocabit.* Si quis diligenter textum examinet, non videtur baptizandis triginta dierum tempus conſtituere. Triginta dies numerat ab eo die, quo Homilia pronuntiata fuit. At quo die pronuntiata fuit, incertum. Itaque nihil certi de tricenario numero colligi poteſt. Imo paulo poſt totum quadrageſimæ tempus huic negotio

negotio videtur, deputare, cum ſcribit. *Vellem hoc quidem primum in eo declarare ſermone, cur majores noſtri, totius anni diebus præteritis, hoc in tempore Eccleſiæ filios conſecrare voluerint.* Sed evidentius Homilia 10. in Matth. *Tempus quidem confeſſionis, quæ & lotis baptiſmate, & illotis profaniſque incumbit. Illis quidem, ut poſt patentia criminum vulnera, pœnitentia interveniente curentur, & ad ſacra myſteria redire mereantur. His vero, ut ablutis in baptiſmo maculis ad Dominicam menſam, munda jam conſcientia, accedant.* Alludit enim ad quadrageſimale tempus, quod æque deputatum, ait, pœnitentiæ baptizandorum, quam baptizatorum, ut etiam teſtatur S. Auguſtinus Serm. 74. de diverſis cap. 1. *Nos autem cum eis, qui baptizandi ſunt, ante diem baptiſmi eorum, qui dies Paſchalis appropiat, jejunamus, poſt quem per dies quinquaginta relaxamus.* Sed capite ſequenti de hoc jejunio pluribus. Quidquid ſit de triginta aut quadraginta diebus, teſtatur Chryſoſtomus quadrageſimale tempus baptizandorum inſtructioni & expiationi ex majorum traditione conſecratum fuiſſe, quod potiſſimum contendimus.

CAPUT DUODECIMUM.

Catechumenos ab eo tempore, quo electi fuerant, & nomina dederant, Catecheſibus, exorciſmis, exſufflationibus, jejuniis, aliiſque laboriſis operibus purgatos fuiſſe, donec baptiſmum ſuſciperent. Continentia toto illo tempore, & aliquot poſt baptiſmum diebus, conjugatis præcepta eſt, nuptiæ vero non conjugatis prohibitæ.

QUæ enarrata ſunt capitibus præcedentibus, & ultimo potiſſimum, facile probant, Competentibus eodem tempore, quo in eum gradum electi ſunt, Pœnitentiam, jejunia, laborioſa opera impoſita fuiſſe, & ab iis exacta: Exorciſmos præterea iis dictos, & manus impoſitiones factas. Quapropter cum quadraginta circiter diebus ante Paſcha, cum extraordinarie non baptizabantur, e cæteris Catechumenis in Competentes eligerentur, ab eo tempore, & jejuniis, & exorciſmis, & aliis laboriosis operibus exerceri cœpiſſe, neceſſarium eſt. Hoc diſerte docuit Syricius cap. 2. Epiſt. 1. S. Cyrillus ſæpius in Catecheſibus, Author vitæ Sancti Sebaſtiani, & alii. Hoc omnium antiquiſſimus adnotat S. Clemens lib. 7. cap. 23. *Jejunet ante baptiſmum is, qui baptizatur: ſiquidem Dominus a Joanne primum baptizatus, & poſtea in ſolitudine commoratus quadraginta diebus & totidem noctibus jejunavit: non quidem quod opus eſſet ei, ullas ſordes eluere, aut opus jejunio, aut ulla purgatione, qui eſt natura mundus & ſanctus, ſed ut tum Joanni veritatem atteſtaretur, tum nobis normam, & regulam præberet.* Licet autem Clemens id præciſe non præcipiat, hinc tamen viri Apoſtolici, eorumque ſucceſſores occaſionem ſumpſerunt a baptizandis quadraginta dierum, cum tempus tulit, abſtinentiam exigendi. S. Cyrillus in Procatecheſi. *Ceſſato jam hodierna die* (initium autem erat quadrageſimæ) *ab omni turpi negotio, non proferat lingua tua obſcœna verba, non peccet amplius oculus tuus, neque commoditatibus inhiet, & inſiſtat: feſtinent pedes tui ad Catecheſes audiendas, exorciſmos ſtudioſe ſuſcipe, etiam ſi exſufflatus jam ſis, & exorcizatus, ſalubris enim eſt tibi res iſta &c. abſque exorciſmis anima purgari non poterit, divini enim ſunt, & ex divinis ſcripturis colleƈti &c.* Atque iterum poſtea. *Unius Matris filii & filiæ facti eſtis omnes, quicumque hic nomina dediſtis. Cum ante horam exorciſmorum ingrediemini, unuſquiſque veſtrum pietatis verba proferat, & ſi quis veſtrum aberit, perquirite &c.* De exorciſmis factis Competentibus lege inſuper S. Auguſtinum Serm. 8. de diverſis cap. 6.

Sanctus Ambroſius Sermone 27. *Iſtud autem præceptum ejus eſt primum, ut his quadraginta diebus, jejuniis, orationibus, vigiliis operam commodemus. Jejuniis enim laſcivia corporis caſtigatur; orationibus devota ſaginatur anima: vigiliis Diaboli inſidiæ depelluntur. Deinde cum iſtis mandatorum obſervationibus fueris hoc tempus impleƈum, tum purgata & fatigata tot obſervationibus anima, ad baptiſmum ventens, Spiritus Sancti inundatione refeƈitur; & quidquid in ea diverſarum ægritudinum ardor exſiccaverat, cæleſtis gratiæ rore perfunditur.* Poſtea multis etiam eleganter docet fideles eadem jejunia celebrare, ut baptizandis gratiam Dei promereantur.

Petrus Chryſologus Sermone 60. qui eſt quintus, in expoſitionem ſymboli ad baptizandos: *Quia quivigilia corporum noſtrorum quadrageſimæ ſunt curata jejunio, neceſſe eſt, ut placitum fidei, ſymbolum cæleſtis commercii jam dicamus &c. accipite ergo fidem, expellatæ vem &c.*

S. Auguſtinus Epiſt. 118. *Si autem quæris, cur etiam lavandi mos ortus ſit,* (in die Cœnæ Domini) *nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, niſi quia baptizandorum corpora, per obſervationem quadrageſimæ ſordidata, cum eſſentune ſenſus ad ſomnum traƈtarentur, niſi aliqua die lavarentur.* Et Sermone 13. ad Neophytos, qui eſt in nova appendice ultimus, in hæc verba: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis die ac nocte. *Per omnem enim,* inquit, *quadrageſimam vacaverunt orationi & jejuniis, in ſacco & cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum ſuorum confeſſione quæventes, ſed quia fuerunt triſtes, dicetur illis &c.*

S. Leo cap. 6. Epiſt. 4. multis demonſtrat, temporibus Paſchatis, & Pentecoſtes, nullo urgente mortis periculo, baptiſmum eſſe celebrandum, tandemque ſic concludit. *His itaque fratres, tot tamiſque exiſtentibus documentis, quibus omni ambiguitate ſubmota, evidenter agnoſcitis, in baptizandis electis, qui ſecundum Apoſtolicam regulam, & exorciſmis ſcrutandi, & jejuniis ſanƈificandi, & frequentibus*

ribus sunt prædicationibus imbuendi, duo tantum tempora, ideſt Paſcha, & Pentecoſten, eſſe ſervanda &c. Eſt igitur traditio Apoſtolica, Catechumenos, poſtquam electi ſunt in Competentes, exorciſmis, jejuniis, & Catecheſibus ſanctificandos, idque ordinario jure in Paſcha, & Pentecoſte eſſe faciendum, hoc eſt toto quadrageſimali tempore, quod ſanctificandis Competentibus, ut & fidelibus deſtinatum eſt.

Multa alia teſtimonia occurrunt idem confirmantia, licet nec diem nec tempus adnotent. Tertullianus lib. de baptiſmo cap. 20. *Ingreſſuros baptiſmum, orationibus crebris, jejuniis & geniculationibus, & privilegiis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum &c.* S. Auguſtinus in Sermone 83. de diverſis, qui habitus eſt ad Neophytos in die Paſchæ, *Niſi molatur triticum, & per aquam conſpergatur, ad iſtam formam minime venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante jejunii humiliationem, exorciſmi Sacramento molebamini. Acceſſiſt baptiſmus, & aqua quaſi conſperſi eſtis; ut ad formam panis veniretis.* Libro de Fide, & Operibus aliquid ſpeciale addit, quod eſt notatione dignum: de Catechumenis ad baptiſmi ſuſceptionem deſtinatis verba facit: *Quo ſine dubio non admitterentur, ſi per ipſos dies; quibus eamdem gratiam percepturi, ſuis nominibus datis, abſtinentia, jejuniis, exorciſmiſque purgantur, cum ſuis legitimis, & veris uxoribus ſe concubituros profiterentur, atque hujus rei, quamvis alio tempore licitæ, paucis illis ſolemnibus diebus nullam continentiam ſervaturos.*

Tria conjungit, quæ contendimus, nominum inſcriptionem, abſtinentiam, & exorciſmos. Quo vero tempore? cum dicuntur Competentes, & baptiſmi gratiam percepturi ſunt. Addit autem quid ſpeciale, & notandum, Competentes ad gratiam baptiſmi non admiſſum iri, niſi continentiam a legitimis uxoribus pollicerentur. Urget hanc Eccleſiæ conſuetudinem S. Auguſtinus adverſus quoſdam, qui religioſæ vitæ præcepta contendebant Catechumenis poſt ſuſceptum baptiſmum tradi tantum debere. Unde manifeſtum eſt, continentiam illam ex Eccleſiæ, ſaltem Latinæ, quaſi univerſali conſuetudine eo brevi tempore fuiſſe imperatam. Utrumque S. Auguſtinus prohibet Competentibus ſcilicet & jam Neophytis, qui cum Ethnici eſſent, gravibus peccatis ſe maculaverant. Serm. 116. de tempore. *Hoc ante omnia quicumque ſe has culpas habere vident, obſervent, ut caſtitatem & ante baptiſmum cuſtodiant, & poſt baptiſmum non parvo tempore ſe a voluptate contineant.* Meminit etiam iſtius conſuetudinis S. Hieronymus, aut ſaltem æquivalentis, cum baptiſmi candidatis prohibet in Epiſt. 83. ad Oceanum, ne matrimonia contrahant. *Audiant Catechumeni, qui fidei ſunt candidati, ne uxores ducant ante baptiſma, ne honeſta jungant matrimonia.* Idem prohibet Neophytis Concil. Carthag. IV. cap. 86. *Neophyti aliquandiu a lautioribus epulis & ſpectaculis, vel conjugibus abſtineant.* Sane multo magis, dum baptiſmi ſunt candidati. Gregorius Nazianzenus hoc non jubet, ſed tantum conſulit orat. 40. *Quandiu aſſignatum orationi tempus omni occupatione præſtabilius fuit, a re uxoria abſtineas, idque ex communi pacto & conſenſu: non enim legem facimus, ſed conſilium damus.* Denique erat adeo uſitatum in Eccleſia pœnitentiam operaque laborioſa baptizandis imponere, ut iis, quibus Catechumenatus, ſive tyrocinii obeundi gratia fiebat, Pœnitentiæ tamen indulgentia non concederetur, ut ex Sancto Gregorio conſtat Epiſt. 24. lib. 7. Indict. 1. qui vult Judæis ad converſionem paratis, ſi tempus Paſchale ſuſtinere non poſſunt, indicta quadraginta dierum *Pœnitentia, & abſtinentia*; primo poſtea occurrente dominico, aut celebri feſtivitate, baptiſmum conferri. Iſtius cæremoniæ nonnulla exempla, præter iſtud, ſupra relata ſunt, ſed præſertim hujus libri cap. 1. quæ lectori harum rerum curioſo ſatis eſſe poſſunt.

Specialem hypotheſim ponit Canon Laodicenus 45. *Quod non oportet poſt duas Hebdomadas quadrageſimæ ad illuminationem admitti. εἰς τὸ φωτισμα*, ad baptiſmum. Caſus eſt. Initio quadrageſimæ Catechumenorum fit delectus. Nonnulli, multis poſt illud initium diebus, Competentibus adſcribi petunt. Quid fieri oportet? Reſpondent Patres, admitti poſſe, & aliis adnumerari, qui intra duas primas quadrageſimæ ſeptimanas hoc poſtulant; qui vero tardius, rejiculos eſſe, & in Paſchate, utpote non ſatis probatos non eſſe baptizandos. Zonaras, quem ſequitur Balſamon, in eamdem ſententiam commentatur. *Quicumque ſe parant, ut magno Sabbato illuminentur, totum quadrageſimæ tempus jejuniis tranſigere, exercitationibuſque purgatos, ut baptizentur, accedere oportet.* Verum admiſſus ille poſt ſecundam ſeptimanam; quando baptizabitur? Reſpondet Zonaras, exacta probatione quadragenaria. Sane ex Canonum præſcripto erit illi expectanda Pentecoſtes, quo ſolum die poſt Paſcha extra mortis periculum & inſignem aliquam occaſionem baptizare licebat.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Tempus diefve quæruntur, quibus Symbolum & Oratio Dominica Catechumenis tradebantur, & variæ Eccleſiarum de Symboli Catechumenis traditione conſuetudines referuntur. Symbolum memoriæ erat commendandum, non chartæ inſcribendum.

DUo ſuperſunt, Symbolum, & Oratio Dominica, quæ Competentibus explicabantur, Catechemenis vero celebantur: Orationem Dominicam poſt Symbolum tradi Competentibus omnes antiqui conſentiunt, ut in fine capitis decimi multis probatum eſt, ſed quo tempore Symbolum ipſis tradebatur, propter variantia authorum teſtimonia,

menia, difficile eſt indicare. Id definire hoc capite tentabimus. Symbolum baptizandis tradi, atque eos ante baptiſmum illud ſolemniter recitare ſolitos, ut Orationem Dominicam ſtatim a baptiſmo, jam cap. 10. demonſtratum eſt, notiuſque eſt, quam ut longa probatione indigeat, cum id conſtet ex tot ſermonibus, & libris, quos in Symbolum ſcripſit S. Auguſtinus, ex S. Chryſoſtomi duabus Homiliis, plurimis S. Chryſologi in idem Symbolum, ex Rufini præfatione in Symbolum, ipſius fidei profeſſione ad Anaſtaſium Pontificem, & invectivæ primæ initio. Ideo cum deſiit adultis baptiſmus conferri, diligenter providerunt SS. Patres, ut Symbolum infantibus jam adultis traderetur, & explicaretur, ut videre eſt in Concilio Moguntino cap. 1. & 2. Aquiſgranenſi cap. 5. Theodulpho Aurelian. cap. 22. Forojulienſi Concilio ſub Leone III., & aliis pluribus; quod etiam hactenus in Eccleſia ſolicite obſervatur. Ne diutius lectorem his legendis ſuſpendamus, tota, quæ ſequitur, diſſertatio id demonſtrabit.

Orientales Symbolum Competentibus explicaſſe, initio Quadrageſimæ ex facto S. Cyrilli Hieroſolymitani evidenter colligitur. Illud enim explicat Catecheſi 4. quæ initio quadrageſimæ habita, ut ex ipſius principio, & ex ordine Catecheſium conſtat. Deinde eo explicato ſcribit, *hoc Symbolum ſemper in mente tua impreſſum habeto, cujus hoc quidem tempore capita tibi breviter enumerata ſunt. Si vero Dominus conceſſerit, ex ſcripturarum demonſtratione pro viribus explicabuntur*. In fine autem ultimæ Catecheſeos ordinem doctrinæ tradendæ Competentibus ita explicat, ut Symboli explicationem univerſæ quadrageſimæ uſque ad ultimam ſeptimanam tribuat. *De tradita vobis, ad profitendum, ſancta & Apoſtolica fide, quantum Catecheſis capere potuit, per Dei gratiam diximus biſce quadrageſimæ diebus &c. Inſtante autem deinceps ſancto die Paſchatis, & veſtra per lavacrum regeneratione, docebimus rurſus, Deo volente, ea quæ conveniunt*. Quæ vero Doctrina Competentibus inſtante baptiſmate convenit? *Quanta cum reverentia & ordine eo ingredi oporteat vocatos, cujuſque cauſa perficitur, unumquodque ſanctorum baptiſmi myſteriorum, & quanta cum devotione a baptiſmate ad ſanctum Dei accedendum eſt Altare &c.* Poſtea explicat, quæ doctrina poſt baptiſmum illis competat.

Sancto Cyrillo conſentit S. Hieronymus Epiſt. 61. ad Pammachium adverſus Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopum: *Conſuetudo eſt apud nos ejuſmodi, ut iis, qui baptizandi ſunt, per quadraginta dies publice tradamus ſanctam & adorandam Trinitatem &c.* cap. 11. citatus eſt locus. Licet Chryſoſtomus duas de Symbolo Homilias habuerit, nihil tamen de tempore quo tradendum eſt, adnotat.

In Eccleſia Africana videtur Symbolum primo traditum, & explicatum Dominica quinta Quadrageſimæ, quam vocare ſolemus Dominicam Paſſionis, ut colligere eſt ex comparatione duorum ex S. Auguſtino teſtimoniorum. Sermonem enim 119. de tempore, in quo ſigillatim Symbolum explicat, habuit illo die, ut ex his in fine verbis videre eſt. *Remiſſio peccatorum non eſt in ſola ablutione ſacri baptiſmatis, ſed etiam in Oratione Dominica, & quotidiana, quam poſt octo dies accepturi eſtis*. Verum ex Homilia 42. lib. 50. Homiliarum, manifeſtum eſt, orationem illam dari octo dies ante baptiſmum, atque eodem die Symbolum antea traditum, publice a Competentibus recitari, *Symbolum reddidiſtis, quo breviter comprehenſa continetur fides*. Ideo ait nunc æquum eſſe, ut ipſi orare doceantur, quod antea fieri non poterat, juxta illud Apoſtoli, quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? *Quia ergo*, inquit, *quomodo credatur in Deum, & accepiſtis, & tenuiſtis, & credidiſtis, accipite hodie, quomodo invocetur Deus*. Et paulo poſt. *Tenete ergo & hanc orationem, quam reddituri eſtis ad octo dies. Quicumque autem veſtrum non bene Symbolum reddiderunt, habent ſpatium, teneant; quia die Sabbati Audientibus omnibus, qui aderunt, reddituri eſtis. Ad octo autem dies ab hodierno die reddituri eſtis hanc orationem, quam hodie accepiſtis*. Similia leguntur apud eum Sermone 135. de tempore, quæ ſupra cap. 10. retulimus. Cœpit igitur Symbolum ipſis tradi, & explicari quindecim ante Paſcha diebus. Memoriter illud reddiderunt in Dominica Palmarum, aut ſequenti die, quo illis tradita eſt Oratio Dominica, quam ſtatim a baptiſmo publice reddiderunt. Ante enim baptiſmum ex eorum diſciplina dicere non poterant, *Pater noſter &c.* Unde S. Auguſtinus Sermone 116. de tempore ad Competentes in Dominica Palmarum. *Si enim ille, qui baptizandus eſt, iracundiam vel odium in corde reſervat, neſcio ſi in eo gratia divina proficiat, dicturus eſt enim, dimitte nobis debita noſtra &c.* Quamdiu enim Competens erat, id pronunciandi jus non habebat, ut multis capite jam citato demonſtratum eſt.

Tarde Symbolum tradi ſolitum colligitur inſuper ex variis S. Auguſtini locis, in libris de Symbolo ad Catechumenos, & ex initio libri 2. Cum enim dixiſſet: *Quid eſt, quod hac nocte circa vos actum eſt, quod præteritis noctibus actum non eſt? ut ex locis ſecretis ſinguli produceremini in conſpectu totius Eccleſiæ, ibique cervice humiliata, quæ male fuerat antea exaltata, in humilitate pedum, cilicio ſubſtrato in vobis celebraretur examen: atque ex vobis extirparetur Diabolus ſuperbus, dum ſuper vos invocatus eſt humilis altiſſimus Chriſtus &c.* quæ pluribus exaggerat, ſubjicit: *Purgata itaque familia Redemptoris, poſteaquam cantavit canticum ſalutis, accepit remedium contra antiqui ſerpentis venenum*. Symbolum igitur traditur jam ſæpius purgatis, & propinqua ad baptiſmum ſuſcipiendum diſpoſitione præparatis. Ita initio lib. 3. *Poſtquam homo renuntiando Diabolo excludit peſſimum invaſorem, introducat optimum poſſeſſorem, credat in Deum Patrem omnipotentem &c.* Idem etiam ex initio lib. 4. colligitur.

In Eccleſia Mediolanenſi eodem die, aut, quod probabilius eſt, ipſo die Palmarum Symbolum Competentibus tradebatur. Sanctus enim Ambroſius Sermonem de Jejunio Heliæ

ix habuit finiente quadrageſima. Sie enim incipit: *Propitia divinitate, ecce jam pene tranſegimus quadrageſimæ indicta jejunia, & præcepta Chriſti Domini abſtinentiæ devotione complevimus.* Toto autem illo Sermone eloquentia ſibi familiari demonſtrat, tempus jam eſſe opportunum Symbolum Catechumenis tradendi, Moyſis & Heliæ exemplo, qui poſt jejunium quadrageſimale gratiam Dei meruerunt, & Heliæ potiſſimum, qui Cœlum reſeravit. Hoc poſteriore exemplo multis eloquenter deſcripto colligit: *Hoc ergo obſervantium iſta jejunia eſt meritum, ut orationibus eorum aut innovetur Mundus, aut fratres denuo renaſcantur. Referandum igitur Competentibus noſtris eſt Cœlum, quoniam adhuc clauſum eſt apud illos. Clauſum eſt enim Cœlum, quoniam myſterium non pervident Trinitatis &c. Quemadmodum ergo clauſi Cœli aperiendi ſunt, quærere nos oportet. Puto autem aliter eos aperiri non poſſe, niſi Claves Petri Apoſtoli ſumpſerimus, quas Domino largiente ſuſcepit &c. Videamus quemadmodum conſtet, quemadmodum ſolida ſit. Abſtrror illam duodecim artificum operatione conflatam. Duodecim enim Apoſtolorum Symbolo fides ſancta concepta eſt &c. Igitur hæc Clavis oſtendenda eſt fratribus noſtris, ut & ipſi tamquam diſcipuli Petri inferna ſibi reſerare, Cœlos aperire confueſcant.* Certum eſt igitur in Eccleſia Mediolanenſi, finiente quadrageſima, Symbolum Catechumenis traditum.

Quærit nunc Lector, quo die? notat hoc S. Ambroſius Epiſtola 33. ubi deſcribit tumultum ab Arianis Catholicorum Baſilicas occupare nitentibus concitatum: *Sequenti die, erat autem Dominica, poſt Lectiones, atque tractatum dimiſſis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in baptiſteriis tradebam Eccleſiæ.* Sed ex ſequentibus evidentiſſime conſtat dies hanc Dominicam ſequentes ultimum fuiſſe quadrageſimæ ſeptimanam. *Condemnationes illico graviſſimæ decernuntur: Primo in Corpus omne Mercatorum. Itaque ſanctis diebus Hebdomadis ultimæ, quibus ſolebant debitorum laxari vincula, ſtridunt catenæ, imponuntur collo innocentium &c.* Tumultus ille tandem juſſu Imperatoris ſopitur ipſo die Paſſionis Dominicæ, & Catholicorum Baſilicam deferunt Prætoriani Milites, ut in fine refertur Epiſtolæ. Eadem videtur Eccleſiæ Ravennatenſis fuiſſe conſuetudo: ſcribit enim S. Chryſologus Serm. 60. *Et quia navigia corporum noſtrorum quadrageſimæ curata ſunt jejunio, neceſſe eſt, ut placitum fidei, Symbolum cœleſtis commercii jam diſcamus &c. accipite ergo fidem &c.* & Sermone 56. qui eſt primus de Symbolo: *Audite fidem, orationem diſcite. Sed quia impediente tempore, nec nos nobis poſſumus aperire myſterium, nec vos nobis poteſtis ſolemniter reddere quæ traduntur; agite, ut & nunc Symboli ſimpliciter verba diſcatis, & Paſchali tempore, quo plenius hæc traduntur, Sacramenti ipſius interiora poſſitis agnoſcere.* Hæc concionabatur Chryſologus ipſo palmarum die, ut apparet ex primis verbis. Tunc enim apud omnes Latinos tradebatur oratio Dominica. Idem & Sermone 42. in Appendice de diverſis apud S. Auguſtinum de traditione Symboli, qui inſcribitur dictus in Dominica Palmarum, ſed omnem dubitationis aleam præcindit Concilium Agathenſe cap. 13. *Symbolum etiam placuit una die, ideſt, ante octo dies Dominicæ Reſurrectionis publice in Eccleſia Competentibus prædicari.* Sanctus quoque Iſidorus lib. 1. de officiis cap. 27. *Hoc autem die* (Palmarum) *Symbolum Competentibus traditur, propter confinem Dominicæ Paſchæ ſolemnitatem, ut quia jam ad Dei gratiam percipiendam feſtinant, fidem quam confiteantur agnoſcant.* Non modo eamdem ſententiam, ſed etiam eadem verba in libros ſuos intulerunt Alcuinus, ubi officium Dominicæ Palmarum explicat, & Rabanus Maurus lib. 2. de inſtitut. Clericorum. c. 35. addit Alcuinus Dominicam Palmarum dici Paſcha petitum ſive Competentium, eo quod hodie Competentibus Symbolum traderetur. Nihilominus Concilii Bracarenſis 3. Patres Cap. 1. ſtatuunt, ut viginti diebus ante Paſcha Symbolum diſcendum tradatur Catechumenis, idque ajunt ſe ſtatuere ſecundum antiquos Canones: *Docere debent* (Epiſcopi) *& hoc modis omnibus præcipere, ſicut antiqui Canones jubent, ut ante dies viginti Baptiſmi, ad purgationem exorciſmi concurrant Catechumeni. In quibus viginti diebus omnes Catechumeni Symbolum, quod eſt, Credo in Deum Patrem omnipotentem, ſpecialiter doceantur.* Et iterum jubent cap. 9. *Mediante quadrageſima ex diebus viginti baptizandos infantes ad exorciſmi purgationem offerre.* Aliquid autem hic ſpeciale, & ab antiquiori conſuetudine diverſum notari debet.

Non enim tantum media quadrageſima ſtatuitur principium traditionis Symboli, ſed etiam exorciſmorum, & totius purgationis Catechumenorum ad baptiſmum deſtinatorum, cum tamen cap. præcedente viderimus ubique, ab ipſo quadrageſimæ initio cœpiſſe. Sed hic mos eo tempore, hoc eſt, anno 572. quo celebratum eſt Concilium, jam a pluribus annis in Hiſpaniis inoleverat: mos tamen antiquus etiam tum in Gallia diligenter obſervabatur, ut ex Concilio Matiſconenſi 2. Can. 3. numeroſiſſimo, in quo ſexaginta duo Galliæ Epiſcopi ſedebant, evidenter colligitur. Severe enim Patres eos increpant, qui extra neceſſitatis urgentis periculum, tempus Paſchale baptizandis Catechumenis ſtatutum præveniunt, & addunt. *Ideoque præſentibus admonitionibus a ſuis erroribus, vel ignorantia revocati omnes omnino a die quadrageſima cum infantibus ſuis ad Eccleſiam obſervare præcipimus, ut impoſitionem manuum certis diebus adepti, & ſacri olei liquore perunti, legitimi diei feſtivitate fruantur, & ſacro baptiſmate regenerentur.*

His non parum favet antiqua, & notatu digniſſima Eccleſiæ conſuetudo, quæ Competentes jubebat Symbolum memoriter diſcere, iiſque, ne aliquo modo illud deſcriberent, ſevere prohibebat. Hinc enim neceſſario conſequitur, & frequentiſſime illis Symbolum repetitum fuiſſe, & ſæpius eos repetiiſſe, & conſequenter notabile aliquod temporis intervallum a traditione Symboli ad poſtremam redditionem intercelliſſe. Conſue-

tudinem

tudinem autem iſtam evidentiſſime docet S. Auguſtinus Sermone 75. de diverſis. *Nec ut eadem verba Symboli teneatis, ullo modo debetis ſcribere, ſed audiendo perdiſcere; nec cum didiceritis, ſcribere, ſed memoria ſemper tenere, atque recolere. Quidquid enim in Symbolo auditurí eſtis, in Divinis Sanctarum Scripturarum Literis continetur. Sed quod ita colligitur, & in formam quamdam redactum non licet ſcribi, commemoratio ſit promiſſionis Dei &c. hoc eſt teſtamentum, quod ordinabo eis poſt dies illos, dicit Dominus, dando legem meam in mente eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Hujus ſignificandæ cauſa audiendo Symbolum diſcitur, nec in tabulis, vel in aliqua materia, ſed in corde diſcitur.* Non abſimilia docet lib. 1. de Symbolo cap. 1. & Sanctus Hieronymus Epiſt. 61., & S. Ambroſius lib. 1. de Cain, & Abel cap. 9. *cave, ne incaute Symboli, vel Dominicæ orationis divulges myſteria.* Et ſerm. 2. in Pſalm. 118. ſuper hæc verba, in corde meo abſcondi eloquia tua, ubi præclara metaphora hoc illuſtrat dicens non eſſe divulgandos Babyloniis theſauros divinos: *Cave, ne divitias tuas perfidis prodas, & ſi amicitiam ſimulent, non illis aperias interiora domus tuæ, non referes theſauros Regios, quos Babylonii ſcire non debent &c.* Sed Symbolum memoriæ, non chartæ inſcribendum eſſe, non minus evidenter, quam Sanctus Auguſtinus, docet Petrus Chryſologus Sermone 58. iſtiuſque conſuetudinis ſecundam rationem reddit: *Accepturi ergo Symbolum, hoc eſt pactum vitæ, ſalutis placitum, & inter vos, & Deum fidei inſolubile vinculum, pectora parate, non chartam; ſenſum acuite, non calamum, & audita non atramento, ſed ſpiritu miniſtrante deſcribite, quia committi non poteſt caducis, & corruptibilibus inſtrumentis æternum, & cæleſte ſecretum, ſed in ipſa area animæ, & in ipſa Bibliotheca interni ſpiritus eſt locandum, ne profanus arbiter, ne improbus, quod dilaceret, diſcuſſor inveniat, & ſiat ad contemnentis, & ignorantis ruinam, quod confitenti, & credenti donatum eſt ad ſalutem; ſed dicenti tibi Prophetæ, dilata os tuum, & implebo illud, tu reſpondere poſſis, in corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi &c.* Idem tertio admonet in fine præcedentis, & ſubſequentium quatuor ſermonum, eandemque admonitionis cauſam Auditoribus reddit. Quibus conſentit S. Cyrillus in fine Catecheſis quintæ, cum enim dixiſſet omnes legere non poſſe ſcripturas, vel ob inſcitiam, vel ob varias occupationes, ideo ait univerſum fidei dogma paucis verſibus comprehenſum, quod inquit, *meminiſſe vos volo, & apud vos ipſos ſtudioſe recolere, non in chartis inſcribendo, ſed in corde memoriam inſculpendo, & in meditatione cuſtodiendo, nec ubi Catechumenus ea, quæ vobis tradita ſunt, exaudiat.* Ea ratione ſcribit Sozomenus ſeſe perſuaſum fuiſſe a viris piis, & harum rerum peritis, ne hiſtoriæ ſuæ Symbolum Nicænum inſereret lib. 1. cap. 20. *Veriſimile enim*, inquit, *eſt nonnullos, qui minime ſunt initiati myſteriis, hunc librum perleſturos.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Varietas capite præcedente adnotata conciliatur. Oratio Dominica ſingulis diebus ad Altare recitatur, non autem Symbolum. Tempus purgandis Competentibus aſſignatum. Quando tam apud Græcos, quam Latinos contrahi cœpit. Contractionis varietates recenſentur. Scrutiniorum habendorum Ordo ex Rituali ante annos nongentos ſcripto refertur, & multa ſingularia ex eo adnotantur.

VArietas conſuetudinis Eccleſiaſticæ in traditione Symboli cap. præcedente adnotata duobus modis nullo negotio conciliari poteſt. Vel enim traditio illa intelligitur, ut diſcatur Symbolum a Catechumenis, vel tantum ut iis explicetur, hoc eſt ineunte Quadrageſima Symboli explicatio incohabitur; diſcendum vero tradebatur vel in Dominica Paſſionis, ut in Africa, vel in Dominica Palmarum, ut Romæ, aliiſque in locis, vel dicendum ſolemnem traditionem fuiſſe in Dominica Palmarum: ſolemnem vero redditionem in nocte Sabbati Sancti inſtante Sanctæ illuminationis hora. Hanc redditionem omnes omnino Chriſtiani audiebant; immo quidquid Competentes de fide, & Symbolo tota Quadrageſima ediſcebant, in hunc unicum finem vergebat, ut Symbolum cum intellectu ea hora profiterentur, nihil autem impedit, quin præter ſolemnem illam traditionem, & redditionem, privatæ fuerint traditiones, & redditiones: quin immo plane neceſſarium fuit, cum ut in fine capitis præcedentis demonſtratum eſt, prohibitum fuerit Symbolum ſcribere, ſed omnes illud memoriter ſine ulla ſcriptione & diſcere, & reddere tenerentur, qua ratione tot Mulieres, & Ruſtici Symbolum tam brevi ſpatio reddere potuiſſent, niſi longe antea privatim ſæpiſſime inculcatum fuiſſet? Hoc Sanctus Auguſtinus docuit initio capitis præcedentis in homilia 42. ex quinquaginta. Et iterum idem docet in fine ejuſdem homiliæ, ubi hæc in cauſa peculiarem orationis Dominicæ a Symbolo differentiam refert: *Oratio vobis quotidie dicenda eſt, cum baptizati fueritis; in Eccleſia enim ad Altare Dei quotidie dicitur iſta oratio Dominica, & audiunt illam fideles. Non ergo timemus, ne minus illam teneatis diligenter: quia & ſi quis veſtrum non poterit tenere perfecte, audiendo quotidie tenebit; ideo die Sabbati, quando vigilaturi ſumus, in Dei miſericordia reddituri eſtis non orationem, ſed Symbolum. Modo enim niſi teneatis Symbolum in Eccleſia, in Populo Symbolum quotidie non auditis; cum autem tenueritis, ut non obliviſcamini, quotidie dicite.* Similiter, & de Symboli explicatione iterum dici poteſt, Sym-

Symbolum formaliter, & expreſſe ſive textualiter explicari cœpiſſe in Dominica Palmarum, aut Paſſionis, aut in media Quadrageſima, ut apud Hiſpanos; aut etiam in ipſius initio, ut apud Orientales nonnullos; res vero Symbolo poteſtate comprehenſæ apud omnes Chriſtianos ineunte Quadrageſima. Denique tota illa varietas illius generis eſt, de quo Sanctus Auguſtinus ſcribit Epiſtola 118. *Faciat quiſque, quod in ea Eccleſia, in quam venit, invenerit.* Antiquitatis tamen Eccleſiaſticæ ſtudioſo non videtur varietatis illius cognitio ſupervacanea, & injucunda. Id quod de privata Symboli repetitione, & inculcatione dictum eſt, Canone 46. Concilii Laodiceni, qui iiſdem verbis repetitur in Trullo cap. 78. plurimum illuſtratur: Sic edicit, *oportet eos, qui illuminantur, συνζωμενους Competentes fidem diſcere, & quinta ſeptimanæ feria Epiſcopo, vel Presbyteris renuntiare.* Jubent igitur Patres ſemel ſingulis ſeptimanis a Competentibus exigi, quæ tota ſeptimana didicerint, & conſequenter toties Symbolum repetere, ut in vigilia Paſchatis illud poſſint in conſpectu totius Eccleſiæ firma memoria recitare. Hoc ſic intelligunt, & interpretantur Zonaras, & Balſamon, verbaque Concilii id videntur manifeſte exprimere. Dionyſius tamen exiguus ad ſolemnem profeſſionem hoc retulit, Canonem illum interpretans, ut & Iſidorus Mercator. Ariſtenus in ſua brevi Canonum explicatione eamdem prope ſententiam ſequutus eſt: *Oportet accedentem ad Divinum Baptiſma, ſicut habet 46. Canon Synodi Laodicenæ, fidem ediſcere, & feria quinta ſeptimanæ, in qua baptizandus eſt, eam Epiſcopo, vel Presbyteris renuntiare.* Sed præterquamquod ſic ex genio ſuo commentatur, inauditum eſt ſolemnem fidei profeſſionem Competentes feria 5. in Cœna Domini reddidiſſe, aut feria quinta, antequam baptizarentur.

Non eſt nobis leviter prætereundum, quod ex Concilio Bracarenſi capite præcedente diximus; diebus viginti ante Paſcha non modo Symbolum dari, ſed etiam exorciſmos, cæteraſque Catechumenorum purgationes in Eccleſia fieri tunc cœpiſſe. Eodem enim tempore in Eccleſia Romana, quadraginta dierum tempus antiquitus purgandis Competentibus dicatum, in multo pauciores contractum erat, quæ conſuetudo poſtea in univerſum non modo Occidentem, ſed Orientem ſeſe diffudit. Quod ad Occidentem attinet, id ex antiquis potiſſimum Ritualibus colligitur. Antiquus Ordo Romanus docet feria 2. poſt Dominicam 3. Quadrageſimæ primum ſcrutinium populo annunciari faciendum feria 4. ſequente hora tertia, hoc eſt viginti quinque diebus ante Paſcha, tum nomina infantium, & ſuſceptorum ſcribebantur, & poſtea exorcizabantur, manus ipſis imponebantur, reliquaque pietatis officia illis exhibebantur. Secundum ſcrutinium, quod eodem modo, quo primum, celebrabatur inter feriam quartam tertiæ hebdomadæ, & feriam quartam quartæ, die pro Epiſcopi, aut Preſbyteri commoditate aſſignata. Tertium ſcrutinium, quod magnum eſt, fit feria quartæ hebdomadæ, hoc eſt octodecim ante Paſcha diebus; de hoc ſcrutinio ita ſcribit Ordo Romanus: *Memorata quarta feria apud Cultores Eccleſiæ in apertione aurium dicitur. Eadem die agitur ſcrutinium tertium, quod maximum eſt inter ſeptem ſcrutinia. Eadem die tanguntur aures, & nares Catechumenorum digitis Presbyterorum. Eadem die inſtruuntur de auctoribus, & initiis quatuor Evangeliorum. Eadem die percipiunt Orationem Dominicam, & Symbolum ad reddendum in Sabbato Paſchæ. Item benedictio Cineris ad eos, qui ſcrutinia ſunt habituri, & baptizari deſiderant.* Quo ordine, quibuſve cæremoniis ſingula iſta fiant, legere potes in eodem Ordine, ubi ſigillatim unumquodque explicatur. Hoc tantum nunc te notare velim, Symbolum octodecim diebus ante Paſcha explicatum fuiſſe, & electis, ut illud diſcerent, traditum. Præterea eo tempore Orationem Dominicam ſimul cum Symbolo & traditam, & redditam, moremque illum, non eſſe recitandam niſi poſt baptiſmum, in Eccleſia tum deſueviſſe: Eadem verba in antiquo Rituali annorum circiter ſeptingentorum & legi, & exſcripſi: Eadem quoque verba ante octingentos annos adnotavit Amalarius Trevirenſis Epiſcopus, & capiti 8. lib. 1. de Officiis inſeruit.

Sed ante hos omnes antiquus ille MS. Petavianus eadem habet cum quadam differentia, quam breviter enarrabimus, ut videas, Lector, quemadmodum res iſta ante S. Gregorium agebatur in Eccleſia Romana; capite igitur 39. Rubrica eſt: *Denunciatio pro ſcrutinio, quod tertia hebdomada in Quadrageſima, ſecunda feria initiatur.* Sequitur, *ſcrutinii diem, dilectiſſimi fratres, quo electi noſtri divinitus inſtruantur, imminere cognoſcite. Ideoque ſollicita devotione ſuccedente, ſequente illa feria circa horam diei ſextam convenire dignemini, ut Cœleſte myſterium, quo Diabolus cum ſua pompa deſtruitur, & janua Regni Cœleſtis aperitur, inculpabili, Deo juvante, miniſterio peragere valeamus.* Iiſdem prope verbis, ut in Ordine Romano edito, ſequitur, *ut autem venerint ad Eccleſiam, ſcribuntur nomina infantium ab Acolytho, & vocantur in Eccleſia per nomen, ſicut ſcripti ſunt, & ſtatuuntur maſculi in dexteram partem, fœminæ in ſiniſtram, & dat orationem Presbyter ſuper eos.*

Oratio ſuper Electos ad Catechumenum faciendum.

Omnipotens ſempiterne Deus Pater D. N. Jeſu Chriſti reſpicere dignare ſuper hos famulos tuos, ut in edito ſequitur.

Benedictio Salis ad dandum Catechumeno. Exorciſo te Creatura Salis &c. ut in edito erat. Poſt hanc orationem omiſſum erat. *Poſt hanc orationem ſal pones in ore infantis, & dicis; accipe N. Sal ſapientiæ propitiatus in vitam æternam*; quæ in capite paginæ adjecta ſunt, alia quidem manu, ſed ſimili atramento. Sequitur.

Benedictio poſt datum Salem.

Deus Patrum noſtrorum, Deus univerſæ conditor veritatis, te ſupplices, &c. ut in edito ſequitur.

Item Exorciſmi ſuper Electos, quos Acolythi impoſita manu ſuper eos dicere debent.

Deus

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, &c. ut in edito. Poſt hæc verba, *nunquam audeas violare*, ſequitur, *item ſuper fœminas, Deus Cœli, Deus Terræ, Deus Angelorum, &c.* ut in edito. Poſt hæc verba, *ergo maledicte, ut ſupra, item ſuper maſculos. Audi maledicte Satanas &c.* ut in edito. Concludit iſtum exorciſmum. *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſeculum per ignem*, quod ab edito abeſt; ſequitur. *Item ſuper fœminas Deus Abraham, Deus Iſaac &c.* ut in edito. Poſt hæc verba. *Ergo maledicte*, ſequitur, *item ſuper fœminas. Exorcizo te immunde Spiritus per Patrem &c.* ut in edito.

Sequitur Oratio, quam Sacerdos dicere debet. Æternam, ac juſtiſſimam pietatem &c., ut in edito; ea finita ſequitur.

Incipit expoſitio Evangeliorum in aurium apertione ad electos.

Primitus enim procedunt de Sacrario quatuor Diaconi, cum quatuor Evangeliis, præcedentibus duobus Candelabris cum Thuribulis, & ponantur ſuper quatuor angulos Altaris, & tractat Presbyter, antequam aliquis eorum legat, his verbis.

Apertari vobis filii chariſſimi quatuor Evangelia, ideſt geſta divina &c. ut in edito. Et poſt illa verba: *Hæc ſunt Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes*, ſequitur, *& adnuntios Diaconus, dicens, ſtate cum ſilentio, Audientes intente. Et incipiens legere initium Evangelii ſecundum Matthæum, uſque: Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Poſquam legerit tractat, Presbyter his verbis: filii chariſſimi, ne diutius ergo vos teneamus &c.* ut in edito. Poſt hæc verba, *Matthæi perſona*, ſequitur.

Item adnuntiat Diaconus ut ſupra, ſtate cum ſilentio, Audientes intente, & legit initium Evangelii ſecundum Marcum uſque: Ego baptizo vos aqua; ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto. Et ſequitur Presbyter his verbis.

Marcus Evangeliſta Leonis gerens figuram, &c. ur in edito, poſt iſta verba: *Quis excitabit eum?* Sequitur: *Item adnuntiat Diaconus ut ſupra, & legit initium Evangelii ſecundum Lucam uſque: Parare Domino plebem perfectam, & proſequitur Presbyter his verbis.*

Lucas Evangeliſta Vituli ſpeciem geſtat &c. ut in edito. Poſt illa verba, *pleniſſime contineam*, ſequitur. *Item adnuntiatur a Diacono ut ſupra, & legit initium Evangelii ſecundum Joannem, uſque, plenum gratiæ, & veritatis. Iterum proſequitur Presbyter his verbis.*

Joannes habet ſimilitudinem Aquilæ &c. ut in edito.

Poſt hæc verba, qui vivit & regnat, ſequitur.

Incipit Præfatio Symboli ad Electos, ideſt, antequam dicas Symbolum, his verbis proſequeris.

Dilectiſſimi nobis accepturi Sacramenta baptiſmatis &c. ut in edito. Poſt hæc verba: *Itaque, fidem, quam ſuſcepiſtis, hoc inchoatur exordio*, ſequitur. *Poſt hæc accipiens Acolythus unum ex ipſis infantibus maſculum, tenens eum in ſiniſtro brachio, ponens manum ſuper caput ejus, & interrogat eum Presbyter qua lingua confiteatur D. N. Jeſum Chriſtum. R. Græce. Iterum dicit Presbyter, adnuntia fidem ipſorum, qualiter credunt; & dicit Acolythus Symbolum Græce decantando tenens manum ſuper caput infantis in his verbis* [illegible] *&c.* ut in edito. Finito Symbolo ſequitur.

Filli chariſſimi Symbolum Græce audietis & Latine, & dicis, qua lingua confitentur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, reſpondet Latine. Adnuntia fidem ipſorum qualiter credunt, ponens manum Acolythus ſuper caput infantis, & dicit Symbolum decantando his verbis, credo in unum Deum &c. ut in edito. Finito Symbolo, ſequitur.

Hoc expleto, ſequitur Presbyter his verbis.

Hæc eſt ſumma fidei noſtræ dilectiſſimi nobis &c. ut in ediro. Poſt concluſam iſtam exhortationem, ſequitur.

Item Præfatio Orationis Dominicæ, & admonentur a Diaconis, ut ſupra.

Dominus, & Salvator noſter Jeſus Chriſtus inter cætera ſalutaria præcepta, ut in edito. Poſt iſta verba: *Hanc Orationem nos docuit, ut ita oremus*, ſequitur.

Poſt hoc intras, & dicis. Pater noſter &c. ut in edito cum iiſdem gloſſis ad unamquamque petitionem. Poſt illa verba: *Conferre dignetur Jeſus Chriſtus &c.* ſequitur.

Item adnuntiat Diaconus, ut ſupra, ſtate cum diſciplina, & cum ſilentio, Audientes intente.

Audiſtis dilectiſſimi Dominicæ Orationis ſancta myſteria &c., ut in edito. Iſta exhortatione finiente, finitur ſcrutinium.

In[e] ſuperioribus multa ſunt non inutiliter lectori adnotanda. Primum, ſi conferat hunc ſcrutinii, & faciendi Catechumeni ritum, quem integrum retulimus, cum Ordine Romano edito, qui longe poſterior eſt, quæcumque fuerint addita animadverſum: inſuper tamen nil antiquitus obſervatum, quod poſtea non fuerit retentum, ſed lapſu temporis amplioris, & auguſtioris ſignificationis cauſa nonnulla adjuncta fuiſſe.

II. Primum Scrutinium factum die lunæ, 27. diebus ante Paſcha, publicatum vero Dominica tertia præcedente, ut dilucidius colligitur ex titulo illius Dominicæ: *Tertia Dominica, quæ pro Scrutiniis Electorum celebratur.* Atque ex Oratione illius diei: *Da quæſumus Domine electis tuis digne, atque ſapienter ad confeſſionem tuæ laudis accedere, ut dignitatis priſtinæ, quam originali tranſgreſſione perdiderant, ad perpetuam gloriam reformentur.* Idem etiam conſtat ex illius diei *memento*, & *infra actionem*, quæ propter ſpecialem in iis ritum referre operæ pretium eſt.

Infra Canonem dicit.

Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, qui electos tuos ſuſcepturi ſunt ad ſanctam gratiam baptiſmi tui, & omnium circumſtantium. Et taces, & recitantur nomina virorum & mulierum, qui ipſos infantes ſuſcepturi ſunt, & intras. Quorum tibi fides cognita.

Item infra actionem.

Hanc igitur oblationem Domine, ut propitius ſuſcipias, deprecamur, quam tibi offerimus pro famulis, & famulabus tuis, quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ tuæ donum eligere atque vocare dignatus es, per Chriſtum; & recitantur nomina electorum, poſtquam recenſita fuerint, dicis.

Hos Domine fonte baptiſmatis innovandos

ſpiritus tui munere ad Sacramentorum tuorum plenitudinem poſcimus præparari, per. In poſtcommunione, & oratione ſuper populum, quæ ſequuntur, iterum baptizandis gratiam divinam implorat Sacerdos. Ex quibus duo collige, prius, baptizandos, & eorum Suſceptores illa die Dominica nomina ſua dediſſe: Poſterius, præclarum morem publice in Memento primo Miſſæ Suſceptorum nomina recitare, & paulo poſt infra actionem, baptizandorum, ut pro iis univerſus Eccleſiæ cœtus cum Sacerdote deprecetur.

III. Symbolum, & Orationem Dominicam ſimul Competentibus eſſe datam, ac proinde eum morem Romæ annis faltem poſt Chriſtum quingentis cœpiſſe. Tum antiquorum ratio fere ceſſabat, qui magnam ſemper adultorum multitudinem in Paſchate baptizabant, quorum intererat ſcire, ſe cum Chriſtianis dicere non poſſe, *Pater noſter &c.*

IV. Utrumque illis datum, & explicatum diebus ante Paſcha 27.

V. Symbolum illis datum non fuiſſe Apoſtolicum, ſed Conſtantinopolitanum, ac conſequenter, vel ex iſto ſolo Rituali conſtat ante mille annos Symbolum Apoſtolicum Conſtantinopolitanum permutatum fuiſſe.

VI. Initio ritus baptiſmi infantem ſpecialiter factum eſſe Catechumenum, & hoc in ipſa ritus actione notatum.

VII. Ut Symbolum, & Oratio Dominica ſolemniter Competentibus tradita ſunt, ſic & quatuor Evangeliorum initia: Cujus præterea conſuetudinis teſtis eſt Beda in 2. lib. Eſdræ cap. 9. *Pulcher ac ſalubris in Eccleſia mos, doctrina Patrum inolevit, ut his, qui catechizantur, quatuor Evangeliorum Sacramentum explanetur, ac recitentur exordia.*

VIII. Non apparere diſtinctionem illam magni ſcrutinii a minore. Id forſan contigit, quia Rituals ille liber non eſt ſatis accuratus, & multa compendii cauſa omittit, utpote ex conſuetudine omnibus nota, atque etiam fere ſemper contingere ſolet, ut poſteriores ejuſmodi libri prioribus magis ſigillatim κατα μερος quæ agenda ſunt, exprimant, & præcipiant.

IX. Cineris benedictionis, & ſuper Catechumenos aſperſionis nullam eſſe mentionem, ſicut nec apud Amalarium, qui cætera ordinis Romani verba refert. Conſuetudo iſta poſt illa tempora exorta eſt, ut hac in re Pœnitentibus Catechumeni exæquarentur. Denique mane in Sabbato Sancto Symbolum reddebant hoc ordine expreſſo in officio illius diei: *Sabbatorum die mane reddunt infantes Symbolum. Prius catechiza eos, impoſita ſuper capita eorum manu his verbis: Nec te lateat Sataras imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta &c.* ut in edito. Poſt ea verba, *& ſeculum per ignem*, ſequitur: *Inde ungis ei nares, & aures de ſpua, & dicis ei ad aurem Effeta, quod eſt adaperire in odorem ſuavitatis, tu autem effugare Diabole; appropinquavit enim judicium Dei. Poſtea vero tangis ei peſtus, & inter ſcapulas de oleo exorcizato, vocato nomine, ſingulis dicis: Abrenuncias Satanæ? R. abrenuncio. & omnibus operibus ejus? R. abrenuncio; & omnibus pompis ejus? R. abrenuncio. Inde vero dicis Symbolum impoſita manu ſuper capita ipſorum. Poſtea vero dicitur eis ab Archidiacono: orate electi, flectite genua. Complete Orationem veſtram in unum, & dicite amen, & reſpondent omnes: Amen. Iterum admonentur ab Archidiacono his verbis: Catechumeni recedant omnes, Catechumeni exeant foras. Iterum dicit Diaconus: Filii chariſſimi revertimini locis veſtris, & expectantes horam, qua poſſit circa vos Deus gratia baptiſmum operari.* Eadem rubrica fere eodem modo legitur in Ordine Romano edito. Veſperi ejuſdem diei omnes illi electi baptizabantur; ſi aderat Epiſcopus, confirmabantur, ut legere eſt in eodem antiquiſſimo, & in omnibus aliis Ritualibus antiquis.

Idem contigit apud Græcos, & Orientales, quod apud Latinos: Quadraginta dierum tempus in mediam partem contractum eſt. Hoc autem certiſſimo argumento colligitur ex varietate precum pro Catechumenis, quæ ex Præſanctificatorum Liturgia colliguntur. Rès ita ſe habet. Græci ex antiquiſſima conſuetudine tota Quadrageſima, exceptis ſabbatis, & Dominicis, & Annuntiationis feſtivitate ſacrificare non ſolent. Ideo ſingulis feriis Liturgiam ſive peractam, ſive præcentam, quam ὧν προηγιασμένων λειτουργίαν vocant, quæ in eorum Euchologiis habetur, & in Bibliotheca Patrum latine edita eſt. In aliis Liturgiis Sanctorum Chryſoſtomi, Baſilii, Cyrilli, Jacobi &c. oratio habetur ſuper Catechumenos, poſt ſcilicet lectum Evangelium, qua finita ſtatim dimittuntur, incipiuntque Fidelium orationes, ut legere eſt in omnibus Liturgiis. Verum in Præſanctificatorum Liturgia a quarta feria mediæ Quadrageſimæ non ſecus ac apud Latinos præter iſtam ſuper Catechumenos omni tempore communem orationem, alia non amplius ſuper Catechumenos, ſed iis dimiſſis ſuper φωτιζομένους Baptizandos recitatur; dimiſſis enim Catechumenis, ſubjicitur hæc rubrica ſive adnotatio: *Hæc ſola dicuntur uſque ad tertiam & quartam hebdomadam. A quarta vero feria medii jejunii poſtquam dictum eſt, ut &, ipſi* (initium eſt concluſionis ſive ἐκφωνήσεως orationis ſuper Catechumenos) *dicuntur & iſta Diaconica.* Iſta Diaconica ſive a Diacono pronunciata ſequuntur ejuſmodi: *Quicumque Catechumeni, diſcedite: Catechumeni, diſcedite. Quicumque ad illuminationem accedite; qui ad illuminationem, orate. Fideles Dominum deprecemur pro fratribus, qui ad ſanctam illuminationem deſtinati ſunt, & præparati, & pro ſalute eorum, ut Dominus Deus noſter confirmet eos, & corroboret, & illuminet eos &c.* Tandem Diaconus clamat: οἱ πρὸ τῶ φώτισμα πάντες κηφαλεῖ ὑμῶν τῶ κυρίῳ κλίνατε. *Qui ad illuminationem, inclinate Domino capita veſtra.* Quo dicto ſtatim Sacerdos orationem ſuper eorum capita fundit. Ea finita Diaconus iterum clamat: *Quicumque ad illuminationem, diſcedite. Qui ad illuminationem, diſcedite &c.* Denique ſubſequitur rubrica hæc ἴδιοι δὲ καὶ ἀνὰ πᾶν τεσσαρακοστὴν τῶν μεσοπεντήκοντα, *hallenus ea, quæ a quarta medii jejunii.* Poſtea more ſolito incipiunt fidelium preces. Iſta quidem hactenus publice in eorum Liturgiis dicunt, & precantur Græci, licet nulli, nec Catechumeni, nec φωτιζόμενοι adſint, omniſque apud eos non ſecus ac apud Latinos abrogata

gata ſit Catechumenorum, & Competentium antiquo more purgandorum conſuetudo; ut enim Latini baptiſmum cum cæremoniis ſimul & ſemel actione continua conferunt. Solent tamen cum infantis baptiſmus differtur, octavo die ipſum ſolemniter in Eccleſia ſignare, & ipſi nomen imponere. Poſtea Quadrageſimo die ad Eccleſiam matre comitante, eoque, qui eum ſuſcepturus eſt, deferunt, juſque illi ad Eccleſiam conveniendi magna cum ſolemnitate tribuunt, ut in eorum Euchologiis legere eſt. His peractis, parentes pro ſua opportunitate filiorum baptiſmum urgent aut retardant.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Difficultas, & argumenta Capite primo propoſita diſſolvuntur, & multis antiquorum Patrum verbis, rationibuſque docetur expulſionem Catechumenorum, eorum pœnitentiam, operaque laborioſa, paulo ante baptiſmum ſibi imperata, doctrinæ de acquiſita ſine labore peccatorum per baptiſmum remiſſione non repugnare. Qua ratione in Competentes peccantes animadvertebatur.

HActenus a nobis enarratum eſt in quot Ordines antiqua Eccleſiæ diſciplina Catechumenos diſtribuerit, quibus Sacramentis ſeu myſteriis ſingulos imbuerit, ſibique devinxerit, qua pietate, quibuſve laborioſis operibus, & mortificationibus animos eorum ad baptiſmum præparaverit, quam authoritatem, & juriſdictionem in eos exercuerit. Oſtenſum eſt nullam in Catechumeoos primi ordinis authoritatem ſibi Eccleſiam arrogaſſe. Unde ſequitur verba illa S. Pauli 1. Cor. 3. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* de Ethnicis, & Catechumenis primi generis eſſe intelligenda. Oſtenſum eſt præterea Catechumenos ſecundi ordinis, qui proprie ſunt Catechumeni, & ad quos ſpectant, quæ vulgo apud Patres de Catechumenis dicuntur, ſæpe propter peccata loco motos fuiſſe, atque ad primum ordinem regradatos', in quo ſi iterum peccarent, ab omni Eccleſiæ recto eliminatos: Nihil tamen hoc vulgato Patrum, & Theologorum axiomati repugnare, qui nullas pœnas aſſerunt eſſe baptizandis imponendas, eo quod virtus baptiſmi perfectam, & integram ſalutem operatur. Regradationem illam, & expulſionem ad pœnitentiam, ſive opera laborioſa, nihil pertinere, cum omnibus Philoſophis, Ludimagiſtris, & ſcientiæ cujuslibet profeſſoribus licuerit ſemper a ſchola ſua, & ludo immodeſte ſe ſe gerentes expellere. Deinde Catechumenos ſecundi ordinis Catechumenatui Sacris Ritibus initiari, & quotidie ſacris cæremoniis, precibus, & manuum impoſitionibus expiari, quibus ſi ſe ſe indignos exhibeant, merito ſacra illa luſtratione privantur, atque in eam ſtationem, in qua nulla celebratur, removentur; quanquam enim myſteria illa, quibus imbuuntur, non ſint vera Sacramenta, ſancta tamen ſunt, & porcis, indigniſque non obtrudenda. Denique ex omnibus, quæ citata ſunt, apparuit evidenter Eccleſiam ita prudenter cenſuram ſuam temperaſſe, ut præter loci remotionem & baptiſmi ſuſpenſionem omnino neceſſariam, ne indignis cum grandi ſcelere tanta gratia tribuatur, nullam pœnam aut vindictam a Catechumenis ſecundi ordinis ſumpſerit: unde manifeſtum eſt dictum illud Apoſtoli: *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* de Catechumenis ſecundi ordinis poſſe quoque intelligi, de iis ſcilicet Eccleſiam non judicare; judicium enim, de quo verba facit Apoſtolus, eſt pœnale, & graviſſimum, quo ſcelerum rei ſeveriſſime puniuntur: Sic enim de hac ipſa re paulo ante ſcripſerat: *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens eum, qui ſic operatus eſt &c. tradere Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ejus ſalvus ſit &c.*

Verum negotium longe difficilius facceſſere videntur, quæ de Competentibus ſive de tertio Catechumeoorum ordine dicta ſunt; multis enim antiquorum teſtimoniis demonſtratum eſt, jejunia, vigilias, chameunias, aliaque opera laborioſa illis impoſita fuiſſe. Reſponderi primum poſſet paucorum dierum pœnitentiam fuiſſe, & comparatam pœniteotiæ propter peccata fidelibus inflictæ, nullius loco haberi potuiſſe; ſtadium enim pœnitentiæ Competentium, ubi longiſſimum fuit, quadraginta diebus, poſtea viginti vel octodecim tam apud Latinos, quam Græcos circumſcribebatur. Quid vero hoc, ut cum fidelium peccantium pœnitentia conferatur, quæ ut plurimum iiſdem ſeculis multorum annorum circulo definiebatur, & oonnunquam cum vita tantum finiebatur? Prætereo quod ioſra multis exemplis demonſtrabitur, & naſcente Eccleſia fere ſemper uſurpabatur, baptiſmum ſæpiſſime poſt dierum longe brevius ſpatium collatum fuiſſe. Sed ad hoc reſponſum, licet objectioni diluendæ ſatisfacere poſſit, non eſt neceſſe confugere; opera enim illa laborioſa in peccatorum præteritorum vindictam non injungebantur, ſed ut Competentium animus ad gratiam baptiſmi, quam brevi accepturi erant, ſanctius præpararetur, ne margaritæ porcis imprudenter obtruderentur, neve cootingeret baptizatos, ut ſus lota, in cæno iterum volutari.

Hoc oos præclare docet S. Gregorius Nazianzenus Orat. 40. ubi baptizandos ad ea præſtanda hortatur: *Magnum tibi ad ea, quæ cupis, aſſequenda, & retinenda ſubſidium attulerint vigiliæ, jejunia, chameunia, orationes, lacrymæ, commiſeratio pauperum, largitio, his rebus partim pro iis, quæ accepiſti, gratias age, partim ea tuere, & cuſtodi.* Relege præterea ſingula, quæ allata ſunt de hujuſmodi operibus laborioſis teſtimonia; deprehendes omnia de præparatione, & ſanctificatiooe ad bap-

baptiſmum verba facere, nulla autem de pœna, & peccatorum vindicta. Ita S. Gregorius eadem oratione: *Omnibus membris purificentur, omnes ſenſus purgemus, nihil in nobis ſit imperfectum, nihil quod primam nativitatem oleat: nihil denique luminis expers relinquamus. Illuminemur oculis, ut recte cernamus, nec meretricum ullum, & obſcœnum ſimulacrum ex ſtudioſo, & ſupervacaneo aſpectu conflatum in nobis circumferamus &c.* Multis more ſuo fuſiſſime, & eloquentiſſime hunc Sermonem perſequitur, totus eſt in morborum, & affectionum animi ante baptiſmum curatione, ut baptizandus gratiam baptiſmi digne ſuſcipiat. De pœnis ob peccata præterita ſubeundis in tanta verborum, & ſententiarum copia ne γρ. quidem. Et oratione 39. enarrans quod Jeſus purus, & cum ſigna facere inciperet, a Joanne baptizatus eſt: *Hoc ad eos dictum velim, qui ſubito & temere ad baptiſmum accedunt, nec ad eum præparantur, nec per animi conſtitutionem ad virtutis habitum id agunt, ut redemptio ipſis certa, atque incolumis maneat. Quanquam enim hoc gratia affert, ut præteritæ noxæ remittantur, gratia enim eſt, tunc tamen meliori cura providendum eſt, ne ad eundem vomitum redeamus.* Maxime notanda eſt efficacia baptiſmi a Gregorio obſervata, quamquam diſpoſitio ad eum ſuſcipiendum non ſit admodum valida, remiſſionem tamen peccatorum virtute ſua confert. Quid igitur operatur diſpoſitio validiſſima, & habitus perfectionem affecuta? Ut gratiam in eo collatam firmiſſime conſervemus. Sane ſi mediocris aliqua diſpoſitio ad ipſius effectum conſequendum ſatis eſt, nec firmiſſima requiritur, multo minus pœnarum tolerantia.

S. Chryſoſtomus Homilia prima in Acta præclaris ſimilitudinibus hoc illuſtrat. Quærit quamobrem Chriſtus ſtatim poſt Aſcenſionem Spiritum Sanctum Apoſtolis non miſit, ſed quinquageſimum a Reſurrectione diem expectavit. Juſtiſſima, inquit, de cauſa id fecit. *Nimirum ut vigilantes ſolicitius promiſſum expectarent. Non enim datur, non datur, inquam, gratia, niſi vigilanti.* Quod ubi exemplis probavit, ſimilitudinibus illuſtrat. *Etenim quemadmodum, qui purpuram tinguit, prius aliis quibuſdam coloribus præparant id, quod tinkturam accipiet, ne flos dilutus, & evanidus fiat; itidem & hic prius animi ſolicitudinem Deus præparat, ac deinde infundit gratiam.* Poſtquam autem retulit eam eſſe cauſam, qua Eccleſia mota baptizandis in die Pentecoſtes jejunia, abſtinentiaſque indicit, alia ſimilitudine Eccleſiæ morem illuſtrat. *Etenim ſi quis aditurus annonæ præfecturam, ſibi parat, quidquid ad vitæ uſum pertinet, atque, ut ſibi nonnihil dignatis aſſequatur, & pecunias conſumit, & tempus impendit, & innumerabiles ſuffert labores, quo malo nos digni fuerimus, ſi cum tanta ſocordia Regnum Cœlorum adierimus, neque alia cura noſmetipſos ad hoc præparaverimus, priuſquam acciplamus? Quin & poſtquam acceperimus, ſocorditer egerimus? Ideo namque poſteaquam accepimus, ſocordes ſumus, quod priuſquam acciperemus, non vigilaverimus. Ideo complures, poſteaquam acceperunt, protinus relierant ad priorem vomitum &c.* Tanti autem caſus a baptiſmali juſtitia cauſam hanc fuſe proſequitur.

Præclare ſane & erudite idem Chryſoſtomus Homil. 49. in Matth. Operis imperfecti commentans hæc verba. Væ autem prægnantibus &c. Primum ait Eccleſias verbum veritatis prædicantes concipere eos, qui credunt, & in utero continere, *donec formentur catechizati per ſingula membra pietatis, & fidei; cum autem ſic formati fuerint, pariunt eos in baptiſmo; poſtquam autem eos pepererint, neceſſe habent eos lactare doctrinis aſſiduis.* Poſtea explicat quomodo fide concepti in utero Eccleſiæ formentur, donec per baptiſmum naſcantur, docendo, inquit, eos abſtinere a malo, & facere bonum: Legem autem decem mandata habere, quaſi decem menſes, quibus enarratis ſic infert, *omnis ergo Eccleſia, quæ concipit hominem in utero ſuo per verbum in fide, prius debet eum formare omnibus his mandatis, quaſi menſibus decem, ut diſcat prius abſtinere ab omnibus malis, & ſic eum maturum in baptiſmum parere Deo. Aliquin antequam diſcat ab his omnibus abſtinere, ſi baptizaverit eum, non parit, ſed immaturum projicit, ſicut mulier niſi completis novem menſibus, & decimum tangens peperit, abortum facit: Propter quod nec eſt homo ille vitalis; ſicut & modo pene omnes non parit Eccleſia fecundum eo, quæ diximus, ſed abortos facit. Propter quod nec baptizantur in veritate a Spiritu Sancto; differt enim Deus dare eis baptiſmum Spiritus Sancti, donec dignos ſe præbuerint tali baptiſmate &c.* His conſonat, quod apud Sophronium legitur Prati ſpiritualis cap. 198. contigiſſe Sancto Petri Martyri Patriarchæ Alexandrino; cum enim tempore peſtis plurimi baptizarentur metu mortis, & ſic non debite ex Dei charitate diſpoſiti, apparuit ei Angelus Domini dicens, quamdiu mittis huc marſupia iſta, ſignata quidem, ſed inania, & nihil intus habentia?

Huc referri poteſt S. Auguſtini commonitorium, quod ad univerſam Eccleſiam deſtinavit, ut eam admoneret, cum qua cautela Manichæi ad fidem converſi ſuſcipi deberent. Non enim docet ſtatim ejurata hæreſi, vel ad baptiſmum, vel ad pœnitentiam eſſe recipiendos, ſed vult eos litteris Epiſcoporum commendari religioſis Catholicis vicinis, vel cohabitatoribus ſuis, ſive Clericis, ſive Laicis, quorum teſtimonio probari poſſint: *nec facile admitti ad baptiſmum, ſi Catechumeni ſint, nec ad reconciliationem, ſi pœnitentiæ locum acceperint, niſi periculo mortis urgente, vel ſi eos aliquanto tempore probatos eſſe cognoverit Epiſcopus per eorum teſtimonium, quibus fuerint commendati.* Erga eorum electos majorem curam adhiberi poſtulat; licet enim juxtadatam formam hæreſim anathematizaverint, literas illis non facile dandas admonet, *ſed cum Dei ſervis eſſe debebunt, ſive Clericis, ſive in Monaſterio, vel Xenodochio, donec appareat, penitus ipſa ſuperſtitione caruiſſe, & tum vel baptizentur, vel reconcilientur, ſi pœnitentiæ locum acceperint: nec, acceptis cito literis, loca, in quibus fuerant commendati, deſerant.* His teſtimoniis jungi debent Origenes lib. 3. contra Celſum cap. 4. hujus libri integre relatus:

relatus: Clemens lib. 8. cap. 32. Cyrillus lib. 2. in Joannem cap. 36. & quæ ſupra quoque exſcripta ſunt, quibus idem perſpicue confirmatur.

Aliud ejuſdem obſervantiæ teſtimonium eſt id, quod lib. de Pœnit. 3. cap. 8. demonſtratur. Cum aliquis ante Catechumenatum completum, imo ante initium urgente morbo baptizabatur, poſt recuperatam ſanitatem, nec Catechumenis, nec Competentibus adſcribebatur, ſed perpetua fidelium prærogativa fruebatur. Cum vero Pœnitens, anteperactum aut etiam ante initum pœnitentiæ ſtadium, ſimili morbo urgente reconciliabatur, convaleſcens id quod agendæ pœnitentiæ ſupererat, redintegrat, ſtationemque ſubit, in qua morbus eum corripuerat. Quamobrem vero? hujus antiquæ diſciplinæ ratio ex ſententia, quam explicamus, evidens eſt. Quidquid laborioſum baptizandis injungitur, gratiæ baptiſmalis præparatorium eſt. Sed ponimus propter mortis periculum baptiſmi gratiam illis collatam. Ut quid igitur animum præparare ad id recipiendum, quod recepit? Sed pœnitentium alia omnino ratio eſt. Cum enim ſeveræ pœnæ in peccatorum vindictam, neve iterum in eadem recidant, illis infligantur; recte viſum eſt Antiquis Patribus in mortis periculo anteeas datas ſi reconciliationem præſtitiſſent, periculo ſuperato, & ſanitate reſtituta ad idem ſaxum volvendum revocari. Hujus rei rationes plures jam enarratæ ſunt, poteſtque alias, fundamentis jam actis, ex ſe ſe Lector eruere.

Denique varia illa Patrum teſtimonia & potiſſimum ſancti Auguſtini, quibus pœnitentia baptizandis injungi videtur, ſi diligenter conſiderentur, de animi reſipiſcentia, & priſtinæ vitæ mutatione, non autem de ullis pœnis, ſcelerum præteritorum vindictam ſumentibus, eſſe interpretanda evidenter apparebit. Jam hoc ſpeciali animadverſione adpotatum & probatum: ſed hujus rei nullum documentum ipſa teſtimoniorum allatorum conſideratione, & relectione manifeſtius dari poteſt. Quapropter alia probatione ſupersedebimus, novo uno aut altero teſtimonio contenti. Sermo S. Auguſtini 116. de tempore, qui ad Competentes inſcribitur, & habitus eſt, totus in eo argumento verſatur. Nonnullas pericopas ex eo referemus. *Primo ergo hoc ſpetialiter attendant, ne ullum hominem odio habeant. Secundo interrogent conſcientias ſuas, & ſi alicui, ut evenire ſolet, fecerint injuriam, cito veniam petant. Tertio; ſi aut per furtum, aut per falſum teſtimonium, aut per aliquam talliditatem, aut per ſtateras doloſas, aut per menſuras duplices, cuicumque aliquid abſtulerint, ſi ſecundum exemplum Zachæi non poſſunt in quadruplum, vel ſimplo reſtituant. Nam neſcio qua fronte gratiam miſericordiæ ſe credit poſſe accipere, qui res alienas, quas male abſtulit, diſſimulat reformare. Sed forte oportet hoc etiam competentibus obſervare, ut, ſi agnoſcant ſe, perſuadente Diabolo, furtum, homicidium, aut adulterium commiſiſſe, aut ſi aliqua Mulier Competens potiones diabolicas aliquando ad abortum acceperit, & filios ſuos adhuc in utero poſitos, aut etiam natos occidit quia ſatis grave peccatum eſt, pro omnibus his cum gemitu, & compunctione Dei miſericordiam quærant, & ad Baptiſmi Sacramenta per Pœnitentiam mundati perveniant, & hoc ante omnia quicumque ſe has culpas habere vident, obſervent, ut caſtitatem & ante baptiſmum cuſtodiant, & poſt baptiſmum non parvo tempore ſe a voluptate cuſtodiant &c.* Quænam occaſio graviſſimis pœnis imponendis, aut ſaltem conſulendis aptior dari poterat? Ibi tamen, & per totam homiliam in vitæ mutatione, & ſola animi reſipiſcentia ſubſiſtit.

Quid vero actum fuiſſe putas, ſi Competens baptiſmati admovendus grave aliquod crimen perpetrabat? Speciem hanc ponit S. Auguſtinus, & definit. *Quia omnes Competentes uterus Matris Eccleſiæ Chriſto inſpirante concepit, nihil injuſtum aut inhoneſtum exerceant, ne ſorte male agendo viſcera materna concutiant, & ante legitimum partum velut aborſum eos Mater ſancta projiciat. Sed magis omnes Competentes benigni ſint, humiles &c.* Expellit eos Eccleſia a Congregatione ſua, ne ipſi criminum cœno infecti & polluti, alios Competentes, & Catechumenos polluant, verum de pœnitentiæ ſeu laborioſorum operum impoſitione altum ſilentium.

Idem quoque nos diſertiſſime docet S. Chryſoſtomus, Homil. 21. ad Populum Antioch. quæ eſt ad illuminandos ſive Competentes. Proponit illis primum difficultatem gratiæ recuperandæ in baptizatis, deinde ſubdit. *Propterea & prius dixi, & nunc dico, & dicere non deſiſtam, ſi quis morum vitia non correxit, nec ſibi facilem paravit virtutem, ne baptizetur. Priora nempe crimina lavacrum abluere poteſt: timor autem non parvus, & periculum non mediocre, ne rurſum ad eadem redeamus, & vulnus nobis fiat de Medicina. Quanto namque major Gratia, tanto amplior poſtea peccantibus pœna &c. Quod enim oporteat prius pœnituiſſe, & a prioribus deſtitiſſe malis, & ſic ad gratiam accedere, audi quid Joannes dicat; quid vero princeps Apoſtolorum baptizari debentibus &c. Pœnitentiam autem agens, non amplius eadem attingit negotia, quorum pœnituit; propterea jubemur dicere, Abrenuntio tibi, Satana, ne amplius ad ipſum revertamur.* Multis eamdem pœnitentiam proſequitur, variiſque inductionibus docet quomodo ſit agenda illa pœnitentia, ſed ubique eo ſemper tendit, a peccatis eſſe deſiſtendum, ab iis reſipiſcendum, ut nos ſuſcipiendo baptiſmo legitime præparemus.

Conſequitur igitur veriſſimum eſſe illud perpetuum SS. Patrum & Theologorum effatum, gratiam per baptiſmum gratuito dari, nullo noſtro labore & ſudore; pœnitentiam vero baptiſmum eſſe laborioſum, lachrymarum, fletuum, nec unquam Patres huic effato contrarium aſſeruiſſe: De omnibus Catechumenorum gradibus intelligi poſſe hæc verba S. Pauli: *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* Cum in nullo Catechumenatus gradu peccantibus pœna fuerit unquam impoſita, de quo judicio certum eſt Apoſtolum eo loco verba facere; recte itaque Concilium Tridentinum pronuntiaſſe; *Conſtat certo*

certe baptiſmi miniſtrum judicem eſſe non oportere, eum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de iis, qui foris ſunt, judicare?

Quamquam non incommode ab Apoſtoli verbis excipi poſſint ſecundæ & tertiæ, & potiſſimum tertiæ ſtationis Catechumeni. Tantis enim vinculis cum Eccleſia cohærent, ut foris eſſe dici vix poſſint. Qua ratione enim foris eſſe, & ad Eccleſiam non pertinere dixeris, quos Eccleſia formatos & vivos jam jam paritura eſt, ut de Competentibus præſertim loqui ſolent antiqui Patres? Quod ad Concilium Tridentinum attinet, quod huic interpretationi contraire videtur, dici poſſet, ad morem, qui nunc viger, ſpectare, juxta quem nihil amplius de illa antiqua diſciplina obſervatur. Vel etiam Concilii verba de judicio Eccleſiaſtico coactivo intelligi poſſunt, quod in privatione Sacramentorum, & in reali pœnarum certarum citra ſanguinem inflictione conſiſtit. Manifeſtum eſt miniſtrum baptiſmi neutro modo punire poſſe.

Perpendat nunc apud ſe Lector, quantum diſcrimen antiqui Patres conſtituebant inter peccata ante & poſt baptiſmum commiſſa: quanta facilitate iſta, quanta difficultate hæc remittebant: Unum e præcipuis Theologiæ ipſorum capitibus in eo diſcrimine dignoſcendo, enarrando & fidelium auribus inculcando poſitum fuiſſe: univerſam denique Eccleſiæ authoritatem & juriſdictionem ab iſtius diſcriminis uſu & praxi pendere: diligenter ideo cavendum, ne iſto diſcrimine inſuper habito, pœnitentia ut baptiſmo peccata remittantur. Hac enim rerum diſtinctiſſimarum tam præpoſtera confuſione, diſciplinæ Eccleſiaſticæ vigor omnis & authoritas facile diſſolverentur, nec judicii majeſtas in confeſſione auguſtius quam in baptiſmo fulgeret.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Enarratur qua ratione, quibuſve gradibus omnis illa circa Catechumenos, & Competentes diſciplina ſenſim obſolevit, donec circa annum 1200. penitus extincta eſt.

CUm eorum, quæ de Catechumenis diximus, vix nunc exrent aliqua veſtigia, adnotandum nobis ſupereſt, quando, quibuſve gradibus, & occaſionibus paulatim iſta ceſſarunt. Primo jam animadverſum eſt ſpeciales Catechumenorum Doctores, circa aut paulo ante S. Auguſtini ætatem conſtitui deſuetum eſſe, & conſequenter Catecheſes Catechumenorum ſpeciales, toto Catechumenatus ſtadio, antequam Competentium numero aggregarentur, fieri ſolitas. Ab eo enim tempore nulla iſtorum ſpecialium Doctorum, ſeu Catechiſtarum mentio. Interea tamen permanebat mos ille Catechumenorum ab Eccleſia dimittendorum, cum Miſſarum ſolemnia inchoabantur, ſubſiſtebatque Catechumenatus, ſive Catechumenorum tyrocinium, quo durante profectus, & conſtantiæ eorum in fide & probis moribus ſpecimen, antequam ad baptiſmum admitterentur, capiebatur. Trecentis poſt annis, hoc eſt, circa, aut paulo poſt annum ſeptingenteſimum, ſecundus ille ordo Catechumenorum ſublatus eſt. Illius tollendi, & extinguendi occaſio fuit, Catechumenorum adultorum penuria: deficientibus enim Ethnicis, & differendi baptiſmatis conſuetudine prorſus ex hominum animis deleta, contigit ad baptiſmum ſolos Infantes offerri. Propterea cum ſupervacaneum eſſet tyrocinium illud, paulatim, nullo Canone interveniente, ſed tacito omnium conſenſu in deſuetudinem abiit. Deſuetudinem illam tempori aſſignato convenire efficax argumentum eſt, authorum, qui ab annis prope nongentis de ritibus Eccleſiæ ſcripſerunt, ſilentium. Quamobrem enim hunc ritum, ſi tum uſurpatus fuiſſet, non adnotaſſent? Deinde nec Ordo Romanus, nec Sacramentaria, licet eorum exemplaria ſuperſint, annos ſeptingentos, octingentos, atque etiam nongentos ſuperantia, Catechumenorum dimiſſionem reſerunt, quod ſane ritus abrogati certiſſimum eſt documentum. Denique Ordinem Romanum editum ſæpius citant, atque ab eo exſcribunt nonnullas ſectiones Amalarius, & alii Authores, qui ab annis octingentis ſcripſerunt. Unde neceſſarium eſt libellum illum ante annos octingentos in Eccleſia Occidentali vulgatum fuiſſe. Cum igitur ritus omnes illius temporis ſigillatim, & minutim explicer, & eos præſertim, qui ad Miſſam quorumque anni tempore ſolemniter celebrandam pertinent, plane neceſſarium eſt ante illud rempus Catechumenatum fuiſſe abrogatum.

In Eccleſia Orientali tardius abrogatus eſt, nam, ut demonſtratum eſt, hactenus in ſingulis eorum Liturgiis ſunditur ſuper Catechumenos oratio, eaque fuſa, antequam fidelium orationes inchoentur, ſolemniter dimittuntur: omnino igitur certum videtur, cum fuerunt apud eos Catechumeni adulti, ordinariis precibus eos expiaſſe, ſicque in primæva Eccleſia expiatos dimiſiſſe. Nullo modo enim probabile eſt, eos, cum nulla eſſet occaſio, preces, & dimiſſionem ſolemniter pronuntiaſſe; cum vero dabatur, non pronuntiaſſe.

De Competentibus vero, ſeu tertio Catechumenorum Ordine, diſpar omnino rario eſt, annis enim mille ſupra ducenros conſervata eſt in Eccleſia Latina diſciplina hactenus a nobis explicata. Erga enim ipſos infantes, ne dum erga adultos, obſervata ſunt ſeptem ſcrutinia, de quibus antea loquuti ſumus, & facto ſeptimo ſcrutinio in nocte magni Sabbati, vel in vigilia Penrecoſtes, baptizati ſunt infantes, & adulti, qui fuerunt.

Licet autem horum rituum magna pars, ea præſertim, quæ doctrinam reſpiciebat, necnon aliarum cæremoniarum multis diebus repetita iteratio adultos præſertim ſpectaret;

ret; nihilominus ceſſante adultorum baptiſmo, iidem ritus multis ſeculis continuati ſunt, donec tandem poſt mille ducentos annos ubique in Europa abrogati ſunt, ut & ſolemniter celebrandi in Paſchate, & Pentecoſte, baptiſmi conſuetudo. Ritus iſtius continuationem in ea tempora nunc demonſtremus. Omnes iſtos ritus anno milleſimo uſurpatos fuiſſe convincit ipſe Ordo Romanus editus. Codices enim, juxta quos editus eſt, eo ſeculo non eſſe antiquiores, imo poſteriores, nonnulla, quæ in eo leguntur, demonſtrant, ut Coronatio Reginæ, atque unctio, & Militis benedictio. Miles enim eo loco pro nobili, & equite accipitur, quæ nominis acceptio poſt illud tempus uſurpata eſt.

Pluribus hoc probandum: ab anno octingenteſimo ad nongenteſimum totius iſtius ritus obſervationem diligenter conſervatam fuiſſe, ex pluribus illius temporis Conciliis colligitur. Concilium Pariſienſe ſub Ludovico, & Lothario anno 829. celebratum lib. 1. cap. 7. acriter in eos invehitur, qui ſine periculi neceſſitate alio tempore baptizabant, quam Paſchatis, & Pentecoſtes feſtivitatibus; atque ideo referunt, & renovant Sanctorum Leonis, & Gelaſii ſuper hac re decreta, quæ eo capite legi poſſunt in Concilio Vormacienſi celebrato anno 868. cap. 1. idem edicitur: *Sacroſanctî baptiſmi Sacramentum, nonniſi in Paſchali feſtivitate, & Pentecoſte unuſquiſque fidelium noverit eſſe præbendum, exceptis his, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, &c.* Concil. Moguntinenſe I. ſub Rabano cap. 3. *Sacramenta baptiſmatis volumus, ut concorditer atque uniformiter in ſingulis Parochiis ſecundum Romanum Ordinem inter nos celebrentur jugiter, atque conſerventur, ideſt, ſcrutinium ad ordinem baptiſmatis, ſicut in Decretis Leonis Papæ ſub duobus continetur Capitulis.* Referunt illa duo Capitula, quibus aliud Syricii ſubjungunt. Concilium Triburienſe habitum an. 895. cap. 12. hoc eſſe ita faciendum probat & authoritate SS. Leonis, & Syricii, & nonnullis rationibus. Apud Burchardum cap. 96. lib. 4. refertur hic Canon ex quodam Concilio Romano: *De ſcrutinio faciendo decrevimus, ut in Epiſcopiis, & ubi conventus eſt Populi & Cleri, & poſſibilitas permittit, ibi celebretur.* Quo tempore celebratum fuerit hoc Concilium Romanum, neſcio; ex modo tamen de his ſcrutiniis loquendi, facile colligitur, multo eſſe præcedentibus Conciliis poſterius.

Burchardus decretum ſuum ſcribebat anno 1020. & Ivo Carnutenſis circa finem illius ſeculi, aut ſequentis initio. Burchardus tamen lib. 4. & Ivo parte 1. præcedentes Canones de ſcrutiniis agendis, & baptiſmi celebrandi temporibus retulerunt, non ſecus ac cæteros, ſecundum quos Sacramentorum ritus, & Eccleſiæ diſciplina obſervari debent. Ne autem exiſtimes curioſitatis, aut oſtentationis ergo, Burchardum, & Ivonem, & alios Epiſcopos Decretum, & Canonum collectiones tam diligenter elaboraſſe; longe alium ſcopum ſibi propoſuerunt, ut in eorum præfationibus legere eſt, atque ex collectionum materia, & ordine demonſtratur, ut ſcilicet Epiſcopos, & Presbyteros docerent, qua ratione Sacramenta adminiſtrarent, judicia Eccleſiaſtica exercerent, & quæcumque ad Eccleſiæ diſciplinam pertinent, diſponerent. Omnes, quotquot fuerunt ad annum ducenteſimum ſupra milleſimum, qui Canones varia methodo collegerunt, in id propter eumdem finem incubuerunt, atque etiam ipſis teſtibus, ut diſciplinam collapſam, quantum fieri poſſet, juxta antiquam formam reſtituerent. Ejuſdem conſuetudinis alterum, & efficaciſſimum argumentum, quod cum illis aliquod dubium proponebatur, ſtatim, ut illud ſolverent, ad Conciliorum Canones, Pontificum decreta, & antiquorum Patrum reſponſa recurrebant, ut juxta illorum ſententiam, quantumcumque ſevera eſſet, quæſtionem definirent. Sed de his infra ſpeciali capite agemus. (Hoc loco Morinus ſponder ſe alias de hac re & materia loquuturum, at quo loco, aut capite id præſtet, incompertum eſt. Fortaſſe idem meditatus, morte præventus perficere non potuit, ſicuti Opus iſtud poſthumum ſatis indicat.

Habemus præterea Ivonem hunc morem ſui temporis diſerte teſtantem, & explicantem Sermone 1. qui in Synodo habitus eſt: *Inde eſt, quod qui in Sabbato Sancto ſunt baptizandi, quarta hebdomada quadrageſimalis obſervantiæ, quæ continentiæ nobis arma miniſtrat, & quarta ejuſdem hebdomadæ feria, Catechizandi, & exorcizandi deferuntur ad Eccleſiam, ibi audituri, & inſtruendi, qualiter contra ſpirituales nequitias ſint pugnaturi: ſed tamen uſque in Sabbatum Paſchale baptiſmus eorum differtur, hoc attendente Eccleſia, quia qui ad agonem in præſenti vita vocantur, in ſpe futuræ quietis baptizantur &c.* Idem colligitur ex Ivonis verbis, quæ eodem loco ſequuntur. *Notandum ergo prius eſt, quomodo baptizandus in utero Matris Eccleſiæ puer concipiatur, quibus alimentis uſque ad nativitatem novi hominis, in eodem utero nutriatur. Tria quippe ſunt, quibus uſque ad indumentum novitatis, baptizandus concipitur, alitur, & uſque ad novitatis integritatem provehitur, Catechiſmi ſcilicet, exorciſmi, & orationes.* Manifeſtum eſt ita dici non poſſe de re, quæ ſimul & ſemel, & horulæ ſpatio ſic tota confertur, ut nihil amplius agendum ſupereſt.

Nihil clarius & evidentius Honorii Auguſtodunenſis teſtimonio. Scribebat in Galliis vir ille, ut teſtatur Trithemius anno 1120. Quatuor libros ſcripſit de divinis Officiis, quos inſcripſit, *Gemma animæ*, quibus de ſingulis Miſſæ & Horarum Canonicarum, & eorum, quæ ad hæc pertinent, cæremoniis varias rationes reddit. Ubique autem ea perſequitur, quæ ſuo tempore uſurpabantur: nonnunquam, ſi quid Romæ diverſum agatur, vel ab antiquo ritu diſcrepet, adnotat. Lib. igitur 3. Capitulo 53. & ſequentibus, omnes ſcrutiniorum ritus ſigillatim explicat, temperque ut de aliis Miſſæ cæremoniis, tanquam de præſenti praxi loquitur. Cap. 52. Officium mediæ Quadrageſimæ enarrat: cap. 52. ſic incipit. *Quod hac ſeptimana ſcrutinium agatur, hæc cauſa videtur &c. Ita & nos hac Hebdomada credentes ab incredulis ſegregamus,*

&

& eos noſtræ Religioni deputamus. Cap. 54. *Propter tres cauſas ſit ſcrutinium in quarta feria &c.* Cap. 55. *Primo Infantes ad januam Eccleſiæ deferuntur, & maſculis a dextris, fœminis a ſiniſtris ſtatutis, ab Acolytho nomina ſcribuntur eorum &c.* Cap. 61. *Seorſim maſculi, ſeorſim fœminæ exorcizantur, quia &c.* Cap. 65. *Hoc ſcrutinium ſepties ante Paſcha agitur, quia hoc rite per ſeptem dona Spiritus Sancti perficitur*. Cap. 66. *Poſtquam introduſti fuerint Catechumeni, ſunt maſculi in Auſtro, fœminæ in Aquilone ſtatuendæ &c. Tunc duo Infantes unus e maſculis, alter e fœminis ab Acolytho in ſanctuarium deferuntur. Credo in unum, ſuper Maſculos Græce, ſuper fœminas latine decantatur*. Nonnullæ ibi cæremoniæ ſuæ regioni peculiares ab eo enarrantur. Poſtea cum ad officium Sabbati ſancti pervenit, tinctionis ipſius ritus explicat.

Rupertus Abbas Tuitienſis, qui paulo poſt Honorium celebris fuit in Germania primum, deinde per univerſam Eccleſiam lib. 4. de divinis officiis cap. 13. *Inchoatur autem* (Dominicæ Paſſionis celebratio) *a Catechumenis noſtris, ſcilicet feria quarta, quando celebramus ſcrutinia, quæ quam habeant rationem, vel cur ea potius die celebrentur, poſterius dicemus*. Quid igitur dicat, attendamus. Perſpicue enim & ſui temporis conſuetudinem, & quantum ab antiquiori deflexerit, diſertis verbis poſita comparatione & differentia enarrat. Cap. ejuſd. lib. 18. & ſequent. ſic ſcribit: *Feria quarta Sacramenta, quæ novæ Eccleſiæ propria ſunt, inchoantur, quibus ſacroſancta Redemptoris noſtri Paſſio, venerabili ritu ſanctæ Eccleſiæ, in filiis adoptionis ſanctam novitatem ſpiritus operando figuratur. Hac enim die Catechumeni noſtri ex antiqua traditione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſignantur, ut ſacroſancta ſolemnitate noſtræ redemptionis, ex aqua & Spiritu Sancto renaſcantur &c.* Et paulo poſt antiquæ praxis a nova differentiam his verbis explicat. *Moris quippe erat olim in S. Eccleſia non alio tempore regenerationis hujus celebrari Sacramentum, niſi in his, quibus, forte ſuperveniente infirmitate vel ægritudine, mortis immineret periculum*. Deinde refert quomodo inſtituebantur, & differebantur ad Paſchalem uſque ſolemnitatem: *At*, inquit, *poſtquam Chriſtianitas crevit, & ſagena illa verbi Dei piſcibus impleta eſt, quia periculoſum erat, tantam multitudinem differre, propter occaſiones mortis, quæ in multitudine hominum multæ ſunt, maxime propter turbam infantium ex Chriſtianis Parentibus ſuccrefcentium, quorum tenera vita perſæpe levi occaſione ſuccidituv. Viſum eſt S. Eccleſiæ paſſim indulgentia baptizandi conceſſa, imo oblata cunctis antevenire pericula, baptiſmi tamen ſolemnitatem vel in paucis cum Dominica Reſurrectionis, cui ſimilis eſt, celebrare. Quarta ergo feria novæ Eccleſiæ celebrantur initia, quæ appellantur ſcrutinia &c.* Cap. 19. rationem reddit quare quarta feria potius, quam quinta vel ſexta maximum ſcrutinium agitur. Cap. autem ſequente ex Ordine Romano, demonſtrat, antiquam eſſe obſervationem iſtam, & non nudius tertius natam. Capite vero 21. totius Miſſæ illius diei ordinem, qui Catechumenorum proprius eſt, & perpetuam ad eos relationem habet, ſigillatim explicat.

Idem quoque obſervabatur anno 1150. ut hujus rei teſtis eſt Hugo a S. Victore, qui ante & poſt hoc tempus maxima cum doctrinæ & pietatis fama Pariſiis floruit. Sic ille cap. 17. lib. 1. de Sacrament. &c. *Notandum etiam, quod baptizandi in Sabbato Paſchali quarta feria quartæ hebdomadæ Chriſtianæ militiæ, id eſt, quadrageſimæ, deferuntur ad Eccleſiam, ut exorcizentur, & Catechizentur &c. Et quia prædicta quarta feria de fide inquiruntur, & inſtruuntur, ideo dies illa, dies ſcrutinii, & officium illud, ſcrutinium appellatur. Vocantur autem prædicta die per Lectionem, quæ præcedit Epiſtolam, quæ & ipſa de aquis baptiſmi eſt, &c.* Ilta poſtea perſequitur lib. 2. eruditionis Theologicæ p. 6. cap. 8. eadem non minus evidenter docet & cap. 9. poſtquam docuit, antiquitus diu Catechumenos in fide inſtitutos, ut proprio arbitrio crederent. Ait etiam nunc eamdem formam obſervari, ſed provida Eccleſiæ diſpenſatione baptiſmum non differri, hoc eſt, non expectari, donec propria credant voluntate. Ante igitur illud tempus, eadem quæ adultis fieri ſolebant, infantibus fiunt, hæc nimirum, quæ paulo ante ſcripſerat; *in quarta ejuſdem Hebdomadæ feria Catechizandi deferuntur ad Eccleſiam, ibi audituri & inſtruendi qualiter contra ſpirituales nequitias ſunt pugnaturi. Sed tamen uſque in Sabbatum Paſchalis ſolemnitatis eorum baptiſmus differtur*. Verum tunc temporis pauci quidam infantes ad Paſchalis ſolemnitatis celebrationem reſervabantur, ut Officium Eccleſiaſticum, quod ſcrutinia & baptiſmum prærequirit, fundamentis, quibus ſuperſtruitur, non fraudetur.

Nec tantum eo tempore vigebat mos ille ſcrutiniorum antiquus, verum etiam ille Euchariſtiæ ſtatim poſt baptiſmum infantibus tradendæ nondum obſoleverat. Sic ille cap. 20. *Unde ſi ejus valetudinis eſt, Sacramenta unitatis, ideſt, Corpus & Sanguinem Chriſti accipere debet. Pueris recens natis idem Sacramentum in ſpecie ſanguinis eſt miniſtrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter ſugere poſſunt*. Hoc probat authoritate Sancti Auguſtini, qua relata colligit, *ergo ſi ſine periculo fieri poteſt, juxta primariam Eccleſiæ inſtitutionem Sacramentum Euchariſtiæ in ſpecie ſanguinis eſt tradendum pueris. Unde ignorantia Presbyterorum adhuc formam retinens ſed non rem, dat eis loco ſanguinis vinum, quod penitus ſupervacaneum arbitrarer, ſi ſine ſcandalo ſimplicium dimitti poſſet. Si autem in reſervando Sanguinem Chriſti, vel miniſtrando pueris, immineat periculum, potius ſuperſedendum videtur*.

Antequam huic lucubrationi de Comparatione pœnitentiæ cum baptiſmo, & Eccleſiæ juriſdictione atque diſciplina in Catechumenos finem imponam, monitum te lector velim, quanta diligentia Eccleſia antiqua atque etiam recentior, hanc ſcrutiniorum in baptizandos exercendorum diſciplinam procuraverit, & quanta ſeveritate, cum collabebatur, inſtauraverit. Non producam SS. Syricii, Leonis, Gelaſii Pontificum, aliorumque antiquiorum teſtimonia. Quis enim de

illo

illo tempore dubitare poſſet? Sed teſtes longe recentiores: nuda eorum verba, quia ſunt expreſſiſſima, referemus. Concilium Matiſconenſe 2. cap. 3. ita ſtatuit. *Relatione quorumdam fratrum noſtrorum comperimus, Chriſtianos non obſervantes legitimum diem baptiſmi, pene ſingulos dies, ac natales Martyrum filios ſuos baptizare, ita ut vix duo vel tres reperiantur in Sanctò Paſcha, qui per aquam, & Spiritum Sanctum regenerentur. Idcirco cenſemus, ut ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare, præter illos, quos infirmitas nimia, aut dies extremus compellit, filios ſuos baptiſmum percipere, ideoque præſentibus admonitionibus a ſuis erroribus, vel ignorantia revocati, omnes omnino a die Quadrageſima cum infantibus ſuis ad Eccleſiam obſervare præcipimus, ut impoſitionem manus certis diebus adepti, & Sancti Olei liquore perunctí regenerentur.*

Altiſiodorenſe Concilium anno 590. celebratum ejuſmodi Canonem tulit adverſus quoſdam, qui antiquitus ſtatuta baptiſmo tempora obſervare negligebant, Canon eſt 18. *Non licet abſque Paſchæ ſolemnitate ullo tempore baptizare, niſi illos, quibus mors vicina eſt, quos Grabatarios dicunt. Quod ſi quis in alio pago contumacia faciente, poſt interdictum hoc infantes ſuos ad baptiſmum detulerit, in Eccleſias noſtras non recipiatur uſque ad ſatisfactionem. Et quicumque Presbyter extra noſtrum permiſſum recipere præſumpſerit, tribus menſibus a communione Eccleſiæ ſequeſtratus ſit.*

Toletanum Concilium 17. quod annis centum, & quatuor Antiſiodorenſi poſterius eſt, teſtatur Can. 2. ex antiqua conſuetudine initio Quadrageſimæ baptiſteria claudi ab Epiſcopo, ne Quadrageſimali tempore extra urgentiſſimam neceſſitatem baptiſmus celebretur, & ab eodem in die Cœnæ Domini recludi. Hoc explicato ſubjicit: *Quia in aliquibus Eccleſiis minime hæc ſancta conſuetudo ab Epiſcopis cuſtoditur, atque peragitur, ideo per hanc noſtram ſententiam ſancimus, atque decernimus, ut ita a totius Hiſpaniæ, & Galliarum Pontificibus cuſtodiatur, quatenus in prædicto die initii videlicet Quadrageſimæ, & oſtia ſancti baptiſterii cum laudum conſummatione claudantur, & ab Epiſcopis ſuorum ſignaculo obſignentur; ita ut niſi in Cœnæ Domini celebritate, quando more ſolito Altaria debent deveſtiri, eadem debeant oſtia reſerari.* Ex Can. citato Concilii Matiſc. , & Toletani colligi videtur moris tum fuiſſe tota Quadrageſima naſcentes in Sabbatum Sanctum baptizandos reſervare, & media Quadrageſima in eum diem Catechiſmis, exorciſmis, & manuum impoſitionibus ſupponendos.

EXCERPTA

QUOAD EAMDEM CATECHUMENORUM DISCIPLINAM

Ex EDM. MARTENE de Antiq. Eccl. Ritibus

Tom. I. Cap. I. Art. V. & ſeqq.

I.  UÆ de Miniſtro Baptiſmi ſatis fuſe hactenus dicta ſunt, ea me movent, ut de Catechiſtæ officio, qui rudibus inſtruendis ab Eccleſia deſignatus erat, pauca ſubjiciam. Et ne funem longius traham, neve ſtudio plura dicendi lectoribus oneri ſim, & tædio, tria dumtaxat de illo hic breviter inquiram. Scilicet quinam huic muneri deputarentur, quibus in locis rudes, gentileſque inſtruerent, quibus de rebus eos imbuerent.

Catechiſtæ quales eligebantur.

II. Primum quod ſpectat, etſi ipſi Apoſtoli eorumque ſucceſſores Epiſcopi non pauci, Catechiſtæ officio perfuncti fuerint, nihilo tamen minus, quia variis utilioribuſque curis ſolent ad alia diſtrahi; ea ſemper in Eccleſia invaluit conſuetudo, ut id muneris aliis committeretur. Verum hoc in negotio ſemper proviſum fuit, ut nonniſi viri pietate, ingenio, ac doctrina præſtantes deligerentur, quales Alexandriæ extiterunt Pantenus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionyſius, ut docet Euſebius lib. 6. Hiſt. cap. 5. lib. 6. cap. 3. 5. 10. 23. Et certe cum eis non infrequenter res eſſet cum Philoſophis, aliiſque profanæ ſcientiæ Eruditis viris, qui non tam ingenio, quam fide rudes erant, non levem Eccleſia paſſa eſſet injuriam, ſi eorum argumentis ſubtilioribuſque ſophiſmatis reſpondere nequiviſſent: quod non infrequenter accidiſſet, niſi ingenio, & doctrina inſignes extitiſſent. Hinc Lactantius in lib. 6. Divinarum Inſtitutionum capite 21. (Homines literati, inquit, ſi non fuerint ab aliquo perito Doctore fundati, minus credunt. Aſſuetí enim mollibus, & politis, ſive orationibus, ſive carminibus Divinarum literarum ſimplicem, communemque ſermonem pro ſordido aſpernantur.) Quapropter non ſemper ordinis, aut dignitatis hac in re habebatur ratio, ſed etiam aliquando Laici publice docere permittebantur, ut manifeſtum facit exemplum Origenis, qui annos octodecim dumtaxat natus, Alexandriæ inſtituendis Catechumenis præfectus eſt, patetque ex Conſtitutionibus Apoſtolorum, in quarum lib. 8. cap. 38. hæc lego (Qui docet, quamvis ſit Laicus, peritus tamen ſermonis, & moribus gravis doceat. Erunt enim omnes docibiles Dei.) Aliquando ſimplices Lectores, ut conſtat ex S. Cypriani Epiſtola 24. ad Presbyteros, & Diaconos, in qua *Optatum inter Lectores Doctorem Audientium* ſe conſtituiſſe aſſerit. Frequentius tamen ad id muneris Diaconi deſignabantur, ut colligere licet ex S. Auguſti-

no, qui autem illum libellum de catechizandis rudibus. rogatus a Deogratias Diacono Carthaginensi, ut ipsi *ufui eſſet*, conſcripſit. Hinc forte etiam in præfato libro 8. Conſtitutionum Apoſtolorum cap. 38. decernitur, ut (qui primo ad myſterium pietatis accedunt, per *Diacones* adducantur ad Epiſcopum vel Presbyteros, & cauſæ exquirantur, cur ad Dominicum ſermonem accesſerint &c.) plerumque etiam a Presbyteris gentiles inſtruebantur, ut docet vulgatus Dionyſius in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, ubi antiquos ritus deſcribit adducendi rudes ad Preſbyterum his verbis: (Qui autem horum, quæ vere cœleſtia ſunt, particeps fieri cupit, cum aliquem eorum, qui initiati ſunt adiit, ſuadet ille quidem, ut ſe recta ad Sacerdotem ducat; ipſe autem ſe omnino ea, quæ tradentur, ſequuturum eſſe pollicetur; petitque, ut ad eum adducatur, & vitæ omnis, quam deinceps aget, curam ſuſcipiat. Illum autem, qui ejus quidem ſalutis ſanctæ cupiditate ducitur, ſed ex rei magnitudine hominis ingenium metitur, horror quidem repente, reique difficultas deterret: ad extremum tamen id, quod petivit, benigne ſe facturum eſſe promittit. Acceptumque eum ducit ad Sacerdotem. Hic vero lætus, quaſi ove in humeros virorum impoſita, primum quidem principium, quod unum boni cauſa eſt, & a quo vocantur ea, quæ vocantur, & quæ adipiſcuntur ſalutem, eam conſequuntur, mentis grátiarum actione, corporeaque adoratione veneratur. Deinde omni ſacro cœtu, & adjuvandæ, celebrandæque ejus ſalutis, & divinæ bonitati gratiarum agendarum cauſa in ſacrum chorum convocato, ipſe principio hymnum quemdam, qui in Divinis Scriptis continetur, cum omni Eccleſiaſtico ordine recitat. Deinde ſacram Menſam oſculatus ad virum, qui adeſt, venit, eumque interrogat, cur venerit,) &c.

Catecheſes ubi fiebant.

III. De loco faciendis Catecheſibus deſignato, illud in primis obſervare licet; Apoſtolos, viroſque Apoſtolicos, qui prima apud Gentiles Fidei ſemina diſperſerunt, non in ædibus, ſed in foro præſertim, & in plateis publicis, ſolitos fuiſſe concionari. Ejuſmodi occurrunt exempla nonnulla in actibus Apoſtolorum non modo, ſed etiam in vitis, & Hiſtoriis Sanctorum. Ita nimirum S. Otho Babebergenſis Epiſcopus, & Pomeranorum. Apoſtolus apud Pirriſſenſes *de loco editiori*, apud Stetitenſes *per vicos, & capita Platearum*, apud Havelbergenſes *de edito ante Portam Civitatis* omni coadunato populo verbum ſalutis prædicaſſe legitur in ejus vita apud Surium 2. Julii. Poſtquam vero aliquorum in cordibus altas agere radices incepit Chriſtiana Religio, creſcente in dies diſcipulorum Chriſti numero, cœperunt non quidem in Eccleſiis, aut in Oratoriis, ſed in privatis ædibus, ad eos, qui eo in numero accenſeri cupiebant, fieri Catecheſes. Certe eam fuiſſe Alexandriæ Origenis conſuetudinem, ſatis innuit vir doctiſſimus Daniel Huetius Abrincarum Epiſcopus in Origenianorum lib. 1., cap. 1.: ubi agens de incitato in Origenem Gentilium furore, ait, ſtatim domum ejus, *quam frequentari Catechumenis adverterant*, armatis hominibus circumſeſſam fuiſſe; id quod evidentius patet ex literis Demetrii Alexandrini Epiſcopi ad Alexandrum Hierofolymorum, & Theoctiſtum Cæſarienſem, quibus conqueritur, quod contra morem, & conſuetudinem Origenem in Eccleſia publice coram Epiſcopo concionari permiſiſſent. Quo ex loco vir Clariſſimus Henricus Valeſius in notis ad Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam lib. 6. cap. 19. infert (Origenem, qui Catecheſes fecerat Alexandriæ, in privato auditorio, non autem in Eccleſia Catechumenos inſtituiſſe. Neque enim Alexandro, & Theoctiſto Epiſcopis id objiceret Demetrius, quod Origenem in Eccleſia docere juſſiſſent, ſi Alexandriæ idem ab Origene factum fuiſſet) additque (certe Catecheſes olim non fiebant in Eccleſia, ſed in Baptiſterio, aut in aliquo alio extra Eccleſiam loco) id quod probat ex Epiſtola Joannis Hieroſolymitani ad Theophilum Alexandrinum. Addere etiam potuiſſet S. Ambroſii Epiſtolam 20. novæ editionis ad Marcellinam ſororem, in qua Symbolum Competentibus *in Baptiſterio* ſe tradidiſſe aſſerit. Plura hujuſmodi facta adjicere poſſemus, niſi brevitati nobis eſſe ſtudendum.

Rudes inde quomodo inſtituendi.

IV. Tertium, quod hoc in articulo nobis inquirendo propoſueramus, ea potiſſimum reſpicit, de quibus rudes in fide eſſent inſtituendi, nimirum ut abjecto inanium deorum cultu, ſolum verum, & unicum Deum venerarentur, mores, vitamque ad meliorem frugem converterent, omnibus fidei articulis ſponte, & animo ſubjicerentur. Quanam vero ratione id fieri poſſet, eleganter proſequitur S. Auguſtinus, ſingulari edito tractatu de Catechizandis Rudibus, in quo etiam duas Catechiſmi formulas profert, quas utpote longiores ultro prætermittimus. Ejuſdem tamen libri quaſi compendium ex Alcuino in Epiſtola 7. ad Carolum Magnum hic referre non pigebit: (Igitur ille ordo in docendo virum ætate perfectum, diligenter ut arbitror, ſervandus eſt, quem B. Auguſtinus ordinavit in libro, cui *de Catechizandis Rudibus* titulum prænotavit. Prius inſtruendus eſt homo de animæ immortalitate, & de vita futura, & de retributione bonorum, malorumque, & de æternitate utriuſque ſortis. Poſtea pro quibus peccatis, & ſceleribus pœnas cum Diabolo patiatur æternas, & pro quibus bonis, vel beneficiis gloria cum Chriſto fruatur ſempiterna. Deinde fides Sanctæ Trinitatis diligentiſſime docenda eſt, & adventus pro ſalute humani generis Filii Dei Domini noſtri Jeſu Chriſti in hunc Mundum exponendus. Et de Myſterio Paſſionis illius, & veritate Reſurrectionis, & gloria Aſcenſionis in Cœlos, & futuro ejus adventu ad judicandas omnes gentes, & de reſurrectione corporum noſtrorum, & de æternitate pœnarum in malos, & præmiorum in bonos, mox ut prædiximus, mens novella firmanda eſt.) His adjicienda ea, quæ præſcribuntur in Lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolorum cap. 38. ſcilicet, ut diligentiſſimum fieret examen de vita, & moribus eorum, qui Chriſtianam Religionem profiteri deſiderabant: quo præmiſſo

miſſo, inſtructi eo, quo diximus, modo in Catechumenorum Cathalogum adſcribebantur. Quonam vero ritu id exequerentur, jam exponendum eſt.

ARTICULUS VI.

De Catechumenis, quot eſſent eorum genera, & quo Ritu inſtituerentur.

I. HActenus de tempore, loco, & Miniſtro Baptiſmi ſatis diſputatum eſt, nunc de illius ſubjecto, & primum de Catechumenis, qui in primo ad Baptiſmum gradu conſiſtebant, agendum. Sic nimirum vocabant eos (qui primum de Gentilitate veniunt, habentes voluntatem credendi in Chriſtum) ut poſt S. Iſidorum lib. 2. de Divinis Officiis cap. 20. loquitur magnus Senonenſis Archiepiſcopus in MS. Tractatu de Baptiſmo. Ita vero appellabantur, quod in Eccleſia ad audiendum Fidei doctrinam admitterentur, licet nondum eſſent baptizati: unde & a Latinis Patribus *Audientes* vulgo dicuntur, ut videre eſt apud Tertullianum in libro de Pœnitentia, Cyprianum Epiſtola 13., & 24. Auctorem Tractatus de Baptiſmo Hæreticorum Tom. I. Conciliorum, collationem Carthaginenſem cum Donatiſtis cap. 197. Theodulphum Aurelianenſem, Leidradum Lugdunenſem, & alios plurimos, qui de Baptiſmo Tractatus ediderunt.

Catechumeni qui dicerentur.

II. Horum duo genera dumtaxat antiqui diſtinguebant: Catechumenos ſimpliciter dictos, & Competentes, ut videre eſt apud Origenem lib. 3. contra Celſum, S. Iſidorum lib. 2. de Divinis Officiis, Rabanum in libro I. de Inſtitutione Clericorum cap. 26., & Leidradum Lugdunenſem Archiepiſcopum in libro de Sacramento Baptiſmi ad Carolum Magnum cap. 1., ubi utrorumque diſcrimen ſic proponit: (differt ſane inter Catechumenos, & Competentes. Catechumeni itaque ſunt, qui primum de Gentilitate veniunt, & habentes voluntatem credendi in Chriſto, audiunt verbum Fidei, ſed nondum appellantur Fideles. Competentes autem ſunt, qui jam poſt doctrinam Fidei, poſt continentiam vitæ, gratiam Chriſti percipere feſtinant: ideoque appellantur Competentes, ideſt gratiam Chriſti petentes) ſed tres eorum Ordines in ſuo infimæ Latinitatis Gloſſario diſtinguit vir doctiſſimus Carolus Cangius, ſcilicet *Catechumenorum*, *Genuflectentium*, & *Competentium*. Quartum addunt nonnulli *Electorum*, ſed ex hoc numero detrahendi videntur *Genuflectentes*, qui ſpecialem ordinem non conſtituebant, ſed erant Catechumeni ſimpliciter dicti, qui in pœnam commiſſi alicujus peccati verbum Dei genuflexi audire cogebantur. Itaque tres tantum diſtinguimus Catechumenorum gradus, ſcilicet *Audientium*, qui ad audiendum Fidei, morumque doctrinam in Templis admittebantur; *Electorum*, qui abſoluto Catechumenatus tempore ad recipiendum ſacræ regenerationis Sacramentum nomen dederant, quod in Romana Eccleſia præſtabant hebdomada ſecunda Quadrageſimæ, & *Competentium*, qui, ut loquitur Jeſſe Ambianenſis Epiſcopus in Epiſtola ad ſuæ Diœceſis Sacerdotes, diligenter inſtructi de Fide, & attente de credulitate imbuti, poſt traditam ſibi Doctrinam Chriſtianitatis, & myſterium Symboli, & traditionem Orationis Dominicæ, petunt, & rogant, ut poſſint conſequi myſterium ſacri Baptiſmatis, & gratiam Chriſti, & particîpes fieri Sanctæ Dei Eccleſiæ, & in ſervitio cum Fidelibus eſſe Chriſti. Porro Symbolum, & Oratio Dominica, non niſi paucis ante Baptiſmum diebus tradebantur. Tunc quaſi partui vicini (*Competentes* dicebantur, quoniam materna viſcera, ut naſcerentur, petendo pulſabant) ut loquitur S. Auguſtinus Sermon. 228. novæ Editionis: quibus concinit id, quod in libro de Fide, & Oper. num. 9. dicit S. Doctor: (Cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc *Competentes* etiam vocaremur.)

Catechumenorum varia genera.

III. Quamvis autem Catechumeni haudquam eſſent baptizati, dicebantur nihilominus *Chriſtiani*; cum vero tincti eſſent, *Fideles* nuncupabantur, & *Juſti*, ut ſcite obſervavit Salmaſius in notis ad Severi Sulpitii librum de Vita S. Martini, & certe utriuſque vocis diſcrimen videre eſt in Concilii Illiberitani Canone 59. Idque confirmat titulus antiquiſſimi Ordinis ad faciendum Catechumenum, qui inſcribitur *Ordo ad faciendum Chriſtianum*, quem integrum poſtea proferemus. Chriſtianum tamen a Catechumeno diſtinguere videtur Sanctus Auguſtinus Tract. 44. in Joannem.

Ritus inſtituendi Catechumenos.

IV. Ritus inſtituendi Catechumenos apud veteres in impreſſione vivificæ Crucis ſignaculi in frontem, & manuum impoſitione, cum oratione præſertim ſitus erat. His additi ſunt exorciſmi, inſufflatio in faciem, ſputi in nares, aureſque tactus, pectoris & ſcapularum inunctio, quamvis his in rebus diverſis in regionibus diverſus teneretur uſus. (Alii namque, ut ait Leidradus Lugdunenſis Archiepiſcopus lib. de Baptiſmo cap. 2. Oleo Sancto tangunt Catechumenorum aures, & nares; alii vero ſputo; alii abſque ſputo, & oleo; alii etiam os tangunt oleo, ad exemplum Dominicum: Unde ſcriptum eſt in Evangelio de ſurdo, & muto; miſit digitos in auriculas ejus.)

Per Crucis impreſſionem.

V. Quod per Crucis impreſſionem in fronte fierent Catechumeni, expreſſis verbis docet S. Auguſtinus pluribus in locis, præſertim vero in libro 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1., quos ſic alloquitur: (nondum quidem adhuc per ſacrum Baptiſtiſmum renati eſtis; ſed per Crucis ſignum in utero Eccleſiæ jam concepti eſtis.) Et in libro de Catechizandis Rudibus cap. 20. Gentilem ad Eccleſiæ ſinum confugientem. & jamjam Catechumenum faciendum inſtruens: (Paſſionis, & Crucis ſigno in fronte hodie tamquam in poſte ſignandus es, omneſque Chriſtiani ſignantur.) Et ejuſdem libri cap. 26. abſoluta Catechiſtæ oratione: (His di-

ctis interrogandus eſt, an hæc credat, & obſervare deſideret: quod cum reſponderit, ſolemniter utique ſignandus eſt, & Eccleſiæ more tractandus) ſimiliter & Severus Epiſcopus in Epiſtola de Converſione Judæorum facta virtute miraculorum S. Stephani n. 12. (Illico in frontibus eorum ſignum ſalutis impinximus) Huc referri poſſet locus ex Actis S. Quirini Epiſcopi, & Martyris cap. 4. ubi agitur de Converſione Marcelli cuſtodis ſui: (Multum autem hortatus eſt eum B. Epiſcopus, & conſignavit eum in nomine Domini Jeſu Chriſti.) Quibus duo dumtaxat adjiciam teſtimonia, unum ex Actis Sanctorum Martyrum Indis, & Domnæ apud Metaphraſten, in quibus de Cyrillo Epiſcopo ſic legitur: (Ille autem cum moderate divinas ei cecinisſet Scripturas, & veneranda Chriſti Cruce eam obſignaſſet, tunc quidem eam fecit Catechumenam) alterum ex Marco in Libro de Vita Porphirii Gazenſium Epiſcopi: (Die ſequenti parentes mulieris, & cognati euntes ad B. Porphirium, procideruntad ejus pedes, petentes Chriſti ſignaculum: Beatus vero cum eos ſignaſſet, & feciſſet Catechumenos, dimiſit illos in pace.) Vide Theodoritum lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 18.

Quænam Corporis partes Cruce ſignarentur.

VI. Jam vero quod ſpectat ad partes ſignandas, non una fuit omnium Eccleſiarum conſuetudo. In Rituali Ambroſiano, & in Laudenſi MS. unica dumtaxat conſignatio deſignatur *in fronte*. In antiqua Liturgia Gallicana, quam ex MS. eodice Bobienſi ante annos mille exarato edidit noſter Mabillonius in Muſei Italici Tom. I. duplex, *in fronte, & in corde*. In MS. Pontificali Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & Eccleſiæ Aquenſis triplex, *in fronte, in pectore, & in fronte, & pectore* ſimul. In Miſſali Gothico, quod publicam in lucem emiſit Joſephus Thomaſius, quadruplex, *in oculis, in auribus, in naribus, & in corde*. Septena vero in Enchiridio Chriſtianæ Inſtitutionis in Concilio Colonienſi anno 1536. edito, ſcilicet *in fronte, in oculis, in auribus, in naribus, in pectore, in ſcapulis, & in ore*. Quarum omnium myſticas rationes affert his verbis: (Deinde ſignum crucis fit principio in fronte, ad ſignificandum quod baptizandus nomen dat Chriſto crucifixo, in quo confidat, & quem pollicitus confiteri, nunquam erubeſcat. Super oculos dein, ut intelligamus baptizandum præparari ad videndum charitatem Dei. Super aures quoque, ut intelligamus eum conſecrari, ut audiat verbum veritatis Dei. Super nares etiam, ut percipiat ſuavitatem odoris Dei. Signatur quoque pectus, ut credat in eo, quia corde creditur ad juſtitiam. Scapulæ quoque, ut ſuſcipiat jugum ſervitutis Dei, juxta Chriſti præceptum, tollite jugum meum ſuper vos. Os denique, ut confiteatur illi, quia ore confeſſio fit ad ſalutem) In antiquo Rituali Eccleſiæ Leodienſis præter prædictas ſeptem conſignationes cum precibus myſticis hiſce orationibus reſpondentibus, duæ aliæ ſuperadduntur, una in fronte, altera in pectore: Nimirum duæ iſtæ corporis partes bis ſignandæ præſcribuntur, ſemel initio, & ſemel poſt ſeptimam conſignationem. Fiebant præterea & aliæ conſignationes, tam inſufflando, quam inungendo, aut benedicendo Catechumenos, quas videre licet in variis Ordinibus ad faciendum Catechumenum, & ad baptizandum, quos infra ſubjiciemus. Obſervat inſuper Alcuinus in Epiſtola de Baptiſmo ad Carolum Magnum, quod (illud ſignum faciunt in frontibus eorum Presbyteri, Clerici, Patrini, & Matrinæ) ſed de ſigno crucis ſatis, nunc de impoſitione manuum.

Per manus impoſitionem.

VII. De manuum impoſitione ad faciendos Catechumenos duo nobis inſignia teſtimonia ſuppeditat Sulpicius Severus: unum ex libro de Vita S. Martini cap. 10. alterum ex Dialogo 2. de Virtutibus ejuſdem Sancti Martini cap. 5. Primum ſic habet: (nemo fere ex immani illa multitudine fuit Gentilium, qui non impoſitione manus deſiderata, in Dominum Jeſum, relicto impietatis errore, crediderit.) In ſecundo poſtquam narravit factam coram innumera fere Paganorum caterva a Sancto Præſule mortui reſurrectionem (tum vero, inſert, multitudo omnis in Cœlum clamore ſublato, Chriſtum Dominum fateri, poſtremo cuncti catervatim ad genua Beati viri ruere cœperunt, fideliter poſtulantes, ut eos faceret Chriſtianos, nec cunctatus in medio ut erat Campo, cunctos impoſita univerſis manu, Catechumenos fecit. Cum quidam ad nos converſus diceret, non irrationabiliter in Campo Catechumenos fieri, ubi ſolerent Martyres conſecrare.) Quæ poſtrema verba maxime notanda ſunt. Idem non minus conſtat ex Sermone 52. S. Petri Chryſologi, in quo ſic lego: (Hinc eſt, quod veniens ex gentibus, impoſitione manus, & exorciſmis ante a Dæmone purgatur, & apertionem aurium percipit, ut fidei capere poſſit auditum.) Et Sermone 501. (ut incurvus peccatis Gentilis erigatur ad Cœlum, prius a Gentili per impoſitionem manuum nequam Spiritus effugatur.) Atque hinc capi debet Canon 39. Concilii Eliberitani: (Gentiles ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manum imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos) & Canon 6. Concili I. Arelatenſis. (De his qui in infirmitate credere volunt, placuit eis debere manum imponi.) Denique non prætereundus eſt locus S. Auguſtini ex libro 2. de Peccatorum meritis cap. 26. (Non uniuſmodi eſt ſanctificatio; nam & Catechumenos ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum Crucis, & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari:) Qui locus æqualiter facit & pro ſigni crucis impreſſione, & pro manus impoſitione, atque oratione.

Per Exorciſmos, & Exſufflationem.

VIII. Hos præter Ritus ad inſtituendos Catechumenos, nullos advertimus, neque in antiqua Liturgia Gallicana, neque in Miſſali Gothico. Verum alios inſuper adhibitos fuiſſe ex probatis Authoribus, & antiquiorum Patrum teſtimoniis facili negotio colligere poſſumus. Nam ut ait S. Iſidorus lib. 2. de Divinis Officiis cap. 20. *Exorcizantur hi primum, deinde Salem accipiunt, & ungunturi*. His adde aurium, & narium tactum eum

eum ſputo. Exorciſmus autem juxta eumdem Iſidorum, alioſque Scriptores de Ritibus Eccleſiaſticis, *eſt Sermo imprecationis contra immundum Spiritum*. Et quia, ut ait Anonymus Turonenſis in ſuo MS. Speculo Eccleſiæ, (ipſa inſufflatio increpationis ſignum eſt, vel indignationis, & quaſi quædam ſubſannatio, & irriſio) Exorciſmum ſemper comitata eſt exſufflatio in faciem Catechumeni, ut quamplurimis, ſed præſertim S. Auguſtini teſtimoniis comprobari poſſet. Notandum in primis locus ex Epiſtola 194. ad Siſtum, in cujus num. 46. peccatum originale probat adverſus Pelagianos ex inſufflatione, & exorciſmis, qui ſuper infantes ante baptiſmum fiunt: (Non inveniunt, inquit, quid ad hoc reſpondeant, quod exorcizantur, & inſufflantur infantes. Hoc enim procul dubio fallaciter fit, ſi Diabolus ei non dominatur. Si autem dominatur, & ideo non fallaciter exorcizantur, & inſufflantur; per quid dominatur, niſi per peccatum princeps utique peccatorum?) Et in Libro I. de Symbolo ad Catechumenos cap. 5. (ſicut vidiſtis hodie, ſicut noſtis, & parvuli exſufflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis poteſtas iniqua, quæ decepit hominem.) Et lib. I. contra Julianum cap. 4. (Profecto exorcizatus, & exſufflatus es, ut a poteſtate erutus tenebrarum, transferreris in Regnum Chriſti.) Idem prorſus diſcimus ex Gennadii libro de Eccleſiaſticis Dogmatibus cap. 31., ubi ſic loquitur:) Illud etiam quod circa baptizandos in univerſo mundo Sancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplamur intuitu, cum ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorciſmis, & exſufflationibus Clericorum Spiritus ab eis immundus abigatur.) Quo in teſtimonio non obiter tranſcurrendum eſt, quod ait, hæc *in univerſo Mundo* ab Eccleſia Sancta *uniformiter* fieri. Et certe eumdem in Eccleſia Orientali uſum obſervatum fuiſſe patet ex Græcorum Euchologio, ex Concilio I. Conſtantinopolitano cap. 7. cujus verba proferemus poſtea, & ex Catecheſi Myſtagogica S. Cyrilli Hieroſolymitani, ubi hæc habet: (Inſufflationes Sanctorum, & nominis Dei invocatio, tamquam vehementiſſima quædam flamma, urit Dæmonas, & in fugam convertit.) Denique tam inſufflationis, quam exorciſmorum meminere Gelaſius Papa I. Epiſtola 7., & qui de Ritibus Baptiſmi ſcripſerunt Authores pene omnes, quales ſunt Leidradus Lugdunenſis, Magnus Senonenſis, Odilbertus Mediolanenſis, Rabanus Moguntinus, Hincmarus Remenſis Archiepiſcopi; Theodulphus Aurelianenſis, Jeſſe Ambianenſis, Alcuinus & alii; quos hic eorumque teſtimonia verbo tenus adſcribere per otium nec vacat, nec neceſſarium exiſtimamus. Quamvis de exſufflatione nonnulla breviter obſervare haudquaquam abs re fore videatur.

Exſufflatio quo ritu facta.

IX. Et primo notandum non ſemper ab Epiſcopo, aut Baptiſmi Miniſtro peractam fuiſſe, ſed aliquando a Diaconis, ut patet ex Concilii 2. Conſtantinopolitani actione 1. aliquando ab Exorciſtis, ut habet Joannes Belethus in libro de Divinis Officiis cap. 90., aut a ſimplicibus Clericis, ſive Acolythis, uti exprimitur in teſtimonio Gennadii ſuperius relato.

X. Secundo exſufflationem non a Miniſtro, ſed ab ipſo Catechumeno faciendam eſſe ſecundum vulgatum Dionyſium de Eccleſiaſtica Hierarchia, & quidem ad Occidentalem plagam converſum; ſic enim habet: (Deinde cum illum (Catechumenum) Occidentem verſus attendentem, manuſque porrigentem ad eamdem regionem collocavit, tum eum jubet (Sacerdos) tertio Satanam, ut ita dicam, inſufflare, & præterea, quæ defectionis, & abrenunciationis ſunt, profiteri.)

XI. Tertio utramque exſufflationem modo apud Græcos obſervari, ut manifeſtum eſt ex eorum Euchologio, ubi primum Sacerdos inſufflat ter in faciem Catechumeni, & iterum poſt tertium exorciſmum idem Sacerdos inſufflat in os, frontem, & pectus ejuſdem Catechumeni, & poſt abrenunciationem jubet eum inſufflare, & conſpuere Satanam.

XII. Quarto inſufflationem apud Latinos in ſolam faciem factam fuiſſe docent nos omnes Libri Rituales, quos ea de re conſulimus: Græci e contrario faciem, & aures inſufflant, id quod probat Can. 7. Concilii I. Conſtantinopolitani: (Primo quidem die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deinde tertio exorcizamus, ſive adjuramus ipſos, ter ſimul in faciem eorum, & aures inſufflando:) Quæ verba repetuntur in Concilio 6. Conſtantinopolitano, eiſque ſuffragatur Nicetas Choniates in lib. 2. Orthodoxæ fidei: (Sacerdos cum illum denuo in Templum ducit, & inſufflans ter in faciem ejus, & aures ejus, tandem etiam exorciſmorum orationes adjiciens, eum rurſus ſigno Crucis munitum a ſe dimittit.)

XIII. Quinto ut exſufflationis, ita nec exorciſmorum ulla fit mentio in vulgato Dionyſii Libro de Eccleſiaſtica Hierarchia. Vix tamen adduci poſſum, ut credam prætermiſſos fuiſſe illius tempore exorciſmos, cum illorum mentionem, nec infrequentem faciant Authores Græci non pauci, quales ſunt Cyrillus Hieroſolymitanus, Gregorius Nazianzenus, & Chryſoſtomus.

XIV. Exorciſmis benedicti Salis in os Catechumeni immiſſionem ſubjungit S. Iſidorus, quamvis iſtius ritus nulla reperiatur mentio apud Græcos, Dionyſium, Cyrillum, Gregorium utrumque, Nazianzenum ſcilicet, & Nyſſenum, Baſilium Magnum, Chryſoſtomum, Severum Alexandrinum, qui de Baptiſmo præ cæteris accuratius tractaverunt: Sed neque in hodierno Græcorum Euchologio ullus cæremoniæ Salis locus datur. Nihilo tamen minus illius haud obſcure meminit Origenes Homilia 6. in Ezechielem, ubi exponens illud Prophetæ: *Non es aqua lota in ſalutem, nec Sale ſalita, nec pannis involuta*, hæc habet: (Rurſus peccatrix Hieruſalem non es involuta pannis: ipſe Dominus meus Jeſus pannis involutus eſt, ut ſcriptum in Evangelio ſecundum Lucam refertur. Oportet ergo, qui renaſcitur .... rationabile,

&

& ſincerum lac deſiderare, & prius quam ſine dolo rationabile lac deſideret, debet Sale ſaliri, & pannorum involucro colligari, ne dicatur ad eam, Sale non es ſalita, & pannis non es involuta:) Apud Latinos etiam eſt antiquiſſima, utpote quam diſerte innuit S. Auguſtinus in Libro Confeſſionum cap. 11. ubi loquens de ſuo Catechumenatu: (Audieram, inquit, adhuc puer de vita æterna nobis promiſſa..... & ſignabar jam ſigno crucis, & condiebar ejus Sale.) Er in libro de catechizandis Rudibus cap. 26. agens de modo initiandi Catechumeni: (De Sacramento * ſane quod accipit, cum ei bene commendatum fuerit, ſignacula quidem Rerum Divinarum eſſe viſibilia, ſed res inviſibiles in eis honorari.) Et Beda in libros Regum. (Sal Cœleſtis Sapientiæ, quo initiantur Catechumeni, in cunctis operum noſtrorum ſacrificiis offerre jubemur.) Agunt etiam hoc de Ritu Alcuinus, Leidradus, Magnus, Odilbertus, Theodulphus, Jeſſe Ambianenſis Epiſcopus, Rabanus, & alii, qui myſticas illius ſignificationes pie, & devote in ſuis ſcriptis exponunt; ex quibus non prætereundum eſt, quod habet Leidradus Epiſcopus Lugdunenſis in ſuo ad Carolum Magnum Libro de Baptiſmo cap. 1. (Æſtimant quidam, quod etiam apud quoſdam Gentilium antiqua erat conſuetudo, ut qui fidelitatem Regi promittebant, Salem adjuratum, vel conſecratum in præſentia eorumdem Regum, quibus fidem promittebant, comederent. Unde in Libro Eſdræ ſcriptum eſt, quod Principes Samaritanorum Regi Perſarum, cum de Accuſatione Judæorum ſcriberent, dixerint, memores ſumus Salis, quem in Palatio comedimus.) Quem ritum a Gentilibus acceptum obſervant Catechumeni, cum Chriſto nomen dantes, *Fidelis* etiam titulum ambiunt accipere. Porro, quod de Sale Catechumenorum hic dicitur, in memoriam revocat Canonem quintum Concilii tertii Carthaginenſis, quo decernitur, (ut per ſolemniſſimos Paſchales dies, Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum Sal; quia ſi Fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.....) quem ad ritum alludere videtur S. Auguſtinus in Libro 2. de Peccatorum meritis cap. 26. (& quod accipiunt, quamvis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quam cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt.

* L. Salis.

Per inunctionem.

XV. Poſt ſalis guſtationem S. Iſidorus ponit unctionem Catechumeni; de qua Magnus Senonenſis Epiſcopus in ſuo de Baptiſmo Tractatu MS. (Ungitur vero pectus, ut ſigno Crucis Chriſti excludatur Satanæ introitus, & paretur ingreſſus Chriſto Domino. Item ſcapulæ ſignantur, ut undique remplum Dei dicatum ab omni Satanæ impedimento muniatur. Iterum & hoc ſignatur in pectoris & ſcapulæ unctione, ut eis firmitas ſit & bonorum operum perſeverantia.) Sed hic ritus, cujus meminerunt Author quæſtionum ad Orthodoxos apud Juſtinum Martyrem q. 137. & Fortunatus libro 5. Carmine 4. non ram pertinere videtur ad Catechumenos inſtituendos, quam ad baptizandos, unde & prætermiſſum advertimus in Ritualibus libris quamplurimis MSS. optimæ notæ. Quapropter de illo differere interim ſuperſedemus, donec Baptiſmi ritus expendamus.

Per nares, & aurium, ſaliva contactum.

XVI. Non eadem eſt ratio ſalivæ tactus in nares, & aures, quem ad Catechumenum faciendum pertinere diſertiſſimis verbis docet S. Auguſtinus Tractatu 44. in Joannem, ubi agens de cœco naro, quem ſputo & luto inunctum & in piſcina Siloe lotum Chriſtus ſanitati reſtituit, ſic loquitur: (Si ergo quando eum in ſeipſo quodam modo baptizavit, tunc illuminavit; quando inunxit, fortaſſe Catechumenum fecit.) Idem innuit Sanctus Ambroſius in Epiſtola 80. novæ editionis ad Bellicium, in qua ſimiliter tractat de illuminatione cœci nati: (Simul, inquit, & divinitatem & ſanctificationem ejus adverte. Quaſi lux tetigit & lumen infudit: quaſi Sacerdos per figuram Baptiſmatis myſteria gratiæ ſpiritualis implevit. Expuit, ut adverteres, quia interiora Chriſti lumen ſunt.) Et S. Petrus Chryſologus Serm. 52. (Hinc eſt quod veniens ex gentibus impoſitione manus & exorciſmis ante a Dæmone purgatur, & apertionem aurium percipit, ut fidei capere poſſit auditum.) Nam apertionem aurium percipere, & tangi ſaliva in aures præſenti hoc in negotio idem ſonant. Recentiorum Authorum turbam prætereo, qui Baptiſmi ritus explicuerunt, quorum referendis teſtimoniis ſi plus æquo incumberem, non paginas aliquas, ſed integrum volumen implerem.

XVII. Porro circa hunc ritum tria in præſentiarum obſervo. Primum eſt Græcos eo carere, nullam enim illius mentionem reperire fuit apud illorum Authores, ſed neque in Euchologio ipſorum. Secundum in quibuſdam Germaniæ Eccleſiis cum ſputo etiam adhiberi lutum, ut patet ex Manuali Joannis Jacobi Archiepiſcopi Saliburgenſis de Sacramento Baptiſmi cap. 4. & 5. Tertium hujus inſtituti cauſas & rationes non poſſe afferri, niſi myſticas, quas videre licet apud Alcuinum, Theodulphum Aurelianenſem, Jeſſe Ambianenſem, Rabanum, Hugonem, Victorinum, Durandum & alios ex quibus hic ſolum Leidradum deſcribo: (Sanctificatio aurium ſignificat, ut omnes extra diſciplinam ſermones quaſi doctrinæ Chriſti obloquentes averſentur fideles & fugiant, ſeque ad ſola Dei verba audienda convertant: quia auditum ſuum Chriſti eloquiis conſecrarunt. Nares quoque ſimili tactu ſanctificantur, ut hi qui ad Baptiſmum veniunt, admoneantur tanti myſterii Sacramentum uſque ad mortem inviolatum atque integrum cuſtodire, ut quandiu ſpiritum vitæ hujus naribus ſuis attrahunt, a Chriſti Domini noſtri cultura & ſervitio non recedant..... Sed adhuc ſubtilior intellectus in hac narium ſanctificatione ſignatur. Ille enim tactus ad odoratum fideles provocat ſpiritalem, ut non corporis, ſed mentis ſenſibus Chriſtum inæſtimabili ſuavitate ſentire poſſint, & dicere ei: Poſt te in odorem unguentorum tuorum curremus,) &c.

XVIII.

XVIII. Atque hi ſunt præcipui ritus, initiandis olim Catechumenis adhibiti; quibus etiam præmittebatur abrenuntiatio Satanæ, ut patet ex Rabano lib. 1. de Inſtitutione Clericorum cap. 27. & ex variis ordinibus, quos in articulo ſequenti ſubjiciemus. Porro hæc omnia uno die, unoque tenore apud Latinos præſtabantur, idque extra Eccleſiam, cujus rei inſigne habemus exemplum in Sancto Martino, qui Catechumenos medio etiam in campo inſtituebat, aſſerens, *non irrationabiliter in campo Catechumenos fieri, ubi ſolerent Martyres conſecrari*. Græci vero hoc in negotio tres dies inſumebant, ut diſcimus ex Concilio Conſtantinopolitano I. in cujus cap. 7. congregati Patres ſic loquuntur: (Primo quidem die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deinde tertio exorcizamus ſive adjuramus ipſos, ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando; & ſic eos catechizamus ſive initiamus, & curamus, ut longo tempore verſentur in Eccleſiis, & audiant Scripturas, & tunc eos baptizamus.) Porro ad faciliorem intelligentiam eorum, quæ a nobis hoc articulo digeſta ſunt, varios diverſarum ætatum & regionum Ordines ad faciendum Catechumenum, ex variis MSS. eruto, ſi ſubjiciamus, pergratum Lectoribus noſtris nos facturos exiſtimamus.

ARTICULUS VIII.

De tempore Catechumenatus.

Catechumeni diu ante Baptiſmum probantur.

I. *Eſto omni ætati, omni vitæ formæ, omnibus hominibus Baptiſma conveniat*, ut loquitur S. Gregorius Nazianzenus in Oratione de Baptiſmo: antiquæ tamen leges Eccleſiaſticæ Catechumenos nonniſi diu multumque probatos ſacræ regenerationis gratia donari permittebant; ſed ad eum fere modum, quo vitæ religioſæ candidati (Novitios appellare ſolemus) ad ſolemnia vota nuncupanda, ante annuam ſaltem probationem apud Monachos non admittuntur, ita nec Catechumeni olim niſi poſt multum temporis ad Baptiſmum recipiebantur. Et certe conſentaneum omnino non erat, ut qui Chriſtiano lacte nondum erant enutriti, cœleſti pane reficerentur, vixque fidei nomen agnoſcentes, fidelium cathalogo adſcriberentur: alioquin haud parum timendum fuiſſet, ne corrupti ab Hæreticis aut Gentilibus, Chriſtianæ Religionis myſteria ludibrio ac deriſioni infidelium exponerent. Merito ergo Concilium Conſtantinopolitanum I. Can. 7. (Primo die, inquit, ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, tertio exorcizamus .... Et curamus ut longo tempore verſentur in Eccleſiis, & audiant Scripturas, & tum eos baptizamus.) Quandiu vero duraret illa probatio, nequaquam exprimit, ſed totum prudentiæ ac diſcretioni Epiſcoporum aut Preſbyterorum relinquit, ut ſicut varia Catechumenorum conditio, varia ingenia, varia morum integritas, religioniſque ac pietatis deſiderium poſtulabant, eos ſacris undis intingerent.

Varia probationis tempora.

II. Nonnullos tamen limites huic probationi præſcribunt alia Concilia. Nam Concilium Agathenſe Can. 34. decernit, ut (Judæi, quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, ſi ad legem Catholicam venire voluerint, octo menſes inter Catechumenos Eccleſiæ limen introeant. Et ſi pura fide noſcuntur venire, tum demum Baptiſmatis gratiam mereantur.) Tantumdem temporis in Catechumenatu expleviſſe Sanctum Auguſtinum ſcribit Ludovicus de Angelis in Libro 3. de vita & laudibus S. Auguſtini cap. 3. ſcilicet a vigeſima octava die menſis Auguſti ad vigeſimam quartam menſis Aprilis. Concilio vero Eliberitano in Hiſpania (eos qui ad primam credulitatis fidem accedunt, ſi bonæ fuerint converſationis, intra biennii tempus placuit ad Baptiſmi gratiam admitti debere.) Idem temporis ſpatium etiam definivit Juſtinianus Imperator in Novella 134. cui unum annum adjiciunt Conſtitutiones Apoſtolorum libro 8. cap. 38. Statuentes, ut (qui Catecheſi eruciendus eſt, per tres annos eruditatur.) Sed & Eliberitanum Concilium idem conſtituit pro Sacerdotibus Idolorum, qui Chriſtianam Religionem ampleſti voluerint. Ita enim habet Canone 4. (Item Flamines, ſi fuerint Catechumeni, & ſe Sacrificiis abſtinuerint, poſt triennii tempora placuit ad Baptiſmum admitti debere.) Ubi mirum prorſus videri poteſt, quod cum duos dumtaxat annos probationis aliis præſcribat, tres flaminibus injungat. Sed quia hujuſmodi homines omnibus Gentilium ritibus, & vanis Philoſophorum doctrinis imbuti, difficilius ad credendum poterant adduci, ac pluribus doctrinæ Chriſtianæ præceptis erant inſtruendi, majori etiam & prolixiori opus habebant probatione. Unde tam erga ejuſmodi homines, quam erga Philoſophos aliaſque doctiores viros paulo ſe difficiliorem in eis intra ſinum ſuum admittendis præbuit Eccleſia. Quare cum Arnobius adhuc Ethnicus in Civitate juventutem inſtitueret ad declamandum, & in ſomnis eſſet adactus, ut flagitaret Baptiſmum; non antea illum impetraſſe ab Epiſcopis refert Hieronymus in Chronico, quam profanam, quam profitebatur, Gentilium religionem ſcripto impugnaſſet. Neque enim ſibi facile perſuadere poterant, ſincero illum animo Religionem Chriſtianam velle profiteri; ſed ſolum myſteria quæ poſtmodum irrideret, perdiſcere. Non deſunt tamen qui Canonem illum non de ſimplicibus flaminibus interpretentur, ſed de flaminibus in grave aliquod peccatum prolapſis; id quod ex Canone præcedenti, in quo de flaminibus mœchis agitur, inducunt. Solebat enim Eccleſia graviter peccantes Catechumenos a Baptiſmi gratia longum in tempus removere. Hinc Canon 14. Concilii Nicæni: (De Catechumenis qui lapſi ſunt, viſum eſt Sanctæ & magnæ Synodo, ut ii tribus annis tantum Audientes ſint, & poſtea orent cum Catechumenis.) Et Concilium

lium Eliberitanum Canone 11. Catechumenas lapſas in quinquennium differt. Aliter Concilium Neocæſarienſe peccantes Catechumenos punit, quibus in peccati pœnam injungit, ut genuflexi audiant verbum Dei. Ita enim Canone 5. ex verſione Iſidori Mercatoris: (Catechumenus, ideſt Audiens, qui ingreditur Eccleſiam, & ſtat cum Catechumenis, ſi peccare viſus fuerit, figens genua, audiat verbum, ut ſe abſtineat ab illo peccato, quod fecit. Quod ſi in eo perdurat, abjici omnino debet.) Qui quidem Canon ita reperitur in Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ, quem cum Leonis Magni Operibus edidit Paſchalis Quenellius, licet paulo aliter legatur in textu Græco, & in verſione Dionyſii Exigui; ſed ſenſus hic planior.

Quæ aliquando breviabantur.

III. Cæterum his legibus non ita adſtricta erat Eccleſia, quaſi ab iis diſpenſare, cum ſic videret expedire, ac tempus præſtitutum abbreviare non poſſet. Nam S. Gregorius I. 7. Epiſt. 24. cuidam Epiſcopo permiſit, ut Judæos in agro Agrigentino baptizari cupientes, poſt indictum quadraginta dierum jejunium, ſacris undis immergeret. Sanctus Pancratius una cum Patre Dionyſio poſt exactos viginti dies Catechumenatus, regenerationis gratiam promeruit. Sed neque tantum temporis obſervari curabat S. Otto Babebergenſis Epiſcopus & Pomeranorum Apoſtolus, ſeptem dierum ſpatio contentus. Sic enim legimus in ejus vita, quam ex quatuor coætaneis Authoribus collegit Andreas Abbas Monaſterii Montis S. Michaelis prope Bambergam: (Ille cum Clericis & Sacerdotibus ſeptem diebus eos catechizans, & de omnibus, quæ Chriſtianæ Religioni conveniebant, diligentiſſime inſtruens, indicto trium dierum jejunio, juſſit ut corpora ſua balneis mundarent, lotis albiſque veſtibus induti, mundo corde, mundoque habitu ad Sanctum Baptiſma concurrebant.) Simile aliquid de Burgundionibus narrat Socrates in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro 7. cap. 30. ubi hæc habet: (Ad quamdam Galliæ civitatem profecti poſtulant ab Epiſcopo, ut Chriſtianum Baptiſmum ſuſcipiant. Ille cum ſeptem dies eos jejunare juſſiſſet, ac fidei rudimentis inſtituiſſet, octavo tandem die Baptiſmo donatos dimiſit.) Idem permittere videtur Anonymus quidam in Sermone olim in feſto Dedicationis legi ſolito, qui MS. habetur in antiquo Pontificali Eccleſiæ Rotomagenſis, & in Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis annorum circiter 900. cujus Sermonis ſtylus Cæſarium Arelatenſem ſpirare videtur: (Qui ſani ſunt, inquit, in Paſchalem ſolemnitatem ſerventur, & ſecundum Eccleſiaſticam regulam in diebus Quadrageſimæ jejunent & vigilent, & ad oleum vel ad manus poſitionem accedant. Qui vero in aliqua feſtivitate filium ſuum baptizare deſiderat, juſtum eſt ut vel ante ſeptem dies cum ipſo ad Eccleſiam veniat; & ibi jejunet & vigilet; & filium ſuum ſicut ſupradictum eſt, ad oleum vel ad manus impoſitionem faciat accedere; & ſic legitimo ordine Baptiſmi Sacramenta ſuſcipiant.) Immo aliquando ſtatim baptizabantur, quod ſuperbo illi contigit Philoſopho, qui cum argumentorum reſponſionumque ſubtilitatibus congregatos in Nicæno Concilio Patres diu multumque fatigaſſet; tandem nuda fidei noſtræ expoſitione, ſibi ab Epiſcopo quodam miræ ſimplicitatis ac pietatis viro facta, de repente convictus atque converſus, ſtatim baptizatus eſt, ut refert Gelaſius Cizicenus in Nicæni Concilii Hiſtoria lib. 2. cap. 13. Sed huic facto repugnat ejuſdem Concilii Can. 2.

Baptiſmi ſuſceptio plerumque dilata.

IV. Verum ſicut nonnulli præſtitutum a ſacris Canonibus Catechumenatus tempus aliquando breviabant; ita complures multos in annos & ſæpe plus æquo illud extendebant. S. Martinus anno ætatis decimo factus Catechumenus, nonniſi duodevigeſimo tinctus eſt, teſtante Severo Sulpitio in ejus vitæ lib. 1. cap. 2. aliqui exemplo Chriſti innixi ad trigeſimum ætatis ſuæ annum differebant & ultra, uti innuit S. Gregorius Nazianzenus in Oratione in Sanctum lavacrum, ubi referens eorum excuſationes, qui ad multos annos baptizari differebant, inter alia ſic eos loquentes inducit: (Sed Chriſtus, inquit, cum trigeſimum ageret annum, baptizatur, & hoc cum eſſet Deus; & tu me ad Baptiſma feſtinare jubes.) Quidam ad ultimam uſque ſenectutem & vitæ exitum tingi expectabant. His adjicere poſſemus etiam Theodoſium Magnum Imperatorem religioſum, qui poſt ſuperata in bello multa pericula, poſt relatam de barbaris victoriam, gravem in morbum delapſus, ab Aſcholio Theſſalonicæ civitatis Epiſcopo Catholico Baptiſmi donum promeruit; licet plures poſt annos convaleſcens vixerit.

V. Hujuſmodi dilationi anſam & occaſionem præbere potuit Tertullianus in libro de Baptiſmo cap. 18. ubi (Baptiſmum non temere credendum eſſe) affirmat, ac (pro cujuſque perſonæ conditione ac diſpoſitione, etiam ætate cunctationem Baptiſmi utiliorem eſſe.) Et paulo poſt addit: (Si qui pondus intelligant Baptiſmi, magis timebunt conſecutionem, quam dilationem.) Quibus certe verbis terreri potuerunt religioſiores viri, & ad Baptiſmum in ultimam uſque ſenectutem differendum induci. Cum enim propriam agnoſcerent ſui ipſius ad vitium proclivitatem; timebant ne cito citius amiſſa per peccatum regenerationis gratia, in vitiorum baratrum devoluti, æternas poſtmodum pœnas luerent: Quapropter longe ſibi tutius exiſtimabant de die in diem procraſtinare. Id ſane planum eſt ex S. Gregorii Nyſſeni Oratione adverſus eos, qui differunt Baptiſma, ubi inanes eorum excuſationes ita refert & refellit: (Sed timeo inquit, naturæ noſtræ ad vitium proclivitatem; & ideo differo accedere ad gratiam regenerationis. Speciosus quidem eſt prætextus tuus timiditatis.) Plurimi etiam ne ſeverioribus Eccleſiæ legibus ſubjicerentur, atque ut liberius peccarent, a recipiendo citius Baptiſmate avertebantur. (Timent autem Baptiſmum, inquit idem Gregorius Nyſſenus, ut qui prohibeat voluptates, & abſtinere faciat a nefariis deliciis.) Adeo temerarium & periculoſum abuſum ſuis ſcriptis perſtrinxerunt Sancti Patres, ſed duo præſertim Gregorii, Nyſſenus, & Nazianzenus, ambo pietate & doctrina eximii, qui ex profeſſo ſuis ſermonibus

bus tanto malo mederi ſtuduerunt. Quibus adjungendus eſt S. Chryſoſtomus in Homilia ad Neophytos.

ARTICULUS IX.

Quænam eſſent Catechumenorum exercitia, & quid de illis ſentirent veteres, qui ſine baptiſmo e vivis excederent.

Catechumenorum exercitia.

I. CUM ex præſcriptis Eccleſiæ legibus tandiu probarentur Chriſtianæ Religionis tyrones, ut ſuperiori articulo demonſtrabamus; ipſique ſive ex deſidia ſive ex falſa & erronea pietate, præſtituto probationis tempori plurimos non dicam annos, ſed integrum fere vitæ ſuæ curſum adjicerent; quid tanto illo ageretur intervallo, quæ eorum in Eccleſia exercitia, jam inquirendum eſt. Igitur Catechumenorum toto tyrocinii ſui tempore hæc una aut fere una erat functio, ut ſive privatim, ſive in Eccleſiis, aut Baptiſteriis, de ratione fidei, aut vitæ Chriſtianæ officiis imbuerentur. (Quid autem aliud agit rerum tempus, quo Catechumenorum locum nomenque tenent, inquit S. Auguſtinus in Libro de Fide & Operibus cap. 6. niſi ut audiant quæ fides & qualis vita debeat eſſe Chriſtiani.) Præterea in Eccleſia ad audiendos Pſalmos & lectiones ex ſcripturis libere admittebantur, ut patet ex Conſtitutionibus Apoſtolorum lib. 2. cap. 43. & ex Dionyſii Libro de Eccleſiaſtica Hierarchia. Sed in Eccleſia Alexandrina non ſolum pſalmos audire, ſed etiam cantoris lectoriſque munere fungi permittebantur: ſi tamen Socrati fides ſit, cujus in libro 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 22. hæc verba: (In eadem urbe Alexandria Lectores & Pſaltæ abſque ullo diſcrimine fiunt tam Catechumeni quam fideles; cum tamen omnes ubique Eccleſiæ nonniſi fideles ad hunc gradum promoveant.) Poſt pſalmos & lectiones ſcripturarum ſermonem ad populum habere ſolebat Epiſcopus, cujus inſuper audiendi Catechumenis facultas conceſſa. Nec Catechumenis ſolum, ſed infidelibus etiam ac Judæis. Extat ea de re Canon 84. Concilii IV. Carthaginenſis, (Ut Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſſam Catechumenorum.) Cujus quidem ſtatuti rationem reddere videtur Concilium Valentinum tempore Leonis Papæ cap. 1. his verbis: (Hoc inter cetera cenſuimus obſervandum, ut ſacroſancta Evangelia, ante munerum illationem vel Miſſam Catechumenorum in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur, quatenus ſæcularia præcepta Domini noſtri Jeſu Chriſti vel ſermonem Sacerdotis non ſolum fideles, ſed etiam Catechumeni, ac Pœnitentes, & omnes qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad fidem attractos evidenter ſcimus.) Quapropter quod ait Amalarius in libro 1. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 36. (Conſuetudo noſtra eſt, ut Catechumenos repellamus ante Evangelium,) non de quibuslibet Eccleſiaſticis Conventibus intelligendum eſt; ſed de ſcrutiniis, quæ illius tempore, atque etiam poſtea in medio Quadrageſimæ fiebant. Ceterum quandiu primæva perſeveravit in Eccleſia diſciplina, uſque ad recitatum & expoſitum ab Epiſcopo Evangelium in templo permanere ſinebantur Catechumeni. Finito vero ſermone, foras emittebantur: (Ecce poſt ſermonem fit Miſſa Catechumenorum, manebunt fideles, venietur ad locum Orationis,) inquit S. Auguſtinus in Sermone 49. novæ editionis num. 8. Sed in Conſtitutionibus Apoſtolorum ab Authore antiquiſſimo ſcriptis ante Catechumenorum dimiſſionem breves ſuper eos faciendæ preces decernuntur, quas hic ex libro 8. cap. 5. uti & ritum ejiciendi de templo Catechumenos ſubjicere Lectoribus non erit fortaſſis ingratum.

Ritus dimittendi Catechumenos ab Eccleſia.

II. (Alloquatur (Epiſcopus) populum ſermonibus exhortatoriis.) Quibus abſolutis .... Diaconus aſcendens altum aliquem locum, pronunciet *ne quis Auditorum, ne quis Infidelium*. Silentioque facto, dicat *Catechumeni orate*. Et omnes fideles orent attento animo dicentes: *Domine miſerere*. Diaconus pro ipſis oret dicens: Pro Catechumenis omnes Deum oremus, ut bonus & benignus Dominus clementer exaudiat obſecrationes & preces ipſorum, & recipiens eorum ſupplicationes tribuat eis auxilium, & concedat petitiones cordis ipſorum ad utilitatem, reveleet eis Evangelium Chriſti ſui, illuminet eos & inſtituat diſciplina cognitionis Dei, doceat ipſos mandata & judicia ſua, inſerat in animam eorum caſtum & ſalutarem timorem ſuum, aperiat aures cordis ipſorum, ut meditentur in lege ſua die ac nocte, confirmet eos in pietate, uniat & connumeret in ſancto ovili ſuo, dignos faciens lavacro regenerationis, veſte immortalitatis, vera vita: liberet eos ab omni impietate, & ne det locum inimico adverſus eos, mundet eos ab omni inquinatione carnis & ſpiritus, inhabitet in eis & inambulet per Chriſtum ſuum: benedicat introitus & exitus eorum, dirigat vias eorum in bonum: etiam pro eis intente oremus, ut remiſſionem delictorum conſecuti per Baptiſmum ſanctis myſteriis digni fiant in manſione ſanctorum. *Erigite vos Catechumeni* & petite pacem Dei per Chriſtum ſuum, diem pacificum & ſine peccato, itemque omne tempus vitæ veſtræ, Chriſtianos præſides veſtros, propitium ac benignum Deum, delictorum remiſſionem: ipſi ſoli ingenito Deo per Chriſtum ſuum voſmet commendate, inclinamini & benedictionem accipite.

In iis ſingulis, quæ loquitur Diaconus, populus, ut diximus, dicat *Domine miſerere*, & in primis pueruli. Inclinantibus autem ipſis capita, benedicat eis ordinatus Epiſcopus benedictione hujuſmodi.

(Deus omnipotens, ingenite, inacceſſibilis, qui es ſolus verus Deus, Deus & Pater Chriſti unigeniti Filii tui, Deus Paracleti & cunctorum Dominus, qui per Chriſtum diſcipulos conſtituiſti doctores ad docendum pietatem: ipſe nunc reſpice ſuper Catechumenos Evangelii Chriſti tui, & da eis cor novum, & ſpiritum rectum innova in viſceribus eorum ad cognoſcendam & faciendam voluntatem tuam in corde pleno & volenti animo: dignos fac eos ſancto Baptiſmo & aggrega eos Eccleſiæ tuæ ſanctæ & participes fac ſanctorum myſteriorum per Chriſtum Jeſum, qui eſt ſpes noſtra, quique pro nobis mortuus eſt, per quem tibi gloria & adoratio in Spiritu Sancto in ſecula. Amen.

Poſt hæc Diaconus dicat, *Ite Catechumeni in pace*.

III. De hujuſmodi orationibus intelligendus eſt Canon 19. Concilii Laodiceni: (Catechumenorum orationem ſeparatim & prius poſt tractatum Epiſcopi oportet celebrari; quibus egreſſis orent etiam qui in pœnitentia ſunt conſtituti.) Et tamen Sanctus Joannes Chryſoſtomus in Homilia 79. ad populum Antiochenum aſſerit orare in Eccleſia. (Catechumenis quidem permiſſum hoc nondum eſſe.) Sed Chryſoſtomus minime cenſendus eſt contrarius Laodiceno Concilio, aut Conſtitutionibus Apoſtolorum, quæ quidem breves poſt ſermonem preces faciendas pro Catechumenis, non vero ab ipſis, præſcribunt, quia revera ſtatim ejiciebantur.

IV. Ex hac autem Catechumenorum ab Eccleſiæ Conventibus dimiſſione, validum Sancti Patres deducebant argumentum, eos adhortandi ad Baptiſmum quantocius ſuſcipiendum; illos vero qui multos differrent in annos, acriter increpandi: (Hactenus foris ſtetiſtis, inquit Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 3. utinam & vos dicere poſſitis omnes, introducet me Rex in tabernaculum ſuum.) Et Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione in ſanctum lavacrum, (Ne contemne fieri & nominari fidelis, donec es Catechumenus in foribus pietatis verſaris, introire te oportet, aulam pertranſire, Sancta contemplari, in Sancta Sanctorum reclinare, Trinitati conjungi.) Et alter Gregorius, Nyſſenus Epiſcopus in Oratione, quam conſcripſit adverſus eos, qui differrent Baptiſma, eos ita adoritur: (Es extra Paradiſum Catechumenus, ſocius exilii Adæ primi noſtri Parentis; nunc oſtio tibi aperto ingredere, &c.) Et item poſtea: (Me tui pudet, quod cum conſenueris, adhuc ejiciaris cum Catechumenis tanquam inſipiens puellus, & qui arcana non poteſt celare, cum dicendum eſt myſterium.)

Quare ejicerentur Catechumeni.

V. Poſtrema hæc Sancti Gregorii Nyſſeni verba cauſam & rationem nos docent, quæ primævam movebat Eccleſiam ad Catechumenos de templo ejiciendos. Nimirum ne ſacra myſteria contemplarentur, cui adſtipulatur Dionyſius in Libro de Eccleſiaſtica Hierarchia: (Catechumenos autem & Energumenos, quique in pœnitentia ſunt, Sanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire pſalmorum modulationem, divinamque Sacrarum Scripturarum recitationem; ad ſacra autem opera, quæ deinceps ſequuntur, atque myſteria ſpectanda, non eos convocat, ſed perfectos oculos eorum qui digni ſunt.) Et certe hodiernis ritibus aſſuetis vix credibile erit, quanta ſollicitudine olim Catechumenis omnia Chriſtianæ Religionis celebantur myſteria. (Hæc myſteria, inquit Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 6. ad illuminandos, ideſt proxime baptizandos, quæ nunc Eccleſia enarrat tibi Catechumeno, non eſt mos Ethnicis enarrare. Nec enim Ethnico myſteria de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto declaramus, quin & Catechumenis non adeo aperte dicimus myſteria, ſed ſæpe obſcurius dicimus, ut ſcientes fideles intelligant, & qui neſciunt, non corrumpant.) Et in Præfatione ad eaſdem Catecheſes: Catechumenus vocabaris, foris ſubſiſtens audiebas, ſpem & neſciebas, audiebas myſteria & non intelligebas, audiebas Scripturas & profunda illarum ignorabas.) Et in fine ejuſdem Præfationis: (Catecheſes iſtas illuminatorum accedentibus quidem ad Baptiſmum, & his qui hoc lavacrum habent, jam fidelibus legendas exhibeas; Catechumenis vero & aliis, qui non ſunt Chriſtiani, ne dederis: alioquin redditurus es Domino rationem.) Et S. Ambroſius initio libri de myſteriis: (Nunc de myſteriis dicere tempus admonet, atque ipſam Sacramentorum rationem edere: quam ante Baptiſmum ſi putaſſemus inſinuandam nondum initiatis, prodidiſſe potius, quam edidiſſe æſtimaremur.) Id quidem de ſingulis Sacramentis multorum SS. Patrum teſtimoniis demonſtrare, ſi res exigeret, in promtu eſſet: aliqua tamen hic ut ſubjiciamus poſtulat officii noſtri ratio.

VI. Et primo Baptiſmi myſteria ſumma cum religione fuiſſe Catechumenis occultata, patet ex Concilii Arauſicani I. Can. 19. (Ad Baptiſterium Catechumeni numquam admittendi.) Et ex Sancto Cyrillo Alexandrino lib. 7. adverſus Julianum, ubi loquens de Baptiſmi myſteriis, (dicerem, inquit, de his, niſi revererer aures non initiatorum.) Idem conſtat ex S. Gregorii Nazianzeni Oratione habita in Concilio Conſtantinopolitano, ubi poſtquam dixit Baptiſmum perfectionem habere in nomine SS. Trinitatis, addit. (Scis hæc quiſquis eo es initiatus.) Unde merito quis ita argumentari valeat, ergo hæc neſcit non initiatus. Ad Confirmationem quod attinet, unum ſufficit Innocentii I. Papæ teſtimonium in Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, qui illum de forma hujus Sacramenti conſuluerat: (Verba, inquit, dicere non poſſum; ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere.) De Pœnitentia idem liquet ex Concilii Laodiceni Can. 19. & ex libro 8. Conſtitutionum Apoſtolorum cap. 7. quibus jubentur Catechumeni ante exire de templo, quam Pœnitentibus manus imponatur. De Euchariſtia non paucas aliquas paginas, ſed integra, eaque magna volumina implerem, ſi cunctas SS. Patrum auctoritates referrem, quibus illius abſconſio non initiatis commendatur. Inſignis eſt locus ex Epiſtola Julii Papæ ad Orientales Epiſcopos in cauſa Athanaſii: (Quis non execretur ſub exter-

externo judice præſentibus Catechumenis .... quæſtionem de Corpore & Sanguine Chriſti haberi.) Et alter ex Epiſtola Sancti Auguſtini ad Honoratum, quæ eſt 140. novæ editionis cap. 19. (Hæc eſt gratia, quæ gratis datur, non meritis operantis, ſed miſeratione donantis. Hinc gratias agimus Domino Deo noſtro, quod eſt magnum Sacramentum in Sacrificio novi teſtamenti, quod ubi & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, invenies.) Et Sermone 307. num. 3. (Qui noverunt Scripturas, ſciunt quid protulerit Melchiſedech Sacerdos Dei excelſi, quando benedixit Abraham. Non oportet ut hoc memoremus, propter Catechumenos. Fideles tamen agnoſcunt quemadmodum ante prophetatum ſit, quod modo videmus impleri.) Sanctus quoque Chryſoſtomus in Homilia ad illuminandos: (Poſt triginta dies non vos Pharao, ſed Cœlorum Dominus ad Patriam priſtinam revocabit, & Cœleſti Jeruſalem reſtituet .... ipſe Dominus tuis manibus terribilem Calicem miniſtrabit .... norunt illius calicis virtutem, qui ſunt divinis conſecrati myſteriis: ſed & vos paulo poſt poteritis addiſcere.) Quod ſi fortuito caſu aliquis non initiatus ſe occultans ſacræ menſæ participaret; hunc ſubito inſtructum baptizabant ex Conſtitutionibus Apoſtolorum lib. 7. cap. 26. & ex Timothei Alexandrini Epiſcopi Reſponſis Canonicis, reſponſione 1. De ſacris ordinationibus extat Concilii Laodiceni Canon 4. (Non oportere ordinationes fieri in præſentia eorum, qui audiunt.) Idem eruitur ex S. Joannis Chryſoſtomi Homilia 18. in Epiſtolam primam ad Corinthios. De extrema unctione nulla eſt difficultas. Nam cum olim ſine Euchariſtia non ſoleret dari, ut patet ex his, quæ diximus in libro 5. de antiquis Monachorum ritibus, & aliunde Euchariſtiam videre eſſet Catechumenis illicitum, nemo non videt iis præſentibus extremæ unctionis Sacramentum non fuiſſe infirmis adminiſtratum. Denique cum matrimonium *Eccleſia conciliet, & confirmet oblatio*, ut loquitur Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 9. & Sacrificio intereſſe haudquaquam fas eſſet Catechumenis, nullam de ritibus matrimonii notitiam habebant.

Quid de Catechumenis ſine baptiſmo mortuis ſentirent antiqui.

VII. Tandem ut uno verbo abſolvam ea, quæ Catechumenos tempore tyrocinii ſui ſpectant, neque Symbolum fidei, neque Orationem Dominicam, niſi paucis ante Baptiſmum diebus, ut poſtea oſtendemus, edocebantur: immo ex Concilii Arauſicani Canone 20. (Ad fidelium benedictionem etiam inter domeſticas orationes, in quantum caveri poteſt, ſegregandi informandique ſunt, ut ſe revocent.) Attamen quia ſale ſapientiæ, cum primo manus eis impoſitæ, conditi fuerant, ſolebant etiam in Paſcha ſal benedictum percipere, ut ſupra diximus.

VIII. Jam vero cum per prolixum adeo probationis tempus poſſent aliqui excedere e vivis, excedebantque nonnumquam, quid de his ſentirent veteres, breviter inveſtigandum eſt. Eorum, qui ſine Baptiſmo obibant, duo erant genera: nam alios de medio tollebat perſecutionis gladius, alios prærnatura & inopina mors præveniebat. De primis nulla unquam extitit controverſia: quippe, ut ait Sanctus Auguſtinus lib. 13. de Civitate Dei, cap. 7. (Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte Baptiſmatis.) De ſecundis diviſas in duas partes reperio Sanctorum Patrum opiniones. Et quidem Tertullianus, qui Baptiſmi dilationem tantopere commendat, de eorum ſalute, ſi vera ſit & ſincera illorum fides, nullus dubitare videtur: nam lib. de Baptiſmo cap. 18. poſtquam dixit (Si qui pondus intelligant Baptiſmi, magis timebunt conſecutionem, quam dilationem;) addit: (Fides integra ſecura eſt de ſalute.) Tertulliano ſuffragatur Author antiquiſſimus de Baptiſmo hæreticorum adverſus Sanctum Cyprianum, qui editus eſt in Conciliorum Tom. I. dum ait: (Non erit dubium in Spiritu Sancto homines poſſe ſine aqua baptizari.) Et infra Baptiſma trifariam dividit, ſcilicet ſpiritus, aquæ, & ſanguinis. His accenſendus eſt Sanctus Ambroſius, qui pro Valentiniano Imperatore Catechumeno trucidato Sacrificium offerre haudquaquam dubitavit; & Baptiſmi gratiam quam perierat accepiſſe incunctanter aſſerit in Oratione, quam de illius obitu conſcripſit num. 51. (Aut ſi quia ſolemniter non ſunt celebrata myſteria, inquit num. 53. hoc movet: ergo nec martyres, ſi Catechumeni fuerint, coronentur; non enim coronantur, ſi non initiantur, quod ſi ſuo abluantur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit & voluntas.) Ambroſium ſequuntur Bernardus in Tractatu de Baptiſmo, Hugo Victorinus & omnis Theologorum caterva. Et tamen idem Ambroſius contrarium docet in libro de myſteriis cap. 4. ubi ſic loquitur: (Credit autem etiam Catechumenus in Crucem Domini Jeſu, qua & ipſe ſignatur. Sed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire.) Et Sanctus Auguſtinus Tractatu 13. in Joannem n. 7. (Quantumcumque enim Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis portat, nec illi dimittitur, niſi cum venerit ad Baptiſmum.) Idem non obſcure docet ſerm. 27. num. 6. novæ editionis. Similiter Auguſtini diſcipulus Sanctus Fulgentius in Lib. de Fide ad Petrum cap. 3. num. 41. (Abſque Sacramento Baptiſmatis, præter eos, qui in Eccleſia Catholica ſine Baptiſmate pro Chriſto ſanguinem ſuum fundunt, nec Regnum Cœlorum poteſt quiſquam accipere, nec vitam æternam.) His accedit Gennadius in Libro de Dogmatibus Eccleſiaſticis cap. 74. (Baptizatis tantum iter eſſe ſalutis credimus. Nullum Catechumenum, quamvis bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, ubi ſola Baptiſmi Sacramenta implentur. Idem confirmat Concilium II. Bracarenſe Canone 17, quo prohibetur pro Catechumenis offerri Sacrificium. Verba Concilii hæc ſunt: (Placuit Catechumenis ſine redemtione Baptiſmi

defunctis ſimili modo neque oblationis ſanctæ commemoratio, neque pſallendi impendatur officium. Nam & hoc per ignorantiam uſurpatum eſt.) Addit Chryſoſtomus Homilia 69. (Catechumeni nec hac digni conſolatione (ſcilicet Sacrificio) cenſentur, ſed omni ſunt tali ſuffragio privati, præter unum ſolum: quid autem illud? dare licet pauperibus, & ex hoc aliquid eis præſtare refrigerationis.) Ubi plane mirum & ſingulare videtur, quod eleemoſynas prodeſſe poſſe Catechumenis defunctis cenſet, non vero Sacrificium. Præter Chryſoſtomum ex Græcis habemus duos etiam Gregorios, Nyſſenum & Nazianzenum, qui in eadem verſantur opinione. (Animam minime illuminatam, & regenerationis gratia non ornatam, neſcio an angeli ſuſcipiant, poſtquam fuerit ſeparata corpore.) inquit Nyſſenus in Oratione adverſus eos, qui differunt Baptiſma. Clarius Nazianzenus in Oratione in ſanctum lavacrum: (Nonne miſericors, inquis, Deus eſt? quin & hominum cognoſcit mentes, ac voluntatem probat, ac pro Baptiſmate deſideriun accipit baptizandi. Ænigmati rem ſimilem dicis, quod ille qui lumine caret Deo, propter miſericordiam illuminatus cenſeatur, aut quod Regnum Cœlorum quis miſericordia conſequi ſtudeat, abſque eo quod, quæ regno digna ſunt, operetur.) His adde S. Cyrillum Hieroſolymitanum Catecheſi 3. (Si quis non baptizatur, ſalutem non habet, præter ſolos martyres, qui vel ſine aqua Regno Cœleſti potiuntur.) Et antea dixerat: (Neque ſi quis etiam bene compoſitis ſit moribus & probis, non recipiat autem ſignaculum per aquam, intrabit in Regnum Cœlorum.) Denique tantum abeſt ut Catechumenos ſine Baptiſmo decedentes ſalutem conſequi crederent, quin etiam de illorum felicitate dubitarent, qui poſt longam probationem, ſubactis tempore quadrageſimæ ſolitis ſcrutiniis, paucis ante Paſcha diebus in morbum ſubito prolapſi, deficiente voce, baptizati fuerant. Qua de re Fulgentium Ruſpenſem Epiſcopum conſuluit aliquando Ferrandus Diaconus, ſcripta ad eum Epiſtola, quæ inter Fulgentianas eſt undecima, cujus verba in conſequentibus articulis proferemus, interim hæc ſufficiant.

PRAXIS PŒNITENTIALIS ECCLESIÆ PRIMITIVÆ
COMPENDIOSE DESCRIPTA
PER
JOANNEM GROPPERUM S. R. E. CARDINALEM

Ex editione Gandavenſi Typis Franciſci D'Ercle
M. DC. LXXIII.

PRÆFATIO.

Quanti referat, ut Confeſſarii omnes probe noſcant, quo ritu, quave diſciplina peccatores, poſt Baptiſmum in mortale lapſos, Eccleſia Catholica prioribus ſeculis ad veram pœnitentiam excoperit, deduxerit, inſtituerit que, ac tandem ſacramentaliter abſolverit, nemo dubitat, qui vel a longe inſpexit Conciliorum Canones, & SS. Patrum documenta, quibus ſtudium iſtud ipſis præcipitur, ne dum commendatur. Immo vero ratio ipſa, & quotidianus uſus hoc dictat: etenim ſi in qualibet ſcientia & arte exercenda, quamvis mechanica, expertiſſimorum Auctorum, ac præſertim veterum, principiis, ac veſtigiis inſiſti ſolcat; quid ni Eccleſiæ primitivæ, & SS. Patrum diſciplinam, ac praxim ſectentur ii, qui artem artium, regimen animarum, *profitentur? monente Spiritu Sancto*, memento dierum antiquorum, interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi. *Nam* (*Deutr.* 32. 7.) Pater filiis notam faciet veritatem (*Iſa.* 38. 19.) *Et illi præſertim Patres, quos cum idem* (*Act.* 20. 28.) Spiritus Sanctus poſuerit, Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, & *adoleſcentem inſtruere, & adultam regere; provocul dubio etiam ſpecialiter illuſtravit, ac direxit, non ſolum in myſteriis Fidei proponendis, atque elucidandis; ſed etiam in Sacramentorum adminiſtratione, & diſciplina Eccleſiaſtica recte inſtituenda. Verum cum uniquique non vacet praxim illam ex antiquorum ſcriptis, vaſtis admodum, & copioſis, eruere, viſum eſt operæ pretium non ſpernendum, Confeſſariis exhibere illius* Compendium, *accurate collectum, & expreſſum Capite 17. Lib. I.* Rerum Liturgicarum; *quod opus numeris omnibus abſolutum, inter cætera præclaræ eruditionis, ac pietatis ſuæ monumenta, nuperrime Eccleſiæ bono dedit Eminentiſſimus Dom.* Joannes Bona *S. R. E. Cardinalis*, (*& utinam illud Eccleſiaſticorum manibus volveretur, cordibuſque imprimeretur*) *cui adjuncta ſunt alia ejuſdem argumenti, ex iis, quæ de* Diſciplina *Eccleſiæ Catholicæ præcedenti ſeculo conſcripſit* Joannes Gropperus, *Vir doctiſſimus, & de Republica Chriſtiana optime meritus, ac propterea ſimili purpura donatus. In quorum deinde confirmationem, & ad demonſtrandum quod Eccleſia, etiam hodie, praxim iſtam non refpuat, nec ullo modo improbet, quamvis aliam tolerct; ſubnexus eſt* Ritus expulſionis publice pœnitentium ab Eccleſia, feria quarta cinerum: *nec non* Reconciliationis eorumdem in feria quinta Cœnæ Domini, *longe piiſſimus, olim obſervatus, & etiamnum præſcriptus in* Pontificali Romano, *quo Eccleſia utitur.*

Ex quibus perſpectum evadet, Eccleſiam Catholicam non uno, ſed pluribus ſeculis (vjus enim veſtigia etiam duodecimo, quo D. Bernardus *floruit, conſpiciuntur) egre admodum ad reconciliationem, ſeu publicam, ſeu privatam, admiſiſſe graviorum criminum reos, occultos licet. Ad comprobandam pœnitentiam interiorem, veramque cordis converſionem, non verba modo (quibus ſolis minime flebat) ſed facta exegiſſe: atque ea propter abſolutionem non conceſſiſſe promiſcue, niſi injuncta, & rite expleta ſatisfactione. In eadem vel ſimilia, vel graviora crimina relabentis animum ſuſpectum fuiſſe; nec pari facilitate, qua prius, ad ſecundam reconciliationem tranſiiſſe. Pœnitentias publicas pro delictis etiam occultis, & ſecreto confeſſis, impoſitas, ac ſuſceptas. Abſolutiones iſtas, uti & ſatisfactiones, ſive injunctas pœnitentias, non fuiſſe dumtaxat cæremoniales & politicas, ſed ſacramentales. Opera pœnalia, & diuturna quidem, impoſuiſſe, quia conſtebat pravos animi affectus, & vitioſos habitus male vivendo comparatos, & veræ converſionis obices, contrariis virtutum actionibus tollendos. Idcirco etiam injunxiſſe Confeſſariis, ut non ex ſuo ſenſu, ſed aut ſecundum Sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut Sacrorum Canonum inſtitutiones, & Patrum traditiones, modum ſatisfactionis diſponerent; & ſicut corporum Medici diverſa medicamenta com-*

componunt, ut aliter vulnera, aliter tumores, aliter conflationes, aliter combuſtiones curent: ita & ſpirituales Medici diverſis curationum generibus Animarum vulnera ſanarent, juxta hoc generale axioma, Diverſitas culparum diverſitatem facit pœnitentiarum. *Confeſſarios proinde miniſterio ſuo indignos, & Diſpenſatores infideles habitos, quicumque non pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungebant; ſed illorum ulcera, vel manu parcente, & blandimentis decipientibus, palpabant* (*ut loquitur S. Cyprianus*) *ſaucioſque, & ſemivivos, vix, aut ne vix quidem attrectato vulnere, inani ſpe lactabant; vel quorumcumque uno eodemque cataplaſmate operiebantur; atque ita plagam lethalem altis, & profundis viſceribus infixam, diſſimulato dolore contegentes, virus, & pus incluſum exaggerabant, lapſoſque non erigebant, ſed magis impellebant ad ruinam.*

Et quamquam refrigeſcente Fidelium charitate, tepeſcente pœnitentium fervore, & remiſſa Confeſſariorum ſollicitudine in perſcrutanda, & procuranda ſincera illorum converſione, praxis hodie apud multos invaluerit, a priore iſta toto cœlo propemodum diſſita; Eccleſiam nihilominus ſummis votis exoptare, ut primævus ille ſpiritus (*quem nunquam dimiſit, nec dimittet*) *quoad fieri poteſt, reviviſcat. Atque ita neutiquam culpandos, ſed laudandos potius nec dicendos eſſe novitates inducere, ſed antiquitatem reducere, illos Animarum rectores, qui pro viribus ſuis, & temporum, ac perſonarum ratione in hoc annituntur, & peccatores ad veram pœnitentiam, ex SS. Patrum, ac Conciliorum præſcriptis deducere ſatagunt. Imo eſſe, cur & hi, & illi ſerio perpendentes providam, rigidamque diſciplinam, qua Viri iſti ſanctiſſimi juxta ac doctiſſimi, Pœnitentium vulnera curarunt, & blandam, facilem, ac expeditam, qua illa hodie a nonnullis demulcentur: hæreant apud ſe dubii utra longius ab arcta Chriſtianæ vitæ ac veritatis via deflectat; cum fieri nequeat, ut ambæ, uſque adeo diſcrepantes, illi æque tuto inſiſtant.*

Non eo tamen hæc tendunt, ut priſcus ille rigor pœnitentialis poſtliminio in uſum revocetur, atque ad amuſſim obſervetur: Sed ut cognito veteris Eccleſiæ more (*mens illa fuit, & votum* Gropperi) & intellectis ſacris Canonibus, de hac re loquentibus, excogitetur nunc forma aliqua noſtris apta temporibus, quæ tamen a veteris Eccleſiæ ſententia, quam minimum (etſi aliquantulum in ritibus, qui aliquando pro tempore, publica authoritate intercedente, variantur) diſſentiat. *Poterit autem id facili negotio, Deo opitulante, obtineri, ſi rejectis privatis opinionibus ac commodis, Confeſſarii juxta monitum Apoſtoli* (1. *Cor.* 1. 10.) id ipſum dicant omnes, ſintque perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia; (*Philip.* 2. 21.) quærentes non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, *& ſalutis tam propriæ, quam alienæ. Quod ut fiat, exorandus eſt ille Spiritus, cujus ſolius eſt facere* (*Act.* 4. 32.) *credentium cor unum, & animam unam.*

JOAN-

JOANNES GROPPERUS

S. R. E. CARDINALIS

IN TRACTATU

De Diſciplina Eccleſiæ Catholicæ.

Olim tanta erat in Eccleſia cura diſciplinæ, & tantum ſuſcipiendæ publicæ pœnitentiæ ſtudium, ad effugiendum ſeu mitigandum tremendum judicium Dei, ut non modo hi, qui publica, ſed & qui occula crimina admiſiſſent, pharmacum publicæ pœnitentiæ vel ipſi ultro & avide expeterent, vel a Presbytero ſpirituali medico oblatum, libenter acciperent, aut ſaltem non reſpuerent, quod clare teſtatur Origenes *Homil.* 2. *in Pſalmum* 37. & *Cyprian. in ſermone de lapſis*.

Et Sozomenus, quamvis longe poſterior iſtis, & (quod negari non poteſt) multo etiam inferior in cognitione doctrinæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, in Eccleſiaſtica ſua Hiſtoria *lib.* 7. *cap.* 16. *teſtatur*, inde ab initio Sacerdotibus placuiſſe, ut velut in Theatro, teſte multitudine Eccleſiæ, peccata manifeſtarentur, & ad illud, ait, conſtitui conſueviſſe Presbyterum, cujus converſatio eſſet optima, & qui tenax eſſet ſecretorum & prudens; ad quem qui deliquiſſent, accedebant, & ut nunc in ſecreta confeſſione fit, ſua crimina confitebantur. Hunc autem Presbyterum, ſi vidiſſet talem eſſe languorem, qui in Conventu totius Eccleſiæ merito exponi deberet & curari, ut ex quo fortaſſis & cæteri ædificare poſſunt, impoſuiſſe confitentibus ſecundum uniuſcujuſque delictum, pœnitentiæ publicæ agendæ modum. Quem appellatum fuiſſe dicit *Presbyterum pœnitentiarium*.

Addit hunc morem imponendæ publicæ pœnitentiæ pro peccatis, non publicis modo, ſed & occultis, ejuſmodi Presbytero confeſſis, duraſſe in Eccleſia Græca uſque ad tempora Nectarii, qui fuit in Eccleſia Conſtantinopolitana proximus D. Chryſoſtomi anteceſſor.

Hunc autem omnium primum munus iſtud *Presbyteri pœnitentiarii* publicas pœnitentias pro occultis peccatis imponentis, in Eccleſia Conſtantinopolitana ſuſtuliſſe, ob grave quoddam ſcandalum, quod vitio cujuſdam Diaconi acciderat, qui quandam nobilem mulierem ſatisfactioni (quam a Presbytero pro peccatis ſuis ſecreto confeſſis explendam ſuſceperat) in Eccleſia orationi vacantem, dum in ea diutius ſola immoratur, nacta ſolitudinis occaſione, fornicationis ſcelere pollucrat.

Nec tamen ipſi Sozomeno conſilium illud Nectarii (quamvis ex cauſa ſcandali, minime levis, natum) valde probari videtur, etſi illud invaluiſſe affirmet, maxime quod tum temporis mos iſte ob venuſtatem & adjunctam ſeveritatem, indifferenter ac negligenter obſervatus, paulatim dilabi cœpiſſet. Sic enim ſubjungit: *Antea ſiquidem, ſicuti puto, minus delinquebatur, cum propter pudorem peccata ſua confitentium, tum propter ſeveritatem eorum, qui Judices rei conſtituti erant*.

Quamvis autem hic mos, quo pro occultis criminibus publica pœnitentia imponebatur, in Conſtantinopolitana Eccleſia per Nectarium fuerit abrogatus, nihilo ſecius tamen vel ipſo Sozomeno teſte, in ſua uſque tempora duravit in Eccleſiis Occidentalibus. Ita enim habet loco ſupra allegato: *In Eccleſiis Occidentalibus mos iſte accurate ſervatur, maxime in Romana. Illic enim perſpicuus eſt pœnitentium locus, in quo ſtant mœſti, ac veluti lugentes: peracta autem Liturgia, a myſteriis excluſi, quæ ad initiatos pertinent, cum lamentatione & planctu ad terram ſeſe pronos projiciunt. Epiſcopus ex adverſo cum lachrymis occurrens, & ipſe ad terram lamemando provolvitur, & univerſa Eccleſiæ multitudo lachrymis ſuffunditur. Poſtea Epiſcopus primus exurgit, & jacentes erigit, & quatenus convenit pro peccatis pœnitentium facta oratione, ex Eccleſia illos dimittit, ſeorſum quiſque ſponte ſua vel jejuniis, aut eduliorum abſtinentia, ſive aliis modis, ſecundum quod juſſus eſt, ſeſe affligens, tempus expectat quod Epiſcopus determinavit; conſtituto autem die, peccati multa quaſi debito quodam remiſſa, populo in Eccleſia conjungitur. Hæc Romani Sacerdotes ad nos uſque cuſtodiunt*. Hactenus ille.

Ac duraſſe quidem hunc morem in Eccleſia Latina uſque ad tempora Beati Leonis, manifeſte ex multorum Patrum ſententiis oſtendi poteſt: quamvis interim verum ſit, quod ſaniores Sacerdotes pro occultis peccatis pœnitentiam publicam nonniſi volentibus imponerent, his qui publicam ferre recuſaſſent, ſola impoſitione & acceptatione ſecretæ ſatisfactionis dimiſſis.

Et hac ſane de cauſa Paulinus Divum Ambroſium laudat, nempe, quod cauſas criminum, quas lapſi ei confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loqueretur, *Bonum* (inquit) *relinquens Sacerdotibus poſteris exemplum, ut interceſſores magis apud Deum ſint, quam accuſatores apud homines*. Loquitur autem Paulinus de criminibus occultis, non manifeſtis. Nam Ambroſium neminem, qui manifeſtum ſcelus admiſiſſet, ſine actione publicæ pœnitentiæ recepiſſe, vel ſolus Theodoſius ille magnus Imperator teſtis eſt, quem publice peccantem, publicæ pœnitentiæ ſubjecit, & ad ſui manifeſtam humilificationem Epiſcopali authoritate coegit.

Sed quid exemplis agimus? D. Auguſtinus lib. de Eccleſiaſt. dogmatibus cap. xxii. non ſolum teſtatur hunc morem, ut videlicet, pro criminibus etiam occultis pœna publica imponeretur, ad ſua uſque tempora in Eccleſia du-

duraſſe, ſed ad eam quoque ſuſcipiendam non ſegniter hortatur.

Quem, inquit, *mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius publica pœnitentia ſatisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni ſociari, ſi vult, non ad judicium & condemnationem ſui, Euchariſtiam percipere.* (Auguſtinus de Eccleſiaſt. dogmatibus cap. 53. & in Joannem tractat. 26.)

Verum ne, qui occulte deliquiſſent, invitos ad publicam pœnitentiam videretur adigere, protinus ſubjecit: *Sed & ſecreta ſatisfactione mortalia crimina ſolvi, non negamus: verum mutato prius ſæculari habitu & confeſſo religionis ſtudio per vitæ correctionem, & jugi, immo perpetuo luctu, miſerante Deo: ita dumtaxat, ut contraria pro his qui pœnitet, agat.* Hactenus ille. Quæ verba quomodo intelligi debeant, infra fiet manifeſtius.

Concilio certe Carthaginenſi III. cui idem B. Pater interfuit, conſtitutum legimus, *ne Epiſcopi crimina occulta confeſſos perderent invitos, aut a ſacris abſtinerent, ne negantibus illis hæc ſe commiſiſſe, Epiſcopi periculo ſe exponerent.* Ex quo ſatis deprehenditur, Epiſcopos, confeſſos gravia crimina, tametſi occulta, ad pœnitentiam publicam cohortatos ſaltem fuiſſe: etſi Concilio viſum ſit, ut non imponerent eam invitis, ne negantibus reis, calumniæ inſimularentur.

Cæterum cum eiſdem temporibus & diu poſtea, uſque in tempora Leonis primi, inter Sacerdotes adhuc reperirentur quidam ſeveriores, qui non ita magna ratione habita ejus quod Carthagini, in provinciali, non generali Concilio conſtitutum erat, putarent adhuc pro criminibus quamvis occultis, pœnitentiam publicam imponendam eſſe: & hac inconſulta ſeveritate fieret, ut multi a pœnitentiæ remediis averterentur, eam ob rem Sanctus Pontifex, cernens tali præcipitio remiſſiori diſciplina occurrendum eſſe, quod jam dudum Nectarius fecerat in Græca, idem fecit in Latina, ſeveritatem hanc in occultis criminibus puniendis, his qui eam detrectarent, remittens, & unumquemque coſcientiæ ſuæ in agenda pro hujuſmodi peccatis pœnitentia, vel publica, vel privata, relinquens.

Extat Decretum in Epiſtola 57. ad univerſos Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum directa, quæ incipit: *Magna indignatione* &c. in hæc verba.

Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovi a quibuſdam illicita uſurpatione commiſſi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri (de pœnitentia videlicet, quæ a fidelibus poſtulatur) *ne de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio publice recitetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicare confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur, tamen quia non omnium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare; amoveatur improbabilis conſuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt aut metuunt inimicis ſuis facta referari, quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tum enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.*

Hactenus Leo, quem manifeſtum eſt loqui de occultis conſcientiarum reatibus, non de publicis peccatis, quæ ut olim, ita ſuo tempore publica pœnitentia expiabantur; uti nunc quoque expiari deberent.

Nam hoc Decreto in Eccleſia nihil fuiſſe mutatum circa impoſitionem publicæ pœnitentiæ pro publicis peccatis, manifeſte conſtat ex Concilio Moguntino, quod multis annorum centenariis poſt Leonem celebratum eſt.

In eo enim *capite decimo* ſic conſtitutum legimus: *Qui publice peccat, oportet ut publica mulctetur pœnitentia, & ſecundum ordinem Canonum pro merito ſuo excommunicetur & reconcilietur*: de quo latius infra ſuo loco dicemus.

Lutheranos hac in re toto Cœlo aberrare.

LUtherani igitur hac in re bis fœdiſſime hallucinantur, cum videlicet putant Nectarium in Eccleſia Conſtantinopolitana, & publicam exomologeſim pro publicis criminibus, & ſecretam ſimul pro occultis peccatis ſuſtuliſſe, & Conſtantinopolitanos ſuos ab omni actione pœnitentiæ externa abſolviſſe. Quando certo certius eſt neutrum ab eo unquam cogitatum, ne dicam factum eſſe: Qui enim Nectarius potuiſſet vel horum alterum abolere, quorum utrumque ex Divina inſtitutione deſcendit? ſciebat ſe poteſtatem ſuam in ædificationem, non in deſtructionem Eccleſiæ accepiſſe.

Certe ſi hoc ipſum quod Lutherani ei, licet falſo, impingunt, feciſſet, tum uno pene verbo totum Evangelicæ diſciplinæ vigorem, atque adeo longe maximum illud donum, nempe Clavium a Chriſto Eccleſiæ relictarum, ſuſtuliſſet; quod de tanto Epiſcopo vel cogitare indignum fuerit.

Igitur eam tamen ſeveritatem qua occulte delinquentes publica pœnitentia percellebantur, ſuſtulit: publicam autem exomologeſim ſeu pœnitentiam pro publicis ſubeundam, & ſecretam pro occultis, ſecundum decretum Sacerdotis peragendam, intactam penitus, ut debuit, reliquit.

Nam utramque hanc non modo in Latina, ſed in Græca Eccleſia poſt tempora Nectarii duraſſe, teſtis eſt locupletiſſimus Divus ille Chryſoſtomus ipſius Nectarii ſucceſſor, *libro* 2. *de Sacerdotio, & Homil. in Matth.* 44. *in Opere Imperfecto*.

Ad hæc ſecretæ & Sacramentalis confeſſionis uſum in Eccleſia Græca ſemper duraſſe, vel hinc manifeſtum eſt, quod totus Oriens Decretis magni illius Concilii generalis Lateranenſis, ſub *Innocentio tertio* celebrati (inter quæ eſt illud Decretum Canonis, *Omnis utriuſ-*

utriuſque ſexus, de pœnitentiis & remiſſionibus) ſubſcripſit. Et rurſus in Concilio generali Florentino ſub Eugenio ejuſmodi confeſſionem juris eſſe Divini, cum Eccleſia Occidentali ingenue confeſſus eſt.

Sola vel incuria, vel inſcitia Præſidum Eccleſiæ, publicam Pœnitentiam jam pene abolitam eſſe.

EX prædictis manifeſte liquet, Pœnitentiam publicam (quam publicorum criminum expiatio requirit) non alia ratione, quam inexcuſabili prorſus negligentia aut imperitia Sacerdotum, in Latina Eccleſia jam in totum pene exoleviſſe: requirere vero vigorem Evangelicum, ut præſentium Præſidum induſtria ac vigilantia, ea in Eccleſiam reducatur, veluti res ſumme neceſſaria, præſertim hoc deploratiſſimo tempore, quando omne flagitiorum genus ita ubique ſine pudore inundat, ut flagitia vix jam pro flagitiis habeantur. Veſtigium tamen ejus, ſed admodum tenue (quod tamen pauci, quo ſpectet, intelligunt) hoc uſque remanſit: nempe quod adhuc numerantur *Caſus* (ut vocant) *reſervati Epiſcopis*, quorum nimirum hæc eſt origo.

Nam ita habet ſecundum veteres Canones, quod ſolis Epiſcopis licet pœnitentes in publica Miſſa reconciliare vel benedicere: Sacerdotibus autem non licet; niſi tamen periclitaretur pœnitens, quando demum licet, conſulto tamen Epiſcopo, modo conſuli poſſit: quæ tamen Sacerdotis reconciliatio, ſi pœnitens ſuperſtes permaneat, Epiſcopali reconciliationi nihil præjudicat, quo minus eam adhuc poſt pœnitentiam a reconvaleſcentia peragendam, requirere ab Epiſcopo oporteat. Quos Canones de publica pœnitentia loqui non dubium eſt, quando alii Canones occultorum criminum, tametſi gravium, aliam eſſe rationem affirment; nempe poſſe Preſbyteros de occultis peccatis, juſſione Epiſcopi, reconcilare pœnitentes infirmantes, abſolvere & communicare. Quando igitur rudioribus Presbyteris olim ea ſæpe dubitatio incidebat, quænam inter publica delicta eſſent tam gravia cenſenda, ut publicam pœnitentiam & Epiſcopalem reconciliationem poſcerent; factum eſt Epiſcoporum providentia, ut ea crimina in Catalogum quemdam redigerentur, ut ſcirent Presbyteri quibus delictis publicis ipſi mederi poſſent, & quæ ad ſuos Epiſcopos pœnitentia publica caſtiganda remittere deberent (*Ex Concilio Carthaginenſi 2. & 3. cap. Si jubet, &c. Miniſtrare, & Can. Presbyter 26. quæſt. 6. Ex Concilio Martini. cap. Qui de corpore, &c. Qui recedenti. & cap. De his.*)

Numerantur autem *Caſus Epiſcopales* hi præcipue: Apoſtaſia (quæ eſt manifeſta a fide defectio) hæreſis, ſchiſmatica pravitas, ſortilegium, veneficium, ſymonia, gravis blaſphemia, perjurium, ſolemnis voti factæque fidei violatio, violenta manuum in parentes vel Clericos injectio, parricidium, homicidium, peccatum contra naturam, ſtuprum virgini illatum, conſtupratio ſanctimonialis, inceſtus, adulterium.

Hæc ſi fuiſſent publice commiſſa, publicam pœnitentiam merebantur, quam nemo alius relaxabat, data reconciliatione publica, quam ſolus Epiſcopus, & propterea vocabantur *Caſus reſervati Epiſcopis*. Sin occulte amiſſa fuiſſent, relaxari poterant per Presbyteros, ſed juſſione tantum Epiſcopi: quod horum etiam occulte commiſſorum enormitas, in modo pœnitentiæ, quamvis ſecretæ, præfigendo, induſtriam non modicam requirere videretur. (*C. Presbyteri 26. quæſt. 6.*)

Non igitur hoc mihi improbatur, quod Epiſcopi præſenti tempore in his *Caſibus*, ſi occulta ſint crimina, faciant Presbyteris pœnitentiam dandi & abſolvendi poteſtatem. Sed quod ſimul illis poteſtatem faciunt, in ejuſmodi *Caſibus*, cum crimina iſta manifeſte commiſſa ſunt, reconciliandi flagitioſos, ante publicam pœnitentiam factam, id an ſecundum veterum Canonum, atque adeo juris Divini ſententiam faciant, aliorum eſto judicium. Certe eo ipſo (ſi quid tamen ipſe intelligo) publicæ pœnitentiæ vigor penitus aboletur, publiceque peccantibus hinc adeo non conſulitur, ut magis incommodetur: ut inferius ex D. Cypriano perſpicuum fiet.

Et ne quis quod de *Caſibus reſervatis* attuli, meum tantum putet eſſe commentum: en Gerſonus Theologus ſane acutus & minime contemnendus, idem jamdudum vidit. Nam non uno in loco eam ſententiam ſibi probari dicit, quæ habet, quod jurium conditores non voluerint Epiſcopis reſervare peccata, niſi publica: Publica autem reſervare voluiſſe, ut qui publico ſcelere totam Eccleſiam commoviſſent contriſtaſſentque, dato gravi ſcandalo, non ab alio, quam totius Eccleſiæ Præſide Epiſcopo, reconciliarentur: cum ob terrorem aliorum, tum quod ſolius Antiſtitis arbitrio menſuram temporis agendæ pœnitentiæ, & qualiter unumquodque crimen emendandum eſſet, relinquendum putarunt.

Non relaxari in Eccleſia gravia crimina, niſi ſatisfactione ſuſcepta & peracta.

IN ſumma hoc conſtat, non relaxari rite per Sacerdotes in Eccleſia gravia a Baptiſmo commiſſa crimina, niſi facta exomologeſi, & peracta publica, ſi publica ſint crimina, vel privata, ſi ſecreta ſint, ſatisfactione, ab ipſis Sacerdotibus, (ea in parte vicem Chriſti gerentibus, eamque virtute divinarum Clavium ab ipſo Chriſto ſuæ Eccleſiæ relictarum, imponentibus) ſuſcepta: quod parabola Evangelica de homine deſcendente ab Hieruſalem in Hiericho, qui incidens in latrones deſpoliatus & plagis impoſitis ſemivivus

vivus relictus est, apertissime demonstratur. Sic enim habet Sanctum Evangelium: *Samaritanus autem iter faciens, venit secus eum, & videns eum, misericordia motus est; & appropians, alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum; & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam ejus egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe.*

Nam quis putas est homo ille, qui descendit ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, nisi peccator, qui ex communione Sanctorum (in qua sola est visio pacis) per peccatum exiens, gratia & favore divino spoliatur, & diabolicis suggestionibus aurem præbens, gravissime vulneratur ad mortem usque (quod peccati stipendium est.) Et quis Samaritanus, qui *custos* interpretatur, nisi *Christus*? qui alligat vulnera & infundit vinum, dum præcipit, *Pœnitentiam agite*: & infundit oleum, dum addit, *appropinquavit enim Regnum Cœlorum*: Qui & spiritualiter vulneratum imponens jumento suo, hoc est reconciliationi factæ in corpore suo super lignum, reducit in stabulum, quæ est Ecclesia præsens, in qua peccatores resipiscentes reficiuntur potu lachrymarum, in mensura: & curam illius agit per spiritum suum, quo cor illius humiliat, conterit & emollit, dum peccatum ejicit: & profert duos denarios, qui sunt duo Testamenta, & dat Stabulario, haud dubium Sacerdoti, qui pro eo, (ut Apostolus ait) legatione fungitur, tanquam Deo exhortante per ipsum, & obsecrante ut peccatores reconcilientur Deo, cui & curam illius demandat, dicens: *Curam illius habe.* Quod quid aliud est, quam ut peritum fe medicum adversus ægrotum præstet? qui videlicet caveat, ne vulneri dum adhuc pus intus est, parcente manu cicatricem obducat; sed potius fecato ei & aperto, fortiorem pœnitentiæ medicimam, dum omnis putredo evacuetur, infundat.

Quid hic dicent Lutherani, qui hanc tam salutarem & necessariam curam ex Ecclesia auferre sunt moliti? quo quid aliud effecere, quam ut saucios & semivivos non attrectato vulnere inani spe lactarent, eaque impletos in mortem æternum duraturam, dum impœnitentes manent, nullosve dignos pœnitentiæ fructus edunt, præcipitarentur?

Et ut manifestius fiat, publica crimina, nonnisi publica pœnitentia in Ecclesia expiari posse vel debere, subjiciam testimonia.

Pœnitentia publica pro publicis criminibus necessaria.

PRimæ Cor. V. *Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes: ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tolleatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Huc quoque spectat illud Apostoli: *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Et illud: *Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium: quosdam autem & subsequuntur.* I. Tim. V. Manifesta præcedunt judicium, idest, de manifestis in Ecclesia judicandum est, & peccantes ejiciendi, donec feria & vera pœnitentia curentur, ne communicemus peccatis alienis, quod paulo ante vetuit, dicens, *neque communicaveris peccatis alienis.*

Vetustissimus Canon est Alexandri Papæ: *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.* Cui consonat Canon illæ Concilii Moguntini supra adductus, quo declaratum est, oportere, ut qui publice peccat, publica mulctetur pœnitentia.

Et ut constet in hoc consensisse Ecclesiam Sanctorum, huc pauca ex innumeris testimonia veterum afferemus.

Omitto satisfactionem publicam, qua Beatissimus Joannes Apostolus Juvenem initiatum, lapsum in latrocinii crimen expiavit. Locus est pulcherrimus Ecclesiasticæ Historiæ lib. 3. cap. 23. in fine.

Omitto Irenæum de muliere delusa per Marcum hæreticum. *Cum fratres*, inquit, *eam magno labore convertissent, omne tempus in exomologesi consummavit, plangens & lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc Mago, corruptelam.*

Venio ad Tertullianum, qui libro de pœnitentia sic inquit: *Quam porro ineptum pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere? hoc est, pretium non exhibere, & ad mercem manum emittere, hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impietatem.* Item: *Exomologesis temporali afflictatione nos dico fruftretur, sed expungat rursus: Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum devire. Itaque nunc pendeo, & maceror, & execrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi.*

Divus Cyprianus, qui hanc sententiam ubique fere asserit, censet eos contra disciplinam Domini, contra præcepta Imperatoris sui, contra censuram divinam & Evangelii legem facere, qui ante actam publice pœnitentiam, reconciliant manifeste Lapsos, lib. 3. Epist. 14. 15. & 16. & Epist. 2. lib. 4. ad Antonianum. Est alius apud hunc hac de re locus admodum insignis & præclarus in Sermone de Lapsis, quem adducere videtur operæ pretium, qui sic habet. *Hæc dico, ut fratres ad precem satisfactionis instigem: Nam cum scriptum sit*, Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant. (Isa. 9.) *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem submittrat, nec comprimit delicta ille, sed nutrit: at qui confliis fortioribus redarguit simul atque instruit, fratrem promovet ad salutem.* Quos diligo, inquit Dominus, redarguo & castigo. (Apoc. 3.) *Sic oportet Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere.*

Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & putredinibus amputatis, medela fortiori curandum.

dum. Vociferetur & clamet licet & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum, cum ſenſerit ſanitatem. Et compellans Coepiſcopos ſuos, inquit: *Fratres dilectiſſimi, emerſit novum genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum, ſub miſericordiæ titulo, malum fallens, & blanda pernicies.*

Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorundam laxatur incautis communicatio; irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam, pœnitentia de pellovibus excuſſa eſt, graviſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegitur.

Ante expiata delicta, ante exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam Sacrificio & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis, pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum: Nec Eccleſiæ *jungitur, *qui ab Evangelio ſeparatur. Quid injuriam beneficium vocant? quid impietatem pietatis vocabulo appellant? quid eis, qui flere jugiter & rogare Dominum ſuum debent, intercepta pœnitentiæ lamentatione, communicare ſe ſimulant?*

Hoc ſunt ejuſmodi lapſis, quod grando frugibus, quod turbidum ſyllus arboribus, quod æmenſis peſtilens naſitas, quod navigiis ſæva tempeſtas. Solatium æternæ ſpei adimunt, arborem a radice ſubvertunt, ſermone morbido ad Lethale contagium ſerpunt, navem ad ſcopulos, ne in portum perveniat, illidunt.

Non concedit pacem facilitas iſta, ſed tollit: nec communicationem tribuit, ſed impedit ad ſalutem. Perfecutio eſt hæc alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnandis adhuc laſſis occulta populatione graſſatur, ut lamentatio conquieſcat, dolor ſileat, ut delicti memoria evanéſcat, comprimatur pectorum gemitus, ſtatuatur fletus oculorum, ne Dominum, graviter offenſum, longa & plena Pœnitentia deprecetur. Cum ſcriptum ſit: Memento unde exciderís, & age Pœnitentiam (Apoc. 2. 5.) *Nemo ſe fallat, ſe nemo decipiat.* Hactenus D. Cyprian.

D. Ambroſ. de Pœnitentia publica ſic ait: *Fleat pro te Mater Eccleſia, & culpam tuam lacrymis lavet.* (Ambr. lib. 1. de Pœnit.) Item; *Volo veniam reus ſperet, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur, obſecret; & cum fecundo & tertio fuerit dilata ejus communio, credat remiſſius ſe ſupplicaſſe, fletus ſæpeat miſerabilior, poſtea revertatur, teneat pedes brachiis, oſculetur oſculis, lavet flectibus, nec dimittat, ut de ipſo dicat Dominus Jeſus:* Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Luc. 7.*

Apud D. Hieronymum locus pulcherrimus & inſignis eſt in Fabiola: totum locum non recito, quia paulo prolixior eſt. Laudat Fabiolam, quod poſt lapſum ad Chriſtum converſa, manifeſte pœnituerit, quod faccum induerit, quod errorem publice fateretur, & tota urbe ſpectante Romana, ante diem Paſchæ, in Baſilica quondam Laterani (quæ Cæſariano truncatus eſt gladio) ſtaret in ordine Pœnitentium, Epiſcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida, & ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret. *Quæ peccata*, inquit, *fletus iſte non purget? quas inveteratas maculas hæc lamentatio non abluat?* Et poſtquam Pœnitentiam ejus contuliſſet cum publica Pœnitentia Petri, Aaronis, David, Achab, Manaſſis, Ninivitarum, & Publicani pectus pugnis verberantis, poſtea ſubjicit: *Dico Pœnitentiam illam, hoſtiam Domino eſſe placabilem, & Sacrificium Deo ſpiritum contribulatum; Et*, Malo Pœnitentiam peccatoris, quam mortem. *Et*, exurge, exurge Hieruſalem. *& multa alia, quæ Prophetarum clangunt tubæ.*

Hoc unum loquor quod & legentibus utile ſit, & præſenti cauſæ conveniat: Non eſt confuſa Dominum in terris, & ille eam non confundet in Cœlo. Aperuit cunctis vulnus ſuum, & decolorem in corpore cicatricem ſtens Roma conſpexit, diſſuta habuit latera, nudum caput, clauſum os. Non eſt ingreſſa Eccleſiam Domini, ſed extra caſtra cum Maria ſorore Moſi ſeparata conſedit, ut quam Sacerdos ejecerat, ipſe revocaret: deſcendit de ſolio deliciarum ſuarum, accepit molam, fecit farinam, & diſcalceatis pedibus tranſivit fluenta lacrymarum: ſedit ſuper carbones ignis, hi ei fuere in adjutorium, faciem per quam ſecundo viro placuerat, verberabat, oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat. Sic dolebat, quaſi adulterium commiſiſſet, & multis impendiis medicaminum unum vulnus ſanare cupiebat: Hactenus ille.

Divus Auguſtinus in Enchiridio, *capite 65.* ſic ait: *Neque de ipſis criminibus, quamlibet magnis, remittendis in Sancta Eccleſia Dei deſperanda eſt miſericordia agentibus pœnitentiam, ſecundum modum ſui cujuſque peccati.*

Et paulo poſt: *Verum, quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcunque alia ſigna procedit, cum ſit coram illo cui dicitur:* Gemitus meus a te non eſt abſconditus; *relle confituumur ab his, qui Eccleſiæ præſunt, tempora pœnitentiæ, ut etiam ſatisfiat Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata: Extra eam quippe non remittuntur. Ipſa namque proprie Spiritum Sanctum pignus accepit, ſine quo non remittuntur peccata. Ita ut, quibus dimittuntur, conſequantur vitam æternam.* Et cap. ſequenti docet, quod hæc remiſſio poſt peractam publicam pœnitentiam fiat propter futurum judicium; ſignificans peccatum grave, etſi hic per cordis dolorem remittatur, quod ad culpam attinet, non remitti tamen quoad pœnam, niſi peracta pœnitentia.

Et dato hujus exemplo in parvulis, qui tametſi ab omni culpa per lavacrum regenerationis abluti ſint, diverſorum nihilominus adhuc malorum afflictione cruciantur (quæ eſt peccati originalis poſt Baptiſmum remanens pœna in renatis) ſubjicit: *Multa mala hic videntur ignoſci, & nullis ſuppliciis vindicari; ſed eorum pœnæ reſervantur in poſterum* (*neque enim fruſtra ille proprie dicitur dies Judicii, quando venturus eſt Judex vivorum & mortuorum.*) *Sicut e contrario vindicantur hic aliqua*

& tamen ſi remittuntur, profecto in futuro ſeculo non nocebunt: propterea de quibuſdam temporalibus pœnis, quæ in hac vita peccantibus irrogantur eis, quorum peccata delentur, ne reſerventur in finem: ait Apoſtolus: Si enim nos ipſos judicaremus, a Domino non judicaremur. Cum judicamur autem a Domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. *Haſtenus ille in loco jam citato.*

Qui & in capitibus ſequentibus ex hoc aſtruit, neceſſario ſtatuendum eſſe Purgatorium, in quo luantur pœnæ ab his, quos peccatorum ante mortem pœnitet, quæ tamen non ſunt expiata in hoc ſeculo per pœnitentiæ actionem.

Idem lib. de continentia cap. 6. *Non permittit Deus impunita peccata, etiam in eis, quos a ſupplicio ſempiterno remiſſione liberat peccatorum: Nullus quippe debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, niſi qualemcumque longe minorem quam debuit ſolverit pœnam, atque ita impertitur largitas miſericordiæ, ut non relinquatur etiam juſtitiæ diſciplina.*

Idem Sermo 57. de tempore: *Parum eſt peccatorum pœnitere, niſi pœnitentiam peregerit; ad emendandum enim crimina vox pœnitentis non ſola ſufficit. Nam in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantum, ſed opera quæruntur.*

Idem alibi: *Agite* (inquit) *pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia Dei, ut pro vobis oret Eccleſia. Nemo dicat ſibi, occulte ago, apud Deum ago, novit Deus* (*qui mihi ignoſcit*) *quæ in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, quæ ſolveris in terra, erunt ſoluta & in cœlo. Ergo ſine cauſa claves datæ ſunt Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium Dei, fruſtramus verbum Chriſti? Si promittimus vobis, quæ ille negat, nonne vos decipimus?*

Et quid attinet ex hujus ſanctiſſimi & doctiſſimi Antiſtitis monumentis in hanc ſententiam plura afferre, quando apud hunc tam frequens eſt diſtinctio triplicis actionis pœnitentiæ in Eccleſia uſitatæ? Unius, quæ agitur ante Baptiſmum ab adultis, quod nemo poſſit vitam inchoare novam, niſi quem veteris pœnituerit. Alterius, quæ quotidiana eſt, pro his peccatis, quæ humanæ fragilitati, quamvis pauca, tamen crebro ſubrepunt. Tertia pro peccatis, quæ lethali vulnere ſauciant peccatorem. De hac poſtrema ſic habet *Epiſt. cap.* 8. ad Seleucianam: *Agunt* (inquit) *etiam homines pœnitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur, ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi, qui proprie* Pœnitentes *appellantur.*

Et lib. 50. homiliarum, Homilia 50. inter alia de hac tertia actione pœnitentiæ ſic ait: *Implicatus ergo tam mortiferis vinculis peccatorum, detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas claves Eccleſiæ, quibus ſolvatur in terra, ut ſit ſolutus in cœlo; & audet ſibi poſt hanc vitam* (*quia tantum Chriſtianus dicitur*) *ſalutem aliquam polliceri?* Et paulo poſt: *Judicet ergo ſeipſum homo in iſta voluntate, dum poteſt, & mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur: Et cum in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, & tamquam bonus incipiens jam eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, a Præpoſitis ſacrorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, ut in offerendo Sacrificio cordis contribulati devotus & ſupplex, id tamen agat, quod non ſolum illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum: ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam non reſtat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit tamen ſemper*, quod ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. (Jacob. 4.) *Quid eſt enim infelicius, quid perverſius, quam de ipſo vulnere, quod latere non poteſt, non erubeſcere; & de ligatura illius erubeſcere?* Hactenus ille.

Hæc Homilia quinquageſima: Ita olim placuit piis ac doctis viris, ut ex ea ſpecialem librum fecerint, indito nomine, De Pœnitentiæ medicina. Qui plura de hujus pœnitentiæ publicæ actione apud Auguſtinum requirit, legat Tractatum de utilitate pœnitentiæ.

Memoratis ſanctiſſimis Patribus ſubſcripſit magnus ille Leo Epiſt. 69. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum in hæc verba: *Mediator Dei, & hominum homo Jeſus Chriſtus, hanc Præpoſitis Eccleſiæ dedit poteſtatem, ut Pœnitentibus pœnitentia ſatisfactionem darent, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Sanctus denique Gregorius in cap. 16. Job. cap. 4. *Magna* (inquit) *prædicationis arte agendum eſt, ut qui ex aperta correptione deteriores ſunt, quaſdam temperamento correptionis ad ſalutem redeant.* Et poſt pauca: *Sed hic de occultis pœnitentium delictis loquimur: Nam quando & aliis cognoſcentibus peccatur, aliis etiam cognoſcentibus increpandi ſunt: ne ſi prædicator tacet, culpam approbaſſe videatur, atque hæc creſcens, in exemplum veniat, quam Paſtoris lingua non ſecat.*

Idem Epiſt. 31. lib. 12. *Nec hoc quoque in hac parte ſollicitudinis relinquimus, quod omnes inceſtuoſi a liminibus Sanctæ Eccleſiæ ſint ſeparandi, quouſque per ſatisfactionem precibus Sacerdotum, eidem Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ reconcilientur: Sunt enim mali ſegregandi a bonis, iniqui a juſtis, ut ſaltem rubore ſuo conſcientias ſuas recognoſcant, & convertantur a pravitatibus ſuis. Et ſi incorrigibiles apparuerint, ſegregentur a fidelibus uſque ad ſatisfactionem. Juxta Salvatoris Domini ſententiam, qua inter cætera, de peccante in fratrem præcipiendo ait*: Si peccaverit in te frater, &c. Quod ſi non audierit, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. (Matth. 18.) *His ergo, & aliis multis Sanctorum Patrum authoritatibus ſegregandi ſunt boni a malis, ne pereant juſti pro injuſtis, ſicut ſcriptum eſt*: Perit pius pro impio. (Eccleſ. 7.) *Debet enim diſcretio fieri inter bonos & malos, ſicut eſt inter hœdos & oves.*

Ma-

Manifeſta quoque peccata non ſunt occulta correctione purganda, ſed palam ſunt arguendi qui palam nocent; ut dum aperta objurgatione ſanantur, ii qui, eos imitando deliquerant, corrigantur: dum enim unus corripitur, plurimi emendantur. Et melius eſt, ut pro multorum ſalute unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur.

Nec mirum ſi inter homines hæc ratio cuſtoditur, cum & inter jumenta hoc fieri perſæpe cognovimus, ut ea quæ ſcabiem vel impetiginem habere videntur, ſeparentur a ſanis, ne illorum morbo ſana inquinentur, & pereant. Hactenus Gregorius.

Unum tantum adhuc teſtimonium addam ex Ruperto illo Tuitienſi in Levit. Cap. 26. ſui Commentarii, quod mire cum teſtimonio D. Gregorii quadrat. *Non ſibi* (ioquit) *contraria eſt lex ſancta, quam hodieque Chriſti tenet Eccleſia: nam latentem peccati cauſam, ſecreta confeſſione proditam, gaudenter intra veniæ januas; deprehenſa vero per alium cognita crimina, non ſolum forenſe tribunal, ſed & Synodica irrecuperabiliter plectit ſeveritas. Nam illud* (nimirum forenſe Tribunal) *vita, hæc autem Eccleſiaſticis honoribus reos privat.* Hucuſque Rupertus, qui intra annos quadringentos, plus minus, vixit.

Hæc de neceſſitate publicæ pœnitentiæ ob publica crimina imponendæ, adduxiſſe ſufficerit.

Nec privata, aut occulta crimina ſine congrua ſaltem ſecreta ſatisfactione dimitti.

ORigenes ſuper Leviticum. *Si quis* (inquit) *ſibi conſcius eſt, quod habeat intra ſe peccatum, neque id per Pœnitentiam pleniſſimæ ſatisfactionis abjicit, non ſperet, quod intret Chriſtus ad animam ejus, qui ad omnem animam defuncti non intrat, quia magnus Sacerdos eſt.*

Cyprianus in Sermone de lapſis, ſic ait: *Denique quanto & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo Sacrificii, aut libelli, facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe*; Deus non irridetur (Galat. 6.)

Pulcherrimus quoque locus eſt apud D. Baſilium in Regula Monach. cap. 21. quem non tranſcribo, quia longiuſculus eſt.

Beatus Burchardus Wormacienſis ille Epiſcopus lib. Decretorum cap. 60. hanc ex Divo Auguſtino ſententiam citat: *Quiſquis ergo malorum operum ſine condigna pœnitentia quemquam veniam a Deo percipere poſſe dixerit, penitus errat: & cum deceptus, alios decipere feſtinat, duplici noxa conſtringitur, hoc eſt, proprii erroris, & alienæ deceptionis.*

Non nego fieri poſſe, ut Deus dimittat etiam his, qui publice enormiter peccaverunt, ſi decedant corde contrito, licet pœnitentia non peracta: verum ajo cum Ambroſio, tales non exire hinc ſecuros: *Agens* (inquit) *pœnitentiam, dum ſanus eſt, & reconciliatus, ſi poſtea bene vixerit, ſecurus eſt; agens vero pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, ſi exierit, an ſecurus hinc exeat, ego non ſum ſecurus.*

Divus itidem Auguſtinus Sermone 57. de tempore ſic ait: *Datur etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari: ſed authores tamen eſſe non poſſumus, quod, qui ſic pœnituit, mereatur abſolvi. Quomodo pœnitentiam agere poſſet, qui nulla pro ſe opera ſatisfactionis operari poteſt?* Hactenus ille.

Qui quoque Beatus Pater, ut Poſſidonius in vita ejus enarrat, docere ſolebat, poſt perceptum Baptiſmum, etiam laudatos Chriſtianos, & Sacerdotes abſque digna, & Competenti pœnitentia exire de Corpore non debere. Quapropter & ipſe ante obitum ſuum (ut ille ait) pœnitentiam egit, ſed Sacerdote dignam.

Ritus dandæ, & agendæ Pœnitentiæ publicæ.

HEbdomada priori ante initium quadrageſimæ, Presbyteri Plebium convocent ad ſe Populum, & diſcordantes Canonica authoritate recoocilient, & omnia jurgia ſedent; & tunc primum confitentibus Pœnitentiam dent, ita ut antequam caput jejunii veniat, omnes confeſſi, pœnitentiam acceptam habeant, ut liberius Deo dicere poſſint: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* (Ex lib. Ordinis Eccleſiæ Romanæ.)

In capite Quadrageſimæ omnes Pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo Civitatis ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis, reos ſe eſſe, ipſo habitu, & vultu proclamantes. Ibi adeſſe debent Decani, Archipresbyteri Parochiarum, Presbyteri Pœnitentium, qui eorum converſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundum modum culpæ, Pœnitentiam per præfixos gradus injungant. Poſt hæc Epiſcopus in Eccleſiam eos introducat, & cum omni Clero, ſeptem Pœnitentiæ Pſalmos in terram proſtratus cum lacrymis pro eorum abſolutiooe decantet. Tunc reſurgens ab Oratione, juxta quod Canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam ſuper eos ſpargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu, & crebris ſuſpiriis eis denuntiet, quod, ſicut Adam projectus eſt

de

de Paradiſo, ita & ipſi ab Eccleſia pro Peccatis abjiciuntur. Poſt hæc jubeat, & imperet Miniſtris, ut eos extra januas Eccleſiæ expellant: Clerus vero proſequatur eos cum Reſponſorio: *In ſudore vultus tui vescēris pane tuo &c.* Ut videntes Sanctam Eccleſiam pro facinoribus ſuis tremefactam atque commotam, non parvipendant pœnitentiam. In Sacra autem Domini Cœna, rurſus eb eorum Decanis, & eorum Presbyteris Eccleſiæ liminibus repræſententur. (Ex Conc. Agaten. ca. in cap. 50. diſtin.)

Pœnitentes, quo tempore Pœnitentiam petierint, impoſitionem manuum & cilicium ſuper capita a Sacerdote, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur. Si autem comas non depoſuerunt, aut veſtimenta non mutaverint, abjiciantur.

Quod autem Perſonas attinet, quibus Pœnitentia imponitur, hæc tenenda ſunt: Primum, quod in indicenda Pœnitentia, nulla perſonarum habeatur acceptio. Deinde, quod nullus Epiſcopus alterius Pœnitentem recipiat, vel reconciliet. Quantum autem ad qualitatem Pœnitentiarum imponendarum pertinet, hoc velut quoddam generale noſce oportet, quod diverſitas culparum diverſitatem facit pœnitentiarum. Nam ut Corporum Medici diverſa medicamenta componunt, ut aliter vulnera, aliter morbum, aliter tumores, aliter putredines, aliter caligines, aliter confractiones, aliter combuſtiones curent: ita & ſpirituales Medici diverſis curationum generibus animarum vulnera ſanare debent.

Sed quia hoc paucorum eſt ad purum ſcilicet cuncta cognoſcere, & curare, & mederi, ac in integrum ſaluris ſtatum lapſos revocare: ideo admonentur docti quique, & pii Sacerdotes Chriſti, ut non ex ſuo ſenſu, ſed aut ſecundum ſacrarum Scripturarum authoritatem, aut Sacrorum Canonum inſtitutiones, & Patrum traditiones, univerſa diſponant, & conditionem utriuſque ſexus, ætatem, paupertatem, cauſam, ſtatum, perſonam cujuſque Pœnitentiam agere volentis, ipſum quoque cor Pœnitentis inſpiciant; & ſecundum hæc, uti ſibi viſum fuerit, veluti ſapientes Medici, ſingula quæque dijudicent. Pro quibuſdam tamen culpis modi ſunt impoſiti; juxta quos cæteræ perpendendæ ſunt culpæ: cum ſit facile per eoſdem modos vindictam & cenſuram Canonum æſtimare. Nam qui Canonum ignari, peccatis gravibus leves quoſdam, & inſuetos imponunt modos, *conſuunt pulvillos*, ſecundum prophetiçum ſermonem, *ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas* (Ezech. 18.)

Quare diſcretione magna opus eſt, & hæc in primis ſervanda venit inter Pœnitentes publice & abſconſe. Enim vero oportet, ut ſupra dictum eſt, ut qui publice peccat, publica mulctetur pœnitentia, & ſecundum ordinem Canonum pro merito ſuo excommunicetur, & reconcilietur.

His vero, qui clam graviora ſcelera admiſerunt, eaque confeſſi ſunt, etſi non injungere invitis, indicare tamen ſaltem debent Sacerdotes remedium Canonicum, quod ſubire debuiſſent, ſi eorum facinora publicata fuiſſent. Quum vero lateant admiſſa, conſilium eis dabunt, ut ſaluti animæ ſuæ occulta pœnitentia conſulant; hoc eſt, ut veraciter ex corde, ſi graviter ſe deliquiſſe cognoſcant, & per jejunia, & eleemoſynas, vigiliaſque, ac ſacras orationes cum lacrymis ſe purgare contendant, ut ſic ad ſpem veniæ, per miſericordiam Dei, ſe perventuros confidant.

Menſuram autem temporis in agenda pœnitentia idcirco non ſatis aperte præfigunt Canones pro unoquoque crimine, ut de ſingulis dicant, qualiter unumquodque emendandum ſit; ſed magis in arbitrio Antiſtitis intelligentis relinquendum ſtatuunt, quia aud Deum non tam valet menſura temporis, quam doloris; nec abſtinentia tantum ciborum, quantum mortificatio vitiorum; propter quod tempora pœnitentiæ fide, & converſatione pœnitentium abbrevianda præciſiunt, & negligentia protrahenda exiſtimant.

Hinc eſt, quod antiqui Canones volunt imponi pœnitentiam nunc annalem, nunc triennalem, nunc quadriennalem, nunc ſexennalem, nunc ſeptennalem, & id quidem crebrius pro criminibus enormibus. Et pro ſupra modum horrendis, & fœdiſſimis nunc decennalem, nunc quindecennalem, nunc viçennalem, nunc annorum 25. Quin interdum reconciliationem, & Communionem uſque ad exitum vitæ ſuſpendunt; interdum, nec in finem reos ad Communionem ſuſcipiunt, ne luſiſſe de Dominica Communione videantur; ut tamen interim infinitæ miſericordiæ Dei nihil præjudicent, quemadmodum cum ex aliis, tum ex Ancyrano, Nicæno, & Elibertino Conciliis videre eſt (Elibertin. Conc. 1. 2. 3. 6., & aliis multis ſequentibus: Cyprianus Ep. 2. l. 4. ad Antonian.)

Quibus etiam indicatur, qui fuerint olim gradus præfixi, per quos pœnitentia imponebatur. Nam quando olim ſacris ob Myſteriorum reverentiam nonniſi rhundis (qui *plebs ſancta* dicebatur) intereſſe licebat, magnum erat inter homines diſcrimen habendum.

Erant itaque qui dicebantur *Audientes*, qui tantum ad Audiendum Verbum Dei admittebantur, quorum Claſſis latiſſime patebat, quod ab Audiendo Verbo Dei nullus mortalium ſecluderur, ne Judæus quidem, vel Ethnicus, vel Hæreticus, vel Schiſmaticus: imo nec excommunicatus, vel anathematizatus. Non ignoro tamen Catechumenos hoc nomine in veteribus Canonibus crebrius ſignificari.

Catechumenis præter auditionem Verbi, licebat intereſſe ſacris uſque ad oblationem, quando Diaconus ſucclamabat, *Catechumeni diſcedant*.

Erant *Energumeni*, qui prius quidem ſacris participaverant, ſed poſtea in graviſſimas tentationes incidentes, a Dæmonibus vexabantur, dicti, ut & ſupra annotatum eſt, *Exergumeni*, quod terriculamentis Spirituum immundorum relicti veluti tempeſtate quadam jactabantur, quibus manus ab Exorciſtis cum adjurationibus imponebantur.

His

His ſuccedebat Pœnitentium Ordo, quibus certus in Eccleſia ſtandi locus deputatus erat: ſed horum quidam cum *plebe ſanctâ*, tantum in Oratione, non autem in Euchariſtia, vel oſculo communicabant: quidam in oſculo & Euchariſtia, ſed tamen adhuc ſine Oblatione: quidam denique cum Oblatione, qua Communione Oblationis reſtituta, Pœnitentes plenariam reconciliationem conſequebantur.

Qualis autem hæc Communio Oblationis (quæ & perfecta dicitur) fuerit, in Eliberitino Concilio declaratur. Nam olim omnes Chriſtiani ad Miſſarum ſolemnia aliquid, & in primis panem, & vinum offerebant, ex quibus conficerentur Corpus, & Sanguis Domini, & offerentium nomina cum Oblatione ad Altare ſuo loco recitabantur, qui & eatenus ſimul cum Sacerdote Sacrificium Altaris offerre Deo cenſebantur. Unde adhuc dicitur in Canone Miſſæ: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum N. N. pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.*

Hac igitur Oblationis, & nominum recitationis Communione, cenſebantur indigni Pœnitentes, qui nondum hanc pœnitentiæ perfectionem eſſent aſſecuti.

Quare qui pœnitentiæ ob graviſſima crimina addicebantur, prioribus annis graviori afflictatione, & humiliatione gravabantur. Nam primum omnium deputati inter *Audientes* relegabantur extra Eccleſiam, ut tempore Sacrorum ſtarent ante Eccleſiæ fores, & orarent, ingredientemque populum ſua humiliatione ad precandum pro eis Dominum flecterent.

Deinde admittebantur in Eccleſiam communicaturi in Oratione tantum cum Catechumenis, qui ante Oblationem Sacerdotis (ut dictum eſt) Eccleſia excedere cogebantur. Vel cum Energumenis poſtea admittebantur ad Orationem cum *plebe ſanctâ*, ſed præter Communionem in Euchariſtia & oſculo, poſt hæc reſtituebatur eis Communio in Euchariſtia, demum plena communio cum Oblatione.

Cæterum quod de Pœnitentibus relegatis extra Eccleſiæ fores jam dictum eſt, ita habebat, ut tamen iſti ſemel in anno ad diem Cœnæ Dominicæ (qui *dies reconciliationis* dicebatur) reciperentur intra Eccleſiæ januas, inter quas tantum ſtarent, ab eo die uſque ad octavas Paſchæ, non tamen communicabant cum aliis in oſculo, & Euchariſtia. Octava vero Paſchæ exacta, rurſus Eccleſiam exibant uſque ad memoratum Cœnæ Dominicæ diem anni ſequentis; idque fiebat tantiſper per annos ſequentes, donec redderetur ipſis Eccleſiæ ingreſſus, & Communio, vel Orationis tantum, vel oſculi & Euchariſtiæ, vel denique plenaria cum Oblatione.

Hic mos veteris Eccleſiæ cum ignoratur, impoſſibile eſt veterum Conciliorum, & Sanctorum Patrum Canones intelligere, unde ob hujus moris ignorantiam, tam fœde ſæpe hallucinantur Canonum interpretes.

Quo res exemplo fiat manifeſtior, in Ancyrano Concilio, qui minis tantum pœnarum, aut privatione facultatum, aut deportatione territi, Idolis ſacrificaſſent, & converſi ſe obtuliſſent, hi uſque ad *Magnam Diem* (quo puto *Diem Cœnæ Domini*, aut *Paſchatis* ſignificari) inter *Audientes* ſuſcipiebantur, & poſt *magnam Diem* triennio pœnitentiam agebant, & poſt duos alios annos ſine Oblatione communicabant, & ſic demum ſex annis completis, ad perfectum veniebant.

Quod ſi qui inventi fuiſſent fœdiſſimum crimen cum pecoribus commiſiſſe, aut more pecudum cum propinquis ſanguinum ſe commiſcuiſſe, admiſſi ad Communionem Orationis, inter eos tantum orabant, qui Spiritu pericliantur immundo, hoc eſt, inter Energumenos. Nec mirum, quod D. Dionyſius *Lib. Eccleſ. Hierarch. cap. 3. parte 3.* Energumenos his, qui contrariis aut voluntatibus, fœdiſque libidinibus, aut perturbationibus obnoxii ſunt, ſuperiores faciat. Nicolaus Papa I. vir doctus, pius, & zeloſus, matricidæ eam impoſuit pœnitentiam, ut per annum integrum Eccleſiam non ingrederetur, ſed ante fores Baſilicæ ſtans, orans, & deprecans Deum perſeveraret, ut tanto eripiatur piaculo.

Completo anni circulo, introeundi in Eccleſiam licentiam haberet: ſed ſtaret inter *Audientes*, & nondum communicaret. Completis vero trium annorum curriculis, ſacræ Communionis gratia ei concederetur. Oblationes vero non offerret, niſi prius aliorum ſeptem annorum curricula explerentur. (Nicolaus I. cap. latorem præſ. 43. q. 2.)

Idem Burgundum quendam, qui collectis Militibus Domini templum invaſerat, & ſacrum Altare, ſacraque Dominici Corporis, & Sanguinis Vaſa, inſuper & Sacrum Chriſma pollutis arripere manibus, quaſi vilia, & ad uſum communem apta, præſumpſerat, hoc pœnitentiæ vinculo conſtrinxit, ut anno extra Eccleſiam Dei conſiſteret, cujus ſacratiſſima Vaſa extra ritum fidei Chriſtianæ, diripiendo, auferre non dubitaſſet. 2. vero anno ante fores Eccleſiæ ſine Communione maneret. 3. vero anno Eccleſiam Dei ingredi, & inter *Audientes* aſtare ei liceret ſine Oblatione, ſed non manducare carnem, neque bibere vinum, præterquam in nativitatis, & Reſurrectionis Dominicæ diebus. 4. præterea anno, ſi his tribus prioribus annis fructuoſus fuiſſet pœnitentiæ labor, communioni fidelium reſtitueretur, modo tota mentis intentione ſponderet, talia ſe ulterius nunquam facturum, ita ut tum Corpus, & Sanguinem Domini percipere ex indulgentia demum poſſet. Poſtea ad ſeptimum uſque annum tribus in Hebdomada diebus ſine eſu carnium, & vini potatione pœnitens jejunaret. (c. de viro 12. q. 2.)

Ex more Veteris Eccleſiæ pœnitentia publica non reiterabatur.

NEc hoc ignorandum eſt, hanc publicam pœnitentiam pro gravioribus criminibus ſecundum veteris Eccleſiæ morem ſemel tantum, aut pluſquam ſemel rariſſime concedendam eſſe, ne tam ſalutaris medicina reiteratione in contemptum veniat, & eviléſcat. Unde Origenes Hom. 15. in Leviticum ſic inquit. *In gravioribus criminibus ſemel tantum vel raro pœnitentiæ conceditur locus. Iſta vero communia, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur.*

Cui ſubſcribens Ambroſius lib. 2. de pœnitentia cap. 10. ſic ait: *Merito reprehenduntur, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto. Nam ſi vere agerent pœnitentiam, iterandam poſtea non putarent: quia ſicut unum Baptiſma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati; ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum*: Et cap. ſeq. ait: *Quæ ſi ſemel fuerit uſurpata, nec jure celebrata, nec prioris obtinet fullum, & uſum auſert poſterioris.*

Neque tamen hinc exiſtimandum eſt, quod Eccleſia relapſis in ſimilia, vel graviora crimina, publicam iterandæ pœnitentiæ actionem denegando, eo ipſo ſimul omnem ſpem præſcindat veniæ conſequendæ a Deo, qui non oblivíſcitur unquam miſereri vere tamen & ex animo reſipiſcentibus. Cæterum, cum ipſi Eccleſiæ ejuſmodi hominis tam fæde relabentis, animus merito ſuſpectus ſit, non putat per indulgentiam iterationis hujus publicæ actionis, præbendam eſſe his, qui ſemel publice pœnituiſſent, relabendi occaſionem; quemadmodum aduc D. Auguſtinum Epiſt. 54. videre eſt, ubi ſic inquit:

In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam poſt actam pœnitentiam, poſt Altaeis reconciliationem vel ſimilia, vel graviora committant, & tamen Deus facit ſuper tales oriri ſolem ſuum, nec minus tribuit, qui ante tribuebat largiſſima munera vitæ, ac ſalutis. Et quamvis eis in Eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur; Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non oblivíſcitur. Ex quorum numero ſi quis nobis dicat: Aut date mihi eumdem iterum pœnitendi locum, aut deſperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, & humanis legibus non prohibeor, in ſcortis omnique luxuria, damnabili quidem apud Dominum, ſed apud homines pleroſque etiam laudabili: Aut ſi me ab hac nequitia revocatis, dicite utrum mihi aliquid proſit ad vitam futuram, ſi in iſta vita illecebroſiſſimæ voluptatis blandimenta contempſero, ſi libidinum incitamenta frenuero, ſi ad caſtigandum corpus meum multa etiam mihi licita & conceſſa ſubtraxero, ſi me pœnitendo vehementius, quam prius, excruciavero, ſi miſerabilius ingemuero, ſi flevero uberius, ſi vixero melius, ſi pauperes ſuſtentavero largius, ſi charitate (*quæ operit multitudinem peccatorum* 1. Pet. 4.) flagravero ardentius: *quis noſtrum ita deſipit, ut huic homini dicat*: Nihil tibi iſta proderunt impoſterum, vade, ſaltem vitæ hujus ſuavitate perfruere? *Avertat Deus tam immanem ſacrilegamque dementiam. Quamvis ergo caute ſalubriterque proviſum ſit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis, minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit; quis tamen audeat dicere Deo*: Quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtringit, adhuc iterum parcis? *Quis audeat dicere ergo iſtos non agi quod* (Rom. 2.) *Apoſtolus ait*: Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? *Aut iſtis exceptis eſſe definitum quod ſcriptum eſt*: Beati omnes qui confidunt in eum? *Aut ad iſtos non pertinere, quod dicitur*: Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes, qui ſperatis in Dominum? *Cur igitur ſuper peccatores tanta ſit patientia, tanto miſericordia Dei, ut in hac temporali vita moribus emendatis, non damnentur in æternum, qui nullius, quæ ſibi præbeatur, expectat miſericordiam, quoniam nemo eſt illo beatior, nemo potentior, nemo juſtior; quales nos eſſe oportet, homines ergo homines, qui hanc vitam noſtram quantacumque laude commendemus, eam ſine peccato eſſe non dicimus? Quod ſi dixerimus, nos ipſos, ſicut ſcriptum eſt, decipimus, & veritas in nobis non eſt.* Hactenus Auguſtinus.

Quod vero quidam ad Canones, hac de re varie, ut apparet, loquentes, conciliandos, putant triplicem Pœnitentiam conſtituendam eſſe: ſolemnem, publicam, & privatam; ſolemnem non repeti: Publicam, ut privatam, iterari poſſe; id an ullius veteris Canonis authoritate cumprobari poſſit, mihi ſane non liquet. Ego, ut quod ſentio, dicam, puto Canones antiquos inter pœnitentiam publicam & ſolemnem nullam feciſſe differentiam, ſed generaliter obtinuiſſe, publicæ pœnitentiæ actionem non iterari, niſi quod quandoque legimus id factum eſſe, licet quam rariſſime, & tum nonniſi ex maxima cauſa. Veluti ſi Eccleſiæ Præſides conſideraſſent ex denegatione iterationis futurum, ut relapſus ad deſperationem quamdam adigeretur. Aut ſi compertum habuiſſent, iterationem ſeriis gemitibus expetitam magis pro ædificatione Eccleſiæ futuram, quam ut quemquam offenderet.

Hæc de ritu dationis publicæ pœnitentiæ tam late digeſſi, non quod exiſtimem, quum uſus ejus in Eccleſiam recipietur, oportere omnia hæc, ut olim, adamuſſim obſervari, cum nec præſens Eccleſiæ facies, quæ ſe paulo aliter habet quam veteris, hoc admitteret (nunc enim non habemus elaſſes illas Catechumenorum, cum nunc pauci admodum adulti apud nos baptizentur, nec Energumenorum.) ſed ut cognito veteris Eccleſiæ

leſiæ more, & intellectis ſacris Canonibus de hac re loquentibus, excogitetur nunc forma aliqua noſtris apta temporibus, quæ tamen a veteris Eccleſiæ ſententia quam minimum (etſi aliquantulum in ritibus, qui aliquando pro tempore publica authoritate intercedente, variantur) diſſentiat.

Certe publicæ pœnitentiæ exſolutio, pro publicis criminibus, jure divino debetur. Verum indictionis modus & temporum menſura, in prudentum Eccleſiæ Præſidum arbitrio, ſemper ſtetit. Quibus cum placuerit de hac re conſtituere, dabit quoque Deus conſilium, ut facile talis aliqua forma pœnitentiarum indictionis inveniatur a noſtris temporibus non prorſus abhorrens, quæ videtur affigenda agendis, cum ex priſtino nitori reſtitutæ, ſemel quandoque prodibunt.

Non deſperandum de reductione publicæ Pœnitentiæ in Eccleſiam.

SUnt, qui deſperant Populum hoc tempore ad ſeveras illas publicæ pœnitentiæ leges (qui *Canones Pœnitentiales* dicuntur) poſſe adſtringi, & alligari: & proinde de reinſtauratione publicæ pœnitentiæ fruſtra diſputari. Exiſtimant enim populum præſenti ſeculo *& Fide, & Charitate* nimis languere, ut non videatur unquam hunc rigorem recepturus. Verum mihi longe alia mens eſt: equidem ut quod ſentio, dicam, quo magis *Fides Charitaſque* in hominum cordibus refrixerunt, eo ardentius Eccleſiarum Præſidibus inſiſtendum puto, ut publicæ pœnitentiæ uſum in Eccleſiam reducant. Nam cum negari non poſſit, id quod reipſa loquitur, publicæ pœnitentiæ neglectu, ſimul omnem diſciplinam (quæ religionis unicum fulcimentum eſt) exoleviſſe, & ejus loco fœdiſſima ſcandala in Eccleſiam agminatim inundaſſe, quæ dant cauſam horum temporum perturbationi, dicant, oro, iſti tam modicæ fidei, quanam alia putent ratione ſcandala iſta, quibus in præſentiarum afflictatur Eccleſia, e medio unquam tolli, & religionem retineri poſſe, niſi in uſum reſtituatur, quod neglectum hactenus, tantorum eſt unica cauſa malorum?

Languet quidem (quod dolendum eſt) Populus *Fide*, & vacat *Charitate*, ſed *Diſciplina*, authore Cypriano, quem ſupra citavimus, retinaculum *Fidei* eſt, Cuſtos *Spei*, & nutrimentum *Charitatis*, qua in Chriſto manemus, ac jugiter in Deo vivimus. Igitur ſi languentem *Fidem* erigere, & conſolidare, ſi *Charitatis* igniculos in hominibus excitare velimus, hoc tantum reſtat, ut Eccleſiarum Præſides *Diſciplinam*, & in primis, quæ hujus maxima pars eſt, Pœnitentiam publicam reſtituant: qua infinita ſcandala tollent e medio, & innumeras animas, quæ hujus contemptu nunc (quod negari non poteſt) relegantur in infernum, Chriſto lucrificient.

Poterunt autem Præſides non valde difficulter reducere eam, modo tamen ſuo munere graviter, ac ſtrenue perfungi velint. Nam cum lege divina indicata, ac demandata ſit, & a temporibus Apoſtolorum in vetteri Eccleſia quam maxime frequentata, & fere ad noſtra uſque tempora retenta, quamvis a multis ob craſſam inſcitiam non ſatis percepta; quid vetat quo minus id, quod olim tamdiu in Eccleſia non ſine maximo fructu uſitatum fuit, & quod ſacræ Literæ tantopere commendant, immo, quod Chriſtus, & Apoſtoli tam ſerio præcipiunt, vel poſtliminio quodam in uſu revocetur? Siquidem cum nunc omnes *Evangelici* dici velint, qua, rogo, fronte reſpuent *Diſciplinam* Domini ſui, præcepta Imperatoris ſui, cenſuram divinam, & Evangelii Legem? Si quid deſperandum eſt, magis a Præſidum ſocordia, quam a populorum languore (cui mederi Sacerdotes debent) deſperandum eſſe videtur.

Nathan & Gad Prophetæ victoriosiſſimum Regem David, Heliæs impiiſſimum & crudeliſſimum Regem Achab, Jonas Regem Ninive potentiſſimum cum tota urbe longe maxima, in qua erant plusquam centum viginti millia hominum: Daniel Nabuchodonoſorem totius Orbis Monarcham, & inter omnes, qui illum ſecuti ſunt, ſine controverſia, maximum: Hi, inquam, viri Sancti & Spiritu Dei afflati, quamvis in horum Regum eſſent poteſtate, ad pœnitentiam tamen publicam eos inflexerunt. Idem poſt Chriſtum fecerunt Apoſtoli, quemadmodum de Corinthiis ad publicam pœnitentiam a Paulo converſis manifeſtum eſt. Quare, quid vetat quominus idem temporibus noſtris fiat? Numquid abbreviata eſt manus Domini? *Iſaiæ 50.*

Cæterum, ne dicas potuiſſe illos prophetici, ſeu Apoſtolici Spiritus virtute, quod alii ita efficere non poſſint. En, poſt Apoſtolos, Virum Apoſtolicum Sanctum Fabianum Romanum Pontificem, & Chriſti martyrem, an non is Imperatorem Philippum (Romanorum Principum, qui Chriſtianam fidem amplexi ſunt, primum) cum jam priſtinem Chriſtianus effectus eſſet, & communicare vellet ſacris, ob quædam publica, qui de ipſo crimina ferebantur, prohibuit, quo ad peccata confeſſus, pro foribus inter pœnitentes ſtaret? Quod Euſebius libro ſexto Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, etſi Fabiani nomine non expreſſo, factum teſtatur, hiſce verbis: De hoc (nimirum Philippo) fertur, quod cum Chriſtianus eſſet, & in die, qua ultimæ Paſchatis Vigiliæ ſervabantur, in precationibus multitudini Eccleſiaſticæ, tamquam conſors conjungi vellet, ab eo, qui tum Eccleſiæ præerat, admiſſum non eſſe, niſi primum confiteretur, & iis ſe, qui propter peccata inquirebantur, & in pœnitentiæ loco conſtituti erant, conjungeret. Alioqui niſi hoc faceret, non fore ipſum admittendum, propterea quod in multis culpabilis eſſet. Fertur itaque prompte obedivisſe, ſincerumque ac religioſum animum erga Deum ipſis operibus

bus declaraſſe. Et, ut ad poſteriora tempora veniamus, an non S. Ambroſius Magnum illum Theodoſium (qui tamen in eum vitæ ac necis poteſtatem habebat) ad publicam pœnitentiam in conſpectu univerſi populi agendem adegit? An non maximum Cæſarem a Communionis conſortio ſegregavit? Admonens, ut effuſi Sanguinis Domini ſui (nimirum Gratiani) & quod eſt gravius, innocentis, ageret pœnitentiam? Quomodo igitur nunc cauſari poterunt Eccleſiarum Præſides, ſe ne ſuas quidem plebes (quarum certe magnam partem, tam Eccleſiaſtico, quam civili jure ſibi ſubjectam habent) eo pietatis adducere poſſe, modo tamen vere eſſe velint, quod audiunt? Immo non habent quod vel ob potentiores plebe, aut alios magnates (qui ſolent maximis ſæpe criminibus eiſque manifeſtis eſſe obſiti, & ad hoc impietatis provecti, ut glorientur in malitiis ſuis, & exultent in rebus peſſimis) ſe a reductione publicæ pœnitentiæ excuſent, quaſi ſcilicet hi non ſint ſaturi hunc rigorem. Nam ſi ipſi Duces ſe gregis præberent, & poteſtate, quam eis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem, dedit, legitime uterentur, invenirent haud dubium adhuc, qui ſuæ paſtorali voci obaudirent, etiam ex viris Principibus: niſi tamen prorſus ineptus cenſendus ſit, qui dixit, *ſe non dubitare, quin tales habituri ſimus Principes, qualis fuit Theodoſius, ſi tales haberemus Epiſcopos, qualis fuit Ambroſius.*

Sed demus, ut inveniantur refractarii: An ob id Sacerdotes ſui muneris, quod non humanum, ſed prorſus divinum eſt, penitus debebunt oblivîſci? *An clavem ligandi, & retinendi in terris, quæ ligata, & retenta ſint in Cœlis, a clave ſolvendi, atque remittendi*, divellere, atque adeo penitus negligere, ne dicam abjicere audebunt, contra Domini præceptionem, qui ſimul tradidit utramque poteſtatem?

Deberent ſane potius, quam ejus aliquid facerent, ſanguinem proprium fundere, Chryſoſtomi conſtantiam imitari, qui *Homilia* 83. *in Matthæum* ad finem ſic habet: *Animam prius tradam meam, quam Dominicum Corpus alicui indigno, Sanguinemque meum potius effundi patiar, quam ſacratiſſimum illum Sanguinem præterquam digno concedam.* Indigni autem Chryſoſtomo dicuntur, qui admiſſo publico ſcelere, non peracta pœnitentia ſe ad communionem ingerunt: nam ſtatim ſubjicit: *Hæc mihi de notis ac manifeſtis diſputata ſunt, quibus emendatis cito nobis Deus ignotos notificabit.*

Certe Beatiſſimus Babilas, cujus Martyrii Agonem Chryſoſtomus celebrat, potius voluit ſacrum cruorem fundere, quam Imperatorem, impia cæde funeſtatum, in templum admittere. Nihil nunc de SS. Hilario, Baſilio, Lamberto, & Thoma Cantuarienſe dicam, qui pulcherrima exempla Sacerdotibus omnibus reliquerunt, quamvis non ſit neceſſe, ut ob publicæ pœnitentiæ reductionem in ea præſentis vitæ pericula ſe conſtituant Epiſcopi & Presbyteri, quominus habent, quod excuſent.

Sed objicient: Sunt crimina, ob quæ quis, ſi publicam Pœnitentiam ſuſceperit, ſe ſit conjecturus in vitæ periculum, Magiſtratibus civilibus, corporali pœna ſpiritualem anteverſuris. Sed inanis eſt objectio: Nam ſi crimina publica ſint, nota utique ſunt Magiſtratui. Quare ſi illa (ut nunc fit) inulta ſinit Magiſtratus ſine ullius actione Pœnitentiæ, non eſt metus, cur viſa ſceleroſi reſipiſcentia, magis quam antea ad vindictam concitetur.

Eo rerum venimus, ut plerique Principes & Magiſtratus civiles nulli fere, quemlibet flagitioſo, modo pecuniam numeret, non tantum vitam indulgeant, ſed & priſtinis officiis & honoribus potiri permittant, nulla interim indicta, ne dicam peracta Pœnitentia. Qua in re, an non in legem Domini commitant, qua dicitur: *Non accipietis pretium ab eo, qui reus eſt ſanguinis; ſtatim & ipſe moriatur, ne polluatis terram habitationis veſtræ, quæ inſontium cruore maculatur, nec aliter expiari poteſt, niſi per ejus ſanguinem, qui alterius ſanguinem fuderit.* (Num. 35.) ipſi viderint.

Certe tales ſcelerosi quamlibet ejuſmodi indulgentiam pretio confecuti fuiſſent, nihilominus ad Pœnitentiam publicam eſſent adigendi, ſicut habet Epaunenſe Concilium, Canone 31. in hæc verba: *De Pœnitentia homicidarum, qui ſeculi leges evaſerunt, hoc ſumma reverentia de eis placuit obſervari, quod Ancyritani Canones decreverunt.*

Blaſphemiæ, perjuria, adulteria, falſa teſtimonia, & ſimilia graviſſima crimina, noſtro ſeculo non puniuntur morte, ſed ſex plebis, quæ hæc pecunia redimere non poteſt, addicitur pœnis civilibus, quibus fiant ſceleroſi iſti ſpectaculum & irrito plebis. Verum adeo nullo penitus cum fructu, ut ejuſmodi illuſione tranſacta, abeat conſputus nebulo contumacior & deterior.

An non multo magis retulerit, cum Chriſtiani omnes ſimus, & lucrari perditas fratrum Animas, quoad poſſumus, debeamus, tales ſceleroſos (quorum vitæ parcitur) ſubjicere Pœnitentiæ publicæ, ut populus cum iſtis lachrymans, veniam eis a Deo precaretur; quam exponere illos momentaneæ irriſioni, & ea jam factos longe quam fuerant deteriores, & nihil minus quam de ſalute Animæ ſollicitos, detrudere in infernum?

Denique quo minus de reductione publicæ Pœnitentiæ deſperemus, en ejus periculum. Reverendiſſimus Dominus Sebaſtianus Archiepiſcopus Moguntinus, ſui Ordinis eximium decus, jam non infeliciter fecit, ut mihi quidam teſtati ſunt, qui præſenti anno in die ſolemni *Cœnæ Domini*, non paucos in publice Pœnitentium ordinem redactos, in Eccleſia Moguntina, ſecundum Canones Eccleſiæ reconciliari ſuis oculis viderunt, non ſine lachrymis, quas rei conſpectæ pietas, ipſis (ut affirmarunt) excuſiſſet.

Nec ambigo Reverendiſſimum quoque Dominum Adolphum Archiepiſcopum Colonienſem, Præſulem meum, de Religione Catholica optime meritum, non minori zelo advigilaturum, ut Diſciplina hæc quoque in parte ſuæ Eccleſiæ, ut res poſtulat, reſtituatur: quæ exempla, ut ſpes eſt, alii ſequentur.

De

De Reconciliatione Pœnitentium.

SUpra dictum eſt reconciliationem publice Pœnitentium ob publica peccata admiſſa, Canonicis ſanctionibus ſolis Epiſcopis reſervari: Presbyteris vero non licere talium quempiam in publica Miſſa, hoc eſt, in publico Fidelium ad ſacra conventu reconciliare: & multo minus Diaconis, niſi neceſſitas aliud requirat.

Nec tamen ob id Presbyteris *Canones Pœnitentiales* ignorare licet: Nam datio Pœnitentiæ in eorum eſt poteſtate, licet non reconciliatio publice Pœnitentium: occulte ob enormia crimina illis permittitur, ſed Epiſcopi juſſione ut ſupradictum eſt. Unde neceſſe eſt, ut hoſce Canones probe teneant, quod ſaltem debeant indicare confeſſis occulta crimina Canonicum remedium, quod ſubire debuiſſent, ſi illorum facinus publicatum fuiſſet: quoniam vero commiſſum latet, perſuadere, ut ſaluti animæ ſuæ conſulant; hoc eſt, ut veraciter ex toto corde ſe graviter deliquiſſe confiteantur, & per jejunia, & eleemoſinas, vigiliaſque ac ſacras Orationes, cum lacrymis ſe purgare contendant, & ſic ad ſpem veniæ per miſericordiam Dei ſe perventuros confidant.

Præterea infirmis Pœnitentiæ modum, etſi non imponere, inſinuare tamen debent, ut, ſi convaluerint, eam ſuſcipiant, vel ſi forte migraverint, ut cum Pœnitentiæ pondus amicorum Orationibus, & eleemoſynarum ſtudiis ſublevetur (Cap. ab infirm. 2. q. 7.)

Ritus autem reconciliationis publice Pœnitentium (quæ ab Epiſcopis fieri debet in die *Cœnæ Domini*) habetur in libro Ordinis Romanæ, & Catholicæ Eccleſiæ ſupra modum pius, quem in hanc Magogen transferre operæ pretium non putavi, cum extet in hoc libro, relicto ut opinor, nobis a Divo Gregorio, & in vulgaribus quoque libris Pontificalibus. Vidi nuper libellum Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſis, ſcriptum adhuc intra annos quinquaginta, ex quo ſatis apparet ritum hunc in hac Eccleſia adhuc ante annos tam paucos viguiſſe, ut videri nemini debeat impoſſibile eſſe, hunc ritum tam recens abolitum, Eccleſiæ poſſe reſtitui.

A quibus abſtinere oportebat in Pœnitentia poſitos, & poſtea quoque a Reconciliatione.

IN Pœnitentia poſitis non licebat nuptias celebrare ante Pœnitentiam expletam, nec negotia exercere, nec conviviis intereſſe, nec alba ſeu ſplendida veſte aut aliis ornamentis uti: A reconciliatione, militibus, qui ſuſcipientes Pœnitentiam, cingulum depoſuiſſent, cingulum reſumere, & ad militiam redire, non permittebatur. Nec reconciliatis licebat in judicio litigare, nec ad ſecundas nuptias convolare, ſed tantum permanere in conjugio, in quo eſſent conſtituti (quod tamen in his fortaſſe obtinuit maxime, qui proprias uxores interemiſſent) non lavari in balneo, non immiſceri lætantium conviviis: & nec hoc fortaſſe fuit perpetuum, ſaltem in omni genere criminis per Pœnitentiam expiato. (*Vide Canones permultos hac de re 33. quæſt. 2. Can. 11. Concilii Nicæni Cap. admonere 33. quæſt. 2. ex Concilio Nicæno, & Decretis Siritii.*)

Poſt publicam pœnitentiam peractam, nemo olim ad Clericatum admittebatur. Nam oporret Clericos *irreprehenſibiles eſſe, ſine crimine, & habere teſtimonium bonum, etiam ab his, qui foris ſunt.* Quod ſi qui forſan ex his, qui pœnitentiam publicam egiſſent, reperti fuiſſent in Clericum irrepſiſſe, depellebantur.

In Sacris Ordinibus conſtituti non onerantur publica Pœnitentia, ſed privata ſeceſſione.

ALienum eſt, inquit Leo ille Magnus ad Ruſticum, *a conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconii gradu fuerunt conſecrati, hi pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi*; quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt: *Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro illo?* Unde ejuſmodi lapſis, ad promerendam miſericordiam Dei, privata eſt expectanda feceſſio: ubi illis, ſi ſatisfactio fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.

Olim Sanctiſſimi quique, & piiſſimi Viri a tremendo Judicio Dei, ob peccata a Baptiſmo commiſſa, tam ancie metuebant, ut ante vitæ ſuæ exitum, luctuoſam pœnitentiam ſecreta feceſſione ſumendam ſibi ultro putarent. Reſpiciebant enim ſemper in illud Beati Petri: *Si juſtus quidem vix ſalvabitur, impius, & peccator ubi parebunt?* (1. Pet. 4.)

Poſſidonius in vita D. Auguſtini de Beato viro ſic refert: *Dicere nobis inter familiaria colloquia conſueverat, poſt perceptum Baptiſma etiam laudatos Chriſtianos, & Sacerdotes abſque digna, & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam* (ut ſubjungit) *ipſe fecit ultima, qua defunctus eſt, ægritudine; nam ibi juſſerat Pſalmos Davidicos (qui ſunt pauciſſimi) de Pœnitentia ſcribi, ipſoſque quaterniones facens in lecto, contra pariétem poſitos, diebus ſuæ infirmitatis intuebantur, & legebat, & jugiter & ubertim flebat, & ne intentio ejus a quoquam impediretur, cavebat.*

Simili ſtudio Divus Hieronymus Presbyter Eremum petiit, illicque totum quadrienium pœnitentiæ agendæ incubuit, quam ſic de-

deſcribit ad Euſtochium. *Quoties in Eremo conſtitutus, & illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta Solis ardoribus horrendum Monachis præſtat habitaculum, putavi me Romanis deliciis intereſſe: horrebant ſacco membra deformia, ſqualida cutis ſitum Æthiopicæ: carnis adduxerat; quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; & ſi quando repugnantem ſomnus inuinens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa cohærentia collidebam. De cibo & potu taceo, cum etiam aqua frigida languentes urantur, & collum aliquid accepiſſe luxuriæ ſit: & cum Scorpionum tantum ſocius eſſem, & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum, & in frigido corpore, & carne præmortua, ſola libidinum incendia pullulabant. Itaque continuo fleham, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubigebam. Diem crebro conjunxi cum nocte, nec prius a pectoris ceſſabam verberibus, quam a Domino redderetur tranquillitas. Ipſam quoque cellulam meam quaſi cogitationum conſciam pertimeſcebam, & mihi iratus & rigidus ſolus deſerta penetrabam; &, ut mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas nonnunquam mihi videbar intereſſe agminibus Angelorum.* Hactenus ille.

Non laboro Sanctorum Virorum (qui pœnitentiam ultro egerunt) exempla, quæ ſunt innumera, in hanc Iſagogen congerere, ſed hæc tantum annotavi, ut in ea intuentes ſemel tandem ex alto lethargo expergiſcam, qui Dominicæ Diſciplinæ prorſus videmur obliti.

Habent adhuc Monaſteria, & Collegia Eccleſiaſtica ſuos locos privatæ ſeceſſionis, hoc eſt carceres clauſtrales, in quos erant relegandi Monachi, vel Canonici, aut Vicarii ad pœnitentiam, pro ſuis criminibus commiſſis, peragendam. Sed noſtro tempore tam rarus eſt, ſaltem in Collegiis horum carcerum uſus, ut fere in ludibrium venerint delinquentibus. O tempora! O mores!

Nonnihil profecto intellexit, qui foribus Sacræ Ædis S. Gereonis Martyris, aliarum omnium in hac Civitate Agrippina Colonia antiquiſſimæ, aureis literis inſcribi juſſit ſequentes verſus, ſenſu quidem uberes, licet forſan non tam accurata carminis lege conſtantes:

Dum diſciplina ceſſat, regnatque ſimultas,
Deficit Eccleſiæ virtus, pariterque facultas.

Legi nuper libellum *de Jure Diſciplinæ* (ut vocant) *Capitularis*, ſcriptum ante annos (ut arbitror) ducentos, in quo ordine traditur, quem in modum exceſſus Clericorum in Collegiatis Eccleſiis hujus Civitatis, & Diœceſeos Colonienſis per pœnitentiam privatæ ſeceſſionis corrigi debeant. Et quibus pœnis, & quem in modum ſe gerere debeat in carcerem Eccleſiæ relegatus: Et quo pacto e carcere liberandus ſit, qui pœnitentiam egit. Quomodo procedendum ſit adverſus inobedientes. Et quomodo is, qui a beneficio, & officio ſuſpenſus eſt, habere ſe debeat, ut dignus gratia inveniatur. Et quo pacto recipiatur. Et alia pleraque ad diſciplinam ſpectantia. Quæ omnia Prælatorum ſocordia fere conciderunt. Et tamen, velimus nolimus, reſtitui ea neceſſarium erit, ſi modo Præſides Eccleſiis (quarum ſtatus neſcio quid minatur) conſulere velint.

Nec ſperandum eſt Laicos aliter unquam pœnitentiam publicam recepturos, niſi judicium incipiat a Clericis, alioqui habent ſemper Laici quod reclament ex Apoſtolo dicente: (Rom. 2.) *Qui ergo alium doces, te ipſum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui abominaris idola, ſacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per prævaricationem Legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes, ſicut ſcriptum eſt.* (nimirum in Eſa. cap. 52. & Ezech. cap. 36.)

Clerici poſt peractam Pœnitentiam quatenus inſtaurari poſſint.

HAC in re Canones non parum variare videntur. De his qui occulte deliquerunt, & occulte confeſſi ſunt, hic nihil dico. Sed qui publice deliquerunt, hi peracta pœnitentia reſtaurari poſſe videntur, ut maneant in gradu ſuſcepto, ſed videtur eis ad altiora munera ſuſcipienda aditus non Canonibus eſſe præcluſus. Ut tamen non habeant, qui publice dellquerunt, jus etiam peracta pœnitentia, poſtulandi, ut in priſtinum gradum dignitatis reſtituantur, Mihi B. Auguſt. in l. de vera, & falſa Pœnit. cap. ult. rectiſſime ſenſiſſe videtur, cum ait: *Sacerdoti, licet gratiam pœnitentia acquirere poſſit, non tamen mox reſtituitur in poteſtatem primam. Licet enim Petrus poſt lapſum reſtitutus fuerit, & ſæpe lapſis Sacerdotibus reddita ſit dignitatis poteſtas, non tamen eſt neceſſe, ut hæc omnibus concedatur, quaſi ex authoritate. Invenitur enim authoritas, quæ concedit, & quaſi imperat: inveniturr alia, quæ minime concedit, ſed vetat. Quæ ſcripturæ non repugnant, ſed concordant, ſi tempus, & locus, & modus pœnitentiæ pacem adhibeant. Quum enim tot ſunt, qui labuntur, ut priſtinam dignitatem ex authore defendant, & quaſi auſum peccandi ſibi faciant, reſcindenda eſt ſpes iſta, ſi vero locus eſt, ubi iſta non concurrant, reſtitui poſſunt, qui peccant.* Hactenus ille.

Hucuſque dictum ſit de Diſciplina Pœnitentiæ, fortaſſe ſuſius quam ſinant Iſagoges anguſtiæ, minus tamen, quam pro dignitate rei, ac neceſſitate. Porro dum indicatur, qui poſſit, quod tantopere neceſſarium, interim vero penitus neglectum, & prope abolitum eſt, inſtaurari, puto non uſque adeo requirendum quid Iſagoges ratio poſtulet, ſed magis quid neceſſitas ipſa requirat.

Sequitur Ritus Expulſionis publice Pœnitentium ab Eccleſia, in feria quarta Cinerum, qui cum extet in Pontificali Romano, ommitti viſum eſt.

EX EDMUNDO MARTENE MONACHO

Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Sancti Mauri

DE ANTIQUIS ECCLESIÆ RITIBUS

Tom. II. Pagina prima.

CAP. VI.

De Ritibus ad Sacramentum Pœnitentiæ ſpectantibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De neceſſitate Pœnitentiæ, & quibus olim temporibus a Fidelibus frequentaretur.

I. CUM Pœnitentia ſit ſecunda poſt naufragium tabula, ea peccatoribus, de ſalute propria ſollicitis, tam neceſſaria cenſenda eſt, quam paſſis naufragium, & vitam mediis e fluctibus eripere cupientibus tabula; atque adeo quæ neceſſitas unumquemque ſuæ ſaluti in eternum conſulere compellit, eadem & peccatores ad pœnitentiæ confugium recurrere cogit: Chriſto terribiliter intonante, ac comminante, *niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*: & S. Auguſtino, ſeu quovis alio Authore Sermonis 254. in Appendice novæ editionis, (nos aliter ſalvi fieri nos poſſumus, niſi confiteamur peccata, quod inique geſtimus negligentes.) Hinc Sancta Mater Eccleſia non ſine aliquo animi horrore peſtiferas hæreticorum voces audire potuit, quibus ut ſecuras ſectatorum ſuorum conſcientias redderent, vim & neceſſitatem pœnitentiæ enervare, & convellere tentabant; quales primis Eccleſiæ ſeculis extitere Mathematici, & Manichæi, de quibus S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus Sermone 253. in Appendice S. Auguſtini novæ editionis: (dicit homini ſerpens ille per Mathematicos, & Manichæos, ne confiteatur homo peccatum.) Quanam vero ratione? (Per Mathematicos, inquit, ſic loquitur: Nunquid homo peccat? Stellæ ſic ſunt poſitæ, neceſſe eſt, ut faciat homo peccatum. Dicit ergo per Mathematicos, quia ſtella facit, ut homo peccet; nam ipſe non peccat ..... Item per quoſdam Manichæos ita ſuggerit; non tu peccas; gens tenebrarum peccat, tu non habes peccatum.) Tali ratiocinio, cum ſe juſtos comprobare contenderent, pœnitentiæ neceſſitatem e medio tollebant, morboſque diſſimulantes confeſſionis remedium, quæ ut ait ibidem Cæſarius, *intitium ſanitatis eſt*, refugiebant.

Pœnitentiæ neceſſitatem qui impugnaverunt Hæretici.

II. Neque minus horrenda fuere Montaniſtarum, aut Novatianorum deliramenta, qui licet pœnitentiam de peccatis haudquaquam abjicerent, ullam tamen penes Eccleſiam reſidere authoritatem, ac virtutem dimittendi delicta pernegabant.

III. His accenſeri poſſet aliud hæreticorum genus, qui non pœnitentia, ſed exacto pretio remittenda fore peccata garriebant, de quibus S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus Hom. 10. ex vulgatis a Mabillonio Muſæi Italici tom. I. (Præpoſiti eorum, quos preſbyteros vocant, dicuntur tale habere mandatum, ut ſi quis Laicorum laſſus fuerit crimen admiſſum, non dicat illi; age pœnitentiam, deplora facta tua, deſte peccata; ſed dicat illi: pro hoc crimine da tantum mihi, & indulgetur tibi.) Illi tamen hæretici confeſſionem, quæ una eſt, ex pœnitentiæ partibus admittebant; e contrario autem Jacobitæ (dicebant non eſſe neceſſarium Sacerdoti confiteri peccata ſua, ſed Deo ſoli) ut teſtatur Præteolus in lib. 9. de Vita Hæreticorum. Quem quidem errorem ſeculo octavo excunte innovarunt Albanenſes hæretici, dicentes (Nullum hominem poſt peccatum commiſſum confiteri poſſe, nec debere,) ut ſcribit idem Præteolus libro 1. Hanc hæreſim refutavit Alcuinus circa idem tempus, ſcripta egregia Epiſtola *ad Fratres in Provincia Gothorum*, hoc eſt Galliæ Narbonenſis, uti interpretor; (propter quaſdam conſuetudines, inquit, quæ veſtris inoleviſſe feruntur Regionibus. Dicitur vero neminem ex laicis ſuam velle confeſſionem Sacerdotibus dare, quos a Deo Chriſto cum Sanctis Apoſtolis ligandi, ſolvendique poteſtatem acceſſiſſe creditis.) Huicce laicorum illorum præſumtioni omnino oppoſitus erat Adalberti hæretici error, qui (venienti populo, & proſtrato ante pedes ejus, & cupienti confiteri peccata ſua, dicebat: Scio peccata veſtra, quia mihi cognita ſunt occulta veſtra, ideoque non eſt opus confiteri ea. Securi ergo, & abſoluti de peccatis veſtris præteritis, revertimini ad domos veſtras cum pace) ut teſtatur Concilium Romanum ſub Zacharia Actione prima. Quorum omnium hæreticorum condemnatio ſubſecutis ſeculis exortos compeſcere haud potuit. Nam Waldenſes, quos pauperes de Lugduno vulgo vocitant, auricularem confeſſionem prorſus tollebant, neceſſariam eam eſſe negantes, uti & hujus ætatis hæretici, qui eam carnificinam animorum appellant.

IV. His omnibus hæreticorum commentis, quibus omni fere ævo Pœnitentiæ Sacramentalis neceſſitas impugnata eſt, adjicere poſſemus quorumdam Anglicanæ Eccleſiæ Presbyterorum errorem, qui ex craſſa, & pingui ignorantia generaleim confeſſionem, quæ inter ipſa Miſſarum exordia fit, cenſebant eluere poſſe peccata mortifera, quos de-

debita cenſum perſtrinxit) Archiepiſcopus Cantuarienſis in editis anno 1327. Conſtitutionibus.

V. Verum tanta non fuit omnium iſtorum nebulonum garrulitas, quam ut apud cordatos viros elevare potuerit pœnitentiæ neceſſitatem, quam & ſtabilivit Chriſti Domini authoritas, confirmarunt concilíorum decreta, ſartam, & intemeratam fecerunt Sanctorum ſummorumque Pontificum ſtatuta, conſervarunt inſignia verorum pœnitentium exempla, quorum tanta ab omni ævo apud Authores, concilia, facraſque paginas occurrit copia, ut omnibus paſſim ſint obvia: adeo ut nulla nos ſic urgeat neceſſitas ea congerendi, quæ ſuis locis ab omnibus legi ac percurri queunt. Verum non deerunt forte curioſi lectores, qui reſcire falterh deſiderent, quibus potiſſimum temporibus Pœnitentiæ Sacramentum a Chriſtianis frequentaretur.

Pœnitentia in capite Quadrageſimæ.

VI. Etſi omni tempore, omni die, omnique hora peccatoribus licitum fuerit Epiſcopos, eorumve Vicarios convenire, peccatiſque apud eos depoſitis, ac confeſſis, pœnitentiam pro commiſſis delictis poſtulare, impoſitam ſatisfactionem adimplere, eaque exacta Deo & Eccleſiæ reconciliari; etſi etiam dies potiſſimum Dominicos ad id muneris impendere ſoleret Sanctus Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, teſte Honorato Maſſilienſi item Epiſcopo in ejus Vita cap. 13. ex antiqua tamen Eccleſiæ diſciplina omnes in capite Quadrageſimæ, five illa die Dominica, five feria 4. ante Dominicam primam inciperet, confiteri ſingulari præcepto tenebantur. Id teſtantur non modo omnes antiqui libri Pontificales Ritualeſque ante annos 800. aut 900. & ultra deſcripti, ſed varii etiam concilíorum Canones, & Pontificum ſtatuta. Concilium Agathenſe apud Reginonem lib. 1., cap. 291. & apud Burchardum lib. 19. cap. 26. (In capite, inquit, quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis) Idem non obſcure innuit Concilium Remenſe anno 639. celebratum cap. 8. decernens, ut nemo (tempore quadrageſimæ pœnitentium confeſſiones audiat præter paſtorem) Clarius Ratherius Veronenſis Epiſcopus in Epiſtola Synodica ad Parochos Spicilegii Tom. II. (Feria quarta ante quadrageſimam plebem ad confeſſionem invitate) Et Regino Prumienſis Abbas lib. 2. cap. 65. inter alia, quæ ab Epiſcopo parochias viſitante de laicis inquiri jubet, (Si, inquit, aliquis ad confeſſionem non veniat, vel una vice in anno, ideſt in capite Quadrageſimæ, & pœnitentiam pro peccatis ſuis ſuſcipiat) Idem docent Admonitiones Synodales in Appendice ad Reginonem a Cl. V. Stephano Baluzio editæ. Hinc Concilium Meldenſe anni 845. c. 76. ſtatuit, ut (nemo comitum, aut quiſquam ex judiciaria poteſtate poſt quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, in qua omnes pœnitentes manus impoſitionem ad vacandum ſolummodo pœnitentiæ, ac divinis officiis accipiunt, placitum aut malum tenere præſumat) Et S. Adalardus Abbas Corbejenſis lib. 1. ſtatutorum cap. 1. Spicilegii Tom. IV. Monaſterii operis concedit laboris manualis remiſſionem (primo die jejuniorum Quadrageſimæ, ideo ut ſpatium habeant confeſſiones renovare.) Denique in antiquo ordine confeſſionis tedendæ codicis Turonenſis ante annos 800. exarati, inter alia pœnitens accuſat ſe, quod (in Quadrageſima, *ſicut conſtitutum eſt*, confeſſus non fui) Eamdem diſciplinam poſtea renovavit Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 5. ubi hæc habet: (jam in univerſa Eccleſia cum ingenti animarum fidelium fructu; obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadrageſimæ, quam morem hæc ſanctæ Synodus maxime probat, & amplectitur, tamquam pium, & merito retinendum.) Quæ verba, ut ſcribit Bellarminus in notis ejus in Bibliotheca repertis, intelligenda ſunt de confeſſione facienda, (non in fine, ut abuſus irrepſit, ſed initio hujus temporis, ut olim recte conſtitutum fuerat.)

Confeſſio ter in anno.

VII. Conſtitutum in univerſa Occidentali Eccleſia pœnitentiæ tempus unica hebdomada antevertit Theodulphus in Capitulari ad Preſbyteros, cujus Articulus 36. hæc habet. (Hebdomada una ante initium Quadrageſimæ, confeſſiones Sacerdotibus dandæ ſunt, pœnitentia accipienda,) &c. Quod ergo poſtmodum Innocentius III. in Concilio Lateranenſi ſancivit, ut omnes utriuſque ſexus ſaltem ſemel in anno confiterentur, novum non fuit, cum ab omni prorſus antiqua Eccleſia fuerit obſervatum. Immo nonnulli Pontifices ad ternam in anno confeſſionem pletem ſuam adſtringebant. Extat ea de re Chrodegangi Epiſcopi Metenſis, qui ante annos 950. cum pietatis laude floruit, decretum in regula, quam Canonicis deſcripſit cap. 32. (In unoquoque anno tribus vicibus, ideſt in tribus Quadrageſimis, populus fidelis ſuam confeſſionem ſuo Sacerdoti faciat, & qui plus fecerit, melius facit. Monachi in unoquoque Sabbato confeſſionem faciant cum bona voluntate Epiſcopo, aut Priori ſuo.) Chrodegangi decretum ſufceperunt etiam nonnullæ aliæ Eccleſiæ. Nam in MS. codice Eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter 800. in ordine ad dandam pœnitentiam hæc lego: (Hæc eſt ratio pœnitentiæ, & confeſſionis noſtræ, quæ coram Domino Sacerdotibus ejus a nobis pariter agendæ ſunt, ideſt in anno quoque tribus vicibus, ideſt in Quadrageſimis Populus fidelis ſuam confeſſionem ſuo Sacerdoti faciat, & qui plus feſionem ſuo Sacerdoti faciat, & qui plus fecerit, melius facit. Monachi in unoquoque Sabbato, & Clerici Canonici in tertio Sabbato confeſſionem faciunt cum bona voluntate Epiſcopo, aut Priori ſuo.) Ternam etiam confeſſionem in anno præſcribunt Concilia, Toloſanum anni 1228. cap. 3. Albienſe anni 1254. cap. 9. Spicilegii tom. 2. eamdemque ſtudent conſtitutiones Richardi Epiſcopi Sarum cap. 25. Conſtitutiones S. Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis cap. 17. Synodus Wigornienſis anni 1240. cap. 16.

VIII. At vero S. Otto Babebergenſis Epiſcopus, ac Pomeranorum Apoſtolus in hortatione ad Piriſſenſes, quæ refertur in ejus vita

Quater.

vita l. 2. cap. 17. apud Surium 2. Julii, vult (ipſos vel quater in anno, ſi amplius non poteſt, & confeſſionem facere, atque ipſi Sacramento communicare) Concilium vero Senonenſe ſub Triſtando art. 4. cap. 1. Spicilegii Tom. 5. præter Paſchale; quinque feſtis annualibus confeſſionem aſſignat.

In Rogationibus. IX. Præter hæc tempora olim ad Lingonenſem Eccleſiam omnes tam viri, quam mulieres Rogationum tempore accedebant, peccata ad Epiſcopum haud dubium, vel ejus Vicarium depoſituri; ſed anno 1008. Bruno, qui illam regebat Eccleſiam, ab hoc eos onere exemit, permittens ut ſaltem ad Beſuenſes Monachos confiterentur, cujus ea de re chartam exhibet Chronicon ejuſdem Monaſterii Spicilegii tom. 1.

Ante Natale Domini. X. Non poſſum hic præterire id, quod de confeſſione Anglorum ante Domini Natale ſcribit Egbertus Eboracenſis Epiſcopus in dialogo: (a temporibus Vitaliani Papæ, & Theodori Dorobernenſis Archiepiſcopi inolevit in Eccleſia Anglorum conſuetudo, & quaſi legitima tenebatur, ut non ſolum Clerici in Monaſteriis, ſed etiam Laici cum conjugibus, & familiis ſuis ad confeſſores ſuos pervenirent, & ſe fletibus a carnalis concupiſcentiæ conſortio his duodecim diebus cum eleemoſynarum largitione mundarent, quatenus puriores Dominicæ communionis perceptionem in Natale Domini perciperent.

Confeſſio ante communionem. XI. Hæc ſunt præcipua per anni circulum tempora olim audiendis, faciendiſque confeſſionibus conſtituta. Sed nonnulli inſuper caſus occurrebant, quos ſine confeſſione & pœnitentia minime præteribant. Nam primo ea ſemper in Eccleſia conſuetudo viguit, ut quicumque Corpori aut Sanguini Domini communicare percuperent, conſcientiam ante confeſſione & pœnitentia purgarent. Hinc Sanctus Fulgentius in confeſſione, quam ex MS. Codice Corbejenſis Monaſterii edidit noſter Menardus in Notis ad Sacramentarium Sancti Gregorii Papæ parte 226. inter alia (Ego, inquit, Corpus Domini & Sanguinem ejus polluto corde & corpore ſine confeſſione & pœnitentia ſciens indignus accepi.) Similis accuſatio reperitur in confeſſionis formula, quam exhibet Alcuinus in libro de pſalmorum uſu, & in alia, quam ex Codice Sancti Remigii Remenſis publici juris fecit idem Menardus ibid. p. 228.

Urgente infirmitatis incommodo. XII. Secundo quotieſcumque infirmitate aliqua correptis aliquod vitæ periculum ſubibat, ii obitum ſuum, ut viatico, ita & pœnitentia ac confeſſione præmunire ſolebant. Hujus praxeos exemplum inſigne adducit Gregorius Magnus in Dialogorum Libro 1. cap. 12. de quodam Patrefamilias, qui cum (ad extremum veniſſet diem, miſſis concite nunciis ad Severum Presbyterum, rogavit, ut ad ſe quantocius poſſet, veniret, ſuiſque orationibus pro peccatis ejus intercederet, ut acta de malis ſuis pœnitentia, ſolutus culpa de corpore exiret.) Quam quidem cum per ſeptem dies egiſſet, octavo lætus de corpore exivit. Aliud exemlpum profert alter Gregorius, Turonenſis Epiſcopus lib. de Vitis Patrum cap. 8. de quodam, qui febre correptus, (viſo Presbytero, datis vocibus cum lacrymis ſupplicabat ſibi pœnitentiam tradi.) Denique quam neceſſariam in extremis confeſſionem exiſtimarent Patres Concilii Calchutenſis in Anglia anno 787. celebrati declarant capite 20. his verbis: (Si quis, quod abſit, ſine pœnitentia aut confeſſione de hac vita diſceſſit, pro eo minime orandum eſt.) Huc facit etiam, quod Concilium Pariſienſe ſextum cap. 29. vetat Presbyteros ſeu Rectores per diverſa mitti, quod (eorum abſentia homines ſine confeſſione ..... plerumque moriantur.) & in excommunicatione hominum Balduini comitis Flandriæ propter occiſionem Fulconis Remenſis Archiepiſcopi ab illis perpetratam apud Cheſnium Tom. II. Hiſt. Franc. pag. 586. ioterdicitur, ne ullus Presbyter, (Nec ſi infirmati fuerint, confeſſiones eorum recipere) præſumat.

Inſtante gravi periculo. XIII. Tertio non in extremis tantum, ſed quoties grave aliquod periculum immineabat, ad confeſſionis ſalutare remedium confugiebant. Hinc eſt quod Uthredus quidam aquis immerſus, imperturbatus ſenſibus, (confeſſionem ſuam, ac ſi cum Sacerdote loqueretur, ei, qui ubique præſens eſt, faciebat,) ut legitur in lib. Miraculorum Sancti Wilfridi Eboracenſis Epiſcopi num. 22. Hinc eſt etiam, quod milites olim ad pugnam confeſſione & pœnitentia ſe accingebant, uti obſervat Mabillonius in Præfatione ad Seculum III. Benedictinum parte 1. Qui etiam ibid. notat ante militum initiationes, uti & Monachorum præmiſſam fuiſſe confeſſionem.

Ante peregrinationem. XIV. Quarto antequam iter inciperent, ad peregrinationem confeſſione ſeſe præparabant. (Iter tuum confeſſione confirmare memento,) inquit Alcuinus ad Damœtam ſcribens Epiſtola 46. Et Sanctus Anſelmus ad Burgundium fratrem Hieroſolymam peregre profecturum lib. 3. Epiſt. 66. (Conſulo & precor, ut ſi hanc viam faciatis, nec vobiſcum peccata quæ feciſtis porteris, nec domi peccatum relinquatis .... Facite confeſſionem omnium peccatorum veſtrorum nominatim ab infantia veſtra, quantum recordari poteſtis.) Hanc porro confeſſionem non cuilibet Sacerdoti, ſed proprio fieri volebat Ahito Baſileenſis Epiſcopus: ita quippe ille in Capitulari art. 18. Spicilegii Tomo VI. (Et hoc omnibus fidelibus denuntiandum, ut qui cauſa orationis ad limina Beatorum Apoſtolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata ſua, & ſic proficiſcantur: quia a proprio Epiſcopo ſuo aut Sacerdote ligandi aut exſolvendi ſunt, non ab extraneo.)

XV. Quod de peregrinatione dicimus, idem de aliis operibus piis aſſerendum, iis ſcilicet præmiſſam eſſe confeſſionem, ut purgati a peccatis & mundiores effecti; acceptam Deo redderent actionem ejus intuitu aggreſſam. Denique cum ab eo beneficium obtinere aliquando cupiebant, ad illud confeſſione ſe præparabant. Richmirus Abbas Cenomanenſis cœco miſericordiam ab eo deprecanti (Vade, inquit, & da uni Sacerdotum puriter confeſſionem tuam ante.) Qua peracta

racta cœcum lumine donavit, teſte Anonymo in ejus Vita Seculo III. Benedictino. Et in Vita Rabani Moguntini Archiepiſcopi apud Bollandum 4. Februarii Othmarus quidam confeſſione a Dæmonio liberatus legitur.

Confeſſio quotidiana.

XVI. Denique prætereire non debeo nonnullos olim, uti nunc uſus apud pios pleroſque viros obtinet, confeſſionis Sacramentum quotidie frequentaſſe. Id de Monachis teſtatur Jonas Aurelianenſis Epiſcopus in lib. 1. de Inſtitutione Laicali. Quos inter Rotgarius Meldenſis cœnobita (Quotidie intentus in renovandis confeſſionum pœnitentiis) legitur apud Halitgarium in Vita Sancti Faronis. At ne quis ſolis Monachis id ſingulare extitiſſe autumet, Ludovicum Pium Imperatorem profero, qui per Drogonem Metenſem Epiſcopum fratrem ſuum, (Quotidie confeſſionis ſuæ munus, Sacrificium ſpiritus contribulati & cordis humiliati, quod Deus non deſpicit, offerebat,) uti habetur in ejus Vita apud Cheſnium Tomo II. Hiſtor. Franc. De Anglicano etiam quodam Epiſcopo narrat Cæſarius Monachus in Dial. diſt. 3. cap. 22. quod (Quotidie ſolitus fuit mundare conſcientiam ſuam de die in diem, ſicut multi faciunt.)

ARTICULUS SECUNDUS.

An omnibus olim peccatis per Sacramentum Pœnitentiæ fueris reconciliatio conceſſa.

I. CUM tanta ſit pœnitentiæ neceſſitas, nulla ut peccatoribus ſine illa ſalus ſperanda videatur, tantaque Eccleſiæ ſollicitudo ſemper extiterit, ut certis ſtatiſque temporibus ad deponenda apud Sacerdotem peccata, ſalutareque pœnitentiæ remedium aſſumendum eos cogeret, quemadmodum ſuperiori articulo demonſtravimus; mirum plane videbitur indulgentiam peccatoribus aliquando fuiſſe denegatam. Et certe qui antiqua Eccleſiæ inſtituta ex hodierno uſu metiri ſolent, hi haud dubium, non ſine aliquo inhumanitatis ſenſu fieri id potuiſſe exiſtimabunt: verum in antiqua Eccleſiæ diſciplina verſatis longe aliam mentem futuram confidimus: cum probe noverint ſub ipſo Chriſtianæ Religionis exordio flagrante perzque ſtudio pietatis & improbitatis odio; longe graviores in delicta pœnas conſtitutas fuiſſe: neque ægre audient quoſdam aliquando Pontifices peccatis veniam prorſus omnem denegaſſe. Non quod ſolvendi dimittendique peccata auctoritatem in Eccleſia deſiderarent: quod fuit perverſum Montaniſtarum & Novatianorum dogma; ſed quod firmiter crederent, eum, qui ſolvendi & remittendi delicta poteſtatem Presbyteris fecit, ligandi ſimul & retinendi facultatem tribuiſſe. Unde cum tanta peccati ſit deformitas, tanta mentem eorum reverentia Sacramentorum inceſſiſſet: ut illius majus odium inciperent, neve indulgentiæ faciliate iſta quandoque vileſcerent; nonnumquam peccatoribus veniam omnem funditus denegandam cenſuerunt, adeo ut nullam poſtmodum ab Eccleſia reconciliationem ſperare poſſent.

Pœnitentia idololatriæ, homicidii, & adulterii denegata.

II. Primo enim de atrocioribus ſceleribus, idololatria, homicidio, & adulterio, id probant veterum teſtimonia non pauca. De adulterio habemus Cypriani luculentum de quibuſdam ſuis deceſſoribus teſtimonium in Epiſtola 51. ad Antonianum. (Et quidem apud anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtic in provincia noſtra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt.) Et ne quis de Epiſcopis illis perverſi dogmatis aliquid ſuſpicetur, ait ipſos non propterea *ab Epiſcoporum ſuorum Collegio* receſſiſſe.

III. Quem adulteris Epiſcopi illi Africani clauſerant, pœnitentiæ locum aperuit Romæ Zephyrinus Papa; qua de re redarguit eum Tertullianus in Libro de Pudicitia, quod exclusis & in perpetuum rejectis idololatris & homicidis, ſolum adulterii crimen ad veniam exceperit. (Quid agit, inquit, moliſſima & humaniſſima diſciplina? Aut omnibus eis hoc eſſe debebit. Beati enim pacifici: aut ſi non omnibus, noſtra eſſe. Idololatram quidem & homicidam ſemel damnas, mœchum vero de medio excipis, idololatriæ ſucceſſorem, homicidii anteceſſorem, utriuſque collegam.) Equidem ſcio virum eruditiſſimum Joannem Morinum lib. 9. de Pœnitentia cap. 20. aſſerere Zephyrinum idololatris homicidiſque perinde ac mœchis indulgentiam conceſſiſſe, Tertullianumque hæreticum factum Eccleſiæque Romanæ hoſtem infenſiſſimum. Summo Pontifici impoſuiſſe, id quod probare nititur variis ipſius Tertulliani, aliorumque Sanctorum Patrum teſtimoniis. Verum quaſcumque hujus rei demonſtrandæ gratia adducit auctoritates, non detegunt in Tertulliano calumniam, verum id unum probant dumtaxat, communem Eccleſiæ Catholicæ doctrinam fuiſſe, penes ipſam reſidere auctoritatem & poteſtatem omnia omnino peccatorum genera vere pœnitentibus dimittendi, generalemque Eccleſiarum omnium praxim ita paſſim obtinuiſſe, quæ tamen non ſuſtulit exceptiones quaſdam, nec impedivit quominus Epiſcopi quidam Africani, Romanaque Eccleſia, atque adeo Zephyrinus ipſe gravioribus ſceleribus, diſciplinæ ſeverioris cauſa, ad peccatores intra Chriſtianæ legis limites continendos, veniam denegarent, quam tamen omnibus concedere poſſe nuſquam dubitarunt. Africanis Epiſcopis ac Zephyrino haud minus ſeveriores extitere in Hiſpania Patres in Concilio Eliberitano congregati, non paucis editis Canonibus, quibus atrocioribus criminibus, qualia ſunt præſertim idololatria, homicidium, & adulterium denegandam eſſe pœnitentiam decernunt.

Inveteratis peccatoribus in extremo vitæ conſtitutis.

IV. Secundo præter graviſſima iſta peccata, & hæc in primæva Eccleſia viguit conſuetudo, ut inveteratis peccatoribus cujuſcumque mortalis culpæ reis, qui ſpreta, dum ſani eſſent & incolumes, Dei patientia, in-

ex-

extremis conſtituti pœnitentiam poſtularent, omnis prorſus reconciliatio denegaretur. Teſtem hujus diſciplinæ profero Innocentium Papam I. qui de illis interrogatus ab Exuperio Toloſano Epiſcopo Epiſtola 3. cap. 2. ita reſpondit: (Et hoc quæſitum eſt, quid de his obſervari oporteat, qui poſt Baptiſmum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ, pœnitentiam ſimul & reconciliationem communionis expoſcunt. De his obſervatio prior dudum fuit; poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu, negata merito communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio.) Moribundis ergo pœnitentia quidem, ſeu pœnitentiæ exercitia permittebantur: ut cordis contritione, corporis afflictione, lacrymis & gemitu peccata abſtergerent; ſed reconciliationis communioniſque ſpes omnis auferebatur. Quam tenacem hujuſce diſciplinæ cuſtodem ſeſe exhibuerit Sanctus Cyprianus, ipſe declarat in Epiſtola 51. ad Antonianum ſic ſcribens: (Et idcirco, frater cariſſime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis fuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus eſt accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.) Ab hac tamen ſeveritate nonnihil poſtea reflexit in gratiam martyrum, Epiſtola 13. permittens, ut lapſis, qui libellos a martyribus acceperant, infirmitatis periculo occupatis manus in pœnitentiam imponeretur, & ſic cum pace Eccleſiæ migrarent ad Dominum. Ceterum aliis qui libellos a martyribus non impetraſſent, quocumque mortis in diſcrimine eſſent conſtituti, reconciliationem omnino denegari voluit, perſeveravitque hæc diſciplina etiam poſt Sanctum Cyprianum, ſaltem in quibuſdam Eccleſiis: nam in Concilio Arelatenſi I. anno 314. celebrato Canon 23. hæc habet: (De his, qui apoſtatant, & numquam ſe ad Eccleſiam repræſentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & poſtea infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi revaluerint, & egerint dignos pœnitentiæ fructus.) Peccatori enim negare communionem, & negare reconciliationem, ut norunt Eruditi, illis temporibus idem ſonabat. Sed tandem Concilium Nicænum hanc praxim omnino ſuſtulit Can. 13. decernens, ut cuicumque in exitu poſito & poſcenti communionis gratia ab Epiſcopo impertiatur. Id quod tamen jam paſſim invaluerat, ut ex hujus Canonis verbis facile colligitur, qui juxta antiquam & Canonicam legem conditus dicitur: qui nihilominus nequaquam obſtitit, quominus priſtinam ſeveritatem retinuerint nonnulli Epiſcopi; cujus rei exemplum habemus in Sardicenſi Concilio, in cujus Canone 2. congregati Patres Præſulibus, qui per ambitionem ſedem mutaverant, nec in exitu communionem laicam conſequi permittunt. Perſeveratque adhuc ſeculo V. in Galliis iſtæc diſciplina, quo tempore Cæleſtinus Papa I. Epiſt. 2. cap. 2. Gallicanos Epiſcopos ita redarguit: (Agnovimus enim pœnitentiam morientibus denegari, nec eorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore, hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus fateor tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem, pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere?) &c. quæ ubi ſuſius proſecutus eſt, tandem ſic concludit: (quovis tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti.) Hinc & Sanctus Auguſtinus in Sermone 393. novæ editionis, (ſi aliquis autem, inquit, poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit; ſed non præſumimus, quia bene hinc exit.)

Peccata publica pœnitentia jam expiata.

V. Tertio peccata, quæ pœnitentia ſemel expiata fuerant, ſi denuo committerentur, nullam ab Eccleſia obtinebant veniam & reconciliationem. Hujuſce diſciplinæ cum plura nobis ſuppetant veterum teſtimonia, pauca tantum hic ſubjiciam. Tertullianus in Libro de Pœnitentia, quem Catholicus conſcripſit, poſtquam egit de pœnitentia Catechumenorum, variaſque verſutias Diaboli, quibus nos poſt Baptiſmum in peccatum deturbare nititur, expoſuit, de apponendo illis remedio ita ſcribit: (Hæc igitur venena ejus providens Deus, clauſa licet ignorantiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc permiſit patere. Collocavit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefiat. Sed jam ſemel, quia jam ſecundo, ſed amplius numquam, quia proxime fruſtra.) Ergo ex Tertulliano poſt pœnitentiam, quæ Baptiſmum præcedebat, ſecunda adhuc baptizatis peccatoribus patebat, ſed quæ *jam ſemel* & non ſecundo, quia poſtmodum *amplius numquam* concedebatur. Longe clarius Origenes in Homilia 15. in Leviticum loquitur: (In gravioribus enim, inquit, criminibus, ſemel tantum pœnitentiæ conceditur locus. Iſta vero communia, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur.) Hunc Origenis locum, qui in editis ita interpolatus legitur, *in gravioribus enim criminibus ſemel tantum vel varo pœnitentiæ conceditur locus*, ad fidem MSS. reſtituimus, expunctis duobus his verbis *vel varo*, quæ deſiderantur in duobus antiquis Origenis codicibus Bibliothecæ Majoris Monaſterii, utroque optimæ notæ, quorum unus ante annos 800. alter ab annis circiter 600. ſcriptus eſt:

in duobus Monaſterii Gemmeticenſis & in uno Rotomagenſis S. Audoeni cœnobii. Noſtramque correctionem confirmat antiquus author Anonymus, qui in Tractatu Theologico ante annos 400. exarato, & in præfato Majori Monaſterio aſſervato, hunc locum Origenis citat ſine *vel raro*, uti & Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 14. cujus, ne forte error aliquis in editis ſubrepſiſſet, tres codices MSS. ejuſdem Bibliothecæ conſuluimus: qui donec plures conſulendi ſeſe offerat facultas, ad tuendam reſtitutionem noſtram interim ſufficere debent. Venio ad S. Ambroſium, qui in lib. 2. de Pœnitentia ita ſcribit cap. 10. (Merito reprehenduntur, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto. Nam ſi vere agerent pœnitentiam, iterandam non putarent: quia ſicut unum eſt Baptiſma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet pœniteri peccati: ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.) Ambroſio ſuffragatur Auguſtinus in Epiſtola 153. novæ editionis ad Macedonianum docens, quod (caute ſalubriterque proviſum ſit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemtibilis fuerit.) His adde Socratem lib. 6. Hiſt. cap. 21. ubi de Sancto Chryſoſtomo hæc habet: (Cum a Synodo Epiſcoporum ſemel dumtaxat iis, qui poſt Baptiſmum peccaſſent, conceſſa fuiſſet pœnitentia, ipſe pronunciare non dubitavit, licet millies egeris pœnitentiam, accede.)

Reis capite damnatis.

VI. Quarto quod de inveteratis peccatoribus, qui in extremis tantum conſtituti pœnitentiam petebant, diximus ipſis denegatam; idem de facinoroſis capite damnatis aſſerendum videtur; quamvis non eadem extiterit omni tempore, & loco hac de re diſciplina. Nam ſub finem ſeculi VI. Daco quidam teſte Gregorio Turonenſi lib. 5. Hiſt. cap. 26. a Chilperico (cum vinctus teneretur, & cerneret ſe penitus non evaſurum, a Presbytero, Rege neſciente, pœnitentiam petiit:) quam haud dubium, ſi Rex reſciviſſet, non impetraſſet; ſeculo VIII. Corbinianus Friſigenſis Epiſcopus, cum Adalberti cujuſdam ſuſpendio plectendi vitam a Judice obtinere non potuiſſet, (reum admonere ſtuduit, adſiſtentesque longius amovit, ut omnem ei putredinem, & vulnus animæ ſuæ confeſſione puriſſima aperiret, tam in factis, quam in locutionibus, atque cogitationibus pravis) ut ſcribit Aribo in ejus vita cap. 7. ſeculo IX. Patres Concilii Moguntini 1. interrogati de furibus, & latronibus cap. 27. reſponderunt: (ſi omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine ſecundum Canonicum juſſum danda eſt: cur non eis, qui pro peccatis ſuis pœnam perſolvunt? Idem decernit Concilium Vvormatienſe c. 80. ſuffragaturque Tribunenſe I. c. 32. Et tamen circa idem tempus Dido Laudinenſis Epiſcopus reo extremo ſupplicio plectendo *pœnitentiam per confeſſionem petenti* negavit; qua de re redarguit eum Fulco Remenſis Archiepiſcopus apud Flodoardum lib. 4. Hiſt. Rom. c. 6. longe clementior extitit ineunte ſeculo XI. Rainaldus Senonenſium Comes, licet & ipſe de crudelitate notatus, qui latroni cuidam ſuſpendii damnato impetravit, ut ante *fieret confeſſus ſuorum facinorum Epiſcopo*, ut ſcribit Rodulphus Glaber lib. 3. Hiſt. c. 6. Similem indulgentiam in reos haberi voluerunt Aluredus, Eduardusque Angliæ Reges editis in gratiam reorum confiteri volentium ſapientiſſimis legibus, quas confirmavit ſeculo XI. Canutus Rex additis pœnis in Judices illis ſtatutis non obtemperantes: (Si quis rei capitalis damnatus ſua ingenue peccata confiteri cupiverit, id ei conceditur. Si quis autem denegaverit; numerato regi centum viginti ſolidos; aut ſaltem adjunctis viris quinque, ſe culpa liberato.) Dum hæc in Anglia vigeret regum ſtudio diſciplina, Henricus Roberti Normannorum Ducis frater Conano cuidam, qui Rotomagum Guillelmo Ruſo prodere tentaverat, vincto in carcerem, & proxime morituro, *pro amore Dei confeſſionem ſibi permitti* poſtulanti denegavit, ut ſcribit Ordericus Vitalis lib. 8. ad annum 1090. Inſequenti ſeculo XII. Sancta Hildegundis, aſſumta veſte virili, & mentito nomine Joſeph, pro latrone comprehenſa, (cum ſe videret damnandam & impiorum manibus tamquam latro perimendam, Sacerdotem requiſivit, qui confeſſionem pereuntis reciperet, & Sacramentum Dominici Corporis & Sanguinis innocenti præberet:) id quod ægre obtinuit. Haud dubium quia non ſoleret reis confeſſionis gratia concedi: tamenſi puellæ cuidam propter homicidium apud Coloniam igni tradendæ circa idem tempus conceſſam ſcribat Cæſarius Monachus in Dialog. diſtin. 3. cap. 15. & diſt. 2. cap. 6. idem beneficium latroni homicidæ rotali pœnæ adjudicato oblatum. Hanc reis denegandæ pœnitentiæ conſuetudinem haudquaquam improbat Robertus Pullus. Nam in lib. 6. Sententiarum, quas circa idem tempus conſcripſit cap. 55. ſic effatur: (Quod ſi eum, qui ex confeſſione eſt reus, reum quoque divina pandant judicia (Judicia enim abyſſus multa) non videtur ad Sacerdotem pertinere ad hujuſmodi accedere debere. Ex quo enim Dei judicio convictus, aut ipſo in maleficio deprehenſus, judici mundano traditur, judicem pro Sacerdote habet, quoniam ipſi occulta ſcelerum pandere oportet, a quo pro ipſis pœnam recipiet. Nam ſi tales viſitet Sacerdos, pravorum flagitia roborantur ſpe confeſſionis & Euchariſtiæ.) Viguit igitur aliquot poſt ſeculis in Gallia hæc praxis, quæ etiam, non obſtantibus regum legibus, aliquando locum habuit in Anglia, unde conqueſtus eſt Bonifacius Cantuarienſis Archiepiſcopus in Conſtitutionibus provincialibus in Concilio Lambetenſi anno 1261. ediis, quod reis *hujuſmodi Sacramentum ſeptus inhumaniter* denegarctur. Cui concinit Concilium Londinenſe anni 1268. cap. 2. Sed tandem huic malo remedium afferre conatus eſt Clemens Papa V. in Concilio Viennenſi, edita Conſtitutione ad hujuſmodi abuſum damnabilem abolendum, quæ habetur in lib. 5. Clementinarum

tinarum Titulo 9. cap. 1. quæ tamen diu inolitam praxim non abroſeverit in Galliis: adeo ut neceſſe fuerit, ut anno 1396. Carolus VI. Francorum rex edictum daret pro admittendis ad Sacramentum pœnitentiæ fontibus capitis damnatis: quo beneficio ſub Ludovico XI. potius eſt Comes a Sancto Paulo Comes ſtabuli, qui ut ſcribit Guaguinus lib. 10. cap. 20. *confeſſione more Chriſtiano expleta*, capite plexus eſt. Caroli tamen edictum non unſquequaque obtinuit; adeo ut Stephanus *Poncher* in Synodo anni 1515. hoc ſtatutum edere neceſſarium duxerit: (Juxta Concilium Viennenſe, ſub pœna excommunicationis monetis judices locorum veſtrorum ordinarios, quatenus damnatis ad mortem faciant, antequam patiantur, pœnitentiæ Sacramentum per perſonam idoneam adminiſtrari, contrariam conſuetudinem abolentes.)

Confeſſio Sacerdotum. VII. Quinto de peccatis Sacerdotum aliqua poſſet oriri dubitatio. Ambigendi locum aperit Leo Papa I. in Epiſt. 2. novæ editionis, ad Rufticum Narbonenſem Epiſcopum ſcribens in hæc verba: (Alienum eſt a conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconii gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi: quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt, Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro illo? Unde hujuſmodi lapſis ad promerendum miſericordiam Dei privata eſt expetenda feceſſio, ubi illis fatisfactio, ſi fuerit condigna, fit etiam fructuoſa.) Scribit etiam Mabillonius in Præfatione ad Seculum III. Benedictinum parte 1. pag. 66. (De Presbyterorum confeſſionibus præter id, quod habetur in reſponſis Zachariæ ad Pippinum, interdicentis reconciliationem Presbyteris per manuum impoſitionem, hoc eſt per pœnitentiam publicam, & in Concilii Pariſienſis VI. parte 1. capite 46. nihil invenio ante ſeculum quartum decimum, quo definitum eſt non ſemel, ut Presbyteri cuivis Sacerdoti confiteri poſſint.) Verum longe ante ſeculum decimum quartum inſigne habemus confeſſionis Sacerdotum exemplum in Actis Tranſlationis Sancti Bertulfi Renticenſis num. 35. (Paulo ante tranſlationem Sancti Bertulfi Sacerdotes, ut dictum eſt, albis induti, pedibus nudis, devote potius quam temere ad Sancti corporis locellum admiſſi *confeſſione primum viciſſim facta*, cum fide & tremore accedunt.) Immo longe ante hanc tranſlationem de Confeſſione Sacerdotum hoc invenio decretum in ſelectis capitulis Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi cap. 106. Spicilegii Tomo 9. *Epiſcopus, Presbyter, Diaconus confiteri debet peccatum ſuum*. Et in vita Sancti Goaris num. 22. luculentum habemus de Epiſcoporum pœnitentia teſtimonium, uti & apud Gregorium Turon. lib. 8. Hiſt. cap. 20. de pœnitentia Urſicini Cadurcenſis Epiſcopi.

VIII. Sed nec inaudita fuit ante Leonem Papam publica Presbyterorum pœnitentia, quam tribus primis Eccleſiæ ſeculis uſitatam fuiſſe, optime probat Morinus lib. 4. de Pœnitentia cap. 12. Unde quod ait Sanctus Leo alienum eſſe a conſuetudine, ut Presbyteri & Diaconi publice pœniteant, idque ex Apoſtolica traditione defenderet; de conſuetudine Eccleſiæ Romanæ potiſſimum videtur intelligendum, quæ a Petro Apoſtolo illam potuit accepiſſe.

Confeſſio generalis. IX. Sexto de peccatis pœnitentia jam exiatis quæri etiam poſſet, num ſecundæ reconciliationi olim ſubjicerentur, viguerintne apud antiquos generaliter, ut loquuntur, confeſſionum uſus. Viguiſſe indubitata probant teſtimonia & exempla. Inſigne eſt illud quod refert Socrates lib. 5. Hiſt. cap. 19. (Mulier quædam nobilis ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta *poſt Baptiſmum* a ſe perpetrata ſigillatim confeſſa erat.) Aliud ſubminiſtrat Gregorius Turonenſis in Vita Sancti Aredii apud Mabillonium Analectorum Tom. 4. Quippe Aredius (ne aliqua ſuum pectus delicta ſuſcarent, omnia acta adoleſcentiæ ſuæ coram confpectu viri Beatiſſimi Niceti Epiſcopi confeſſus eſt.) Quæ verba a Gregorio mutuatus eſt Sanctus Audoenus in Vita Sancti Eligii libro 1. capite 7. ubi eadem de Eligio narrat, quæ hic Gregorius de Aredio. Eodem modo de Sancto Tillone Solleminiacenſi Monacho loquitur Anonymus in ejus Vita apud Bollandum 7. Januarii, qui eodem cum Sancto Eligio vivebat tempore. Quartum nec minus inſigne confeſſionis generalis exemplum extat in libello, qui inſcribitur Conſilium Hincmari Archiepiſcopi de pœnitentia Pippini Junioris, olim regis Aquitaniæ, apud Sirmondum in Analectis ad Capitula Caroli Calvi. (Exhortandus eſt Pippinus, ut puram confeſſionem de omnibus peccatis ſuis, quæ ab ineunte ætate perpetravit, fecrere faciat. Quia forte talia fecit, quæ turpe eſt etiam in publicum dicere.) Denique Sanctus Anſelmus lib. 3. Epiſt. 66. ad fratrem ſuum Hierofolymam profecturum ita ſcribit: (Facite confeſſionem omnium peccatorum veſtrorum nominatim ab infantia veſtra, quantum recordari poteſtis.) Inſigne vero eſt illud, quod refert Petrus Damiani Opuſculo 56. ad Agnetem Auguſtam, ad quam ita ſcribit: (Sed ut hi qui ad Apoſtolorum limina confluunt, ſanctæ devotionis tuæ ſalubriter imitentur exemplum; ſub arcana quoque Beati Petri confeſſione ante Sacrum Altare me ſedere feciſti, ac per lugubres gemitus & amara ſuſpiria, ab ipſa quinquenni infantia, tenera adhuc & nuper ablactata levitate cœpiſti: & tamquam illic ipſe Beatus Apoſtolus corporaliter præſideret, quidquid ſubtile vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare viſceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid prætcrea ſubrepere potuit in Sermone ſuperfluum, fidelibus eſt relationibus evolutum. Ad quod mihi vifum eſt, ut nihil aliud confitenti pœnitentiæ pondus injungerem, niſi ut illud divinæ legationis eloquium iterarem: Age quod agis, operare quod operaris:) In ipſo etiam Ciſtercienſis Ordinis exordio novitii (mox poſt converſionem omnia peccata, quæ commiſerant, te-

nebantur Abbati ſuo confiteri,) ut teſtatur Cæſarius Monachus in Dial. diſt. 3. cap. 1. id quod de generali confeſſione intelligendum nemo non videt. Cujus etiam exempla quædam profert idem Author capp. 23. & 25.

ARTICULUS TERTIUS.

De Confeſſione peccatorum.

I. CONfeſſio peccatorum duplex fuit apud antiquos, publica ſeu ſollemnis, & privata, quam vulgo auricularem appellant. Publicæ non pauca nobis ſuppetunt ex veteribus ſcriptoribus argumenta, eamque *ob vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ ædificationem* laudabiliter fieri potuiſſe docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. At lege aliqua Eccleſiaſtica aliquando præceptam fuiſſe, opinari vetat Sancti Leonis Papæ teſtimonium in Epiſtola 136. novæ editionis ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium & Picenum conſtitutos, quos ſic alloquitur: (Illam etiam *contra Apoſtolicam regulam* præſumtionem, quam nuper agnovi a quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri: ne videlicet de ſingulorum peccatorum genere libello ſcripta profeſſio publicetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicare confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen quia non omnium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare; removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta referari, quibus poſſint legum Conſtitutionibus percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.) Prolixum hunc Sancti Leonis locum integrum hic referre libuit, tum quia egregium auricularis confeſſionis ſecundum *Apoſtolicam regulam* continet teſtimonium: tum quia rationes exponit, quibus a præcipienda publica confeſſione repreſſa fuit Eccleſia.

Confeſſio publica ab Eccleſia quamquam præcepta.

II. De privatæ confeſſionis ritibus illud primo obſervandum eſt, quod peccator humilitatem vultu & habitu præſeferens accedebat ad Sacerdotem pœnitentiam petiturus. Ea de cauſa antiquus Ordo Romanus, & vulgatus Alcuinus in cap. *de Capite jejunii* jubent, ut ante omnia baculos, ſi quos habent, deponant: idem dicendum de gladiis, enſibus & armis. Hanc humilitatem ut amplius exhiberet Pippinus rex (non dedignatus eſt gratia Confeſſionis diſcalceatus S. Vironem adire, ejuſque imperio parere,) ut habent Acta S. Vironis apud Bollandum 7. Maji.

Ritus faciendæ Confeſſionis.

III. Secundo proſtratus ad terram pœnitentiam poſtulabat, cujus ritus mentionem faciunt Ordo Romanus, vulgatus Alcuinus, aliique Libri Rituales non pauci, quibus accedit Concilium Romanum ſub Zacharia Pontifice actione 1. in qua agitur de præſumtione Adalberti hæretici, qui venienti populo & (*proſtrato ante pedes ejus*, & cupienti confiteri peccata ſua dicebat; Scio omnia peccata veſtra: ideoque non opus eſt confiteri ea.)

IV. Tertio fuſis a Sacerdote in pœnitentem precibus nonnullis, eum coram ſe ſedere jubebat, tum de fidei articulis, oratione Dominica, deque variis peccatis, eorumque circumſtantiis interrogabat, ut fidem faciunt varii Rituales libri a Morino editi, aliique a nobis infra exhibendi, patetque ex Actis S. Bertholdi Abbatis Garſtenſis apud Surium 27. Julii, in quibus capite 13. hæc lego: (Habebat vir Beatiſſimus in Confeſſionum auditione conſuetudinem, diligentiſſima indagatione cuncta perſcrutari, quæ contra Deum homo feciſſet; ſi catholicam teneret fidem; ſi ſciret Dominicam Orationem,) &c. Hinc etiam ſtatuta MS. Eliæ Epiſcopi Uticenſis: (Debet eum (peccatorem) primo interrogare Presbyter, utrum ſciat *Pater noſter*, *Credo in Deum*, *Ave Maria*.)

V. Quod autem non genuflectendo, ſed ſedendo confeſſio olim fieret, probant Ordo Romanus, vulgatus Alcuinus, & alii libri Rituales non pauci. Idem etiam a Monachis olim uſurpatum fuiſſe demonſtravimus in Commentario in Regulam S. Benedicti cap. 46. Infantes tamen apud eos ſtantes confitebantur, ſoli Carthuſiani Grandimontenſeſque genuflectendo. De Æthiopibus etiam ſcribit Joannes Boterius in Epiſtola ad Antonium Carrafam, S. R. E. Cardinalem, quod (peccata Sacerdotibus ſtantes confitentur.) Ineunte vero ſeculo XIII. cœperunt etiam ſeculares viri genibus flexis peccata manifeſtare: qua in re mira fuit Joachim Abbatis Floris Conſtantia in Conſtantiam Imperatricem. Audiendus eſt Lucas Cuſenſis Epiſcopus de eo ſic differens apud Bollandum 2. Maji: (Sexta feria Paraſceve ſedebam cum eo in clauſtro S. Spiritus de Panormo; & ecce vocatus ad palatium fuit ad Imperatricem Conſtantiam, quæ illi confiteri volebat. Ivit, & invenit eam intra Eccleſiam in ſella confueta ſedentem. Juſſus autem ſedere in ſellula pro ipſo poſita, ſedit. Sed cum Imperatrix aperuit ei propoſitum confitendi; eam, qua debuit auctoritate frenavit, & reſpondit, dicens: quia ego nunc locum Chriſti, tu vero pœnitentis Magdalenes tenes, deſcende, ſed in terra, & ita fideliter confitere, aliter non debeo te audire. Deſcendit & ſedit Imperatrix in terra, & humiliter confeſſa eſt peccata ſua.) Græci hodieque retinent antiquum uſum, ſiquidem (non genuflectentes, ſed ſedentes cum reverentia & capite

oper-

operto peccata confitentur,) ut ſcribit Alatius l. 3. de Conſenſu Eccleſiæ Occidentalis & Orient. cap. 9. num. 6. Nec quemquæ movere debet hæc praxis, nam cum olim non ita frequentes eſſent fidelium Confeſſiones, nec tam brevi temporis intervallo conficerentur, grave, ac moleſtum fuiſſet pœnitentibus, ex quibus nonnulli infirmi eſſe poterant, & ſenes, per plures horas genibus flexis manere.

'Confeſſio per nutum. VI. Quarto peccata declarandi triplex fuit ratio. Verbo ſcilicet, nutu, aut ſcripto. Confeſſionis per nutum egregium habemus teſtimonium in Concilio Atauſicano Can. 12. (Subito obmuteſcens prout ſtatus ejus eſt, baptizari aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis *in ſuo nutu*.) Et apud S. Leonem Papam Epiſt. 83. novæ editionis ad Theodorum Epiſcopum Forojulienſem cap. 5. (Verum, ut dixi, etiam talium neceſſitati ita auxiliandum eſt, ut & actio illis pœnitentiæ, & communionis gratia, ſi eam etiam amiſſo vocis officio per indicia integri ſenſus poſtulant, non negetur.) &c. cujus rei præxim videre eſt in Actis S. Philiberti Abbatis Gemmericenſis num. 13. Seculo 2. Benedictino. At nè quis exiſtimet hunc confeſſionis modum proprium fuiſſe mutorum, aut infirmorum ægre loquentium, reperio in Vita S. Francifci, a S. Bonaventura ſcripta, fratrem quemdam, qui (omni tempore orationi vacans, tanta diſtrictione ſilentium obſervabat, quod confueverat non verbis, ſed nutibus confiteri.) Singulare prorſus exemplum, quod cum alii demirarentur, ſolus nec Per ſcripta. immerito damnavit S. Franciſcus. De confeſſione per ſcripta extat Roberti Epiſcopi Cenomanenſis Epiſtola confeſſionis, quam in ægritudine valida poſitus direxit Epiſcopis circa muros Andegavis cum Karolo Principe, in obſidionem Normannorum reſidentibus, petens ab eis abſolvi, quæ habetur in Conciliorum Galliæ Tom. 3. p. 405. cum Epiſtola abſolutionis, quam ei remiſerunt iidem venerabiles Confeſſores de loco obſidionis, quæ inter abſolutionis formulas, quas ex MS. S. Remigii Remenſis infra proferemus, legitur.

VII. Quinto declarantes peccata ſolebant percutere pectus, factis perinde ac verbis ſemetipſos accuſantes: (Tundere enim pectus, inquit S. Auguſtinus Serm. 67. quid eſt, niſi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulſu occultum caſtigare peccatum?) Hujus ritus meminit idem Auguſtinus Serm. 29. (Sunt enim parum eruditi, qui cum audierint confeſſionem in Scripturis, tamquam niſi peccatorum eſſe poſſit, continuo tundunt pectora, velut jam moneantur confiteri peccata.)

'Confeſſiones in loco patenti excipiendæ. VIII. Sexto locus excipiendis confeſſionibus, maxime mulierum, publicus erat, omnibuſque conſpicuus; ne forte ſiniſtræ famæ oriretur aliqua ſuſpicio: (Confeſſiones mulierum, inquit S. Edmundus in Conſtitutionibus cap. 17. audiantur extra velum & in proparulo quantum ad viſum, non quantum ad auditum.) Et Concilium Biterrenſe anni 1246. Can. 46. (Qui autem Confeſſiones eorum audierint, in loco patenti audiant, non in occulto.) Atque hac de re potiſſimum Hugonem Gratianopolitanum Epiſcopum laudat Guigo in ejus Vita apud Bollandum 1. Aprilis, quod (mulierum Confeſſiones non minus caute quam benigne ſuſcipiebat. Non enim in angulis, aut obſcuris, aut ſecretis locis eas audire ſolitus erat; ſed potius ubi a pluribus conſpici poſſet: Et aurem quidem ſatis familiariter applicabat, oculorum autem in alteram partem vertebat aſpectum: auditum ſolum propter inſidias diaboli hujuſmodi negotiis afferens applicandum.) Signantius vero locum Altari vicinum deſignat Concilium Pariſienſe anni 829. part. 1. cap. 46. (Porro ſi Sacerdotibus ſanctimoniales confiteri voluerint, id nonniſi in Eccleſia coram ſancto Altari, aſſtantibus haud procul teſtibus, fiat.) Hinc formula Confeſſionis, quæ in pœnitentiali Egberti Eboracenſis Epiſcopi continetur, ſic incipit (Confiteor coram Deo omnipotente, Creatore Cœli & Terræ, & coram hoc Altario ſancto.) Et Petrus Damiani Opuſculo 56. teſtatur Agnetis Imperatricis Confeſſionem excepiſſe ſe *ſub arcana B. Petri Confeſſione ante ſacrum Altare*. Bertholdus quoque Abbas Garſtenſis *ante Altare S. Petri* ſolebat *Confeſſiones audire*, uti legimus in ejus vita cap. 22. apud Surium 27. Julii. Id vero ita expreſſe ſtatuit Concilium Redingenſe, ut alibi factæ Confeſſiones nullas & irritas decernat: (Circa Confeſſiones, inquit, taliter duximus ordinandum: ut in loco tantum fiant publico, coram Altari, expoſito tranſeuntibus univerſis, nec valeat abſolutio ſecus facta.) Concilium vero Colonienſe anni 1280. ſub pœna excommunicationis verat, ne Sacerdotes (in locis obſcuris & tenebroſis Confeſſiones audiant.) Sub ſimili pœna prohibet, ne Sacerdos mulierem, quæ ſola ſit in Eccleſia, confitentem audiat;) jubetque (ut Sacerdotes ante ſolis ortum & poſt ſolis occaſum nullatenus ad Confeſſionem audiendam ſedeant, niſi in magna neceſſitate, & in loco illuminato, & aliquibus præſentibus.) Addit vero Concilium Pariſienſe: *Si infirmitas præpedierit, ut in Eccleſia eadem confeſſio fieri nequeat: in qualibet domo facienda eſt, nonniſi teſtibus ſimiliter haud procul aſtantibus fiat.*

IX. Denique locum hic meretur monitum Eliæ Uticenſis Epiſcopi in MS. Statuis Synodalibus: (Habeat autem Sacerdos ſollicitudinem diligentem, ne dum audit Confeſſionem, in facie reſpiciat confitentem, præcipue mulierem; ſed ſi cappam indutam habet, caputium in capite veſtirum teneat, ac etiam inclinatum. Et ſi peccatum horribile intellexerit, non ſpuat, non faciem vel caput avertat ſeu retorqueat huc vel illud, aut ſignum aliquod vel nutum faciat, ſeu nec aliquod verbum proferat, propter quod abominari peccatorem vel peccatum videatur, ne peccator rubore ſeu verecundia confuſus peccata reliqua vel humilia ſibi timeat revelare.) Simile aliquid habet Concilium Colonienſe ſupra citatum cap. 8. additque (ut Sacerdotes induti ſuperpelliceis vel cappa, ſtola

ſtola ſuperpoſita ad Confeſſionem ſedeant.)

X. Poſtremo auditis pœnitentis peccatis, eique impoſita ſatisfactione, Sacerdos varias in eum preces effundebat, donec impleta, & peracta pœnitentia, eum Deo, & ſacris myſteriis per Sacramentalem abſolutionem reconciliaret.

XI. Hæc ſunt præſertim, quæ a Latinis olim in facienda Confeſſione obſervabantur: de praxi hodierna tamquam omnibus notâ dicere ſupervacaneum. Quid vero de Græcis? Paucit accipe ex Epiſtola Leonis Allatii ad Johannem Morinum: (Confeſſio Græcorum recentiorum in inſula Chio, & ferme aliis Inſulis, quomodo conficiatur, exponam: nam de aliis Græciæ partibus mihi non liquet, & forte etiam ibi alius modus obſervatur. Confeſſionem auditurus in Eccleſia, ſive etiam domi, appenſo Peritrachelio ſedet; Pœnitens ſive mulier, ſive vir in ſcamnulo penes eumdem accumbit, aperto capite, reverens, & totus ad pietatem compoſitus. Poſt preces a Sacerdote in pœnitentem fuſas & exhortatiunculam ad prompte peccata omnia confitendum, narrat pœnitens quidquid præter jus faſque admiſit. Poſtmodum & Sacerdos interrogans memoriam vellicat, e qua ſi quid elapſum eſt, in mentem reducit. Confeſſione completa orationes illas ἐπὶ τῷ κεφαλοκλίνῳ recitat, ἐπιτιμίον imponit, benedicit, & dimittit. Pœnitens ſi ἐπιτιμίον illud eſt, quod ante communionis ſacrum diem perfrui poteſt, eo abſoluto, ad communionem accedit, ſi plures requiras dies, licet id non exſolverit, communicat tamen; poſtea reliquum abſolvit: niſi a Sacerdote injunctum fuerit, ut nonniſi completa pœnitentia ad Euchariſtiæ communionem accedat, tunc enim omnino obedit, nec communicat.)

ARTICULUS IV.

De ſatisfactione, quæ pœnitentiæ nomine vulgo intelligitur.

I. AMpliſſimam dicendi ſegetem nobis offert hic articulus, ſed cum hanc jamdiu feliciter meſſuerit de re literaria bene meritus Johannes Morinus; nonnullas tantum hic ſpicas in gratiam minus eruditorum refricabimus. Atque ut id faciliori negotio explicemus, tria diſtinguenda ſunt peccatorum genera, levium, graviorum, & graviſſimorum: quo in poſtremo genere tria primis Eccleſiæ ſeculis dumtaxat idololatriam, homicidium, & adulterium referebant, quibus temporis ſucceſſu longe plura adjecta ſunt. De graviſſimorum ſatisfactione, quæ per publicam pœnitentiam exigebatur, hic præſertim agendum eſt. Hæc ante exortam Novatianorum hæreſim in ejectione ab Eccleſia laborioſiſque operibus tota conſtabat, poſtmodum vero quatuor in ſtationes, ſive gradus diſtributa eſt: Fletum, auditionem, ſubſtrationem, & conſiſtentiam, quorum meminit Gregorius Neocæſareæ in Ponto Epiſcopus, cui a ſignorum multitudine Taumaturgo nomen inditum eſt in Epiſtola Canonica cap. 11. quamvis nonnulli viri eruditi hunc Epiſtolæ Canonem aſſutum fuiſſe ſuſpicentur. Signantius vero Sanctus Baſilius per quatuor hoſce gradus peccatores traducendos eſſe decernit in Epiſtola ad Amphilochium cap. 22. 56. 57. 58. 59. 64. 75. 77. 80. 81. 83. paſſimque explicat, quid per quatuor hoſce gradus intelligendum ſit, maxime tamen Canone 75. decernens, ut qui inceſtum cum propria ſorore commiſerit, (triennio doleat, ſtans propter fores domus oratoriæ, & rogans populum ingredientem ad orationem, ut unuſquiſque pro ipſo miſericorditer ad Dominum intenſas fundat preces. Poſtea autem alio tertio triennio ad ſolam auditionem admittatur, & Scripturam, ac doctrinam audiens ejiciatur, & nec oratione dignus habeatur. Deinde ſiquidem illam cum lachrymis exquiſivit, & Domino cum cordis contritione, & valida humiliatione ſupplex procidit, detur ei ſubſtratio in aliis tribus annis. Et ſic poſtquam pœnitentiæ fructus dignos oſtenderit; decimo anno in fidelium orationes ſuſcipiatur ſine oblatione, & cum duobus annis una cum fidelibus ad orationem conſiteriti, ſic deinceps habeatur dignus boni communione). Hic clare, & diſtincte omnes pœnitentiæ gradus non modo enunciantur, ſed etiam explicantur, excepto tertio, quæ ſubſtratio ideo dicitur, quia poſt Catechumenorum, & Energumenorum dimiſſionem ſuper proſtratis pœnitentibus preces cum manuum impoſitione recitarentur, ut videre eſt in lib. 8. conſtitutionum Apoſt. c. 11. & ſeq.

Pœnitentia publica graviſſimorum peccatorum ſatisfactio. Quatuor illius gradus.

II. Quamvis autem omnes publice pœnitentes per quatuor hoſce gradus tranſire cogerentur, nonnullos tamen aliquando tranſgredi permittebantur. Nam v. g. Concilium Nicænum Can. 11. lapſos in perſecutione Licinii tribus annis inter Audientes, ſeptem in proſtratione, duobus in orationum fidelium participatione abſque oblatione exigere jubet, nulla fletus facta mentione. Eodem fere modo agit Canone ſequenti in eos, qui depoſito cingulo militiæ rurſus adſcripti fuerant. Sic S. Baſilius in Epiſtola ad Amphilochium Can. 13. cædem in Bello commiſſam communionis privatione per tres annos plectit, prætermiſſis ſcilicet tribus primis pœnitentiæ gradibus Can. 61. fures ad ſubſtrationem dumtaxat & conſiſtentiam redigit Can. 73. Chriſtum negantes toto vitæ ſuæ tempore deflere, & pœnitentiam agere decernit, quos proinde, nec ad auditionem, nec ad conſiſtentiam admittit, Canone 80. polygamiam fornicatione majus peccatum eſſe aſſerit, eique unum fletus, tres ſubſtrationis annos adſcribit, nullum auditionis, aut conſiſtentiæ Canone 81., qui tormentorum acerbitate devicti in perſecutione fidem abnegaverant, duobus annis audire, tribus ſubſiterni coguntur, & ſic ad communionem, tranſgreſſis auditione, & conſiſtentia, admittuntur. Denique Canone 82. perjuros duobus annis deflere, duobus audire, duobus ſine oblatione in ora-

nrationis communionem ſuſcipi decernit, prætermiſſa ſcilicet ſubſtratione. Similiter & S. Gregorius Niſſenus in Epiſtola ad Letojum fornicatores, & homicidas per tres dumtaxat pœnitentiæ gradus deducit, quartoque tranſgreſſo eos communione ſacra impertit. E contrario vero Felix Papa III. Epiſt. 7. rebaptizatos omiſſo primo gradu per tres ſequentes deducit.

Quandiu in Eccleſia viguerint.

III. Ex arbitrio ergo & voluntate Epiſcoporum pendebat per omnes, aut pauciores tranſire pœnitentiæ gradus: quorum uſus ſeculo adhuc octavo exeunte nonoque ineunte purus, & integer perſeverabat, ut conſtat ex Caroli Magni, & Ludovici Pii capitularibus, in quorum lib. 5. cap. 136. hæc lego: (qui pœnitentiam publice gerunt, debent unum annum eſſe cum cilicio inter Audientes, vel uſque ad magnum diem, & populo, quando intrat in Eccleſiam, perfuſi lachrymis veniam poſtulare, precarique eum humiliter, ut pro eis dignetur orare. Tribus vero annis ſubjaceant inter pœnitentes manibus Sacerdotum, in loco retro oſtio Eccleſiæ pœnitentibus conſtituto, & ſeorſum infra ipſam tamen Eccleſiam, ſecluſo populo tamen: jam non in terram proſtrati, ſed vultu, & capite humiliato humiliter, & ex corde, ut ſupradictum eſt, veniam poſtulent, & pro ſe orare expoſcant, duobus etiam annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed populis, tantummodo in oratione ſocientur, ut perfectionem ſeptimo in Cœna Domini conſequantur anno, ideſt per Epiſcopi vel ejus juſſu, ſi ipſe abeſt, aliorum Sacerdotum manus impoſitionem, abſolutione Sacerdotalium precum communionis catholicæ gratiam recepturi.) Nam & ſi tres tantum pœnitentiæ gradus hic commemorari videantur, auditio, ſubſtratio, & conſiſtentia, fletum tamen non omitti certiſſimum eſt; cum pœnitentes, quando populus *intrat Eccleſiam, perfuſi lachrymis veniam poſtulare* jubeantur, quod proprium flentium munus cenſetur.

IV. Poſt medium ſeculum nonum regnante Carolo Calvo tertius pœnitentiæ gradus antiquari cœpit, ut patet ex variis Summorum Pontificum Epiſtolis, & Conciliorum decretis, in quibus, ubi de publica pœnitentia agitur, fletus, auditio, & conſiſtentia commemorantur, immo & quartus ex tunc nonnihil relaxatus, conceſſa ſolemnibus ſaltem diebus pœnitentibus communione. Et certe cum rari eſſent illo ævo Catechumeni adulti, quibus manus imponerentur, omiſſis in Miſſa precibus, quæ ſuper eos, antequam dimitterentur, dici conſueverant, cœperunt & prætermitti illæ, quæ ſuper proſtratis pœnitentibus recitabantur.

V. Quæ hactenus dicta ſunt, ea oſtendunt quanto tempore in Eccleſia Occidentali viguerit ſolemnis pœnitentium in quatuor claſſes diſtributio. Quam longe antea in Orientali deſiiſſe certiſſimum eſt. Sunt qui poſt Nectarium Conſtantinopolitanum Epiſcopum nullam illorum fieri mentionem apud auctores contendunt. Verum obſtat Concilii in Trullo Can. 87. de adulteris ſic decernens: (is qui legitime ſibi datam uxorem relinquit, & aliam ducit, ex Domini ſententia eſt adulterii judicio obnoxius. A Patribus noſtris ſtatutum eſt, ut qui ſunt hujuſmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio ſubſternantur, & ſeptimo cum fidelibus conſiſtant, & ſic oblatione digni habeantur, ſi cum lachrymis pœnitentiam egerint.) Et Johannis Abbatis Raithu auctoritas in ſcholiis ad ſcalam S. Johannis Climaci, qui ſeculo ſeptimo ſcribebat, ubi pœnitentium gradus, & claſſes enumerat, & explicat hoc modo (ſunt vero pœnitentium quinque loci. Locus plorantium, cum pœnitens ſtat extra ambitum Eccleſiæ, & procidens cum fletu ab ingredientibus poſtulat orationem ante ipſorum pedes proſtratus. Locus qui dicitur audientium ante portas, quæ Baſilicæ dicuntur, ad audiendum officium, ubi pœnitentes divinum officium audiunt; ſubſequeſtratio, quæ eſt ſtatio Eccleſiæ intra ambitum Eccleſiæ in poſteriore parte Ambonis, unde & qui ibi eſt in exclamatione, quæ fit ad egreſſuros, & ipſe cum eis egreditur.

Conſiſtorium ubique ſtatuitur, qui uſque ad complementum ſacri myſterii perſeverant. Statio vero cum fidelibus fit participatio vivifici panis & communicatio & libatio Calicis Domini.) Summum tamen auctorum ſilentium demonſtrat paſſim obſoletos fuiſſe in Eccleſia Orientali pœnitentium gradus, nec niſi pruciſſimis in locis uſum, & vigorem obtinuiſſe.

Publice pœnitentes in cinere & cilicio pœnitentiam poſtulabant, & accipiebant.

VI. Jam vero ſi quis reſcire deſiderat, quibus potiſſimum afflictionum operibus toto illo pœnitentiæ tempore, quod multos in annos excurrebat, peccata expiarent, paucis iſtud expedio. In primis cilicio induti & cinere conſperſi pœnitentiam petebant, accipiebantque, ut conſtat ex Concilii Agathenſis Can. 15. (Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput a Sacerdote, *Sicut ubique conſtitutum eſt*, conſequantur) Hinc & Concilium Toletanum III. Can. 12. (quicumque ab Epiſcopo ſanus vel infirmus pœnitentiam poſtulat, id ante omnia Epiſcopus ſervet, & Presbyter, ut ſi vir eſt, ſive ſervus, ſive infirmus prius eum tondeat, & in cinere, & cilicio habitum mutare faciat, & ſic pœnitentiam ei tradat. Si vero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, niſi prius velata fuerit, aut mutaverit habitum.) Et antiqui Sacramentorum libri Gelaſianus, Gellonenſis, Noviomenſis, aliique plurimi ordinem agentibus publicam pœnitentiam deſcribentes (ſuſcipis eum 4. feria mane in capite Quadrageſimæ, cooperis eum cilicio, & oras pro eo & inclaudis uſque ad Cœnam Domini) Hunc ad titum alludit Tertullianus in libro de Pudicitia C. 5. (Adſiſtit Idololatres, adſiſtit homicida, in medio eorum adſiſtit & mœchus. Pariter de officio pœnitentiæ ſedent, & in ſacco, & cinere inhorreſcunt, eodem fletu ingemiſcunt, eiſdem precibus ambiunt, eiſdem genibus exorant, eamdem invocant matrem.) Et S. Cyprianus in libro de lapſis (orare oportet impenſus, & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes, ac fletibus ducere, tempus omne lachrymoſis lamentationibus occupare

rupare ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio, & ſordibus volutari, poſt indumentum Chriſti perditum nullum hic jam velle veſtitum.) Denique S. Cæſarius in Homilia I. ex editis a Baluzio. (Et hoc attendite fratres, quod qui pœnitentiam petit, excommunicari ſe ſupplicat. Denique ubi accipit pœnitentiam, coopertus cilicio foris ejicitur.

Veſte ſordida utebantur.

VII. Secundo non ſolum cum pœnitentiam poſtularent, ſed toto illius peragendæ decurſu veſtes ſumtuoſas deponebant, lugubreſque ac ſordidas induebant, *ut poſt indumentum Chriſti perditum, nullum hic jam velle veſtitum* viderentur, nudis ambulabant pedibus, crine aut tonſo omnino, aut certe inculto. Hinc eſt quod Concilium Agatenſe Canone 15. de pœnitentibus agens: (Si comas, inquit, non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, abjiciantur.) Et Barcinonenſe I. c. 6. (Pœnitentes viri tonſo capite & religioſo habitu utentes, jejuniis, & obſecrationibus vitæ tempus peragant:) S. Ambroſius quoque virginem lapſam alloquens in libro de lapſu Virginis conſecratæ cap. 8. (Lugubris tibi accipienda eſt veſtis, & mens, ac membra ſingula digna caſtigatione punienda, amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt, defluant oculi lachrymis, qui maſculum non ſimpliciter aſpexerunt. Palleſcat facies, quæ quondam in irrubuit impudice. Denique totum corpus injuriis, & jejuniis maceretur, cinere aſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat, quod ſibi male de pulchritudine placuit. His accedit S. Cæſarius in Sermone 59., qui in appendice novæ editionis S. Auguſtini eſt 258. num. 2. (Sed forte eſt aliquis, qui dicat, ego in militia poſitus ſum, uxorem habeo, & ideo pœnitentiam agere quomodo poſſum? quaſi nos, quando pœnitentiam ſuademus, hoc dicamus, ut unusquiſque ſibi magis capillos ſtudeat auferre, & non peccata dimittere, & veſtimenta potius evellat, quam mores.) Similia hujus ritus habes argumenta apud S. Eligium Homilia 8., & 11., & apud S. Iſidorum lib. 2. de Eccleſiaſticis officiis cap. 16. Quibus accedunt exempla non obſcuri qualiſcumque nominis perſonarum, ſed nobilitate generis inſignium, ipſorumque Regum, & Imperatorum. Nota eſt omnibus Theodoſii Imperatoris ob cædem Theſſalonicam pœnitentia, qui ut ſcribit Sozomenus Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 7. cap. 25. (Toto illo temporis ſpatio, quod ipſi ad pœnitentiam præſtitum fuerat, tamquam qui in luctu eſſet, imperiali cultu minime uſus eſt.) Præclara ſunt ſane ea, quæ de Fabiola nobili fœmina Romana ſcribit S. Hieronymus in Epiſtola ad Oceanum, quæ cum dimiſſo propter adulterium marito alteri nupſiſſet, (Quis hoc crederet, inquit S. Hieronymus, ut poſt mortem ſecundi viri in ſemet reverſa, quo tempore ſolent viduæ negligentes, jugo ſervitutis excuſſo agere ſe liberius, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre meretricios, ſaccum indueret, ut errorem publice fateretur; & tota urbe ſpectante Romana ante diem Paſchæ in Baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtaret in ordine pœnitentium Epiſcopo, Preſbyteris, & omni populo collacrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida, & ſqualliidas manus, ſordida colla ſubmitteret? .. aperuit cunctis vulnus ſuum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conſpexit. Diſſecta habuit latera, nudum caput, clauſumos. Non eſt ingreſſa Eccleſiam Domini, ſed extra caſtra cum Maria Sorore Moyſi ſeparata conſedit: ut quam Sacerdos ejecerat, ipſe revocaret, deſcendit de ſolio deliciarum ſuarum, accepit molam, fecit farinam & diſcalceatis pedibus tranſivit fluenta lachrymarum, faciem, per quam ſecundo viro placuerat, verberabat, oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat) &c. De Pœnitentia Urſicini Cadurcenſis Epiſcopi audiendus eſt Gregorius Turonenſis lib. 8. Hiſt. cap. 20. (Pro eo quod Gundobaldum excepiſſe publice eſt confeſſus, accepto hujuſmodi placito, ut pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum, neque barbam tonderet, vino, & carnibus abſtineret, Miſſas celebrare, clericos ordinare, Eccleſias, & chiſma benedicere, Eulogias dare non auderet) Vide ejuſdem lib. 9. cap. 33. Denique Ludovicus Pius Imperator publicam pœnitentiam agere coactus, armis ante altare depoſitis *pulla veſte* indutus eſt, ut legitur in ejus vita apud Cheſnium Hiſt. Franc. Tom. 2. S. Dunſtanus Edgaro regi ob vim illatam Virgini Deo conſecratæ (ſeptennem pœnitentiam indixit, ut in toto hoc ſpatio coronam regni non geſtaret) &c. teſtante Osberno in ejus vita num. 35. His addeGoffridum Comitem Andegavenſem, qui in Chronico Andegavenſi an. 1100. Deo, & Abbati Goffrido *nudis pedibus*, ſatisfeciſſe legitur.

Orationi & fletibus vacabant.

VIII. Tertio ut contritionem cordis, quæ maximam pœnitentiæ partem complectebatur, amplius oſtenderent, fletui, & lachrymis atque orationi continuo operam dabant, miſericordiam a Deo, & Eccleſia poſtulantes. Audiendus hanc in rem S. Ambroſius in lib. 1. de pœnitentia cap. 16. (Volo veniam reus ſperet, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur, obſecret, & cum ſecundo, & tertio fuerit dilata ejus communio, credat ſe remiſſius ſupplicaſſe, fletus augeat, miſerabilior poſtea revertatur, teneat pedes brachiis, oſculetur oſculis, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipſo dicat Dominus Jeſus; remiſſa ſunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multum. Cognovi ego quoſdam in pœnitentia ſulcaſſe vultum lacrymis, exaraſſe continuis fletibus genas, ſtraviſſe corpus ſuum calcandum omnibus, jejuno ore ſemper, & pallido mortis ſpeciem ſpiranti in corpore prætuliſſe.)

IX. Quarto non ſolum cordis, ſed etiam corporis in omnibus contritionem præferebant, adeo ut nullum macerationis genus prætermitterent. Hinc iterum S. Ambroſius in libro de lapſu Virginis conſecratæ cap. 9. eam alloquens. (Petas ultro carcerem pœnitentiæ, obſtringas catenis viſcera, animam tuam gemitibus jejuniiſque crucies, ſanctorum petas auxilium, jaceas ſub pedibus electorum, ut non tibi cor impœnitens thezaurizet iram in die iræ juſti judicii Dei.) Et lib.

lib. 2. de pœnitentia cap. 10. (An quiſquam illam pœnitentiam putat, ubi adquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effuſio, ubi ipſius copulæ conjugalis uſus. Renuntiandum ſeculo eſt; somno minus indulgendum eſt, quam natura poſtulat, interpellandus eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpiriis, ſequeſtrandus orationibus: vivendum ita ut vitali huic moriamur uſui.) Abſtinentiam vero ſic obſervabant, ut peracta etiam pœnitentia carnium uſum non reſumerent. Teſtis hujus conſuetudinis eſt Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, qui in Homilia I. ex vulgatis a Baluzio hæc habet. (Sunt enim aliqui Pœnitentes, qui ideo cito reconciliari volunt, ut carnes accipiant; certum eſt, quod non ſatis pœnitentiam accipit, qui carnes, nulla infirmitate cogente, aut deſiderat, aut præſumit accipere. Et ideo etiam reconciliatus pœnitens ubicumque aut in ſuo, aut in alieno convivio olera, aut legumina, aut piſciculos invenire potuerit, alias carnes non debet accipere.) Atque hic uſus non Cæſarii ſolum ævo vigebat, ſed multo etiam ſerius: nam ſeculo nono Concilium Cabilonenſe an. 813. celebratum Can. 35. eamdem de quibuſdam ſui temporis pœnitentibus querimoniam movit: (Multi, inquit, quod non ſine dolore dicendum eſt in pœnitentia, non tam peccati remiſſionem, quam temporis conſtituti expectant expletionem. Et ſi carnium, & vini uſus eis interdictus eſt, mutata non voluntate, ſed ejuſdem cibi, aut potus perceptione in tantum deliciis ſuis indulgent, ut deliciosius his interdictis aliorum ciborum, vel potionum appetitu vivere cognoſcantur,) &c. Sed ſubſequenti tempore hanc pœnam eleemoſynis largiſſimis redimebant pœnitentes; hinc ſeculo X. Ratherius Veronenſis Epiſcopus in Synodica Epiſtola ad Presbyteros Spicilegii Tom. 2. (Nullus pœnitentem inviter carnem manducare, & bibere vinum, niſi pro eo ad præſens eleemoſynam fecerit.)

Militiæ, & publicis muneribus renunciabant.

X. Quinto hic adjici poſſunt ea, quæ de militia muneribuſque ſecularibus uſuque matrimonii publice pœnitentibus interdictis ſcripſere Concilia, Summi Pontifices, aliique auctores antiqui, de quibus abunde tractavit Joannes Morinus lib. 5. de pœnit. cap. 18. & ſequentibus. De his ſeculo nono ita ſcribebat Wiſadus Bituricenſis ad Parochos: Pœnitentibus etiam, qui vagabundi per ſecularia negotia diſcurrunt, quaſi nihil mali geſſerint, peccata ſua oſtendite, & ut in uno loco morantes dignos pœnitentiæ fructus faciant, commonete, annunciantes eis veriſſime, quod pœnitentiam, & militiam ſecularem ſimul agere non poſſunt.)

Recludebantur in carcere.

XI. Sexto inter ſatisfactoria pœnitentium opera merito recenſere poſſumus recluſionem, cujus meminere Concilium Toletanum XI. cap. 7. Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus Crodegangus Metenſis Epiſcopus in Regula Canonicorum cap. 28. prout citatur a Morino, vulgatus Alcuinus libro de divinis officiis, libri Sacramentorum tum editi, tum manu exarati non pauci, quales ſunt Remenſis S. Remigii Literis Longobardicis ſcriptus, qui Tirpino Archiepiſcopo uſui fuiſſe tradi-

tur, Noviomenſis optimæ notæ, Gellonenſis, Regius Gemmeticenſis, qui Anglicanæ fuit Eccleſiæ &c. Quonam vero id ritu fieret, explicat Gregorius Papa II. ſcribens ad Leonem Iſauricum Imperatorem in hæc verba: (Vides Imperator Pontificum, & Imperatorum diſcrimen? Si quiſpiam te offenderit, domum ejus publicas, & ſpolias ſolam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel ſuſpendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longe a liberis, & ab omnibus cognatis, & amicis ſuis amandas. Pontifices non ita, ſed ubi peccaverit quis, & confeſſus fuerit, ſuſpendii, & amputationis loco Evangelium, & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tamquam in carcerem in ſecretaria ſanctorumque vaſorum ærariа conjiciunt in Eccleſiæ Diaconia, & in Catechumena ablegant, ac viſceribus eorum jejunium, oculiſque vigilias, & laudationem ori ejus indicunt, cumque egregie caſtigarint, probeque fame affixerunt, tum pretioſum illi Domini corpus impartiunt, & ſancto illum ſanguine potant, & cum illum vas electionis reſtituerint, ac immunem peccati, ſic ad Dominum purum inſontemque tranſmittunt,) hæc autem pœnitentium incarceratio fiebat in capite jejunii, finemque accipiebat in Cœna Domini.

Peregrinationes ad loca ſancta ſuſcipiebant.

XII. Denique inter pœnitentiales pœnas annumerandæ ſunt per varia Sanctorum loca peregrinationes, quas non ſolum poſt annum ſeptingeteſimum frequenter impoſitas eſſe, ut docet Morinus lib. 7. de Pœnit. cap. 15. ſed etiam ſexto ſeculo communes fuiſſe diſcimus ex Gregorii Turonenſis temporis illius Scriptoris libro de Gloria Confeſſorum c. 87. ubi agit de quodam fratricida, qui pro enormitate criminis ferreis circulis alligatus, præceptum habuit, ut ſeptem annis loca Sanctorum peragrando circuiret.) Nimirum homicidarum pœna hæc erat, ut peregre profecturi ferreis vinculis conſtringerentur, ut diſcimus ex variis Sanctorum actis, maxime vero ex libro 3. de Geſtis Sanctorum Rotomenſium cap. 1. ex lib. 3. Mirac. Sancti Bavonis num. 4. ex lib. Miraculorum S. Galli, ex Codice MS. de Miraculis SS. Floriani, & Florentii, in quo tota hujus pœnitentiæ ratio ſic explicatur: (Conſuetudine antiqua partibus interioris Franciæ uſque hodie mos inolevit, ut quiſquis propinquiorem ſibi parentem gladio jugulaverit, & poſtea pœnitentia ductus ad Pontificem crimen admiſſi facinoris detulerit, ipſo decernente Pontifice ex ipſo gladio ferrei nexus componantur, & collum peccatoris venter atque brachia ſtrictim innectantur ex ipſis ferreis vinculis: ſicque de propria patria, & ſolo patrio pellatur, interim quouſque divina pietas eadem vincula ſolvi præcipiat, primum Romæ, dehinc per diverſa Sanctorum loca veniam criminis effiagitando peregre profiteiſci cogitur.) Hujuſmodi vincula plurima divina miſericordia conſracta ad ſepulcrum S. Nicetii Lugdunenſis Epiſcopi appenſa conſpexit Johannes Preſbyter Turonenſis, ut refert Gregorius Turonenſis in lib. de vit. Patr. cap. 8.

Cum commendatitiis Epiſcopi literis.

XIII. Redeo ad Peregrinos pœnitentes, qui

in exilium miſſi commendatitias ab Epiſcopo literas accipiebant, in quibus pœnitentiæ cauſa & ratio, moduſque explicabantur. Hujuſmodi literas Adalberonis Metenſis Epiſcopi in gratiam cujuſdam homicidæ habes in Mabillonii Analectorum Tom. 4. pag. 346. eam dumtaxat, quam inclinante ſeculo XII. ſcripſit Johannes Magalonenſis Epiſcopus pro Bernardo pœnitente, qualis extat apud Bollandum Aprilis die 19. hic in ſpecimen aliarum proferam. (Johannes Dei gratia Magalonenſis Epiſcopus omnibus Eccleſiæ Catholicæ rectoribus ſubjectis æternam in Domino ſalutem. Notum ſit omnibus vobis, quod Bernardo præſentium latori, talem pœnitentiam pro peccatis ſuis horribilibus injunximus, quouſque ad ſeptem annos nudis pedibus incedat, camiſiam non ferat omnibus diebus vitæ ſuæ, quadraginta dies ante Natale Domini in cibis Quadrageſimalibus jejunet quarta feria a carne, & ſanguine abſtineat, ſexta feria præter panem, & vinum nihil comedat, in omni ſexta feria Quadrageſimæ, & quatuor Temporum præter aquam nihil bibat: omni Sabbato, exceptis ſolemnibus diebus, & niſi ægritudo interceſſerit, a carne & a ſanguine abſtineat. Quapropter clementiam veſtram in Chriſto ſuppliciter exoramus, quatenus pro redemptione animarum veſtrarum præfatum pœnitentem, quia pauperrimus eſt, in victualibus, & veſtibus miſericorditer ſuſtentetis, orationibus ſublevetis, de pœnitentia etiam ſibi injuncta ſecundum quod ratio exigit, benigne relaxetis. Data Magalonæ anno ab incarnatione Domini MCLXX. menſe Octobri. Uſque ad ſeptem annos tantum valeat.)

XIV. His ex literis patet publicas pœnitentias ſeculo adhuc duodecimo obtinuiſſe. Idem conſtat ex literis Guillelmi ducis Aquitaniæ pro cœnobio Sancti Joannis Angeriacenſis apud Bollandum 10. Februarii, in quibus ipſe narrat qua ratione illatam Monachis vim & injuriam delere ſtuduerit: (Culpabilem, inquit, & reum in ipſo capitulo, ubi hoc donum feci, me coram omnibus Monachis aſſidentibus reddidi; & egrediens capitulo, coram ipſis baronibus meis nudis pedibus ſatisfaciens, & virgas in manibus tenens, uſque ante Altare, ſuper quo caput Præcurſoris erat, humiliter deveni, & ibi ante Præcurſoris caput humi projectus, pro his facinoribus culpabilem & reum me recognovi.) Quæ quidem literæ anno 1131. datæ ſunt.

Pœnitentiæ publicæ relaxatio ſeculo IX.

XV. Verum etſi zelo quorumdam Epiſcoporum omni ævo, præſertim ad ſeculum XIII. uſque, reperiamus publicæ pœnitentiæ exempla non pauca; fatendum tamen eſt, Eccleſiaſticam hac in materia diſciplinam, ſi non omnem prorſus, maximam ſaltem jacturam paſſam eſſe; jamque a ſeculo nono pœnitentiæ publicæ vigorem pene omnino decidiſſe. Queritur ea de re Jonas Aurelianenſis Epiſcopus in lib. 1. de Inſtitutione laicali cap. 10. (Perrari namque ſunt hodie in Eccleſia, qui talem agant pœnitentiam, qualem antiquorum Patrum pœnitentium exempla, & auctoritas Canonica ſancit. Quis namque criminis reus, qui utique pœnitentia publica debuit mulctari, cingulum militiæ deponit, & a liminibus Eccleſiæ, æstuque fidelium arcetur, & a Chriſti corpore ſeparatur? Quis porro in cinere & cilicio more pœnitentium antiquorum lamenta pœnitudinis ſuſcipit?) Dende in medium allato Sancti Iſidori lib. 2. de Divinis Officiis cap. 16. teſtimonio hæc ſubinfert: (Unde colligitur, quia religionis noſtræ priſcis temporibus, dum quis, ſecundum conſtitutum ſibi a Sacerdote, uſque ad ſatisfactionem cilicio indutus & cinere conſperſus, habitu incultus, humique proſtratus, lacrymiſque profuſus videbatur, ſtatim pœnitens agnoſcebatur; ut ei a Domino ignoſceretur, ab omnibus deprecabatur. Nunc autem in cœtu Chriſtiano idcirco vix pœnitens agnoſcitur, quia pene nihil horum erga pœnitentes agitur. Quapropter credibile eſt, ut ſicut alia multa in Religione Chriſtiana viluerunt, ita quoque præmiſſus pœnitentiæ modus ab uſu, quod formidoloſum eſt, receſſerit. Et idcirco a multis diverſa flagitia perpetrantur audacter. Verum etiamſi quiſquam noſtri temporis Chriſtianus hodie aut homicidium, aut aliquid aliud admiſerit, quia hujuſmodi pœnitentia non plectitur, ideo eras conventui fidelium irreverenter ſe adjungere non veretur.) &c. Prolixum hoc Jonæ teſtimonium evidenter & manifeſte demonſtrat quantum ſeculo nono jam intepuerat vigor publicæ pœnitentiæ, vix ut ullum ejus ſupereſſet veſtigium. Quid deſubſecutis putas? Certe Aloaræ Pandulfi Capuani principis uxori ſeculo X. pro perpetrato homicidio, quod multis annis & macerationibus expiandum fuiſſet, in pœnitentiam tantum injunctum eſt, ut pſalterium ter in hebdomada legeret, & egentibus eleemoſynas erogaret, ut diſcimus ex Actis S. Nili cap. 15. apud Surium 26. Septembris.

Peccata quædam ad nutum Confeſſarii expiata.

XVI. Quæ de ſatisfactione peccatorum hactenus diximus, eam potiſſimum ſpectant, quæ publice pro gravioribus atrocioribuſque ſceleribus exercebatur. Nam alia peccata, licet mortalia ad nutum voluntatemque Preſbyteri, qui confeſſiones pœnitentium excipiebat, expiabantur aut jejuniis aut eleemoſynis, aut precibus, aliiſque operibus piis. Seculo XI. Sanctus Geraldus Abbas Sylvæ-majoris (cum maxima multitudo ad eum, ut ſua confiterentur crimina, ſæpe veniſſent; hanc omnibus in commune pœnitentiam in remiſſionem peccatorum ſuorum injungebat, ut ſexta quidem feria jejunarent, Sabbato vero a carne abſtinerent:) ut teſtatur Anonymus in ejus vita num. 24. apud Bollandum 5. Aprilis. Inſequenti ſeculo XII. B. Bertholdus Abbas Garſtenſis omnibus diſciplinas confitentibus imponebat (abſque ulla perſonarum acceptione nullum omnino tranſire ſinens implagatum.) Uti legitur in ejus vita apud Surium 27. Julii. Longe clementior fuit Petrus Damiani, qui audita Agnetis Imperatricis confeſſione nullum pœnitentiæ pondus injunxit, ſed ſolum *Age*, inquit illi, *quod agis, operare quod operaris*, uti ſcribit in opuſculo 56. cap. 5. ipſe tamen opuſculo 13. cap. 6. & 7. arguit quoſdam Monaſterii Rectores, qui (quibuslibet e ſeculo venientibus etiamſi

graviter

graviter lapſi eſſent, aliam pœnitentiam non imponebant, niſi ut communem Monaſterii ordinem ſervarent. Id tamen, quod in illis Monaſteriorum rectoribus improbat, communi uſu receptum fuit Ordine Ciſtercienſi, ipſique Sancto Bernardo familiare, teſtante iſtud in primis Cæſario Monacho in Dialog. diſt. 4. cap. 1. (venientibus ad Ordinem noſtrum, etiamſi innumera, & graviſſima commiſerint peccata, nihil eis aliud injungitur pro ſatisfactione, niſi ut ordinem ſervent. Hinc eſt, quod Sanctus Bernardus cum tempore quodam quemdam Regem Francorum in Ordine recepiſſet; illi ſolummodo poſt confeſſionem Dominicam Orationem injunxit. Quo turbato putans ſibi a Sancto illudi: reſpondit Abbas Beatus: Tu tantum orationem hanc dicito, & ordinem cuſtodi; & ego pro peccatis tuis rationem reddam in die Judicii.) Alibi vero in vita ſcilicet Sancti Dominici, cui Loricato cognomen inditum eſt, cap. 12. ſupradictus Petrus Damiani arguit Abbatem quemdam, cui cum Dominicus in vigilia Natalis Domini cum lacrymis fuiſſet confeſſus (Ille ut erat juvenculus, levis moribus, & conſiliis ſpiritualibus, cum ſibi ſufficeret unum pſalmum, vel perexiguum quid imponere præcepit, ut pro his, quæ confeſſus fuerat, triginta pſalteria decantaret.) Ex his Petri Damiani verbis elucet quales olim pro venialibus delendis maculis pœnitentiæ imponerentur, quales nimirum etiam, vel hodie ſunt in uſu, unus ſcilicet & perexiguus pſalmus recitandus. Cæterum ad vitandum in opere pio turpe lucrum, vetant Concilia, ſtatutaque Synodalia Epiſcoporum non pauca, ne confeſſarii pro pœnitentia pecunias exigant, aut Miſſas dicendas imponant. Ita Conſtitutiones Richardi Epiſcopi Sarum cap. 30. Conſtitutiones Sancti Edmundi cap. 17. Concilium Wirgonienſe cap. 17. Concilium Colonienſe anni 1280. cap. 8. &c. Idem Concilium vetat etiam ne Sacerdotes (nomine reſtitutionis pro pœnitentia injungant, ut Eccleſias, Capellas, vel Cœnobia inſtituant, vel Eccleſiis legata faciant, ſed prius reſtitutionem faciant.)

ARTICULUS QUINTUS.

De reconciliatione pœnitentium.

I. DE reconciliatione pœnitentium, quæ abſolutionis nomine vulgo indigitatur, quinque breviter inquiro, quonam ſcilicet tempore olim fieret, quo die, qua hora, quo loco, & quibus verbis.

Reconciliatio pœnitentium quo tempore fieret.

II. Reconciliationem pœnitentium nonniſi poſt multos a confeſſione peccatorum facta annos, conceſſam fuiſſe, hoc eſt tota & integra, quæ impoſita fuerat, pœnitentia completa, norunt viri eruditi omnes; immo qui vel levem antiquæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitiam habent; idque non uno aut altero loco uſu receptum fuiſſe, ſed ubique demonſtrare in promtu eſſet, niſi propoſita nobis hoc in opere brevitas ad præcipuas ſaltem Eccleſias nos reſtringere cogeret. Atque ut a Romana Eccleſia, quæ omnium caput & mater eſt, exordium ducam, ejus praxim clare & enucleate deſcribit Tertullianus in libro de Pudicitia, in quo Zephyrino Pontifici inſultat his verbis: (Audio edictum eſſe propoſitum, & quidem peremtorium, Pontifex ſcilicet maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit, ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.) Non ergo ſolum confeſſis pœnitentiamque ſuſcipientibus peccata dimittebat Zephyrinus; ſed omnino pœnitentia impoſita perfunctis. Idem declarat Leo Papa I. In Epiſtola 82. novæ editionis ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum: (Mediator enim Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.) Hic S. Leonis locus omnem pœnitentiæ ordinem brevi, ſed dilucide repræſentat, Confeſſionem ſcilicet, pœnitentiæ actionem, reconciliationem, ac demum Communionem. His addo Sozomenum, qui in libro 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 16. antiquam Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem in pœnitentiæ adminiſtratione ita deſcribit: (In Occidentalibus Eccleſiis ac præcipue in Eccleſia Romana ſtudioſe obſervatur. Illic enim in propatulo eſt pœnitentium locus, in quo illi ſtant mœſti, ac veluti lugentes. Peractiſque jam Miſſarum ſolemnibus, excluſi a Communione ſacrorum, quæ initiatis præberi mos eſt, cum gemitu ac lamentis pronos ſe in terram abjiciunt. Tum Epiſcopus cum lacrymis ex adverſo occurrens, pariter ipſe humi provolvitur, & univerſa Eccleſiæ multitudo ſimul confitens, lacrymis perfunditur. Poſt hæc vero primus exſurgit Epiſcopus, ac proſtratos erigit; factaque, ut decet, precatione pro peccatoribus pœnitentiam agentibus, eos dimittit. Privatim autem unuſquiſque ſua ſponte ſe macerans, aut jejuniis, aut illuvie, aut ciborum abſtinentia, vel aliis quibus juſſus eſt modis, tempus quantumcumque ipſi ab Epiſcopo conſtitutum eſt, expectat. Ubi vero præſtiturus dies advenit, tamquam debito quodam perſoluto, a pœna commiſſi ſceleris liberatur, & reliquo Eccleſiæ populo ſociatur. Non ergo ſtatim facta confeſſione, ſed *debito perſoluto*, Eccleſiæ reconciliabantur pœnitentes. Addit Sozomenus (hæc Epiſcopi urbis Romæ jam inde ab ultima vetuſtate ad noſtram uſque ætatem cuſtodiunt.) Atque hic locus non Romanæ dumtaxat, ſed omnium Occidentalium Eccleſiarum morem commendat.

III. De Mediolanenſi teſtis locupletiſſimus eſt S. Ambroſius in lib. 2. de Pœnitentia cap. 3. (Quotieſcumque peccata donantur, corporis ejus Sacramentum ſumimus, ut per Sanguinem ejus fiat peccatorum remiſſio.) At vero Communio pœnitentibus nonniſi abſo-

luta omnino pœnitentia impertiebatur. Et cap. 9. de his qui citius abiolvi cupiebant, addit: (Hi non tam ſe ſolvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare: Suam conſcientiam culpa nun exuunt, & Sacerdotis induunt.)

IV. De ritibus Hiſpaniæ luculentum habemus S. Paciani teſtimonium in Epiſt. I. ad Sempronianum: Scio, inquit, frater, hanc ipſam pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari, nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari magno pondere, magnoque libramine, poſt multos genitus effuſionemque lacrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari) ex hoc S. Paciani teſtimonio conſtat non ſolum poſt actam pœnitentiam, ſed nec niſi ad inſtantes Eccleſiæ preces reconciliatos fuiſſe pœnitentes. Paciano adjungere poſſemus Concilium Toletanum III. Can. 11.

V. Pro Africana Eccleſia teſtem profero Cyprianum martyrem omni exceptione majorem, qui in libro de lapſis, & in variis paſſim Epiſtolis patriæ ſuæ conſuetudinem, & diſciplinam repræſentat, in Epiſtola vero 59. ad Fidum ſic loquitur; (legimus literas tuas frater chariſſime, quibus ſignificaſti de Victore quodam Presbytero, quod ei antequam pœnitentiam plenam egiſſet, & Domino Deo, in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, *temere* Therapius collega noſter immaturo tempore & præpropera feſtinatione pacem dederit. Quæ res nos ſatis movit, receſſum eſſe a decreti noſtri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente ac neceſſitate cogente, pax ei concederetur.)

VI. Venio ad noſtram Gallicanam Eccleſiam, cujus antiquam diſciplinam diſcimus ex Gennadii libro de Dogmatibus Eccleſiaſticis cap. 53. (Quem mortalia crimina poſt baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius publica pœnitentia ſatisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni ſociari, ſi vult non ad judicium & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere.) Idem colligitur ex variis S. Eligii homiliis, maxime ex his, quas in Cœna Domini pronunciavit; quibus adjicere poſſumus Abbonis teſtimonium, cujus in Sermone 3. Spicilegii Tom. 9. hæc lego: (Nullus eſt certe Epiſcopus, qui poſſit abſolutionem dare, niſi poſt pœnitentiam factam, & dignam ſatisfactionem.) Et certe ex Ebonis Remenſis Archiepiſcopi Apologetico Spicilegii Tom. 7. paret ſeculo adhuc IX. quo ille florebat, nonniſi poſt ſeptennis pœnitentiæ ſpatium peccatorum in Eccleſia factam fuiſſe pœnitentibus remiſſionem.

VII. Denique ut nec Anglicanam prætermittamus Eccleſiam, in Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi Capitulis ſceleſtis Spicilegii Tom. 9. editis, duodecimum hæc habet: (Pœnitentes ſecundum Canones non debent Communicare ante conſummationem pœnitentiæ.)

VIII. Reſtat ut de Eccleſiæ Orientalis diſciplina hic teſtimonia exhibeamus. Verum ea ſufficere debent, quæ capite præcedenti ex SS. Baſilio, Gregorio Nyſſeno, & Johanne Abbate Raithu in medium adduximus, quibus pœnitentibus communio non conceditur, niſi exactis prorſus præteritis pœnitentiæ ſtationibus. Fatendum tamen Orientales, poſt celebratam Nectarii actionem, qua pœnitentiarium Preſbyterum, ſuſtuliſſe dicitur, pœnitentes facta confeſſione, ante impletam ſatisfactionem, abſolvere cœpiſſe, licet communionem pro ratione criminum plures in annos differrent: id quod actenus mordicus retinent, duplicem pœnitentibus impartientes abſolutionem: unam, facta ſtatim peccatorum Confeſſione, alteram, cum pœnitentes ſacra Communione donant: qua de re vide quæ ſcripſit Johannes Morinus lib. 6. de pœnitentia cap. 23. 24. 25., & 26. Unum hic dumtaxat iſtius Orientalium diſciplinæ exemplum adducam ex Actis S. Simeonis Stylitæ junioris, qui ſeculo 6. florebat, apud Bolandum 24. Maji: Nam cum aliquando acceſſiſſet ad eum civis quidam Antiochenus, cujus tot tantiſque ſceleribus conſcientia eſſet fœdata, ut etiam Dæmoniis ſacrificia obtuliſſe palam omnibus non denegaret; tandem (poſtquam cuncta cum fervore, & æſtu animi confeſſus eſſet, lacrymis ex intimo corde prorumpentibus, petiit pœnitentem ſe recipi, *& abſolutione donari*, quo ſecurior impoſterum viveret: qua ipſum prudens ille animarum medicus continuo, viſa tali pœnitudine, impertius eſt.)

IX. In Occidente vero ſeculo IX. excurrente nondum impleta ſatisfactione pro delictis injuncta, reis Communio concedebatur, & abſolutio: id probat Nicolai Papæ I. Epiſtola ad Rivoladrum Epiſcopum, cui ſignificat, impoſitam a ſe Vvincaro cuidam, qui tres filios occiderat, pœnitentiam: Nam cum illa ad duodecim annorum ſpatium ſe ſe extendere deberet, ſeptem dumtaxat Corporis, & Sanguinis Domini Communione privat. Immo jam in Galliis paſſim cœperant reconciliari pœnitentes graviſſimorum criminum rei ſtatim poſt editam peccatorum Confeſſionem, ut demonſtrat locus ex Jonæ Aurelianenſis Epiſcopi lib. 1. de Inſtitutione Laicali a nobis articulo ſuperiori citatus. Et certe ſeculo VIII. S. Bonifacius Moguntinus Epiſcopus hoc ſtatutum edidit: (Quia varia neceſſitate præpedimur Canonum ſtatuta de reconciliandis pœnitentibus pleniter obſervare, propteréa omnino non dimittatur: curet unuſquiſque Presbyter, ſtatim poſt acceptam Confeſſionem pœnitentium, ſingulos data oratione reconciliari.) Ita ſtatuta S. Bonifacii cap. 31. Spicilegii Tom. 9. immo longe ante Bonifacium non defunt nobis promptæ peccatorum reconciliationis exempla. Illuſtre nobis ſuppeditat Fortunatus in Vita S. Marcelli Pariſiorum Epiſcopi cap. 6. ipſo ſiquidem referente (quidam de populo dum vellet ad Communionem accedere, manibus retro ligatis non poterat ad Altare pertingere, ſed cum omnes tranſirent, quaſi meta cœpit ſtare, ut videretur non ad Communicandum, ſed ad numerandum populum adveniſſe: Quem conſpiciens Pontifex interrogavit quid fecerit: Reſpondit ſe peccaſſe. Cujus confeſſionem agnoſcens dixit ei, veni,

accede

accede, & ultra non pecces. Qua juſſione abſolutus ad communicandum acceſſit.) Nimirum prævaluit ad S. Epiſcopum illud S. Leonis Papæ in Epiſtola 129. novæ editionis: Pœnitentia *non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione penſanda eſt.* Eadem clementia, cum incautius uſi fuiſſent nonnulli Hiſpaniarum Sacerdotes, eorum crudeli pietati remedium aliquod afferre tentavit Concilium Toletanum III. edito hoc Canone 11. (Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundum Canonem, ſed fœdiſſime pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quotieſcumque peccare libuerit, totiens a Presbytero ſe reconciliari expoſtulent; & ideo pro coercenda tam execrabili præſumtione, id a ſancto Concilio jubetur, ut ſecundum formam Canonum antiquorum dentur pœnitentiæ, hoc eſt ut prius eum, quem ſui pœnitet facti, a Communione ſuſpenſum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere. Expleto autem ſatisfactionis tempore, ſicuti ſacerdotalis contemplatio probaverit, eum Communioni reſtituat.) Poſtmodum vero tanta hac in pœnitentiæ diſciplina immutatio invecta eſt, ut ante reconciliatio abſolutioque pœnitentibus concederetur, quam confeſſis pœnitentia ſatisfactioque imponeretur, id, quod nonnullis in Ritualibus ab annis circiter ducentis advertimus.

Pœnitentes quo die reconciliati.

X. Cum ergo conſtet pœnitentes olim non fuiſſe reconciliatos ante completam ſatisfactionem, jam videndum eſt quo anni die hanc gratiam conſequerentur. Huic inquiſitioni facit ſatis Innocentius I. in Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſcribens in hæc verba: (De pœnitentibus vero, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat) Hinc capiendum eſt, quod ſcribit S. Hieronymus in Epiſtola ad Oceanum de Fabiolæ pœnitentia; eam *ante diem Paſchæ* in Baſilica Lateranenſi ſtetiſſe in ordine pœnitentium. Hinc illæ Sanctorum Patrum Homiliæ ad reconciliandos pœnitentes in Cœna Domini, quales viſuntur S. Eligii in Bibliotheca Patrum, & Abbonis Monachi in Spicilegii Tom. IX. Hic tamen non prætereundum eſt, quod habet Gillebertus Lunicenſis Epiſcopus in Epiſtola ad Epiſcopos Hiberniæ, quæ inter Hibernicas Uſſerii eſt trigeſima: (abſolvit Præſul populum de venialibus in capite jejunii, de criminalibus in Cœna Domini.) Ubi venialium nomine intelligit peccata mortifera minus gravia, publicæ pœnitentiæ haudquaquam ſubjecta. Porro qui nondum impoſitas ſatisfactorias pœnas compleverant, ipſi nihilominus in Cœna Domini Eccleſiæ ſe ſe præſentare tenebantur, ad quos extra templi januas Epiſcopus exhortatorium Sermonem habebat, cujuſmodi eſt Sermo tertius Abbonis Spicilegii Tom. IX. inſcriptus *in Porta Eccleſiæ ad pœnitentes nondum adeptos reconciliationem.* Atque hæc erat communis Eccleſiæ Romanæ praxis, aliarumque Occidentalium, quæ ritus illius in ſe ſuſceperant, quam videre eſt in omnibus paſſim Sacramentorum libris. Verum in Mediolanenſi alia obtinebat conſuetudo reconciliandi pœnitentes feria ſexta majoris, ut ajunt, hebdomadæ. Id colligo ex Sancti Ambroſii Epiſtola 20. novæ editionis ad Marcellinam ſororem, in cujus num. 26. aſſerit eo die in Eccleſia relaxari pœnitentiam, quo ſe ſe pro nobis Dominus tradidit, idemque non obſcure docet lib. 5. in Hexameron Sermone ultimo. Eumdem pariter uſum viguiſſe in Hiſpania diſcimus ex Concilii Toletani IV. Canone 7. quo decernit ea die *Indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare debere*; & ex ſequenti Canone 8., quo vetat *ante peractas Indulgentiæ preces* jejunium relaxari. Eadem quoque praxis fuiſſe videtur in quibuſdam Gallicanis Eccleſiis: nam in MS. Miſſali Monaſterii Sancti Vincentii Cenomanenſis ab annis circiter 600. ſcripto, preces ad reconciliandos pœnitentes aſſignatas reperi feria ſexta Paraſceves. Idem in quibuſdam aliis deprehendi: ſed & ante annos quinquaginta hujus ritus veſtigium aliquod in Cormeriacenſi Cœnobio ſupererat. Nam hac die ſolemnis ante officium fiebat ſuper proſtratos Monachos abſolutio.

XI. Horam reconciliandis pœnitentibus publicis aſſignatam diſcimus ex Concilii II. Carthaginenſis cap. 3., quo decernitur, *reconciliare quemlam in publica Miſſa Presbytero non licere*; cui concinunt Concilium Hiſpalenſe II. Can. 7. & Wormatienſe cap. 8. Ad Miſſam igitur pœnitentes Sacris Altaribus reſtituebantur. Quanam vero Miſſæ parte non ſatis conſtat. Saltem non una fuit omnium Eccleſiarum hac in re conſuetudo. Nam aliqui ante Miſſam, quidam poſt Evangelium, ante Offertorium, immo nonnulli, ſi Morino credimus, poſt conſecrationem reconciliabantur. Nam in Ordine Romano, & quibuſdam aliis Sacramentorum libris pœnitentium abſolutio hora tertia ante Miſſam inſtituitur. In Pontificali Eccleſiæ Lugdunenſis, quod etiam uſui fuit Tarentaſienſi, præſcribitur ut mane (Pœnitentibus ante fores Eccleſiæ exterius humiliter conſtitutis, unus Sacerdos in aliquo Altari eiſdem foribus proximiori celebret Miſſam. Poſtea diſcuſſis pœnitentibus (Epiſcopus ante horam ſextam examinet cum Sacerdotibus ipſis diligenter, qui digni ſunt reconciliari, qui non.) Deinde eos ante Miſſam abſolvat. In Codice Siculo, quem Morinus edidit ad calcem libri de Pœnitentia p. 22. feria quinta in Cœna Domini, tres aſſignantur Miſſæ una pro Pœnitentibus, altera, quæ Chriſmalis dicitur, tertia Solemnis, ad quam omnes communicabant, ante quam proinde non reconciliabantur pœnitentes. In veteri Codice Eccleſiæ Ebroicenſis, in quo continetur Pontificale Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi literis ſaxonicis eleganter exaratum, habetur ad calcem Ordo in Cœna Domini, altera quidem manu, ſed 800. annis non inferiori ſcriptus, in quo Pœnitentium reconciliatio ante Offertorium notatur. Idem deprehendere eſt in duobus aliis libris apud Menardum, nec tardius abſolutos fuiſſe

Pœni-

pœnitentes exiſtimo. Nam, ut ea in Miſſa Corporis & Sanguinis Domini participes eſſe poſſent, offerendi jure donari debebant. Nam quibus offerendi jus denegatum erat, iis communicare haud quaquam licitum erat. Itaque, quod ait Morinus, Pœnitentes in quibuſdam locis poſt conſecrationem reconciliatos fuiſſe, cum antiquæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ non cohæreat, verosimile nobis haudquaquam videtur. Nec ea, quæ ad probandam opinionem ſuam profert teſtimonia, plane evincunt. Nam quod ait S. Ambroſius Libro de Pœnitentia c. 3. (quotieſcumque peccata donantur, Corporis ejus Sacramentum ſumimus, ut per Sanguinem ejus fiat peccatorum remiſſio,) ſignificat tantum pœnitentes ea in Miſſa, ad quam ſive initio, ſive ante oblationem reconciliati fuerant, ſacra communione donatos fuiſſe. Eodem modo explicari queunt loca, quæ ex Cypriano, & Optato Milevitano adducit. In Hiſpania vero, ubi pœnitentibus feria ſexta majoris hebdomadæ pœnitentiæ relaxabantur; reconciliatio ad Veſperam omnino fiebat, ut patet ex Concilio Toletano 4. cap. 7., quo redarguuntur nonnulli, qui hæc die ad nonam jejunium relaxabant, quod omnino fieri vetat Concilium *ante peractas Indulgentiæ preces*, hoc eſt ante reconciliatos pœnitentes, qui proinde ſero abſolvebantur.

Quo loco.

XII. Quod ſpectat ad reconciliationis locum communis omnium paſſim Eccleſiarum praxis extitit, ut Epiſcopus Ambone conſenſo ſuper pœnitentes in navi Eccleſiæ proſtratos abſolutionis formulam pronuntiaret. Qualis autem illa fuerit, indicant Sancti Patres, non indicativam, ſed deprecativam prorſus extitiſſe; eam precis, aut orationis nomine vulgo indigitantes. Id elare demonſtrat Sanctus Leo ad Timotheum Alexandrinum Epiſcopum, ſic ſcribens Epiſtola 139. novæ editionis (eos, qui veritati aliquatenus reſtituerunt, reconciliandos Deo *per preces Eccleſiæ* inſtanter acquiras) Hinc capiendus eſt locus ex vita Sancti Hilarii Arelatenſis Epiſcopi Authore Honorato Maſſilienſi Epiſcopo ejus diſcipulo cap. 13. Facta peccatorum confeſſione, & (admonitione completa, cum lacrymis *ſupplicationum ſumebat exordia*; ut pœnitentiæ fructum, quem monendo contulerat, *orando* firmaret.) Et Sanctus Bonifacius Moguntinus Epiſcopus in Statutis cap. 31. (Curet unuſquiſque Presbyter, ſtatim poſt acceptam confeſſionem pœnitentium, ſingulos *data oratione* reconciliare.) Unde & Radulfus Ardens, qui ſeculo XII. florebat, concione in Litania majori. (Non dicimus, inquit, ego dimitto tibi peccata tua, ſed dicimus *orando*, miſereatur tui omnipotens Deus.) Simili fere modo loquitur Guillelmus Pariſienſis cap. 19. de Sacramento Pœnitentiæ: (Neque more judicum forinſecorum pronunciat confeſſor, *abſolvimus te*; *non condemnamus*, ſed *orationem* faciat ſuper eum, ut Deus abſolutionem & remiſſionem atque gratiam ſanctificationis tribuat.) &c. His conſonant omnes antiqui libri Rituales MS. utriuſque Eccleſiæ, in quibus variæ plæque orationes ad reconciliandos pœnitentes deſcriptæ leguntur. Fatendum tamen eſt in pleriſque una cum orationibus reconciliatoriis formulas quaſdam abſolutionis indicativas reperiri. Et ne quis libros illos tamquam recentiores novitatis inſimulet, prætermiſſis illis, qui ſexcentos annos non ſuperant, quatuor hic produco vetuſtate & antiquitate plane venerabiles. Primum exhibeo Egberti Eboracenſis Epiſcopi Pontificale literis Saxonicis pereleganter ſcriptum, quod hactenus ſervatur in Bibliotheca Eccleſiæ Ebroicenſis. Secundum Pontificale Anglicanum Monaſterii Gemmeticenſis, cujus carácter nongentos circiter annos refert, tertium Gellonenſe vetuſtiſſimum, quartum Remenſe Sancti Remigii, Tirpini Archiepiſcopi Pontificale vulgariter dictum, literis Longobardicis ſcriptum, in quibus forma indicativa deprecatoriæ conjungitur. Abſolutionis formas ex Remenſi Codice ſcriptas jampridem vulgavit Morinus in Tractatu de Pœnitentia, reliquas articulo 7. infra exhibebimus. Ceterum forma deprecatoria poſt medium ſeculum XIII. deſinere cœpit: Nam indicativam præcipit Concilium Londinenſe anni 1268. cap. 2. (Omnes autem, qui confeſſiones audiunt aliquorum, a peccatis expreſſe confitentes abſolvant, verba ſubſcripta ſpecialiter exprimentes: Ego te abſolvo a peccatis tuis, &c. auctoritate qua fungor te abſolvo.) In Concilio Nemauſenſi anni 1284. præſcribitur, ut (impoſita ſibi pœnitentia, & facta generali confeſſione, ſcilicet *Confiteor Deo*, dicat * Pater ſic: Ego injungo tibi talem pœnitentiam propter peccata, quæ confeſſus es. Et ponens manus ſuper caput ipſius dicat: Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat omnipotens Dominus. Et ego te abſolvo auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & officii mihi commiſſi, ab iis peccatis, quæ confeſſus es & aliis oblitis.) Quæ totidem verbis extant in MSS. ſtatutis Eliæ Uticenſis Epiſcopi. Denique tantos progreſſus brevi fecit forma abſoluta, ut de deprecativæ validitate circa eadem tempora dubitari cœperit.

Reconciliationis formula deprecativa.

* I. Presbyter.

XIII. Ceterum prætermittere non debemus abſolutionem aliquando per dies plures repetitam fuiſſe. Trinæ repetitionis habemus exemplum in Epiſtola Hugonis Rotomagenſis Archiepiſcopi apud Vvillelmum Malmeſburienſem libro 1. Hiſtoriæ Novellæ, ubi de Henrico I. Anglorum rege extrema ægritudine decumbentem hæc habet: (Venimus ad ipſum, & cum ipſo plenum mœroribus confecimus triduum, prout ei dicebamus, ipſe ore proprio ſua fatebatur peccata, & manu propria pectus ſuum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Conſilio Dei & noſtro & Epiſcoporum emendationem vitæ ſuæ obſervaturum ſeſe promittebat. Sub iſta promiſſione pro noſtro officio tertio eum per triduum abſolvimus.)

ARTI-

ARTICULUS VI.

De Miniſtro pœnitentiæ.

Epiſcopi olim ſoli pœnitentiæ miniſtri.

I. HActenus ſingulas pœnitentiæ partes, qua potuimus brevitate diſcuſſimus, nunc de illius Miniſtro cum perplura dici queant, ſingularia dumtaxat hic adnotare animus eſt, ne toties ab aliis celebrata, iterum recantare videamur.

II. Pœnitentiæ Miniſter unus olim erat Epiſcopus, qui ſolus peccatorum confeſſiones excipiebat, ſolus pœnitentiam confeſſis imponebat, demumque ſalutari ſatisfactione mundatos ſolus reconciliabat. At vero ſæviente in Chriſtianos Decii perſecutione, & creſcente in dies lapſorum numero cum huic oneri portando ægre ſufficere poſſent Epiſcopi; in ſingulis Eccleſiis unum pœnitentiæ Preſbyterum præfecerunt, cui lapſi poſt Baptiſmum ſua confiterentur delicta, ut ſcribit Socrates lib. 5. cap. 19. Hunc Presbyterum in Conſtantinopolitana Eccleſia Nectarius, aliique in Oriente Epiſcopi in ſuis Eccleſiis ſuſtulerunt reſervata ſibi ſolis pœnitentias imponendi facultate, cujus tamen inſtitutio in Occidente ita perſeveravit, ut nihilominus publicæ pœnitentiæ impoſitionem abſolutionemque ſibi reſervarent. Hæc paucis obſervaſſe ſat eſt, nec fuſiori indigent tractatu.

Qui Monachos in ſortem miniſterii adſciverunt.

III. Inter eos autem, quos in ſortem miniſterii ſui in pœnitentiæ munere adſciverunt Epiſcopi, non inferiorem locum tenuerunt Monachi, qui cum ceteris Presbyteris & numero, & ſanctitate, & ſcientia præcellerent; plurimam hoc in officio operam ſtatim ab initio, nec ſine fructu, contulerunt Epiſcopis, fruſtra reclamantibus invidis nonnullis, quibus cum non ſatis eſſet virtutis, ut monaſticæ vitæ ſanctimoniam æmularentur, nec ſe pares in portandis eorum laboribus agnoſcerent, ægre ferre potuerunt, Monachis id munus committi, quod ſibi jure deberi exiſtimabant; cujuſque incapaces illos ratione profeſſionis ſuæ proclamabant: aſt iſtorum æmulorum obturavit ora Bonifacius Papa IV. ſuo Synodali decreto, quod circa annum 610. edidit: (Sunt nonnulli, inquit, ſulti nullo dogmate, audaciſſime quidem, zelo magis amaritudinis, aſſerentes, Monachos, quia mundo mortui ſunt & Deo vivunt, Sacerdotalis officii potentia indignos, neque pœnitentiam, neque Chriſtianitatem largiri, neque abſolvere poſſe per Sacerdotali officio divinitus injunctam poteſtatem: ſed *omnino labuntur*) &c. quæ ſuſe & eleganter proſequitur. Quibus ſuffragatur Urbanus Papa ſecundus in Concilio Nemauſenſi Spicilegii Tom. IV. aſſerens Monachos (plus valere eorum peccata ſolvere, quam Presbyteros ſæculares; quoniam illi ſecundum regulam Apoſtolorum vivunt.) Hinc eſt quod reges & principes proprios ex monachis ab antiquo confeſſores habere ambierunt, apud quos cum fiducia omnes conſcientiæ ſuæ receſſus revelare valerent. Talis ex Francorum regibus extitit Theodoricus I. cujus Ansbertus Fontanellenſis Monachus, & poſtea Rotomagenſis Archiepiſcopus *Confeſſor* fuiſſe perhibetur in ejuſdem Ansberti vita ſeculo II. Benedictino. Talis Carolus cognomento Martellus, qui Martino Corbejenſi Monacho *confitebatur peccata ſua*, ut docent nos Annales vulgati in Bibliothecæ Labbeanæ Tom. II. pag. 733. Talis Vvalbertus comes, cui S. Berthinus Sithivenſis Abbas *Pater Confeſſionum* fuiſſe dicitur ſeculo III. Benedictino pag. 113. Talis Otto Imperator, qui Romualdo; talis denique, ut alios plures omittam, Richardus Normannorum Dux, qui Theodorico Abbati Sancti Petri apud Carnutas confitebatur. Quantum eſſet Anglorum in deponendis apud Monachos peccatis ſtudium, diſcimus ex Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi Dialogo: ipſo ſiquidem referente, (a temporibus Vitaliani Papæ & Theodori Dorobernenſis Archiepiſcopi, inolevit in Eccleſia Anglorum conſuetudo, & quaſi legitima tenebatur, ut non ſolum Clerici in Monaſteriis, ſed etiam laici cum conjugibus & familiis ſuis ad confeſſores ſuos pervenirent,) ut purgati a peccatis ad communionem ſeſe præpararent: at longe amplius apud Græcos propagata eſt hæc Monachorum audiendarum confeſſionum poteſtas; adeo ut vix aliquis Epiſcopo vel Sacerdoti, qui non eſſet monachus, ſuam confeſſionem crederet, ut ſcribit Balſamon in Supplem. p. 1123. immo uſque adeo invaluerat uſus ille, ut inter plura dubitationum capita, quibus Marcus Patriarcha Alexandrinus Balſamonem interrogavit, de hoc quoque percontatus eſt, an Presbyteri vitam monaſticam numquam profeſſi poſſent, permittente Epiſcopo, confeſſiones audire. Tantum ſibi Monachorum virtus & ſanctimonia, populorum, Clericorum, Epiſcoporumque reverentiam & fiduciam conciliaverat. In Occidente etiam frequentiores quam antea in monaſteriis extitere laicorum confeſſiones poſt exortos Mendicantium ordines, qui ſua hac in re privilegia non parum extenderunt: quæ res ipſos inter & Epiſcopos multarum diſſentionum fomes fuit. Nam ut dicit Chronicon Rothomagenſe ad annum 1682. (Fratres Minores impetraverunt a Domino Papa, ut poſſint audire confeſſiones & abſolvere, prælatis minime requiſitis, propter quod orta fuit magna contentio inter prælatos regni Franciæ, & fratres prædictos.) Ab hac tamen contentione immunis fuiſſe videtur Bertrandus Nemauſenſis Epiſcopus, qui in ſuis Synodicis Conſtitutionibus fratribus Minoribus & Prædicatoribus licentiam concedit, ut (quando venerint ad Eccleſias cauſa prædicationis, confeſſiones Clericorum & laicorum ſuæ Diœceſis poſſint audire, & eis injungere ſalutares pœnitentias.) Verumtamen ita ut eorum nomina, quorum confeſſiones excepiſſent, in ſcriptis redderent in Quadrageſima Parochialibus Presbyteris. Sed tandem ita efferbuit contentio, ut nonniſi irritato privilegio, ſedari quiverit. De hac re ſic diſ-

ſerit

ſcrit Guillelmus Nangius in Chronico ad annum 1298. (Privilegium datum Prædicatoribus & Minoribus de confeſſionibus audiendis a Papa Bonifacio irritatur, & decrevit idem Papa, ut confeſſus eiſdem fratribus confiteatur eadem peccata proprio Sacerdoti.) Ab hujuſmodi privilegio obtinendo longe aberant Cœleſtini Monachi, qui in antiquis MSS. Conſtitutionibus cap. 16. §. 7. confeſſiones ſeculariorum audire nolunt, niſi (prædicti ſeculares, qui confiteri voluerint, habeant a ſuis Parochialibus Presbyteris ſuper hoc licentiam ſpecialem.) Multo longius Sanctus Stephanus Grandimontenſis, qui ne quidem parentis morientis confeſſionem excipere permittit in Regulæ capite 34.

Parochis ſolis in quadrageſima facta confeſſio.

IV. Porro quoſcumque tandem ad confeſſiones populorum recipiendas adſciſcerent Epiſcopi, in Quadrageſima tamen ſolos hujus rei cauſa adire Parochos licitum erat. Hinc Statuta Synodalia Eccleſiæ Remenſis Sonnatio Archiepiſcopo attributa cap. 8. (Nemo, inquiunt, tempore Quadrageſimæ confeſſiones audiat, præter paſtorem: hujus enim intereſt ovem recognoſcere, pro qua ſuam animam fœnerat Domino.) Hoc ad decretum accedit illud Innocentii Papæ III. in Concilio Lateranenſi, ut omnes utriuſque ſexus ſaltem ſemel in anno confiteantur *proprio Sacerdoti*: quo nomine *proprium Sacerdotem Parochialem* intelligit Concilium Colonienſe anni 1280. addens, ut (ſi quis tamen alieno Sacerdoti, vel alicui religioſo juſta de cauſa voluerit confiteri, licentiam primo poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote: ita tamen, quod ſemel ad minus in anno proprio Sacerdoti plene & integre, ut dictum eſt, confiteatur.)

Abſolutio Epiſcopo reſervata.

V. Sed neque omnes, qui audiendis confeſſionibus deſignati ab Epiſcopo erant, pœnitentes ſemper abſolvebant, verum audiis peccatis, & impoſita pœnitentia, reconciliationem Epiſcopo reſervabant; præſertim in Quadrageſima, ut in quibuſdam Ritualibus MSS. obſervavimus, in quibus Presbyteri Confeſſiones pœnitentium etiam in Cœna Domini excipere, tum diſcuſſis, & examinatis iis, qui reconciliatione digni erant, abſolvendos Epiſcopo iſtere jubentur. In quibuſdam etiam olim Monaſteriis licitum erat cuilibet Monachorum audire fratrum ſuorum Confeſſiones, Abbati vero abſolutio reſervata erat, ut ſcribit Petrus Cantor in ſumma de Sacramentis.

Graviſſima peccata Papæ reſervata.

VI. Quotieſcumque autem aliquis ex pœnitentibus graviſſimi alicujus ſceleris reus reperiebatur, hunc ad Epiſcopum, immo ad Summum Pontificem remittere abſolvendum non præermittebant. Certe ante annos octingentos homicidas ad Papam remiſſos fuiſſe conſtat ex libro 3. de Geſtis Sanctorum Rotonenſium cap. 1. Seculo IV. Benedictino. Qui autem ſic mittebantur, literas a Confeſſore ad Summum Pontificem accipiebant, quibus delicta a pœnitentibus patrata ſignificabantur: (Semper autem, qui mittuntur, deferant ſecum literas continentes genus peccati, & circumſtantias ſufficienter, vel ipſe Sacerdos veniat,) inquiunt Conſtitutiones Richardi Epiſcopi Sarum cap. 28.

Diaconi olim urgente neceſſitate confeſſiones excipiebant.

VII. Ea porro perpetua, & conſtans omni tempore viguit in Eccleſia conſuetudo, ut urgente neceſſitate, aut inſtante mortis periculo, quilibet Presbyter & pœnitentiam imponere, & pœnitentes abſente Epiſcopo etiam publicos reconciliare poſſet: immo id muneris non raro Diaconis conceſſum eſſe fidei eſt indubitæ: (Occurrendum eſt fratribus noſtris, inquit S. Cyprianus Epiſt. 13. ut qui libellos a martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud eum adjuvari poſſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud Presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus ceperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace.) Et Concilium Eliberitanum Can. 32. (Si quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere ſine Epiſcopi conſulto, ſed potius apud Epiſcopum agat. Cogente tamen infirmitate, neceſſe eſt Presbyterum Communionem præſtare debere, & Diaconum ſi jufferit Sacerdos.) Et antiqui ordines, ad dandam pœnitentiam, quos ex MSS. Codicibus Germanicenſi, & Noviomenſi art. ſequenti exhibebimus: (Sicut enim Sacrificium offerre non debent niſi Epiſcopi, & Presbyteri, quibus claves Regni Cœlorum traditæ ſunt, ſic nec judicia alii uſurpare debent: Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem ad faciendam Communionem.) Nec hanc primorum dumtaxat Eccleſiæ ſeculorum praxim extitiſſe existimandum eſt: nam & eam ſubſecutis communem fuiſſe probant varia Conciliorum Epiſcoporumque Decreta. Concilium Eboracenſe anni 1194. (Decernimus, inquit, ut nonniſi ſumma, & urgenti neceſſitate Diaconus baptizet, & Corpus Chriſti cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat,) Concilium Londinenſe anno 1200. celebratum cap. 3. (Non liceat Diaconibus baptizare, vel pœnitentias dare, niſi duplici neceſſitate, videlicet quia Sacerdos non poteſt, vel abſens, vel ſtulte non vult, & mors imminet puero, vel ægro.) Conſtitutiones Oddonis Pariſienſis Epiſcopi cap. 56. (Prohibemus ſtrictè, ne Diaconi ullo modo audiant Confeſſiones, niſi in arctiſſima neceſſitate, claves enim non habent, nec poſſunt abſolvere.) Inquiſitiones in Epiſcopatu Lincolnienſi anno 1233. ab Archidiaconis faciendæ articulo 22. (An Diaconi miniſtrent Sacramenta ſolis Sacerdotibus commiſſa, vel audiant Confeſſiones.) Concilium Wirgonienſe anni 1240. cap. 26. (Diaconi quandoque Confeſſiones audiunt, & alia tractant Sacramenta, quæ ſolis Sacerdotibus ſunt commiſſa; quod nec de cætero fiat, diſtrictius inhibemus.) Conſtitutiones Vualteri Epiſcopi Dunelmenſis: (Et quia ſolis Sacerdotibus eſt poteſtas ligandi, & ſolvendi commiſſa, prohibemus ne Diaconi Confeſſiones audiant aut admittant, pœnitentias injungant, quæve Sacramenta

diſpen-

diſpenſent, quæ a ſolis Sacerdotibus miniſtrantur, niſi neceſſitas urgeat, aut compellat, ut in caſu mortis per abſentiam Sacerdotis .) Synodus Pictavienſis anni 1280. cap. 5. (Abuſum erroneum, qui in noſtra Diœceſi ex pernicioſa ignorantia inolevit, eradicari volentes, inhibemus, ne Diaconi confeſſiones audiant, & ne in foro pœnitentiali abſolvant) &c. His ex omnibus luce meridiana clarius conſtat, Diaconos ad uſque finem ſeculi XIII. confeſſiones pœnitentium, abſentibus Presbyteris, urgenteque neceſſitate, excepiſſe: immo citra neceſſitatem id attentaſſe; qua de re præter Vvigonienſem & Pictavienſem Synodos hic citatas, queritur Guillelmus Majoris Andegavenſis Epiſcopus in Synodo anni 1273. Spicilegii Tom. XI. Quin etiam non Diaconis ſolum, ſed & quibuſvis aliis Clericis occulta ſaltem peccata confeſſa fuiſſe, non obſcure docet Lanfrancus in Libello de Celanda Confeſſione: (In hoc cognoſcimus, inquit, quia de occultis omni Eccleſiaſtico Ordini confiteri debemus: de apertis vero ſolis Sacerdotibus, per quos Eccleſia quæ publice novit, & ſolvit, & ligat .)

Ipſi etiam laici.

VIII. Verum, quod forte mirabitur nonnemo, id ipſum a laicis fieri poſſe, docent non vulgares Theologi: Magiſter ſententiarum lib. 4. diſt. 17. Petrus Cantor in Summa de Sacramentis, Albertus Magnus in 4. diſt. 17. art. 5. Alexander Alenſis quarta parte Summæ q. 19. membro 1. art. 1. S. Bonaventura in 4. diſt. 17. p. 3. dub. 1. & art. 1. q. 1. S. Thomas in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. quæſtiuncula 2. quibus addo Anonymum quemdam in Tractatu Theologico MS. Majoris Monaſterii ab annis circiter 400. exarato, Concilium Nemauſenſe anni 1282. & MS. Statuta Eliæ Epiſcopi Uticenſis. Ipſum etiam Lanfrancum, qui poſtquam dixit occulta peccata cuilibet Eccleſiaſtico Ordini confitenda, addit: (Sin nec in Ordinibus Eccleſiaſticis cui confitearis invenis, vir mundus ubicumque ſit, requiratur .) His accedit praxis, quam videre eſt apud Ordericum Vitalem lib. 7. Hiſtoriæ, ubi ad annum 1085. Richerius de Aquila in bello vulneratus (peccata ſua ſodalibus ſuis confeſſus) legitur, & antequam adduci poſſet in urbem mortuus. Et apud Cæſarium Monachum in Dial. diſt. 3. cap. 21. ubi de peregrinis quibuſdam ad ſuccurrendum terræ ſanctæ transfretantibus narrat, quod exorta in mari tempeſtate, (videntes ante oculos mortem, cœperunt unuſquiſque ſibi vicino de peccatis ſuis facere confeſſionem.) Simile eſt illud quod legitur in Vita Sancti Ludovici auctore Jonvillio, in cujus capite 45. refert, quod profligato a Sarracenis exercitu, & hoſte imminente, qui Sacerdotes nancifci potuerunt, iis confeſſi ſunt: ſibi vero Guido de Beſino magiſter equitum regni Cypri, peccata confeſſus eſt, cui juxta poteſtatem ſuam abſolutionem impertitus eſt. Et in Chronico Ferdinandi regis Caſtellæ & Legionis cap. 7. apud Bollandum 30. Maiii legimus quod milites Hiſpani ſub duce Alvaro Perez cum Mauris pugnam inituri, (Quotquot habebant copiam Sacerdotum, confitebantur eis peccata ſua: alii vero *mutuas* excipiebant confeſſiones.) Ludovicus etiam comes Leodienſis in extremis conſtitutus, Chriſtianam Virginem accerſivit, ante cujus pedes proſtratus, (ei omnia peccata ſua cum maximis lacrymis recitavit,) ut refert Thomas Cantipratenſis lib. 2. de Apibus cap. 53. num. 23. (Et hoc quidem, addit idem author, non pro indulgentia, quam dare non potuit ; ſed ut magis ad orandum pro ſe tali piaculo moveretur .) Unde hæc exempla nulla ratione favent hæreſi Flagiſſiferorum, qui Ypreto Sacerdotum tribunali, laicis confitebantur, & ab eis abſolvebantur, ut videre eſt in lib. 3. de Geſtis Baldevvini de Luczenburch cap. 9. Miſcellaneorum Baluz. Tom. I.

Abatiſſæ.

IX. Ex dictis hactenus mirum videri non poteſt Abbatiſſas aliquando Monialium ſibi ſubditarum confeſſiones excepiſſe, ut videre eſt in Vita Sanctæ Burgundofaræ cap. 10. & 13. Seculo II. Benedictino . Id quod ter in die fieri præſcribit Regula Sancti Donati c. 23. & Regula Cujuſdam ad Virgines cap. 6. Quamquam hac in re pluſculum ſibi tribuiſſe videantur Abbatiſſæ; adeo ut earum temeritatem reprimere neceſſe fuerit : unde in lib. 1. Capitularium regum Francorum cap. 76. lego : (Auditum eſt aliquas Abbatiſſas contra morem Sanctæ Dei Eccleſiæ benedictiones *& manus impoſitiones*, ſignacula ſuper capita virorum dare, necnon & velare virgines cum benedictione Sacerdotali, quod omnino a vobis, Sanctiſſimi Patres, in veſtris Parochiis illis interdicendum eſſe ſcitote :) manus enim impoſitio aliud nihil ſignificare videtur, quam confeſſionem. At hoc ſcrupulo non movebatur Marcus Patriarcha Alexandrinus, qui in lib. 5. Juris Orientalis Inter. 34. Balzamonem ſciſcitatur, an cum Abbatiſſæ petunt ab Epiſcopo poteſtatem audiendi confeſſiones ſanctimoniaſium, concedenda ſit illis facultas. Cui negative reſpondet Balzamon. Sanctus tamen Baſilius in Regulis brevioribus Interrogatione 199. permittit Abbatiſſæ una cum Presbytero confeſſiones ſororum audire.

Confeſſio pluribus ſimul Sacerdotibus facta.

X. Antequam extremam huic articulo manum imponam, nonnulla hic referre juvat exempla confeſſionis pluribus Sacerdotibus ſimul factæ. Inſigne nobis ſuppeditant Acta Sancti Theodardi ſive Audardi Narbonenſis Epiſcopi apud Bollandum 1. Maii, qui cum in Sancti Martini Monaſterium in agro Caturcenſi deveniſſet, (& ibi nimia vi febrium gravatus decumberet; & jamjamque ſui obitus diem non longe abeſſe mente perſpiceret, vocavit ad ſe ejuſdem Cœnobii Abbatem, & qui ſub ejus cura degebant, reliquos omnes Sacerdotes, Monaſtico utentes officio; & confeſſionis ſuæ proteſtatem, eorum quæ patraverat delictorum, non enim eſt homo ſuper terram qui faciat bonum & non peccet, evidenter cum luctu, & gemitu, magna cum cordis contritione, necnon ſuſpiriis expoſuit.) Acta Sancti Vitalis Abbatis Siculi apud Bollandum 9. Martii teſtantur Baſilium quemdam in civitate Bario principatum gerentem, advocatis ad ſe Hilario & Leontio Sanctiſſimis viris, Hilario primum (pec-

ata confiteri & ab eo pœnitentiæ tempus recipere) voluiſſe, id quod ille ſolus facere recuſavit, niſi confeſſioni intereſſet & Leontius. (S. Anno Colonienſis Archiepiſcopus quarta ante deceſſum ſuum hebdomada, Erphonem Sigebergenſem Abbatem, quem pro canitie veneranda patrem ſemper appellabat, aliorumque Monaſteriorum patres & fratres non minus duodecim juxta ſe aſſidere voluit, & cordis oculis perluſtrare omnem vitæ ſuæ decurſum, confeſſione publica ſe reum, ſe peccatorem proclamabat,) uti legimus in ejus Vita lib. 3. cap. 8. apud Surium 4. Decembris. Henricus I. Anglorum rex lethali morbo decumbens (prius capellanis ſuis reatus ſuos confeſſus) dicitur in lib. 13. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Orderici Vitalis. S. Gerlacus Eremita, qui circa annum 1170. florebat *Domino Apoſtolico & Cardinalibus* confeſſus fuiſſe narratur in ejus Vita apud Bollandum 5. Januarii. Hugo Conventrenſis Epiſcopus, qui anno 1198. diem clauſit extremum, (cum ingraveſcente ægritudine mortem ſibi vicinam cognoviſſet, fecit accerſiri viros religioſos totius Normanniæ, quos haberc poterat Abbates & Priores, & audientibus cunctis, voce clamoſa confeſſus eſt pure, & maxima cordis contritione, ac lacrymarum jugiter effuſione omnia peccata, ſcelera, & enormitates omnes, quæ ſuæ memoriæ occurrebant.) Cui aſſtantes Prælati in pœnitentiam confeſſorum peccatorum injunxere, ut ad uſque extremi judicii diem in purgatorii cruciatibus permaneret, uti ſcribit Matthæus Paris in Hiſt. Angl. Idem auctor ad annum 1196, narrat de quodam Monacho Monaſterii Eveſham, quod duobus Sacerdotibus uni poſt alterum peccata ſua expoſuerit. Richardus Angliæ rex, ſi Nicolao Triveto in Chronico ad annum 1199. Spicilegii Tom. VIII. credimus, (incipiens periclitari tres Ordinis Ciſtercienſis accerſiſſe fertur Abbates, quibus omnia peccata ſua confeſſus eſt cum ſingultu & fletu.) Philippus Namurcenſis comes, ſeſte Cæſario Monacho in Dial. diſt. 2. cap. 16. *quatuor Abbatibus* Ciſtercienſis Ordinis *ſimul & ſæpe confeſſionem facere* conſueverat. Idem auctor diſt. 3. cap. 33. narrat Notarium quemdam Curiæ Romanæ confiteri noluiſſe Sacerdoti, niſi præſente Simone Alnenſis Monaſterii converſo. Plura his adjicere exempla ſuperſedeo, unum hic dumtaxat obſervabo, quod ſicut pluribus confeſſionem Sacerdotibus fieri quandoque contingebat: ita plures pronunciabant reconciliationis formulas. Illuſtre hujus conſuetudinis exemplum nobis ſuggerit Vita Ludovici pii Imperatoris apud Cheſnium Tom. II. Hiſtor. Francorum; in quo prædictus Auguſtus, Dominica prima Quadrageſimæ, intra Miſſarum ſollemnia, a ſeptem Archiepiſcopis, ſeptem reconciliationis Eccleſiaſticæ orationes ſuper eum concinentibus, in Mettenſi civitate a pœnitentia eſt abſolutus. Idem beneficium jam in Monaſterio S. Dionyſii confecutus erat, id quod obſervationem noſtram ſuperiori articulo confirmat, aliquando ſcilicet reconciliationem per plures dies repetitam fuiſſe. Et de pœnitentia ſatis, quæ utinam intimas cordis noſtri medullas penetrare queat.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
In Tomi I. Textum

EMIN. CARDINALIS BONA.

Alter in utriuſque Partis Commentarios &c. dabitur ad calcem Tomi II.

Numerus primus caput, Secundus §., Tertius paginam indicat.

A

*A*Baſſinorum ſive Abyſſinorum Liturgia. IX. 6. 157.
Abſolutio Pœnitentium. XVII. 6. 378.
Abuſus quorumdam, qui plures Miſſas in unam congerebant. XV. 7. 321.
Alia Conciliorum, Pontificum, Epiſcoporum, & Principum, quoad Ritum Miſſæ &c. Obſervantiam, eorumque varietatem tollendam. VII. *per totum caput*. 102. *uſque ad* 120.
Alia S. Andreæ teſtimonium de Miſſa. IV. 4. 59.
Ædicula ad Sacrificium &c. XIV. 1. 277.
Æthiopum Ritus. IX. 6. 157.
Africanæ Eccleſiæ Ritus in Miſſa, VII. 3. 106.
Agapæ Chriſtianorum. I. 4. 3.
Dicitur Convivium publicum. ibid.
Diverſa a Sacrificiis. ibid.
Triplex eſt: Natalitia, funebris, & connubialis. ibid. 4. 4.
Agenda. III. 2. 23.
Albaniæ Ritus. IX. 5. 153.
Albaſpinæus (*Gabriel*) *notatus circa Miſſæ nomen*. I. 6. 9.
Item IV. 3. 55. *Licet non ſit a Card. noſtro nominatus, tamen in nota 2. deſignatus*.
Alemannius (*Nicolaus*) *notatus circa opinionem de Sacris veſtibus, & apparatu &c.* V. 2. 70.
Altaria plura in eadem Eccleſia. XIV. 3. *& ſeq.* 285.
Apud Græcos unicum in Eccleſia, plura tamen proximæ ſacellis, quæ Parecclefiæ *vocantur*. ibid.
Altaria fracta a Sectariis propter rabiem. VII. 2. 104.
Ambitus Eccleſiæ. Statio ſubſtratorum pœnitentium. XVII. 4. 365.
Ambo. Statio Conſiſtentium. ibid.
Ambroſius an ſit Author Librorum de Sacramentis. VII. 4. 111.
Ejuſdem Teſtimonium de Miſſa. IV. 4. 60.
Ambroſiani Ritus in Miſſa. An iſorum fuerit Inſtitutor S. Barnabas; Vicecomes (*Joſeph*) *hic notatus, eum aſſerat eoſdem miraculis comprobatos, nullaque alia teſtimonia adducat niſi Galvanei, & Beroldi*. X. 1. & ſeqq. 180. & ſeqq.
Amen. IV. 4. 59.
Ampliatio cultus divini, ac diverſorum Ordinum inſtitutio. XVI. 6. 350.
Anaphora. III. 3. 29.
Anglia Ritus Romanos initio habuit. VII. 3.° 107.
Angliæ primus Fidei Sator Joſeph ab Arimathia. ibid. 106.
Anni ſolaris analogia. XV. 1. 298.
Antiquitas, & ratio Miſſarum de Tempore, & de Sanctis. XV. 1. 298.
Apoſtoli frequentabant Sacrificium Miſſæ. IV. 2. 52.
Apoſtoli an in triduo Paſſionis Domini celebraverint; probabilius quod non. Prima Miſſa in die Pentecoſtes a Petro Apoſtolo celebrata fuit. V. 1. 68.
Apoſtoli quædam officia propria Miſſarum, eorumque Succeſſores aſſignarunt. XV. 1. 298.
Apoſtolicarum Conſtitutionum an ſit author Clemens Romanus, earumque authoritas. VIII. 4. 133.
Apoſtolorum Liturgiæ. VIII. 1. & ſeq. 122. *ibi ex dictis Emin. in initio hujus cap. & §. deducitur: Miſſalis Liber ad Sacrificium ab Apoſtolis traditus*.
Apoſtolorum prima Miſſa, ejuſque Ritus. V. 1. & ſeq. 68.
Apparatus ejuſdem. ibid. 2. 70.
Qua formula celebraverint. ibid. 3. 75.
Qua lingua. ibid. 4. 79.
Area. Statio Hyemantium, & Leproſorum. XVII. 5. 374.
Argumenta, & indicia, quibus Miſſæ privatæ antiquitas comprobatur. XIV. 2. 282.
Armenia a S. Bartholomæo Apoſtolo, ac S. Gregorio illuminatore ad fidem converſa, deinde inquinata &c. IX. 7. 159.
Armeni, eorumque Ritus. ibid.
Arreptitii. XVII. 5. 374.
Auditio. Gradus Pœnitentium. XVII. 3. 363.
Audientes, eorum ſtatio in Propylæo, *ſive intra portam in* Narthece. ibid. 4. 364.
Inter hos ſtabant Ethnici, Judæi, Hæretici, Schiſmatici, & primi generis Catechumeni. ibid. 4. 365.
Auguſtini Teſtimonium de Miſſa. IV. 4. 60.
Auguſtini ævo talem fuiſſe ordinem Miſſæ, qualis nunc permanet in Eccleſia Romana. IV. 2. 53.

B

Baptizatis lac, & mel datum recens. XVI. 3. 335.

Barnabas Apoſt. an Rituum Mediolanenſium ſit Inſtitutor. X. 1. 180.

Ejuſdem Liturgia. VIII. 4. 133.

Bartholomæus Apoſt. Armenis Fidei prædicator. IX. 7. 159.

B. Bartholomæus Bononienſis Ordinis Prædicatorum Provinciam Naſcivanenſem in Armenia majori ſempore Joannis XXII. ad veram Chriſti Fidem convertit, Ritusque Latinos tradidit. ibid.

Baronius emendatus circa Miſſæ nomen. III. 1. 17.

A ſe ipſo correptus circa authoritatem Epiſtolarum Decretalium uſque ad Siricium Papam. ibid. 1. 18.

Item emendatus circa Inſtitutorem Miſſæ Mozarabum. XI. 1. 195.

Baſilii Liturgia, cur ipſe eamdem compoſuerit. IX. 1. & ſeq. 144. *& de ejuſdem Editionibus.* ibid. 2. 147.

Bona Card. noſter e Catholicis primus, qui S. Ambroſii Libros de Sacramentis dubios habuerit: ſcilicet an eorum ſit Author. VII. 4. 111.

Breviarii nomen, ſeu intitulatio; & a Fratribus Minoribus olim immutatum. VII. 7. 120.

C

Cæremoniæ, & Orationes Miſſæ ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus inſtitutæ. VI. 1. 90.

Calices plures in eadem Eccleſia &c. XIV. 1. 277.

Calumniæ Ethnicorum adverſus Chriſtianos, eorumque origo. IV. 3. 55.

Canon Fidei ſolus immutabilis, & inconcuſſus. VI. 2. 96.

Canon Illiberitanus de Imaginibus, ac eodem fruſtra abutuntur Sectarii contra earumdem cultum. XVI. 2. 328.

Canonis Romanæ Eccleſiæ Petrus fundator. VIII. 1. 123.

Capellæ Pontificiæ Ritus olim peculiaris. VII. 7. 120.

Carolus Magnus hortatu, & juſſione Summorum Pontificum Ritum Romanum in Gallia ſervari præcepit. VII. 6. 118.

Caſula Petri. V. 2. 70.

Catecheſis tempus varium pro diverſitate Perſonarum, & Regionum. XVI. 5. 346.

Catechumenis non omnia Religionis myſteria expoſita. XVI. 2. 327.

Catechumenorum Miſſa. XVI. 1. 323.

Quinam eidem aderant. ibid.

Celata illis myſteria, & præcipue Sacramentum Euchariſtiæ ſtudioſius occultatum, illiſque fal dabatur. ibid. 1. & ſeqq. 327. & 333. 335.

Eorum dimiſſio poſt Evangelium. I. 6. 9. XVI. 6. 350. XVII. 5. 373. 6. 378.

Quando deſierit eorum expulſio. XVI. 6. 350.

Eorumdem diſciplina, & Claſſes quatuor, nempe Auditorum, Subſtratorum, Competentium, & Electorum. XVI. 2. & ſeqq. 327. 343., & XVII. 3. 363.

Cauſa varietatis Rituum diſpares Nationum mores, & ingenia, humanorumque ſenſuum diverſitas. V. 2. & ſeq. 95. 96.

Chriſtianorum Agape. I. 4. 3.

Chriſtus Miſſæ inſtitutor. IV. 1. 49.

Chryſoſtomi Liturgia; iſtamque componendi, eadem qua Baſilius ratione, ipſemet impulſus eſt; quædam ex Baſiliana excerpſit, & in ſuam tranſtulit: atque de ejuſdem Liturgiæ editionibus. IX. 1. & ſeqq. 144. 147. 148.

Circumſcriptiones Tertulliani de Miſſæ Sacrificio. III. 4. 34.

Claſſes Pœnitentium. XVII. 2. 361.

Clementis Romani Miſſa antiquiſſima, a Patribus ſecundi, vel tertii ſeculi uſurpata. VIII. 4. 133. 134.

An ſit Author Conſtitutionum Apoſtolicarum. ibid.

Clerici duo aut tres, cum quibus Miſſarum ſolemnia celebrabantur, ad Synodos adducebantur. VII. 1. 103.

Codices aliqui antiqui continebant multa riſu digna, & inepta &c. VI. 3. 98. VII. 6. 118.

Colchi, nunc Mengrellenſes dicti, eorumque Ritus. IX. 5. 153.

Collecta. III. 2. 23.

Collectio Decretalium Epiſtolarum. III. 1. 18.

Pro Collectis Miſſa olim accepta. II. 2. 12.

Commentaria ab Apoſtolis ſcripta vocantur Evangelia. IV. 4. 60.

Communicantes aliquando ſoli Miſſæ aderant. XIII. 2. 264.

Communio idem ac Miſſa. III. 2. 24.

Communio omnium, qui aderant Miſſæ. XIV. 5. 290.

Communionis infrequentia damnata. ibid. 291.

Communionis nomen multa ſignificat. III. 2. 24.

Competentes. XVI. 2. 327. ibid. 4. 343.

Concilia Romæ, & alibi quomodo, & quando convocabantur. VII. 1. 102.

Conciliorum authoritas, ac veneratio, eorumque cogendorum initium ab exordio Eccleſiæ, & frequentia. ibid.

Concordia diſcors in omnibus Liturgiis juxta ordinem Sacrificii traditum ab Apoſtolis, in omnem terram diffuſum. IX. 8. 162.

Confeſſorum Feſta quando cœperint agi. XV. 1. & ſeqq. 298. 302.

Conjectura Petavii circa Conſtitutiones ſub nomine Clementis. VIII. 4. 133.

Conſiſtentes, & Conſiſtentia, eorumque gradus, atque ſtatio ad Ambonem verſus Sanctuarium. XVII. 3. & ſeq. 363. 365.

Conſtantinus Magnus Romæ a Silveſtro, non autem Nicomediæ ab Euſebio baptizatus. XVI. 3. 334.

Conſtitutiones Apoſtolicæ cujus ævi cenſeantur; & eædem ſub nomine Clementis: antiquiores ſunt Concilio Nicæno. VIII. 4. 133.

Earumdem authoritas. ibid.

Conſuetudines Eccleſiarum in Miſſæ celebratione diverſas olim fuiſſe, & nunc eſſe. VI. 1. 90.

Convivium publicum Agape. I. 4. 3.

Convivium Dominicum, convivium Euchariſticum contra Albaſpinæum. IV. 3. 56.

Copti,

Copti, ſeu Cophti, & eorum Ritus. IX. 5. 153.
Cornelii Papæ Epiſtola. III. 1. 18.
Cryptæ, ubi Miſſæ celebrabantur. ibid.
Cultus divinus ampliatus. XVI. 6. 350.
Cultus ſacrarum Imaginum. ibid. 2. 328.
Cypriani Teſtimonium Miſſæ. IV. 4. 60.

D

Decretales Epiſtolæ ab Iſidoro Collectæ, & quæ fides eis habenda. III. 1. 18.
Defunctorum memoria, ſeu Miſſæ pro defunctis. XIV. 2. 282. XV. 4. 307.
Deipara, ſeu Theotocos nominata, & credita Mater Domini ab antiquiſſimis Fidei orthodoxæ Prædicatoribus juxta Apoſtolicam traditionem. VIII. 3. 129.
Dimiſſio Catechumenorum in Miſſa poſt Evangelium. I. 6. 9. XVI. 6. 350. XVII. 5. 373. 6. 378.
Dimiſſio Congregationis, ſive a quovis Eccleſiaſtico Officio &c. II. 1. 11.
Dionyſii Areopagitæ Teſtimonium de Miſſa. IV. 4. 60.
Ejuſdem Miſſa, & de illa quid ſentiendum. VIII. 5. 136.
Dioſcori (qui fuit damnatus in Concilio Chalcedonenſi) Liturgia. IX. 6. 157.
Diſciplina veteris Eccleſiæ erga Catechumenos. XVI. 2. 327. XVII. 3. 363.
Diſciplina Claſſium Pœnitentium. XVII. 4. 364.
Diſtinctio Miſſæ Catechumenorum a Miſſa Fidelium. XVI. 1. 323.
Diverſitas humanorum ſenſuum fuit origo varietatis Rituum. VI. 2. 96.
Diverſitates variæ, ac mutationes Miſſæ a Romano Ritu diſcrepantes. VII. 6. 118.
Diviſio Hoſtiæ conſecratæ varia. XI. 5. 214.
Dominicum pro Miſſa. III. 2. 23.
Doxologia. VIII. 3. 129.
Durantus (Stephanus) circa Miſſæ nomen notatus. III. 1. 17.

E

Eccleſiæ Altaria. XIV. 3. & ſeq. 285.
Eccleſiæ Mediolanenſis aliquot Ritus peculiares. X. 3. 189.
Eccleſiæ Romanæ Primatus. VII. 3. 106. XI. 3. 205.
Eccleſiæ Orientalis varii Ritus. IX. 1. 144.
Ecchius (Joannes) putans Apoſtolos nonniſi hebraice celebraſſe, refellitur. V. 4. 79.
Energumeni qui ſint, & expulſi poſt Evangelium. XVI. 7. 252.
Ephrem Syri Hymnus. IX. 8. 161.
Epiſtola S. Franciſci circa Miſſæ Sacrificium &c. & de ea judicium. XIV. 6. 294.
Epiſtolæ Pontificum uſque ad Siricium cujus ſint auctoritatis. III. 1. 18.
Ethnicorum calumniæ adverſus Chriſtianos, earumque origo. IV. 3. 55.
Euchariſtiæ Myſterium ſtudioſius celatum infidelibus, & Catechumenis. XVI. 3. 335.
Eulogiæ negatæ Catechumenis. ibid.
Euſebii Cæſarienſis Teſtimonium Miſſæ. IV. 4. 69.
Excluſio Profanorum a Myſteriis. V. 2. 71. XVI. 1. & ſeqq. 333. XVII. 5. 373.
Exotica de primitivæ Eccleſiæ Sacrificiis. IV. 4. 59.
Expulſio Catechumenorum &c. quando deſierit, in Eccleſia Latina circa ſeculum ſeptimum. XVI. 6. 350.
In Eccleſia Græca, etiamſi nulli Catechumeni, & Pœnitentes, adhuc obſervata formula expulſionis. ibid. 7. 352.
Expulſio Pœnitentium ab Eccleſia. XVII. 5. 373.

F

Facere idem ac ſacrificare. III. 2. 24.
Feſta Confeſſorum quando cœperint agi. XV. 1. 298. 302.
Feſta S. Martini cum Miſſa antiqua. XII. 6. & ſeqq. 241.
S. Stephani. ibid. 7. 249.
S. Germani. ibid. 8. 253.
Feſtum diem ſumi pro Miſſa. I. 3. & ſeqq. 3. II. 5. & ſequ. 14.
Fidelium Miſſa. XVI. 1. 313. XVII. 6. 378.
Fides noſtra ſeculo ſecundo labente tempore Adriani Imperatoris jam in varias regiones propagata. V. 4. 180.
Fides dubia de Liturgiis Matthæo, & Marco tributis. VIII. 2. 127.
Fides immutabilis. VI. 2. 95.
Flentes. XVII. 3. 63. *eorumdem gradus, & ſtatio* in Porticu extra Eccleſiam. ibid. 4. 364.
Formula primæ Miſſæ Apoſtolorum. V. 3. 75.
Fractionis Hoſtiæ conſecratæ diverſitas. XI. 5. 214.
S. Franciſci Epiſtola circa Miſſæ Sacrificium &c. & de ea judicium. XVI. 6. 276.
Fratres Minores quid immutaverint in Officiis Divinis. VII. 7. 119.
Frequentia Conciliorum. VII. 1. 102.
Frequentia Communionis antiqua. XIV. 5. 291.

G

Galliæ, & Hiſpaniæ an idem fuerit mos in Divinis Officiis. XII. 6. 241.
Gallicanæ Eccleſiæ Ritus, & Miſſa ante Pipinum &c. XII. *per totum caput*, 224.
Galvanei, & Beroldi authorum antiquorum Eccleſiæ Mediolanenſis quænam authoritas. X. 1. 180.
Genebrardus notatus circa Miſſæ nomen. I. 6. 9.
Genera hominum in Statione Audientium *quinque.* XVII. 4. 364.
Genera varia Miſſarum. XIII. 1. 262. XIV. 1. & ſeqq. 276. uſque ad 294. XV. 1. & ſeqq. 298. uſque ad 321.
Georgiani olim Iberi, & eorum uſus. IX. 5. 153.
Goar (Jacobus) illuſtravit notis Liturgiam Chryſoſtomi. IX. 3. 148.
Gradus Pœnitentium quatuor, ideſt Flentium, Audientium, Subſtratorum, Conſiſtentium; *qui-*

quibus etiam additur quintus Perfectionis, ſed perperam. XVI. 4. 364.
Græcorum Ritus. IX. 1. 144. & alibi paſſim. Iiſdem quinam utantur. ibid. 5. 153.
S. Gregorius illuminator dictus Epiſcopus in Armenia, ejuſque Gentibus Fidei Propagator. IX. 7. 159.
S. Gregorius VII. in Hiſpania Romanum Officium introduxit. VII. 6. 118.
Grezerus (Jacobus) magni nominis Theologus notatus circa Miſſæ nomen. II. 6. 16.

H

Habitus Pœnitentium. XVII. 4. 364.
Hæreticorum fraude depravatus Mozarabum Ritus, & deſit tandem Romanis Ritibus ſubrogatis. XI. 2. 201.
Hæreticorum mos eſt ſacros Ritus pervertere. VII. 2. 104.
Hiemantes. XVII. 5. 373.
Hierurgia, Eulogia &c. III. 3. 29.
Hiſpaniæ, & Galliæ an idem fuerit mos in Divinis Officiis. XII. 6. 241.
Hiſpani cur dicti Mozarabes. XI. 1. 195.
Homouſion vox uſitata ante Concilium Nicænum. VIII. 3. 129.
Hoſtiæ conſecratæ variæ diviſio. XI. 5. 214.
Hymnus S. Ephrem Syri. IX. 8. 361.
Hypoſtaſes tres. VIII. 5. 136.

I.

Jacobi Apoſtoli Liturgia. VIII. 3. 128.
Jacobitarum Ritus. IX. 5. 153.
Iberi nunc Georgiani, & eorum uſus. ibid.
Idioma vulgare omnibus fere ſeculis mutari. V. 4. 81.
Ignatii Martyris Teſtimonium de Miſſa. IV. 4. 59.
Illyricæ Linguæ uſus in Miſſa. IX. 4. 151.
Illyrici (Matthiæ Flacci Lutheranorum Principis) Miſſa. XII. 2. & ſeqq. 226.
Imagines, & de his Canon Illiberitanus. XVI. 2. 328.
Inſtitutio diverſorum Ordinum in Eccleſia. XVI. 6. 350.
Inſtitutio Ritus Mozarabum. XI. 1. 196.
Inſtitutiones divinæ, & Apoſtolicæ quoad Sacrificium Miſſæ &c. probatæ per auctoritatem Tertulliani. III. 4. 36.
Inſtitutor Miſſæ Chriſtus. IV. 1. 49.
Joannis Chryſoſtomi Liturgia. IX. 3. 148.
Joſeph ab Arimathia primus Fidei Sator in Anglia. VII. 3. 106.
Irenæi Teſtimonium de Miſſa. IV. 4. 59.
Iſidori Decretalium &c. III. 1. 28.
Juſtini Martyris Teſtimonium de Miſſa. IV. 4. 59.

K

Kircherius (Athanaſius) notatus a Gravio (Joanne) quoad Liturgiam Copticam. IX. 5. 153.

L

Lac, & mel recens datum Baptizatis. XVI. 3. 335.
Laurentii Martyris Teſtimonium de Miſſa. IV. 4. 59.
Leproſi Pœnitentes. XVII. 5. 372.
Libri ſacri Rituales, vel ab Hæreticis immutati, vel ſuis erroribus infecti. VII. 2. 104.
Libri, veſtimenta, ac vaſa ſacra miniſterio inſervientia ad Synodos deferebantur. VII. 1. 103.
Librorum de Sacramentis an Ambroſius ſit Author. VII. 4. 111.
Lingua primæ Miſſæ Apoſtolorum quæ. V. 4. 79. & ſeqq.
Lingua Punica vulgaris in Africa. ibid.
Lingua vulgari cur non agatur in Miſſa. ibid.
Linguæ Latinæ neceſſitas in ſacris. ibid.
Linguæ mutationibus ſubjectæ. ibid.
Linguæ vulgo ignotæ uſus in Miſſa. ibid.
Linguarum diverſarum uſus in Miſſa. ibid.
Liturgia a Dionyſio tradita. VIII. 5. 136.
Lis circa Authorem iſtius Liturgiæ excitata fuit a Criticis ſeptimi, vel octavi ſeculi. ibid. 137.
Liturgia Jacobi græce ſcripta. V. 4. 80. VIII. 3. 128.
Liturgia ſub nomine Petri a Lindano edita exploſa. VIII. 1. 122.
Liturgiæ Apoſtolorum. VIII. 1. & ſeqq. 122. ibi ex dictis Enim. in initio hujus capitis, & 5. deducitur: Miſſalis liber ad Sacrificium ab Apoſtolis traditus.
Variæ Orientalium. IX. 4. & ſeq. 151.
Pro Apoſtolis. ibid.
Pro Orientalibus. ibid. & 9. 169.
Liturgiæ Abyſſinorum. ibid. 6. 157.
Armeniorum. ibid. 7. 159.
Baſilii. ibid. 1. & ſeqq. 144.
Chryſoſtomi. ibid. 3. 148.
Dioſcori. ibid. 6. 157.
Maronitarum. ibid. 8. 161.
Liturgiæ a Græcis variis nomina tributa. III. 3. 29.
A Latinis. ibid. 2. 24.
Liturgiæ Ritus initio Eccleſiæ quare breviſſimus. V. 3. 75.
Liturgiæ veteres nonniſi Caldaico, Græco, & Latino Sermone conſcriptæ. ibid. 4. 80.
Lumina in Miſſa. V. 2. 70.
Lutherus blaſphemus contra Miſſas privatas refellitur. XIII. 4. 269.

M

Marci Liturgia dubia. VIII. 2. 127.
Maronitarum Liturgia. IX. 8. 161.
Martyres ſoli olim Officio colebantur. XV. 2. 302.
Matthæi Liturgia dubia. VIII. 2. 127.
Mediolanenſis Eccleſiæ Ritus. X. 1. 180. 3. 189.
Melchitæ. IX. 5. 153.
Mengrellenſes olim Colchi, & eorum Ritus. IX. 5. 153.
S. Methodius Moraviæ Apoſtolus. ibid. 4. 151.
Miſſa a Chriſto Domino inſtituta. IV. 1. 49.
De Miſſa quamplurima Teſtimonia. ibid. 4. 59.

Missa prima Apostolorum &c. V. 1. & seqq. 68.
Missa idem ac missio. I. 4. 3.
Missa idem ac Communio. III. 2. 24.
Missa pro Dominicum. ibid.
Missa pro die Festo. I. 2. & seqq. 2. II. 5. & seqq. 14.
Missa cur non agatur Lingua vulgari. V. 4. 79.
Missa Romana a quibus instituta. VII. 2. 104.
Missa a Petro Apostolo Romanæ Ecclesiæ tradita, ab aliis aucta. VII. 5. 114.
Missa Africana. VII. 3. 106.
Missa Clementis antiquissima. VIII. 4. 133.
Dionysii. ibid. 5. 136.
Basilii. IX. 1. 144.
Chrysostomi. ibid. 3. 148.
Missa Ambrosiana. X. 1. & seqq. 180.
Missa Gothica, seu Mozarabica. XI. 1. & seqq. 195. usque ad 201.
Ejusdem descriptio &c. ibid. 4. 212. & 5. 213.
Missa Gallicana ante Pipinum, & Carolum Magnum, quorum cura Ritus Romanos in Galliam introductos. XII. 1. 224.
Missa edita ab Illyrico (quæ dubitur expressa in Appendice ad 4. Tomum) ibid. 2. & seqq. 226. usque ad 236.
Missa antiqua in die S. Martini. ibid. 6. & seqq. 241.
In die S. Stephani. ibid. 7. 249.
S. Germani. ibid. 8. 253.
A quibus hæ Missæ compositæ. ibid. 9. 256.
Missa Lingua Illyrica Roxolani, sive Moscovitæ Christiani utuntur; item Christiani Tartari circa Tauricum Chersonesum, apud Circassos, & quasdam Ponticas nationes, insuper in Servia, Mysia, Bosnia, Bulgaria, Russia minori &c. IX. 4. 151.
Missa Lingua Sclavonica, & Officio cum Ritu tamen Romano, utuntur Christiani in Istria, Liburnia, & in Dalmatia Littorali. ibid.
Missa solemnis, & publica. XIII. 1. & seq. 263.
Cur vetita in Monasteriis. ibid. 3. 266.
Privata, & solitaria. ibid. 4. 268.
Solitaria vetita. ibid. 5. & seq. 272.
Missa Præsanctificatorum. XV. 5. 317.
Sicca, seu nautica. ibid. 6. 319.
Missa Catechumenorum. II. 1. 11. XVI. 1. 313.
Missa Fidelium. ibid. XVII. 5. 373. 6. 378.
Missa, mess, mercatus, nundinæ. I. 3. 3.
Missa dicitur quasi transmissa. ibid. 5. 7.
Hostia.
Ministerium Sacrosanctum.
Sacrificium.
Ad placationem Legatio.
Missio per Angelum, ut sit accepta Deo.
Missio Angeli a Deo, ut assistat Sacrificio.
Missio nostra ad Deum. ibid.
A missione populi, sive remia, & dimissione: ibid 6. 8.
Missio Catechumenorum, Infidelium, Pœnitentium, & aliorum, &c. ibid.
Missio initiatorum. ibid. 9.
Missa olim pro Colletis accepta. II. 2. 12.
Pro Lectionibus usurpata. ibid. 3. 13.
Pro Divino Officio. ibid. 4. 14.
Missa Romana studio Pontificum ab omnibus Occidentalibus recepta. VII. 3. 106.
Missalia particularia diversarum Ecclesiarum, sub Ludovico Pio introducta post Concilium Aquisgranense. VII. 6. 118.
Missalis Liber ad Sacrificandum initio ab Apostolis traditus, deducitur ex dictis Emin. in prima Linea cap. VIII. 1. 122.
Missæ nomen, & origo. I. 1. & seqq. 1.
Non Græcum. ibid. 2. 2.
Non alteriùs idiomatis sed Latinum. ibid. 3. 2.
Missæ vox Latina a mittendo dicta. I. 4. & seqq. 3.
Vario sensu a mittendo dicta. ibid. 5. 7.
Missæ nomen multa significat. I. 2. & seqq. 2. II. 1. & seqq. 11.
Missæ nomen antiquissimum a sæculo Christi secundo. III. 1. 17.
Communiter pro Christiano Sacrificio a veteribus usurpatum. ibid. 18.
Missæ varia nomina Græca, & Latina. III. 2. & seq. 23.
Patrum de illa Testimonia. ibid. 4. 34. IV. 4. 59.
Missæ Ordo ab Apostolis. IV. 2. 52.
Missæ Ordo talis tempore D. Augustini, qualis nunc in Ecclesia Romana. ibid. 53.
Missæ primæ apparatus. V. 2. 70.
Quis eam celebraverit. ibid. 1. 68.
Qua formula. ibid. 3. 75.
Qua Lingua. ibid. 4. 79.
Missæ Orationes, & Cæremoniæ ab Apostolis, eorumque Successoribus institutæ; eamdemque celebrandi Ritus, & modus, quo feliciter ordine, ac precibus; non ita ab initio institi, ut ubique perpetui foment, & immutabiles. VI. 1. 90.
In Missæ celebratione diversæ consuetudines. ibid.
Missæ mutationes variæ, ac diversitates plerique in locis a Romano Ritu discrepantes. VII. 6. 118.
Missæ aderant aliquando soli communicantes. XIII. 2. 264.
Missæ privatæ usus antiquissimus, & perpetuus. XIV. 1. & seqq. 276. usque ad 287.
Missæ de Sanctis. ibid. 2. 281. XV. 1. 298. usque ad 306.
Pro defunctis. ibid. 282. XV. 4. 308.
Missæ plures in eadem Ecclesia. XIV. 3. & seq. 285. usque ad 288.
Sine communicantibus. ibid. 5. 290.
Missæ de tempore. XV. 1. 298.
Votivæ. ibid. 3. 306.
Missæ plures in unam congestæ. XV. 7. 321.
Missæ cur in plurali dictæ. II. 6. 16.
Missæ Sacrificium frequentabant Apostoli. IV. 2. 52.
Missah vox Hebraica Oblationem significat. I. 1.
Missam quomodo Sectarii perverterint. VII. 2. 104.
Missam ab initio sic institutam, ut ei populus adesset, offeret, & communicaret. XIII. 2. 264.

Miſſarum ſolemnia. II. 6. 16.
Miſſarum varia genera. XIII. 1. 262. XIV. 1. & ſeqq. 276. XV. 1. & ſeqq. 298. uſque ad 319.
Miſſas tenere. II. 6. 16.
Modus Divini Officii perſolvendi olim in ipſa Urbe Romæ duplex. VII. 7. 120.
Monachis quibuſdam, ſeu Eremitis perpetuo inclufis indultum aliquando ut ſoli poſſent ſine reſpondente Sacrificium offerre. XIII. 6. 273.
Mos Hæreticorum eſt ſacros Ritus pervertere. VIII 2. 105.
Mos in Officiis Divinis an idem fuerit Galliæ, & Hiſpaniæ. XII. 6. 241.
Mos antiquus communicandi in Miſſa a Strabone indicatus. XIV. 5. 291.
Moſcovitæ ſeu Roxolani, & eorum Ritus. IX. 4. 151.
Mozarabes, & eorum Ritus. VII. 3. 107.
De eodem, ipſiuſque Inſtitutore. XI. 1. & ſeqq. 195.
Hæreticorum fraude depravatus; deſit tandem Romanis Ritibus ſubrogatis. ibid. 2. 201.
Mozarabici Officii mutatio, & de turbis ob eam exortis &c. ibid. 3. 205.
Mulierum publica Pœnitentia. XVII. 5. 373.
Myeſis a Myæo, quod eſt doceo &c. ſignificat initiationem, ſeu myſticam doctrinam. I. 2. 2.
Myſtagogia. III. 3. 28.
Myſteria Miſſæ Catechumenis celata, ac præſentibus ipſis aliorum myſteriorum altum ſilentium. XVI. 2. 327.
Myſteriorum nomine Sacrificii celebratio. IV. 2. 53.

N

Narthex ſtatio Audientium. XVII. 4. 364.
Neceſſitas Linguæ Latinæ in ſacris. V. 4. 80.
Neſtoriani, & eorum Ritus. IX. 5. 153.
Nomen Communionis multa ſignificat. III. 2. 24.
Nomen Miſſæ. I. 1. & ſeqq. 1.
Nomina indicia rerum. I. 1. 1. II. 1. 11.
Novatorum objectiones nihil officiunt Jacobi Liturgiæ. VIII. 3. 129.
Nundinæ annuæ feſtis diebus annexæ. II. 5. 15.

O

Oblatio, ideſt Miſſa. I. 1. 1. III. 2. 24.
Obſervantia Rituum, ac pro eorum varietate tollenda quid ab initio actum in Conciliis. VII. 1. 102.
Occidentis omnes Eccleſiæ ſtudio Summorum Pontificum, Epiſcoporum, & Principum Ritus Romanos in Miſſæ Ordine ſuſcepere. VII. 3. 106.
Ejuſdem Eccleſiis Miſſa Romana omnibus communis. ibid. 5. 114.
Oeconomiæ nomen pro Miſſa. III. 3. 29.
Officia diverſa olim Romæ. VII. 7. 119.
Officio ſoli Martyres olim colebantur. XV. 2. 302.
Officium Romanum mutatum a Fratribus Minoribus. VII. 7. 120.
Idem perſolvendi duplex modus olim Romæ. ibid.
Idem receptum in Hiſpania. XI. 2. 201.
Illuſque Gregorius VII. introduxit. VII. 6. 118.
In Gallia receptum ſub Adriano Papa regnante Carolo Magno. XII. 1. 224.
Officium Gothicum, ſive Mozarabicum. XI. 1. 195.
Ejuſdem mutatio. Turbæ ob eam exortæ. Franciſcus Cardinalis Ximenes reſtitutor. ibid. 3. 205.
Opera Pœnitentiæ. XVII. 2. 361.
Optati Milevitani Teſtimonium de Miſſa. IV. 4. 60.
Orationes, & Cæremoniæ Miſſæ ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus inſtitutæ. VI. 1. 90.
Oratoria in Epiſcopiis ad celebrandum. XIV. 1. 277.
Ordo Miſſæ ab Apoſtolis. IV. 2. 52. IX. 8. 162.
Similis tempore D. Auguſtini, qualis nunc in Eccleſia Romana, ibid. 53.
Ordo Miſſæ a Petro Apoſtolo Romanæ Eccleſiæ traditus. VII. 5. 114.
Ordo Miſſæ Ambroſianæ. X. 2. 185.
Ordinum diverſorum Inſtitutio in Eccleſia. XVI. 6. 350.
Orientalis Eccleſiæ Liturgiæ. IX. 4. & ſeqq. 151.
Origo calumniarum Ethnicorum adverſus Chriſtianos. IV. 3. 55.
Origo claſſium Pœnitentium. XVII. 4. 364.
Origo Miſſæ Catechumenorum, & Fidelium. XVI. 1. 323.
Origo Miſſæ ſolitariæ a Monachis. XIII. 4. 268.
A quibus, & quando prohibita. ibid. 5. 272.
An, & quatenus licita ſit. ibid. 6. 273.
Origo varietatis Rituum. VI. 2. 95.

P

Parœcieſiæ. XIV. 3. 285.
Patrum Teſtimonia de Miſſa. III. 3. 24. IV. 4. 60.
Peccatis quibuſdam negata venia. XVII. 1. 355.
Peccatis omnibus venia conceſſa. ibid. 2. 361.
Penula Pauli, ſive Phænolium, uti Ducangius in Gloſſario Græco. V. 2. 70.
Perfectionis Gradus Pœnitentium *perperam additus*. XVII. 4. 365.
Pertinacia in retinendis propriis Ritibus VII. 4. 110. XI. 3. 205.
Petrus Apoſtolus primus omnium celebravit. V. 1. 68.
Ejus Liturgia. VIII. 1. 122.
Canonis Romani fundator. ibid.
Ejuſdem Caſula, ſive Planeta. V. 2. 70.
Ab eodem Miſſa Eccleſiæ Romanæ tradita VII. 5. 114.
Pœnitentes, & alii, qui Miſſæ Fidelium adeſſe non poterant, quo ordine dimitterentur. XVII. 6. 378.
Pœnitentia publica Mulierum. ibid. 5. 373.
Pœnitentiæ Opera. ibid. 2. 361.
Pœnitentis deſcriptio. ibid.

Pœnitentium Claſſes. ibid. 2. & ſeq. 361. & 363.
Eorum Gradus, ſcilicet Flentium, Audientium, Subſtratorum, & Conſiſtentium. ibid. 4. 364.
Quo ordine ab Eccleſia expellerentur. XVI. 7. 352. XVII. 5. 373. 6. 378.
Eorum abſolutio. ibid. 378.
Pœnulus. V. 4. 81.
Populum Miſſæ adeſſe, offerre, & communicare ab initio inſtitutum eſt. XIII. 2. 264.
Porticus extra Eccleſiam Statio Flentium. XVII. 4. 364.
Primatus Romanæ Eccleſiæ. VII. 3. & ſeq. 106. XI. 3. 205.
Privata Miſſa. XIII. 4. 268.
Prælatorum aliquorum Licentia fuit Origo varietatis Rituum. VI. 3. 98.
Præſanctificatorum Miſſa. XV. 5. 317.
Profani amoti a Sacris. V. 2. 70. XVI. 1. & ſeq. XVII. 5.
Propylæum Statio Audientium. XVII. 4. 364.
Proſphora. III. 3. 29.
Pſalmus Judica me *in Miſſa Ambroſiana*. X. 2. 185.
Punica Lingua vulgaris in Africa. V. 4. 80.

R

Ratio Miſſarum de Tempore, & de Sanctis. XV. 1. 298.
Ratio Miſſæ Catechumenorum, & Fidelium. XVI. 1. 323.
Remiſſa pro remiſſione peccatorum. I. 4. 3.
Rhenanus correptus circa martyrum cultus, XV. 2. 302.
Riculfus Epiſcopus Moguntinus Epiſtol. Decretalium &c. ab Hiſpania in Galliam delator. III. 1. 18.
Rituales Sacri Libri vel ab Hæreticis immutati, vel ſuis erroribus infecti. VII. 2. 104.
Ritus initio Eccleſiæ quare breviſſimus. V. 3. 75.
Ritus, & modus celebrandi Miſſam, quo ſcilicet ordine, ac precibus, non ita ab initio inſtituti, ut ubique perpetui forent, & immutabiles. VI. 1. 90.
Ritus Romanos ſtudio Pontificum, Epiſcoporum, ac Principum omnes Eccleſiæ Occidentis in ordine Miſſæ receperunt. VII. 3. 107.
Ritus quidam particulares unde provenerint. VII. 6. 118.
In propriis Ritibus retinendis nimia quorumdam pertinacia. ibid. 4. 110. XI. 3. 205.
Pro Rituum varietate tollenda quid actum ſit. VII. 1. & ſeq. 102.
Noviſſime ad hoc inſtituta eſt Congregatio Rituum a Sede Apoſtolica. ibid. 6. 118.
Ritus Sacri non innovandi. VII. 1. 103.
Ritus Æthiopum. IX. 6. 157.
Africanæ Eccleſiæ. VII. 3. 106.
Albaniæ. IX. 5. 153.
Ambroſiani in Miſſa, miraculis approbati, ab Archiepiſcopis auſti, & innovati. X. 1. 80.
Apoſtolorum. V. 1. & ſeq. 69.
Capellæ Pontificiæ olim peculiaris. VII. 7. 120.
Colchorum. IX. 5. 153.
Coptorum. ibid.
Jacobitarum. ibid.
Mediolanenſis Eccleſiæ. X. 2. 185. & 3. 189.
Moſcovitarum. IX. 4. 151.
Mozarabum. VIII. 3. 106. XI. 1. & ſeqq. 195.
A quonam iſte Ritus inſtitutus. ibid.
Depravatus ab Hæreticorum fraude; deſiit tandem Romanis Ritibus ſubrogatis. ibid. 2. 201.
Neſtorianorum. IX. 5. 153.
Orientalis Eccleſiæ. ibid. 1. 144.
Romani in Anglia. VII. 3. 106.
Rituum varietate non ſcindi fidem. VI. 1. 91. 95.
Cur tanta varietas. ibid. 2. & ſeq. 95.
Eorumdem varietatis origo eſt diverſitas humanorum ſenſuum. ibid. 96.
In iis innovandis nimia quorumdam Prælatorum licentia; hinc turbæ, & diſſenſiones exortæ. ibid. 3. 98.
Romanæ Eccleſiæ Primatus. VII. 3. & ſeq. 106. XI. 3. 205.
Romani Ritus ubique propagati. VII. 3. 106.
Mutati a Fratribus Minoribus. ibid. 7. 119.
Romanum Officium receptum in Hiſpania. XI. 2. 201.
In Gallia. XII. 1. 224.
Romæ olim diverſa officia. VII. 7. 119.
Romæ quando, & quomodo convocabantur Concilia. ibid. 1. 102.
Roxolani, ſeu Moſcovitæ, eorum Ritus. IX. 4. 151.

S

Sacerdotes ſine titulo, & ſine Eccleſia. XIV. 2. 282.
Sacramenta adminiſtrare. II. 6. 16.
Sacrificare idem ac facere. III. 2. 24.
Sacrificium Miſſæ frequentatum ab Apoſtolis. IV. 2. 52.
Sacrificium pro Defunctis ex Apoſtolica traditione offerri. XV. 4. 307.
Sacrificium idem ubique quoad eſſentiam. VI. 2. 95.
Sal datum Catechumenis. XVI. 3. 335.
Sanctus. VIII. 3. 129.
Scortia (Joannes Baptiſta) notatus circa Miſſæ nomen. III. 1. 17.
Sectarii quomodo Miſſam perverterint, & Altaria frangerent. VII. 2. 95.
Sectarii circa Miſſæ privatæ antiquitatem confuſi. XIV. 2. 281.
Sectarii fruſtra abutuntur Canone 37. Concilii Illiberitani contra Sacrarum Imaginum cultum. XVI. 2. 328.
Sententia Tertulliani de Miſſa. III. 4. 34.
Sententiæ Patrum facile inter ſe conciliatæ circa formulam Miſſæ Apoſtolorum. V. 3. 75.
Sicca, ſeu Nautica Miſſa. XV. 6. 319.
Solitaria Miſſa vetita. XIII. 5. & ſeq. 272.
Statio Claſſium Pœnitentium. XVII. 4. 364.
Subſtrati. ibid. 3. 363.
Eorum gradus, & ſtatio intra Ambitum

bitum Ecclesiæ usque ad Ambonem. ibid. 365.
Inter hos stabant Catechumeni secundi, & tertii generis, atque Energumeni. Ibid.
Synaxis. III. 3. 28.
Synodis interveniebant duo, vel tres Clerici, cum quibus Missarum solemnia celebrabantur, nec non Libros, Vestimenta, Vasa Sacra ipsis inservientia deferebantur. VII. 1. 103.
Synodus a Legato Apost. Sedis sub Alexandro II. Præsatorum Dalmatiæ, & Croatiæ coacta. IX. 4. 151.

T

Tartarorum Christianorum Ritus. IX. 4. 151.
Telete. III. 3. 28.
Teletarchus vocatur Christus. IV. 1. 49.
Tertulliani sententia de Missa. III. 4. 34.
Testimonia Missæ. IV. 4. 60.
Theotocos, seu Deipara, dicta B. Virgo ante Concilium Ephesinum. VIII. 3. 129.
Traditio ab Apostolis habita semper in Ecclesia undique conservata. VII. 3. 106.
Traditiones per omnia similes non possunt reperiri in omnibus Ecclesiis, quamvis inter se consentiant. VI. 1. 91.
Trisagion. VIII. 3. 129.
Trishypostaton. VIII. 5. 136.

V

Varietas admittitur in iis, quæ ad disciplinam tantum, non ad fidem pertinent. VI. 1. 91.
Varietas Rituum ablata. VII. 1. & seq. 101.
Varietate Rituum non scindi fidem. VI. 1. 91.
Varietatis Rituum causa, & origo. ibid. 2. 95. 96.
Veneratio Conciliorum. VII. 1. 102.
Venia quibusdam criminibus olim negata. XVII. 1. 355.
Eadem omnibus peccatis concessa. ib. 2. 361.
Verba Apostolorum in Missa. V. 3. 75.
Vestes, quibus prima Missa celebrata est. ibid. 2. 70.
Vestimenta, Vasa Sacra, ac Libri pro Sancto Ministerio inservientia ad Synodos deferebantur. VII. 1. 103.
Vicecomes (Joseph) notatus circa dictas vestes ibid.
Item circa Missæ nomen. III. 1. 17.
Virgo Beatissima dicta Theotocos ante Concilium Ephesinum. VIII. 3. 129.
Vocabula Hebraica per Græcos ad Latinos deventa. I. 1. 1.
Vox Homousion usitata ante Concilium Nicænum. VIII. 3. 129.
Vox Liturgiæ quid significet. III. 3. 27.
Usus Iberorum, nunc Georgianorum. IX. 5. 153.
Usus Linguarum diversarum in Missa. V. 4. 79.
Usus Linguæ Illyricæ in Missa. IX. 4. 151.
Usus Linguæ vulgo ignotæ in Missa. V. 4. 80.
Usus Missæ privatæ antiquissimus. XIV. 1. & seqq. 276 usque ad 287.
Vvanslebii (Joannis Michaelis) Latina interpretatio Liturgiæ Dioscori. IX. 6. 157.

X

Ximenes (Franciscus) restitutor Officii Mozarabici. XI. 3. 205.

Imprimatur. Provicarius S. Officii Taurini.

V. Ab. Costa S. F. V. P.

Se ne permette la Stampa. Morozzo per la Gran Cancelleria.

Vitt. 1529086